Operum Asceticorum
R. P. Gasparis Druzbicki Poloni.
Societatis Iesu

Tomus Tertius.

Calissii 1686.
Typis Collegii Societatis Iesu.

Index

Opusculorum hoc Tomo contentorum

VITA PATRIS GASPARIS DRVZBICKI.

CAPVT I.

Vita Patris Gasparis in sæculo transacta, & ingressus in Societatem.

VItæ, & omnis nostræ
fortunæ, auctori DEO,
nulla res mortalium for-
tuita. Ipsa elinguis na-
scentium infantia, fa-
cunde satis providam e-
jus loquitur Sapientiam, & natale solum,
patentem beneficiorum ejus campum
præbet.

De patris itaque GASPARIS vita scri-
benti, ortus primò occurrit. Futurum
hunc servum DEI magnum, major edi-
dit Polonia Anno nati DEI, *1590*. Quo
anno, ultimus ex decem primis, Societa-
tis nostræ Patribus, Pater Nicolaus Bo-
badilla decessit; prognosticante DEO,
quod primorum Patrum vestigiis proxi-
mè inhæsurus esset. Dies sexta Januarii
inter Sabbatum & Dominicam, seu inter
extremum Sabbati, & initium Domini-
cæ (ut ipse, in ratione celebrandi diem
Natalis sui, adnotavit) natalis illi fuit,
ipso nempe Domino, è manibus Divinæ
Matris suæ, eum acceptante. Parentes
habuit prænobiles, in Palatinatu Posna-
niensi, Petrum, & Elisabetham, à quibus
cum lacte pietatem suxit, DEO per casum
quendam, qui mortales persæpe ad cæ-
lum erigit, Parentes ad id urgente: nã in-
fans adhuc, in aquas delapsus, atq; aliquot
horis in iisdem profunde submersus (ut
ex ore illius ipsius accepimus) prodigi-
osè vitæ fuit restitutus. Magna scilicet
DEI erga illum charitas, aquis obrui &
& extingui non poterat. Non erat im-
memor beneficii hujus, & reliquorum
Natales suos concernentium, Pater Ga-
spar quotannis enim dulcem recolebat

Parentes P. Gasparis.

A submersione in infantia liberatur.

memoriam die septima Januarij, aut alia
non impeditâ. In quem finem conscripse-
rat Exercitium Liturgicum, de anniver-
sario die Natalis sui, nec non rationem
celebrandi eundem diem; quam Sanctè
observabat. In prædicto Exercitio ita
DEUM alloquebatur.

*Natus sum Domine in hunc mundum, & na-
tus quidem cæcus, pauper, nudus, peccator: adspe-
xi lucem filius tenebrarum, diaboli mancipium,
iræ DEI materia. O mi Vnitrine DEVS, omne
Bonum meum, cur antequam efficerer filius tuus
per gratiam adoptionis, antequam adirem hære-
ditatem meritorum Christi, antequam implanta-
rer Viti veræ, palmes inutilis, cur inquam non ex-
tinctus sum tunc casu aliquo? sed frustum istud
massæ meæ invenit gratiam coram Te, ut me vi-
vere sineres, & Angelo Tuo custodiendum com-
mitteres. Delatus deinde sum providente Te, ad
Baptismi fontem, & ex eo in filium gratiæ Tuæ re-
generatus, membrum Christi factus, hæres gloriæ
constitutus. O! quàm pauper adveneram! ô! quàm
dives reportatus sum tunc, maternisque redditus
manibus, pretiosis Filii Tui meritis, tanquam mo-
nilibus ornatus. Et fuitne aliquis tunc, sive Pa-
rentum, sive assistentium, sive ipse Sacerdos, qui
hoc Tuum mi DEVS, beneficium in me recogno-
scens, fideles Tibi pro me gratias ageret? factum
hoc tunc pro me an sit, nescio. Si factum, gratias
ago providentiæ Tuæ, & nunc id totum pro me ra-
tum habeo: si non factum, ne illud beneficium, ex
mea parte, careat aliquo gratitudinis debitæ signo,
ecce nunc mi Trinitas DEVS, ex toto corde, & ex
tota animæ corporisq; mei virtute, ac intensione,
Tibi DEO meo, per IESVM Christum, perq; Ma-
trem ejus, & ex tunc meam Pretiosissimam, ago
immensas gratias. Educationis meæ progressum cui
acceptum feram mi DEVS Trinitas? Tu nosti qui-
bus periculis obnoxia & subiecta fuerit ætatula mea
illa rudis, fragilis, & nihil præter bestialem sensum
sentiens, Tu membra fovebas, firmabasq;, Tu va-
cillantes gressus ac passus tenebas, & dirigebas, Tu
belluinam in me vitam decoquebas, ut ad rationa-
lem tandem emergerem. Tu me morti vicinum,
aut etiam mortuum, vivere jussisti, & deplorantibus vivum*

Gratiarum actio pro donis in Baptismo collatis.

bus, vivum ostendisti. Et quis pro me tunc ô DEVS meus glorificavit Te?

Primus rationis usus.

De primo usu rationis, ibidem in Exercitio Liturgico sic pergit.

Illam verò ætatem meam sequentem, in qua usus rationis mihi tandem illuxit, & deinceps luxit, quis mihi ostendit alius ô Domine, præter te? Et dedicavine Tibi primum usum rationis meæ, primitiasq; discretionis, ac humanæ libertatis meæ? fieri id potuit. fuisse nescio. vellem fecisse: dignum enim erat, ut ex tunc, Te DEVM, Conditoremq; meum, totâ omnitudine essentiæ meæ amarem, adorarem, laudarem, subditum me profiterer ac subjectionis tributum cum timore & amore adserrem, atq; protestarer. Quod tunc factum non est, facio Domine in præsenti, meq; Tibi nunc, pro tunc, primitialibus omnibus actibus, atq; affectibus Te dignis, Tibi à me debitis, profundo, impendo, immolo, sacrifico, holocaustifico, in omnimoda, in omni possibili puritate, intensione, circumstantia.

Beneficium educationis.

Pro reliquo vitæ in sæculo transactæ, Deo, in Exercitiis viæ unientis, Exercitio secundo, gratum se ita exhibet.

Deprædicat providentiã Dei.

Gratias agit & benedicit Tibi Domine DEVS meus anima mea, pro beneficio educationis, Tu scis Domine quibus viis gubernaverit suavissima & lactea providentia Tua, & infantiam meam, & pueritiam, & adolescentiam. O quàm suavis ille fuit decursus seriei Tuæ super me, in omnibus diebus vitæ meæ, in illa cæcitate annorum meorum, in illo æstu & impetu ætatis, quando & frenabas & laxabas me. O quomodo excubabas super me omni loco, ac si unum solum me curares ex omnibus creaturis mundi hujus! quomodo providisti mihi de bonis ut evenirent: de malis, ne obvenirent; de bonis ut discerem, caperem & tenerem ea, de malis, ne amarem, ne adverterem, neve probarem illa, vel saltem ut resilirem, vel deterrerer ab iis. O; quomodo per omnia momenta ordinasti vitam meam, actusq; meos, nullo ut loco consisterem, nullum ut ictum oculi facerem, quem Tu non speciali providentia Tua ordinâsses & ad bonum meum Te permisisse, mihi ostendisses. Sis benedictus cum providentia Tua DEVS meus, ex nunc, & in æternum & ultra.

Beneficium complexionis.

Ad Natales Patris Gasparis, magni auctarii loco, appono complexionem, temperamentumque naturæ optimum, à Deo illi collatum, cujus ille mentionem faciens, in Exercitio supra memorato, ita Deum alloquitur; *Gratias agit & benedicit Tibi Domine DEVS meus anima mea, pro beneficio complexionis, & temperamenti, quod dedisti mihi, quod quantum ex me est, mihi proportionatissimum est, ordinatum, & commensuratione debitâ adeo factum, ut nec ad virtutem valde difficilis sim, neq; ad vitium valde pronus, neq; morbis obnoxius, neq; communium affectionum expers, quæ omnia sunt maxima & rara beneficia in me Tua, Domine DEVS meus, & talia in quibus plurimorum est aliorum seges, occasioq; bonorum meorum, & beneficiorum tuorum.*

In Collegio Posnaniensi literis dat operam.

Adolescens jam, ad Princeps in Polona Provincia Collegium Posnaniense, missus, in eo non minus pietati, quàm studiis operam dedit, atq; ita eum ætatis transegit florem, ut primigenium pudicæ innocentiæ, Virginitatisque (quod ipse Patri cuidam, cum eo confidenter colloquens, enarravit) illæsum, usq; ad senium conservaverit. Non erat illi opus, cum Divo Augustino eluere lacrymis delicta juventutis, sed demirari dũtaxat, dilaudareq; misericordias Domini, quæ id effecere, ne pellucidus Dei oculus, ullam in eo impuritatis notaret labem. Sic illum divina dextera ad genuinum castimoniæ domiciliũ, Societatẽ Jesu, deducebat: ad quàm cùm ei sanctas injecisset cogitationes, reperit non reluctantem: innocens enim animus facilè pulsum Dei persentiscens, eum veluti pulsum cordis, cordi habet; Hanc ille Vocationem ad Societatem, inter maxima, ut revera est, beneficia, toto vitæ decursu percensebat, eandem Pretiosissimæ Parenti acceptam referebat: sic enim in Exercitio Liturgico, pro die Vocationis & Professionis conscripto, compellabat Deum; *Obrueras me Domine, obrueras & oppresseras, Incarnationis & Redemptionis, Passionis & mortis Tuæ, pro me factis profusionibus. Verùm ut ista ipsa immensa beneficia Tua, immensiora faceres, extraxisti me de sæculo nequam. Iussisti Domine ut immolarer Tibi in sacrificium plenum, & in holocaustum perenne, per vota perfectionis, super altare voluntatis, igne charitatis, ut scilicet, qui olim in primo Sacræ Religionis ingressu, de manu gloriosæ Virginis* MARIÆ, *Matris Dominæq; meæ pretiosissimæ, susceperas me in servum, postmodum super altare Crucis Tuæ, reciperes me Tibi immolatum in holocaustum, tam pretiosa fuit, & est semper, in conspectu bonitatis Tuæ, vilissima ista portio Creaturæ Tuæ, anima mea!* Pro eadem Vocationis gratia, in Exercitio secundo viæ unientis, sic Deum alloquebatur; *Gratias agit & benedicit Tibi Domine DEVS anima mea, pro beneficio statûs Religionis, quod unum atq; solum, inter maximorum & infinitorum beneficiorum seriem colloco, Domine DEVS meus: nosti enim Tu, quantum boni per hoc unum contulisti mihi, quia me in hac Sancta Religione esse fecisti. Benedicent Tibi in omnem æternitatem omnia interiora mea, speciali laude Tua, pro speciali ista gratia Tua.*

Illæsa innocentia.

Vocatio ad Societatem JESU.

Gratiarum actio pro Vocatione.

Ingressus Societatem Cracoviæ 14. Augusti, Anno ab ingressu in terras Dei ho-

minis 1609. quo primum anno, Sanctus Fundator noster Ignatius, Beati nomen, à Sede Apostolica, cum honoribus Sacri, & Officij Divini obtinuit; Deo sub id tempus Patri Gaspari intimante, eum beatam in Societate, cum Beato Parente, nactum esse vitam; Obtigit tunc illi Magister spiritûs, Pater Andreas Gutteter, vir harmoniâ & suavitate morum compositissimus; cujus singularem in gubernandis Novitiis industriam, miraculo comprobavit Deus, quod P. Gaspar, in suis adnotatis, in hunc sensum exscripsit.

P. Andreas Gutteter Magister Tironum.

Quidam Novitius ipso in ingressu Probationis, anathematisato Mundo, appenderat anathema, annulum aureum ad Imaginem Divinæ Matris, quæ erat in Sacello Sancti Matthiæ, atque ad hanc aram, obsequio Dei se subarrhaverat. Non longe post, tædere eum cæpit sui statûs: improbare igitur probationem, dimissionemque expetere urgenter instituit. Dissuadebat Pater pessima Novitij consilia, dispellebatq; tentationis nubem, sed refractaria prævalebat adolescentis voluntas. Quid igitur faceret? tentatis omnibus, deduxit tentatum ad imaginem illam, anathematis affixi bajulam, vixque aliquantùm uterque oravit, cùm ecce res mira! annulus ille aureus, sponte suâ, ab imagine resilit, pectusque Novitii ferit, & in terram cadit: cadit etiam illico territus ad pedes Patris Novitius, mentemque mutat. Ita, in Dei Parentis æstimatione plusquàm aureum est, perseverare in Societate Jesu. Sub tanto Magistro, quantùm in studio virtutis Pater Gaspar profecerit, sequens Caput aperiet. Transacto Probationis biennio, Vota religiosa simplicia nuncupavit 15. Augusti, in Festo Augustissimæ Virginis in Cælos assumptæ, holocaustumq; ejus secum assumentis.

Cujusdã Novitii vacillatio in vocatione, à B. Virgine reprehensa.

CAPVT II.

Viæ Domini, quibus Patrem Gasparem duxit DEVS ad perfectionem in Religioso statu, per annos viginti priores.

Via hæc, quâ ad cælestem patriam pergimus, vita nempè nostra, ex iis quæ Deus operatur in nobis, nihil admirabilius habet, *directione cordis*, de qua Pater Gaspar dicere solebat; se in Cœlo (quod de mera Dei Optimi miseratione, & ope Divæ Matris, indubiè præsto labatur) post adoratam Sanctissimam Trinitatem, Humanitatemq; Christi, nec nõ Virginem Beatissimam, millionem integrum annorum impensurum, in investigandis admirabilibus modis, quos Deus adhibet, *in directione cordis.* Sicubi, hic certe ex abundantia cordis os ejus loquebatur, ut colligere est e secretissimis, & nemini quoad vixit, communicatis pagellis ejus, (quibus hunc titulum præfixit. *Viæ Domini quibus me duxit in Religioso statu*) ex libello illustrationum post mortem ejus reperto; ex quibus nonnulla decerpam, verbis illius ipsius. Ita igitur ille loquitur.

Occupatio in cælo circa directionem cordis.

Anno 1609. in prima probatione, memini me habuisse spiritum rerum omnium contemptorem.

Spiritus rerũ omnium contemptor.

Initio Novitiatûs, dedit mihi Dominus considerationem divinæ suæ providentiæ, & inspiravit mihi, ut me illi committerem, in assignatione officiorum, occupationum, sociorum, locorum, &c. Et hunc spiritum, cum magna mea quiete consolationeq;, & varia experientia, hucusque fere semper retinui & exercui. Ibidem dedit mihi Dominus spiritum compunctionis & contemptionis mei ipsius, quin & cognitionem mei tunc accepi tantã, post quam non memini me deinceps à Deo majorẽ accepisse. Ibidem dedit mihi Dominus raram erga Passionem Christi devotionem, potissimùm ad mysterium Flagellationis. Ibidem desideriũ acquirendæ divinæ semper præsentiæ concepi; sed cum eam cõcipere non scirem, immo etiam explicante Magistro, non tantùm non caperem, sed magis etiam confunderer, ipse mihi Dominus intus exposuit, & docuit. Ibidem devotionem erga Sanctissimum Sacramentum concepi, & præsertim post Communionem, cæpi ad ejusdem inspirationes, & monitiones attendere. Ibidem desideria acquirendæ perfectionis sentiebam tanta, ut si quando me corriperent, non possem in ullo quiescere. Ibidem amorem orationis, ejusq; frequentandæ ac prolongandæ desideria sentiebam. Ibidem dederat mihi fiducialem quandam devotionem ad Beatam Virginem, apud quam effleui, ne dicam extorsi mihi sanitatem pectoris, in quo non leviter vacillare cæperam.

Resignatio in Dei voluntatẽ

Compunctio & contẽptus sui.

Devotio ad Christi passionem.

Præsentia Dei.

Devotio ad SS. Sacramẽtum.

Desiderium perfectionis.

Amor orationis.

Fiducia ad B. V.

Anno 1611. Lublini in Rhetorica, docuit me Dominus; Ita in Religiosa domo esse vivendum, ut offendam toto tempore neminem. Ibidem exercuit patientiam meam

Nullius offensa.

Patientia & silentium.

am meam per quosdam. Ibidem docuit me Dominus silendum esse ex voluptate, loquendum ex necessitate.

Anno 1612. Calissij in Logica, dedit mihi Dominus affectum ad spiritualem lectionem. Ibidẽ; Collegi in unum, per modum libelli, omnes doctrinas spirituales, quas in Novitiatu, & usque huc in religione dideceram. Eodem anno, 25. Decembris, accepi à Deo expectationem mortis, singulisq; diebus unum quadrantem in ea cogitanda impendebam; duravitque hæc expectatio in me fermè quadriennio & amplius, magno meo fructu & spiritûs renovatione. Hoc anno cæpi indutus cilicio communicare, vel factâ disciplinâ. Hoc etiam anno scripsi primas meditationes deCommunione, & affectus postea usurpandos.

Lectio spiritualis. — *Præparatio ad mortem.* — *Usus mortificationis ante Communionem.*

Anno 1613. In Physica. multùm adjutus sum in spiritu, lectione libri, Patris Jacobi Alvarez, de vita religiosa: ad cujus normam mihi conscripsi, multa ex eo accipiendo, vitam quotidianam. Hoc anno cæpi Sanctissimum Sacramentum visitare sexies in die, Beatissimam Virginem salutare ibidem. Hoc anno sensi in me devotionem ad Sanctos: & hîc cæpi colligere Martyrologium, ut pro singulis diebus Litanias haberem. Potissimùm autem ad Sanctos Doctores devotus esse, & in eorum diebus communicare cæperam, deque iis Litanias mihi confeceram. Hoc anno renovatâ est in me gratia agnitionis, & odii meiipsius, de qua etiam scripsi tractatulum, qui est de cognitione & humiliatione. Hoc anno renovata est in me efficaciùs quàm ante, cupiditas habendi semper ob oculos Deum præsentem, de qua re scripsi meditationes pro tota hebdomada.

Variæ devotiones. — *Odium suiipsius.*

Anno 1614. In Metaphysica, cæpi Evangelia Dominicarum Communioni applicare, & cæpi meditationes de Dominicis adnotare. Hoc anno magnum amorem, & æstimationem dedit mihi Dominus Obedientiæ, de qua scripsi Tractatum. Hoc anno dedit mihi Dominus amorem æternæ Sapientiæ, desideriumque magnum, ut minister ejus esse posse; scripsi de illa Officiolum, & Hymnos aliquot. Ad B. Virginem etiam fui devotus, sub nomine Matris Æternæ Sapientiæ. Hoc anno scrupulis laboravi, & feci confessionem totius vitæ in Religione actæ. Hoc anno feci disciplinam per Quadragesimam, ad sanguinem, singulis diebus, devotionemque ad Christi passionem, in me auctam sensi.

Amor Æternæ Sapieniiæ. — *Scrupuli.* — *Disciplina.*

Anno 1615. Dum docerem Lublini Poëticam, renovata est in me mortis expectatio, & amor divinæ providentiæ. Ibidem vocali oratione, & Litaniis, plus juvabar quàm aliis mentalibus.

Mortis expectatio. — *Oratio vocalis.*

Anno 1616. Lublini docens Rhetoricam, accepi à Domino cognitionem, & amorem vitæ communis religiosæ, de qua conscripsi Tractatum. Renovatus est in me amor, & devotio erga Æternam Sapientiam. Studium etiam perfectionis in me expertus sum innovari: tunc conscripsi meditationes; annuam, semestrẽ, hebdomadariam, diurnam &c. Hoc anno cæpi colligere, sub tempora Collectionis, puncta, super quæ postea toto semestri, facerem Examen particulare.

Vita communis. — *Innovatio Spiritûs.*

Anno 1617. Thorunii in Rhetorica, amorem puritatis mihi Dominus donavit. Ibidem habui in me resignationem plenam, pro Domino meo etiam moriendi, hancque resolutionem practicè semel in quadam occasione habui. Hoc anno docuit me Dominus usum Passionis suæ. Hoc anno scripsi Tractatum de Indifferentia, de Fervore spiritûs, Considerationes de Sacerdotio, Hymnos de Æterna Sapientia.

Puritas. — *Resolutio ad moriendum.*

Anno 1618. Posnaniæ, primo anno Theologiæ, scripsi, Verum Jesu Socium, Tractatum de Consideratione practica, Anni novi suppetias, & Faculam. Hoc anno didici Deum amare, & de peccatis dolere, scripsique Actum contritionis. Magnas Dei providentias expertus sum, magnamque fiduciam in Deum, & dilectionem ejus concepi. Vitâ Patris Josephi Anchietæ, multùm adjutus sum, præsertim ad usum, & memoriam præsentiæ divinæ. Acquisivi amicum, qui mihi postea magnorum Dei donorum fuit occasio.

Amor Dei.

Anno 1619. Secundo anno Theologiæ, amorem orationis accepi: Conceptûs de Passione Domini colligere cæpi: Coronâ vulnerum Christi uti, & eam ad varias alias devotiones applicare cæpi: Adulatorem Divinum conscripsi. Protestationes facere didici. Coronas humiliationis, amoris &c. usurpare cæpi. Adjutus sum Mineris Seraphicis Salutii.

Corona vulnerum Christi. — *Corona humiliationis & amoris.*

Anno 1620. Tertio anno Theologiæ, pietatem in mortuos dedit mihi Dominus. Tractatum de Collectione, & Meditationes de Passione Domini, juxta triplicem viam conscripsi. Hoc etiam anno necessitatem Gratiæ Dei, & dignitatẽ, usumque Gratiæ Divinæ, penetravi, & didici. Hoc anno, magno meo bono, magnâ mi-

Pietas in defunctos.

gnâ miseratione divinâ, feci Confessionem generalem totius vitæ religiosæ, 14. Novembris. Hoc anno, Litanias de S. Ignatio, conscripsi. Hoc anno, devotionem erga SS. Trinitatem didici. Hoc anno, prolusionem contemplativam à DEO accepi. Hoc anno, dedit mihi DEUS, vel potiùs extorsit à me amorem paupertatis; Hoc anno, docuit me DEUS, pondus sensualitati detrahere.

Donum Contemplationis inchoatæ.

Anno 1621. Quarto anno Theologiæ, dedit mihi Dominus devotionem erga Sanctissimam Virginem MARIAM, sub titulo Hæredis, & Pretiosissimæ Parentis. Hoc anno, cœpi colligere gratias, illustrationes, & devotiones divinas, adnotareque libro certo. Hoc anno, ex occasione commentariorum Patris Salazar lectorum, multum hausi devotionis, æstimationisq; B. V. & ex tunc cœpi ea solùm à DEO petere, quæ Pretiosissima Parens à DEO mihi postularit; cujus orationis maximos, & mirabiles effectus in me sensi, plurima enim & maximè utilia animæ meæ Bona, à DEO obtinui. Hoc anno, Sacerdos sum factus. Contulit mihi DEUS magnum zelum animarum. Gratiam adjuvandi eos, qui sunt in peccatis carnalibus. Gratiam etiam puritatis. Dedit mihi DEUS gratiam confitendi bene: Gratiam petendi facultates: magnâ animæ corporisque pacem, quietudinem passionum, & dominatum in eas, ferè ordinarium & potestativum. Dedit mihi Dominus amorem omnium, ut amarem omnes, & amarer ab omnibus, animumque omnibus eventis celsiorem, & imperturbabilem. Dedit mihi Dominus notitiam Christi, de qua Tractatum cõscripsi, magno meo Bono, & illuminatione internâ. Dedit mihi Dominus gratiam concionandi utiliter, ad cor audientium, & expertus sum aliquoties postea in confessionibus. Dedit mihi Dominus aliquas animas, in quibus devotionem erga Sanctissimam Virginem, secundùm votum meum promovi. Hoc etiam anno, dedit mihi Dominus æstimationem suæ adorandæ voluntatis: sed ampliorem gratiam de hac re, postea accepi Cracoviæ, eodem anno, ubi etiam expertus sum, directas fuisse à DEO, ad me animas multas, valde periculosè se habentes, & afflictas. Hoc anno, cœpi in Sacro, postulare mihi, & aliis quibusdam, gratias à DEO, finales, efficaces, frequentes. Item gratiam finalis conversionis ad DEUM Domini cujusdam, inimici valde Societati. Mortificationes Corporis hoc anno, plusquàm aliis, frequentavi: totâ quadragesimâ, singulis diebus, disciplinam feci, interdum adjecto cilicio.

B. Virgo Pretiosissima.

Zelus animarum.

Animi & corporis pax.

Notitia Christi.

[...]cerum animarum.

Anno 1622. Jaroslaviæ, in tertio anno probationis, cœpi in Sacro postulare à Domino, gratiam Martyrii, ut possem fundere sanguinem pro Christo, qui pro me fudit suum. Dedit mihi Dominus spiritum, ad humilitatem, & odium mei ipsius propensum. Dedit mihi DEUS lumen quoddam magnum, de æstimatione Divinæ voluntatis, simulq; impulsum, ut eam solam, relictis multis aliis exercitiis, directè & immediatè, in omnibus actibus meis intendam. Sub idem tempus, dedit mihi Dominus, ut essem de Societate Stultorum Christi, quo in genere, plura alia latent beneficia, quæ hæc Societas complectitur. Sub idem Probationis tempus,

Desiderium Martyrii.

Anno 1623. die Purificationis B. V. contulit mihi Dominus donum quoddã, meq; de illo certum postea reddidit. *Benedictus DEUS. Amen.* Lublini, dum docerem Logicam dedit mihi Dominus, vel potiùs resuscitavit in me amorem æternæ Sapientiæ, docuitq; me artem, cum illa aliquomodo conversandi, eamque concipiendi. Dedit etiam mihi Dominus pacem animi magnam, præsertim à turbis passionum. Sub idem tempus, famam meam DEO in sacrificium immolavi.

Donum Confirmationis in gratia, ac quo cap:seq.

Immolatio famæ.

Anno 1624. Lublini, dum docerem Physicam, exercuit me DEUS in patientia per quosdam, & in amore inimicorum. Docuit me DEUS, ne me immiscerem negotiis, scire pauca vellem, quæ aguntur &c.

Amor inimicorum.

Anno 1625. Calissii, in Præfecturis, sensi in me auctum affectum erga Pretiosissimam Parentem, notitiam mei, & contemptum odiumque, & contemptum famæ meæ. Auxit in me Dominus devotionem pro animabus Purgatorii. Sub idem tempus, cœpi quotidie castigare disciplinâ, quotidianos meos defectus, pro eorum numero.

Expiatio affectuum.

Anno 1626. Die festo Conceptionis B. V. postquàm consului DEUM, aliquot diebus, accepi B. V. mihi in sponsam, & aliquot illi tradidi in filios, & hæreditates. Eodem anno cœpi singulis diebus tres Rosarii partes absolvere B. V. in singulis globulis coronæ, exercendo actum æstimationis Pretiosissimæ Parentis, super omnia DEO minora.

Affectus erga B. V.

Anno 1627. Revocavi antiquã meam consuetudinem, DEUM, omnibus membris

Extensio affectûs erga DEU.

membris corporis, omnibus potentiis animæ, omnibus virium mearum viribus, toto denique me, amare, æstimare, adorare; eamq; consuetudinem exercere cæpi, primo, mane surgens, ante alia opera mea; deinde dormitum me conferens; tertiò ante Sacrũ, quartò in Sacro; quintò post sacrum. Eodem anno, cæpi à Cantico illo, Sanctus Sanctus, incipiendo, Sacrum; dicere affectu quodam Seraphico, Cruciformi, in DEUM elevato. Cæpi quoque celebrare festum Dignationum JESU Christi.

Affectus Seraphicus & cruciformis.

Anno 1628. Invasit me quâdam nocte, novus quidam spiritûs fervor, ita ut manifestè agnoscerem novitatem gratiæ divinæ, & spiritûs, mutationemq; mei de tepore in fervorem; cæpit quoque mihi dulcescere eodem anno oratio affectiva: Sensi etiam me vocari ad actus Theologiæ mysticæ. Toto autem hoc vitæ religiosæ cursu, etsi me DEUS morbis, & affectionibus Corporis, aliquantum afflixerit, ita tamen hoc fecit, ut sẽper communem vitam sectari potuerim hactenus, & sanus visus fuerim. Servavit quoq; me DEUS à malis Sociis, & quãdo periculosas familiaritates inire cæpi, tempestive illas DEUS præscidit: hocq; observavi in me, quòd ii, qui videbantur aliàs laxi in disciplina, & mecum familiaritatem habebant, semper meliores se reddi dicerent ex mea familiaritate, & nõ auderent mecum, immò & me præsente, liberiùs agere.

Fervor spiritûs.

Familiaritates nocivæ à Deo amotæ.

Nescio etiam, quomodo DEUS semper sine ulla aliorum, invidia, & nota, ita me gubernavit, mihiq; providit, ut ab his officiis communibus, quæ meæ valetudini erant obfutura, eximerer. Sẽper insuper me DEUS in omni loco, in quo mansi, voluit, & dedit esse afflictorum, sive morbo corporis, sive tentatione, sive aliter, solatium, & auxilium: quod etsi non meum, sed aliorum videretur beneficium: meum tamen est revera: Hác enim ego viá, tam multa didici, & cognovi in omni rerum genere practicè, quanta vix multâ lectione, aut tribulationum perpessione, didicissem. Expertus deniq; sum apud omnes, non solùm fratres, & æquales, sed etiam apud Superiores, reverentiam, ita ut mecum semper maturè, circumspecteq; se gesserint, & mihi confidere soliti fuerint: quâ viâ, multas evasi distractiones, aliaque.

Solatium aliorum.

Hæ sunt viæ, quibus duxit DEUS Patrem Gasparem, primis viginti, vitæ religiosæ annis, qui comparatione annorum subsequentium censeri possunt, fuisse adinstar statûs incipientium, ut ex admirabilibus ejus manu scriptis luminibus, & praxibus, in duplici Tomo relictis, colligi potest. Dictitare etiam solebat ille, se eo titulo plurimùm debere DEO, quòd juvenis non sit mortuus: incertus enim, inquiebat, fuissem cælo, velut felis cæcutiens. Ah! si sic oculatus, illustratusque, cæcutientem se opinabatur; quis videntem se arbitrabitur? Cæterùm Viæ istæ Domini, non uni animadversioni aperiunt viam. Colligi enim ex iis potest inprimis; Studia in Religione nostra, nullo esse spiritui obstaculo, beneq; cohærere posse cum studio virtutum. Deinde, divinas miserationes, non esse uni duntaxat ætati, aut tẽpori alligatas, sed semper præstò esse, dummodo præsto sint capacia earum subjecta. Colligi & illud potest; magnis DEI servis id proprium esse, semper in via virtutis proficere, ac progredi, & lucis instar crescere usque ad perfectam diem. Sed ad alia jam DEI dona progrediendum est.

Studia non obstant virtuti & religiositati.

CAPVT III.

Revelatio quædam, & donum DEI speciale, Confirmationis in Gratia, Patri Gaspari divinitus concessum, decimo quarto ejus, in Religione, Anno.

EX revelationibus & donis specialibus, Patri Gaspari cælitus communicatis, primas tenet, Revelatio de dono Confirmationis ejus in Gratia; quam verbis illius ipsius, ex libello Illustrationum ejus, genuinè excerpo, estq; talis.

Annò 1623. 18. Januarii, oravi non tam mea sponte, quàm nescio quo impulsu, pro obtinenda à DEO confirmatione in Gratia. Orationis autem hic fuit ordo, & modus. Imprimis jussus sum expendere, quid, & quantum sit, confirmari in Gratia? quos effectus habeat? &c. *Secundò*, sic oravi, dicẽdo in Corona Vulnerum Christi Domini has preces. *Per omnem cordis Tui bonitatem Domine DEUS meus, confirma me in gratia Tua. Per vulnera Tua dulcissime IESV, confirma me in gratia Tua.* Tũ ad B. Virginem dixi três Coronas. *1. Pretiosissima Parens mea, impetra mihi Confirmationem in Gratia DEI. 2. Pretiosissima Hæres mea,*

Impulsus ad petendam Cõfirmationem.

mea, impetra hæreditati Tuæ Confirmationem in Gratia DEI. 3. *Pretiosissima Hæreditas mea, da fructum Confirmationis in Gratia* DEI, *hæredi Tuo.* Cùm hanc ultimam Coronam finirem, absorberi à me, & in lacrymas resolvi aliquantulum cœpi. Deinde mihi spes suborta magna, de exauditione precis meæ. Tandem in spiritu sensi rèsponsum mihi dari, quasi à Pr. Parente. *Dabo Tibi fructum hunc, dabo, sed expectare debes diem Purificationis meæ.* Quæ verba, magnâ me consolatione, & fiduciâ, atque gaudio impleverunt. Post hæc declarata sunt signa hominis confirmandi in Gratia, sive dispositiones, quas DEUS præmittit in tali anima, quas in me aliquomodo inesse, tunc etiam adverti. Insuper sensi in me promissionis illius alios præterea effectus: nam sensi me firmari in DEI servitio, in anima reddi humiliorem, excitari in animo ad diligentiorem Divinæ dignitatis in me exaltationem. Nullam quoque omnino sensi diminutionem solicitudinis de salute, & perfectione mea, sed potius augmentum notavi. Hæc sūt dona, & misericordiæ DEI, quas in æternum cantabo, hi pretiosissimæ hæreditatis meæ reditus, pro quibus illam beatam dicant omnes generationes mecum in æternum.

Spes de exauditione petitionis.

Dispositiones ad Confirmationem.

Die Conversionis S. PAULI, hoc est 25. Januarii, feci pro ea re Sacrum, sumq; speciali, & insolito modo, in spe illud donum impetrandi, à DEO confirmatus. Die autem S. Chrysostomi, 27. Januarii, cùm orarem post Sacrum, claro quodam instinctu, Dominus DEUS idem donum mihi promisit, insuperque adjecit, à se propter me liberari animam cujusdam, qui mecum Cracoviam venerat, à pœnis purgatorii, & videbatur mihi, quòd illo ipso tempore liberaretur, me poscente eam liberari, non propter me, qui canis mortuus sum, sed propter omnem Cordis Divini bonitatē, propter omnes viscerum ejus misericordias, propter passionem, & merita ejus, propter B. V. & Sanctorum, ac inprimis S. Joannis Chrysostomi, intercessionem.

Promissio Cōfirmationis.

Die Festo Purificationis Pretiosissimæ Parentis MARIÆ Virginis, in Sacro, distinctam, ex Sanctissimo Sacraméto, vocem interius audivi bis repetitam; *Confirmo te in gratia mea*, quæ voces erant simul cum reflexione, me certificante, quod essent veræ DEI voces. Cùm autem ego signum vellé à Domino aliquod, ejus doni mihi ab illo dari, videbatur mihi, quod Dominus sileret, à me autem signum (quod mihi dari vellem) sibi proponi vellet; mihi autem, cùm attentissimè illud quærerem, nullum in mentem venit. Quare permisi me Domino totum, ut ipse, si vellet, daret, & quando, & quale vellet mihi hujus re i signū. Quod quidem fecit mihi Dominus, & dèdit sequenti die, 3. Februarii: nam cum ego accederem ad Sacrum, & proponerem facere Votivam de B. V. adiectis orationibus gratiarum actoriis, in gratiarum actionem pro prædicto dono, statim ab ipso initio intus, dictum est mihi; *Hodie in hoc Sacro dabo Tibi signum Confirmationis in gratia.* Et statim me occupavit magna devotio, itemq; de hoc dono obtento certitudo, neq; unquam potui cogitare de illo postulando, sed tantum de gratiis pro illo agendis. Itaque in eodem Sacro proposui, totum Mensem Februarium dare Domino in gratiarum actionem, ita ut quantumcunque alias intentiones habiturus essem, hoc Mense, in meis operibus, tamen illas ipsas offerrem DEO in gratiarum actionem. Itaque signum Confirmationis istius, fuit mihi data devotio, & certitudo, conjuncta solatio cuidam illuminato, & confirmante me in DEI obsequio, quæ omnia durârunt toto reliquo die. Post Sacrum verò cum orarem, datum est quoque mihi aliud signum ejusdem doni, scilicet dolor de peccatis, ut quidem mihi videtur, verus, quem illico tunc sensi, brevem quidem, & non adeò intensum, illuminatum tamen & appretiativum; post quem, remansit in me quædam detestatio, & aversio mentis à peccato, quam ego antehac in me non sentiebam, dolebamq; quandoque me non plenè fuisse animo aversο à peccatis. Eadem die post prandium, cum vellem aliqua spiritualia scribere, non potui scribere quidquam: internis enim instinctibus impellebar, ut exirem ad orandum, quod cum fecissem, multum in ea oratione, fui, tum in prædictis punctis, tum de prædicti doni obtentione, confirmatus. Eadē die, in oratione pomeridiana, quam instituеram ad gratias agendas pro hoc beneficio, feci resolutiones, & sensi affectus tales. 1. *Domine volo Tibi pro hoc dono servire in æternum ferventer.* 2. *Etsi hoc donum non haberem, immo etsi nec salvandus essem, vellem nihilominus, & volo Tibi in æternum servire ferventissimè. Quamvis sciam me confirmatum in gratia Tua, volo tamen in æternum quotidie Tibi ferventius servire, & nullatenus hoc nomine, in Tuo servitio tepescere.* Sequenti die ante Sacrum

Ex Sanctissimo Sacramēto vox interiùs audita.

Reflexus actꝰ de dato dono Confirmationis, & certificatio.

Signum datæ Confirmationis.

crum jussus sum, & præmonitus, statim Sacro finito in separatum locum ire, quod feci, & dedit mihi Dominus pignus, & signum primum prædictum, prædictæ item gratiæ, scilicet dolorem de peccatis meis omnibus talem, qualem habuisse me scio, sed explicare verbis non possum. hoc scio, talem fuisse, qualem nec diabolus, nec meus naturalis, sive humanus spiritus excitare possunt, sed fuisse solius DEI opus: non tantum quia fuit dolor de peccatis, sed quia fuit purus, sincerus, & verus, rationalis magis, quàm dulcis, paratum me faciens in internum ruere, modò salua, & integra esset, DEI Bonitas, Dignitas, Majestas, amorositas. Accedit quòd in eo affectu appretiativi doloris, dicebatur mihi distincte non semel; vide jam, an iste dolor, & hi affectus sint tui, sint tuarum virium, sint naturales? Et manifeste videbam non esse naturales, nec meos sed DEI. Item dicebatur mihi; cessa ab istis affectibus, si potes, si tui sunt, cessa ab eis, & reflectebam me, & cessare volebam, & non potui, immò majores habebam, & tum demum habere desinebam, quando jam corpus, & pectus, ferre ampliùs non poterant; quæ desitio, non ex mea, sed ex dantis pendebat, & procedebat, (ut reflexivè adverti tunc) arbitrio, atq; voluntate. Præter hunc affectum detestationis peccatorum, habui eodem tempore, etiam magnos, & sublimes, de quibus hoc tantùm dicere possum, quòd non fuerint mei, & non fuerint naturales, sed supernaturales, iique extraordinarij, qui mihi occupârunt, & excesserunt rationem, ita ut non ratione, sed affectibus regerer ipsis: tamen illi non erant suaves, ac delicati, sive teneri, sed rationales, & appretiativi DEI, humiliativi mei, & resignativi in omne arbitrium divinum. Totum hoc negotium istorum affectuum omniũ hujus diei, duravit tanto tempore, donec Sacerdos qui mihi in Sacro successit, perfecit in suo Sacro elevationem Calicis: hoc est ferè quadrantem unum, amplius videbar mihi affectus illos non supportaturus, salvâ valetudine. Collatum à DEO Beneficiũ hoc ita appretiabat P. Gaspar, ut ingratitudinem suam defleret in dies, quòd DEO suo ita erga se benefico, non prout par erat, responderet. Specialiter autem faciebat memoriam beneficii huius, singulis annis, die Purificationis B. M. V. quo tempore effundebat se in omnes gratitudinis affectus, prout, inter secreta eius scripta reperi sub hoc titulo *Ratio recolendi Beneficium Februarij.* verba ejus sunt; Specialiter hoc Purificationis B. V. die, atq; etiam alijs sequentibus. *1.* Impendam me recogitationi beneficii jam memorati. *2.* Ejus desiderio accendar. *3.* Spe pascar. *4.* Præsentia exultabo. *5.* Agam gratias immensas, vel pro ipsa ejus spe, multò magis (per gratiam DEI) pro re. *6.* Effundam me in omnes affectus gratitudinis, hac vel simili ratione.

Signum peculiare datæ Cõfirmationis in Gratia.

Actus sublimes ex dono Dei.

Memoria annua Confirmationis.

Respexisti Domine super canem mortuum, super atomum communicabilitatis Tuæ. Ecquis ego, ut priusquam me formâsses in utero, nosses me, & antequàm ex illo progrederer, recordareris in Tua æternitate nominis mei, formans me ex utero servum Tibi æternum. Videant Sancti Tui hanc ineffabilem dignationem Tuam. Consurgant, & adorent Te Dominum DEUM meum, qui elegisti me & assumpsisti, ut inhabitem in domo Tua, omnibus diebus vitæ meæ. Laudent Te, quia complacuisti Tibi, in vilissimarum Creaturarum supervilissima Creatura. Magnificent Te, quia gratus factus est in oculis Tuis, ex dono Bonitatis Tuæ, ille, qui dignus erat æterno odio iræ Tuæ. Superexaltent Te, quia e massa æternæ perditionis, ac reprobationis, secrevisti eum, qui potius merito suo, eidem cum reliquis Præscitis involvendus erat.

Gratiarum actio Deo pro dono Confirmationis in Gratia.

Ecquis ego Domine? ut Tu, ab æterno, ad salutem, & beatitudinem æternam, prædestinares, ac eligeres me. Ecquis ego? ut præterea ad Sanctitatem Gratiæ, amicitiæq; Tuæ admissum, in ejusdem firmissima, ac finali possessione, confirmares, & stabilires me. Ecquis deniq; ego? ut hæc ipsa tanta, & omnì merito meo maiora, sciam divinæ providentiæ Tuæ secreta, & de me sancita decreta, ut occulta misericordiæ Tuæ, & abscondita à constitutione mundi judicia Tua, in cor meum eructares! Quid aliud in me invenio, nisi omnimoda impedimenta, & obstacula æternæ salvationis, Tuæ in æternum fruitionis, Tui suavissimi complexus? Et tamen vicisti hæc omnia, ineffabili bonitate Tua, præveniendo me in benedictionibus dulcedinis Tuæ.

Prædestinationis beneficium.

Et quomodo Te non exaltabo DEUM meum dignissimum salutis meæ? quomodo non benedicet Tibi anima mea? quomodo non tota se eviscerabit, exinanietq; in dilectionem Bonitatis, Majestatis, Charitatisq; Tuæ. Benedictus sis Domine DEUS meus, & benedictum sit beneplacitum Tuum. Benedicant Te omnes recessus animæ meæ. Benedicat Te tota capacitas mea interna, & externa. Benedicat Te omnitudo mea in omnem æternitatem, & ultra. Benedico Te Patrem, Filium, Spiritum S., Sanctam, & Individuam Trinitatem, unum DEUM. Te verò Incarnatum VERBUM quomodo compellabo? verba deficiunt non solùm ore & voce, sed etiam corde & mente formidanda

Gratiarum actio VERBO Incarnato.

factus

factus sum extra me ipsum tanti beneficii Tui super me dignatione absorptus. Tunè mi IESV super hujusmodi peccatore dignum duxisti aperire oculos Tuos? Tibine mi Salvator ab æterno cordi ego fui, ut non venirem in oblivionem coram Te? ego nequam servus Tuus, qui prodigere parabam & solebam, omnem substantiam mihi abs te divino humanâ vitâ Tuâ comparatam? Tantinè æstimasti me vilissimum mancipium, immemor scelerum, ingratitudinum, vilitatum mearum? Quis Te (parce mi IESV uerbo) quis Te inquam infascinavit? dum amore animæ meæ raptus, & captus, condonare mihi misericorditer omnia mala mea, meq; ab ultimo fine, Te scilicet DEO meo, excidere non permittendum existimasti, atq; decrevisti? Quid Tibi faciat anima mea, tanto dignitatis Tuæ obstupefacta excessu? mi IESV totus ego, tota anima mea, totum corpus meum, coram Te est, Te suspicit, Te veneratur, Tibi se prosternit, Tibi gratias agit, quantas Tu vis, & das, quoniam completæ sunt in me misericordiæ Tuæ antiquæ, quæ à sæculo fuerunt apud Te. Benedictus sis Domine IESV, in hac effusione bonitatis Tuæ, super me miserabilem creaturam Tuam. Benedictus sis Domine IESV, in illo primo intuitu, & respectu ad peccatricem animam meam, & cùm in tota illa collectione animarum, nullam indigniorem haberes, quam respiceres, in eam tamen indignissimam respexisti. Benedictus sis in hoc triumpho bonitatis Tuæ de Te ipso, in quo tam magnificè, & gloriosè, triumphavit de Te bonitas, & misericordia Tua. Hos ego triumphos Tuos de Te, à Te, in Prædestinatione, & Confirmatione mei relatos, in æternum, in æternum cantabo, & glorificabo, & superexaltabo, cum electis Tuis, quia pius, quia misericors, quia bonus, & bonitas es.

Effusio sui totius erga Deum.

Ad Te me converto, ô MARIA Beatissima, atq; Pretiosissima Mater, converto me totis præcordiorum meorum affectibus, totâ cordis mei latitudine, toto virium mearum, totiusq; capacitatis meæ conatu, atq; oculos flebiles in Te defigens, lachrymabili voce Te compello, sensu, & affectu, quo possum, Te invoco Matrem misericordiæ. Vnde hoc mihi, ut Mater Domini mei in die humiliationis suæ, coram filiabus hominum, inter quas uti una ex illis comparuit, ageret causam exaltationis servuli sui? Vnde hoc mihi ut Mater Domini mei in Festo Purificationis suæ, impurissimum intuita peccatorem, eum ad divinorum secretorum, decretorumq; notitiam admitti, suis sanctissimis precibus fecerit? Vnde hoc mihi ut Mater Domini mei, in die superadmirabilis dignationis suæ, & Filii sui, divinam quoque circa me dignationem, in æternitate factam, mihi obtineret, atq; manifestaret? Agnosco ô Domina, Tuis id totum stetisse, in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, effusis precibus. Agnosco, Te id Tuis, apud dilectissimum Filium, ursisse interpellationibus, evicisse meritis, obtinuisse prærogativis. Sis benedicta in æternum, à tota Sanctissima Trinitate, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, illa Te exaltet, illa glorificet per me juxta gustus sui mensuram. Superest hoc unicum, ut ad Tuos benedictos prostratus pedes, confirmationem Tuæ super me misericordiæ, totâ affectus mei eviscceratione exposcam; ut videlicet nunquam obliviscar miserationes Tuas, sed ut semper memoriam abundantiæ suavitatis earum, eructet anima mea, & holocausta laudis, immolet Domino DEO, & Tibi ejus Matri, amoribus, & amatoribus meis æternis: O Mater, impetra hoc mihi suavissimis, atq; gravissimis apud DEVM Filium orationibus Tuis. Impetra mihi præterea profundissimam, ex hoc DEI beneficio, humilitatem, & abiectionem mei. Impetra assiduam pro illo, affectuosamque gratitudinem. Impetra mihi timorem sanctum, ne securitate, præsumptioneq; deceptus, mihiq; in hoc DEI dono malè complacens, incidam in teporem, in incircumspectionem, in elationem, & infidelitatem. Has pestes amove à me, ô Virgo Deipara, ut iis submotis, per omnia, & in omnibus placeam DEO meo, Filio Tuo, ambulans coram illo corde perfecto, atq; verissimo. Hoc à Te, ô Pretiosissima Parens, spero, propter bonitatem Tuam, in qua exalteris à me, & Creaturis omnibus, in sæcula sæculorum, Amen.

Gratiarum actio B. Virgini, pro dono Confirmationis.

Petitiones ad B. V.

In ejusdem beneficii memoriam, cõscripserat Pater Gaspar aliquot meditationes, de præstantia hujus beneficii, quas hic referre longum esset: conscripserat quoq; orationes jaculatorias, idem beneficium concernentes, quas per dies Februarii, & aliis statis temporibus, corde inflammato ingeminabat.

1. DEVS meus misericordia mea, ipse statuit supra petram pedes meos, ut non commovear in æternum.

2. Confirmata est misericordia Domini DEI super me in æternum.

3. Gratia DEI sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non erit.

4. Optimam partem dedit mihi Dominus, quæ non auferetur à me in æternum.

5. Benedictus Dominus DEVS meus, qui non amovebit à me misericordiam suam in æternum.

6. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius: quoniam coronavit me misericordiâ, & miserationibus.

Orationes jaculatoriæ, pro dono Confirmationis.

CAPVT IV.

Alia singularia dona, Patri Gaspari de manu DEI collata.

NOn esse abbreviatam, etiam nostris temporibus, manum Domini, luculenter indicant dona DEI, Patri Gaspari collata, quæ itidem ex ejus libello, verbis ipsius

bis ipsius fideliter refero. ita igitur scribit.

Liberatio animæ è Purgatorio.

Vltimâ die Novembris, anni 1622. certò cognovi, Adamum Lucidem, qui prima eiusdem Mensis, peste obierat, e Purgatorio liberatum, ad cælum perrexisse, Solus eram, & jam me ad somnum parabam, circa undecimam fere horam noctis, aut duodecimam, cum subitò invasit me compassiva cogitatio, Adamum Lucidem egere auxilio, & me hac die pro illo nonnisi in Sacro orasse, nec quidquam fecisse, (quanquam dixeram ad Sepulchrum eius Litanias pro defunctis, sed non memineram) pro anima illius: decrevi igitur omnino, ante somnum facere pro ipso disciplinam, (inter hæc autem subnascebatur spes remota quædam, & obscura, eius hâc die liberandi) fecique unam, quâ factâ, orans aliquantulum, induxi in animum, facere & secundam, iterum orans feci & tertiam. Tum firma spes, & fere quasi promissio, asseveratioque cujuspiam accessit, liberatum iri à pœnis, si quinque fecissem. Novus me præterea calor invasit pro ipso orandi, feci quartam, iterumque ferventius præter solitum pro ipso oravi. Tum quintam vix feceram, & orare cæperam. Cum subito caligo quasi quædam, oculos mihi apertos, & lachrymabundos strinxit. Sensi autem animo, Angelum quasi Adam, primò me alloquentem. Ecce jam liberatur à pœnis, subitòque & ipsum Adamum adesse, non vidi quidem, sed intellexi, & sensi præsentem, cum reflexione supra præsentiam ejus invisibilem, qui mihi dixit; se jam liberatum esse, unum Mensem passum esse. Deus Te, inquit, *fecit instrumentum salutis meæ. Gratias tibi ago. Ero memor tui apud DEVM &c.* Duravit ea res paulò plus, ut puto, quàm Ave Maria. Ego mihi videbar esse præsens, revera tamen non omnino fui, quod adverti tunc, quando ad me redii; cùm verò ista fierent, reflexionem faciebam, an hæc essent verè, an verò imaginationis meræ figmenta: sed ista cogitare ab aliquo quasi prohibebar, & vera esse, credere jubebar. Volebam etiam ab istis mentem avocare, & non potui. transactis his dixi; *Te DEVM laudamus*, cum Oratione Gratiarum actoria, ac tum adverti diem esse trigesimã mortis Adami. Præter hæc autem intellexi, eum quasi in itinere ad cælum tunc fuisse, ac à suo Angelo ad me adductum fuisse; Intellexi unum Mensem, fuisse tantum ideò, quia peste obierat, aliàs futurum fuisse diutiùs in Purgatorio, sed Deum mortis genus inter pœnas computâsse. Hoc mihi contigit planè vigilanti, subitò, & omnino cum efficaci divino, ad prædictas disciplinas & preces, motu, atque impulsu; paulò enim ante, eâ ipsâ nocte cogitabam, aliis de causis facere disciplinam: sed distuleram jam in sequentem diem, proinde non potui jam meo spiritu, & mea sponte, motuq;, ad eam inclinari: jam etiam Orationes finiveram omnes, & præterea extraordinariam etiam feceram, ac finieram Orationem illâ nocte. Et denique cum tanta certitudine, ut dubitare nec in ipso revelationis actu, etsi me reflectebam tunc, nec postea, permitterer. Et hæc est prima anima, quam scio per me, à Deo, ad æternam beatitudinem reipsa adductam, sit soli Deo gloria æterna, & infinita, qui porrò augeat, & addat tales alias, aliasque in infinitum, meque tanquam mancipio suæ adorandæ Voluntatis, utatur ad exaltandum se, ad humiliandum me valdè, amen. Promiseram huic fratri moriturienti, oraturum me pro ipso, singulis diebus, toto integro Anno, data etiam manu. Promiseram illi, ut si Deo placeret, ipse autem spiritualis opis egeret, ad me etiam mortuus veniret, & necessitatem exponeret. Pro ejus, dum adhuc viveret, salute, & ad perseverandum in Religione, abductione, promiserã Deo, 15. disciplinas, tantumque 8. feceram, cum ille morte etiam perseverantiam conclusit. Ante mortem, votum fecit perseverandi in Religione ad mortem, quantum in ipso esset, & præterita proposita retractavit. mirâ efficacitate, & spei firmitate, impellebar à Deo, ad orãdum pro ipso, aliquando unâ hora amplius, fervore quanto potui, hæc tantum oravi. *Domine per omnes miserationes Tuas, da ei perseverantiam.* Semel cum illo multis horis loquens de vocationis constantia, tot tantasque mihi Deus, ejus convincẽdi suggessit rationes, ut stando in rationum via, fortiores putem dari non posse. Et quamvis nihil effeceram cum ejus voluntate; feceram tamen cum intellectu, in quo se convinci ipsemet agnoscebat. Sed nimirum Deus sibi victoriam illam reservarat, ostensurus simul mihi, convertere animas, Dei, non hominis opus esse. Quamvis Adamus ab illo sermone vim sentiens, proposuerat colloquium meum deinceps vitare omni ratione, firmaveratque animum in deserenda vocatione. Fecit tamen Deus, ut non apud alium

Flagellationes pro defuncto.

Revelatio de liberatione è Purgatorio.

Certificatio de revelatione.

Mortis genus inter pœnas computatur.

Votum perseverandi in Religione.

alium quemquam, quàm apud me, & juxta arbitrium meum resipisceret, morbo sapientior redditus, meq; deinceps etiam expeteret. Ejusdem fratris occasione, fecit DEUS, ut ego haberem occasionem, cum periculo vitæ meæ corporalis, ipsius vitæ spirituali serviendi, immò fecit, ut hoc perfunctus negotio, ego me voto, juramentoq;, Divinæ Majestati obstringerem, ministrandi ad ultimum Spiritum, Fratribus, si qui forte forent peste infecti. Ex quo, quantum boni, in animam meam redundarit, difficile est explicare. Hæc autem omnia, Gratiæ Dei, & Pretiosissimæ Parenti ego adscribo, & adscribam dum vivam.

Votum, & juramentum ministrandi peste infectis.

Die quarta Aprilis, Anni *1623.* quodam in loco, adspiciebam stagnum aqua plenum, noctu, cæpiq; mecum cogitare; *DEVS bone, redundatne anima mea, tantâ gratiæ tuæ copiâ, quantâ hoc stagnum aquâ redundat?* Et mox venit mihi in mentem; me posse, uno actu æstimationis divinæ, tantum gratiæ à Deo haurire; statimque dedit mihi Dominus talem actum elicere. Et post hæc, auxit in me Dominus dignationem suam in immensum, dicens mihi, nõ solum, tantum gratiæ haurire potes, quãtum hic aquæ, sed etiam tantum, quantum est hoc spatium, quod terra, àer, cælique occupant, uno æstimationis divinæ actu; illicòque hunc actum talem habui. Hic actus adeo intensus fuit, ut cogitari non possit, nisi ab experto: adeò tamen non violentus, nec gravis capiti, pectorique, ut putem potuisse illum continuari diutius longe: non duravit tamen diutius uno Ave MARIA, conatus sum tertio talem Actum elicere, sed manus Domini jam recesserat, advertique non meam virtutem, sed Dei gratiam illam fuisse. Dignatus est iterum mihi cõsimilem actum donare in Septembri, duravit ad 7. circiter, Ave Maria.

Actus intensissimus sine læsione corporis.

Die quinta Januarij, Anni *1624.* quæ fuit tertia ante diem Inventionis Christi Domini in medio Doctorum, Dominum Jesum tanquam amissum, & destitum à Parentibus suis, invitavi domum meam, & duo actuum charitatis, æstimationis, humiliationisque & aliarum virtutum millia, ipsi in tractationem, & sustentationem illius diei, obtuli. Sequenti die, qui etiam incidit in diem trium Regum, etiam eodem modo, domi meæ, Dominum JESUM sustentavi, exhibendo illi respectivè ad trium Regum terna munera, tria millia actuum: ipso autem die inventionis ejus à Parentibus, invitavi illum, una cum Parentibus suis ad me, & similiter tria millia prædictorũ actuum, illi exhibui, totoque triduo Sacra ad eum finem dixi, & alia feci de paupertate mea, & de gratia ejus, cui gloria in sæcula. In Sacro primæ diei, cum Evangelium ultimum dicerem, sensi gustum suavem in illis verbis; *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios DEI fieri,* & interim quandam promissionem audivi; *quia recepisti me, & ego recipio te, nunquam dimissurus.*

Tractatio Christi.

Promissio Dei singularis.

Die sexta Decembris, Anni *1626.* in Sacro, sub Elevationem Sacræ Hostiæ, visus est mihi in Spiritu, Dominus Iesus, ad instar Seraphini Cruciformis, mihi desuper in Hostia Sanctissima imminens, & ab illa die cœpi, sub elevationem Hostiæ, in Sacro postulare à Christo JESU, omnium Seraphicissimo camino, ut me accendere dignetur, amore suo Seraphico Cruciformi.

Amor Seraphicus Cruciformis.

Quadam die dictum est mihi; *Diabolus jam non curat, ut in Cælo non sis, sed ne magnam in Cælo gloriam habeas: labora ergo diligenter, & ferventer, & in hoc etiam Dæmoni ægrè facere stude.*

Die decima sexta Novembris, anni *1622.* quidam se mihi, in donis spiritûs, à Deo acceptis, valde aperuit, mecumque spiritualem amicitiam iniit, pro quo cum orarem, ut à Pretiosissima Parente in Filium reciperetur, intellexi mihi promitti id ita futurum.

Quis autem is fuerit, & in quibus Dei donis, se Patri Gaspari aperuerit, collegi ex quodam arcano scripto, inter manuscripta Patris Gasparis reperto: Fuit is, Pater Jacobus Lichanski. Donum autem, quod inter prædicta scripta, manu P. Lichanski exaratum, reperi, fuit ejusmodi.

Prima Februarii, habui Sacrum in impetrationem auxiliorum, pro ferventer exigendo sequenti Mense, in Dei servitio, & gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Divina Majestas decrevit mihi conferre juxta beneplacitum suum, illo mense, maximè vero die sequenti, hoc est Purificationis B. V. Et cum in Sacro proferrem illa verba; *Omni benedictione cælesti, & gratiâ repleamur,* sensi nescio quam fiduciam, & spem concepi, beneficij mihi à Sanctissima Trinitate concedendi. Finito Sacro, sensi nescio quam cordis palpitationem, & motum, ex recordatione, & gustu illius fiduciæ habitæ in Sacro, cum quadam extenuatione mei ipsius, in ascẽsionibus quibusdã, quasi sensiti-

Intimatio prædestinationis, facta divinitus, Patri Jacobo Lichanski.

ser[v]itivi affectus in DEUM. Nocte hujus diei, circa mediam noctem, feci disciplinam, & exercui actus gratitudinis. Dum postea cogitarem de Sacro habendo, deliberabam, quamnam intentionem præfigerem, venit in mentem, ut illud offerrem in gratiarum actionem pro beneficio, Reverentiæ vestræ, (alloquitur Patrem Gasparem,) præstito hac die. Tandem volui Sacrum facere, finita reconciliatione, sed Reverentia vestra insinuavit, illud; se priùs expedire velle, acquievi: contuli me, ad audiendas confessiones. à quibus fui vocatus ad Sacrũ habendum. Mirabar quid esset: nam ingressus domum, quæsivi num finitum esset Sacrum Novitiorum, responsum, necdũ fuisse, unde putabam, errorem à vocante commissum. Adii Reverentiam Vestram, certior fieri cupiens de hac re, Reverentia Vestra dixit, Deum promisisse hoc, ut prior haberem: Hæserunt verba in corde, recta me contuli ad Sacristiam. intentionem Sacri habendi supradictam, innovavi eo fervore, quo ex Gratia Dei poteram maximo.

In principio Sacri, licèt minus præparatus accessi. nam recta à Confessionibus veneram, sensi me valdè recollectum, & suavitatibus quibusdam repleri, fiduciâ quadam erigi, impetrandi beneficii, sed nescio cujus; quam supprimebam, ne viderer mutare intentionem Sacri, quæ fuit pura gratiarum actio, ad gustum, Divini, & MARIANI cordis, ob beneficium Reverentiæ Vestræ præstitum, hoc die. In decursu Sacri, non me destituit fervor in principio Sacri habitus. Cùm autem pervenirem ad illa verba Canonis; *Et in Electorum Tuorum jubeas grege numerari,* sensi talem motum, quasi è somno excitarer, & apprehendi fortiter hæc verba, cum desiderio talis felicitatis, ut & ego unus ex illo grege essem. Rursus in illis verbis; *Fac me Tuis semper inhærere mandatis, & à Te nunquam separari permittas,* hoc beneficium Prædestinationis rediit in mentẽ, & desiderium. In Memento, in Consecratione Hostiæ, & Calicis, in Communione, nullos affectus exercui, nisi gratitudinis, gratiarum actionis pro beneficio Reverentiæ Vestræ præstito, approbando hoc beneficium, quasi meum esset, & mihi factum. Interea subintrabat cogitatio, ut ego agerem gratias pro beneficio quodam, sed conabar supprimere, ne fortè amor proprius magìs me faceret applicatum ad orandum pro me, quã pro Reverentia Vestra. Finito Sacro, genuflexus in Sacristia, gratiarum actionem instauravi, conjungendo, & appropriando mihi actus omnes Reverentiæ Vestræ, quos vel jam exercuit, vel exercere debebat in suo Sacro postmodum. Deinde appropriavi mihi actus gratitudinis, & gratiarum actiones omnium eorum, quoscunq; DEUS dignatus est hoc beneficio. Ad extremum dixi intra me; *Beatissima Virgo MARIA, vellem pro hoc beneficio, eos exercere actus, quos Tu exercuisti, pro beneficio Maternitatis Tuæ, aut quos DEUS per Scientiam simplicis intelligentiæ, cognovit potuisse à creatura elici.* Sicque me contuli iteratò ad confessiones audiendas, à quibus redii post duodecimam fere quadrante uno & medio. Sedi ad mensam fere ad quadrantem primum, post primam horam. Finitâ mensâ, contuli me ad Templum S. Matthiæ, acturus gratias more solito: ad quod tamen sensi me impelli, cum quodam interno gustu, & desiderio non ordinario. Genuflexus incepi dicere more meo, *Tu Rex gloriæ Christe, Tu Patris &c.* quo finito, exercui aliquos actus interiores solitos. Et ecce derepente, sensi me recolligi, & sensus quasi consopiri, aut quasi ligari, & in quadam quiete cordis & sensuum me adverti extemplo collocatum: quod ut adverti, (nam videbatur id præter dispositionem corporis accidere) tunc me DEO subjicere incepi, & agnoscere ipsius ingressus in animam præludia, dixi intra me: *Fac Domine quod T. placet:* ego scio me indignum hac tua visitatione. Tum videbar intellectuali auditu me audire; *Beneficium scias tibi concessum, per merita Christi, Prædestinationem tuam, notitiam autem hujus beneficij, in hac vita, per manus B. V. accipe.* Exhorrui ad hoc: nam talia nunquam petij à Domino, potiusque positive repugnare solebam talibus motibus, si quando subreperent in Orationibus. Immò 30. Decembris, cùm in choro S. Matthiæ, gratiarum actionem post Sacrum expedirem, meque in actibus dilectionis DEI exercerem, mirabilem mihi Dominus communicavit amorem sui cum tali resolutione, ut si ipse mihi revelaret me esse inter Præscitos, tamen ego vellem DEO servire, & illum amare, & pro magno reputarem beneficio, quòd saltem vel in in hac vita mortali, possim illum amare, quo indignus fui: si porrò in tanta Sanctitate viverem per impossibile, uti B. V. putarem mihi satis factum eo solo, quòd se permiserit in hac vita, amari à me DEus. Exercui etiam hoc mense, illum actũ aliquoties, quem mihi Dominus communicavit

Efficacia Verborum Missæ.

Modus agendi gratias Deo.

Visitatio Sacramenti post mensam.

Præludia ingressus divini in animam, & sermo internus.

Resolutio singularis.

Affectus erga B. V.

nicavit Posnaniæ Anno 1621. in Festo Conceptionis, ut si scirem ex revelatione certissima, quòd B. V. esset causa variarum tribulationum, persecutionum, malorum in omnibus successuum, ad extremum summi mali, nempe æternæ damnationis, tamen ego illam, ob hanc excellentiam quia est Mater DEI, unicè diligerem, super omnia creata, post DEUM, & Christi humanitatem: quæ duo eo fine attuli; ut constet, me non desiderasse unquam, notitiam Prædestinationis meæ, cum & ipsam Prædestinationem, DEO postposuerim, & amori B. Virginis. Exhorrui igitur ad hanc impressionem DEI in intellectu, & dixi, me indignum hoc beneficio, quòd id viris perfectis, & Tibi, ô DEUS! feruenter servientibus, concedas.

Interna DEI visitatio corpus afficit.

Tum obortæ lachrymæ, dilatatio quædam cordis, & agitatio, quasi fluctibus jactaretur aquæ calentis, faucium quasi resolutio, temporum coarctatio. Fui in hoc motu per mediam horam, cùm autē viderem invalescere hos motus, & me cohibere non possem, prorumpentibus manibus, & toto corpore in prostrationem, recepi me nullo vidente, uno passu facto, ad fornicem illum parvum, & ibi hæsi per quinq; quadrantes genuflexus, nec valens cohibere illos motus, & erūpentes lachrymas. Cùmque expostularem cum DEO, me indignum esse hoc beneficio, accepi responsum interiùs. *Ita esse.* Tum mihi objecta sunt peccata, in sæculo commissa, pro quibus excitavi in me dolorem. *Ideo, inquit, debes agnoscere hoc beneficium, quia indignus es, & ego specto, non quod debetur tuæ indignitati, sed quod decet meam dignationem. Deinde per hoc beneficium, volo obligationem superinducere, ut mihi ferventiùs, fideliusq; servias, & vitam prædestinati hominis, vivere incipias, & ita gubernes corpus tuum, ut dignum sit, quòd DEI oculis in Cælo præsentetur. Ita me diligas, ut decet eum diligere, de cujus æternali amore tibi constat. Præterea volo hoc facto, ut sis resignatus ad omnia, quæ te manent, ut tibi condias amaritudines, hoc solo, quia quacunq; viâ te dirigam, sive asperâ, sive planâ, siue rectâ, sive tortuosâ, vel qualiscunq; illa tandem ex mea ordinatione fuerit, sis contentus; certus, te excidere non posse fine tuo, ad quem te creavi.* Sed cùm iterum objicerem Domino: timere me, ne fortè in elationem mei, ex dono hoc mihi communicato, incidam, sicque displiceam Divinæ Tuæ Majestati, respondit. *Non est unde superbias: nam hæc est mera dignatio mea, ideo enim ordinavi, ne continuares collectionem tuam menstruam, ne fortè tuis id adscriberes dispositionibus. Deinde id tibi non communicavi tempore Sacri, sed tempore minus commodo, statim post prandium, quo tu ad talia ineptus esse soles. Præterea quotiescunq; alios adspexeris, exhibe eis profundam reverentiam, tanquam eis, quos ego ad majorem forte gloriam prædestinavi, quàm te, ad extremum scias, me quidem certò te prædestinasse ad gloriam, sed gravi illatâ violentiâ cordi meo divino, (ut ad captum tuum loquar) scivi tuas ingratitudines, tua peccata, tamen intuli mihi vim, ut te eligerem, sicq; vici meipsum hac in parte, quod certe magna tuæ abjectionis est materia.*

Motiva revelata prædestinationis.

Metus elationis ex dono DEI.

Metus illusionis.

Rursus objeci, me timere illusionem hac in parte, nam & hæc Circumstantia temporis, videlicet dies Purificationis, rem auget: Subvereor enim, ne occulta quadam æmulatione, ex superbia profecta, videar æmulari ea dona, quæ contulisti hoc ipso die, Patri N. N. Tunc respondit DEUS; *Vos estis biga mea, insedit gratia mea, Patri N quæ illi insidens te etiam dirigit, non mirum ergo quòd vos hâc circumstantiâ temporis, conjungere volui. Indicium autem, quòd non illudaris, accipe; quia post hoc, habebis gustū quendam in humiliationibus, quod quidem erit cum repugnantia partis inferioris, tamen gustum internum retinebis, & eris humilis. Et revera me sensi humiliatum, ut me puderet homines adspicere, & cœpi revereri homines cum depressione meipsius.*

Signum revelatæ prædestinationis.

Exij deinde ex illo fornicè, nullo vidente, & exercui actus gratitudinis pro hoc beneficio, defixo in B. Virginis imaginem, intuitu, ferè per quadrantem. Toto reliquo tempore, usque ad horam decumbendi in lecto, fui in continuo quasi actu orandi, & quadam unione cum DEO per affectum gratitudinis.

Constitutio animi, post revelationem Prædestinationis.

Hic est progressus divinæ visitationis. Quidquid autem sit, sive ea notitia, & evidentia ejusdem, pervenerit ad certitudinem revelationis, sive non, ego agnosco inprimis, me indignum hoc DEI beneficio, & nolo ingredi consiliorum DEI arcana Mysteria, nec ullam à Reverentia Vestra determinationem expecto, ne sim in DEI donis curiosus. Accipio autem hanc DEI visitationem, & eos animæ motus, in eo gradu certitudinis, & evidentiæ, quem DEUS novit, & in quo mihi communicare intendit, non tantopere quærendo certitudinem & evidentiam, quàm ejus voluntati in collatione hujus doni, totaliter me cōformando. Volui autem Vestræ Reverentiæ hoc communicare: primò, ut Reverentia Vestra exaltet hanc gratiam DEI in me, prout illa est in cognitione DEI. Deinde, ut habeam in hac vita, vel unicum, cum quo colla-

quo collatis viribus me Deo gratum exhibeam: nec enim unquam ulli mortalium, etiam in Confessione id aperiam, nisi forte Deus aliquid aliud inspiraverit, ad bonum animæ meæ, vel alicujus alterius, idq; inspiratione peculiari, & extraordinariâ. Statui autem, & decrevi, ex impulsu interno, per totam vitam Sacrum hujus diei offerre, principaliter in gratiarum actionem, pro beneficio Reverentiæ Vestræ præstito, & secundariò pro hoc, mihi etiam concesso; vicissim à Reverentia vestra humillime petens, ut eodem die sit memor in Sacro, hujus beneficii, mihi indignissimo peccatori præstiti.

Octiduũ gratiarum actionis.

Octiduum subsequens insumpsi, in gratiarum actione pro hoc beneficio, sicque omnia Sacra, & afflictiones corporis quotidianas, in eum finem direxi, ut me Deo gratum exhiberem, & ex hoc me coram Deo humiliarem. Per quod tempus, attentus fui ad motus animæ, tam in meditationibus, quàm in Sacrificijs. Nunquam observare potui quidquam, unde de hoc beneficio Dei vel minime dubitarem; & per hoc tempus, videtur Deus egisse nihil mecum, nisi ut me detineret in continuis convictionibus intellectualibus, ita esse & non aliter: ex quo oriebantur affectus voluntatis ardentiores solito, quandoque conjuncti sensibilibus devotionis motibus, quos ego supprimere conabar. Præcipua autem, per totum hoc tempus, capita motionum Dei, hæc fuerunt, quæ sæpiùs recurrebant in Orationibus, & erant quasi scopi, ad quos dirigebâtur reliqua omnia. Primus motus fuit, ad amorem Crucis, tribulationum pro Deo, qui sæpiùs, & valide à Deo ingerebatur, sed præcipuè per totam fere meditationem, diei quintæ Februarij, in qua Dominus communicavit mihi mirabilem gustum Crucis suæ, feci mirabiles combinationes tribulationum, nec ullam reperi, ad quam pro Christo, non essem tunc paratus. Similiter sextâ Februarij, dum vesperi orarem ante Venerabile Sacramentum. Sed vehementiorem cæteris sensi octavo die beneficij accepti: cùm enim gratias agerem post Sacrum, sensi me recollectum valdè, & dixi intra me; Domine fac quod placet: tum audivi, quasi responsum interiùs; *Volo tibi imprimere characterem Crucis, & tribulationum, ut sis ex signatis, & privilegiatis meis animabus*, Ex quo subsecutus sensibilis motus corporis, maximè cordis, & obtuli me Deo in humilitate, ad Cruces.

Resolutio ad omnes tribulationes.

Dona Dei ad humilitatem ducunt.

Secundus motus fuit ad abiectionem mei ipsius, & contemptum cordialem, qui mihi vivaciter imprimebatur à Deo, præcipuè quartâ Februarii, quo die sæpissime recurrebat hæc cogitatio, quòd pluris facerem, si me Deus faceret verè humilem, & abjectum, quàm quòd mihi notitiam Prædestinationis concesserit. Et quintâ Februarij, eundo ex Litaniis, dum transirem B. Virginem Curritorii, sensi mihi dici interiùs; *Iam te nunc resolutè abjicere potes, in oculis hominum, cùm scias te coram oculis DEI acceptum*. Tertius motus fuit ad resignationem in omnibus, quæcunque Deus voluerit, & ex possibili suppositione, etiam in hoc ipso Prædestinationis beneficio; Nam quartâ Februarij, dum tenerem Sacram Hostiam, ante Communionem, erupi in hunc affectum; *Si me æstimatorem beneficiorum Tuorum facis DEUS, pluris æstimo, Te amare, quam Prædestinatum esse, & hoc ipso beneficio privari vellem (si esset possibile) propter Tuum amorem.* Quinta autem Februarij, post vespertinum examen, prostratus humi, dixi; *Muta DEUS decretum de mea Prædestinatione, utere tuo absoluto Dominio, quod in me habes, & si fieri potest sine præjudicio Tuæ immutabilitatis in irrevocabilibus decretis Tuis, statue & decerne ex præsenti statu de me, quod placet: Nam scio me promeritum æternam damnationem, hanc ego, ex novo decreto libenter amplector, affectu plenissimæ resignationis, & subjectionis, quàm ego Creatura debeo Creatori meo.* Et eodem die, ex quadam occasione, hæc me pœnitudo invasit; Quòd maluissem non prædestinari, quàm hunc Deo disgustum adferre antequàm extitissem, quòd sibi in mea Prædestinatione, Deus violentiam quodammodo intulerit. Hi sunt præcipui fontes motionum Dei his diebus, ex quibus alii manârunt. Status autem animæ fuit in his omnibus, pacatus, consolationis plenus, & gustus quidam quasi continuus Dei, maxime ex indignitatis meæ consideratione profluens.

Actus miræ resignationis.

Tale igitur donum fuit, Patri Jacobo Lichanski divinitus intimatum, quod ille Patri Gaspari, cum prædicto tædere, & pacto mutuæ erga Deum gratitudinis, manifestârat, servavitque pactum hoc Pater Gaspar, quoad vixit: Nam in ratione celebrandi Festum Purificationis B. Virginis, id sibi præscripserat; *Festum hoc erit mihi, unum ex Solennitatibus præcipuis, ratione præstiti beneficij cujusdam, tum mihi, tum N. N. hac die*, id est P. Jacobo Lichanski. Tam magnus animæ proventus est, fœderatum esse alicui servo Dei.

CAPUT

CAPVT V.

Provincialatus Patris Gasparis.

Servi Dei reluctantur Prælaturis.

NOn infrequens est supremæ gubernationi divinæ, invitos reluctantesque ad gubernacula adhibere, & peramplas illis demandare Provincias, qui suâ contenti Sparthâ, ad subsellia non ascendunt nisi impulsi. Sic egit Deus, cum Divo Ambrosio, sic cum aliis permultis, non solùm Ecclesiæ Principibus, sed etiam Religionum Prælatis, Sic tandem cum nostro Patre Gaspare, qui quâvis quotidie, in Missa, dimitti, liberarique à regimine peteret, atque post sumptionem Sacri Calicis, ut in Liturgicis ejus observationibus, ab eo probè practitatis, habetur, talem ad Deum instituere supplicationem; *Mi IESU per Tuam, in hoc Sanctissimo Sacrificio, & Sacramento, & in visceribus animæ, corporisq; mei, præsentiam, peto à Te, ut ab onere gubernationis, & periculis ejus, liberes me, sicut potes, scis, & vis expedire gloriæ Tuæ, saluti, & perfectioni meæ, proximorumque meorum.* Quamvis item hæc quæ sibi præscripserat, sanctè observaret; In omni die aliquoties deprecare à Domino, gubernationis onus ut auferat à te, interposito Jesu Christi sanguine, & animarum amore: dulcedinem ex regimine, & omne commodum, periculis salutis, & aliis molestiis inamarica, metu, & difficultate reddendæ rationis absynthia, & in horrorem induc: aut reprobum, aut minùs gratum Deo, te esse crede, atque conclude ex eo, si in regimine sis: à regimine, & periculis ejus libera me Domine: quamvis inquam hæc omnia exactè quotidie observaret, gubernationemque refugeret; Non acquievit tamen tã impensæ ejus petitioni Deus: sed aliquoties eum toti gubernandæ præposuit Provinciæ, variis deinde præfecit Collegiis, ut præter Concionatoris munus, quo aliquot annis perfunctus, post transactũ vigesimum in Religione annum, toto ferme tempore gubernârit. Provincialis primâ vice institutus, anno 1629. post exactos in Religione, 20. annos, quod perrarum est in Provincia Polona, propter non exiguam Patrum, annis, & virtute gravissimorum, atq; ad munus regendæ Provinciæ idoneorum copiam: maturus tamen Pater Gaspar ei Officio visus est, qui judicio omnium, in virtute jam maturuerat. Inter negotia totius Provinciæ, primò apud eum loco erat, negotium propriæ perfectionis: Ante omnia itaq; præscripsit sibi Orationes quasdam; pro gratiis regiminis obtinendis, quas hic subjicio.

Amaricatio gubernationis.

Inter omnia negotia, primum negotium perfectionis.

Orationes pro gratiis regiminis impetrandis.

1. *DEUS dignissime, Principatuum, Potestatum, Thronorumq; Rex, qui sedes super Cherubim, & flammam urentem facis, ministros Tuos, Tu mihi famulo Tuo, & Dominorum meorum, servorum Tuorum servo inutilissimo, imposuisti super humeros, grandem hanc regiminis servitutem, eaq; me servire jussisti, cui & in veritate Tua, & in Conscientia mea nunquam sufficio, cùm sim puer, quoad intellectum judicii, & legum, nesciens quid sit inter dexteram & sinistram.*

Petitio Gratiæ gratum facientis.

2. *Da mihi Gratiam Tuam magnam, eique tanquam nutrici meæ, ab infantia mea, custodiendum me trade, ut per ipsam Tibi placeam semper, nec committam aliquid, quod aut non placeat oculis Tuis, aut non sit gustabile voluntati Tuæ, aut non majorem ad gloriam Tuam.*

Petitio Sapientiæ ad consilia.

3. *Commendo me etiam assistrici sedium Tuarum, Sapientiæ Tuæ, quæ me doceat sensum Tuum, & consiliis Tuis opportunè informet, mecumq; sit in omni ingressione, & egressione mea, quia illa est, quæ gyrum Cœli, & Terræ circuit sola, & novit itinera consiliorum Providentiæ Tuæ.*

4. *Crea cor mundum in me, & spiritum rectum innova in visceribus meis, ne proiicias me, inquam, à facie Charitatis, Gratiæ, Veritatisq; Tuæ, & Spiritum Sanctum Tuum ne auferas à me. Redde, auge, conserva mihi lætitiam Salutaris Tui, & spiritu Principali confirma me semper, ut doceam iniquos errantes, & languidos, vias Tuas, rectas, securas, ignitas, atq; pacificas, ut ipsi ambulent in eis, serviantq; Tibi, corde sincero, atq; perfectissimo.*

Petitio variarum gratiarũ ad gubernationem necessariarum.

Da mihi Domine, lumen in intellectu, efficaciam in affectu, constantiam in conceptu, perseverantiam in effectu. Da mihi donum sapientiæ, intellectus, & consilii salutaris, ac opportuni. Da mihi Spiritum Prophetiæ salutarem, necessarium, sed non mirabilem. Da mihi cor docile, & paratum, & ardens Tibi. Da linguam eruditam, igneam, & scientem loqui ad cor, prout cuiq; opus erit. Da mihi gratiam, amoris, & auctoritatem competentem, in oculis omnium. Da mihi donum gubernandi suaviter, efficaciter, liberè, accommodatè. Da directionis memoriam, directioni spirituum congruam. Da mihi Orationis, & fiduciæ, in Te, Tuisq; auxiliis, Spiritum. Da fidelitatem ad Te in omnibus operibus meis, obsequiis autem, donisq; Tuis, ut non quæram, quæ mea sunt, neq; furtivè arrogem mihi quæ mea non sunt: sed ea semper quæram, Tibique fideliter reddam, quæ sunt Dignitatis, Gloriæ, Donationis, Iustitiæq; Tuæ, ac servitutis meæ, Tibi à me, per omnia jura debitæ.

6. *Dirige linguam meam in loquendo, manum in scribendo, mentem in sentiendo, ut non impingam coram Te, sed faciam ea, quæ Tibi placita sunt semper. Da mihi sanitatem, robur, viresq; laboribus pares, & arce à me omnia impedimenta*

menta obsequii Tui, juxta leges beneplaciti Tui. Da cor docile, atq; tractabile, omnibus, quos rego. Da cor ad me conversum, & facilè à me capi ad Te, trahiq; sinens. Fac me gratiã invenire apud omnes quibuscum vivam, & agam, sive sint domestici, sive extranei, ut omnes, & semper contentos reddam, melioresque semper ad Te remittam.

7. Da quàm plurimis affectum orandi ad Te, pro me, ferventer, frequenter, efficaciter, ut impetrent abs Te mihi ea omnia, quæ necessaria scit mihi Sapientia Tua, & conferre mihi statuit voluntas Tua.

Conformatio sui, cum voluntate DEI, in petitionibus.

8. Denique da mihi, quod jubes, & jube quod vis, talem me fac qualem vis, effice per me hoc quod vis, miserere mei semper, sicut scis, & vis, utere me ad humiliandum me, & exaltandum Te valdè. Nihil sinas esse, quod non vis, nihil sinas me velle, quod dedeceat Te mecum velle, sim Tibi plenè sincerus, plenè constans servus Tuus, Tu autem absolutus Dominus meus, ut in me, per me, semper exalteris dignissimus DEUS meus. Amen.

Tali precandi modo, ferme omnia, quæ in his orationibus continentur, feliciter impetraverat à DEO Pater Gaspar. Audire erat linguam ejus, tam in Exhortationibus, quàm in manifestatione conscientiarum, igneam, & scientem loqui ad cor. Die quodam, dum esset postridie dimissurus quendam è Societate, (in quo tamen tardissimus semper erat, diu tentatos tolerans, atque ad meliorem mentem reducere, adnitens) tanto ardore, & energiâ, de periculis Dimissorum, est in exhortatione locutus, ut audienti mihi præ terrore pili assurrexerint. Videre erat prudentiam ejus, admirabili cuidam auctoritati, ipso vultu spiranti Deum, junctam. In manifestationibus, unicum id illi erat, quosvis ad sanctitatem non vulgarem hortari, & inflammare, dicereque; Noli esse inter vulgares servos Dei. Memini ego, me, ex redditione conscientiæ coram ipso, facta, longè inflammatiorem, incitatioremq; quoad profectum, in via Dei ab eo abiisse, quàm ex denis meditationibus. In admittendis ad Societatem, magnum servabat delectum, reperique inter manuscripta ejus, hæc quæ sequuntur. *Signa ordinariè male succedentium Proselytorum in Societate.* 1. Nimius nostrorũ in eos amor, & cura nimia, ut sint in Societate. 2. Pædagogi maturiores rarò boni in Religione. 3. Qui durè habiti sunt, rarò in Societate boni: 4. Item pauperes, & quibus fuit nulla spes victûs, aut difficilis in sæculo.

Energia verborum.

Non vulgaris sanctitas.

Non succedẽtes Proselyti.

Præter Collegia formata, non optabat multiplicationem Residentiarum; tum quia in talibus plerumque locis, ob penuriam rerum temporalium, penuriam patitur disciplina, & observantia religiosa; tum quia Residentias affirmabat esse prolem, partu præcoci editam, quæ ordinariè invalida est, & infirma, allegabatque eo fine, dictum cujusdam Nobilis, Wiesiolovvski, ad nostræ Societatis homines, quod fuit tale; *Patres, hoc vos curate, ut sitis tales, quales esse debetis: Odia Nostra, clamores contra vos, & alia non curate. Nam nos inviti honorabimus vos, dum habueritis propter quod necessariò honoremini, tantummodo nolite vilescere, multas Residentias non habetote, sed paucas, & in his dignas Personas habete.* Optabat autem Pater Gaspar, potiùs multiplicari Missiones, ex quibus pro libitu à Superioribus localibus, personæ possunt transplantari, & nunc ad Collegium revocari, nunc ad Missionem deputari. Et revera nescio quid de Missione Spiritus Sancti, Missiones Societatis habent, ut ex annuo spirituali censu, luculenter ea Collegia colligunt, in quibus eæ Missiones sunt usitatæ.

Odia hominũ non obsunt Societati.

Adnotaverat in memoriali quodam, quod post fata ejus reperi, se debere, in dicenda aliis veritate, adhibere eum modum, qui adhibetur in adspersione aquæ benedictæ; ut nimirum, non violentè, neque illicò quoad omnia subditis imperetur: aliàs, sicut, si quis cum impetu, & affluenter undâ sacrâ perfundatur, in iras assurgit, habiturus gratiam, si lentè, & sensim perfunderetur, ita subditi, ex eo impetu, & violentia veritatis, loco correctionis, indignatione commovebuntur, profecturi aliàs, si ipsis veritas sensim instillaretur. Non prætereundum & illud est, quod Pater Gaspar in Provincialatu pro se ordinaverat, in hunc modum. Primum Provincialatûs mei annum, dedico Deo, & Pretiosissimæ Parentis Immaculatæ Conceptioni; in cujus honorem, respectu felicis successûs, per illius honorem, impetrandi. 1. Singulis diebus, officium, vel coronâ de Conceptione dicam. 2. Singulis mensibus, Sacrum de eo Mysterio dicam. 3. Singulis in Domibus hujus Provinciæ, curabo Imagines Conceptionis in Templis erigi, & in Domibus ipsis, si fieri poterit hoc secundum. 4. Examina Generalia, particulariaque faciam statis horis, etiam in curru. 5. Ordinatum tempus habebo orandi, legendi institutum, & colloquẽdi in curru. 6. Libenter pedes ambulabo, sanitatis prætextu, Orationis gratiâ. 7. Singulis diebus, pro omnibus Collegiis, Do-

Modus veritatis dicendæ.

Primus annus Immaculatæ Conceptioni B. V. dedicatus.

giis, Domibusque hujus Provinciæ, orabo, & pro omnibus eius Personis. 8. Singulis diebus, S. P. Ignatium, & omnes SS. Provinciales Societatis, pro spiritu Societatis, gratiaque regiminis impetranda, orabo. 9. Semper omni deliberationi, & consultationi, præmittam Orationis aliquid, nominatim Sancti Spiritûs invocationem. postquàm aliquid statuero, & decrevero, Deo commendabo, consulam, dirigi, emendariq́; petam, ad gloriam ejus. 10. S. Archangelum, Præsidem, custodemq́; meum, & Officii mei, nec non Angelos Custodes subditorum meorum, quotidie, per Rosarii partem aliquam, invocabo. 11. Antequam incipiam loci alicujus visitationem, semper vel diem, vel medium, vel horam saltem impendam Orationi, & collectioni, atque auxiliorum Dei invocationi, ad bene cognoscendum, & stabiliendum statum domesticum. Angelos, Patronosque loci, & Domûs, & Templi, & Communitatis, invocabo, & personarum omnium, & Officii mei.

Alter annus Spiritui S.

Secundum annũ Provincialatus obtuli Spiritui S, ejusq́; peculiari honori, ac regimini devovi. Proinde 1. Singulis Mensibus Sacrũ de Spiritu S. dicam. 2. Singulis diebus, Coronam 100. actuum, de Spiritu S. dicam, petens benedictionem in Officiis meis. 3. Post Sacrum, quotidie dicam Hymnum, Veni Sancte Spiritus, & emitte &c. 4. Coronam 15. actuum de Conceptione B. V. dicam, petens similiter benedictionem in Officiis. 5. Reliqua ut superiori anno faciam.

Tertius annus SS. Trinitatis.

Tertium Provincialatûs mei annum obtuli Sanctissimæ Trinitati, ejusque honori.

Quartus, Æternæ Sapientiæ.

Quartum obtuli æternæ Sapientiæ, & eius Societati universim. Reliqua faciam, ut superioribus annis.

Jam quod attinet ad itinera, quæ ab uno Collegio, ad aliud conficiebat Pater Gaspar, visitandi causâ, pro munere sibi imposito, eorum religiosè conficiendorum, praxim ejusmodi confecerat.

Ante susceptum iter.

Intentiones ante Iter.

1. Facienda intentio, ex motivis obedientiæ, vel charitatis, vel conformando me divinæ providentiæ, quæ hoc iter ordinavit. 2. Offerendi erunt singuli passus, Deo, tanquam primo motori corporis; Immò & passus equorum, gratiasq́; agam Deo, pro concursu, quo Deus concurret ad cursum equorum, in eo itinere. 3. Offerendæ erunt Singulæ attractiones âëris recentis. singulæ superficierum mutationes, in hunc, vel similẽ modum. *Offero Tibi mi DEUS, tot actus Fidei, Spei, Charitatis, quot in hoc itinere intercedent, superficierum corporis mei permutationes, & sicut sum in continua loci mutatione, ita vellem in continua reverentia, & veneratione itinerantis DEI in carne, manere, eumq́ in me exprimere.* 4. Commendabo me SS. Angelis, custodibus eorum, cum quibus me iter facere contigerit.

Commendatio SS. Ang.

5. Pro duce itineris præcipuè eligam mihi divinam providentiam, cui me commendabo, ut mei curam velit assumere, ratificando ea omnia, quæ illa de me in hoc itinere disposuit, complacendo mihi in illis omnibus, aprobando, & gratias agendo anticipatò pro omnibus quæ illa ordinavit.

In ipso itinere.

1. Itinerarium quodpiam recitetur. 2. Litaniæ iter agentium, vel communes Sanctorum. 3. Ero in continua reverentia Domini JESU, itinerantis per trienniũ suæ Sanctissimæ prædicationis, hancque materiam Meditationis assumam. 4. Cùm Cæli, ab Angelis, juxta probabiliorem opinionem, moveantur, illorumque operâ, singulæ, in Esse suo, Species conserventur, ne ulla res mihi in itinere occurrat, ex qua mentem ad Deum non possim attollere, exaltabo Dei dignationem, qui dignatus est, etiam singulis animalium Speciebus conservandis, assignare Tutelares Angelos: sic sublato in Cœlum obtutu, adorabo adoratione duliæ, illos cælestes Spiritus, illasque Intelligentias, Cælorum motrices, commendans illis necessitates colonorum, per quorum agros transibo, ne grandines, tonitrua, inundationes, tempestates, illis noceant, ut maleficia dissipent, Cacodæmonis obsistant conatibus, eam inducant âëris, primarumque qualitatum temperiem, ut fertiles evadant agri, omni sterilitate depulsâ. 5. Dejecto in terram vultu, & circumacto, viso quocunque animali, commendabo me Angelo custodi illius Speciei conservari, ad eum finem, ad quem à Creatore sunt condita.

Varia in itinere spiritûs exercitia.

6. Pagorum, Civitatum, Templorum, quæ videro, Sanctis Angelis custodibus faciam reverentiam, & illorum opem, ad prosequendum iter, implorabo. 7. Dum transibo Oppida, & pagos, gratias agam Deo pro beneficiis, quæ præstitit incolis illius loci: similiter gratias agam nomine eorum, qui facultates in iis locis, per quæ transeo, possident; ut si Dei Largitoris, beneficentiam, &

am, & largitatem agnoſcere negligunt, aut certè in illo momento nullum exercent gratitudinis actum, aut alium, id ego in Perſona eorum exolvam, ne aut beneficia malè locata maneant, aut nullum ſit tempus, quo non referant actionem gratiarum quantùm fieri poteſt? 8. Dum tranſibo Templum aliquod, peculiarem reverentiam faciam Chriſto, in Sacramento Euchariſtiæ exiſtenti, ibiq; cor meum relinquam, ad hoc tempus, quoadusque aliud Templum prætergrediar, ſicque cor meum relictum, in illo priori apud Chriſtum, repetam, repoſiturus in hoc quod tranſeo, & ſic deinceps: tum ut hæ novæ cordis locationes, augeant fervorē dilectionis in Chriſtum, tum ne Deus in Sacramentis exiſtens, ſit otioſus quodammodo, (nam hæc Templa plerumque deſerta ſunt) habeatque aliquem, cui benefaciat, & cum quo verſetur: maneboque in continuo adorationis actu, Sacramentalis Chriſti præſentiæ, ſub conditione, ſi ibi eſt. Tutelares Sanctos illius Templi invocabo, quorum ibi vel imagines, vel Reliquiæ ſunt, vel qui ex illo loco, adſcripti ſunt Cælo, creſcente autem affectu, adorabo Chriſtum in omnibus Templis totius mūdi, & ſub omnibus particulis Specierum Sacramentalium, in quibus poteſt Chriſti præſentia retineri.

Viſis in itinere Templis, religioſa devotio.

In fine ſuſcepti itineris.

1. Viſo eo loco ad quem tetendi, inprimis Chriſtum adorabo in omnibus Templis, vel Templo illius loci, ſub omnibus Hoſtiis conſecratis, ad numerum illarum, actus virtutum variarum multiplicando. Innovabo illarum Hoſtiarum adorationem, ad quas ſubeundas, & præſentiandas, ut ſic loquar, fuit illo die, Chriſtus, verbis Conſecrationis è cælo evocatus, extollendo illarum dignationum numerum. 2. Dolebo de omnibus offenſis divinæ Majeſtatis, in illa civitate, vel pago perpetratis, in particulari, de ſacrilegiis, in adminiſtratione, vel ſuſceptione Sacramentorū, illo anno, vel hebdomadâ vel die, admiſſis; in quarum compenſationem aliquam, & ſatisfactionem, eliciam actus Contritionis, de meis peccatis, & offeram actualiter, omnes actus pænitentiæ Chriſti ob aliena peccata. 3. Gaudebo, & exultabo de omnibus complacentiis, quas unquam DEUS habuit, ex quacunque occaſione, & cauſa, in illo loco, deſiderans ex toto corde, ut in illo, quàm plurima divinæ complacentiæ objecta reperiantur, ſicut diſplicentiæ, & diſguſtûs reperti ſunt. 4. Venerabor Angelum Cuſtodem illius civitatis, vel loci, quem ingredior: ſimiliter omnes Angelos cuſtodes omnium habitantium in illo loco, quos ſalutabo in illis, & reverebor. 5. Commendabo me Sanctis Tutelaribus illius loci, maximè iis, quorum Reliquiæ ibi ſunt, quorum exædificata Templa, quorum preces invocatæ, quorum nomina incolis illis impoſita. 6. Poſtquàm venero ad locum deſtinatum, quamprimùm viſitabo Sanctiſſimum Sacramentum, in ejus præſentia gratias agam, pro felici ſucceſſu itineris, & negotiorum, quorum causâ ſuſceptum fuit. Deinde prò beneficiis omnibus acceptis, exaltabo DEI providentiam, ad quod invocabo, B. V. & SS. Tutelares illius Templi, & Sacelli, Angelum Cuſtodem &c. Dolebo de defectibus commiſſis in illo itinere, quorum defectuum percurram catalogum, ſi tempus patietur.

Actus ad numerum Hoſtiarum

Variæ devotiones in fine itineris.

Sic itinerans Pater Gaſpar, plùs viæ conficiebat ad Cælum, quàm ad ea, ad quæ vehebatur, Collegia, quorum viſitationem, à tali auſpicabatur Oratione.

Saluto, adoro, exalto Te DEUM meum, hoc in loco præſentem, famuliſq; Tuis in eo manentibus præſidentem. Ago gratias Majeſtati, voluntatiq; Tuæ, quod eos ad hanc horam cuſtodieris, & quod me ad illos adduxeris, Da mihi hoc in loco gratiam Tuam, Officio meo, negotiis præſentibus neceſſariam. Dirige ad me omnes neceſſitates internas, & externas, privatas, & commune Bonum Religionis concernentes, omnium Perſonarum hic exiſtentium, & aliarum, quomodocunq; iſto cum loco connexarum. Da mihi donum Sapientiæ, Intellectûs, Scientiæ, Conſilii, Diſcretionis, ad cognoſcendum, diſcernendumq; bonum, & malum, verum, falſum, profuturum, nociturum. Da gratiam apud omnes. Da fiduciam ad me omnibus, amoremq;. Da ſuavitatem cum omnibus. Da efficaciam in omnibus. Da libertatem adverſus omnes. Da denique quod Tua Sapientia, & Voluntas, ſcit & vult pro ipſo loco neceſſarium, ad gloriam Tuam, & fructum animarum Tuarum. Te quoq; Pretioſiſſima Parens, hujus loci Patrona, cum Sanctis, & Angelis omnibus præſidibus, Cuſtodibus, Patronis, cum Sanctis Reliquias hic ſuas habentibus, hoc in loco ſaluto, veneror, invoco, adſis mihi, & dirige me in omnibus, quæ hic cogitabo, dicam, agam, decernam: ſine divino enim auxilio, ſine Tuo, & Sanctorum hujus loci Præſidum favore, nihil dignū efficiam, qui ad nihil, niſi ad ſolos defectus, & deſtructionem idoneus, ac ſufficiens ſum. Veni Sancte Spiritus &c.

Oratio ſuperioribus utiliſſima.

Dona Dei ſuperioribus neceſſaria.

Viſitationi Collegiorum imponebat coro-

coronidem, tali orandi modo. *DEUS infinite, ac immense, qui nec loca mutas, nec tempora, nec consilia, nec voluntatem. Te hic relinq uo, Tibi locum cōmitto. Ago gratias Majestati Tuæ, pro omnibus, hic mihi datis gratiis, & auxiliis. Fac Domine, sint hæc efficacia, quæ hic dixi, feci, statui, suppleo defectus meos, nec propter illos impediri sinas voluntatem Tuam in hoc loco, sit hic amor Tui, pax, mutuaq; dilectio, zelus honoris Tui, & salutis proximorum, observatio disciplinæ, omne beneplacitum Tuum, ad puram gloriam Tuam. Te quoq; pretiosissima Parens, cum omnibus Sanctis, Angeliq;, hujus loci Patronis, rogo humiliter, custodite, amate, protegite hunc locum, ut in eo sit benedictio Patris, & Filij, & Spiritus Sancti assidua, ut Vos cum gaudio, & consolatione, hic Personas istas cōmorantes, protegatis, ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, quam ego vobiscum benedico; & magnifico in æternum.*

Oratio ad Deum post visitationem Collegii.

Deposito Provincialatu, hæc sibi injunxerat observanda. *1.* ad omnia te æqualiter cùm aliis demitte statim. *2.* Quid successor agat, quid mutet, nec scire, nec audire velis, omnia quæ faciet, lauda. *3.* Nunquam usurpa illas voces; Ego cùm essem: Non ita ego: Ego sic: Ego hoc cogitabam, hoc fecissem: Ego inchoavi? Ego disposui, glaciem fregi. *4.* Aures para ad audienda obloquia, perstrictiones, insultationes, comparationes. *6.* A consiliis fuge, & consultis, si non effugeris, modestissimus sis, in tuo sensu, & verbis. *6.* Fuge prandia Externorum, fuge invitationes, & singularitates, cum Superioribus præcipuè, exéptiones quoque fuge. *7.* Orationi, & solitudini te totum da, communi vitæ, deambulationi interdum, & amænus esto debitè semper. *8.* Nihil præsumptuosum in te appareat. *9.* Esto quasi unus ex infimis operariis. *10.* in scribendis literis, de materia, Successorem concernente, esto cautus. In sermone item nulli fide. *11.* Successori Tuo declara, ut de te, & à te ordinatis, deque agendis, & exequendis à te, liberè omninò, absque ullo respectu disponat, prout meliùs judicaverit. Sic ille faciebat finem gemino Provincialatui, & ego finem facio huic materiæ.

Post peractum Superioratū religiosæ observationes.

CAPUT VI.
Rectoratus Patris Gasparis.

MUnus hoc, à rectitudine nomenclaturam habens, quàm rectè à Patre Gaspare administratum fuerit, primaria testatur Collegia, quibus aliquoties præfuit, magno spiritûs cum proventu. Curabat imprimis, sibi subjectis, alimenta, non solùm corporis, sed & animæ, administrare, censebatque ex observatione religiositatis, & cum DEO familiaritate, rem familiarem, optimos habere successus. Adnotaverat sibi quosdam Superiorum scopulos, quos apprimè evitabat, hos nempe. *1.* Effusionem ad curam rerum temporalium. *2.* Negligentiam domesticorum in spiritu. *3.* Neglectum lectionis Instituti. *4.* Regimen ex proprii Capitis idea *5.* Regimen per naturalia Principia. *6.* Diffidentiam in DEUM. *7.* Amorem pecuniarum, & parcitatem. *8.* Fugam, & odium admonitionum. *9.* Velle omnia à Subditis supportari, amarique ab eis non curare. *10.* Frangere malle, quàm flectere, & remedia exosa facere. Hos scopulos ita præ oculis habebat, ut in nullum illorū impegerit. Quod enim attinet ad curam rerum temporalium, eā Procuratori & Ministro Domûs, plenè committebat, mediatā non nisi directione sibi relicta, interimque optimum provisorem DEUM, quà orationibus continuis, quà observatione disciplinæ religiosæ, demerebatur. Dum penuriâ notabili Collegium affictabatur, adire solebat imaginem Christi Crucifixi, & coram ea, in has voces prorumpere; Domine nunquid ego hos genui, Tui sunt, provide illis, ecce expectant à Te escam, fecerunt quod jussisti, da quod promisisti. Fiebatque interdum, ut ab ipsa immediatè Oratione, evocaretur ad portam, ab aliquo Eleemosynam adferente. Cùm esset Collegii Posnaniensis Rector, in pessimis temporis circumstantiis, nempe post bellum statim Sueticum, devastationemque omnium Collegii Bonorum, & post horrendam, ipsius Collegii, merum in stabulum Metamorphosim, excepi ex ore ejus id proferentis; Se quidem Reverendo Patri Provinciali venturo, exhibere posse Summam Expensæ, sed Perceptæ Summam se exhibere non posse, conjecique non temere eum, ex thesauris DEI Perceptam habuisse. Frequens ejus dictū erat; se metuere magis metum inopiæ, quàm ipsam inopiam. Rectorem Domûs Probationis, Cracoviæ agens, gravibus rerum temporalium angustiis pressus, dum ad solitum Crucifixi DEI-hominis, asylum confugisset, necessitatemq; Domûs, providi Christi pedibus subjecisset, invisit quodam in negotio, Domum Professam, ex qua reduci, Adolescens quispiam occurrit, nulloque prolato verbo, nō exiguum Aureorum numerum obtulit.

Scopuli Superiorum.

Percepta ex thesauris Dei.

Exemplum providentiæ Divinæ.

Tam aureus est Deus ijs, qui sperant in eum. De eodem Domûs Probationis Rectoratu, simul cum Magisterio Novitiorum, non pauca occurrunt dicenda. Instruebat Religiosos Tyrones, & verbo supra modum inflammato, & exemplo, ipsoq; vultûs intuitu, quem spectare, ad omnem componi sanctimoniam erat. In mortificationibus externis injungendis, exoticus non erat, at in mortificanda pertinacia, superbiola, curiositate, cæterisq; & novitii, & postmodum veterascentis animi affectionibus, exquisitus erat. Nullum fuit tempus non aptum, quo eum adiret Novitius, miseraque arcana sua ei recluderet. Nolebat in Novitiis novitiam esse virtutem, sed solidam, & maturam, ita, ut in Collegiis, & Senes essent adinstar Novitiorum, & Novitii adinstar Senum. In asceticis opusculis conscribendis, totus erat. Spectavi ego ipse Novitius eius, cùm illum interdum interturbarem, eum currente calamo, Ascetica, in compacto jam libro, scribentem, & simul ad mea quæsita, non per exiguum tẽpus, mihi respondentem.

Maturitas virtutum.

In quietandis aliorum Conscientiis, habuisse videtur singulare Dei donum. Noveram Patrem, qui ad initium Sacerdotii sui, ita scrupulis initiatus erat, ut ad Sacrificium peragendum, nullâ ratione adduci posset. Victima priùs ipse futurus, quàm id faceret. Missus ad Collegium, in quo Rector erat Pater Gaspar, semelque nonnisi cum eo locutus, ad tantam animi rediit malaciam, ut postmodum nulla scrupulorum caligo (omnis enim scrupulosus cæcutit) eum obnubilaverit, statim ad peragendum Sacrificium perrexerit, detestatus scrupulos, qui sunt dæmonis genuinum & suave Sacrificium.

Donum quietandi Conscientias.

Frugalitatem religiosam liberalitati junctam habebat, dicebatque ex liberalitate Rectorum in Collegiis, sequi Dei benedictionem, sicut è contra, ex parcitate maledictionem: Nam dum, inquiebat, Rectores liberaliter, intra limites religiosos, tractant fratres suos, Patris autem illius Magni filios, illi liberaliter habiti, Patri suo, pro Rectoribus gratias, bonaque nuntiant de iisdem. Undè etiam propter filios suos benè habitos, benedicit Rectoribus Pater ille magnus. E contra fit, dum parcè habentur fratres, murmurant Filii coram Patre, aliquando & in Patrem, ille murmuratione offensus, maledicit tenacitati Rectorum, & insultat illis; *Seminastis multùm & intulistis parùm.*

Liberalitas cũ frugalitate.

Inter superiores & subditos hoc interesse asserebat; quòd Superiores habeant multos oculos, unum autem os, & manum: Subditi verò multas manus, & ora multa, oculum unum. Illi multa videant, & sciant, pauca dicant, & taciant, immo unius rei multas habeant causas, unam autem dicant: Subditi verò multa dicant, conjectent, suspicentur, rationes indagent, & inferant, multa faciant, interim tamen nihil faciant, & videant, in rei veritate. Adiiciebat præterea; diabolum omnibus modis adlaborare, ut subditorum impediat confidentiam ad Superiores, eò quòd ex solius confidentiæ usu, diabolus vim amittat, idque ex assistentia Dei penes Superiores, ad quos subditi dum recurrunt, inveniunt infallibiliter subsidium, vi pacti, quod habet Religiosus cum Deo, subdens se homini, propter Deum, atque in suis periculis recurrens ad Superiorem, tanquam ad Deum.

Discrimẽ inter Superiores, & subditos.

Quia verò congenitum vitæ nostræ vitium est, attendendo aliis, sui ipsius oblivisci. (ex quo pleriq; defectus in omni agẽdi munere pullulare possunt) intentũ quotidie Pater Gaspar, in Rectoratibus suis, habebat oculum, ne quidquam ejusmodi suboriretur, in quem finem adhibebat die quovis Examen Superiorale, cujus erant hæc capita. *1. An horam Considerationis fecerit. 2. An Ministrum allocutus sit horâ debitâ. 3. An ipse secum alicubi dispensaverit, & quâ causâ, atq; ædificatione Communitatis. 4. An morosè aliquem tractaverit. 5. An inauditâ parte alterâ, eam ex relatione unius judicarit, reprehenderit, puniverit. 6. An temporum ordinem, & actionum suarum, communemq; servaverit. 7. An subditum quemq; ad supernas rationes direxerit, & ex eis rexerit. 8. An protestatus sit DEO insufficientiam suam, ad regimen. 9. An oraverit pro Collegii Personis, negotiis, necessitatibus. 10. An manifestam diligentiam in invigilando vitaverit. 11. An infirmos corpore, adierit. 12. An solatus sit tristes, & omnium vultus, vestesque ac lectos inspexerit. 13. An metum inopiæ, & diffidentiam in DEVM, admiserit. 14. An omiserit visitationis officium præstare, debitum Externis. 15. An Diarium scripserit, notâritq;, & quo tempore. 16. An inordinatâ molestiâ tulerit Subditorum ad se diffidentiam, vel saltem non recursum. 17. An absq; prævia consultatione fecerit aliquid, quod faciendum fuit prævio consilio. 18. An visitaverit Orationem, vel somnum Fratrum, vel Scholas, atq; lectiones, Templum quoque. 19. An & quàm pridem Officii sui Regulas legerit. 20. An apud subditos, de subditis, sit questus vitiosè, eorũq; defectus dixerit. 21. An amatorem animi, vultu tristi,*

Examen quotidianum Rectorum.

tristi, & impetuoso agendi modo, ostenderit, expresseritque: an verò læto vultu semper fuerit. 22. An defectus Antecessorum suorum propalaverit. 23. An sit usus verbis mordacibus, in arguendo. 24. An legerit puncta notata pro variis Officialibus, vel executionibus.

Gemitus sub regimine.

Talis erat quotidianus supra seipsum Censor, Pater Gaspar, & interea sub regimine gemebat, relegebatque à se conscripta gemitûs Gubernationis capita, & iis perlectis, sic alloquebatur DEUM. *Domine DEUS meus gemo coram Te, ad Te, responde pro me, ita tamen ut spiritus salvus fiat. Iudica, & discerne causam meam, ita tamen ut non mea sed Tua voluntas fiat. Quod si placet Tibi, auge dolorem. Domine fons omnium bonorum, tribue quæso mihi famulo Tuo, injunctum bene gerere Officium, illudq; bonis operibus comprobare. Da, ut in moribus meis consilia Christi fulgeant, nec quidquam in eis, inimicus suum valeat vendicare. Præsta ut virtutes religiosas in me ostendam, exemplo præbeam, admonitione confirmem. Insuper inviolabili charitate, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, conscientiâ purâ, Spiritûs Sancti Gratiâ plenus, in diem justi Iudicij resurgam, Amen.*

CAPUT VII.

Concionatoris munus, & donum Prophetiæ Patris Gasparis.

Talenta naturæ ad Concionandum.

CONcionatores majori ex parte nasci, quàm fieri, indubium est: si enim juxta Theologos, *Gratia simpliciter supponit, & perficit naturam* multo magis gratia Concionandi præsupponit dotes, & talenta naturæ, sine quorum adminiculo, ordinariè qui Concionantur, sunt veluti æs sonans, aut Cymbalum tinniens. Contulerat ejusmodi dotes divina providentia Patri Gaspari, in gradu planè excellenti. Staturæ erat satis justæ, omnimodâ proportione commensuratæ. Vultus illi Propheticus, magis ex continuatione ardentium affectuum, quàm ex complexione naturali irrubens atq; ipso sui intuitu spectantes interdum immutans. Vox sonora, & maximo cuique Templo par, cui pectus amplum, latera firma, affatim adminiculabantur. Accessit ingenium longè excedens mediocritatē, quo in Theologia ita excelluit, ut vix alicui condiscipulo concederet primas. Suffragatum quoque est illi legendi, adnotandique studium, & pertinax quoddam otiositatis odium.

His ita præjactis, concessit illi scrutator, simulque motor cordium DEUS non vulgarem concionandi gratiam, in energia, & quadam efficacia sitam, quam ille post singulas Communiones, à Domino precabatur, unà cum dono Prophetiæ, non illius mirabilis, & Extaticæ, sed pro utilitate animarum loquentis, & utilissimè argumentantis ad cor. Concionatus est Lublini, coram Tribunali totius Regni, & in Metropoli Majoris Poloniæ, Posnaniæ, in Templo urbis primario. Fecerat Lublini, vice quadam, Concionem de Ebrietate, tantâ vi, ut plerique ex nobilissimis Auditoribus, statim in Templo statuerint, nunquam se id vitium commissuros: ex quorum numero unus Tribunalista, seu Deputatus, cùm ab alio ad Convivium invitatus, in potu nonnihil excessisset, transiens vesperi cubiculum Patris Gasparis, inclamare cæpit; *Pater Concionator, evanuēre proposita, quæ feceram in Concione tua: inebriatus sum, parce precor.* Ex Cathedra Posnaniensi dum ad Provincialatum alterâ vice obeundum, assumptus esset, primarii quinque cives, coram Nostris sic sunt conquesti. *O Patres, accepistis nobis Prophetam nostrum.* Ipsi Regni Proceres, fortunatos se fore arbitrabantur, si eum in actu aliquo solenni perorantem, nancisci possent. Hinc ad funebres Conciones evocabatur frequentissimè, in quibus ex morte defunctorum, vitam spiritualem superstitibus ingenerabat. Id mirùm, quòd eodem concionandi tenore, & serie semper usus, quibusvis disparatis Auditoribus satisfecerit, ex eademque eius Concione, non rudis duntaxat plebs, sed & eruditus Auditor, aulicaque, & politica auris, quod approbarent, habuerint. Conciones eius non erant phaleratis instructæ verbis, aut natorum ad apparentiam parentes conceptuum, multoque minùs adulatoriis semifætidæ lenociniis, sed spiritu DEI plenæ, doctrinâ, & visceroso, interdumque gravi affectu pollentes. Conquerebatur non semel, raros esse Concionatores, qui non erubescant tertium facere tonum, hoc est, vehementi motu in peccatores, liberè, discretè tamen invehi. Sexagenarius jam cùm esset, à Serenissimo Joanne Casimiro Poloniarum Rege expetitus, ut sibi à Concionibus esset, urgentissimas scripsit excusatorias, in quibus inter cætera ait; De morte, & DEI judicio, brevi mihi venturo, cogitandū est, non de plausibus Concionatoriis. Oppositum quoq; modum concionandi habeo ei, qui ad Aulam amatur, ubi documenta, & affectus respuuntur, Conceptus

Conciones in præcipuis Cathedris.

Conciones Spiritu Dei plenæ.

Excusationes à regiis Concionibus.

ptus tantùm, & novitates, subtilitatesq; expetuntur, quod genus Concionandi mihi absonum videtur, & contra Ecclesiæ, Patrumq; morem, contra Bonum populi Christiani, contra finem Concionū, contra Dei placitum, quem morem nec conscientia, nec consuetudo me amplecti finit.

Monita Concionatoria. Quali ad Conciones apparatu usus fuerit, quemque in iis modum tenuerit, colligi potest ex quibusdam monitis Concionatoriis, quæ in quadam semirosa pagella, manu ejus conscripta reperi, sicq; se habent.

Possessio scripta Concionis. 1. Concionator scribat Concionem tēpestivè, integrè, vernaculâ linguâ, eam scriptam relegat, atque corrigat attentè, & quasi in ordine ad discendum memoriâ, legat, advertendo nexum partium, & juncturam, digressiones, & transitiones à parte ad partem.

2. Non est opus, ut memoriâ discat Cōcionem verbatim, prout scripsit, sed sufficit ipsam materiam, & nervum Concionis benè memoriâ tenere. *Affectus Concionis.* Affectus tamen insigniores notandi sunt, & quantùm fieri potest, ad verbum discendi; ad quos ut inter Concionandum aptè postea assurgatur, oportet à Concionatore sciri semina affectus, eaq; spargi in dicendo, tùm etiam transitionem ad illos affectûs memoriâ teneri, nisi fortè in dicendo meliores occurrerint; fit enim, ut Concionator, affectus, quos aptè scripsit, frigidè dicat, quia non commode, nec præjactis fundamentis, ac seminibus in eos prorumpit.

Scopus Concionis. 3. Scopum semper, & finem Concionis habeat, non persuasionem nude, & in genere, sed materiam persuadendam. Et quando paraturus est Concionem, hoc primò statuat. Quid volo persuadere hac Concione, atque in Auditore efficere? & ad id propositum, Evangelium, aut materiam accommodet, rationes, argumenta, auctoritates, affectus, Exempla coacervet, atque illicò, aut materiam dicendi habebit paratam, aut certè non voluet libros in incertum, sed ex destinato quæret in talibus, qui accommodata ad finē tractârunt.

Concio priùs in privato dicenda. 4. Dicet ipse sibimet privatim, atque veluti concionabitur ex memoria, elocutionem sibi parando, atque promendo, Capita tamen rerum dicēdarum ex charta petendo: Hoc enim valdè utile, & summè necessarium est: sic namq; probat Concionator seipsum, advertit quā partem malè, quam bene possideat, quam minus benè, quam explicet commodè, in qua jejunus sit &c.

Amplificatio Concionis per res. 5. Non curet amplificare Concionem verbis, sed rebus. hoc enim & utilius, & efficacius est pro Auditore, & facilus pro memoria; cum faciliùs sit retinere, quæ sit ratio, quæ auctoritas Scripturæ, quis Doctor, quod exemplum, quod Simile adferendum, quàm quod verbum; quæ sententiola, quod comma, quæ antithesis, quæ expolitio, &c. Et non negarem varietatem dictionis conferre ad memoriam, ut si primò dicatur simpliciter assertive, postea per interrogationem, per apostrophen, &c. Tunc enim si memoriâ teneat ordinem figurarum istarum, elocutio facillimè tenetur, & habetur.

Inculcanda utiliora. 6. Habeat benè perspectum, quænam partes, & puncta Concionis suæ sint efficaciora: copiosiora, utiliora, magis inculcanda. ut in his laboret plùs; & ante dictionem, & inter dicendum.

Quomodo memoria juvetur? 7. Adnotet etiam in Concione sua, locos quasi communes sibi perspectos, in quibus immorari, vel in quos excurrere possit facilè, ac subitò, si fortè illum casu memoria fallat. aut pars aliqua dicendorum, non statim, nec commode occurrat.

Partes Concionis quomodo tractandæ? 8. Partiatur Concionem in partes, partes in puncta. Partes concionis tractet per modum discursuum, & si placet per modum Chriarum: etsi nō semper omnes Chriæ partes, in singulis discursibus adhibendæ sint, sed quædam in uno, quædam in alio, varietatis & tegendæ artis causâ, & potissimus locus auctoritatibus Scripturæ enucleandis, vel in ordine ad mores formandos, vel in ordine ad voluntatem inflammandam, tribuetur.

Concio in quibus fundanda? 9. Curet in sua Concione, Auditorem in aliqua virtute Theologica, præsertim ad Christum, & ejus imitationem, ore ad vitæ communem usum conducente, erudire, & quasi illuminare semper: gratum enim hoc, & utile Auditori, prodestque ad opinionem Concionatoris, & maximè ad fructum Concionis: Videre enim est sæpe, quòd excitetur populus, & nesciat ad quid, & jubetur facere, non docetur, aut quid, quare, quomodo? vel si docetur, non ex fundamentis solidis, non ex Theologicis, non ex Fidei fundamentis, uno verbo, non convenientibus: hinc fructus nullus, aut parvus, post multas, & longas, & scilicet ferventes Conciones.

10. Concionū affectus magis deberent esse compassivi, quàm reprehensivi, hoc est, ut Concionator ostendat se compati, peccatoribus, Politicis, avaris &c. quòd vanita-

Modus affectuum in Concionibus.

vanitatibus serviant. Quid vobis prodest? quid confert? quem fructum nunc habetis in iis, in quibus nunc erubescitis? talis enim affectus non movet odium in Concionatorem, nec indurat animum, sed emollit, & convincit sensim audientem; cujus defectu, male cedunt Concionatoribus invectivæ, censuræq; morum, adeò ut appellentur interdum tales, Concionatores Satyrici.

11. Quando est aliquo in loco Concionandi Officium inchoaturus, curet cognoscere statum loci, & genium hominum, sive Auditorum, scire curet quale dicendi genus, qualem Concionatorem maxime Auditor suus futurus probet, quid placuerit in suo antecessore, aut displicuerit? quæ vitia sint indita in loco? ut iis non statim impugnandis incumbat, sed priùs animos captet, & devinciat, Auditoris, potissimùm humilitate, facilitate conversationis, charitate, & apertis signis, atque studiis profectûs, salutisque animarum. Quid populus vulgò desideret emendari? Quid obliteratum sit, bonæ & priscæ consuetudinis in urbe? Quid boni possit fieri, excitarique in loco, & Auditore, Item? quæ sit Templi natura, & quæ Cathedræ constitutio, quam ad partem potissimùm se vertere Orator debeat inter dicendum; an rectus stare, an se versare, an inclinare possit? Habeat aliquem Commissarium, hominem, sive ex domesticis, sive etiam ex Externis, fidum & probatum, à quo intelligat per se, vel per alium, sensa Civitatis de se, deq; suis Concionibus, de affectu populi, quid desideret in illo &c.

Genius Auditorum intelligendus.

12. In omni Concione conetur conjungere doctrinam, & motum, hoc est, convictionem intellectûs, & impulsionem, seu exercitationem affectûs, ita, ut illa hanc præcedat, judicii autem erit, videre ex circumstantiis temporis, loci, maximè Auditoris, cui plus tribuendum sit, rationi, an affectui? Cæterùm quantùm ad convictionem intellectûs, observet Concionator, ut veritatem quam probare intendit, vel ex primis, aut saltem ex altis principiis deducat, & hac occasione, ex iisdem principiis, quasi obiter, & tantùm ex itinere, attamen seriò, & utiliter, conclusiones aliquas sive annexas, sive etiam disparatas inferat: hoc enim & erudit Auditorem, & delectat simul, & præterea fidem conciliat rationi, ad propositam, & intentam propositionem probandam. Maximè autem principia illa alta, quæ dixi, deberent esse, vel fidei articuli, vel naturali lumine nota, vel in Communi sensu posita. Verùm in hoc curandum est Concionatori, ut ipse rem bene possideat, & vim rationum clarè penetret, clareq; explicet, ne fortè quod volebat illustrare, obscuret. quare non erit satis, tales discursus, & deductiones scribere, sed etiam ipso rationis, & memoriæ labore, atq; connexione, bene ante, concionem repetere, ruminare, penetrare.

Doctrina & motus in õni Concione.

13. Concionatorem oportet esse perfrictioris frontis, si utiliter dicere, & si Conciones sibi succedere vult bene, hoc est, ut non velit summè bene Concionari, sed putet hoc se non effecturum, ut omnibus placeat, proinde resolvat se, ad subeundas reprehensiones, & tantum prodesse intendat, atq; curet: multos enim vidi noluisse Concionari, tantùm solo metu successûs mali, Concionis, qui tamen potuissent bene concionari, si voluissent videri ineptiùs concionati esse. Nimirum velle pro stulto haberi, dat libertatem agendi, velle prudentem videri, tollit libertatem: Opus enim difficile est prudenter agere omnia, cui dum quidam inhiant, & difficultatem vident, tandem nihil agere eligunt, & non vident se in hoc stultissimos esse.

Non metuendus malus successus concionis.

14. Concionator frequenter argumentetur, & concludat ad hominem, contra populum, & propositâ efficaciter, atque evidenter veritate, dicat populo, & auditori, ut ipsemet judicet de se, vel de re, ipsemet inferat ex principio Conclusiones, & sic ex eorum ore illos judicet, damnet. cogat in suam sententiam. Utilissima certe hæc praxis, & ratio dicendi, præsertim post allatas aliquas fortes, & evidentes rei propositæ rationes.

Argumentatio ad hominem, in Concione.

15. Non est utilis illa ratio Concionandi, quæ est quasi abstracta, & tantummodò veluti declamativa. Sed utilis est specifica, particularis, in individuo dans instantias, alloquendo, & sermocinando cum Auditore, & familiariter condescendendo, & ejus judicio permittendo, & denique ostendendo quod illi ipsi Auditori loquaris, faciendoque, ut Auditor concipiat, & apprehendat, sibi, & de se, rebusque suis dici, & tractari: hæc inquam ratio Concionandi est utilissima.

Concio non sit in abstracto.

16. Ego hoc in me notavi, (dicit de se Pater Gaspar) quod mea ratio concionandi, sit pluscululum austera, & severa: hinc postea, terrentur aliqui à mea conversatione, & Confessionibus: talem enim me imaginantur in Confessionibus, qualem

Judicium P. Gasparis, de suis Concionibus.

qualem vident in concionibus: & hic perplexus sum, expeditne molliorem dictionem sectari? an potius continere Auditorem, ut non ausit peccare, quando scit Concionatorem talem se habere, qui non solet parcere. Sic existimo autem rectum esse, ut primas conciones in aliquo loco semper faciam leniores, & blandiores, donec affectus populi, & opinio cōparetur.

Lenitate præstanda via.

17. Crebrò Cōcionator postulet à Deo aperiri sibi sensum Scripturarum, & donum atque spiritum Prophetiæ, hactenus verba ejus. Per Spiritum hunc Prophetiæ, intelligebat ille peritiam quandam supernaturalem, & energiam in loquendo ad cor.

Donum Prophetiæ.

Quanquam etiam donum Prophetiæ strictiùs sumptum, collatum fuisse videtur Patri Gaspari interdum, (nam nec in aliis Prophetis fuit perpetuum, & actu semper permanens) quod non unus probavit eventus. Convenerat ille extreme ægrotantem, Illustrissimam Ducem in Ostrog, Palatinam Vilnensem, Fundatricem duorum nostrorum Collegiorum, fæminam, cui virtus mascula, eaque eximia inerat semper. Hæc die quodam, (erat is Sabbati dies) & judicantibus Medicis, & ex ipsa lucta vitæ, exspiratura videbatur. Attulit hujus rei Nuntium Patri Gaspari privatim oranti, alter quidam Pater, utque Illustrissimæ ultimum valediceret, eamque agonizantem disponeret, expetiit: Tum ille, nequaquam hodie morietur, inquit, sed post triduum, die S. Chrysostomi (cujus tunc Festum inciderat in Feriam tertiam) hic enim Sanctus impetravit sibi illam donari à Deo, dictum id fuisse Prophetico spiritu, exspirans Illustrissima eo die, probavit.

Prædestinationes Patris Gasparis.

Alteri cuidam, celebri & virtute & prosapiâ fæminæ, miraculis præterea claræ, operâ Nostrorum in Sacris utenti, Dominæ Tomicka, prædixit, eam, obsequio Nostrorum in morte cariturã, quod & evenit.

Illustrissimo Zamoyski, Regni Cancellario, vaticinatus est, Consortem eius, primo & secundo partu, Filiam, tertio partu Filium edituram; Vaticinio fidé eventus fecit.

CAPUT VIII.

Modus à Patre Gaspare observatus, in dirigendis proximis, ad statum Religiosum.

FElicitatum Novi Testamenti ipsa plane medulla est, Status Religiosus, in Consiliis Christi fundatus, & infallibilem salutis æternæ promissionem, ex vi talis status, adnexam habens. Proinde directio proximorum ad talem statum, nō potest non esse magni coram Deo meriti, si tamen fiat secundùm probatas prudentiæ asceticæ regulas, quas à Patre Gaspare apprime observatas fuisse, edocet praxis, quam sibi in eo genere præscripserat, & quam verbis ejusdem exponendam hoc loco duxi, ita igitur ait.

Securitas status Religiosi.

Primum omnium certum est, non probari in Societate nostra, quenquam ad statum Religionis induci, ut patet ex Regula Sacerdotum 23. quæ id Confessariis exprese prohibet, Et ex Regula 7. Patris Congregationis. Ex directorii quoque Exercitiorum Cap: 15. Nihilominùs & illud certum est, Finem Societati propositum præcipuum esse, ut præter salutem perfectionemque propriam, etiam impense in perfectionem proximorũ incumbamus, dicente Regulâ 2. Summarii. Cùm ergo dubium non sit, perfectionem proximi in statu potissimùm religioso sitam esse, merito etiam dubium mihi esse non debet, ex præcipuis Instituti Societatis partibus esse, cooperari, ut illo proximi promoveantur. Medium igitur quod hac in re Societas amplectitur, sciendum est. Nempe vetat Societas, directè homines trahi quibuscunque persuasionibus ad Religionem, exoptat tamen impense, eodem promoveri proximum, sed iis duntaxat modis, ut dirigatur in via spirituali, ut non ponat obicem divinæ vocationi, ut illam ultrò oblatam non excutiat, ut agnoscere, & discernere sciat vocem Dei trahentis, illique obsequatur, similibusque aliis rationibus, quibus in iis terminis sistitur, ut opus ipsum vocationis, divinæ totum permittatur voluntati, solumque adhibeatur directio ad hoc, ut talis vocatio vel concipiatur, vel dignoscatur, vel denique acceptetur, & executioni mandetur. Hos terminos si fuero egressus, putabo me falcem in alienam, nempe divinam messem misisse, proinde illud, ut indignum cavebo.

Directè trahere ad Religionem non est consultum

Non immittenda falx in Messem.

Cognitis his meis partibus, conabor me operarium Christo præbere inconfusibilem ac primùm materiam mihi diligenter seligam, circa quam pro Christo laborem. Examinabo me ipsum, qualiter mihi commissum sit à Superiore hoc Officium, cùm proximis tractandi, (sine voluntate enim Superiorum, certum est mihi me ipsum intrudere non debere) v.g. si sum Confessarius Templi, Congregationis-

tionisve, vel præfectus Congregationi, aut Scholis, vel in aliquo alio officio juvandi proximos, positus. In iis ergo circumspiciam, an aliquos mihi Deus proposuerit tali statui aptos, hoc est quorũnam ætas sit idonea, indoles ad virtutem propensa, ingenium ad studia excellens, maximeque qui non sit habiturus difficultates illas magnas Cognatorum, ob quas fortè inaniter tandem laborarem, item constitutionem corporis sat validã, compactamque, nec morbis obnoxiam, constantiam animi in Bono, & candorem in tractando, nec versatile, versutumque ingenium, simul verò hìc intelligam, quò aptior quisque offertur ad Regnum Dei, statumque religiosum, eò potiores, me partes industriæ, in illo juvando, debere ponere, juxta sequentia mediã.

Qualitas dirigendorum ad Religionẽ.

Hinc opus ipsum aggredior. Primumque medium erit in iis, quæ ad Deum sunt; Orabo frequenter Deum ipse pro talibus, maximè in Sacrificiis, & similiter ut orent alii, curabo. Offeram Deo mortificationem, & laborum aliquid meorum: ita enim factitabat S. Paulus, alijque Apostoli cum novis Christianis, 2. *Thessal: 1.* In quo, inquit, etiam oramus semper pro Vobis. Cum proximis cavebo diligenter, ne me illis faciam familiarem nimiùm, sic enim faciam me simul contemptum, vel certè suspectum. Cavebo etiam, ne illis, quæ sunt domestica Societatis, & intrinseca, evulgem: hoc enim esset allicere ad Societatem, cum tamen id Deo soli sit permittendum, ut alliciat quò vult. Post hæc in illis duo præstare conabor. Primùm quidem, ut impedimenta removeam perfectionis hujus, quantùm in me est. Deinde ut dispositionem debitam inducam. *Impedimenta sunt duplicis generis.* 1. Peccatã. 2. Amor nimius Terrenorum, maximè pravæ consuetudinis, & familiaritatum, qui amor est seminarium scelerum. Dispositio autem in eo est, ut vehemens concipiat desiderium, animam salvandi, Deo serviendi quàm perfectissimè. Circa hæc totum meum auxilium erit, reliqua Deo permittam. Porrò circa amolitionem peccatorum, non ero contentus, ut inducam ad fugam peccatorum mortalium, (hoc enim omnium Christianorum est) sed ad quàm maximum odium etiam venialium, ut umbram etiam ipsam voluntarii peccati fugiant, adeoq; & ipsas occasiones. Quoad amorem verò sæcularium rerum extrudendum, vanitatem, & deceptionẽ mundi, proponam. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Eccl: 1. Jam verò quoad dispositionem, inducam, ut sibi persuadeat, Deo se omnia debere: Dignum Deum esse ejus obsequio, & ut ad omne ejus beneplacitum parati simus semper, propter tot beneficia, promissaque ejus.

Impedimenta tendentium ad Religionẽ & dispositio.

Media ad hæc ipsa præstanda, erunt hæc. In Concionibus, Exhortationibusque publicis (si hæ sunt mei muneris) frequenter miscebo ea, quæ inducant ad mundani amoris fugam, ad promptitudinem erga Deum.

Media dispositiva ad Religiosum statũ.

2. Habebo in promptu argumenta singularia, variaque, quæ ad hoc genus valent, tum ex turpitudine peccatorum, tũ ex damnositate, & pœnis, tum ex Passionis Christi, tum ex Beneficiorum Dei, tum ex Promissorum consideratione, tum ab exemplis quotidianis, tum ex consideratione quatuor Novissimorum.

3. Similiter in promptu habebo sententias Sacræ Scripturæ, Patrumq;, breves sed efficaces, similitudines, exempla &c.

Adjumenta spiritus generalia.

4. In lectionibus, vel aliàs (si docendi munere fungar) quæsitã occasione, excurram in mundi pericula, vanitatem, salutis in mundo difficultatem, securitatem Religionum &c.

5. Privatis colloquiis idem præstare conabor.

6. Suadebo Confessionem Generalem vitæ totius, si nunquam fecerint; Examen quotidianum; Praxim Contritionis, præmonito Confessario, in quem finem ea Confessio fiat, ut & ipse pro sua parte juvet.

7. Commendabo alicujus libelli boni lectionem, assignato tempore & modo legendi: & interdum inquiram de fructu lectionis, docens quomodo se ad interiora reducere, & se supra se reflectere homo debeat.

8. Artem meditandi quotidie, docebo, ostensâ methodo, & materie, ut sciant per intellectum discurrere, & fructûs, doctrinasque pro suo usu colligere, tum per voluntatem ad illas convictiones affici; Meditando enim homo, Deo juvãte, ipse se inducit ad fugam sæculi.

9. Proderit interdum ei, quem curo, explorare suas affectiones in utramque partem.

10. Inducam ad dandum nomen Congregationi B. V. studiumque, filiali affectu prosequendi illam Matrem omnium.

11. Exercitia Spiritualia cõmendabo, & interea non statim admittam, sed desiderari, diu differendo, faciam.

12. Socios bonos suadebo, cum quibus corrigi, & proficere possit.

Particularia magis media ad dispositionem prædictam, hæc erunt.

Adjumenta spiritûs particularia.

I. Confessionem hebdomadariam suadebo, Communionem paulò rariorem.

2. Docebo modum Communionis devotæ, Confessionisque fructuosæ, & diminutionem vitiorum in se inducentis.

3. Injiciam cogitationem de statu deligendo, necessariam, nec differendam esse.

4. Habendum esse finem. & scopum certum studiorum, (si studiosus sit) eumque salutarem animæ, & Deo gratiosum esse debere, non vanitatis plenum, docebo.

5. Disponam, ut magnifaciant inspirationes divinas, juxta illud; *Audiam quid loquatur. Hodie si vocem eius audieritis. Loquere Domine quia audit servus Tuus. Domine quid me vis facere?*

6. Docebo quanti momenti sit initio statim vitæ, virtutem amplecti, voluptatem odisse, mature vitæ statum quæsiisse, & delegisse.

7. Inducam ut ipsi quoque in eum finē orent, Communicent, aliquid Deo offerant.

8. Cumq; stabilis in Bono videbitur, suadebo, ut curet sibi Platum de Bono status religiosi, vel illum, ipse, magni muneris loco, mutuò dabo.

Examen motivornm inducentium ad Religionem.

Ubi advertero bona esse desideria cōcepta religionis, jubebo illa Deo commendari, diligenter examinari, & inspici; præsertim motiva, quæ ad Religionem inducunt; an purè Dei Gloria, salusque animæ propriæ, & perfectio spectetur? Interim proderit illi qui habet desideria concepta nō cuilibet fidere, nec canere tubâ ante se, nec Unctionem Spiritus Sancti, palam cuivis aperire, aliàs subintrantes muscæ, tollent odorem unguenti. Hæc erat praxis Patris Gasparis in dirigendis ad statum Religiosum, ex cujus occasione id adverto, & miror; tantam cautelam à Viris Spiritualibus adhiberi, in promotione ad statum Religiosum, cui statui promissio Christi alligata est de salute æterna ex Vi statûs, hominesque mundanos, semper clamitare; Diu deliberandum est de vocatione religiosa. E contra autem in deligendo statu Matrimoniali, Militari, & aliis, quibus ex vi statûs non est promissa à Christo salus æterna, eosdem homines Mundanos temerè agere, vix aliquid deliberare, nec deliberationem in aliis requirere,

Major deliberatio requiritur ad statū secularem quàm ad religiosum.

cum tamen in his potiùs deberet exquiri; Utrum sit voluntas Dei, an non Spiritus Carnalis, mundanus respectus, illicium & illectamentum humanum?

Sed prosequamur alia, eandem Materiam directionis ad statum Religiosum, concernentia. Præter supra dictam praxim, habebat Pater Gaspar in promptu pro deliberantibus, hæc quæ sequuntur.

1. Salutem æternam consequi indubitanter debeo, & volo: ad hoc enim à Deo conditus, & redemptus, & Christianus sum.

Capita deliberationis de statu.

2. Salutem hanc consequi debeo, & volo, per media mihi à Deo non tantùm communiter, sed etiam specialiter ordinata.

3. Inter media ad salutem mihi ordinata à Deo, est status vitæ, quem cùm nesciam quis sit, indagare illum debeo, & volo: Sicut enim sine mediis, non venitur ad finem, sic & sine statu vitæ ad salutem, cum status vitæ sit medium salutis.

4. Indagandus est ergo status vitæ, & quidem talis, quem mihi Deus ordinavit, non quem mea propria voluntas, cæca & mala, non quem caro, & sanguis, nō quem successus mundi offert.

5. Status iste vitæ non est ex hoc mensurandus, quia in eo salvari possum: in omni enim statu, qui peccaminosus non est naturâ suâ, salvari possum, sicuti & omnes possunt. Sed in eo, in quo me Deus salvare decrevit, in quo salvari debeo, in quo salvandus sum, in quo certior salus mea.

6. Dei ergo voluntas est mihi indaganda, de meo statu: neque debeo præcurrere voluntati Dei, neque illi obluctari; sed quem ipsa vult, velle, quem non vult, nolle ac proinde ad omnes status vitæ licitos, quantùm ex me indifferens, & resignatus esse debeo, quamdiu ad aliquem certum, divinæ voluntatis pondus non accesserit.

Innotescentia voluntatis divinæ circa statum.

7. Voluntas Dei non debet expectari, ut innotescat per ipsius Dei sermonē, & manifestationem, aut per Angeli alicujus: hoc enim est Deum tentare, & se periculo diabolicæ illusionis exponere. Sed modis proportionatis ordinariæ Dei consuetudini, quam ille servat in dirigēdis hominibus, in negotio, præsertim salutem animæ concernente; uti sunt; abstinere à peccato, orare Deum, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ usurpare, mortificationes carnis assumere, cōsulere peritos, qui non tua, non sua, sed

te, sed

te, sed Deum quærant, qui solùm te salvari, Deum glorificari, cupiant.

8. Sunt igitur inspirationes Dei, & instinctus attendendi, quibus Deus pro sua omnipotentia, atque misericordissima Sapientia, cor hominis monet in memoria, illuminat in intellectu, movet in voluntate, delectat in omnibus istis tribus potentiis, perstringendo cor, & inclinando huc & illuc, nunc spe certitudinis salutis, nunc timore periculoque damnationis, nunc suavitate virtutis, aut talis ac talis rationis vivendi, ac agendi.

9. Has inspirationes Deus ordinariè adhibet, ad intimandum statum, à sua voluntate homini definitum, raro adhibet modos extraordinarios: Proinde his ordinariis debeo esse contentus, & si eos habeo; eos expendere, & expensos sequi debeo, secureque possum, adhibito consilio, non meo tantùm, sed eorum etiam, quibus & vita mea nota, & gloria Dei cordi, & status animæ meæ cognitus, & sola salus mea curæ est.

Signa inspirationum divinarum.

10. *Has inspirationes, intimationesque voluntatis divinæ, de meo statu, in quo salver, & salvari me DEVS vult, ex tribus præcipue signis conjicere possum.*

Primò, Si eas Deus opportune, & quandoque minime disposito obtrudit, & ingerit alia agenti.

Secundò, Si eas dat, & suggerit Deus, sive quod idem est, si veniant ultrò, quærente vel non quærente me, inter orandum, inter usum Sacramentorum, in auditione verbi divini, in lectione Spirituali, in casu aliquo, eventuque subitaneo, læto, vel tristi: est enim utrumque hoc signum, vigilantis circa me, & meam salutem, gratiæ, ac vocationis divinæ.

Signum præcipuum vocationis divinæ.

Tertiò, Si experior in me, sentioq; obluctationem, & voluntariam, affectatamq; surdescentiam, contra tales inspirationes, quo nullum est certius signum divinæ vocationis, adeò, ut ipsis revelationibus sit præferendum, & est demonstrativa ratio, causaque hujus rei: illa enim pugna, repugnantia, & affectata obsurdescentia, ac repulsa, signum evidens est, duos esse in meo corde spiritûs, quorum unus est pro salute mea, esto contra carnem, sanguinem, superbiam, libertatem, amoremque proprium, & mundi; alius pro me, & pro mea carne, voluntate, sanguine, mundi studiis, contra salutem, aut saltem cum dubio, periculoque salutis. Ex quo discrimine spirituū facile est colligere; quis sit à Deo, quis contra Deum. Nam qui ad salutem certiorē vocat, contra carnem, Mundum, &c. ille sine dubio est divinus, proinde mihi eligendus, tanquam salutaris, & certum pignus, indubiusque dux: qui vero est contra salutem. aut cum ejus incertitudine, & pluribus certioribus, communioribusque periculis salutis conjunctus, pro sanguine, carne, Mundo, ille procul dubio divinus non est, proinde nonnisi cum discrimine salutis eligetur.

11. Ad has igitur, similesque inspirationes, & intimationes voluntatis divinæ, de meo statu, & salute, me examinare, & eas examinatas sequi debeo, & volo.

Consilium peritorum circa electionem status adhibendum.

12. In quo ne errem, præter adhibita media Sacramentorum, Pænitentiæ, & Eucharistiæ, item orationum, afflictionumque corporis, & spiritûs, utar quoque consilio peritorum, nihil aliud requirens, nisi beneplacitum Dei, & meam certiorem salutem, facilioremque: monet enim Spiritus Sanctus; ne innitaris prudentiæ tuæ, quod maxime verum est in negotio salutis æternæ perplexissimo, & plurimis scopulis, erroribusque obnoxio, ut experientia cuilibet magistra est, adeò ut non pauci eligant sine consilio statim finire potiùs, quàm salebras consultationis devorare, quod est aliud nihil, quàm de salute sua æterna aleam jacere.

Subnectebat præterea, legendasque dabat deceptiones in eligendo statu intervenire solitas, quarum.

Prima est, non fidere, occultareque se, nec velle consulere, immò fugere eos, qui dare volunt, & possunt consilium, cùm tamen Spiritus Sanctus cum simplicibus sermocinetur, & fugiat fictum.

Deceptiones in eligendo vitæ Statu.

Secunda est, inveterata, & præjudicata affectûs applicatio ad aliquem statum, sive ad personam, in aliquo statu positam, cujus causâ ipse status amatur: Cùm tamen affectus, tenebræ sint, ratio verò lux: qui lucem odit, malè agit, & facilè offendit.

Tertia est, hanc solam in electione statûs sequi regulam, & normam; Possum in hoc etiam statu salvari, bene igitur est, sat est, hunc inibo. Deceptio igitur est ista, aliud est posse salvari, aliud salvatum iri.

Quarta Respectûs humani, quid dicent hi, quid illi? At quid dicet Deus, quid Sancti? quid tu moriens? quid dices tu ipse damnatus?

Aliud est posse salvari, aliud salvatum iri?

Quinta est, præsumptuosa, & negligens in Deum fiducia, dicendo. Committo hæc Deo, scit Deus quid mecum futurum

 sit, hoc

sit, hoc fiat quod statuit de me Deus: Cùm tamen sciat quidem Deus, quid de te futurum sit, velit tamen te facere, quod in te est, otiosumque te salvare non velit, immò otiosum te damnare velit.

Sexta est; hærere in ancipiti, nullam vim inferendo sibi, nec dubiis finem imponendo, certâ determinatione: Cùm tamen Regnum Cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud, violenti sibi, violenti sunt Cælo. Audi quid dicit Deus; Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.

Horror vitæ perfectioris, fiduciâ in Deum expellendus.

Septima est; trepidare perfectiorem vitam, tanquam duram, asperam, & in qua perseverare difficilè sit. Sensit hoc ipsũ initio Conversionis, Sanctus Augustinus, hæsitans mori morti, ut vitæ viveret, donec audivit clamantem DEUM. Quid in te stas, & non stas? proijce te securus in DEUM, noli metuere, proijce te, excipiet te, (ô homo) & sanabit te. Idem ergo dici tibi puta; Qui dabit velle, dabit & perficere, qui hæc dat nosse, dabit & posse. Nihil ex tua parte desit, ex parte nihil Dei deerit.

Quodsi aliquis perplexus erat, inter aliquos Status, Ignarus quemnam eligere deberet, ei hunc modum suggerebat Pater Gaspar. Invocato Dei auxilio tempore commodo.

Modus eligendi Statum vitæ.

1. Cogita quis ex his statibus, tibi videatur esse magis placens, gratus, acceptusque Deo.

2. Cogita, quis ex his Statibus, tibi videatur pro anima tua securior, & facilior.

3. Cogita quis ex his Statibus, sit Christo Domino, vitæ ejus, doctrinæque conformior, & similior.

4. Cogita, in quo ex his Statibus, possis esse proximo utilior, ad Salutem animæ.

5. Cogita, quis ex his Statibus, sit viribus corporis tui, dotibusque ac talentis tuis aptior, & in quo utiliùs pro DEO, talenta tua impendere possis.

6. Cogita, ad quem ex his Statibus, tacito, & interno, identidem repetito mentis impulsu provocaris, & moveris, quãvis remurmurante sensuali horrore.

7. Cogita, in quo ex his Statibus, faciliùs Deo rationem vitæ tuæ reddere poteris, in morte, & in Iudicio Dei.

8. Cogita, in quo ex his Statibus, pluribus occasionibus ad bonum, paucioribus verò ad malum, abundabis.

Cogitatio utilissima.

9. Cogita, in quo ex his Statibus, faciliùs in Bono perseverare potes.

10. Cogita, si nunc morereris, in quo ex his statibus, velles mori. Ad has interrogationes, in omni sinceritate, coram Deo, tibi responde, & pro quo Statu plures responsiones habueris, eum dilige, consulto eo, cui fidis in Domino.

CAPUT IX.

Mortificatio exterior, seu afflictatio proprii Corporis, adhibita à Patre Gaspare.

QUod olim Gentium Apostolo, Paulo in usu fuit; *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar,* idem Pater Gaspar exactè usurpabat. Quamvis enim quoad exteriorem apparentiam, in oculos intuentium non incurreret ea, corporis ad servitutem spiritûs redacti, castigatio: sub finem tamen vitæ clare apparuit, quàm fuerit studiosus hujus virtutis. Cùm enim in extrema ægritudine, corpore vix hæreret, nec nisi alienâ opera moveri posset, in dextera ejus scapula, apparuit vulnus crudissimum, magnitudinæ volæ unius latum, longumque, ex diverberatione tumescens: totũ præterea corpus lividum, & contusum. Sic, quod olim in Salvatoris nostri dorso, peccatores, in tergo ejus Sanctimonia ipsa fabricaverat. Reperta sunt post mortem ejus complura afflictionis hujus instrumenta, sanguine madentia. Præter virgas, quibus puer iste Domini, singulis noctibus se se castigabat. Præter flagella, tam ex filo ferreo, quam ex funiculis, & loris; quæ obsequenti adhibebat jumento suo; præter pectines duos ferreos, quibus radendo corpus, comebat animã: præter cilicium, quo loricabat virtutem, inventum est in armamentario patientiæ ejus, quoddam adinstar hemisphærici globi, cerâ tecti instrumentum, cujus superficiei peracutæ acûs confertim inhærebant: Singulæ autem acûs à summo, ad calcem usque, sanguine oppletæ, voluntarium Martyrem pictoria veluti acu ad vivum exprimebant.

1. ad Corinth. 9.

Corpus in morbo.

Instrumenta mortificationis exterioris.

Quinduplici itaque in affligendo corpore, utebatur instrumento, nempè virgis, flagellis variis, cilicio, pectinibus ferreis, & hemisphærico illo globo. Fecerat autem ordinata in eo Charitas Dei, ordinem ejusmodi afflictationum, ita ut quasdam habuerit quotidianas, alias mẽstruas, annuas, denique & extraordinarias alias.

Dum

Dum has mortificationes, in reconditis Patris Gasparis pagellis, & consuetudinibus repertas, in lucem profero, inde exordior, unde exorsus est B. Petrus Damianus vitam Sancti Dominici Loricati descripturus, dum ita agit; *Viri DEI, Dominici vita si scribatur, vereor ne à quibusdam Fratribus incredibilis judicetur.* Et infra ait; *Dicam sed, quis sciat, utrum fides, assertioni fidelissimæ præbeatur? Sed parvipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa veritas, falsitatis excusat.* Scribit autem ille de S. Dominico Loricato hæc. *Hanc continuæ vitæ consuetudinem indifferentem habet, ut vix dies ulla prætereat, quin duo Psalteria modulando, utraque manu scopis armatâ, nudum corpus allidat. Et hoc quidem remissiori tempore. Nam quadragesimalibus circulis, sive cum Pænitentiam peragendam habet (crebrò enim centum annorum pænitentiam suscipit) tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, ut minus, tria Psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum pænitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur. Cùm tria scoparum millia unum pænitentiæ annum apud nos regulariter expleant; decem autem Psalmorum modulatio, ut sæpe probatum est, mille scopas admittat, dum 150. Psalmis constare Psalterium non ambigitur, quinq; annorum pænitentia in unius Psalterii disciplina rectè supputantibus invenitur. Consequitur ergo ut qui viginti Psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pænitentiam, ut mihi ipse professus est, sex diebus ex more consummet. Memini quoq; quia cujusdam Quadragesimæ imminentis initio, mille annorum imponi sibi per nos pænitentiam petiit, quos certe omnes ferme, antequam jejunii tempus transgeretur, explevit.* Hactenus B. Damianus. Computemus jam Quotidie ille Sanctus bis Psalterium recitabat, id est bis 150. Psalmos: ad singulos autem Psalmos infligebat sibi 100 ictus. multiplicetur 30000. triginta millia ictuum, quæ quotidie sibi infligebat. Quando autem centum annorum faciebat pænitentiam per Quadragesimam, infligebat sibi ictuum 300000. trecenta millia. Illâ verò vice, quando impetravit, & explevit per Quadragesimam, mille annorum pænitentiâ, inflixit sibi ictuum 3000000 tres milliones.

Lib. 1. Epistolarum. Epist. 19. ad Alexandrum 2. Pontificem.

Miræ mortificationes S. Dominici Loricati.

Institit nonnihil vestigiis Sancti hujus Loricati, Pater Gaspar, dum ita in se defæviit, ut interdum, præsertim dum privatam vitam ageret, diversis diei, & noctis têporibus, ad quindecim millia percussionum, cum rasuris ferreorum pectinum, & hemisphæræ aculeatæ puncturis, pervenerit.

Numerus percussionum.

Tempora autem harum Mortificationum hæc erant. *Primò*, ante meditationem subibat flagellationem pro animabus Purgatorii, ad impetrandam gratiam devotionis pro eis, sibi, & aliis quàm plurimis; atq; satisfaciendum pro pænis earum. *Secundò*, post Meditationem faciebat diverberationem, offerebatq; eam pro Collegio, ut in eo esset voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta: ut tentationes contra pacem, castitatem, fervorem, reprimerentur: pro particularibus quoque personis, notis, ignotis, indigentibus: pro profectu fratrum in Spiritu, & literis: pro successu temporalium, & augmento Benefactorum: pro Sanitate omnium domesticorum, pro expiandis peccatis, & pænis debitis, pro amovendis impedimêtis benedictionis divinæ, supra Collegium. *Tertiò*, ante Sacrum instituebat flagellationem, eamque offerebat pro reverentia Jesu Christo, in Sacrificio, & Sacramento, pro præparatione, & dispositione ad utramque reverentiam hanc impetrãdam: pro eorum, quæ in Sacro petuntur impetratione; pro intensione negotiationis vitæ: pro supplendo defectu præparationis, & pro expiatione animæ ab obligatione culpæ & pænæ. *Quartò*, post Sacrum sæviebat in corpus, idque offerebat in gratiarum actionem pro Sacerdotio, Sacrificio, & Sacramento: pro expiandis defectibus Sacri, & Communionis: pro gratiis Sacerdotalibus, & Sacramenti Ordinis: pro augenda devotione, & dispositione ad fructum Sacramêti præsentis. *Quintò*, Tempore Examinis Matutini proximè ante prandium, diverberabat sese, quam diverberationem vocabat disciplinam Balnei, in Sanguine, meritisque Christi Jesu, in Justitia Dei, & dolore proprio; Offerebatque eam, in restitutionem, & expiationem, si quid gloriæ divinæ, à se surreptum, omissum, destructum, imperfectum erat: in gratiarum actionem pro actionibus, & beneficiis diei: in impetrationem fervoris, & diligentiæ, in sequenti vita: in impetrationem ejus doni, quod illi volebat Deus: pro amotione omnis impedimenti ad gratiam Dei. Huic autem disciplinæ præmittebat hanc oratiunculam. *Si quid defraudavi, reddo: Si quid debeo, restituo: Si quid malum commisi, retracto: Si quid boni omisi, suppleo: Si quid corrupi, emendo: Si quid maculavi, emundo dulcissime IESV, in Balneo Sanguinis Tui, in Balneo Iustitiæ Dei, in Balneo doloris, & amoris mei.* *Sexto*, peractis vesperis faciebat disciplinam, sub nomine mercedis operariis, ob hanc causam, quia statim post surrectionem à somno, quolibet Mane, condu-

Disciplina 1. ante meditationem.

2. Post meditationem.

3. Ante Sacrum.

4. Post Sacrum.

5. Sub Examen Matutinum.

6. Post Vesperas.

conducebat JESUM, & MARIAM, petens ab eis ut operarentur in se, & aliis ad se spectantibus, gratias omnes, nominatim verò augmentum, constantiam, & efficaciam fervoris, dulcedinis, ac luminis. Constabat hæc disciplina plerumq; 366. ictibus. *Septimò*, flagellationem instituebat ante matutinum, quod pridie solitus erat recitare. *Octavò*, post finitum Matutinum, ad *Te DEUM laudamus*. *Nonò*, ante Cænam, pro Collegio, vel Provincia. *Decimò*, post examen vespertinum. *Vndecimò*, quiescente jam Collegio. *Duodecimò*, quiescente itidem Collegio, post examen censorium.

7. Ante matutinum pridie.
8. Post Matutinum.
9. Ante Cænam.
10. Post Examen.
11. & 12. quiescente Collegio.

Singulis præterea disciplinis adhibebat tot ictûs, quot sunt literæ in Nominibus JESU, MARIÆ, JOACHIM, ANNÆ, JOSEPHI, Patroni menstrui, in honorem eorundem specialem. Post quamlibet quoque Confessionem Sacramentalem acriter in se sæviebat. Singulas autem ejusmodi disciplinas in alia, atque alia corporis parte faciebat, ne dolorem obtunderet. Catenulam ferream tempore Sacri semper gestabat. Solebat præterea duabus virgis se castigare, & duobus pectinibus ferreis corpus radere, & hemisphærico globo, de quo supra, pungere. Singulis verò diverberationum, rasurarum, & puncturarum ictibus, varios amoris divini, indivinationis, intentionis, intermiscebat actûs, ita, ut ictus actibus, & actûs ictibus correspondêrent. Quàm autem acres erant harum diverberationũ ictûs, patuit tum ex toto corpore contuso, tum ex instrumentis sanguine oblitis, tum ex quibusdam imaginibus, præsertim Christi passi post mortem eius repertis, sanguine itidem abundè conspersis, quas tempore eiusmodi diverberationũ vel supponebat, vel corpori concusso applicabat.

Catenula ferrea tempore Sacri.

His omnibus addebat quotidie frequenter, manuum in crucem extensiones, oscula terræ, præsertim graduum communium, & similia voluntarii Martyrii inventa.

Mortificationes Menstruæ.

INprimis, qualibet die primâ Mensis faciebat disciplinam pro successu novi Mensis, tam in spiritu, quàm in Officiis: pro novo fervore, & in satisfactionẽ pro pœnis animarum Purgatorii. *Deinde*, qualibet die quintâ Mensis, pro successu Officii, gratiisque congruis in eo, & pro directione Salutari. *Qualibet* quoque diè decimâ Mensis, pro Societate, & Admodum Reverendo P. N. Generali, ejusque Assistentibus, itemque pro Provincia, & R. P. Provinciali. *Item* qualibet die decimâ quintâ Mensis, pro necessitate domûs, in qua manebat, & pro peccatis propriis expiandis fructu satisfactorio. *Præterea* qualibet die vigesimâ Mensis, pro amicis, & pro pœnitentibus suis, præsertim de Societate. *Insuper* qualibet die vigesimâ quintâ Mensis, pro Ecclesia, Imperio Christiano, Regno, & Rege. *Denique* die ultima Mensis, pro gratiis in mense transacto sibi collatis, pro impetranda venia peccatorum, eodem Mense commissorum, & pro expiatione eorundem, viâ satisfactionis. Hæ omnes disciplinæ constabant plurimis ictibus, quorum numerum aliàs adnotaverat, sed postea expunxit, idque solùm adnotatum reliquit; *Vt verò numeratio ictuum non careat suo fructu, neq; interiorem affectum impediat, qui alioqui sub doloris corporalis tempus utiliter haberetur, intendam semel pro semper, vocibus numeratoriis significare simul actûs Charitatis divinæ, itemq; actus omnis solitæ præscriptæque intentionis, item actûs intinctionis ictuum in Sanguine, & meritis Christi, & deniq; actûs progressionis, incrementiq; in millies, millies, milliesq; maiori proportione fervoris.*

Disciplinæ variis diebus Mensis usurpare solita.

Industriæ numerationis ictuum disciplinæ.

Ultra hæc omnia distributas habuit mortificationes, singulis Mensibus quodammodo appropriatas, non quòd eas aliis mensibus interdum non usurparet, sed quòd eas singulariter suis mensibus præ oculis haberet, & præcipuâ curâ exerceret. Et sic, *In Ianuario*, præcipue adhibebat mortificationem oculorum his modis. *1.* Nullam personam de facie intuebatur, præsertim alicuius conditionis, aut formæ comptioris, nisi merus id casus, aut necessitas ferret. *2.* In alieno cubiculo, si illud ingredi contingebat, nihil eorum quæ exposita erant, intuebatur, dispiciebatve. *3.* Ab adspiciendis novis, speciosis, splendidis, curiosis, in omni materia, abstinebat; ut sunt ædificia, imagines, pompæ personarum &c. quantùm sinebat urbanitas. *4.* Obvios quosque domi, ac foris, item parietes Domûs, Templi, plateas, frontispicia, Turres, non circumspiciebat, nisi necessitate deposcente, vel ob Officia communia. *5.* Ad mensuram sui, aciem oculorum fermè jaciebat, vix ultra, & non nisi ex necessitate, ac ratione; liberam circumvolutionem oculorum frenabat, in quibuscunque occursibus, concursibus, quod observabat etiam cùm solus esset. *6.* Positivè autem mortificabat oculos, captando oc-

Mortificatio oculorum, in Ianuario.

do occasiones respiciendi res nauseam provocantes, uti sunt ulcera, fimeta, sordes, tabidi homines.

Mortificatio auditûs, in Februario.

In Februario, mortificabat auditum, & aures, his modis. 1. Vellicabat aures suas, singulis diebus aliquoties, mane ad renovandam mortificationis hujus memoriam: Vesperi in pœnam defectuum, illo die per aures commissorum, expiandæque, & expellendæ delectationis per aures habitæ, causâ. 2. Delectationem ex colloquiis, & ex cantu, etiam in Templis vitabat, aut si uitare non poterat, negligebat, nec ad concinnitatem eius attendebat, consultò internæ operationi intentus. 3. Consulto (sine nota tamen) vitabat personas, quarum conversatione, vel lepore, posset recreari. 4. Ab audiendis rumusculis abstinebat. 5. Secretè, & secreta loquentibus, se non adjungebat.

Mortificatio totius corporis in Martio

In Martio, qui incidit in Quadragesimam, totum corpus, omniaque membra, & omnes sensus externos, constituebat objectum, subjectumque quotidianæ afflictationis, ut innuetur in mortificationibus quadragesimalibus infra ponendis.

Mortificatio tactûs, in Aprili.

In Aprili. Mortificabat sensum tactûs, his modis. 1. Pungebat se, & fricabat pectine ferreo, aut aciculâ aliquas corporis partes aliquoties de die. 2. Reclinari in parietem, in sellam, inter standum, aut sedendum, vitabat. 3. Duritiem Sellæ, lecti, indusii, genuflexionis sectabatur. 4. Neminem omnino hominum, aut brutorum, & nihil mollium quarumvis rerum attingebat, ne quidem amicitiæ, aut ludicri causâ. 5. Non solùm in alieno cubiculo, sed ne in proprio quidem, quidquam attingebat impertinens.

Mortificatio odoratûs in Majo.

In Majo. Mortificabat odoratum sic; Nullum florem decerpebat, aut odorabatur. 2. In cubiculo nihil odoriterum servabat, non florem, non pomum, non aromata. 3. Consulto odorabatur habentia odorem gravem, & ingratum. 4. In certis occasionibus osculabatur, & odorabatur graveolentia loca, ad vilificationem sui: Mira tamen (ut hac occasione innuam) fuit eius mundities: Nullus unquam in eius cubiculo nidor etiam cùm ægrotaret, immò nec tempore æstatis, quamvis clausæ manerent fenestræ, sentiebatur.

Mortificatio gustûs, in Junio.

In Iunio. Mortificabat gustum his modis. 1. Condimenta ferculis non addebat, sed prout oblata fuerunt, sumebat. 2. Ordinem ferculorum non permutabat. 3. Non ferebat judicium de qualitate ciborum, saporum, condimentorum, vinorum &c. 4. Inter comedendum, & bibendum inhibebat, & irritabat appetitum, impetumque eius, mora temporis frangebat. 5. Absynthio, vel alio tingebat linguam, vel labia ante cibum, citra notam. 6. Ante ferculi sumptionem attendebat, quam in partem ferebatur appetitus suo pondere, & hâc abstinendo, vel saltem differendo, illum eludebat.

Mortificatio Capitis, in Julio.

In Iulio. Mortificabat caput his modis. 1. Pruritum capitis sustinebat, nec facilis erat ad fricandum. 2. Capite, & fronte, terram mane, & vesperi feriebat ex humiliatione sui, & reverentia Majestatis Divinæ. 3. Pectine ferreo, vel acicula pungebat, & scalpebat caput. 4. Capillos capitis vellebat. 5. Dormiturus, in duro, & humili cervicali collocabat caput.

Mortificatio manuum in Augusto.

In Augusto. Mortificabat manus his modis. 1. Ungues digitorum profunde abradebat, doloris causâ, nunc hujus, nunc illius digiti. 2. Manus verberatione, aciculâ, pectine ferreo, catenulâ, expansione affligebat. 3. Cohibebat manũ à fricatione in pruritu. 4. Semper manus modeste compositas tenebat, & à faciendis inter loquendum gestibus, cohibebat.

Mortificatio pedum in Septembri.

In Septembri. Mortificabat pedes his modis. 1. Stabat frequentiùs, & diutius usque ad dolorem. 2. Scrupulos pedibus supponebat ambulaturus, per aliquod tempus. 3. Igne plantas adurebat. 4. In quovis situ, pedibus commoditatem subtrahebat, incommoditatem verò obtrudebat. 5. Verberatione, pectine, aliisq; modis pungebat pedes. 6. Insistebat interdum uni pedi, usque ad molestiam. 7. Sedebat suspenso altero, vel utroque pede. 8. Genuflexiones diu continuabat, & per aliquod decades repetebat, adjectis aliquibus actibus: e. g. adorationis æternæ Sapientiæ, & similibus.

Mortificatio pectoris & laterum in Octobri.

In Octobri. Adhibebat mortificationem pectoris, ventris, & laterum, his modis. 1. Pectine ferreo sulcabat, & radebat dictas corporis partes. 2. In forma Crucis pronus orabat, ad dolorem usque, (discretum tamen) pectoris. 3. Flagello, vel virga affligebat. 4. Latera igne adurebat aliquantulùm. 5. Tundebat frequenter pectus, cũ compunctione animi.

Mortificatio linguæ, in Novembri.

In Novembri. Linguâ mortificabat his modis. 1. Premebat, & admordebat eam dentibus. 2. Aciculâ pungebat, & pectine ferreo radebat. 3. Lingebat eâ terram, laterem, vel aliam quampiam rem asperam. 4. Illinebat, atque imbuebat eam amaris, vel acetosis succis, aloë &c.

5. Cali-

5. Calidis, & ferventibus cibis eam adurebat.

Mortificatio vocis, in Decembri.

In Decembri. Specialiter mortificabat vocem, his modis. 1. Raró loquebatur, parcé, non diu, non multis, & puré necessaria. 2. Submissè loquebatur, & elationem vocis, cachinnationes, & risûs vitabat. 3. Abstinebat à cantillatione, quæ esset cujuscunque delectationis, etiā honestæ, & piæ causâ. 4. Utebatur vocibus, juxta usum loquendi simplicem. 5. Fractiones vocis, & verborum, vitabat, non utendo diminutivis, superlativis, hyperbolicis loquendi modis.

Tempus porrò harum mortificationum, in memoriam revocandarum, habebat post meditationem matutinam.

Mortificationes Annuæ, & aliæ extraordinariæ.

Disciplina, & pectinatio annua.

1. IN fine Anni faciebat disciplinam 365. ictuum, juxta numerum dierum Anni, rasuram quoque, seu pectinationem 225. puncturarum, juxta numerum membrorum hominis, quæ notabiliora totidem esse censentur. Insuper aliquanto tempore cilicium tunc gestabat.

Mortificatio tempore Bacchanalium.

2. Triduo Bacchanalium, qualibet nocte adhibebat flagellationem corporis quinquepartitam, pro numero quinque vulnerum Christi, quamlibet continentem ictûs 50. quos intinctos in Christi vulneribus, Sanguine, offerebat Sanctissimæ Trinitati, ad satisfaciendum pro peccatis bacchanalisantium: ad placandam illis iram DEI, & ad impetrandam veniam. Post singulas autem quinquagenas, utebatur hac obtestatione ad JESUM Christum.

Oratio pro peccantibus.

Dulcissime, ac mansuetissime IESU, Redemptor, & amator animarum: Te ego, per dolores, & dignationes hujus vulneris Tui, obtestor, ut ignoscas peccantibus, atq; Sanguinem Tuum pretiosum, nunc præsertim conculcantibus. Nesciunt Domine quid faciunt. Ne proiicias eos à facie Tua, Spiritumq; pœnitentiæ ne auferas ab eis, ut cognoscant, & doleant, quia Tibi soli peccaverunt, & malum coram Te fecerunt.

Eodem tempore in honorem 7. dolorum Pretiosissimæ Parentis, & in honorē doloris illius specialis, quem habuit in hac vita, videns tam indignis peccatis, modisque, filium suum, DEUM, ab hominibus tractari, bis 7. validos ictûs in sensibiliore corporis parte infligebat, postulans à Pretiosissima Parente, tanquam unico peccatorum refugio, ut suscipere patrocinium peccantium, eosque ad pœnitentiam deducere, dignetur. Sub idem etiam tempus, duritiem lecti, & brevitatem somni sectabatur, gustum quoque specialiter affligebat.

Mortificationes Quadragesimales.

3. Singulis Quadragesimæ diebus, semel mane, & iterum vespere afflictiones omnium sensuum, & membrorum instituebat, collectim sumptas; quæ alias distributæ per singulos menses erant.

Disciplina tripartita, die Parasceves.

4. Die Parasceves, mane faciebat tripartitam flagellationem. *Una pars* erat in honorem cultumque, & participationem dolorum, per decem circiter horas diurnas, à Christo Domino toleratorum, & unicuique horæ respondebant 10. ictûs: atq; ita hæc pars disciplinæ cōstabat ictibus 100. quam concludebat Oratione, *Anima Christi &c.*

Altera pars cedebat in honorem, & participationem dolorum Pretiosissimæ Parentis, Christo Domino per 10. illas horas condolenti, & unicuique horæ respondebant ictûs 5. atque ita hæc pars disciplinæ constabat ictibus 50. quam concludebat illis verbis; *Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo validè. Tui nati vulnerati, tam dignati pro me pati, pœnas mecum divide. Fac me plagis vulnerari, Cruce hac inebriari, ob amorem Filij.*

Tertia pars redundabat in honorē Sanctorum, doloribus Christi, & Matris ejus, unicè addictorum, & hæc continebat ictûs 18. juxta numerum Sanctorum delectorum, quam concludebat tali Oratione, *Imprimite ô Sancti, cordi meo, amarissimæ IESU Christi, & Pretiosissimæ Matris, passionis memoriam, ut eam præ oculis, die, noctuque semper habeam, eamq; participando efficaciter sentiam, & exprimam ob amorem Domini mei IESU Christi, ejusq; Pretiosissimæ Parentis, & vestrum omnium. Amen.* Addebat præterea diverberationem 64. ictuum in memoriam dolorum omnium Pretiosissimæ Parentis quos illa totidem horis sustinuit, incipiendo ferè à valedictione, ad Resurrectionem Christi.

Eodem die, vesperi faciebat tripartitam disciplinam, in honorem, cultum, & participationem dolorum Christi Domini, & Pretiosissimæ Parentis, per 8. horas nocturnas. *Prima pars* disciplinæ continebat ictûs 64. *Altera,* ictûs habebat 32, *Tertia,* continebat ictûs 18. vel plures pro numero Sanctorum delectorum. Singularum autem partium hæ erant Conclusiones, quæ in priori disciplina.

Mortificationes diebus Rogationum.

5. Diebus Rogationum, ipsoque Ascēsionis Dominicæ die, ad ornandas Domini JESU in cælum abeuntis, corporis partes,

partes, animæq; potentias, quæ ſunt numero 225. in corpore, totidemque ſupponendæ in anima. Et in honorem omnium vulnerum corporis eius, quæ numerãtur fuiſſe 5466. inſtituebat diſciplinas 12. quæ cum pectinibus, continebant ictûs huic numero reſpondentes, præter alias ordinarias mortificationes.

Mortificationes diebus Adventûs.

6. Tempore Adventûs, Singulis diebus, ante & poſt Sacrum, infligebat corpori 276. ictûs cum totidem actibus, in honorem dierum, quibus Chriſtus Dominus in utero Virginis manſit: in gratulationem quoque donorum, quæ Virgo Mater per eos dies, ex opere operato obtinuit, pro guſtu, fructu, affectu Incarnationis. Eodem tempore, Orationes, nudis genibus flectens, peragebat, lecti quoque duritiem ſectabatur: gratus enim Deo lectus eſt, anima duro lecto corpus tractans. Ab Anno 1624. eodem Adventûs temporé, alternis, & interdum ſingulis noctibus, humi cubabat, ad mediam noctem, & ultra, mediâ nimirum nocte expectans Dominum ſuum.

Diſciplina die fidelium defunctorum.

7. Die fidelium defunctorum, pro animabus Purgatorii adhibebat diſciplinas triginta três, quarum ſingulæ, ad minimũ conſtabant totidem ictibus, & ſic tota diverberatio continebat numerum ictuũ 1719. Tanto animo conabatur adjuvare animas, animoſus Chriſti ſervus.

8. Ad ordinarias mortificationes & illud referri debet, quod ab ordinariis, poſt menſam recreationibus abſtinere ſolitus fuerit, petitâ ad id, & impetratâ ab Admodum Reverendo Patre Noſtro, piæ memoriæ, Mutio Vitteleſcho, & Goſwino Nickel, facultate. Et quòd pro impetranda eliberatione à regimine, frequenter ſeſe flagellaverit; flagellis ipſis, ſervum ſe non ſuperiorem in Religione debere eſſe, coram Deo proteſtatus.

Diſciplina ante Conciones.

9. Ad extraordinarias autem corporis diverberationes id ſpectat; quòd poſt quamlibet Concionem, flagellatione ſeipſum mulctaverit, incutiens ſibimet timorem Dei, ſi fortè illum Auditoribus non injeciſſet. Deinde quòd ſi quando cum ſexu muliebri colloqui (quod perrarum erat) contigiſſet, acutiſſimâ acu corpus ſuum pungere, adeoque ſervatæ pudicitiæ, novos addere ſtimulos, ſolitus fuerit.

Mortificatio in colloquio mulierum.

Mortificatio in itinere.

10. A tanto in mortificatione corporis profectu, nec itinera eum retardabant: dũ enim flagellat iones adhibere nõ poterat, vellicationes, raſuraſque, puncturas, & pectinationes uſurpabat. Inviſens Illuſtriſſimam Fundatricem Oſtrogienſem, in anguſta licet manſione, reperit tamen locum, in quo divexaret corpus flagello Scythico, quod poſt diſceſſum eius reperit quidam Pater, eique illud expoſcenti, remiſit.

Mortificatio in ipſis morbis

11. Quodque magis mirum, etiam in infirmitatibus corporis, hoc in negotio mortificationis validus erat; adverti ego eum ad initium extremi morbi, virgarum diſciplinâ uſum. Dicere quoque ſolebat, nõ obfuturum valetudini, ſi aliquis morbo preſſus, ter, vel quinquies vellicet utrumque pedem, in honorem Sacroſanctæ Trinitatis, vel quinq; Chriſti vulnerum, aut ſimile quid in morbo, vividâ mente faciat.

Ceſſatio à flagellis in Paſchate.

12. Cæterùm tamen in Paſchate, perque totam eius Octavam, ſuadebat, ſuperſedendum eſſe à diverberatione ſuiipſius, geſtationeque Cilicii, tum propter ſolennitatem lætiſſimi temporis illius, tum ut poſtmodùm poſt interrupta flagella, acrior dolor ſentiatur.

Non omittendum denique eſt remedium quoddam, quo in perſanando corpore proprio uſus eſt. Comparuerat in latere eius ſiniſtro, ulcus quoddam, non leviter periculoſum: jam enim uſum ſiniſtræ manûs, quâ ordinarie in ſeſe diverberando utebatur, ademerat. Detexit illud P. Gaſpar Præfecto infirmorum, emplaſtrumque, vel ſimile quidpiam expetiit: Sed oblitus ille, remedium diſtulit. tum Pater Gaſpar inſtinctu, ut credibile eſt, divino, virgam arripit, dextraque manu, ulcus flagellat. Res mira! ad primam flagellationem ulcus detumuit, ad repetitas autem diverberationes, prorſus perſanatum eſt, non vulgari mortificationis medicamento.

Sanatum flagellatione ulcus.

CAPVT X.

Mortificatio interior Patris Gaſparis.

QUod corpus eſt ſine anima, hoc mortificatio exterior, ſine interiori: quamvis enim mortificato corpore, animus reddatur ad vitia infirmior, coram optimo tamen ſpirituum põderatore Deo, Spiritualis mortificatio primum tenet locum. Siquidem ille cor contritum, & humiliatum, id eſt, mortificatum animum, nunquam deſpicit, qui tamen Phariſaicas corporis mortifiaationes non adſpexit. Satis, ſuperque perſpecta

ſpecta hæc veritas Patri Gaſpari fuit, cui non minùs curæ erat, atterere corpus, atque conterere cor. Atque inprimis providit illi Deus, permiſſu ſuo, occaſionem eiuſmodi interioris mortificationis, dum linguas, & calamos quorundam in eum exacui permiſit, linguas inquam hominũ, quibus plerumque Sanctitatem ſervorum ſuorum alit, & nutrit Deus, & quibus ipſe Unigenitus ejus eſt nutritus. Antequam autem id ei linguarum nutrimentũ ſubminiſtravit, priùs appetitum illius tali diſpoſuit viſione. Die quodam erat Pater Gaſpar ad Aras, dumque cogitaret, quonam pacto ipſemet Numini victima fieri poſſet, converſus ad populum, vidit Templum, linguis, cõplures formas præſeferentibus, oppletum: quædam enim haſtarum inſtar, & miſſilium erant: aliæ ſagittas, gladios, pugiones aliæ, nonnullæ ſerpentũm ſpicula imitabantur, loquẽtem ſibi his linguis Deum, intellexit illicò, ſeque linguarum victimam, Deo ad aram obtulit. expertusque eſt poſtmodum identidem, præſertim in Provincialis, & Rectoris officio, eiuſmodi humanarum linguarum tela, quibus tamen nec verbo, nec calamo reſtitit unquam, loquentẽ ſibi ad cor, per eas linguas agnoſcens Deum. Reperi inter intima ejus ſcripta, pagellas duas, in quarum altera, *Proventus Provincialatûs*, in altera *Proventus Rectoratûs*, ex linguis hominum, ab eo notati, atque merè in ærarium Dei refuſi erant.

Linguis aliorũ Sanctitas alitur.

Viſio linguarum in Sacro

Proventus gubernationis.

Verùm hæc extrinſecùs advenientia, internæ afflictionis experimenta, exigua videbantur, animo ad majora, Dei elevantis ope, erecto. Decrevit igitur ipſe ſibi, ſpirituales quaſdam, ut appellabat diſciplinas, ſeu flagella (vocabulum etiam ipſius eſt) cordis; quæ ſæpiùs quidem in die, præcipuè tamen ante Sacrum, temporeque examinum, ſubibat. Ictûs, ſeu potiùs actûs flagellorum ejuſmodi, hi erant. 1. *Depreſſio ſuiipſius infra abyſſos, infra ipſum nihili centrum.* 2. *Exprobratio ſibi defectuum.* 3. *Contritio acuta de omnibus.* 4. *Diſfidentia de viribus propriis, & omnis creaturæ.* 5. *Sacrificatio ſui totius, præcipuè autem honoris, & amoris, in guſtum, honorem, & amorem DEI, ſuper Aram linguarum, cenſurarum.* 6. *Timor mortis, Iudicii, inferni, confuſionis coram Deo, Angelis, Sanctis & creaturis, in hora Iudicii particularis, & univerſalis.* 7. *Redditio rationis DEO, ut præſenti & ponenti rationem cum villico iniquitatis diffamato, cum ſervo nequam, defoſſore talenti.* 8. *Exſpoliatio cordis ab omni ſpe, & uſu omnium creaturarum, etiam ſuiipſius, à deſiderio omnis boni creati, & redactio ad eum ſtatum nuditatis, in anima, & corpore, quem habuit homo in creatione.* 9. *Odium faſtidiumque ſolatiorum huius vitæ ſenſualium, naturalium, propriorum.* 10. *Balneatio animæ in occultis judiciis ejus, in Chriſti Sãguine, & doloribus, in miſericordiis divinis, in amore Dei, & dolore de peccatis, propter Deum.* 11. *Confeſſio peccatorum, defectuumque omnium, tam moralium, quàm Phyſicorum, coram Deo, Cælitibus, Creaturis.* 12. *Vilificatio ſui, & annihilatio coram Deo.* 13. *Affectus ille publicani, non audentis oculos in Cælum levare, ſed à longè pectus ſuum tundentis. Affectus item filii prodigi. Affectus Magdalenæ, à retro ſtantis, & pedes Chriſti rigantis.* 14. *Inſultatio, irriſioq; ironica, & Sarcaſtica ſuiipſius, ex obiectis, complacentiam vanam movere ſolitis, aut aptis.* 15. *Planctus univerſalis omnium potentiarum tam in propria, quàm in omnium, etiam damnatorum inſtitutus Perſona.*

Diſciplinæ Spirituales.

Inſtruxerat præterea contra ſe, vel potiùs pro ſe duodenam mortificationum internarum aciem, eamque per duodecim totius Anni menſes, diſpoſuerat; optime arbitratus, internos animi hoſtes faciliùs ſuperari poſſe, ſi duellari prælio cum illis concertetur, quàm ſi turmatim omnes impetantur.

Mortificatio æſtimationis ſuiipſius.

In Ianuario itaque, vincere nitebatur æſtimationem ſuiipſius, his modis. 1. Crebro in diem exuebat ſe coram Deo, totâ honoris, & famæ curâ, abdicabatque à ſe jus omne ad illam procurandam, & tradebat illud omni Creaturæ, verbis illis Sancti Auguſtini. *Senti de Auguſtino quidquid libet &c.* 2. Intentus ad id erat, ne quiſquam aliquid in laudem eius vel ille ipſe in laudem propriam diceret. 3. Non cupiebat ſcire, vel audire de ſe, ſuiſque rebus, talentis, geſtis, judicia, ſenſûs ſpecioſos, & amplos. 4. Petebat à Deo, (ſi ita ei placeret) humilem, atque infimum inter omnes gradum, abjectamque omnium de ſe opinionem, & ad Externos etiã evulgationem. 5. Speciali reflexione diſpiciebat occaſiones vilificandi ſe, in oculis aliorum, absque cenſura vanitatis, & vitio affectationis. 6. Si quid æſtimationi propriæ contrarium acciderat, de eo, coram infante Verbo, pro nobis facto contemptibili, gaudebat & triumphabat.

Mortificatio libertatis propriæ.

In Februario, Subdere ſpecialiter adlaborabat libertatem voluntatis propriæ, & independentiam in agendo, his modis. 1. In rebus voluntati, atque libertati propriæ commiſſis, hoc potiùs agebat, quod aliis videbatur, quàm quod ſibi, quodque repugnabat inclinationi ſuæ, quàm quod arridebat. 2. Amabat alienum ju-

dicium,

dicium, & sensum, præsertim Superiorũ, quorum directioni instar pueri rudis, Senisve baculi, aut peregrini ignorantis, in simplicitate acquiescebat. 3. Declinabat ab illa benevolentia, quâ propriæ voluntati, & arbitrio permitteretur agere, quod vellet, esse ubi vellet &c. perindeque hoc censebat, atque si à Deo, & providétiæ eius regimine exclusus esset, ac in sensum reprobum datus, & in desiderium passionum, inque infrunitum, & irreverentem animum traditus. 4. Libertatem suam sibi relictam, similem putabat hederæ, aut viti non alligatæ palo: item membro luxato, & extra sedem suam nativam constituto. 5. Providentiam Divinam, in omni eventu, ordinatione, serie venerabatur, eandemque dulciter expendebat in quotidianis rebus, etiam minimis & eá dulcedine pascebatur. 6. Curabat omnia, tam imperata, quã spontanea peragere, amplectendo spontaneá voluntate imperium.

Mortificatio amoris proprii.

In Martio. Amorem proprium abnegare curabat, his modis. 1. Peculiariter attendebat, ne uteretur, cum sensu, & respectu ad se, illis vocibus: *Ego, meum, me &c.* 2. Exercebat se in odio sui, & increpatione, atque maledictione, ac exprobratione nequitiæ, & miseriæ propriæ. 3. Nullam rem, nullum opus, nullum successum sibi adscribebat, sive voce, sive mente, nec cupiebat sibi adscribi ab ullo. 4. Nulli rei, officio, loco, personæ, cõmoditati affici curabat. Et identidem omnia prædicta percurrens, reflectebat se, an aliquid ex his habere vellet, aut aliquid adimi nollet. 5. Nihil boni sibi deberi, si autem aliquid boni sibi præstabatur, id ex mera commiseratione præstari sentiebat. 6. In nulla re defensionem sui, aut ultionem quærebat, & si aliquando quæsivit, ejurabat. 7. Gaudebat, dum cuipiam, id quod suum erat, adscribebatur: idque silentio premebat, & alteri congratulabatur.

Mortificatio amoris interni Creaturarum.

In Aprili, mortificabat amorem internũ Creaturarum, his modis. 1. Severè dispiciebat, ne aliquam Creaturam haberet, non tantùm pro fine ultimo, sed etiã pro motivo aliquo impulsivo, ad quidvis agendum. 2. In actionibus omnibus, præ oculis habere curabat, non id quo appetitus impetuosè ferebatur, aut à quo abhorrebat, sed quod spiritui, rationi, & profectui suo competens erat. 3. Non plùs quamlibet rem appretiabat, quàm quantùm eam Deus appretiat, & Natura cujusque exigit. 4. Certis temporibus, omnem affectum, etiam licitum, abstrahebat ab omni re creata, eumque toto impetu, totaliter, una secum, ad Deum convertebat. 5. Utebatur certis temporibus, exspoliatione sui ab omnium rerum non amore tantùm, sed etiam usu, & cura, & possessione, eo modo, quo id facturus erat in articulo mortis

Mortificatio amoris sensualis.

In Majo, speciali curâ incumbebat in mortificationem amoris in se sensualis, his modis. 1. crebrò in se renovabat odium, nauseam, & contemptum omnium sensuum, & sensualium illis verbis; *Hei mihi, quia incolatus meus &c. Quis me liberabit de corpore mortis hujus.* 2. Excitabat in se tædium patiens, & modestum, indigentiarũ corporalium, & sensualium, nempe cibi, potus, vestitus, calefactionis, venti, ablutionis, variationis situs, & similium. 3. Ingerebat sibi singulis diebus aliquoties, sensualem molestiam, incommoda irrogando, & commoda derogando. 4. Curabat esse hostis omnium mollium, delectantiumque sensus internos & externos, quin & naturales commoditates, salvâ valetudine, aut fugiebat, aut differebat, aut supernaturales faciebat. 5. Omnia metiebatur purâ necessitate, eâque arctâ, & durâ, 6. Alternis diebus in hebdomada, inquirebat in ea objecta, atque occasiones, in quibus impotentiùs sensibus abstrahebatur, dominiumque sui in talibus proponebat, & decernebat.

Mortificatio amoris sanitatis.

In Iunio, attenuabat in se amorem sanitatis, his modis, 1. Scrupulosas, & superstitiosas observationes in valetudine conservanda, lecto, vestitu, cibo, devitabat; nec de eis loquebatur. 2. Laboribus, & defatigationibus libenter se impendebat, ut Confessionibus, Concionibus. Vigiliis, & similibus, etiam cum aliquo, non tamen notabili detrimento sanitatis. 3. Appetitum vivendi, ipsamque vitam offerebat Deo, Christo, animarumque saluti, frequenter. 4. Illud commune dictamen; Nocet valetudini: lædam valetudinem: frangamve intempestivè, explodebat, ablegabatque à se, illo opposito S. Pauli; Ego non solùm alligari, lassari, frangi, sed & mori paratus sum. Et illo, vis servire Christo, usque ad defatigationem? Et illo; Nunquid meus sum? nunquid vires meæ, valetudo mea, vita mea, est mea; & non Domini? nunquid servus, mancipium, jumentum sibi vivit, & non Domino? majoremné mihi debet servitutem Creatura, quam ego Creatori? & illa tamen servit mihi perditione sui. 5. Desiberabat dissolvi, &

 esse

esse cum Christo.

Mortificatio intellectûs proprii.

In Iulio, mortificabat interiùs curiositatem intellectûs proprii, his modis. 1. Omnem non necessariam, & non necessariorum sciendi cupiditatem frenabat. 2. Rumores omnes nec scire, nec narrare cupiebat, multò minùs scribere, præsertim bellorum, aut alios peregrinos, nisi urgens necessitas suasisset. 3. Opiniones in omni materia, communes sequebatur, novitatibusque nisi valdè probatis non inhærebat. 4. Libros curiosos vitabat. 5. Dum res fidei, revelationes, & mysteria recogitabat, faciebat id non curiositatis gratiâ, sed ex reverentia, & ob devotionem, atque practicationem. 6. Ostentationem ingenii in acumine, perspicacia, claritate, subtilitate, discursu, celeritate, vitabat: quodsi quid ejusmodi prodendum erat, Dei, & proximi causâ, modestè, & neglectim, elevando id, faciebat.

Mortificatio cogitativæ facultatis.

In Augusto, Subigere studebat intellectûs cogitativam facultatem his modis. 1. Curabat (quod etiam diebus omnibus in usu illi fuit) primitias cogitationum, de Deo habere, nec eas sinebat à diabolo, vel natura, vel otiositate, impetuve, præripi. 2. Cogitationibus directis, reflexas adjungebat, non sinebatque esse indifferentes, vel ordinis merè naturalis; sed curabat eas ad finem supernaturalem ordinare. 3. Imaginativam facultatē dominio reflexionis subjiciebat. 4. Brutalitatem sensitivæ partis, fine supernaturali, & ratione dirigebat, præsentiâq; Dei frenabat. 5. Conabatur semper aliquid volvere in mente, præviâ deliberatione. 6. Curabat cuilibet operi, & tempori, assignatas habere regulas, & observationes.

Mortificatio judicii proprii.

In Septembri, intentus erat mortificationi Iudicii proprii, his modis. 1. Curabat habere judicium flexibile, non tantū ad judicium Superiorum, sed etiam cujuscunque alterius. 2. Etsi evidens aliquando erat, sensum illius esse bonum, cedebat nihilominùs de suo sensu. 3. Nūquam contentiosius agebat pro suo sensu, ac judicio, immò etiam à rationibus inculcandis abstinebat. 4. Facilè, immò libenter patiebatur, si quis discedens à judicio eius alium consuleret, & sequeretur: nec, dum iterum in aliqua rè judicium eius poscebat, eum repellebat. 5. Non utebatur illis verbis; Cogitabam hoc ego. Ego ita judicavi, & suasi. Pridem ego hoc cogito. Oportet etiam aliquando hominibus (id est mihi) credere. 6. Virtutem diffidentiæ familiarem sibi reddebat.

Mortificatio judicii de rebus alienis.

In Octobri, mortificare conabatur judicium de rebus alienis, his modis. 1. Occasiones vitabat cognoscendi alienos mores, facta, talenta, dum id sibi non incumbebat, præterquàm in bonum, & laudem proximi. 2. Sermonem de alienis rebus, nec inferebat, nec excipiebat, sed dextrè interrumpebat, aliumque intrudebat. 3. Vitabat suspiciositates, & umbrositates omnes. 4. Impetum mentis prurientis aliena judicare, etiam sub specie zeli, refrenabat, his, & similibus dictaminibus; Quid ad te? Tu me sequere. Tu quis es? qui judicas alienum servum? Quis tibi clavem cordium dedit? Nunquid libri conscientiarum jam tibi aperti sunt? si absque peccato es, primus in eū lapidem mittas. 5. Dum ex officio mores, facta, & talenta aliorum cognoscebat, charitatem, misericordiam, & compassionem adjungebat, mansuetudinemque præmittebat. 6. Cavebat determinatum ferre judicium, aut concludere, suspendebatque judicium, donec res in liquido esset. 7. Si quando apertè malū aliquid erat, & ex officio culpandum, differre tātisper reprehensionem curabat.

Mortificatio appetitûs irascibilis.

In Novembri, cohibeat specialiter appetitum irascibilem, his modis. 1. Impatientiam, amaritudinem, & omnes choleræ impetûs reprimebat. 2. Odiū, & omnes vindictæ modos vitabat. 3. Audaciæ modum statuebat, nihilque supra vires tentabat, nihil præcipitanter aggrediebatur. 4. Nihil præter Deum, & ab ejus gratia lapsum, timebat. 5. Contra terriculamenta nocturna animum obfirmabat, & assuefaciebat. 6. Tristitiâ, melancholiamque omnem fugiebat. 7. Omnes fiduciæ nidulos, speique in se, & in hominibus, in corde suo disturbabat, tantumque conabatur desperare de se, quantùm sperare de Deo. 8. Æqualis tam in prosperis, quàm in adversis esse curabat.

Mortificatio appetitûs concupiscentiæ.

In Decembri, mortificabat in se appetitū concupiscibilem, & puram Naturam, his modis. 1. Nullâ re utebatur non tantùm, tanquàm propriâ, sed etiam tanquam aliquo modo ad se spectante. 2. Actionum suarum dominium, liberumque exercitium subdebat dominio Sanctissimæ Trinitatis, atque Infantis Verbi possessioni. 3. Impetûs, & æstûs desideriorum inhibebat, & morâ dilationeque temperabat. 4. Ab occupatione, transferre se curabat quietum. 5. Puræ naturæ actûs, & commoda, quatenus puræ naturæ sunt, præverte-

vertebat, & fine sublimi intento supernaturalisabat. 6. Incommoda, molestiasque naturæ, non removebat nisi prævio aliquo rationis ductu, commoda quoque naturæ, & exigentias non explebat nisi etiam ratione præviâ.

CAPVT XI.

Humilitas Patris Gasparis.

INter sequelas divinæ Sapientiæ, simulque misericordiæ, vix ulla connaturalior est eâ, quam humilitas, ex DEI donis, præsertim gratum facientibus, & vice versâ, per quam DEI dona gratum facientia, ex humilitate inferuntur: super quē enim requiescet Spiritus Domini, nisi super humilem? & quò fluenta cælestia devolvuntur connaturaliùs, quàm ad vallem demissi cordis? Quia igitur ostensū jam est supra, quantis donis divina beneficentia Patrem Gasparem cumulaverit, subinferri poterat, eum fuisse tantorum capacem donorū, hoc est humilem: operæ tamen pretium erit, humilitatem ejus hoc loco luculentiùs exponere.

Humilitas, donorum Dei locus natibus.

Cùm autem spiritus humilitatis non sit nisi à Spiritu DEI, donatum sibi hunc Spiritum ille ipse fatetur in libello suarum illustrationum, tali modo. In Septembri Anni 1622. dedit mihi DEUS magnum Humilitatis Spiritum, & humiliationis mei desiderium: quâ in re tam graves animi, seu voluntatis meæ sensi pugnas, intellectui à DEO illuminato, in hac, re pertinaciter repugnantes, adeò, ut aliquando coactus fuerim proposita humiliationis juramento firmare. Sed hæc durities in me mollita sensim fuisse visa est, cum divina gratia.

Juramenta humiliationis

Quàm verò vehemens, & efficax fuerit iste spiritus, patet ex resolutionibus, quas operatus est in animo Patris Gasparis: Inprimis enim id in illo effecit, ut sacrificaret DEO famam, & honorem proprium, de quo ille ita ait. 21. Novēbris, anni 1632. Per manûs Pretiosissimæ Parentis, in Sacrificium obtuli Sanctissimæ Trinitati, omnem famam, & honorem meum, tradendo illum totum DEO, & omni Creaturæ propter DEUM. Obtulit autem per modum voti nuncupati, in præsentia cujusdam Superioris, cujus nomen in formula, quæ sequitur, reticuit.

Votum abdicationis famæ propriæ.

Ego NN. Sanctissimæ, & æternùm omnipossibiliter adorandæ Trinitati, coram SS. DEI Parente, S. Angelo Custode, S. Patre Ignatio, & totâ Cælesti curiâ, & Te Reverende Pater, omnia Professionis meæ vota plenissime & omnimode innovo, & de novo facio. Insuper ad majorem divini nominis gloriam, propter ejus solius, voluntatem explendam, procul omnis solatii, meriti, & præmii temporalis, vel æterni desiderii, propriæ famæ, & omni existimationi renuntio: eamq; in solidum divinæ dispositioni resigno: Voluntatem quoq; meam Sanctissimæ divinæ voluntati, in æternum mancipium trado, devoveo, inscribo, & in amplissimum ejus obsequium omnes animæ potentias, omnes corporis vires, omnes Sanguinis guttas, omnes mei, omniumque Creaturarum atomos, omnipossibili resignandi, inscribendi, tradendi modo, resigno, inscribo, trado, & peculiariter me ad fidei mysteria, gloriam SS. Trinitatis, VERBI Incarnati, Parentis DEI Pretiosissimæ concernentia, pro viribus, quâ sermone, quâ stylo, privatim, & (si per obedientiam licuerit) etiam publice tuendâ, singulari voto obstringo: Summi loco beneficii habitaturus, si in hoc obsequium non solùm quoscunq; labores, sine omni prorsus solatio, sed etiam famam, & Sanguinem impendere potuero, Cujus resolutionis, quo eâ, ut liberè, & de certa animi sententia, concepta est, ita fixa, immobilis, irrevocabilis, in omnem æternitatem permaneat: Te Reverende Pater, quem mihi divinæ voluntatis interpretem, cælitus datum intelligo, & magno meo bono jam pridem experior, Te, inquam, testem adlego, adq; Tuos pedes, hujus resolutionis chyrographum, manupropriâ exaratum, & proprio ore expressum instrumentum, promptissimâ voluntate depono, brevi illud ipsum pretiosissimo corpore, & Sanguine Domini IESV Christi, semel pro semper, æternâ, & irrevocabili voluntate obsignaturus. Deniq; perversitatis, mutabilitatis, & nihili mei, probè mihi conscius, & viribus meis omninò diffisus, ab immensa SS. Trinitatis bonitate, & misericordia, peto suppliciter, ut quemadmodum ad hoc debitæ pridem religionis exercitium offerendum, largita est, ita quoq; per merita, & Sanguinem Domini nostri IESV Christi, perque orationes Sanctissimæ Dei Parentis, S. Patris Ignatii, S. Angeli custodis, & omnium Sanctorum, ad hoc explendum, gratiam uberem largiatur, Amen.

Votum impendendi vitam pro DEO.

Persuasit & hoc Spiritus Humilitatis Patri Gasparis ut se Societati JESU offerret in Mancipium ac jumentum, eamque oblationem, factâ coram DEO protestatione, oretenus, & scripto roboraret. Protestatio autem est talis.

Traditio sui in Mancipium Societatis.

DEVS dignissime, cujus omnia sunt, quæ creata sunt, & qui omnibus Creaturis justissimè dominaris, agnosco Te Dominum absolutum meum, meq; mancipium Tuum esse; agnosco item coram Te, propter Te, esse mancipium Domini quoque mei IESV Christi, DEI-hominis, similiterq; ejus Pretiosissimæ Parentis, MARIÆ Virginis: complaceo mihi in hoc Mancipii, ac jumenti, apud Te DEVM meum, statu, nec ullatenus ab eo liberari

 vellem,

vellem, etiamsi per impossibile possem. Cæterùm propter Te Domine DEVS meus, & propter dignissimam IESV Christi Humanitatem, propterq; Pretiosissimam Parentem MARIAM, Societati quoque IESV, Matri, seu veriùs Dominæ meæ, in Tuo, & IESV Christi, & Pretiosissimæ Parentis conspectu, me hodie in perpetuum servum, mancipium, ac jumentum offero, dono, dedico, & quavis meliori ratione mancipo, atq; consigno; ut Societas Domina mea, me tanquam servo suo uti, tanquam mancipium possidere, tanquam jumentum tractare possit. Ego autem hoc jure, & nullo alio, in eadem Sancta Societate vivere, & mori paratus sum, atque ex animo cupio. Posside igitur jam, ac utaris me, omnibusq; meis viribus, & actibus, quocunque modo placitum est Tibi, ô Sancta Societas, Domina mea, applica me ad quæcunq; officia, laboresq; Tibi Dominæ meæ visum fuerit; Tuum erit ô Sancta Societas imperare mihi omnia abjectissima, & vilissima: meum erit obtemperare, absq; mora, murmure, angustia, excusatione, differentiâ, & alligatione ad tempus, locum, Socium, modum, Superiorem. Nolo rationem haberi mei in ulla re, ob ullum officium, aut conditionem ætatis, nolo ulli præponi, aut præfici, quantum in me est. Quodsi me præfici, & Dei voluntas, & Tu Domina mea volueris, obediam quidem, sed ut mancipium Fratrum meorum me gerere volo. Nolo pro laboribus ullis meis, ullam mercedem, gratitudinem, laudem, memoriam, à Te, Tuisq; ostendi, sed omnia mea tanquam servi, & Mancipii opera sepeliri, & contemni. Licebit Tibi post præstitos à me labores, viresq; & annos exhaustos (si tamen in Te, propter Te, laborare dignus unquam fui, sum, ero,) procul à convictu, & Consortio filiorum Tuorum arcere, sordibus solis everrendis, egerendisque, aut pecudibus curandis deputare. Licebit Tibi, me morbo afflictum, vel morti vicinum, omni solatio corporali destituere, & tanquam canis veterarii ulcus, non curare. Licebit Tibi meum cadaver, sepulturâ asinorum, & bestiarum, vel inhumatum abjicere, vel in sterquilinio sepeliri jubere. Nolo à Te ô Domina mea Societas, vel à Tuis Filiis, aliquam mei unquam curam haberi: quidquid autem præstiteris mihi beneficii, id totum ex pura, & mera Tua super me mancipium Tuum miseratione, mihi impensum credere, & fateri volo. Hoc pactum inter me, & Te, ô Sancta Societas, sit fixum, & ratum; digneris illud hodie à me suscipere, meque in Tuum perpetuum mancipium admittere: neque enim aliter apud Te vivere possum, vel sum dignus (quanquam neque sic dignus sum) sed quia aliter non possum, hoc saltem modo, per viscera DEI, per merita Christi, per amorem Pretiosissimæ Parentis rogo, hoc corde, hoc ore, hoc scripto isto contestor, ad purum gustum voluntatis Tuæ divinæ, Domine DEVS meus, ad exaltationem IESV Christi, Domini mei: ad honorem Pretiosissimæ Parentis, Virginis MARIÆ, Dominæ meæ. Amen.

Initium contractus cum Societate.

Resolutiones heroicæ, & admirandæ.

Finis & intẽtio resolutionum.

Ex hac ejus protestatione apparet, quãtùm hoc mancipium Societatis, in libertatem Filiorum DEI meritò evectum, Societatem ipsam æstimaverit, in qua mancipium esse, Regnorum omnium prætulit dignitatibus.

Fuit & aliud, quod illi idem Humilitatis Spiritus inspiraverat, & in quo eum effecerat animosissimum, nempe, ut ex amore æternæ Sapientiæ, apud mundum stultificatæ, singulis mensibus, faceret stultitiæ propriæ, propter Christum, professionem; (ignotam, & ludicram iis; qui non sapiunt quæ DEI sunt) ut habetur in gratiarum actione Liturgiæ eius, ab eo semper practicatæ, Hebdomade 2. die 2. in hunc modum. *Vere ô Domine, testimonium mihi perhibiente conscientiâ meâ, simulq; veritate Tuâ, nihil re ipsâ sum aliud, nisi filius stultorũ, & per omnia stultus, vere mihi non est opus in exẽplum profitendi stultitiam meam, assumere stultificatam propter me æternam DEI Patris Sapientiam, sed tantum veritatem, in me regnantis per omnia stultitiæ, cognoscere atque confiteri sufficit. Quia tamen Tu dulcis IESV, Patris Sapientia, stultus factus es pro me, idcirco nunc agnosco, & profiteor, me risum, contemptum, stultificationem ambire, desiderareq;, & tanquam mercedem Iustitiæ tolerare debere, ac velle. Volo mi IESV, æterna, sed pro me stultificata Sapientia DEI, volo inquam, & firmo animi proposito decerno; nec famæ, quantum ad scientiæ, industriæ, talentorum, innocentiæ, defectum, secluso solo peccato, & rationabili scandalo aliorum, diminutionem, prostitutionem, proscissionem, curare, & amplecti; atq; per hoc stultitiæ Tuæ professor effici. A quo præsenti desiderio, cupio, & propono nunquam resilire: adsit mihi semper Gratiæ Tuæ abundans efficacia? Sapientis stultitiæ Tuæ amabile exemplum; Pretiosissimæ Tuæ propter Te stultificatæ Parentis, MARIÆ, omniumque Sanctorum, stultorum propter Te, intercessionis meritum. Amen*

Professio stultitiæ propter Christum.

Christus gentibus stultitia

Tantus Humilitatis Spiritus, in animo Patris Gasparis ex dono DEI residens, nõ poterat ita contineri interiùs, quin exteriùs erumperet. Atque inprimis, nullus ex tota Provincia (nulli autem non erat notus, ut pote qui bis integram rexit Provinciam, multoties autem Collegia gubernavit) animadvertit in eo aliquod unquàm elati animi signum, affectationẽve vanæ gloriæ, aut appetentiam honoris. Frequens illi erat, se, suum que senium (tot in religione meritis æstimabile) canem putridum appellare. Erat nonnemo, qui cùm eo fiducialiùs colloquens, innuerat eum esse Sanctum. Ingemuit ad hæc verba Pater Gaspar, & altum suspirans, dixit; *Non nisi tunc sancti erimus,*

Vocabulum canis putridi.

quando

quando cùm extremo halitu animam Creatori nostro restituemus. Alteri Scriptorũ ejus multitudinem dilaudanti, dixit; ipsa sua Scripta Purgatorii ignem sibi auctura.

Erupit idem Humilitatis Spiritus,& in calamũ; satis enim grande de humilitate, & jactura sui, Opus cõscripsit, in quo inter cætera, sequentes hominis titulos,mirá ascesi exponit. 1. Homo labor assiduus Dei, molestia perpetua. 2. Homo pænitentia,& dolor, cordis divini, eiusque charitatis cruciatus. 3. Homo liberalissima Dei servitus. 4. Homo molestia Dei, morositasque,& miseria perpetua. 5. Homo patientiæ Dei lima, exercitatio, palæstra,Iræ provocatio,offensarum messis. 6. Homo vanum divinæ Spei bonum, beatitudinis diminutio, inutilis negotiatio. 7. Homo bonitatis divinæ macula. 8. Homo jugum Dei, onusque importabile, insolubile debitum, Refractarium, & rebelle ac seditiosum monstrum, incorrigibile malum.

Tituli hominis humiliationi subservientes.

Composuit insuper Officium defuncti, & sepulti amoris, honorisque proprii,in linguis, detractionibus humanis, cujus *Matutinum, & Laudes* continent captivitatem honoris. *Prima,* continet vincula, & judicium honoris. *Tertia,* Flagellationem honoris. *Sexta,* Coronationem honoris. *Nona,*Crucifixionẽ honoris. *Vesperæ,* mortem honoris. *Completorium,* Sepulturam honoris.

Officium passi honoris proprii.

Non prætermittendum deniq; est Canticum quoddam, per oppositionem ad *Magnificat B. V.* ab eo compositum, & singulis mensibus usurpatum, humiliandi sui causâ, estque tale; *Vilificat anima mea meipsum. Et desperavit Spiritus meus, in nihilo cõtemptibili meo. Quia mendicus sum, & pauper: propter nihilitatem naturæ meæ. Ecce enim ex hoc, jure contemnent me omnes generationes. Quia nihil prorsus boni ex me possum, & nulla est sufficientia mea. Sed misericordiâ DEI sum, quidquid sum: & ex me nihil boni sum. Fecit DEUS bonitatem miseriæ meæ, supplevit defectus egestatis meæ. Extraxit me de lacu nihili mei, & donavit me mihi totum. Exaltantes gratiam suam ditat Dominus: spernentes autem dimittit inanes. Curat ut nutrix infantem suum: novit enim omne imperfectum meum. Sicut ab ipso sum totus quod sum, sic & ab illo spero cuncta bona mea. Gloria Patri &c.*

Canticum humiliationis.

CAPUT XII.

Amor, quo Pater Gaspar ferebatur in DEUM, & proximum.

AMorem Dei sequi ex humilitate,& hanc ex illo, plusquàm clarum est: qui enim contemnit seipsum, propter Deum, non potest non appretiare, & consequenter amare Deum, & è contra: perinde atque evenit in bilance, in qua dum una pars deprimitur, alteram elevari, necesse est. Huc etiam spectat illud S. Augustini. *Duo amores duas sibi fecere civitates, unus usque ad contemptum sui, alter usque ad contemptum DEI.* Per quod innuitur; amorem Dei connexum esse cum contemptu sui, & è contra, amorem proprium cum contemptu Dei. Expositâ itaque Humilitate Patris Gasparis, exponendus est amor, quo in Deum ferebatur.

Mutua Amoris Dei ex Humilitate sequela.

Et primò, quia omnis amor præsupponit cognitionem, juxta illud; *Nihil volitum nisi cognitum.* Indiderat illi Deus singularem sui notitiam; totâ enim vitâ religiosâ de Deo, & Divinis scripsit, elevato, & admirabili spiritu: ut quivis Scripta ejus legens, fateri cogitur. Ex hac deinde tam magna, Dei,Divinorumque notitia, sequebatur æstimatio, & appretiatio Dei, dignitatisque divinæ, cui exaltandæ singulis mensibus diem unum dedicabat, in qua post Sacrificium Missæ peractum, totum se impendebat, appretiando Deo, & ejus dignitati, seque eidẽ devovendo, ac inter cætera, sic loquebatur; *DEUS cujus natura, Dignitatis Mare, & abyssus dignitatum omnium: propter cujus honorem, vel in puncto augendum, omnis Creatura, sese omni labori, sumptui, dolori, periculo totam impendat, in æternum pereat, seseq; inferno immergat: cui se omnia plene subdant, etsi alias per impossibile non deberent, coram Te nunc, meo, & omnis Creaturæ nomine, omnimodè, & omnipossibiliter, semel pro omni tempore, atq; æternitate, protestor, quod Te his omnibus dignissimum recognoscam, quibus Tu ipse dignissimum recognoscis, simul autem Tibi dignissimo, & Tuæ dignitati, in æternum, ex nunc, meo, & omnis Creaturæ nomine; deditus, mancipatusq; esse volo, & propono. Supplico insuper Tuæ eminentissimæ dignitati, Teq; per omnia Excellentiarum Tuarum viscera obtestor; ut me facias honorandæ dignitatis Tuæ instrumentum, utarisque me ad humiliandum me, ad exaltandum Te, quam maximè, juxta omne placitum Tuum. Fac mi dignissime DEUS, ut sim mancipium, & jumentum dignitatis Tuæ. Fac ut totus ego, quantus quantus sum cum omnibus potentiis, & actionibus, passionibusque meis, semper deserviam exaltandæ dignitati Tuæ. fac ut unica sit cogitatio mea, cura mea, gloria, & beatitudo mea, magnificare dignitatem Tuam, idq; omni meliori, quo possum, modo ex nunc, in semper statuo, & confirmo, coram Te, qui corda probas.*

Notitia de Deo singularis.

Exaltatio dignitatis dominæ.

Ex tali appretiatione Dei, oriebatur gaudium de bonis Dei, & complacentia in iis-

Gaudium de bonis Dei.

in iisdem, optatioque eorundem, seu volitio omnis boni DEO, in qua formaliter consistit amor DEI. hinc illi affectus, singulis itidem mensibus, die quintâ Hebdomadis primæ, ab eodem usurpati: *Benedic anima mea Domino, gratulare illi omnia summa bona ejus. DEVS meus quis Tu es? ô Domine si Te homines nossent! Gaudeo, sis id quod es. talisq; qualis es. Gratulor Tibi ex toto corde meo ista omnia, quæ habes, quæcunq; es, ac potes. Desidero Te esse id quod es. volo Tibi hæc omnia quæcunque habes. Des mi DEVS Tibi omnia Bona Tua, quibus dignissimus es. DEVS meus fruere ipso Te, imple Te bonis Tuis. Amo Te pro omnibus, & præ omnibus Creaturis. Amo Te DEVS meus, quia summe Summus es, in omnibus perfectionibus Tuis. unum Volo, & requiro, tam mihi, quàm Creaturæ omni, quàm Tibi DEVS meus, ut Tu sis, & nos velimus, atq; gaudeamus Te esse id quod es. DEVS meus æstimo Te: sed æstimando nescio quid facturus sum pro Te. Si radius essem: Tu autem sol: adderem me Tibi, & esses lucidior: Si essem gutta, & tu mare, affunderem me Tibi, & esses plenior; Si essem atomus, & Tu mundus, apponerem me Tibi, & esses major. Sed cum ego nihil sim, Tu autem omnia, quid addam Tibi quod non sis? Addo ergo Tibi Teipsum, & Te, Tibi ipsi volo. Volo ut sis id, quod es, ô DEVS meus.*

Singulares erga DEUM affectus.

Quia vero amantium est, velle, & nolle, ex instinctu DEI speciali instituerat Pater Gaspar desponsationem sui cũ voluntate Divina, conceptis verbis, quam etiam singulis Mensibus innovabat, die secundâ hebdomadis primæ, in hunc modum.

O suavissima, atque semper adoranda DEI voluntas, cui servire, dignitas, cui placere, vita, cui adhærere, beatitudo est. Ego N. quamvis per omnẽ modum consortio Tuo plane indignissimus, & nullo modo Tibi exæquandus, solo tamen, & puro Tibi placendi desiderio, Tuiq; etiam Sacrosancto nutui, ad id me misericorditer impellenti, obsequi ex animo concupiscens, Te mihi charissimam, perpetuamq; sponsam eligo, & accipio: Vicissimq; me Tibi, in sponsum perpetuum trado, devoveo. Omnem substantiam, libertatem, potentiam, fidelitatem meã, dilectionem quoq; & cohabitationem, & mutuum obsequium, atque etiam laborum, studiorum, cogitationum, fructuum communitatem, Tibi in omnẽ vitam meam, immò in omnem æternitatem despondeo: ita ut Tu mihi suavissima sponsa, & ego Tibi sponsus beneplacens inviolabili jure desponsatus in æternum esse, & vocari velim, Tu jam o sponsa omnipotens, effice me secundum cor Tuum, meq; fruere per omnia, & utere me ad omne beneplacitum Tuũ, juxta omnipotentem efficaciam Tuam. Volo ô Domina; & sponsa mea; ut quidquid Tibi, sive de me, meiq; actionibus universis, sive de aliis quibuscunque, ad me quomodolibet pertinentibus, vel non pertinentibus, prosperum, vel adversum placet, mihi quoque ut placeat, volo, ut quidquid ego per omnes potentias meas in omni momento vitæ meæ agam, Tibi perfecte commensuratum, subditum, placitum, & gustabile fiat. A qua voluntate, & proposito desponsatione præsenti, nullatenus me resilire velle, coram Te ipsâ Dominâ sponsaq; mea profiteor. Sic me Tuo Vnicus cordis mei amor, & deliciæ, adjuvare, & confirmare efficaci, continuoque auxilio Tuo digneris in perpetuum. Amen.

Desponsatio cum voluntate divina.

Id etiam evenit amori erga DEUM Patris Gasparis, *quod naturaliter evenire solet igni, qui, postquam magna subministrata fuerit materia, excessivas assurgit in flammas: erexit enim amor iste ardores suos, & in extraordinarios erupit affectus, inter quos hi fuêre. DEVS meus amarem Te, æstimarem Te, omnia Bona vellem Tibi, corde meo, & voluntate meâ. Sed Tu Domine non talibus affectibus meis dignus es. Ergo nec amo, nec æstimo, nec quidquam Boni volo Tibi: hæc enim omnia nihil sunt, & infra Te infinities sunt, sed superamo, superæstimo, & omnia super Bona supervolo Tibi: non affectibus meis, sed quantum mihi das illos, affectibus Tuis, Te per Te, superamo, Te, per Te superæstimo, Te, per Te super-exalto. Sis super-benedictus, superlaudabilis, superexaltatus per me, pro omni Creatura, ab ipso Te, quantum est dignum amari, & magnificari Te DEVS meus. Te stringo, & teneo, noli me relinquere, ne fortè cogar dimittere Te. Ah quam id nollem! & scio quidem, quia id non faciam nisi volens, sed mi DEVS, fac me nolle, nec sinas me, velle dimittere Te, quin immò, rape me in Te, & compelle intrare angustias meas in latitudines Tuas. DEVS meus ignosce furori amoris mei, Tuus est, & Te amat, & Tu das illum, furit, & irrumpit, quia vim patitur. Excusa illum apud Te, quia Tu es qui rapis illum ad Te, & audacem facis coram Te. Amo, & ideo non revereor, quia non timeo, nisi ne amem.*

Affectus superexcedētes.

Mira indoles amoris divini.

Processit ulteriùs amor iste, tantasque illi alas contulit, ut supra omnia eluctatus, adeoque supra seipsum, & seipso exutus, DEO indivinari conaretur. Suggessit illi divinum lumen Indivinationem hanc, ejusque modos, Anno 1621. ut in ejus illustrationibus deprehendi, de qua postea in Discursibus de jactura suipsius, multa erudito-divine scripsit, quæ hic referre non vacat. Ejusdem deinde Indivinationis praxim seu exercitationem actûs Indivinatorii, singulis Mensibus, die primâ hebdomadis secundæ innovabat, sic; *Qui mihi det ô Domine DEVS Homo pro nobis facte, per gratiam Tuam, in Te DEVM vicissim transformari, & quantum Creaturæ fas est, in Te totaliter transire, atque Tui quàm maximâ dilectione, purissimâ inhæsione, & intentionis ad Te unum, conversione, in Tui similitudinem transfigurari, Tuisque cælestibus Bonis, quantum in Creaturam cadere*

Actus Indivinationis.

dere

dere potest, ita communicare, quemadmodum Tu, de nostra humanitate, ejusque miseriis omnibus, quantùm Majestati Tuæ fas erat, participare dignatus es. Nunquid Domine aut voluntatis Tuæ non est, aut difficile Tibi est, talibus locupletare pauperculam animam meam! Certe & Tu, DEVS cùm esses, factus es homo, ideò ut nos Divinitatis Tuæ tribueres esse participes, & in manu Tua Pater omnia posuit, quæcunque ad salutem, & Sanctificationem servorum Tuorum pertinere possunt. Ago igitur ô Domine, Redemptor, exaudi postulationem meam, & fac me Tibi in Divinitatis moribus similem. At enim Tu Domine audiens hanc balbutiem ignorantiæ meæ, derides audaciam meam, qui quam nescio gratiam abs Te postulare præsumo. Fateor mi IESV, me nil scire, aut posse, aut habere sine Te; Scis tamen quid velim, qui omnia scis, nosti quid petam, qui das ut petam. Peto, ut perdito me, omnibusq; Creaturis, nihil videam, nil quæram, nihil amem, nisi solum Te, ut vivam ego, non ego, sed Tu vivas in me; Quid sit illud, Tu scis Domine, ego autem desidero hoc quod peto, & hoc peto, quod desidero: ô amare! ô ire! ô mihi, & omnibus perire! in Te transire! in Te interire! ô ad Te DEVM solum meum pervenire! istud est, DEVS meus, propter quod exinaniri, atque annihilari concupiscit, & æstuat tota substantia mea.

Perditio sui, & Creaturarum omnium.

Quomodo autem eodem amore divino erga VERBUM Incarnatum æstuaverit, luculentum perhibet testimonium Liturgia ejus, ratioque celebrandi Festa, & Liber consuetudinum; quæ omnia quotidie manibus terebat, nō minùs quàm Breviarium, aut Missale. Legere ibi est exquisitas praxes, & affectus viscerosos, quos hic non refero. Utinam tandem aliquando prodeant in lucem. Augustissimo Eucharistiæ Sacramento ita erat addictus, ut præter longa ad Sacrificium Missæ præparatoria, actionesque gratiarum protractas, interdum integras recreationes (à quibus non adeundis obtinuerat facultatem) coram eo consumpserit. Dum incruentum celebrabat Sacrificium, eumque, qui Ignis consumens est, tractabat, carbonis instar accensus ipse, totoq; se alteratus, cum igne divino, vix non abibat in flammas. Eundem incarceratū Eucharisticè pro nobis, DEUM Hominem, adibat crebriùs, atque aliis, ut adirent suadebat, addebatque, se quidquid haberet, seu in doctrina, seu in devotione, totum exsuxisse ex hoc pectore DEI.

Visitatio SS. Sacramenti.

Amor proximi propter DEUM qualis, quantusque in eo fuerit, argumento esse potest, inprimis magna aliorum appretiatio, quâ ita alios æstimabat, ut eorum Nomina ex eorundem Epistolis excisa, pretiosi instar depositi portaret. Accedit quædam inprimis ejus resolutio, de qua ille in libello luminum, hæc habet. Primâ die Novembris, Anno 1622. feci votum, & juramentum divinæ Majestati (salvâ Superioris acceptatione, quæ postea cum divina gratia secuta est) serviturum me, fratribus meis omnibus, usque ad mortem, in peste, cujus præsenti periculo tunc cingebamur. Idem votum, ac juramentum unà cum aliis actibus, sanguine meo subscriptis, ac in altari Sanctissimo Sacramento suppositis renovavi, ibidemq; etiam omnia totius vitæ meæ peccata retractavi. *Votum autem & actus erant ejusmodi.*

Votum, & juramentum serviendi in Peste.

DEVS radices desideriorum exaudi.

1. Credo sicut Sancta Ecclesia credit, & Credo eam fidem, quam Ecclesia, Sancta, Romana, docet esse veram, tenendam, divinam; quare in illa, pro illaque mori, tot mortibus, quot possibiles sunt, volo, & paratus sum, ac ero.

2. De Iustitia, meritis, dignitate mea despero, spero autem in sola DEI bonitate, & gratia, in Christi meritis, & morte, in Pretiosissimæ Parentis, hæredis meæ patrocinio, in Communione Sanctorum.

3. Amo, & æstimo DEVM meum, super omnia, quæ DEVS non sunt, amo autem gratis, quia scilicet DEVS dignus est, & amo, ut amem.

4, Omnem DEI voluntatem internam, externam, substantialem, ita approbo, ita amo, ita exosculor, sicut in ea DEVS ipse complacet, quod potissimum applico huic voluntati DEI, quâ me DEVS mori hac præsenti peste, hoc præsenti tempore decernit, si decernit.

5. Decretum mortis, à divina manu, eo animo excipio, quo animo excepit Christus IESVS decretum mortis suæ, pro me, in instanti Conceptionis suæ, in Crucis morte. Item eo animo amplector, quo animo excepit nuntium Incarnationis, expressitque illis verbis; Fiat mihi &c. Pretiosissima Parens, & Hæres mea MARIA. Item eo animo, quo vel ego, vel quilibet Sanctorum, excipient in die Iudicij, illud beatum; venite benedicti Patris mei, possidete Regnum &c.

Promptitudo ad moriendū.

6. Omnia opera totius vitæ meæ, quanta quanta sunt, & à quacunque potentia mea profecta sunt, mala, & imperfecta retracto, & corrigo, ad DEI placitum: bona verò rata habeo.

7. Quæcunque DEO bene proposui, promisi, juravi, quæ Pretiosissimæ itidem Parenti, & cuicunque Sanctorum promisi, ea omnia propono, promitto, voveo, juro nunc, ad gustum Divinæ voluntatis.

8. Gloriam do DEO, vanitatem do diabolo, mihi purum merumq; nihil reservo.

9. Quàm perfectè, & omnimodè subjectus fui

tunc DEO, quando primùm à DEO in hac rerum natura, producebar, & in fieri eram, tam perfectè, me nunc adorandæ DEI voluntati subdo, & subdere æternùm volo.

10. Quantùm, & quo motivo DEUS odit peccata mea, tantùm, & ex eodem motivo, ego detestor eadem.

11. DEUM beatificè videre non merui, nec merebor in æternum: cupio tamen videre, quia ille me ad hunc finem condidit, redemit, perducere vult, gratiam dat, & merendi per Christi Sanguinem, facultatem.

12. Statum Religiosum, quem 14 annis tenui, approbo, amplector, & ex nunc ingredior, totiusq; mundi res, & spes, pro DEI amore, & servitio calco, Crucisque Christi probrum, omnibus ejus pōpis; affectu, & animo Ducis mei, IESU Christi Crucifixi, præpono, & eligo.

Obsequium Dei cum incertitudine salutis.

13. Si de salute mea æterna certus essem, immò si eam jam haberem, & placeret DEO, me hic cum incertitudine salutis vivere, aliquid autem insigne ad DEI gloriam, & voluntatem perficere, præeligo hoc posterius, illi priori, pure propter gustum DEI, & propter adorandæ voluntatis, gloriæq; eius æstimationem.

14. Pro omnibus, & singulis beneficiis DEI, mihi quomodocunque in tota vita mea, & ante vitam præstitis, & post vitam præstandis DEO gratias ago, quantas possum, ago quantas debeo, ago quantas Christus pro suis obtulit, quantas Pretiosissima Parens, quantas omnes Sancti obtulerunt, aut offerrent, quantas divina voluntas ea beneficia conferens, meretur.

15. Protestor, & juro, me Pretiosissimæ Parentis esse hæreditatem, & illam esse meam hæredem, omni jure, quod melius esse potest; & cujus Creatura in Creaturam, DEO volente, & annuente, capax est.

Resolutio singularis.

16. Etsi scirem quòd damnandus sim, DEO servire, cum omni, quæ Creatori debetur servitute, vellem, & volo tantò etiam magis, quantò hoc spatium brevius mihi esset, & hujus tantùm vitæ spatiis clausum.

17. Opto anathema fieri pro fratribus meis, hoc est proximis, qui DEUM nesciunt, qui DEUM offendunt, qui negligenter illi serviunt. Opto autem eo sensu, & affectu, quo id Moyses, quo Paulus optavit, quo optari potest.

18. Doleo de omnibus peccatis, quæ in Deum quomodocunq; unquam facta sunt, fiunt, fient unquam, eo affectu, quo Christus de illis doluit.

19. Spiritum meum non alibi, quàm in suavissima DEI voluntate, IESU Christi latere, Pretiosissimæ Parentis meæ manibus, Ecclesiæ Romanæ Catholicæ fide, Societatis IESU Religione, emittere, atque deponere exeuntem ex hoc corpore, volo, atq; cupio.

Ipsum votum & juramentum.

20. Prout semel vovi, & iuravi DEO Pretiosissimæ Parenti, me fratribus meis peste infectis, ac moribundis, in Spiritualibus inprimis, & etiam in corporalibus, salvâ obedientiâ servituros, in præsenti ita idem votum voveo, iuramentumque iuro, nunc, & in singula momenta vitæ residuæ; mortemque eo nomine imminentem mihi, libens coram DEO accepto, tantummodo sit id Divinæ voluntati gratum, animæq; meæ salutare.

21. Cupio toto cordis affectu, usque ad finē mundi, in gravissimis laboribus, & ærumnis, omnium hominum saluti æternæ deservire, & me ad hunc laborem, ex nunc, Sanctissimæ Dei voluntati, quæ omnes salvos fieri vult, humillime offero, sicut sese Christus Dominus meus obtulit.

22. Hos omnes actus, quatenùs à me sunt, agnosco nullius esse apud DEUM momenti, sed eos, in medullas gratiæ, voluntatisque, & in viscera meritorum, Sanguinisque Christi immergo, ut valeant.

Deinde secuta est subscriptio, Sanguine proprio.

DEO, Pretiosissimæ Parenti, MARIÆ

IHS. Voveo, Iuro.

Ego Gaspar Druzbicki, Societatis IESU 1632. 4. Novembris.

Non minor animi affectus eluxit in Patre Gaspare, erga inimicos, Pro quibus inprimis ante Sacrificium, in Memento vivorum, ita orare solitus erat. *Sanctissima Trinitas commendo Tibi inimicos meos, qui me linguâ, calamo, iudicio, affectu, facto quopiam offenderunt, vel offendere iussi, nisique sunt, qui mihi quoquo modo, aut prætextu, ad aliquid impedimento fuerunt, quibus omnibus, te DEO meo teste, & dante, condono ex corde, quia, etiam illos sincere amo. Ama & Tu illos Domine DEUS meus, quantùm potes, & vis, pro tuâ bonitate, & bona voluntate.* Post Sacrificiū deinde omnes inimicos divinæ benignitati commendabat, adjuncto Christi Sãguine, in quo eos peramanter demergebat. Schedam quandam aculeate contra se, conscriptam, cùm reperisset, exosculatus est, in parteque ejus versa, hæc reposuit. *Ad ornandum, dignificandum, emendum Christum, ad saginandum, mercede conducendum, captivandum, recreandum, inhumanandum, deificandum Christum. Ad intentiones eius erga Patrem, erga se, erga nos, ad intra, & ad extra &c.* adde; id offero, Quam Schedam in secreto suo libello reconditam habuit.

Affectus erga inimicos.

CAPUT XIII.

Affectus, & cultus, quo Pater Gaspar prosequebatur B. V. & quosdam alios Sanctos.

Admirabilis Dei Mater, in hoc prodigiosissima est, quod omnibus Dei servis, antecedenter ante omnia divina beneficia, affectus erga illam, Deo solo

Dei Mater aurora omnis Boni.

solo operante, innascatur: hæc nempe aurora, seu aurea hora, præcedit Solem Justitiæ, ipsamque Justitiam; sine hac Matre, nemo fit Filius Dei, absque hac Dei thesauraria ditatur nemo, sine hoc Sanctissimæ Trinitatis (juxta Hesychium) complemento, nemo pertingit ad mensuram plenitudinis Christi. Et certè non decet aliam esse ad Cælum viam, nisi quæ fuit Deo ad terras via, nempe Maria. Per hanc quo pacto Patrem Gasparem divina manus direxerit, duxeritque ad perfectionem, colligi potest ex illustrationibus illi divinitus factis, quas in libello ejus reperi.

Titulus B. V. Parens Pretiosissima.

1. Anno *1621.* die Præsentationis B. V. in oratione venit mihi in mentem, quod aliquando audieram, Beatissimæ Virgini inter omnes titulos, qui illi in Litaniis (quæ Lauretanæ dicuntur) tribui solent, maximè placere illum, *Mater admirabilis*, cùmque hunc titulum usurparem, objectus, & impressus est mihi alter titulus, *Parens Pretiosissima*, quem tunc decrevi mihi familiarem usu reddere.

2. Die *24.* Novembris, Purissimâ Pretiosissimamq; Parentem, in oratione, omnibus post Deum rebus, toti mundo, & omnibus mundis similibus, & actu possessis prætuli, & me pro tunc præferre, juramẽto confirmavi.

Beatissima Virgo Heres.

3. In Festo Conceptionis Pretiosissimæ Parentis, cum N. N. me Beatissimæ, Pretiosissimæque Parenti, in Hereditatem tradidi, & traditionem illam voto, atque juramento firmavi, eoque non semel, sed frequentiùs repetito. Hac facta traditione, sensi interiùs tales deductiones. *Hereditas mea es. 1. Liberum ergo mihi est jam, & erit, facere tecum quod volo, & tractare te, prout volo. 2. Non potes igitur ullâ tui parte, ullâ tuâ actione offendere filium meum: indignissimum enim est, in mea hæreditate nasci offensas* Dei. *3. Non potes igitur calamo, chartâ, libro, filo, cubiculo, quacunque re uti, ut vis, & quando vis, sed à me facultatem petere utendi, & ex mea voluntate prout; scilicet me velle judicabis, uti debebis. 4. Ulcisci iniurias nunquam debebis, nec ulli offendi, sed mihi totum relinquere, ut ego si voluero causam agam, ut litem prosequar, si autem etiam voluero, negligã.*

Illationes factæ ex traditione sui in Hereditatem B. Virginis.

5. Quidquid ergo tibi acciderit, dextri, sinistri, una, aut plures simul, turbationum occasiones, à me illa omnia venisse putare, & tanquam ac hæreditaria tua Domina *recipere debes, simulque cum gaudio, & exultatione omnia subire, ex hoc tanquam certo signo colligens, quòd mihi curæ sis, & quod ego hunc agrum, hunc hortum, hanc vineam colam, arem, purgem, putem, visitem, quod tibi consolationi magnæ esse debet, ut pote, quod tua traditio accepta mihi, accepta à me, & curæ mihi sit. 6.* Debes ergo *erga me animo fidenti esse, & per omnia, post* DEUM *à me, & mea cura pendere, omniaque à me expectare, sicut infans omnia expectat à* Matre*: sicut ager ad hoc ut fructum ferat, omnia expectat ab agricola, & à* Cælo, *culturam scilicet, segetem, pluviam, calorem, ventos, rorem, &c. 7.* Debes ergo *esse Arendarius meus deinceps, vel locatarius, ut utaris teipso, sed non tanquam tuo, verùm tanquam meo, fructum mihi ex teipso ordinarium, annuum, menstruum, diurnum, horarium, pendendo, & nemini teipsum me invitâ impendendo.*

Proventus debiti B. V.

4. Oranti mihi die *23.* Aprilis. *1622.* oblata est quæstio, an paratus essem quoddam certum tribulationis genus subire, & pati? respondi initio, me indignum esse, qui tam generosam Crucem post Christũ ferrem, fragilitati meæ, atque impotentiæ satis esse puerilem aliquam tribulationẽ, unius virgulæ ictum ferre me non posse, nedum tantam Crucem Athletis illustribus dignam: si tamen illam imponere divinæ Majestati placeret, me non recusare illam. Deinde respondi, eâ de re mecum deliberandum non esse, neque meum consensum, aut apparatum exquirendum, sed voluntatem Pretiosissimæ Parentis, Heredis meæ, atque Dominæ absolutæ esse exquirendam; an illa contenta sit futura, si sua isthæc hereditas (hoc est ego) hoc modo tractetur: *Sicut enim mi Omnipotens* DEUS, *nihil aliud à* Tua Maiestate *peto, quàm quod mihi* Pretiosissima Parens *mea, abs* Te *precatur: ita nihil horum recuso abs* Te *sustinere, quæcunque mihi* Pretiosissima Parens, *ac* Heres *mea immitti, & imponi permittit.*

Dependentia à B. V. tanquam Herede.

5. Anno *1622.* die *1.* Novembris, supplicans Sanctissimæ Trinitati, Jesu Christo, Beatissimæ Virgini, Sanctisque Angelis, pro avertẽdo à nobis periculo pestis, cùm ad orandam Pretiosissimam Parentẽ devenissem, valdè asseveranter, & reflexivè intellexi, nullum deinceps ex nobis moriturum hac peste, quod & evenit.

6. Die vigesimâ primâ ejusdem Mensis, in Festo Præsentationis Beatissimæ Virginis, oranti mihi, atque à Deo, filialem, erga Pretiosissimam Virginem, amorem, devotionisque augmentum petenti, & ut Hereditas ejus esse possem, postulanti, responsum mihi est interiùs; ut jam non id poscerem, sed illud; ut vicissim heres Pretiosissimæ Parentis esse possem, simulque tunc mihi inspiratum est; ut ab hac die, ad Conceptionis Festum, disponerẽ me, ad dignè accipiendam Pretiosissimã Virginem, in meam Hereditatem.

7. In Festo Conceptionis B. V. ex divino, ut puto, instinctu peculiari, accepi

Pretiosissimam Parentem, in Hereditatem meam, & factus sum hæres illius; ad quã rem præparare me conatus sum pro Viribus meis, per gratiam Dei, mihi concessis. In his erant hæ. 1. *Obibam aliquoties cœlestes ordines, postulando ab eis eleemosynam, & ornatum, ad digne accipiendam, & adeundam hanc hereditatem.* 2. *Crebrò postulabam à Deo doctrinam, de modo, quo possem fieri heres, & quo hanc hereditatem possem tueri, colere, hanc oratiunculam repetendo. Mi IESV, da mihi, ut Pretiosissimæ Parentis heres fiam, & doce modum, quo fiam.* 3. *Disciplinas, & in cibo parsimoniam auxi.* 4. *Vigiliam Conceptionis totam jejunavi, pæne nihil comedens.* Accepi autem Hæreditatem hanc in Sacro, in quo notabiliter adverti factitatas mihi à dæmone multas tribulationes, ex quo intelligebam, Deo quidem rem cordi, diabolo autem odio fuisse. Eodem die accepi, per intercessionem Pretiosissimæ Parentis, magna, & efficacia lumina, ad me humiliandum, per abnegationem, & professionem stultitiæ, per exaltationem in me divinæ gratiæ. Quas ego veritates, inter magnas Dei gratias numerare debeo, cùm notabiliter sentiam, maximos me in via Dei progressûs fecisse per hæc lumina, & maximam animi quietem, libertatem, demissionem, altitudinẽ &c. consecutum.

Præparatio ad accipiendam B. V. in Hæreditatem.

8. Anno 1623. Die Conceptionis Pretiosissimæ Matris, cæpi degustare nonnihil; quid sit incessabiliter Deo servire, & inhærere affectu præsertim amoris, Sicut B. Virgo incessabiliter adhæsit, magis quam ipsa Seraphim adhærescunt. Eadẽ die, supra hanc ipsam incessabilitatẽ examen particulare facienti, subiit mihi in mentem, hunc affectum impetratum mihi, ad degustandum, à Pretiosissima Parente.

Degustatio incessabilis adhæsionis Deo.

9. Anno 1626. in præparatione ad Conceptionem B. V. venerat mihi in mentem assumere Pretiosissimam Parentem in sponsam; super quã re deliberans, & Deum consulens, dixi Sacra quatuor, & alias orationes adhibui. In Vigilia diei, nihil pæne comedi. Ipso die Festo accepi cum divina gratia, Pretiosissimam Parentem mihi in Sponsam, eodemque die aliquot illi tradidi personas, in Filios, & hereditates.

Acceptio B. V. in sponsam.

10. Eodem mense tradidi me Pretiosissimæ Parenti in Mancipium, & servum: visum enim est mihi ab hoc affectu incipere erga Pretiosissimam Parentem, licet defacto ex omnibus affectibus, & modis quibus me Pretiosissimæ Parenti mancipavi hactenus, iste sit ultimus: quia iste mihi post omnes in mentem venit.

Traditio sui in Mancipium B. V.

Sic præjactis à Deo fundamentis, consurrexit eximia in animo Patris Gasparis, Marianæ pietatis fabrica, variusque divinam Parentem colendi, sibique demerendi apparatus, ex quo pauca nonnisi delibanda duxi. Ac imprimis, singulis mẽsibus unam deligebat hebdomadem. in qua Pretiosissimæ Parentis honori quotidiana Missæ Sacrificia addicebat, in quem finem conscripserat Liturgica exercitia, tenerrimis, erga Matrem Dei, affectibus plena.

Octobrem integrum cujuslibet Anni ejusdem Hyperdulico cultui consecrabat, hisque modis eam venerabatur. 1. Legebat de ea, de vita, laudibus, Mysteriis, miraculis, beneficiis ejus. 2. Colloquiorum suorum materiam habuit, Pretiosissimam Parentem. 3. De eadem quotidianas instituebat Meditationes, præsertim de titulis ejus, quos in magno numero cõscriptos in promptu habuit. 4. Eosdem titulos oretenus recitabat, atque ita distribuebat in dies, ut ultimâ die Mensis compleret 365. titulorum recitationem, & considerationem. 5. In dies singulos hujus Mensis, faciebat aliquam actionem ex imitatione illius. 6. Decadem actuum de ea conscriptorum, singulis diebus per aliquem orandi modum recolebat, idque loco pensionis diurnæ, debitæ à se Pretiosissimæ Heredi suæ. 6. Mortificationes Mensi appropriatas, ex peculiari cultu hyperdulico ejusdem faciebat, & alias consuetas ex eodem motivo facere curabat. 7. Singulis diebus imprimebat sibi dolorifere Stemma Pretiosissimæ Parentis, nempe nomen ipsius Sanctissimum. 8. Assidue per hunc Mensem voluebat manibus, & linguâ, & corde Rosariũ. ejusque aliqua Mysteria; præcipuè verò ingeminabat cum oblectatione animi illos titulos. O Mater Dei! O Mater *admirabilis!* O Parens *Pretiosissima.* 9. Exercitia Mariana à se conscripta, reddebat sibi familiaria, quotidieque ea per ordinem usurpabat. 10. Faciebat singulis diebus, totius corporis, & animæ, omniumque potentiarum nomine, ministerio, cultum aliquem Pretiosissimæ Parenti, & tanquam tributum totius sui pendebat. 11 Per hunc Mensem, primitias diei cujuslibet Pretiosissimæ Parenti dabat. Similiter ejusdem honore concludebat quemlibet diem. 12. Habebat indiculum, seu Litaniam Amatorum Pretiosissimæ Parentis Singularium, quos singulis hujus Mensis diebus, aliquo affectu, & cultu prosequebatur, per eorumque intercessionem, augmen-

Praxes colendi B. V. in Octobri.

Impressio dolorifera nominis B. V.

augmentum in se erga Pretiosissimam Parentem, petebat.

Exercitia Mariana.

Exercitia autem MARIANA hæc inter cætera habebat usui: Accepto Rosario in singulis eius globulis repetebat. 1. *Pretiosissima Parens æstimo Te super omnia Deo minora.* 2. *Pretiosissima Heres nostra, benedic hereditati Tuæ, vel accipe me in hereditatem Tuam.* 3. *Domina opitulare. Domina non opitulaberis?* 4. *IESVS, MARIA, dulcissimi amores mei, patiar ego, moriar ego amore vestri, totus sim vester, & nullus meus.* 5. *Pretiosissima Parens monstra Te esse Matrem.* 6. *Pretiosissima Parens trado me Tibi in mãcipium.* 7. *Pretiosissima Parens vulnera cor meum amore Tuo.* Habebat & alia plura, quæ interdum ita permiscebat, ut aliud in majoribus Rosarii globulis, aliud in minoribus percurreret.

Ex affectibus, quibus in divinam Matrem ferebatur, hi erant præcipui.

Affectus erga B. V.

1. *Pretiosissima Parens protestor coram DEO, quòd gloriæ Tuæ integritatem redimere, augmentũque illius procurare cupiam, & paratus esse velim, & judicem, etiam cum mei ipsius, etiam cum totius Creaturæ (exceptâ IESV Christi Humanitate) jacturâ, in quantùm id gustui divino conforme est, aut esset.*

2. *PPretiosissima Parens, est quidem id, per præsentem ordinem rerum impossibile, ut ego Te in gratiæ, & gloriæ divinæ donis excedam. Si tamen id possibile, & in manu mea esset, nollem protestor id esse, sed cuperem, & quantùm ex me, facerem, Te, tam meipso, quàm omni purâ Creaturâ digniorem, gratiosiorem, gloriosiorem, juxta DEI placitum, Maternitatisque divinæ Condignum.*

3. *Pretiosissima Parens usque adeò mihi complaceo in cura, & patrocinio Tuo circa me, inque amore, & studio meo circa Te, ut si vellet Deus (quod utique non vult) me salvare, & glorificare sine interventione Tua pro me, & sine cultu, amoreque Tui in me, vellem petere humillimè à Deo, ut nonnisi juxta voluntatem, atque charitatem Tuam salvarer, & glorificarer: nolo enim ullum bonum tẽporale, aut æternum, habere, quod non meritis Tuis ô Pretiosissima Parens, veritate jubente, cogar me Tibi per omnia post Deum, & Christum IESVM, profiteri debere, juxta DEI voluntatem, atque salvo in omnibus eius divino gustu.*

4. *Pretiosissima Parens, amo Te post DEVM supra omnia: quia DEVS super omnem puram Creaturam amavit, & amat Te: quia omnes Sancti, omnes cives cæli amaverunt, & amant Te: quia si non amavero Te, DEVS non salvabit me, amo Te, & & si mille corda haberem, mille cordibus amarem. O amatrix mortalium! O raptrix cordium! O dulcissima esca, & mellitissimè laquee peccatorũ! Amo, amo Te, & in amore Tui mori volo. O Mater centies, millies, millionies, infinities & ultra amanda.*

5. *O mihi omni re, & spe pretiosior Virgo! ô fons boni mei universi! ô tessera salutis meæ! ô prædestinationis, Vocationis, gratiæ, Iustitiæ, perseverantiæ, gloriæ meæ medium! sero pretium Tui agnovi, & quàm pretiosissima sis, à Te didici. Teste ergo Cælo, & terrâ, protestor Te esse pretiosiorem cunctis infra DEVM: cum hac Tui æstimatione, & amore perseverabit anima mea, dante id mihi eo, qui omnia tribuit Tibi.*

6. *O MATER DEI mei, quibus Tibi affectibus gratulabor Maternitatem hanc Tuam! ô si omnium mihi corda essent! ô si omnium potens essem voluntatum, potentiarum, & operationum! o si cor ipse totus essem, non quantus sum, sed quantum est totũ universum! vellem Tibi sic gratulari, gratulari inquam, Te DEO, & DEVM Tibi. Te illi ancillam, illum Tibi filium? O ancilla Domini, Te toto me gratulor æterno DEO! O MATER DEI, Tibi toto me gratulor filium DEVM. Sed quantulum est hoc, quod toto me gratulor Tibi? Te potius ô Virgo, ancillam DEO, & DEVM filium Tibi, gratulor illo ipso DEO, cujus Mater es. Sit ergo ille gratulatio Tua, qui factus est generatio Tua, gloria Tua.*

Festa Dei Matris præcipuè celebrata.

His tam sublimibus affectuum flammis inardescebat animus Patris Gasparis, erga DEI Matrem, frequenter quidem, sed potissimùm in Festis ejus, quorum celebrandorum speciales habebat præscriptas praxes: eas tamen hic referre longum esset.

Cultus quotidianus B. V.

Quotidie verò eandem Pretiosissimam Parentem sic venerabatur. 1. Consugens à somno, per manus ejus omnes actiones suas Sanctissimæ Trinitati offerebat. 2. Eam simul cùm Domino JESU, tanquam operariam conducebat, ad operandum in se, & in aliis ad se pertinentibus gratias efficaces, adpromittebatque illi pro opere, aliquorum actuum mercedem, quàm tempore designato, nempè post Sacrificium Missæ, deinde vesperi exsolvebat. 3. Triplici ejus, in die, ad signum datum salutationi, adjungebat Orationes Sanctæ Mechtildis, ad impetrandã felicem mortem. 4. In singulis Sanctissimi Sacramenti visitationibus eam quoque tenerrimè, & appretiativè salutabat. 5. In egressu cubiculi semper osculabatur imaginem ejus, commendans se, & causam egressús, & dominium cubiculi. 6. Qualibet mediâ nocte, inter alios actûs, eam salutabat, petebatque augmentũ amoris ejus in se, hoc modo; *Piissime IESV, Pretiosissimæ Parentis MARIÆ amorem volo. Da mihi amorem ejus, propter amorem eius, majorem omni amore eius.*

Quæ concernunt affectum, & cultum. quo Pater Gaspar ferebatur in alios Sanctos, aliqua ex ejus luminibus adnoto.

1. *Die* 14. *Novembris*, 1623. accepi mihi in Patro-

Patronus S. Henricus Suso

Patronum specialem, S. Henricum Susonē, in Sacro, coram Sanctissimo Sacramento. Quàm verò ei patrocinium hujus Sancti, Æternæ Sapientiæ addictissimi profuerit, brevi patuit. Die enim decima septima Decembris, (verba ejus sunt) quæ est septima ante Vigiliam Nativitatis, & pridie Expectationis partûs B.V. quâ die dicuntur Antiphonæ O. in Ecclesia cæperam cogitare de disponendo me ad despósationem cùm Æterna Sapientia, sed affectu reverentiæ motus, destiti, de desponsatione cogitare, facienda in die Natalis Domini, statuens toto Anno sequenti, me priùs ad id præparare, fuique in eo proposito; cùm subitò, ultima Decembris, invasit me cupido, sequenti die, qui est Circumcisionis Domini, faciendi desponsationem cum Æterna Sapientia, quàm & feci, magnâ meâ cum consolatione, in Sacro. Quo etiam die, ante hanc desponsationem professus sum desiderare me, ut sim verus JESU Socius, ut incessabiliter Deum amem: ut sensualitatem in me excoquam: ut quotidie proficiam, & Deo ardentiùs serviam: ut totus indiviner in Deum. Post professionem vero istorū desideriorum, factam, ad purum Dei gustum professus sum, me horum ipsorum realem obtentionem petere loco xenii, & strenæ, ab æterna Sapientia.

Desponsatio cum Aeterna Sapientia.

Patrona S. Barbara.

2. *Die 4. Decembris, 1623.* accepi in Sacro, coram Sanctissimo Sacramento, ante communionem, mihi in Patronam, S. Barbaram; ut illa præesset Sacrificiis Missæ, à me peragendis: Ex tuncque cæpi coronam dicere, ante, & post Sacrum, de Sancta Barbara.

Patronus S. Joseph.

3. *Die 19. Novembris, 1625.* accepi mihi in specialem Patronum magno affectu, S. Josephum, Sponsum Pretiosissimæ Parentis, recepique eodē die statim ab illo pignus benevolentiæ, scilicet libellum quendam, qui insigniter in me devotionem erga Pretiosissimam Parentem promovit.

Patroni SS. Novi.

4. *Anno 1627. Die 2. Novembris*, docuit me divina gratia, ut ad Sanctos recenter ad beatitudinem admissos, peculiarem haberem devotionem, invocando, & primam gratiam ab eis rogando, sortem illam eis gratulando: In specie autem, sub Sacro tempore communionis, docuit me, cum eo gustu, affectu, reverentiaque arcta, Sanctissimum Sacramentum sumere, cum qua animæ sanctæ, recenter è Purgatorio eductæ ad Beatudinem, Deum, quem jam clare spectant, amplectuntur.

5. *Die 16. Decembris, 1623.* ex speciali quadam motione interna, dixi Votivam de Angelis, idque ex hac occasione; quia in hujus diei Sacro, proposueram mihi supremum Angelum ex Seraphim, accipere in Magistrum, & Patronum, exemplarq; incessabilis ad Deum adhæsionis, proposuique specialiter ad illum Spiritum esse devotus singulis diebus, exemplo Sancti Susonis.

Patronus supremus ex Seraphim.

Inter proposita Anni 1624. hæc habet. Faciam aliquid in honorem Sanctorum illorū qui sunt mundo ignoti, & nullum habent honorem in Ecclesia militante.

Patroni SS. ignoti.

Præterea Singulariter addictus fuit Societati Seraphicæ, id est illis Sanctis, tam ex Angelis, quàm ex hominibus, qui specialiter Verbo Incarnato afficiebantur, & afficiuntur. Qualis est ex Angelis, S. Michael, qui Lucifero dedignanti Deum-Hominem adorare, primus restitit cum aliis, qui Angeli Michaelis vocantur in Apocalypsi. Qualis etiam singulariter est S. Gabriel Matris divinæ Paranymphus. Ex hominibus vero præter ipsam Pretiosissimam Parentem, & S. Josephum, omnes illi Sancti, qui peculiari Sanguinis, & amoris, & beneficiorum nexu, Christi Humanitatem prosecuti sunt; uti est S. Joachim, S. Anna, Fratres Domini, Apostoli, S. Joannes Baptista: Benefactores, & Benefactrices Christi in temporalibus &c. Ideo autem hos omnes vocabat Societatem Seraphicam: quia ut supra retuli, die quodam in Sacro visus est illi Christus Jesus, ad instar Seraphini Cruciformis.

Societas Seraphica ex Angelis.

Societas Seraphica ex hominibus.

CAPUT XIV.

Privata quædam Festa, ex devotione, à Patre Gaspare celebrata.

Quod Clemens Alexandrinus de viro justo ait; universa ejus vita, est quidam celebris, ac Sanctus dies festus: idem ferme de Patre Gaspare dici potest, qui ad majores in spiritu progressus, & ascensiones cordis sui promovendas, præter communia toti Ecclesiæ Festa, multa quolibet Mense habuit privata; quæ non recitatione officii divini alicujus novi, neque aliquo novo Missæ ritu, sed applicatione intentionum, dilatatione affectuum, & aliis praxibus devoti animi celebrabat.

Prima die Ianuarii, recolebat Festū principale dignationum Domini nostri JESU Christi, tam spiritualium, quàm corporalium:

Festa Januarii.

Festum dignationum Christi.

lium: Nomine Dignationum intelligens omnes humiliationes Jesu Christi, quas pro nobis in Incarnatione, Nativitate, vita, Passione, morte, sepultura, tam quoad animam, quàm quoad corpus subire dignatus est. In hoc Festo, imprimis agnoscebat, amabat, æstimabat, colebat has dignationes Domini. 2. vestiebat se dignationibus Jesu Christi spiritualibus, id est, resolvebat se in particulari, ad toleranda similia iis, quæ toleravit Christus; nempe vilificationem, contemptum, irrisiones, sterilitatem. Modus autem vestiendi sese dignationibus Jesu Christi, fuit talis. *Domine apud quem numerus electorum cognitus est, & qui singulorum nosti differentias, ac merita. Ego N. quanquam indignissimus, attamen servorum Tuorum unus, à liberalissima Tua manu, vestem ex dignationibus unigeniti filii Tui conflatã, & consarcinatam, efflagito, eamq; in conspectu Dignissimæ Tuæ Majestatis, nec non universæ Curiæ Cælestis, ex nunc mihi de manu Tua assumo, induo, & per omnem æternitatem illâ vestiri me velle, profiteor, propono, & protestor. Mi DEVS, ab occultis Incarnati VERBI, Filii Tui, exorna, illustra, & magnifica me, Fac ô dulcissime imitatorum Filii Tui amator, ut IESVS, quantò fuit pro me vilior, tantò sit mihi carior: nihil mihi ex omnibus mundi bonis placeat; nisi dignationes, humiliationes, exinanitiones, dilectissimi Filii Tui, quas ille pro me suscepit. Illæ sint stemma meum, Nobilitas mea, ornamentum meum, monilia mea, nota, & gloria mea sempiterna. Hoc à Te DEVS meus, per omnem unigeniti Tui, DEI-hominis dignationem, supplex postulo. idq; non tantùm mihi, verùm etiam omnibus, quibus IESV Christi infirmitatem, stultitiam, dignationes, exinanitionesq; amplecti, & profiteri, atq; improperium, & verecundiam non erubescere, Tu ex gratia Tua magna, vicum unà dedisti, & adhuc daturus es: Tibi sit cum Incarnato VERBO, & cum Spiritu Sancto, adoratio, & gratiarumactio, in sæcula. Amen.*

Modus vestiendi se dignationibus Christi.

Festum Ominis.

Secundâ die Ianuarii, Festum Ominis, & successûs impetrandi pro Novi Anni initio, & decursu toto. In quo, sicut & in priori Festo. 1. Primitias Novi Anni consecrabat Sanctissimæ Trinitati, per actum aliquem intensissimæ charitatis. 2. Eliciebat actus alios charitatis divinæ 365. quibus consecrabat Deo omnes dies Anni 3. Toti Anno, & omnibus, quæ in eo acturus, & passurus erat, præponebat præsidẽ Pretiosissimam Dei Matrem, adjunctis aliquibus Ordinibus Sanctorum.

Festum fervoris.

Tertiâ die Ianuarii, Festum Novitatis spiritûs, & fervoris, ex proposito. In quo festo specialiter innovabat fervorẽ actionum totius Anni, faciebatque coram Deo protestationem, se velle omnem actionẽ, millies, millies majori proportione intensæ charitatis peragere. Habebat etiam aliquam vocem in ore, & mente fere perpetuo, quâ unicâ licet, tamen ex proposito & placito suo, renovabat fervorem, exprimebatque gradum, & proportionem fervoris, applicatã cuilibet momento, & atomo temporis, actionis, passionis, potentiarum exequentium, subjecti agentis, patientis, circumstantiarũ adjunctarum. Inter quas voces ferunt hæ; *Digne DEO, divine, omnipossibiliter dignissime DEO, majori quàm unquam fervore, atomice, toto me &c.*

Festum immolationis famæ

Quartâ die Ianuarii, Festum Immolationis famæ, & Honoris proprii: In quo totam famam suam holocaustificabat Deo.

Festum Natalis proprii.

Sextâ die Ianuarii, Festum Natalis proprii: de quo conscriptum habebat Exercitium Liturgicum.

Festum Nominis JESU.

Nonâ die Ianuarii, Festũ Sanctissimi Jesu Nominis, quatenus Christo, & Societati impositum est. In quo Festo, nominis Jesu imaginem expositam habebat in cubiculo, eamque statutis in diem temporibus adibat, & venerabatur, quinquies repetitâ genuflexione. Litanias de Nomine Jesu dicebat. Aliquâ mortificatione Sanctissimum Jesu nomen honorabat. Laudes ejusdem Nominis expendebat. Exercitio denique Liturgico, quod de eodem Nomine conscripserat, in Sacro utebatur.

Decimâ die Ianuarii, Anniversarium Parentum, & consanguineorum suorum celebrabat. In quo servabat præscripta, de juvandis animabus in Purgatorio.

Vndecimâ die Ianuarii, Festum desponsationis Pretiosissimæ Parentis cum S. Josepho, & secum. In quo innovabat suam desponsationem cum B. V.

Festa Februarii.

Secundâ die Februarii, in usu habuit Festũ gratiarumactionis pro quodam beneficio præstito quibusdam personis: hoc est, juxta dicta supra; pro confirmatione sua in Gratia, & pro prædestinatione Patris Jacobi Lichanski, eo die cognita.

Tertiâ die Februarii, Festum Mancipatûs, sui, & aliorum Pretiosissimæ Parenti, Dominæ suæ: In quo innovabat suam demãcipationem.

Dominicâ Septuagesimæ, Festum doloris, & contritionis pro peccatis; in quo solita contritionis exercitia innovabat.

Triduo Bacchanalium, Festum dignationũ Christi. In quo 1. piissimum cor Jesu amarissime effodi, copiosissimisque dignationibus illudi, ac saginari dolebat, eique compatiebatur. 2. Offerebat se ad perferendas pœnas, peccantium flagitiis debitas, easque pœnas actu ipso à se exigebat,

bat, per varias afflictiones corporis. 3. Maximam diei partem, vel coram Sanctissimo Sacramento in Templo, vel in cubiculo clausus exigebat, orando, lugendo, sese affligendo. 4. Peculiari studio torquebatur peccatis hominum nocturnis, in eorumque compensationem quinque partitam instituebat flagellationem corporis, quamlibet continentem ictus 50. juxta dicta supra, de mortificatione illius.

Eodem Mense, habuit Festum VERBI Incarnati, in Domo Materna privatim ad Annum trigesimum degentis. Festũ VERBI prædicantis. Festum Devotorum ad Passionem Christi, pro impetranda devotione per illos ad eandem Passionem. Festum felicis ingressûs Quadragesimæ cum sanitate, & lucro animarum magno. Festum denique Christi in solitudine, à die Cinerum, ad Dominicam primam Quadragesimæ: si tamen hæc ultima tria Festa celebrari poterant hoc Mense, aliàs celebrabat in Martio. Omnium autem horum Festorum præscriptas habebat praxes.

Festa Martij.

In Martio, celebrabat Festum Indivinationis, commodo aliquo die. In quo modos Indivinationis, de qua supra retuli, instaurabat.

Duodecimâ die Martii, Festum Sacerdotii, & gratiarum Sacerdotalium: de quo habebat conscriptum Exercitium Liturgicum.

Vigesimâ quartâ Martii, Festum S. Gabrielis Archangeli: de quo itidem Exercitium Liturgicum habebat.

Vigesimâ sextâ Martii, Festum Dignationum VERBI Incarnati, in quo sublimè de eodem VERBO inibi manente, instituebat contemplationem.

In media Quadragesima, Festum Renovationis spiritûs Quadragesimalis. In quo rationem peragendæ Quadragesimæ, exactis observationibus plenam innovabat.

Eodem Mense, instituebat Festum Hospitationis Christi, in Dominicam Palmarũ incidens. Festum quoque Tridui, morientis, patientisque Christi, & Festum Dolorum omnium Pretiosissimæ Parentis, incidens in Sabbatum ante Dominicã Palmarum. si ita tempus ferebat: aliàs Festa hæc sequenti Mense absolvebat.

Festa Aprilis.

In Aprili: peragebat *inprimis* Festum Desponsationis cum Divina voluntate. *Deinde* Festum exspoliationis sui, ab amore omnium rerum Creaturarum. *Tertiò* Festũ Seraphicæ Societatis, Amatricis Æternæ Sapientiæ. *Denique* Festum suæ omniumq; Nutricis, Gratiæ DEI. Tempus autem, & dies horum Festorum, erat pro commoditate.

Festa Maij.

In Majo, hæc ejus privata Festa fuêre. *Primum.* Festum amatorum Sanctæ Crucis, seu Crucifixorum pro Christo. *Alterum* Societatis stultorum, & Dignationum Christi. *Tertium*, Professionis propriæ. Quæ omnia in ipsum Inventionis Sanctæ Crucis Festum incidebant, & ab eo eadem die simul omnia celebrabantur. *Quartum.* Festum gaudiorum omnium Pretiosissimæ Parentis, incidens in Sabbatum post Festum Ascensionis Domini. *Quintum*, Festum Eminentissimæ DEI Dignitatis. In quo ejus exaltationi, admirationi, prædicationi, Exercitio Liturgico, Coronis, affectibus, meditationibus, totum sese impendebat.

Festa Junij.

In Iunio, accensebat præcipuis suis Festis. 1. Festum ignitionis, seu ignescentiæ in fervore Spiritûs Sancti, per incessabilem Dei amorem. 2. Festum Anathematis, & Liberalitatis cum DEO, incidẽs in Festum Sanctissimæ Trinitatis. 3. Festum Paupertatis, & Exspoliationis sui, ab omni re, spe, amore, possessione Creaturarum omnium. 4. Festum Josephi Anchietæ Societatis JESU, incidens in diem nonam Junii.

Festa Julij.

In Iulio, hæc obibat Festa. *Primò*, Festũ omnium de nostra Societate Martyrum, incidens in Festum Divisionis Sanctorum Apostolorum. *Secundò*, Festum influxûs Christi Domini, ut Gubernatoris, simul cum Festo Sanctæ Marthæ Hospitæ, Christi Domini, incidente in diem 29. Julii. *Tertiò*, Festum Balnei, expiationis, supplementi. Festum Bonæ Mortis, & Festum imitationis DEI, ut Ideæ. Quorum omnium habebat præscriptas praxes, eaque celebrabat trigesimâ Julii.

Festa Augusti.

In Augusto, peragebat. *Primò* Festum Vacationum Cælestium, primâ, & ultimâ, Augusti: sub quo nomine intelligebat sublimes contemplationes de rebus Cælestibus. *Secundò*, Festum iterum Indivinationis, in Festo Transfigurationis Christi. *Tertiò* Festum agonis, & mortis Pretiosissimæ Parentis, die, 13. Augusti. *Quartò*, Festum Religiosæ vocationis, & ingressûs, die, 15. Augusti; de quo præcipuũ habebat Exercitium Liturgicum. *Sextò*, Festum Religiosi vestitûs assumpti, die 26. Augusti. *Septimò*, Festum Æternæ Sapientiæ in Dominica prima Augusti, exemplo Beati Henrici Susonis, quo die inchoat Ecclesia Libros Sapientiæ, habebat autem præscriptas occupationes, & Delicias (verba ejus sunt) cum Æterna Sapientia, Chri-

Christo Jesu. Festum Suavissimæ, Dei providentiæ, in Dominica, *14.* post Pentecosten: in hujus enim Dominicæ Evangelio, Christus præcepit fiduciam, in Dei providentia.

Festa Septembris.

In Septembri, celebrabat *imprimis* die primâ, Festum iterum Æternæ Sapientiæ. *Deinde*, alterâ die Festum Societatis Æternæ Sapientiæ. *Tertiò*, die tertiâ Festum desponsationis suæ, cum Æterna Sapientia. *Quarto* die Octavâ Septembris, Festũ Hæreditationis sui ab Æternæ Sapientiæ Matre, MARIA. *Quintò*, Festum Institutæ Societatis JESU, die *27.* Septembris. *Sextò* Omnium Sanctorum Societatis, die *28.* Septembris. *Septimò*. Festum Incarnatæ Sapientiæ Æternæ, ejusque Humanitatis, & gratiarum illius omnium, gloriæque totius, die *30.* Septembris. A Festo S. Michaelis, Principis Ecclesiæ, per continuos novem dies, Novem Choros Angelorũ colebat, juxta præscriptas praxes.

Festa Octobris.

In Octobri solitus erat celebrare. *Primò*, Festum S. Angeli Custodis proprii. *2.* Festum Jesu Christi tanquam Capitis Angelorum omnium. *3.* Festum ejusdem Domini nostri, tanquam Filii Virginis Hominis. *4.* Festum Redituum Pretiosissimæ Parentis, & obsequiorum, quod bis peragebat. *5.* Festum amatorum Pretiosissimæ Parentis omnium. *6.* Festum totius Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, ac in specie Maternitatis divinæ, Pretiosissimæ Parẽtis, quod etiam bis peragebat. *7.* Festũ Paupertatis, & exspoliationis sui, ab omni amore, spe, possessione, re creata.

Festa Novembris.

In Novembri, instituerat *Primo* Festum SS. noviter Beatorum, juxta praxim sibi præscriptam. *2.* Festum beneficii cujusdam, sibi olim *14.* Novembris, à Deo collati. *3.* Festum omnium, & singulorum Dei in se beneficiorum, ac simul in omnes Creaturas; quod Festum agebat *15.* Novembris, colebatque in hoc die, & Festo; *1.* DEUM Sanctissimam Trinitatem, tanquã fontem omnium beneficiorum *2.* VERBUM Incarnatum, JESUM Christum, tãquam meritorem eorundem. *3.* Pretiosissimam Parentem tanquam thesaurariam, & dispensatricem ipsorum. *4.* Suavissimam Dei providentiam. *5.* Festum Sanctorum, secum specialiter connexorum, in Dei providentia, & voluntate per respectum ad præsentem, & futuram vitam. *6.* Festum Pretiositatis MARIÆ Virginis, simulque immolationis DEO, per manus ejusdem Virginis, famæ, & honoris

Devotio ad Sanctos, secũ connexos in Dei providentia.

proprii, quod Festum agebat *12.* Novembris: hoc enim die olim thesaurum Pretiositatis B. V. Deus illi ostenderat, & postea eodem die primam honoris, famæque suæ immolationem, per manus Sanctissimæ Virginis, Deo fecerat. *7.* Festũ VERBI Incarnati JESU Christi, tanquã Judicis, in judicio particulari mortuorũ, simulque Festum ejusdem tanquam Judicis in judicio universali: quæ Festa agebat ultimâ Dominicâ post Pentecosten, vel primâ Adventûs. *8.* Festum Testamenti proprii, & Patris cujusdam N. mortisque, & expiationis propriæ; quod celebrabat *29.* vel *30.* Novembris: quo tẽpore singulariter morti se aptabat, condebat testamentum &c. *9.* Festum Omnium Sanctorum Crucifixorum, & Crucis Christi amatorum, in ipso Festo Sancti Andreæ.

Festa Decembris.

In Decembri, habebat *Primò*, Festũ S. Barbaræ, pro felici morte, & usu Sanctissimi Sacramenti, in eodem articulo mortis. *Secundò*, Festum traditionis sui Pretiosissimæ Parenti in hæreditatem, & Festum Tributi, in ipso Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. *3.* Festum Amoris & Amatorum omnium Æternæ Sapientiæ, sub ratione Incarnationis: quo die renovabat in se amorem erga VERBUM Incarnatum, & Dignationum Incarnationis. *4.* Festum expectationis Partûs Pretiosissimæ Parentis: quo tempore recolebat novem Privilegia ipsius, collata pro *9.* Mensium hospitio, exhibito JESU Christo in utero. Nempe *1.* Quòd facta sit Mater Dei naturalis. *2.* Quod facta sit Mater, & Virgo simul. *3.* Quòd facta sit absque dolore, immò cùm gaudio puerpera. *4.* Quod facta sit capax capere, & quodammodo cõprehendere DEUM, quem Cæli, & terra capere non possunt. *5.* Quòd ex purissimis ejus Sanguinibus, Humanitas Christi formata, & in unitatem Personæ hypostatice associata sit. *6.* Quod facta sit publicum mundi horreum, ex quo depromptũ est frumentum Electorum. *7.* Quòd facta sit secunda, & Nova Eva, omnium vivẽtium Mater. *8.* Quod per mansionẽ DEI in ejus utero, facta sit paradysus deliciarum, immò Cælũ Empyreum. *Quintò*, Festum Supplementi, expiationis, ac Balnei universalis, Testamenti, ac mortis, nec non gratiarum actionis pro beneficiis Annuis; quæ Festa per triduum ultimum Decembris celebrabat, juxta praxes præscriptas, in ratione Annum terminandi.

Novem Privilegia B. V.

CAPVT XV.

Orationis, & Contemplationis studium, Reflexivaque Vita Patris Gasparis.

Orationis donum, est præludium vitæ æternæ.

DOnum Orationis, præsertim in aliquo excellenti gradu, est præludiũ quoddam vitæ æternæ. quid enim aliud, vita nostra æterna erit, nisi cogitatio de Deo, & affectio erga Deum, & divina? Quid item aliud oratio excellens est, nisi hoc utrumque? quamvis hæc quidem, per speculum, & in ænigmate; illa vero facie, ad faciem versetur, circa DEUM. Hoc donum in quali gradu divina Bonitas Patri Gaspari communicaverit, colligi potest ex sequentibus.

Exercitium spiritûs orandi.

1. Delegerat ille sibi Mensem Martiũ, in quo specialiter exercebat sese in amore, æstimatione, & usu frequenti Orationis ferventis, affectivæ, & longioris: petebatque à Deo gratiam, scientiam, famē, & efficaciam, & continuitatem Orationis. Petebat insuper, ut non solùm oraret, sed etiam (verba ejus sunt (Oratio ipsa fieret.

Proposita Orationis.

2. Quotidie post Sacrificium Missæ, his propositis animum obfirmabat: *Volo mi IESV, me exercere, & perficere assiduo, in innovatione Intentionis crebra: in continua erectione ferv.ris excitatione: in actuali devotione in omnibus: in concatenatione actionum per spiritum: in DEI præsentis amante memoria. & memori amore, & fame Orationis: in usu recollectionis horariæ, & crebrioris, &c.*

Bonitas Meditationum unde colligēda.

3. Singulis itidem diebus, duas ordinariè instituebat Meditationes, alterā mane more Societatis consueto: Alteram post Meridiem, dum urgens aliqua occupatio eam non impediebat: Bonitatem autem Meditationum inde metiebatur. 1. Ex subordinatione sua ad Deum, & ad Superiores propter Deum 2. Ex odio sui, victoriaque, & pace affectuum suorum. 3. ex æqualitate vitæ, dominioque sui in rebus, & actionibus suis. 4. Ex Charitate, & mansuetudine, supportatione, compassione sua, super aliorum mala, imperfectionesque. 5. Ex observatione Regularum disciplinæ Communis, & suarum privatarum observationũ exactā, & punctuali. 6. Ex odio, fuga, paucitateque defectuum quotidianorũ, ac puritate cordis, & corporis. 7. Ex victoria gulæ, & linguæ, aliarumque inordinationum. 8. Ex fervore, ac devotione, & tendentia in Deum, constanti, ac experimentali.

Dona singularia.

4. Anno 1609. in Novitiatu, accepit à Domino doctrinam acquirendæ semper præsentiæ divinæ. Anno autem 1620. accepit à Deo prolusionem contemplativā, ut retuli Cap: 1. Anno quoque 1623. cognovit ex instinctu Dei, impetratum sibi à B. V. affectum incessabiliter inhærendi Deo, ut dixi. Cap: 13. Ex quibus omnib⁹ facile habetur, quàm excellens Orationis donum. collatum ei fuerit divinitùs.

Orationes ejaculatoriæ.

5. Orationum ejaculatoriarũ usum habuit frequentissimum; ita ut etiam per Curritoria incedens, immo etiā cum aliis colloquens, coronulam manibus tereret, actusque aliquos eliceret. Duplices autem Orationes ejaculatorias dicebat esse; quasdam meri tantùm affectûs nostri erga DEUM, quales sunt; *DEVS meus, & omnia. O ignis, qui semper ardes! Paratum cor meum DEVS. O Domine ego servus Tuus &c.* Et has laudabat, cōmendabatque Quasdam, per quas non solùm affectum ignescere facimus, sed etiam proposita nostra circa virtutes, vel vitia, brevissime, validissimē tamen in DEUM jaculamur. Et has magis approbabat, præferebatq; prioribus, saltem propter incipientes & proficientes, deq; illis tale habuit à DEO lumen.

Doctrina de orationibus ejaculatoriis.

Anno 1624. die 12. Decembris, docuit me Dominus, quas, & quomodo practicas coronas, ejaculatoriasque orationes frequentare deberem, scilicet, ut coronā dicerem hoc, vel simili modo; *1. DEVS meus, fac me amare hunc N. qui me odit. 2. DEVS meus volo bene loqui de N. obloquenti mihi 3. DEVS meus gratias ago Tibi pro isto N. adversario meo. 4. Fac isti mi DEVS bene. qui mihi in hoc fecit mal &c. talibus enim affectibus iteratis imprimitur practica dignationum IESV Christi tolerantia.*

Singularia de tempore dictamina.

6. Convictum se à DEO, quibusdam dictaminibus, ne properaret in recitatione Orationum vocalium, fatetur in libello illustrationum, his verbis; Quadam vice recitabam preces Canonicas, celeriter volens illud pensum expedire, & tempus reliquum ad quædam peragenda reservare, cùm mihi in Spiritu, ad mentem venit; *Quid festinas, & tempus DEI Laudibus suffuraris? Nunquid tempus DEI non est? An non ille fecit tempora? ut ipsi illa impendere nolis, & sis parens temporum, quoad divina? Times ne tibi desit ad alia, si DEO impendas tempus. Esto, desit aliis, non desit DEO, impende illud DEO. impendet Tibi DEVS, ne metue tempus dare DEO. Pater ille sæculorum, suppeditabit illud; si indigueris. Denique desit postea tibi tempus: esto: at non ne satis erit tibi, si totum, si reliquum, quod habuisti tēpus, DEO dedisse inveniaris, & non habuisse, quod impen-*

impenderes non DEO. His dictaminibus persuasum est mihi, ut tempestivè, hoc est sufficienti tempore accepto, preces Canonicas semper dicam, nec me in angustũ tempus conjiciendo, ad festinandum cogam, utque non festinem, nec sim parcus, in DEUM temporis, qui est auctor temporis.

Scripta per modum Meditationum.

7. Plurimas conscripsit Meditationes, & pleraque ejus Ascetica, sunt ab eo juxta modum, & formam meditandi, scripto tradita. omnia verò ejusdem Scripta, plena sunt affectibus variis, erga DEUM, Christum, B. V. Sanctos: ita ut scripsisse, & simul meditatus fuisse, Orasseque videatur.

Prægustationes Beatitudinis.

8. Actûs, & affectûs Beatorum suaviter prægustabat interdum, ut in ejus consuetudinibus reperi, his modis. 1. Intuitu fortuito, & possessivo gaudio, gaudenteque possessione, atque suctione, vel potatione Summi Boni. 2. Admiratione, obstupefactione, defectioneque in summum Bonum. 3. Satietate famente. & fame satiatâ, & tamen anhelâ, ad summum Bonum. 4. Contentatione, & quasi confessione contentationis, impletæ spei, persoluti superefluenter laboris.

5. Charitate exuberante, & æstuante in DEUM summum, & jam suum æternaliter possessum Bonum. 6. Laude, exaltatione, dignificatione, in sæcula sæculorũ. 7. Invitatione Creaturæ rationalis ad fruendum DEO, atque assecuratione, quòd non fallat Deus, quodque superet fidem, spem, vota, captum.

Imitatio sitûs Beatorum.

9. Sitûs varios Beatorum in Cælo, piè exprimebat interdum in sese. 1. Admirantis, & defixos oculos habentis. 2. Reverentis, & Majestatem Dei admirantis pronè. 3. Appositis in Crucem manibus ante pectus, oculorum elevationem blandam, & contentativam habentis. 4. Diductis manibus ante se, vultu renidentis, labiaque suaviter, & modicè hiantia præferentis. 5. Demissis dejectisque brachijs, & manibus, suaviter stupentis, atque consistentis. 6. Compositis, ut orantes solent, manibus vel palmis ad pectus, mistum admiratione, gaudio, vividâ delectatione, vegetoque languore habentis. 7. Positis in sinu manibus, confessum æternum, & adspectum, inspectumque totius Divinitatis abyssi, Bonitatisque thesauri proprietatem jam obtinentis.

Specimina Contemplationis.

10. Specimina contemplationis, concessæ illi à DEO, non uno in loco inter scripta ejus reperi, sed potissimùm in Ratione peragendi Vacationes Cælestes, nẽpè fruendi deliciis Divinitatis, recolendi Triumphum Pretiosissimæ Parentis in Cælos assumptæ, & colendi VERBUM Incarnatum, IESUM Christum, ut glorificatorem Sanctorum suorum in Cælo: quam rationem in Mense Augusto practicabat. hic ejus præaltam legere est contemplationem, singulos digestam in dies: Referre eam longùm esset, accessum tantummodò, & veluti præludium ejus, ad eam verbis ejus refero; ita ergo ait; Omnibus Augusti Mensis diebus, Spirituales, Cælestesque vacationes peragam. Locus Vacationum istarum erit. vel cor in Cœlo, vel Cœlum in corde meo positũ, collocatumque. Finis illarum erit; gustare, & videre, quàm suavis sit Dominus DEus noster, tam in sua ipsius Divinitate, quàm in Sacratissima IESU Christi, DEI-hominis Humanitate, Beatos suos in Cœlo beatificante, Bonisque æternis exsaturante: quam etiam in Pretiosissima DEI-hominis, & nostrũm omnium Parente, MARIA Virgine, &c. Materia vacationum harum erit, præcipue triplex; nempe; Deliciositas, & Dulcedo Essentiæ divinæ, atque Sanctissimæ Trinitatis, VERBI Incarnati, IESU Christi, super Sanctos suos, jam secum regnantes in Cœlo, beatifica effusio: & gloria Pretiosissimæ Parentis MARIÆ, in Cœlos assumptæ, cum corpore, & anima.

Vacationes Cælestes.

Materia vacationum Cælestium.

Quod spectat ad reflexivam vitam Patris Gasparis, ita intentos ille supra se habebat oculos; ut non omnino quidem diversis temporibus, viginti tamen & octo ordinarie usurpaverit examina: idque præter examẽ breve post singulas horas usurpatum, nisi urgens quid obstitisset. *Primum* examen erat agendorum eo die, & tolerandorum. *Secundum*, Incidentium, quæ non cadebant sub ordinem: sed evenire poterant. *Tertium*, Emendandorum ex præterito Mense, vel ex proxima Confessione, vel ex aliquo examine. *Quartum*, Repugnantiarum vincendarum. Tempus horum Examinum erat mane, finitâ meditatione. *Quintum* examen erat in ordine ad Sacrum Missæ faciendum. *Sextum* commune, quòd à disciplina domus præscribitur, ante prandium; cui examini adjungebat, *Septimum* particulare juxta mentẽ, & normam S. P. Ignatii, & *Octavum* menstruum: quod quantùm ad materiam, idẽ erat, cum particulari, dispiciendo, an tot, & designatis temporibus, exerciti sint mortificationis externæ, & internæ actûs, pro Mense assumpti; & an actus virtutis menstruæ usurpati? *Nonum* Examen erat officiale, quod etiam adjungebat

Examina 28.

Examina Vilissima Religiosi hominis.

Examina utilissima Religioso homini.

bat Examini communi ante prandium. Rursus post recreationem Examina quatuor; nempè Agendorum, ac sufferendorum, incidentium, emendandorum ex Mēse, & Repugnantiarum vincendarum instituebat. *Decimum quartum* Examen erat, super lumina, gratiasque actuales, & inspirationes divinas. *Decimum quintum* super exercitium virtutum in occasionibus, superque ipsas occasiones, *Decimum sextū*, super sublimationes actuum, seu super formalitates, ac modos sublimandi actiones, atque passiones omnes. Quæ tria examina instituebat circa primam horam post meridiem. *Decimum septimum*, Examen supra fontes imperfectionum quotidianarū. *Decimum octavum*, In quo inspectis defectibus, contraponebat actûs oppositos. *Decimum nonum*, super novitatem spiritûs, & fervoris. *Vigesimum*, supra speciales animæ nævos, habituales præsertim: Horū quatuor examinum tempus designaverat ante cænam pro commoditate. Sequebatur Examen vespertinum commune, cui adjungebat iteratò alia quatuor Examina; nempe particulare, menstruum, officiale, & corrigendorum ex mense, vel si in his nihil speciale advertebat, faciebat Examen vitandorum, Adjungebat quoque. *Examen vigesimum sextum*, supra ordinē actionum, & horarum. *Et vigesimum septimum*, supra ejaculationes in DEUM factas. Denique quiescente jam Collegio, instituebat Examen. *Vigesimum octavum*, *Censorium*, ita dictum à rigore, & subsequentibus pœnis sibimet inflictis.

Examen Censorium.

Horum omnium Examinum, in promptu habebat puncta, quæ ob prolixitatē, hic non adnoto. Ut tamen appareat mira ejus perspicacitas in pervidendis imperfectionibus, & nævis animi, Materiam solummodò Examinis Decimi septimi, ex ejus libello hic appono.

Fontes imperfectionum.

Examen imperfectionum quotidianarum.

1. Inconsideratio, & indeliberatio ante opus, & post opus. 2. Languor mentis, efficaciam ferveris enervans. 3. Inconstantia in bonis, ob causas leves. 4. Dilatio agendorum, de tempore, in tempus. 5. Fiducia sui, spes supplementi, blandimentum de facili compensatione. 6. Intentionis defectus; quia nulla, non pura, frigida, retractata. 7. Irresignatio, timor humanus, amaritudo, sæpè vana imaginans, illudens, ab opinionis dominio profecta. 8. Delectationes satisfactionesque, naturæ indultæ, condescensionesque propter merum naturæ ductum. 9. Defectus præsentiæ ad se, raritas recollectionis, præcipitatio, festinatio, ursio inquietans sine rationabili causa. 10. Tardus ad DEUM, & orationem recursus, in labore, difficultate, tribulatione. 11. Designationes ad pauca respicientes. 12. Tenax inhæsio ad proprium ordinem, designationem, judicium. 13. Iustificatio, & excusatio sui erroris, apud se, & apud alios. 14. Querulositas de injuriis, & ingratitudinibus, ac difficultatibus, deque moribus, & morositatibus alienis. 15. Affectata dissimulatio remorsuum, & instinctuum internorū. 16. Inordinatio temporum, & actionum. 17. Fuga confusionis, celatioque quorūvis defectuum coram DEO, & Confessario. 18. Scandala, modica licet in specie. 19. Fuga laboris in advertendo, & examinando 20. Conjectio sui in angustias temporis, ex causa culpabili: Unde perfunctoria, actionum expeditio. 21. Eventuum præter mentem evenientium, non in DEUM rejectio, neque ex gustu providentiæ divinæ acceptatio. 22. Merum, & nudum, studium explendi numerum piarum actionum, obturandique conscientiæ clamorem, ac morsum. 23. Sordida quædam temporis parcitas, quâ volumus citò expedire obsequia divina, interim & opus, & tempus perdimus. 24. Naturalis affectio ad personas, amicos, benefactores, amatoresque proprios: naturalis item affectus res, officia, occasiones, laudes proprias. 25. Naturalis aversio, & declinatio à personis, Officiis, molestiis, indigentiis. 26. Applicatio effusa mentis in agendo, absque dominio, & præsentia sui. 27. Debilis, & fluctuans applicatio ad agendas res, quæ præ manibus sunt. 28. Respectus humani, rationesque humanæ sperantes, timentes, differentes, dissimulantes. 29. Spes impunitatis. 30. Oblivio proveniens ex fiducia memoriæ, vel ex dilatione. 31. Desuetudo, vel è contra assuetudo. 32. Fiducia, & veluti nidificatio, acquiescentiaque in rebus, personis, locis, amicis.

Fontes 32. Variorum defectuum.

Examen horarium.

Præterea operæ pretium est, apponere *Examen horarium*, quod sibi præscripserat, in hunc modum.

Horâ sonante, vel certè horâ, quam mihi ex temporis distributione Examini deputavero, appetente, Examen infra scriptum faciam.

Punctum 1. *Punctum 1. Gratias Tibi ago DEUS meus, pro omnibus, & singulis totius vitæ, & horæ elapsæ, elapsuræque beneficiis.*

Punctum 2. *Punctum 2. O Trinitas DEUS, lux beatissima, reple cordis intima; &c.*

Punctum

Punctum 3.

Punctum 3. Examinabo horam, & opera horæ elapsæ.

1. Impensane hora operi designato, & opus an suâ horâ factum?

2. Opus bonumné suâ naturâ, an intentione? factumné bene? & quâ bonitate? naturali, politicâ, supernaturali? Habuitné aliquam circumstantiam vitiosam, præcipue effusionem, teporem?

3. Servatæné in operæ regulæ communes, & observationes privatæ?

4. Præmisistiné operi intentionem actualem, an virtualem tantùm?

Examen intentionis.

5. Ea intentio fuitné pura, defæcata, vacua meo bono, solum DEUM præcise intuens, an occulte & subdole proprietatem quærens, sperans, respiciens? Fuitne ita defæcata, ut non spectaverim etiam spirituale, etiam æternæ vitæ commodum aut meritum, in quantum illud meum bonum est; sed pure in quantum DEI, & propter DEUM? Itane solius DEI gustum, gloriamque spectavi; ut juraverim, & intenderim omnipossibiliter, DEUM hoc opere dignificare, in quantum est dignificabilis in se, & in quantum ego sum dignificativus Eius, ex gratia, hic & nunc habitâ. Itane nihil mei quæsivi in opere, ut etiam insuper vilificârim me, quantum vilificabilis sum à DEO, à me, ab omnibus Creaturis.

6. An ad opus, & in opere, auxilium DEI expetii, illiq; soli innixus sum plene, de viribus, & sufficientiis meis expresse desperando.

7. An opus egerim ex totis viribus animi, (quantas opus requirebat in substantia, & perfectione sua) & corporis; salvâ discretione, & an in hanc peccatum sit?

8. An in opere imitatus sum Christum, eiusque exemplar?

9. An in opus meum, gratiæ, meritorum, operumq; Christi influxum curaverim, petierimque?

10. Univine opus meum actualiter, ardenter appretiative, IESU Christi laboribus, & conatibus, & meritis?

Examen perfectionis operum.

11. An conatum adhibuerim, ita digne, & assimilate Christo facere opus, ut opus meum, opus Christi videretur, & ego quasi Christus alter coram Deo judicarer?

12. Quâ applicationis, & attentionis, & affectûs in DEUM, Christumq; continuatione, feci opus meum? Numquid crevit in me per singula momenta? Nunquid replicabatur, sublimabatur cordis, & vividitatis Christi sublimitate? Nunquid supplebam affectum, & efficaciam meam, affectu, & efficaciâ debitâ DEO à me, à Creaturis, à Sanctis omnibus in Cælo, à Pretiosissima Parente, à Christi humanitate, ab ipsa denique Trinitate Sanctissima?

13. An atomis omnibus meis, tantum conatum, eamque fervoris proportionem impressi inter operandum, quantum totus ego, & omnis utraq; substantia mea habere debuit?

14. Quâ mortificatione meâ feci opus, præsertim menstruâ, & interna?

Examen subtilium defectuum.

15. An sectatus sim, repressionem desideriorũ impotentium, an effusionem super opus?

16. An superavi impedimenta, tædia, difficultates in aggrediendo, & operando?

17. An dilationi restiti, an compescui festinationem, & solius perfunctionis studium?

18. An linguas, judicia, respectus superavi, ad illosque obsurdui, & occalui?

19. An laudes, approbationes, vel spem earum despexi?

20. An in opere corporalem afflictionem, in aliqua parte quæsivi, arripui?

21. An menstruæ externæ mortificationis actûs, vel desideria saltem propositaque habui?

22. An hoc ipsum Examen faciam cum ea applicatione, & sufficientia, ut contenta sit ratio?

Punctum 4.

Punctum 4. defectus notatos dolore intimo supernaturali expiabo, & supplementariis actibus, ac nominatim actuali supradicta omnia servandi proposito, cõplacentiaque, & approbatione eorum supplebo: tum etiam mortificatione externâ, sanguini Christi immistâ, balneabo.

Punctum 5.

Punctum 5. Emendationem proponam, & præter proximos supplendi conatûs, insuper pænitentiam pro defectibus pænalem subibo.

CAPUT XVI.

Animabus Purgatorij Opitulatio à Patre Gaspare impensa.

Proprium Societati est, animabus Purgatorii opitulari.

SI cui, certè Societati nostræ, circa animas Purgatorii solicitudo propria esse debet; ut pote cui salus, & perfectio animarum, pro fine, & scopo omnium religiosorum operum est, hoc ipsum incitamentum ad opitulandum animabus Purgatorii, memini me ex ore Patris Gasparis, in Exhortatione quadam, accepisse. Quàm verò ille ipse, eo in negotio sedulus, & serius fuerit, ex propositis ejus in praxim deductis, collegi.

Quotidianæ opitulationes animabus Purgatorii.

Inprimis itaque sic quotidie animabus Purgatorii opitulabatur. 1. Quolibet mane cujusque diei, post peracta Exercitia matutinæ surrectionis, faciebat in honorem Æternæ Sapientiæ, IESU Christi, disciplinas duas, pro Animabus Purgatorii, claudens utramque oratione; *DEUS qui nobis in Sancta Sindone &c.* 2. Cujuslibet Sacri (exceptis paucorum dierum) per Annum, fructum satisfactorium, vel totũ, vel partialem, pro Animabus Purgatorii certis, vel in communi offerebat, ijsque applicabat. præter eum, qui ad eas, ex in-

 tentio-

tentione Ecclesiæ, naturaque Sacrificii redundat. 3. In quolibet quoque Sacro, ex privilegio liberandi animam, Indulgentiam applicabat animæ, vel certæ, vel cui DEI voluntas vellet. 4. Cujuslibet diei Officium Canonicum concludebat oratione pro Defunctis, præsertim Dominicæ & Feriarum. addendo privatim ad solitas Commemorationes, seu suffragia, Commemorationem pro mortuis, cum triplici oratione. 1. *Fidelium*. 2. *DEVS veniæ*. 3. *DEVS qui in nobis in Sancta Sindone, &c.* 5. Cujuslibet diei Examen vespertinum cõcludebat Psalmo *De Profundis*, & triplici prædictâ Oratione: Psalmo quoque *Miserere*, adjectis Indulgentiis Examinis. 6. Omne cujuslibet diei opus, omnemque passionem, præter intentiones alias, ad quas dirigebat, offerebat etiam pro solatio, & auxilio Animarum. 7. Fructum satisfactorium ejus doloris, quem aliquoties in dies singulos subibat, in honorem certorum Sanctorum Nominum, offerebat pro animabus Purgatorii. 8. Completorium cujuslibet Dominicæ, ex Officio Canonico offerebat pro Animabus. Similiter Completorium Feriæ tertiæ offerebat pro Animabus, de Societate. 9. Singulis diebus mediâ nocte, ad alia exercitia adjungebat Orationem aliquam pro Animabus, & potissimùm illam privilegiatam; *DEVS qui nobis in Sancta Sindone, &c.*

Indulgentiæ Examinis.

Notabile de die 2. Novembris.

Die secundâ Novembris, de qua id asserebat; quòd sit quasi privilegiata ab Ecclesia ipsa, adeò ut omnes actiones eo die, pro Animabus exercitæ, atque oblatæ, sint specialiter præ aliis temporibus, efficaciores, ad earum auxilium, & quidẽ non solùm ex mente cujusque operantis, sed etiam ex mente Ecclesiæ, quæ hoc tẽpore universaliùs, ex præscripto auctoritatis, atque obedientiæ, vult, ac jubet orari à suis filiis, quod non potest non augere efficaciam Orationibus. Hac inquã die, his modis juvabat animas Purgatorii. 1. Excitabat in se intimum animi sensum compassivum, super ejusmodi animas. 2. Faciebat pro iisdem disciplinas 33. constantes minimùm totidem ictibus, in honorem, & cum unione totidem annorum vitæ, VERBI Incarnati, super terram. 3. Faciebat alias mortificationes, Cilicii, abstinentiæ, genuflexionum, &c. 4. Exercebat pro iisdem, actus interiores ad minimùm 1000. universaliter autem omnium omnino operum suorum hujus diei, fructum satisfactorium Animabus applicabat. 5. Sacrum, & Communionem suam, omniumque ubique Sacerdotum, hoc die Sacrificantium, offerebat, pro iisdem, in quantum, hæc satisfactoria sunt. 6. Omnia totius Ecclesiæ, omniumque ejus filiorum opera, hoc tempore, quo Ecclesia orat, à primis Vesperis, & orari vult pro animabus, sibi appropriabat, & sanguini VERBI Incarnati, meritisque Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum omnium, intincta, & conjuncta, offerebat totaliter Sanctissimæ Trinitati, intensâ devotione, & compassione pro iisdem. 7. Per omnia supra dicta intendebat juvari animas, juxta placitum, & gustum Sanctissimæ Trinitatis dando totum in manus, distribuendo se in omnibus Ecclesiæ Sanctæ intentioni. At non contenta his solùm pietatis ignibus, Patris Gasparis Charitas: majorẽ ex igne Purgatorii, ad eliberandas animas, concepit flammam. Anno enim 1640. usque adeò exarsit; ut omnia sua opera meritoria iis animabus donans, pergratum gustui Divino holocaustum fecerit. Donationis hujus tale erat instrumentum, voto, & juramento firmatum.

Consecratio totius vitæ propter animas Purgatorii.

Donatio animabus Purgatorii facta.

Abdicatio Suffragiorum in gratiam animarum.

Dignissima Trinitas DEVS meus, puro Tui amore, ut Tu exalteris, quantum per me potes, scis, & vis, & quantum ex Te dignus es: ut Christo IESV merita sua compensentur, & Pretiosissima Parens MARIA, totusq; Sanctorum cœtus exhilaretur: Vt animabus Tibi dilectis, sed necdum purgatis, Tuoque beato conspectu dignis, bene sit: ut earum Angeli Custodes fructu curarum suarum gaudeant finaliter. Ego N. totius Anni currentis, à 2. Novembris, ad sequentis Anni, 2. Novembris, operibus meis quibuscunque, animas illas juvare cupiens & statuens: hæc opera mea omnia, & singula Tuæ Divinæ Majestati offero, applico, dono; in omni eorum applicabilitate, qua pro illis applicari, illisq; prodesse possunt. Exceptis solum iis, quæ quia aliis debeo, non est in mea potestate animabus donare; quam tamen exceptionem ipsam pro iisdem offero, in auxilium, secundum gustum Tuum Domine DEVS meus. Nullum omnino fructum omnium operum, passionumque mearum mihi reservans, quicunque aliquo modo Animabus prodesse possit coram Te. Animarum autem designationem Tuo Divino beneplacito permitto. Pro iisdem quoque animabus Purgatorii, Domine, omnem si quem habeo apud Te, Meritorum thesaurum, atque donorum Tuorum, Tibi permitto; ut eũ dispenses in Animas easdem, secundum gustum Tuum, placitumque, usque ad exinanitionem, & denudationem mei, sine ullo præmio, mihi inde apud Te secuturo, sed in Animas redundaturo. Præmii loco id tantum cupiens à Te, ut Tu in Creaturis Tuis glorificeris, utque per meam exinanitionem, Tuæ gloriæ, Animarumque beatitudini aliquid sive plenitudinis, sive saltem accelerationis accrescat. Id ita, Tuæ Divinæ Majestati, Voluntati, Dignitati voveo, promitto,

Industria donationis facta Animabus.

Extensio abdicationis facta.

promitto, Iuro, manuq; mea ſcribo, & in vicem Nominis, hac ✝ (hæc Crux erat ſanguine ejus exarata (*Sigillo. Toto me. Amen.* (hæc quoque verba ultima ſanguine ejuſdem exarata.

Conſecratio totius vitæ propter animas Purgatorii.

Dilatavit adhuc amplius ardores ſuos Pater Gaſpar, dum in eundem finem totã ſuam conſecravit, reſignavitque vitam, contractu ejuſmodi facto, cùm Deo.

Digniſſima Trinitas DEVS meus, puro Tui amore, Ego N. totius reſiduæ vitæ meæ mortalis operationibus, atque paſſionibus quibuscunque, Animas illas juvare cupiens, & ſtatuens, omnes, & ſingulas actiones, & Paſſiones meas, usq; ad mortem, ipſumque etiam mortis opus Tuæ Divinæ Majeſtati offero, applico, dono, atque voveo, in omni earum applicabilitate, quâ pro illis applicari, illisq; prodeſſe poſſunt, exceptis ſolùm iis, quæ quia aliis debeo, non eſt in mea poteſtate, Animabus illis donare, quam tamen ipſam exceptionem, pro iisdem in auxilium offero, ſecundùm guſtum Tuum Domine DEVS meus. Præter hoc Domine, pari affectu, & voto, promitto ac permitto Tibi illa omnia, quæcunque poſt meam mortem, pro me quomodocunque futura ſunt ſuffragia, in ſubſidium Animæ meæ, quantum hoc à me fieri congruæ Tuæ voluntati poteſt (pro iisdem Animabus purgatorii, juxta guſtum Tuum. Inſuper & hoc, quod ego ipſe poſt meam mortem, miſerante Te, paſſurus ſum in Purgatorio, propter Te nunc acceptans, & quoad licet mihi meritorium faciens, quantum poſſum, & quatenus prodeſſe Animabus Purgatorii hoc vel nunc jam poteſt, vel tunc fortè poterit, iisdem animabus jam nunc dono, & applico. Inſuper offero Tibi Deo meo, omnes totius Eccleſiæ, omniumque Tibi gratorum ſatisfactiones, mihi quoquomodo appropriatas, & communicatas. Meas item omnes ſatisfactiones, totius Eccleſiæ ab ejus origine, adusque finem mundi duraturæ, imperſonatas, uniendo tam has, quàm illas, Domini noſtri IESV Chriſti, omniumq; Electorum, meritis juxta guſtum Tuum, Animarumq; indigentiam. Inſuper Domine, Tibi offero, promittoque in ſubſidium animarum Purgatorii, totum quodcunque ſatisfactoriæ offertur, & fit, & fiet unquam à quocunque, & ubicunque, ſive in univerſa Eccleſia, ſive in tota noſtra Societate, ſive in quacunque, cui ego particeps, Communitate, aut ſodalitate, ſive à quacunque particulari perſona, ſive in qualibet alia, Tibi Domino meo nova circumſtantia, pro me vivente: uniendo totum hoc, quantum ex me, ſanguini ac meritis IESV Chriſti, omniumq; Electorum Tuorum, ad, & juxta guſtum placitumq; Tuum, & honorem omni maximo majorem. Inſuper Domine, offero Tibi in Animarum Purgatorii ſubſidium, totum hoc, quod ego tam in vita præſenti mea, quàm poſt mortem meam, ſive in ipſo me, ſive in quocunque mei, ſciens, vel neſciens, volens, vel nolens, jam tamen ex nunc, pro tunc totaliter volens, ac libens, ſive in anima, & bonis ejus, ſive in corpore, ſive in fama, memoriaque mea, ſive denique in quacunque re cõcernente me, perpeſſurus ſum, usque ad extremi Iudicii diem. Vniendo jam nunc omnem illam perpeſſionem, meritis Domini noſtri IESV Chriſti, ad fructum Animarum illarum ampliorem, ad Tuam vero gloriam omni maximâ majorem. Inſuper Domine, omnem, ſi quem apud Te, pauperculus ego habeo ſatisfactionum theſaurum, Tibi totaliter offero, atq; permitto, ut eum diſpenſes in Animas Purgatorii, usque ad exinanitionem mei quoad omnes ſatisfactiones meas meritis IESV Chriſti, ſatisfactionibusq; unitas. Solas mihi ſatisfactiones, ſolaq; IESV Chriſti Domini mei merita reſervando, ſine quibus Tibi gratus eſſe, ſalutemque æternam conſequi, nec poſſum, neque volo, quæque adeo infinitæ efficacitatis ſunt; ut earum vis, & valor, nullis ad alios applicationibus, ab ipſis applicantibus modo aliundè etiã capaces ſint, avocari poſſint. Hæc porrò omnia, à me ſuperius inſinuata, & Tuæ Deus meus Majeſtati, in ſuffragium Animarum oblata, oblata eſſe volo ſine ullo præmio meo. Id ita totum Tibi voveo, promitto, & juro: ſanguineq; IESV Chriſti Domini noſtri meritis conſigno. Nunquam ſcienter & deliberatè quoad me retractaturus ullo modo, usq; ad mortem; ad quam usque ero ſervus, operarius, mancipium Tuum propter Animas, Animarum autem Purgatorii propter Te. Tibi gloria in ſæcula ſæculorum. Et fidelium animæ requieſcant in pace.

Abdicatio Suffragiorum in gratiam animarum.

Extenſio abdicationis facta.

Exinanitio ſui in gratiam animarum.

Per donationem animabus Purgatorii nihil amittitur.

Tam exactum, tamque bene roboratũ, fecerat Pater Gaſpar cum Deo contractũ, in negotio animarum Purgatorii, per quẽ tamen non tantùm non amiſit quidquam, ſed lucratus eſt plurimum: prout ipſemet in ſua ratione exercendæ pietatis in Animas Purgatorii, adnotavit: format is enim talem quæſtionem; *Si quis Animabus Purgatorii donet omnes ſatisfactiones ſuas, quidnam ipſimet reſiduum erit?* ſic reſpondit; Habebit. *1.* Centuplum à Chriſto promiſſum; ſi enim pro relictis Chriſti causâ terrenis divitiis, & bonis, datur centuplum, & vita æterna; quanto magis dabitur pro relictis ſatisfactionum Bonis, dabitur ſaltẽ æquale à Deo. *2.* Promiſſionẽ Dei: quia beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *3.* Gratiã, & miſericordiam Dei Omnipotentis. *4.* Merita, & ſatisfactiones Domini noſtri Iesu Chriſti. *5.* Merita, & ſatisfactiones Sanctorum, Animarumque à ſe adjutarum. *6.* Charitatem Dei, & proximi, quæ operit multitudinẽ peccatorum. *7.* Gratitudinem tum Dei, tum Chriſti, tum Animarum adjutarum, tum Sanctorum Angelorum Cuſtodum, tũ aliorum Sanctorum, quibus perquàm gratum fuit, animas ſibi dilectas juvari, & eripi ex Purgatorio. *8.* Libertatem, generoſitatemque Dei, qui ſe non ſinit vinci à

ci à Creatura sua, liberalitate. 9. Merita suæ applicationis omnium suarum satisfactionum in auxilium Animarum: sine dubio enim ista applicatio sicut est opus insignis charitatis, & misericordiæ, aliarumque virtutum, ita etiam insignis est apud Deum meriti.

Applicatio Indulgẽtiarum.

Suffragabatur præterea Pater Gaspar Animabus Purgatorii: applicatione Indulgentiarum, quarum exactum Indiculum confecerat, & supra quarum usum, Examen à se conscriptum, ad minimùm singulis mensibus instituebat: ne in participanda liberalitate Dei, & Ecclesiæ, parcus esset.

Visio cujusdã animæ.

Nec erat ignota animabus Purgatorii, hæc ejus in illis adjuvandis cura, ad quã nonnullæ confugere visæ. Nocte quadam apparuit illi in cubiculo quidam adinstar rubi, flamma æstuantis, injectaque illico cogitatio, animam quampiam indigentem esse. de more igitur peracri flagellatione suffragatus est illi, oblaturus etiam Sacrosanctum Missæ Sacrificium; cùm ecce sequenti luce, sub ipsum Meditationis initium, allatus est nuntius, de morte cujusdam Nobilis adolescentis, Matthiæ Smoszewski, cui Pater Gaspar à confessionibus erat. Frequenter quoque profundâ nocte, repetitos ad suum cubiculum audiebat pulsus, cum interno motu juvandi Animas, respondebatq; pulsui huic, egregia corporis sui diverberatione, non absque gratitudine animarum. Cùm enim Anno 1651. 13. Martii, mortuus esset Posnaniæ, P. Matthias Proski, Rector Collegii, die 16. ejusdem Mensis cuidam personæ apparuit in somnis, à qua interrogatus; 1. An sibi bene esset? respondit; bene. 2. Orasne pro Patre Provinciali, (qui tunc erat Pater Gaspar) Oro inquit pro eo, quia sicut fuimus amantes in vita, ita & in morte. 3. Iamne vidisti Deum? video, ait. 4. Et es extra Purgatorium? respondit? sum. 5. Quamdiu in eo fuisti? Mortuus sum, ait, Feriâ secundâ, exivi de Purgatorio Feriâ quartâ, adjecitque. O si vel ad momentum videres Deum, & posses eo viso redire ad corpus, servires Deo cum tanta attentione, & applicatione, sicut pugnat miles in fervore prælii, estque pluribus exhortatus personam, ad serviendum Domino Deo, quàm ardentissimo fervore.

Relatio de P. Matthia Proski, mortuo.

Epiphonema Sacrum in doloribus.

Addo Sacrum illud Epiphonema, quo dum doloribus premeretur, utebatur; Tibi propter animas, animabus propter Te.

CAPVT XVII.

In ordinariis actionibus, non ordinaria perfectio Patris Gasparis.

Extensio, & intensio Intẽtionis.

Hoc habet inter cætera indolis suæ privilegia, Religiosa virtus; quòd non sit extra Patriam, immò neque extra Domum quærenda; ingens illi etiam in angustissimo parietis claustralis cubiculo, campus est, atque juxta vulgarem jam vocum combinationem, totum habet in cella Cælum. Ad perfectionem illa suam, non requirit prodigiosâ quæpiam gesta, præaltasve extases, aut arcanos ad tertium Cælum raptûs, sed in ordinatissima ordinariarum actionum, solide consistit statione. Veritate hac, mentibus suorum imprimendâ, & inculcandâ, nihil fuit frequentius Patri Gaspari: hanc in energicis Exhortationibus suis, creberrime exaggerabat. persuadebatque, hanc ipsemet executioni mandandam, primarias habebat inter curas. nolebat esse doctor legis solummodò, & non factor, ingenueque aliquando coram uno, cui intimius præfidebat, fassus est; nihil se commisisse chartæ, aut docuisse, ex ascesi quidquã, quod non priùs ipse deduxisset ad effectum. In Ordinariis igitur actionibus, perquàm exactus, & exquisitus erat, imitatus hac in parte Deum, qui in ordinariis Omnipotentiæ suæ actionibus, est exquisitissimus. Videre est exquisitum hunc ordinaria non ordinariè agendi modum, in consuetudinibus ejus, quas quotidie præ oculis habebat, & quas his speciatim referre non vacat. Ut tamen perfectio earum saltem in communi appareat. Adnoto inprimis unam ex ejus intentionibus, ante actiones, fieri ab eo, aut saltem ratificari, solitam.

Virtus Religiosa domi habetur.

In Ordinariis actionibus tota perfectio.

Examen exactum, & sublime.

Intentio ante actiones.

1. Sanctissima Trinitas DEVS meus, Te agnosco, amo, desidero, laudo, adoro, Tibi obedio, Te timeo, veneror, dignifico, & exalto super omnia.

2. Affectu Tuo, affectu sanctissimæ, amabilissimæq; VERBI æterni IESV Christi, Humanitatis: affectu Pretiosissimæ Parentis: affectu omnium Beatorum Spirituum: affectu omnium Sanctorum, atq; Sanctarum: affectu denique omnium Creaturarum.

3. Per hanc actionem N, meam, & per omnes præteritas, præsentes, futuras, actiones, passionesq; meas, omnium potentiarum, Corporis, & animæ meæ, omniumq; Creaturarum, mihi & communione creationis unitarum, & affectione liberæ voluntatis, atq; charitatis erga illas, propter Te DEVM meum.

meum, imperſonatarum, atque inſubſtantiatarum.

Extenſio, & intenſio Intentionis.

4. Semel pro ſemper, pro tota vita, proq; omnibus, & ſingulis momentis vitæ, ſive exiſtentiæ meæ, aut etiam partium mearum, & omnium Creaturarum.

5. Majori quam unquam hactenus fervore Spiritûs, millieſq; millies majori proportione, & incremento fervoris, puritatis, caritatis, diligentiæ, ac dignificationis, Tui, vilificationis autem mei.

6. Ad purum, & omnem guſtum Tuum: ad nullum præmium, Bonumve meum, ad nullum guſtum, bonumve creatum, à Te ſeparatum: præterquam ad eos fines, quos guſtui, beneplacitoque dignitatis, ac voluntatis Tuæ ſubordinatos, ſpecialiter, in omnibus univerſim, & ſingulis ſpecifice actionibus, paſſionibuſque intendere vel poſſum, vel debeo, vel Tu vis.

7. Seraphicè, MARIANE, Chriſti-formiter, omnitudinaliter, inceſſabiliter, hujuſque unius actûs, & affectûs, pro omnibus ſubſtitutivè.

8. In unione mihi appropriatorum, Tibi autem DEO Trinitati oblatorum, meritorum IESV Chriſti, Pretioſiſſimæ Parentis, Sanctorum omnium, & Angelorum.

9. Atomicè, ſacrificativè, primitialiter, heroicè, omnipoſſibiliter, dignè Te, digniſſimâ Trinitate Deo meo.

10. Quia mihi places, ut mihi placeas ut Tibi placeam, amplius, & amplius, & amplius.

Tam ſublimi intentione, ordinaria opera ſua elevabat Pater Gaſpar, ne humi reperent. Sed hoc ipſum magis dilucide, examinateque patet, ex punctis examinis quotidiani, ſupra memorati, numero, Decimi ſexti; in quo circa actiones, paſſioneſque ſuas, hæc diſcutiebat.

Examen exactum, & ſublime.

1. An quidquid feciſti hodie, per qualibet actionem, alterationem, circumſtantiam, &c. feceris in gratia DEI Sanctificante habituali, quantum judicio conſcientiæ Tuæ decernere potes?

2. An advertenter, libere, & ex electione?

3. An intentione ſupernaturali, ſublimi, purâ, rectâ, gloriæ, guſtuſque Divini?

4. An omnipoſſibili fervore intenſionis.

5. An in proportione millies, millies, millies majori, fervoris, & diligentiæ?

6. An cum applicatione omnium potentiarum, etiam externarum requiſitarum, vel commodè applicabilium?

7. An deſperando de Te, Tuıque viribus, fiduciâ autem in ſolo auxilio Sanctiſſimæ Trinitatis, collocatâ?

8. An unite ad Chriſti merita, ſanguinem, mortem, vitalitatem?

9. An per omnes atomos tui corporis, animæque capacitatis?

10. An cum, & ex imitatione VERBI Incarnati?

11. An in præſentia, reverentiaque abyſſali, Dignitatis Divinæ?

12. An ſecundùm amabilitatis, amativitatiſque tuæ menſuram?

13. An heroico, & quamproximè ad divinam ideam, rationemque accedente conatu, fervore, defæcatione, nuditate, paupertate ſpiritûs?

14. An reſignatione ſponſali in divinam voluntatem, & providentiam?

15. An ad guſtum Æternæ Sapientiæ, & ex mente, ritu, ardoreque Societatis Seraphicæ?

16. An cum adæquatione, aut ſuperatione etiam habitus, pro gratiæ menſura?

17. An cum proiectione tui in ulnas, curamque nutricis omnium, Gratiæ?

18. An in finem adorationis, laudis, gratiarum actionis, impetrationis, temporalium, & ſpiritualium, tibi, aliis, communitatibus, ſatisfactionis quoque pro pœnis tuorum, & alienorum peccatorum, hujus, & alterius vitæ?

19. An cum accumulatione circumſtantiarum?

20. An ſuppletivè pro obligatione omnium Creaturarum, quà debitrices ſunt DEO, ſervitii, cultûs & amoris?

21. An cum imperſonatione in omnes Creaturas?

22. An gratis, renuntiando omni commodo, & merito, & præmio, liberationi à pœna, & cognitioni, atque reputationi, Divinæ, & humanæ?

23. An cum expectatione ſterilitatis, inutilitatis, ingratitudinis, reprehenſionis, cenſuræ, ſiniſtræ interpretationis, pœnæ, cluſionis, interruptionis, alteri adſcriptionis, inſultationis?

24. An ſine nidulo, & hortatu voluntatis propriæ?

25. An propter confuſionem faciei tuæ majorem, puram, ſolam?

26. An delectabiliter, aviditateque Crucis amplioris, & Martyrii ſaltem cordis?

27. An punctualiter quoad tempus? obedienter quoad internum imperium? adæquate quoad lumen, & affectum?

28. An Sacrificativè, tuique oblatione, ſacrificatione holocauſtariâ, in Latriam Sanctiſſimæ Trinitatis, & IESV Chriſti adorationem, exaltationemque?

29. An ex voto? an indivinatè? an Ieſuiticè? & Chriſtiformiter? & Deiformiter, divine, digne DEO? An affectu Sanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti, Pretioſiſſimæ Parentis &c.

30. An cuncticreate, cunctibeate?

31. An ſemel pro ſemper, omnipoſſibiliter, omnitudinaliter, omnicircumſtantiative, ignitiſſime, inceſſabiliter, famelice, tibi penitus mortue?

32. An ita, ac ſi hoc eſſet ultimum, finaleque efficax medium Prædeſtinationis, ſine quo ſalvandus non eſſes?

33. An expiate, purificate, balneate in Balneo Sanguinis Chriſti, meritorumque ejus, Iuſtitiæ & miſerationis Divinæ, amoris & doloris tui, Clibani Seraphici?

In hoc ejus Examine, elucent omnes

illius spirituales industriæ, quas in actionibus ordinariis adhibebat, & de quibus severè rationem secum inibat, adjectâ expiatione, & pœna, si fortè aliquid ex iis neglexisset. Alias observationes ejus singulis actionibus appropriatas, scitu, & imitatione dignissimas, brevitatis causâ prætermitto. Illud est memorandũ; quòd quâvis mediâ nocte lectulo consurgere solitus fuerit, Sanctumq; Prophetam imitari, qui mediâ nocte consurgebat, ad confitendum Domino. Hoc igitur tenebroso tempore, elucebat ejus in DEUM amor. Inprimis enim flexis genibus invitabat creaturas omnes, ad adorandam Æternam Sapientiam sic; *Æternæ Sapientiæ fontem, IESVM Christum, venite adoremus, & pro gloria Nominis eius jubilemus.* 2. Petebat quinquies à Societate Æternæ Sapientiæ, accendi se incessabili amore ejusdem Æternæ Sapientiæ. 3. Idem petebat à Matre Æternæ Sapientiæ totidem vicibus, & ab ipsa Æterna Sapientia, concludebatque petitionem, illâ Oratione; *Anima mea desideravit Te nocte, sed & spiritu meo &c.* 4. Salutabat vulnera Incarnatæ Sapientiæ, JESU Christi, his verbis; *Vulnera Tua dulcissime IESV, sint remedium peccatricis animæ meæ, & incentivum amoris Tui Divini. Amen.* 5. Ab eodem Incarnata Sapientia JESU Christo, petebat vestem Dignationum ejus, tam internarum, quàm externarum, concludebatque petitionem hanc, illa Oratione S. P. N. Ignatii. *Anima Christi sanctifica me &c.* 6. Salutabat JESUM, & MARIAM, amoremque suum illis protestabatur, affectu illo Alphonsi Nostri. *IESVS & MARIA mei dulcissimi amores, patiar ego, amore vestri, totus sim vester nullus meus.* 7. Petebat augmentũ amoris in se Mariani, hoc modo; *Piissime IESV, amorem Pretiosissimæ Parentis da mihi, propter amorem ejus.* idque repetebat quinquies. 8. Concludebat hanc Orationem protestatione, quòd solùm id à Divina Majestate postularet, quod sibi Pretiosissima Parens MARIA precaretur. 9. Totum hoc negotium nocturnæ Orationis concludebat affectu ad Sanctissimam Trinitatẽ hoc modo; *O Sanctissima Trinitas DEVS meus, quis mihi det acquiescere in Te! quis mihi det, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar omnia mala mea, & unum Bonum meum amplectar Te! Hei mihi ô Trinitas DEVS, quàm Profundus es in Excelsis, quàm Excelsus in Profundis! Nunquam recedis, & vix redimus ad Te! Age Domine, & fac, accende, & rape, flagra, & dulcesce, jam amemus & curramus. O amare! ô ire! ô sibi perire! ô ad DEVM pervenire!* Et in his rursum obdormiscebat.

Actus mediæ noctis.

Ad æternam Sapientiam.

Ad Matrem Æternæ Sapientiæ.

Ad JESUM & MARIAM

Ad SS. Trinitatem.

CAPUT XVIII.

Opera ascetica à Patre Gaspare conscripta.

MIratur id in Hypponensi Præsule, DIVO Augustino, Orbis Christianus; quòd ille Episcopalibus distentus negotiis, sub id præsertim Ecclesiæ tempus, quo Antistites ipsi absque demandatione vicariatûs, & ab Exedris ad populum detonare, & judiciaria, fermè quovis die occupare subsellia solebant, quod inquam, tanta librorum volumina posteritati reliquerit: arduum enim est mortalem manum, nisi digitus Dei accesserit, tã amplam esse posse. Idem mirari in Patre Gaspare cogimur: dum relicta post mortem ejus plurima ascetica opera, & cernimus, & revolvimus. Minuit quidem admirationem id; quòd statim à primis Religiosæ vitæ annis, ejusmodi codicillos compilare cœperit, in eoque studio ad morbum usque extremum perrexerit, immò etiam in itineribus quæ Provincialis conficiebat, eum laborem non neglexerit, atque in itinere quo Romam Procurator, & bis Elector ibat, indeque redibat, integros conscripserit Tractatûs. Verùm id, ut minuit admirationem, ita auget, quomodo tot negotia, scribendique obstacula, eo in genere, illi impedimento non fuêre. Scripsit ordinariè, absque ulla lima, currente calamo, in libro plerumque jam compacto, quodque magis mirêre, sine inspectione librorum, etiam ad citandas auctoritates, tam Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum, quas tamen genuine referebat. Scripsit præterea tam intento animo, ut simul, & indesinenter scribere, & alteri ad quæsita, congruè respondere potuerit; cujus rei ego oculatus testis. Quia verò fortè dignissima luce, ejus Scripta, in lucẽ non prodibunt pleraque, ideo hic eorum appono Catalogum. Reliquit itaque.

Scriptio per totam vitam religiosam.

Rarum scribendi Spiritualia talentum.

Exhortationum Domesticarum. Volumina justa 4.

Concionum Dominicalium, Volumina 6.

Concionum in Festa, Funebrium, de Passione Christi, volumina. 4.

Concionum miscellanearum volumina. 2.

Materiam pro Concionibus, volumina. 3.

Materiarum ad Exhortationes domesticas, volumen. 2.

Tractatum de modo, & praxi meditandi.

Meditationes pro Collectionibus, & Provisiones senectutis, in volumine uno.

Meditationes excitando & fovendo spiritûs fervori, & renovationi, in volumine uno.

Meditationes de votis Religiosorum, tàm in communi, quàm in particulari: & de votis perfectionis, in volumine uno.

Librum Gratiæ, in volumine uno.

Lectionum Novitiaticarũ, volumen 1.

Tomum unum, in quo hæc continentur. Paradoxa Verbi Incarnati.

Considerationes in 4. hebdomadas Sacri Adventûs, & series collectionis annuæ.

Tomum alterum, in quo hæc continentur. Tractatus de moribus, amore, servitio Æternæ Sapientiæ. Soliloquia. Jesus Passus per titulos. Zeli animarum salutem zelantis Soliloquia. Affectûs circa dilectum Iesum passum. Tractatus de prima Probatione Societatis Jesu. Tractatus de modo perfectionem parandi Synopsis totius vitæ, perfectionisque spiritualis. De notitia Virginis Mariæ & de quinque affectibus erga Pretiosissimam Parentem, Virginem Mariam. Mancipium Marianum. Apparatus ad Meditationẽ Mysteriorum, ex Vita Christi, & Vitæ ejusdem Mysteria. Tractatus de Notitia Domini Nostri Iesu Christi.

Tomum tertium, in quo hæc continentur. Tractatus de Natura Societatis Jesu. Tractatus de S. P. N. Ignatii Exercitiis, eorumque usu. Prima Principia vitæ Spiritualis, de Manifestatione conscientiæ. Tractatus de silentio. Tituli Pretiosissimæ Parentis. Centuria observationum spiritualium. De devotione ad Passionẽ Christi. De Virtutibus. De usu, & servitute rationis. De libertate abneganda.

Tomum Quartum, in quo hæc continentur. Tractatus de excessibus amoris Christi. De excellentia Amoris Divini, in uniendo sese nobiscum, per Sanctissimum Sacramentum. De Gratiæ Divinæ Sanctificantis excellentia. De Beatitudinis æternæ excellentia. De B. V. Mariæ excellentia. Notata de Societate JESU.

Stromata in Passionem Christi in duobus Tomis mediocribus.

Rationes, seu industriæ variæ, Annum inchoandi, terminandi, Festa celebrandi particulatim, in volumine uno prægrãdi.

Volumen continens dictamina popularia Spiritualia: Casuum Resolutiones: Theoremata Mariana. De Immaculata Conceptione B. V. Discursûs.

Volumen continens Tractatum de Præsentia Dei in nobis, & Exercitia spiritualia Tyronũ Religiosorum per 12. Menses.

Opusculum de amore Dei adulatore.

Vitam B. V. & de S. Josepho Sponso ejus, in volumine uno.

Exercitia Liturgica in uno prægrandi volumine.

Industrias Negotiationis spiritualis, in uno volumine.

Meditationes in Dominicas, & Festa totius Anni, in volumine uno.

Cõsuetudines Spirituales quotidianas, hebdomadarias, menstruas, seu singulorum mensium, in uno volumine.

De soliditate virtutis, volumen unum mediocre.

Opusculum continens Exercitia Contemplationis, & Observationes Liturgicas.

Exercitia 4. Hebdomadarum in uno volumine mediocri.

Tractatum de Gladio Doloris Mariani.

Tractatum de Professione, atque Professo Societatis JESU.

Tractatus de Qualitatibus Sociorum JESU.

Tractatum de affectibus, fructu, & applicatione Sanctissimi Missæ Sacrificii.

Discursûs de jactura, & perditione sui, in volumine uno.

Tractatum de voluntate Dei.

Tractatum de 10. Sanctitatis generibus. De vitio linguæ, & de tolerandis aliorum linguis.

Parvum bonũ Divi Bonaventuræ, Meditationibus illustratum.

Meditationes Quadragesimales.

Tractatum de Vita Communi Religiosorum.

Tractatum de Virtute Indifferentiæ.

Considerationes de dignitate Sacerdotii.

Tractatum de collectione Triduana, & Octiduana.

Contemplationes de Deo, & Attributis ejus.

Bellaria devotæ Deo mentis.

Introductionem ad Spiritum, & disciplinam veræ, Christianæque Humilitatis.

Libellum illustrationum, & beneficiorum Dei sibi collatorum.

Scripsit præterea non pauca opuscula spiritualia, idiomate Patrio, in usum fidelium, ad instantiam Principum matronarum: tanta enim omnibus qui eum noverant, inerat illius æstimatio; ut summæ felicitati sibi ducerent, si quidpiam ex ascesi ejus nancisci possent. Ipse Serenissimus

simus Poloniarum Rex, Joannes Casimirus, per Gubernatorem Felinensem, submitti sibi, pro solatio animi, Scripta aliqua ejus expetiit, eaque submissa plurimùm veneratus est: Complures insuper doctrinâ, & virtute præstantes, eum non parum de scientia infusa habuisse opinantur, ut pote qui tanta absque subsidio librorum, immò nec in libris reperibilia cōscripserit. Debuit profectò manus Domini esse cum manu ejus.

Opinio de scientia infusa.

CAPUT XIX.

Præparatio ad mortem, & ipsa Mors Patris Gasparis.

REparator vitæ nostræ Christus Dominus, proviso contra mortem animæ, infiniti pretii, nempe pretiosi sanguinis sui antidoto, contra mortem corporis nullum aliud providit remedium, nisi ipsam prævisionem mortis, atque ad ejus inopinato adventantis horam, præparationem: ita enim servos suos cohortatus est; *Estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet,* judicaturus nēpe in ipso mortis articulo, decretumq; seu vitæ, seu nunquam moriturae mortis laturus. Paruit cohortationi huic Pater Gaspar, atq; contra cæcam mortem oculatus fuit.

Antidotum contra mortē.

Inprimis enim quovis die, ad minimū ter, mortis apparatum fecit. Mane primùm, dum Pretiosissimam DEI Parentem salutaret, adjectis S. Mechtildis, pro impetranda felici morte oratiunculis. Deinde in Meridie, adjicens salutationibus, hoc postulatum. *Mæstissima Virgo Maria, per dolores animæ Tuæ, quos passa es, quando vidisti Filium Tuum in Cruce pendentem, & animam exhalantem, digneris me in hora mortis meæ reddere securum.* Denique ante somnum, præter alios actus, praxim, seu experimentum mortis faciebat ejusmodi. *1. Decumbes in lecto velut in loculo. 2. Toti mundo, rebusq; ejus valedices. 3. Testamentum Spirituale ratum habebis. 4. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, atque Extremæ Vnctionis, spiritualiter sumes, præmissâ confessione similiter. 5. Agonisanti in Cruce Christo, instantiq; mortis ejus, & Pretiosissimæ Parentis, omniumq; Electorum ejus, instans mortis tuæ recommendabis, & unies. 6. In manus Sanctissimæ Trinitatis, IESV Christi, B. V. & omnium Electorum, animam tuam, spiritumq; trades. 7. Vltimo veluti anhelitu cordis, repetes; Sanctus, Sanctus, Sanctus. Item, IESVS, MARIA donec obdormiscas, in ejus laudem, gloriamq; & gustum.* Sic spectante cælo scenam mortis suæ in dies agebat. Pater Gaspar, ut seriò moreretur, & viveret.

Devotio ad B. V. pro felici morte.

Experimentū & praxis mortis ante somnum.

In usu præterea illi fuit, singulis itidem diebus, in Sacrificio Missæ, ante sumptionem Sacri Calicis, Testamentum suum ratificare, in hunc modum, *Mi IESV, testamentum meum ratum habeo, illudq; Sanguinis Tui sumptione.* In actione vero gratiarum, post Sacrificium, tale illius inter cætera postulatum fuit. *Postulo a Te misericordissime, ac liberalissime IESV; ut des mihi ad extremum vitæ meæ instans usum rationis, quin & sensuum, utq; Te etiam in extremo vitæ puncto super omnia diligam, super omnia æstimem, super omnia cupiam, tanquam supernaturale Bonum, ultimumq; finem meum, & iisdem motivis, dolendo de peccatis meis, in manus Tuas, & Pretiosissimæ Parentis, Angelorumque, ac Patronorum Sanctorum, spiritum meum tradam.* Meditatio quoque pomeridiana, quam nisi urgentia impedivissent negotia, quotidie habuit. Usitatam, ordinarie exercitium mortis fuit. Tot ejus quotidiana erant præludia, ante punctum mortis.

Ratificatio Testamenti in Sacro.

Meditatio pomeridiana de morte.

Quia autem mentio Testamenti facta est, confecerat ille tabulas quasdam testamentarias, his actibus constantes.

Tabula testamentaria.

Ego volo testamentum pro vita, & morte mea facere, propter maximam gloriam, purissimumque gustum Dei, propter certam salutem meam faciendam, quam certam facere, ita ex mea libera voluntate volo, sicut ex Dei placito teneor, & sicut me gratia Dei, meritum IESV Christi, suffragium Pretiosissimæ Parentis MARIÆ adjuvat.

1. Agnitio, Fides, Spes, Amor Sanctissimæ Trinitatis. *Sanctissima Trinitas, DEVS omnium, & meus naturalis Dominus supernaturalisq; finis. Te ego in ista hora agnosco, a Te spero, Te adoro, Te amo, ac æstimo super omnia, Digni atque Tuæ me devoveo, ac devotum facio, quia vere dignissimus, & ipsa Dignitas es, & quia ego omni ratione servus, mancipium, jumentumq; Tuum sum.*

Actus agnitionis, Fidei, Spei, amoris.

2. Dolor, & Retractatio peccati, vilificatio sui, Ratificatio boni. *Peccavi in Te Deus meus; hoc est peccavi in Essentiam, Præsentiam, Potentiam, Bonitatem, Charitatem, Gratiam, Dignitatem, voluntatem, Sapientiam Tuam. Peccavi & in meipsum, totamq; portionem naturæ, & gratiæ, a Te mihi datam, Peccavi & in omnem Creaturam, mihi ex bonitate Tua perpetuo servientem. Peccavi inquam ego homo, ego nihil, ego peccatorum primus, peccavi super numerum momentorum vitæ meæ. Doleo mi DEus dolore, quo, & quanto dolere me vis, ideo tantum quia vis, vellem vitasse, volo vitare peccata omnia, per vitæ meæ momenta omnia. E contra vero mi Deus, rata nunc habeo bona omnia, quæcunq; in tota vita mea, ex Te, circa Te, propter Te, habui; ratos habeo pios motus, ac sensus, & actus meos omnes, sub omni latitudine illorum, & sublimitate, eosdem nunc elicitos a me volo,*

Actus doloris, retractationis, vilificationis, ratificationis.

volo, immò illos, quos possum elicio, atque illos Tuæ gratiæ, IESV Christi Sanguini, Pretiosissimæ Parentis, & omnium Sanctorum meritis, adjunctos, Tibi offero, pro iisque tanquam Tuis donis, Tibi gratias ago.

Actus induitionis IESV Christi.

3. Confessio, & induitio Jesu Christi. *Dulcis IESV Christe, DEVS, & Redemptor meus, Fili DEI, & Hominis: Te agnosco, credo, amo, vitam, veritatem, viam, pretium meum, amplector ideam vitæ Tuæ, & à me expressam cupio. Approprio mihi merita Tua omnia, & facio illa mea, iisque unio, & dignifico omnia bona mea. In balneo Sanguinis, vulnerumque Tuorum, abluo ac demergo omnia mala mea. Glorior veste omnium Dignationũ Tuarum. Includo me, & incarcero, ac sepelio in Theandrico corde Tuo. Instanti Pretiosæ mortis Tuæ, instans mortis meæ unio, & cõmendo, & deniq; totus in totũ Te transformari, indivinariq; desidero.*

Actus gaudii, & gratitudinis.

4. Gaudium, & gratitudo de bonis Dei ad intra & extra. *Gratulor, & congaudeo Tibi mi DEVS omnia bona, quæ es in omni creatura. Et ago Tibi gratias primùm pro omnibus bonis meis, beneficiis Tuis. Deinde ago Tibi gratias pro omnibus proximorum, atq; adeò creaturarum omnium omnibus bonis, partim quia etiam sunt bona mihi in illis: ego enim sum aliquid unum cum illis, & ideò meum bonum est omne beneficium Tuum, quod contulisti, confers, & conferes illis. Ob quod ego Te amo, & Tibi gratias ago, sicut pro ipso me, ita pro omnibus illis, ut Tibi DEO meo nusquam, & nunquam non sim bonus, sicut Tu DEVS meus, tam intra, quàm extra Te, tam intra, quàm extra me, mihi es bonus. Ob quam etiam rem, omne omnino bonum profiteor esse Tuum, illudq; Tibi attribuo tanquam Tuum, & si quod unquam usurpavi mihi, vel ulla Creatura usurpavit sibi, id omne totum ego & pro me, & pro omni creatura restituo Tibi.*

Actus invocationis SS.

5. Invocatio Sanctorum. *Vos in hac hora invoco omnes Angelorum, atque hominum Sanctos ordines, Dominos, atque Patronos meos; præcipuè verò ac nominatim vos, quibus quâcunq; Societate associatus fui, quos peculiariter dilexi, quos media prædestinationis habui, quos mihi Patronos, ac Sodales, Divina providentia dedit: quos nemo nominatim honorat, & invocat, quibus in æterna gloria à DEI gloria associandus sum.*

Actus resignationis.

6. Resignatio in Dei voluntatem. *DEVS meus nihil mihi sum, nihil esse volo, nisi terra sterilis. Me apud Te, & propter Te negligo. In Te jactatio mea semper, Tibi ego derelictus à me, paratum cor meum Tibi, paratum cor, & cura mei, voluntati Tuæ. Quid de me? Quid me vis pati aut facere? Ecce ego præstò sum, Fiat voluntas tua in me, de me, per me, propter gustum Tuum, propter nullum præmium meum. Ecce ego servus Tuus. Da quod jubes, & jube quod vis. Fac me Tibi, in quẽ vis, in quem scis, in quem potes gustum cordis Tui. Miserere mei sicut scis, & vis. Fac mecum voluntatem Tuam, ad voluntatem Tuam.*

Actus amoris B. V.

7. Amor Pretiosissimæ Parentis, & depositio in manus ejus. *MARIA, Parens Pretiosissima, Domina, Mater, Heres, Hæreditas, sponsa, amoris mei vita, amor vitæ meæ Tu es, ego autẽ mancipium, filius, hæreditas, heres, sponsus, jumentum Tuum sum. agnosco Te, agnosce me in hac hora, & in hoc instanti mortis meæ, quod ego unio, & cõmendo instanti mortis Tuæ, Vltimum Tibi reddo tributum, atque censum mei, nempe meipsum: fac mecum, Tuam, & Filii Tui voluntatem, orna me Tuis, & Filii Tui meritis. Tene me maternis (in quibus me depono, & quibus me Sanctissimæ Trinitati præsentari cupio) manibus Tuis, non finas autem mori me, nisi augeas in me amorem Tui, parem amabilitati, & Pretiositati, Dignitatiq; Tuæ.*

Actus sitis Dei

8. Sitis Dei, & Divinorum. *Sitio mi DEVS omnitudine meâ amorem, & æstimationem, Seraphico-MARIANAM, omnitudinis Tuæ. Sitio honorem, & gloriam Tuam, parem Tibi. Sitio notitiam IESV Christi, & adæquatam meritis ejus efficaciam meritorum ejus, in omnibus redemptis ejus. Sitio cruce, stultitiâ, Dignationibus, incessabili amore, Indivinationis gratiâ, Sacrificio, Sacramento, Viatico Eucharistico, imitatione, moribus, merito IESV Christi, nihilitatem meam vestiri, saginari, dignificari. Sitio Pretiosissimæ Parentis amorem, propter ejus amorem. Sitio salutem animarum. Sitio zelum, & sitim salutis animarum. Sitio zelatores salutis animarum, & zelum sitimq; zelatoribus earum. Sitio deleri, & anathema esse pro fratribus meis. Sitio Sanctissimæ Trinitatis, & IESV Christi Humanitatis, Pretiosissimæ Parentis, & cujuslibet Societatis meæ, & Vniversæ Beatorum multitudinis conspectum, consortiumq; æternum. Sitio autem mihi, & omnibus, quibus Sanctissima Trinitas vult, quia vult. Deniq; sitio, & cupio dissolvi, & liberari de corpore mortis hujus. DEVS meus cupio. In manus tuas spiritum meum commendo, & reddo.*

Jejunium ad bonam mortem.

Hoc igitur Testamentum spirituale, ardenti spiritu, coram igne nostro consumente, in Sacrificio quotidie instaurabat Pater Gaspar. Hebdomadatim verò omnia totius hebdomadis jejunia, tam ordinaria, quàm extraordinaria, offerebat in impetrationem Sanctæ mortis; ut nimirum ad viam æternitatis capessendam ipso jejunio viaticum sibi provideret. Ad eundem finem quodlibet Feriæ quartæ Matutinum recitabat; ut ad Completorium vitæ feliciter perveniret. Quavis item Feriâ secundâ ad Aras incruento Sacrificio, tanquam memoriali mortis Domini, fortunatam sibi mortem demerebatur. Frequenter autem æstuabat desiderio cæli, atq; in hos prorũpebat affectus.

Desideria Cæli.

O Cælum toto me desidero Te! ô Cælum cæli, toto me festino ad Te! ô Domus DEI quando inhabitabo Te! ô Terra viventium quando vivam in Te! ô Patria quando revertar ad Te! ô Civitas DEI quan-

do ero civis Tuus! ô Templum DEI quando visitabo Te! ô Tabernaculum admirabile quando ingrediar Te! ô visio pacis quando pacificabor in Te! ô Portus quando tenebo Te! ô Bravium quando apprehendam Te! ô Sion quando videbo DEUM Deorum in Te! ô Requies opulenta quando ditabis me? ô Fons vitæ perennis, quando sitim meam extingues in me! ô beata æternitas, & æterna beatitudo, quando perennabo in Te! ô Meridies quando meridiabor in Te! ô Gloria Domini quando apparebis ad satiandum me!

Festum mortis.

Usitatum insuper habebat, singulis mensibus, & in fine Anni, 31. Decembris, celebrare Festum mortis propriæ; ne nimirum ferialiter, sed consueta justorum solennitate moreretur. Cujus Festi celebrandi modum ejusmodi sibi statuerat. 1. Confessionem peccatorum faciam tanquã ultimam, & prout in agonia positus, factã vellem, cum eo dolore, exactione &c. 2. Testamentum relegam, & ratum habebo per omnia puncta. 3. Tabulas item Testamenti, & actus mortuales ruminabo, idque faciam mortui instar, etiam compositus, melioris causâ apprehensionis. 4. Aliquam ex Meditationibus mortis, vel plures meditabor saltem per secundum orandi modum. 5. Intentioni Sacri adjũgam pustulationem, felicis & sanctæ, juxta DEI voluntatem, mortis. In hoc Sacro (ut est in eius Exercitio Liturgico) retinebat in se fervens, & ardens desiderium dissolvi, & esse cum Christo. In Consecratione repræsentabat Sanctissimæ Trinitati, mortem JESU Christi, eundem verè, realiterque Consecratione immolans, mortemque suam morti eius uniens. In Elevatione petebat à JESU Christo, instans mortis suæ Instanti mortis ejus elevari, & dignificari, simulque protestabatur se cupere, ac proponere mori, in adorationẽ, & cultum, tum mortis JESU Christi; tum Sanctissimæ Trinitatis, DEI, atque Auctoris vitæ suæ. In Cõmunione, JESUM Christum Redemptorem suum, per modum Viatici, ut moribundi solent, sumebat, permittebatque vitam, & mortem suam totaliter voluntati Divinæ, simulque petebat, ut absque congrua Sacramentorum communione, ex hac vita non decederet, sed particeps omnium dignè effectus, in præsentia JESU Christi, Pretiosissimæ Parentis, Sanctorumque omnium, moreretur, ablutus in balneo Sãguinis JESU Christi, ab omni pænæ, & culpæ obligatione. Post Sacrum, mortem suam agonizanti in Cruce Christo, commendabat actibus sequentibus.

Sacrum pro felici morte, & alia praxes.

Actus ad JESUM agonizantem pro felici morte.

JESU in Cruce agonizans, & moriens pro me; immitte quæso spiritum Tuum in cor meum, illoque animam meam vivifica, quoniam teste, & dante Te, Tuo solo spiritu vivere volo, tam in hujus præsentis vitæ meæ tempore, quàm in mortis meæ articulo.

2. IESU in Cruce agonizans, & moriens pro me; adoro Te adoratione Latriæ debita Majestati Tuæ Divinæ, insuperq; mori totis viribus cupio, ut morte meâ quàm citissimè, & condignissimè agonizantẽ, morientemq; Te pro me in Cruce, venerer, ac morte meâ quoad possum, compensem mortem Tuam.

3. IESU in Cruce agonizans, & moriens pro me; per hunc agonem Tuum & per spiritum, quem in manus Patris Æterni commendasti, obtestor Te, ut instans mortis Tuæ influat, in mortis meæ instans, illudq; dignificet, & in conspectu Sanctissimæ Trinitatis gratum, atq; pretiosum reddat. Instanti igitur mortis Tuæ, agoniq; Tuo pretioso, instans mortis meæ, agonemq; meum humillimè repræsento, recommendo, unio, consecro.

4. JESU agonizans, & moriens in Cruce pro me; ibidemq; orans pro Crucifixoribus Tuis Patrẽ, obsecro ut ores quoq; eundem pro me, crucifixore Tuo, impetresque mihi mortem Sanctam, & charitate perfectâ consummatam.

5. IESU agonizans, & moriẽs in Cruce pro me; stillantem, tepentemq; amore mei sanguinem Tuum colligo, & lambo devotus, optans simul ac petens à Te; ut in hora mortis meæ adesse mihi præsens, cum gloriosa Matre Tua. Sanctisque Tuis digneris, adnumeresque me saltem ultimis redemptis, & electis Tuis, & in illo decretorio agonis mei momento, jerundum magnam misericordiam, copiosamque redemptionem Tuam miserearis mei.

6. IESU agonizans, & moriens, in Cruce pro me; nullam omnino spem salutis æternæ, aut nunc habeo in vita, aut habere volo, protestorque in morte mea, præterquam in Sacratissimis vulneribus, doloribusque Tuis, & in mortis Tuæ instanti, quo Redemptionem nostram consummasti. O mi IESU, sit mors Tua, vita mea: Mors Matris Tuæ dignificet mortem meam. Mors Sanctorum omnium, pretiosam coram Te faciat mortem meam.

7. IESU agonizans, & moriens in Cruce pro me; Te ergo pauperculus servus Tuus, per Triborium, Agonemque Tuum, quo cum doloribus mortis in Cruce colluctatus es, obsecro, ut Te talem in hora mortis meæ cognoscam, credam, imiter, venerer, diligam, atque corde meo morti succumbente, exsanguibusque labiis meis, Te personem, invocem, demurmurem, ac laudandi, invocandique Te conatui, ultimate tandem, immoriar.

8. IESU agonizans, & moriens in Cruce pro me; cupio, propono, & abs Te peto, ut instans ultimum vitæ, mortisque meæ consummativum, sit ardentissimus Tui amor, quo cor meum, & accensum ignescat, & vulneratum immoriatur, & consumptum incineretur, & concrematum favillescat.

9. IESU agonizans, & moriens in Cruce pro me; amo Te quam possum ignitissimè, & æstuosissimè,

ssime, quomodo etiam amare Te volo, statuoque in mortis meæ agone, in quo ut cor meum amoris Tui ignibus Seraphicis, Marianisque, ac insuper Tuis, æstuet, palpitet, concutiatur, eorumque actu, & æstu conficiatur, ac emoriatur, Tu mi IESV, propter agonis mortisque Tuæ instans, misericordissimè facito.

Ex Meditationibus, quas de morte instituebat, hæ erant præcipuæ. *Prima.* In nidulo meo moriar. Nidulus meus: 1. Deus meus. 2. Æternæ Sapientiæ gustus, & Societatis ejus cætus. 3. Nutricis omnium Gratiæ, Medium uberum. 4. Voluntatis Divinæ placitum. 5. Abyssus misericordiæ viscerum. 6. Iesu Christi Crucifixi vulnera, præcipuè latus, & cor hians. 7. Crux Christi Iesu, & dignationes ejus. 8. Pretiosissimæ Parẽtis manus. 9. S. Angeli custodis brachia. 10. Societas JESU.

Niduli Mortis.

Altera. Vestis quâ indutus comparere in oculis Regis æterni, Judicisque, volo. 1. Misericordia, & gratia. 2. Charitas, & æstimatio Dignitatis divinæ. 3. Jesu Christi merita. 4. Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum suffragia. 5. Dignationum Iesu Christi internarum, externarumque vestis. 6. Resignatio in omnitudinem Divinæ voluntatis. 7. Indivinatio. 8. Nuditas ab omni amoris, libertatis, sensuum, proprietatis, ad Creaturam, vel ad me cõversionis, gustu. 9. Vestis mancipii Dei, Christi, Pretiosissimæ Parentis, Religionis.

Vestis mortis.

Tertia. Genus mortis meæ. 1. in voluntate Dei mei. 2. Cupio non solùm in charitate mori Excessũ, ac vulnere charitatis extingui. Actum amoris hic in mortis instanti ita inchoare, & deinceps omni æternitate continuare; ut actus ille sit mihi actus mortis, & causa, sit mihi initium æternitatis, finis, & meta mortalitatis. 3. Cupio zelo Gloriæ Dei, gustûsque ejus, & animarum siti, laboreque obrutus, mori. 4. Cupio sine ullo desiderio mei, in solo Divinæ voluntatis placito, quoad omnes circumstantias mori. 5. Cupio assimilatus Christo passo, contempto, pauperi, stulto, morienti mori.

Genus mortis.

His adnecto affectum Martyrii, quo ille frequenter æstuabat, intuensque Christũ in Cruce pendentem, sic eum corde magis quàm ore alloquebatur. *Dulcissime Domine IESU Christe, qui passus, & mortuus es pro me: ex dono gratiæ Tuæ, desidero, & peto, & offero me, pati, & mori pro Te ô utinam: Utinam des, & facias me fundere sanguinem, & vitam meam pro Te, qui ita profudisti pro me. Utinam hic, & omnis alius dolor meus, sit mihi letalis; sicut fuit Tibi omnis dolor Tuæ Pretiosissimæ Passionis.*

Desiderium Martyrii.

Hactenus non umbratiles, nam non ad umbrosam mortem exercitationes, ex quibus connaturaliter nõnisi fortunata mors sequi poterat: si enim non potest malè mori qui bene vixit, quantò magis, qui bene mori consueverat. Sequitur jã ipsa mors Patris Gasparis, quam intensissimi præcessêre dolores, à febri tertiana causati; in qua integer paroxysmus sẽper Lethargus fuit. cum eo incipiente, incipiens, desinens, cum desinente. Post tales aliquot morti affines paroxysmos, inter quos tamen videre erat valentẽ animum, tum ex refectione, per Epulum cæleste, quod etiam paroxysmis præmittebat: tũ ex mortificationibus quas virgarum ictu, die inter paroxysmos intermedio, (ut aliqui adverterunt) adhibebat: tum ex intenta in Cælum cogitatione, devenit ad extrema, si tamen mors, quæ in vita ejus, primas semper habebat, extrema dicenda est. Sacro itaque munitus Viatico, nempè percepto eo, qui est vera ad Cælum via, atque ad athleticum in agone certamen, Extrema perunctus Unctione, loquelam amisit, corde tamen, ut ex nutibus, & oculorum obtutu apparebat, alloquens Deũ, domesticis, externis. inter quos nonnulli veniebant Prælati, de genu benedictionẽ ab eo exposcentes, benedixit. Morti jam proximus, cùm à quodam Patre, varios illi erga cælestia affectus suggerente, monitus fuisset, ut eliceret amorem inimicorum, etiam eorum, quos Deus prævidebat illi fore infensos, si occasio adfuisset; arctè manum illi strinxit. & gratias egit. Totâ verò illa die, quæ illi fatalis fuit, nihil ampliùs agere visus, nisi supplices in cælum manus; oculosque levare Tandẽ magis magisque deficiens, sibi tamen præsentissimus, non mori, sed placidissimè dormire visus, animam Creatori suo reddidit, post completos vitæ annos 71. Anno Domini 1662. die 2. Aprilis, nempe quadragesimò anniversaria, quâ Primam Hostiam Sacerdos Deo litaverat. Horâ circiter septimâ pomeridianâ. Mortui facies illicò venustior apparuit, quàm fuerit in infirmitate, venustæ, ut conjiciebatur, coram Deo animæ index.

Sacramentorum usus ante mortem.

Mors Patris Gasparis.

CAPVT XX.

Ea quæ consecuta sunt mortem Patris Gasparis.

VIx evulgata est mors Patris Gasparis, cùm illicò factus ingens populi confluxus,

Cõcursus populi ad corpus mortui.

fluxus, ad corpus, sui olim, ut ajebant, Prophetæ. (*ita Corpora Servorum DEI, Aquilas Ecclesiæ, & pullos alliciunt*) adeoque permoleste institit; ut modestiæ religiosæ, suos circa demortuos vivaciter attendenti, haud acquieverit. Sequenti igitur die, ad subterfugiendas interioris Collegii molestias, delatum est corpus ad Oratorium Germanicum, ut ibi in privato, publicũ, de more, funeris præstolaretur obsequiũ. Subodoratus facilè, adfuit confestim, non tam spectator, quàm venerator populus, magno animi ad pietatem cõpositi sensu, abundè fortunatum arbitrabatur se, qui Corollam, Rosarium, Scapulare, aut quidpiam simile, per contactum Corporis, Patris Gasparis, consecrare, ut putabat, potuisset, vim aliquam, è superstite tanti animi domicilio, promanaturam, ratus. Ne tamen propero defuncti honore, Apostolicis derogaretur decretis; eodem die subtractum è privato Oratorio Corpus, & loculo impositum. Interim tamen ante munus sepulturæ, septemdecim diebus detentum, donec convenisset Collegium, cujus major longè pars, in Missionibus Festorum Paschalium, apud circumjacentes Parochias, functionibus circa salutem animarum detenta, morabatur. Ventum est ad permodestam religiosi funeris pópam: interfuit illi præcipuus Urbis Senatus, Religiosique Ordines, fermè omnes, ejusdem Urbis, ac suburbiorum incolæ, ordine consueto, prout par est procedere Acies DEI viventis, processare. Depositum in sepulchro communi, Templi nostri, corpus, nonnihil tamen separatiùs, non vanè augurantibus plerisque, brevi DEUM in servo suo, mirabilem futurum, quod & evenit.

Funebre obsequium.

Anno enim post Christum natũ, 1666. à morte autem Patris Gasparis, post annos 4. Menses circiter 6. repertum est mero casu (at nõ casu quoad destinationes providi Numinis casu nihil facientis) Corpus ejus. in ligneo depositum Sacrophago, extraordinariè integrum; Sarcophago ipso, majori ex parte putrefacto, vestimentisque omnibus, præsertim interioribus, in pulverem redactis. Sensêre plerique ex eo suaveolentiam odoris, intimãtis illud; *Christi bonus odor sumus.*

Integrum post mortem corpus repertum.

Non potuit latere diu, in sepulchro licet, singularis hæc providentia Dei circa corpus servi sui ita servatum. Postquam devenit ad notitiam Perillustris, & Reverendissimi Domini, Suffraganei Posnaniensis, & Perillustris ac Reverendissimi D. Alberti Dobrzelewski V. I. D. Archidiaconi, & Officialis Posnaniensis. adjecit uterque eo animum; ut beneficium hoc Dei, absque solennitatibus, privatim illis innotesceret. Prædictus igitur Perillustris & Reverendissimus Suffraganeus, personaliter sepulchrum Templi nostri adiit. Perillustris autem & Reverendissimus Officialis, morbo præpeditus, duos nomine suo, è Consistorio submisit.

Revisio integri corporis.

Peracto exactissimè spectaculo, perspectâque probi Corporis probâ umbrâ, Perillustris & Reverendissimus Suffraganeus, talem animi sensum ad Collegium nostrum privatim submisit.

Conservationem Corporis, A. R. P. piè defuncti, Gasparis Druzbicki, Societatis IESU, esse extra causas naturales, judicio meo Theologico, ego infrascriptus censeo, & manu propriâ attestor.

Judicium Reverendissimi Suffraganei.

Martinus Marianus à Kursko Kurski, D. G. Episcopus Ennensis, Suffraganeus Posnaniensis, Archidiaconus Pszczevensis.

Illi vero, qui à Perillustri & Reverendissimo Officiali, submissi erant, talẽ scripto dederunt recognitionem.

Nos infrascripti, ex commissione speciali Perillustris & Reverendissimi Domini, Alberti Dobrzelenski. V. I. D. Archidiaconi Posnaniensis, Cancellarii Vladislaviensis, Præpositi Przyczynensis, Vicarii in Spiritualibus, & Officialis Posnaniensis Generalis, ipsiusque Officii auctoritate, ad videndum corpus, piæ memoriæ, R. P. Gasparis Druzbicki, PP. Societatis IESU Presbyteri, deputati. Anno. die. ut infra, ad Collegium, RR. PP. Societatis IESU Posnaniensium descendimus, ejusdemque Collegii A. R. P. Rectore avisato, & requisito, superque requisitione nostrâ consentiente, ad Ecclesiam eorundem venimus, sepulchrumque in quo Corpus memorati R. P. Gasparis Druzbicki depositum est, ingressi sumus: ubi dictum corpus vidimus, revidimus, palpavimusque; Capite, ut in aliis mortuis assolet, corrupto: à Collo tamen inclusive, usque ad extremitates pedum, modo extraordinario integrum, cuti ex magna parte, candidâ. & ubique tractabili: arteriis, & venis, juncturisque integris: in pectore ruborem stillantem, absque exulceratione, & putredine habens. Fossulas etiam Cingulares tres in eodẽ Corpore deprehendimus; Unam ad lumbos profunditatis crassæ ad latitudinem sesquidigiti: alteram ad mammillas in pectore: tertiam super genu pedis dextri: omnes autem ejusmodi fossulas, cutim & carnem habentes. Cicatrices præterea tres in Scapulis vidimus; ex quibus una ad majoris volæ magnitudinem, reliquæ duæ ad ovi gallinacei quantitatem accedunt. Graveolentia nulla à nobis percepta, nullumque vestigium ullius condimenti, aut inunctionis reperire potuimus. Unde agnoscendum sine dubio; naturaliter rem hanc fieri non posse. Quæ omnia, & singula per nos visa, & revisa, in vim fideli

Testimonium & judicium Cathedralium Commissariorum.

Solum Caput corruptum, reliquũ Corpus integrum.

In pectore stillans rubor.

Fossa & Cicatrices.

fidelis relationis, & informationis Officii, prælibati Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini, Officialis, de & ſuper exiſtentia integritatis Corporis ſæpe dicti R. P Gaſparis Druzbicki, ante Annos 4. & 6. Menſes defuncti, recognoſcimus, & atteſtamur. in fidemque præſentium majorem, eadem manibus noſtris propriis ſubſcripſimus. Poſnaniæ 1. Octobris 1666.

M. Staniſlaus Grudowicz, Phil: D. Eccleſiæ Cathedr: Poſnan: Pœnitentiarius, ad S. Margaritæ Præpoſitus, Commiſſarius, m. p.

Ioannes Regulus Collegiatæ S. Mariæ Magdalenæ Poſnan: Canonicus, ac Sacrâ auctoritate Apoſtolicâ publicus Notarius, Commiſſarius, m. p.

Poſt reviſionem hanc, non per modum ullius Proceſsûs, aut præliminaris ad Proceſſum, ſed ſolius ſimpliciter indagandæ veritatis causâ inſtitutam, relictum Corpus in eodem, cum aliis demortuorum cadaveribus, Sepulchro, nihilque ampliùs attentatum.

Non omittenda interim ſunt digna conſideratione, in eo ita conſervati Corporis, ſive miraculo vero, ſive præterordinario modo. Et inprimis; *Quid denotent Foſſulæ illæ Cingulares ternæ, quidve Cicatrices illæ ſimiliter ternæ, in ſcapulis remanentes deſignent?* Sciendum itaque eſt. *Foſſulas illas eſſe veſtigia Cingulorum ferreorum.* Quibus ſe P. Gaſpar Mortificationis ſtudio accingebat; præcinctis, imperio Chriſti, lumbis, expectans Dominum ſuum, *Cicatrices autem illas, eſſe veſtigia vulnerum, per cruentas flagellationes infligi ſolitorum:* quod oculati teſtes, duo è Societate noſtra Patres recognoſcunt; qui Patrem Gaſparem, extremo in morbo, viribus penitus deſtitutum portabant, revolvebantque. Et verò cùm Cicatrices hæ, ſint inſignia Corporis per flagella dilacerati, adeoque ante mortem jam ad corruptionẽ tendentis; mirum profectò; quomodo inchoata ante mortem Corruptio, deſierit poſt mortem, cui proprium eſt, etiam necdum corrupta corrumpere.

Deinde non minùs mirabile & illud; Quòd Caput ſit corruptum, reliquo corpore integro manente: ſi liceret conjicere, dici poſſet; id feciſſe DEUM tum ad occurrendum dubiis, quæ circa conſervationem hanc exoriri poſſunt, tum ad exaggerandum prodigium. Si enim quiſpiam ſubdubitet; fortè id vel qualitate terræ, vel complexione rarâ corporis, vel propter inunctionem aliquam accidiſſe: facilè reſponſum habebit; id ſi verum eſſet, Caput quoq; non corrumpi debuiſſe; quod quia corruptum eſt, conſervatio reſidui corporis, non ex qualitate terræ, vel ex aliis cauſis evenit. Quid item celeriùs naturaliter poſt mortem corrumpi in Corpore non exenterato, & ſufficienter carnoſo, (quale erat Patris Gaſparis) debet? an Caput quod corruptum eſt? an certè Collum, ventriculus, abdomen, partes pudicæ, femora, & reliqua, quæ tamen manſerunt modo extraordinario.

Non contemnendũ denique illud, quod contigit uni ex Commiſſariis à Perilluſtri & Reverendiſſimo Officiali, luſtrandi corporis causâ, miſſis. Fuit is Admodum R. Dominus Grudowicz, Eccleſiæ Cathedralis Pœnitentiarius: qui cùm pridie Reviſionis, ex itinere ſub veſperam domum rediiſſet, negotii quod ſequenti die gerendum erat, prorſus ignarus, quietique nocturnæ nonnihil indulſiſſet; ecce in ſomno videt, deduci ſe ad perluſtrandum corpus Patris Gaſparis, faciem, & caput velo obductum habentis, (prout de facto obductum erat, quod tamen ille penitus ignorabat) cùmque luſtrato corpore faciem revelari deſiderat, videt Patrem Gaſparem protensâ verſùs faciem manu innuentem, ne facies reveletur. Illuceſcente die, evigilans dum demiratur ſomnium, adeſt ephebus, à Perilluſtri & Reverendiſſimo Officiali, ad eundem, evocans illum. Non cunctatus, Reverendiſſimum adit, & dum varios miſcet ſermones, ſomnium recens enarrat. Obſtupuit Reverendiſſimus Officialis, exclamavitque ſe in hoc planè negotio, velle ejus operâ uti, nec aliam ſubeſſe cauſam, ob quam eum evocaverit. hæc combinatio ſomnij cum veritate, alacriorem ad revidendum reddidit, illudque dilucide declaravit; *non inſolitum eſſe DEO, etiam per ſomniorum umbras, ſervos ſuos illuſtrare.*

CAPUT XXI.

Beneficia quædam per Patrem Gaſparem, divinitus, à nonnullis obtenta, poſt mortem ejus.

OMiſſis pluribus aliis, quamvis illuſtrata ſint argento, auroque, in votivis tabellis, ad recognitionem beneficii oblatis, quæ juxta Decreta Sedis Apoſtolicæ, privatim aſſervantur: ſola præcipua allegare decrevi.

1. Perilluſtris Dominus Alexander à Ludinghaus Wolff, Gubernator Capitaneatuum, Felinenſis, Obornicenſis &c. ingenti capitis dolòre vexabatur, jamque proximum amittendi oculi periculum incurrerat, muco craſſiſſimo fruſtatim è pal-

pebris proruente. Hic igitur invocato Patris Gasparis defuncti Patrocinio, & numismate, quo dum viveret Pater Gaspar, uti solebat, admoto Capiti; in instanti ab omni Capitis dolore liberatus est, paratus id ipsum juramento testari, testatus jam anathemate argenteo.

2. Magnificus Dominus, Petrus Wolinski, genere, & virtute nobilis, Patri Gaspari, ex Sacra Spiritualium exercitiorum ascesi, quâ ab illo est quondam excultus, probe addictus, cùm in gravem incidisset morbum, ad eum tanquam Patronum ægras levavit manus, nec irrita fuit exoratio. Apparuit enim visibiliter in morbo Pater Gaspar, optionemque obtulit, ut deligeret, quod liberet; an in hoc misero Nosocomio, cum morbis non usque adeo intensis luctari, post fata autem æmulas Inferni, in Purgatorio pænas perpeti? vel certe peracerbos hic sustinere cruciatûs, & à cruciatibus alterius vitæ immunem esse? meliorem elegit partem bonus Nobilis, Deoq; cervicem subjecit, ad toleranda quævis in hac potiùs vita, quàm in alterâ. Apparitionem, & resolutionem hanc (quàm Sorori suæ, maturæ annis, & pietate Virgini, enarravit) subsecuti ipsis medicis incogniti morbi, atque cruciatûs, quibus accessère Cacodæmonis tentamēta. Sed in tā gravi certamine identidem illi cōparens Pater Gaspar, Dæmones dispellebat, afflictumque solabatur: ac tandem tempus mortis illi nuntiavit, veracitatemque nuntii probavit eventus.

Apparitio quidam Nobili infirmo.

3. Illustrissima D. Dorothea Gninska, Palatina Pomeraniæ, cùm in tam gravem incidisset morbum, ut desperantibus medicis, spes vitæ nulla amplius affulgeret, imploratâ ope Patris Gasparis, convaluit, acceptumque beneficium oblatâ argenteâ tabellâ appretians, recognovit.

Desperatæ sanitatis restituta sanitati.

4. Spectabilis Domina Hedvigis Ungrova, Civis Posnaniensis, Sororium suū, simulque pupillum, Danielem Sprechelman, extremè, omnibusque remediis humanis in cassum adhibitis, ægrotantem lugens, ad Patrem Gasparem defunctum confugit, atque adpromissâ illi argenteâ Coronâ, intercessionem ejus apud Auctorem vitæ Deum, expetiit, ac brevi sanum Danielem recepit; ad impletionem tamē promissi; mors illius ipsius postmodùm impedivit, fide, & debito apud Evictoré Danielem, postquàm creverit, manente.

Extremò infirmus adjutus.

5. Josephus Gorski, Auditor Philosophiæ, in Collegio Posnaniensi Societatis Jesu, viginti, & tribus ulceribus, utrumque pedem affectum habuit, quorum ulcerum unum erat longum, latumque ad quartam palmi partem, eoque jam affectio hæc processerat, ut per quinque annos, à nullo Medicorum, Chirurgorumque persanari potuerit. Quid hic ageret bonus adolescens? Vidit apud quendam constudiosum, particulâ Casulæ in qua Corpus demortui Patris Gasparis sepultū erat, illam magna cum spe ulceribus, nunc huic, nunc illi apponens, intra unam hebdomadam integerrimam pedum sanitatem recepit; totum id juramento comprobare paratus.

Ulcera sanata.

6. Nobilis Virgo, Anna Wolinska, morbis ita pressa, ut aliquoties jam jam animam agere videretur, (dum quidam Nobilis illi ob ejus probitatem apprimè addictus, pro ipsa supra sepulchrum Patris Gasparis, preces fudisset, proque & sanitate impetranda, tabellam argenteam Patri Gaspari adpromisisset) inopinatò incolumitati restituta est, promissumque adimplevit.

Animam propè agens sanitati restituta.

7. Magnificus Dominus Bardski, in gravissimis animi angustiis constitutus, suppetias coram Deo, Patris Gasparis expetiit, brevique ingenti malo animæ expeditus, binas argenteas tabellas, (bis enim eo malo impetitus) Patrono suo devovit.

PROTESTATIO AUCTORIS ITERATA.

ADverte Lector, in Vita Patris Gasparis Druzbicki, quam hoc libro complexus sum, nonnulla me attingere, quæ Sanctitatem illi videntur adscribere: perstringo quoq; aliqua, quæ miracula videri possunt, Illustrationes, Revelationes, & similia. Verùm hæc omnia ita Tibi propono, ut nolim à Te accipi, tanquam ab Apostolica Sede examinata, atq; approbata; sed tanquam, quæ à sola sui Autoris fide pondus obtineant; atq; adeò non aliter, quàm humanam Historiam. Proinde Apostolicum, S. Congregationis S. R. E. Universalis Inquisitionis Decretum, Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum, integre atq; inviolatè, juxta declarationem ejusdem Decreti, à Sanctissimo D. N. Urbano Papa VIII. Anno 1631. factam, servari à me omnes intelligant: Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi.

Daniel Pawlowski Sacerdos Theologus
Societatis JESU.

TRACTATUS
De brevissimâ ad Perfectionem viâ
HOC EST
De perenni Divinæ Voluntatis intentione, executione, apprehensione.

CAPUT Prœmiale & I.

Perfectio in quo consistat? quid requirat? quàm varia ad illam tendentium genera.

1. PErfectio Christiana veraque Sanctitas cõsistit in unione cum DEO, omnis perfectionis atque Sanctitatis fonte, principe, largitore: quæ unio sicut potest esse major, & minor, & maxima, ita potest esse perfectio major, minor, maxima. Quemadmodum enim nihil bonũ est nisi DEUS, vel quod à DEO est, in tantumque omnia sunt aut bona aut optima, in quantum à DEI multùm plurimumque bonitate participant, (sicut etiam in tantum aliqua sunt mala aut pessima, inquantum plus aut penitùs, ampliusq; à Divinâ bonitate recedunt) nihil quoque perfectum est, nisi vel DEUS, vel quod de Divinâ perfectione communicat, sive illi unitur; in tantumq; omnia sunt, aut perfecta, aut perfectissima, in quantum ad DEI perfectionem plenè aut plenissimè accedunt, & illi adjunguntur.

2. Undè fit, ut omnes illi, quicunque ad consectationem perfectionis vocantur, vocentur continuò ad consectationem Divinæ Unionis. Et quia Divina Unio supponit, & prærequirit, necessariò, accessũ profectionemque ad DEUM, ideò necesse est, volentem DEO uniri, ad DEUM accedere, atque proficisci: profectio porro ista requirit viam; quare festinanti ad unionem DEI, opus est cognitione viæ ad eam unionem ducentis; atque hîc Rhodus est & saltus, pro Sanctitatis perfectionisque, ac unionis divinæ professoribus, & sectatoribus. Sæpe enim quibus benè velle non deficit, benè ire valdè deficere consuevit; fitque ut (multùm miserando eventu) multi etsi bonum finem habere videbantur, errore viæ decepti, ad malum deveniant terminum; alii nõ malam quidem ingressi viam, longam tamen, & anfractibus, mæandrisque impertinentibus plenam, priùs ad mortem, quàm ad metam pertingant; rarissimi verò brevem & tutam adepti viam, curriculo & quasi compendio ad destinatum optatumque perfectionis & unionis divinæ pertingant scopum.

CAPUT II.

Cur multi, quanquam Perfectionis studium professi, eam tamen non assequantur?

3. AC mihi quidẽ, hanc quærentium perfectionẽ, varietatem identidem perpendenti, causamque investigare cupienti, hæc duo potissimum examinatione diligenti digna visa sunt. 1. Ecquid tandẽ sit, quod homines perfectionis alioquì studio-

studiosos (certè Illii quærendæ natos & devotos) impediat, quo minus ad unionem divinam (hoc est, ad perfectionem summam) vel aliquando vel cito perveniant. 2. Essetné aliqua brevis, tuta, constans, & omninò absoluta, immediateque ad Deum, & ad ejus unionem ducens, via.

4. Atque quantum attinet ad illud; Ecquid impediat homines, quominus ad Deum, ejusque Unionem perveniant? sentire mihi in mentem venit, causam hujuscè mali aliã non esse, quàm quia homines, si quando Deum quærunt, aliquid præterea quærunt, quod nõ propter Deum quærunt & ut forte nihil quærant aliud à se, at seipsos unà cum Deo quærunt invenire, habereque volunt. Quo posito, impossibile est, eos, qui ita affecti, & ad aliquid præter Deum non propter Deum alligati sunt, Deum invenire, ad Deumque pervenire, & ipsi intimè uniri. Fieri enim non potest, ut Deus ibi ab eo inveniatur, atque comprehendatur, ubi & à quo, aliquid præter solum Deum non propter Deum quæritur. Deus namque aut solus est, & nemo præter eum: aut si aliquid est præter Deum, Deus non est. Sufficiens est nimirum Deus, tum sibi, tũ omnibus (quippe ex illo omnia) estque præterea generosus, & ubique è dignitate suâ, tum agit secum, tum agi ab aliis tractarique vult quo fit, ut qui cum illo aliquid præterea quærit aliud, dedignetur Majestas illa à tali homine inveniri, sed relinquat illũ, vel solum, vel cum illâ, quam simul secum ambiverat, creaturâ: hæcque fit pœna, indignè, & non in bonitate de Deo sentientis. Atque quia passim hujusmodi homines invenire est, qui simul cum Deo aliquid non propter Deum, quin quod deterius est, aliquid aliud, relicto Deo, quærunt, ideò plurimi sunt, qui non tantùm ad perfectam cum Deo unionem nunquam perveniunt, sed etiam nullo penitus modo ad Deum appropinquant. Si homines scirent, possent, vellent solum Deum quærere, ipsoque solo contenti esse, & suorum desideriorum capacitatem explere, & nèque se, neque aliud quicquam à se & Deo diversum habere, nullo negotio, nullo labore, Deum in omnibus invenirent, illique unirentur.

5. Sed ubi invenitur ista Sapientia? aut quis persuadeat infelicissimis mortalibus solo Deo contentos vivere, & ut in eo omnia, quæ cupiunt, quæque cupere possunt, se invenire credant posse? Et fortè non deesset, qui alia omnia pro Deo contemptui habere, atque deserere vellet, sed qui etiam à se desciscere, sese negligere, à se abire, & ad solum Deum sine seipso pergere, in animum inducat, *non est, qui faciat hoc bonum, non est, usque ad unum.* (Psal 52. v. 4.) Omnia enim alia nõ gravatè utcunq; homo deserit, at à seipso, vel vix, vel nullo modo avelli potest: sicut enim primũ omniũ quod homo habet, est ipsemet, ita etiã primum quod amat, idè ipse. propter se autem amat omnia, unde postquã amare desierit omnia, adhuc potest amare se, quia adhuc habet ipsũ se, post abjecta omnia. Hinc miro modo fit, ut cũ homo omnia propter se amet, nõ possit omnia deserere, nisi prius desinat se amare, propter quẽ amaverat omnia: & tamen vice versâ sæpè fit, ut homo postquam deseruerit omnia, adhuc nihilominus amet seipsum, nimirum sicut amare potest propter se omnia, ita etiam propter amorem sui potest deserere omnia: relictis ergo omnibus, potest adhuc homo habere amorẽ sui: quod tunc accidit, quando videt se non posse utendo aliis obtinere conservationem sui.

6. Hinc sæpè multi hunc mundùm, & parentes, & omnia deserunt, Monachique fiunt, propter amorem sui: scilicet, vel quia sperant, melius se habituros in claustro, quàm in mundo; vel quia perdere salutem ad infernumque decidere timent, &c. quod posterius, quanquam ex sese malum non est, imò honestum censetur, multum tamen redolet proprietatem amoris, & vicinum est amori suiipsius; facilèque in hunc scopulum impingunt homines, eiq; ita tenaciter adhærent, ut ab eo nec ipsi se avellant, nec avelli patiantur unquam; cùm tamen certò certiùs sit, in viâ Spiritus progredi, & ad unionem cùm Deo pertingere cupienti, necessarium esse, ut gratis Deo serviat, gratuitò Deum colat, nec illum aut præmii spe, aut supplicii metu (esto his juvari & excitari, sed non principaliter moveri possit) veneretur, observet, diligat.

7. Et hîc est punctum deceptionis plurimorum, etiam Perfectorum, qui post abjectum mundum cum suis omnibus vanitatibus, ad Deum festinare, imò & appropinquare, tùm sibi ipsis, tùm aliis videntur, à quo tamen vel longe absunt, vel si fortè propiùs admittuntur, tamen subitò repulsam patiuntur, quia ad Deum sinè mundo quidem, at non sine semetipsis tendunt; amant enim seipsos, fovent seipsos, blandè tractant seipsos: passionum suarum, judicii, voluntatis, amoris, honoris, æstimationis propriæ abnegationi, nõ intendunt, sed ista omnia secum ad Deum trahunt, & ita

ita ipsimet sibi in hâc viâ impedimento sunt, ipsimet parietem inter se ad Deum exstruunt, ipsimet sibi tenebras & caligines offundunt, quibus involuti, in itinere ad Deum cæcutiunt, progredique non possunt, sed in luto propriæ immortificationis hærere coguntur, & qui cum seipsis Deum habere conabantur, nec Deum habent, nec seipsis contenti sunt. Quodsi scirent post abjecta omnia etiam abnegare, & relinquere se, illico invenirent Deum. Quid enim aliud in rebus superest homini, post abjectum se, & alia creata omnia, nisi DEUS, qui est extra & supra omnia?

CAPVT III.

Cur multi Perfectionis amantes, tardè ad eam perveniant, & sæpè prius vivere desinant, quàm eâ potiantur?

8. IAm quantum attinet ad illud: Ecquid impediat, & retardet homines, quominus citò & maturè ad Deum perveniant, frequenterq; priùs ad vitæ, quàm ad Perfectionis finem veniant; ita equidem (salvis rectiùs sentientium judiciis) statuo & sentio. Duobus modis potissimum quæri à creaturâ DEUM posse. 1. Ita, ut quæratur DEUS non solus, sed simul cum ipso alia quærantur. 2. Ita, ut quæratur solus DEUS, & nihil præter ipsum. Potest autem quæri Deus & alia cum Deo bifariam adhuc. 1. Tantum concomitanter; ita scilicet, ut & DEUS quæratur, & nihilominus quærantur alia simul cum ipso, sed non propter ipsum. 2. Relativè; ita scilicet, ut & DEUS quæratur, & alia præter Deum, relatè tamen ad Deum, seu propter Deum. Quærere Deum non solum, sed alia cum ipso, non propter ipsũ, pessimum est, & Deo, homineque dignè de Deo sentiente, prorsus indignum, ut supra dixi. at verò quærere Deum, non solum quidem, sed tamen nihil aliud quærere, nisi propter ipsum, est bonum: reduciturque ac coincidit cum illo quærendi Deum modo, quo solus Deus, & nil præter eum quæritur. Quâquam enim aliquid præter Deum quærit, quia tamen id, non nisi propter Deum facit, ideò magis Deum, quàm aliud quærit, quod homini in hac vitâ viventi satis est, imò & necessarium. Necessarium inquam, quia homo (saltem dum hîc vivit) Deum ita solitariè amare non potest, ut nihil præter ipsum amare possit, tenetur enim ex præcepto charitatis Divinæ, Deum super omnia, & propter Deum omnia diligere. Quidquid interea ex parte hujus fiat in Patriâ, non disputo: mihi enim certissimum etiam videtur, quòd Beati in cælo nõ ita nudè solum Deum amant (ubi tamen amant illum possidentque perfectissimè, & completissimè) ut simul non ament omnia alia in ipso, & propter ipsum. Ex duobus ergo modis quærendi Deum supra positis, unus omninò pessimus ac reprobandus est, alter optimus & usurpandus, exercendusque, quo nimirum ita Deus solus, quæratur, ut nihil præter ipsum non propter ipsum quæratur.

9. Sed ex hoc ita exposito, nondum satisfit difficultati initio positæ, verùm est præterea addendum illud, quòd DEUS solus & alia propter Deum quæri possunt duobus modis, quos antequàm explico, illud insuper præmittere, necesse habeo.

10. In omni actione nostrâ rationali, duo intercurrere necessariò. 1. Actionẽ ipsã. 2. Finem, Motivum, Regulam actionis: propter quem nimirum finem? quo motivo? & juxta quam Regulam? exercetur actio. ita (in re nostrâ loquendo) Actio quærendi Deum duo includit. 1. Ipsam quæsitionem Dei. 2 Finem & motivum quo quæritur, sive regulam (idem enim hæc sunt) juxta quam quæritur. Actio quærendi Deum per se spectata bona est, imò uniformis, & quasi unius generis, at Regulæ juxta quas hæc quæsitio exercetur, & modi, atq; viæ, quibus in hac quæsitione inceditur, ut bonæ sint, non uniformes tamen, hoc est, non æquè bonæ omnes sunt. aliæ enim aliis dantur meliores. Uuniversim autem, & doctrinæ causâ, loquendo, duplices sunt Regulæ atq; viæ, quibus in quærendo Deo inceditur. 1. Quædam tales sunt, ut immediatè; brevissimè, compendio, directè ad Deum deducant, immediatèque Deo conjungant, nec ante necesse sit hominem ab ijs viis regulisque deflectere, quàm ad Deum ipsum ab iis deducatur. 2. Quædam verò tales sunt, ut indirectè, per ambages, longosq; circuitus, mediatè ad Deum ducant, mediatèque ipsi conjungant fitque eas identidem necesse permutare, relinquere, ac post imperfectiores, magisque mediatas ad perfectiores, minusque mediatas transire, donec tandem ad Deum ipsum immediatè pertingatur, & vera cum ipso unio acquiratur.

11. Ad propositum igitur redeundo, duo

modi sunt, Deum & ipsum solum, omniaque alia propter ipsum quærendi: unus immediatus alter mediatus, uti modo dixi: & postea etiam plus, clariùsq; dicturus sum. Qui itaque Deum solum, & alia propter ipsum quærunt mediatis modis, & qui indirectè per quosdam anfractus, circuitusque ad Deum tendunt, his hoc non raro evenit, quod quærimus, nempe ut prius ad vitæ, quàm ad Perfectionis finé, hoc est, ad veram cum Deo unionem perveniant. Dum enim longas & Mæandricas ineunt vias, cùm suos quæque habeat gradus, & nodos, & ex una ad aliam fiat transitus, dum solvuntur nodi, dum superantur difficultates, dum conscenduntur gradus, dum de viâ ad viam transitur, & illa cui jam insueveras, tanquam inutilis dediscitur, nova alia veluti perfectior, ab elementis discitur, eunt dies, menses, anni, vita integra, nec ad Dei familiaritatem, ad unionem, ad comprehensionem pervenitur: & sanctitas quidem habetur, amicitia Dei habetur; at consummatio sanctitatis, at amicitiæ summitas, & convictus familiaris, at deliciæ, aliaque bona majora, & delicatiora Dei, non habentur. quare? longa via suscepta est, quæ bona quidem est, at moram facit, & cogit hærere in imperfectioribus, inque rudibus ac primis disciplinæ Sanctæ rudimentis, tempusque terere, quod meliùs in aliis fuisset collocatum.

12. Et hæc causa est, quare ex tot perfectionis studiosis, quibus plenissima est in omnibus sui partibus (potissimum verò in iis, quas Ordines Religiosi tenent) Ecclesia, rari admodum sint, qui veræ & consũmatæ perfectionis possessione gaudeant: ita ut dicere debeat Sponsus ille cælestis, quod est Cant: 6. 7. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa genitrici suæ &c.* Quia enim multi sunt in Ecclesiâ, qui sincere & ex animo partim perfectiùs, partim imperfectiùs, mediatiùs immediatiùsque Deum quærunt, & ejus familiaritatem ambiunt, ideò per Reginas per concubinas, idque tanto illo numero designantur: at quia rari sunt & perpauci, qui perfectissimè immediatissimè, ac rectissimè ad Deum tendant, ideò delicatissimæ, simplicissimæque columbæ, ejusque unicæ, perfectæ, electæ nomine appellantur. qui sint autem isti? ex sequentibus patebit.

[Cant: 6. 7.]

CAPUT IV.

Dari directam & brevissimam ad Perfectionem viam, & quænam illa censenda sit?

13. SUperat quærendum: Estné aliqua brevis, tuta, constans, & omninò immediata ad Deum, ejusque unionem perfectam via. Et esse quidem talem viam haud obscurè in proximè præcedenti capite declaravi. Nunc id tamen fusiùs, enucleatiusque tradendum est. Sentio igitur esse aliquam certam regulam, atque viam, quâ quis incedens, rectâ, immediate, compendio, ad Dei unionem pertingat. Atque nisi ego fallor, omnium judicio illa brevis, compendiosa, immediata, directa, secura, perfecta ad Deum perveniendi est ratio censenda, quæ nullas habeat digressiones, & circuitus, quæ quidquid in aliìs est, in se contineat, quæ non primò ad aliquid aliud à Deo, postea ad Deum, sed rectà ad ipsum Deum ducat quæ sit omnium aliarum viarum finis, ad eamq; omnes aliæ redigantur, & coëant; quâ Christus ad Deum incesserit; quâ Deus ipse deniq; ad se veniat, à se ad nos prodeat, iterumq; à nobis ad se redeat: & ut brevius dicam, illa ad Deum omnium judicio, rectissima commodissimaque via est, quæ ad Deum per ipsum Deum ducit. Ad Deum enim non est alia brevior, commodiorque via, quàm ipse Deus. Talem igitur qualem descripsi ad Deum perveniendi regulam & viam dico esse, eamque non aliam quàm ipsum Deum. Sed ne obscurum per obscurum explicare, aut potius intricare cui videar.

14. DICO. Ad Deum perveniendi commodissimam rationem, Voluntatem Dei esse, in eamque illas omnes, quas modo recensui proprietates apprime convenire; quod ita breviter declarari potest, & ex sequentibus uberiùs patebit. Omnis Actio in homine aliquid quomodocunque agente, vel est bona, vel mala: mala est, quæ tendit ad finem illicitum, rectæque rationi difformem, & consequenter Divinæ Voluntati oppositum. (Recta enim ratio, & Divina Voluntas idem sunt, quoad rationem moris & honestatis, siquidem Voluntas Dei regula est rectæ rationis, & ideò ista recta, quia illi conformis) Bona hominis actio est, quæ tendit ad finem licitum honestum, rationi rectæ, simulque Divinæ Voluntati congruentem. De intentionibus quibus actiones humanæ depraven-

praventur in præsenti nihil attinet dicere, parum enim intereſt, dexterné an ſiniſter aberres, modo aberres à recto. Bonarum intentionum, quibus ſcilicet opera humana bona redduntur, multa quidem ſunt genera, hoc tamen omnibus commune eſt, quod quælibet earum, ſi bona eſt, ad Dei Voluntatem tandem reſolvi debet, ita ut illa bona ſit Intentio, quæ Dei Voluntati congruit, ſicut illa mala, quæ ab hac recedit. Ex quo illud ſequitur, quòd quisquis per bonas actiones ad Deum pervenire vult (aliter autem pervenire non poteſt, uti certum eſt) is nullo modo in ſuis actionibus à Dei voluntate deflectere debeat: Si enim deflexerit, per bonas actiones ad Deum non ibit. Sequitur ultra & illud: Omnes actiones humanas ad Deum hominem deducentes, ultimò tandem ad iter, Divinæ Voluntatis deflectere, & aliis omnibus viis omiſſis, hanc unam inſiſtere, per hancque unam demum ad Deum pervenire.

15. Exemplo res fiet manifeſta. Non peccare, vel bene agere, eſt unum ex his quæ hominem ad Deum ducunt: Sed regula bene agendi, aut non peccandi varia eſſe poteſt. Nam poteſt quis non peccare, ut vitet infernum, ut cœlum poſſideat, ut Chriſtum imitetur, ut conformiter rationi vivat, ut aliquid à Deo impetret, vel ne gratiâ Dei excidat, &c. hæ omnes intentiones ſunt, ob quas quis poteſt nolle peccare, hæ tamen omnes non aliter bonæ ſunt, nec aliter hominem peccare nolentem, bonum faciunt, niſi quatenus cum Divinâ Voluntate congruunt, neque aliter ad Deum hominem adducunt, niſi quatenus executorem Voluntatis Divinæ reddunt: Ex quo certe manifeſte ſequitur, quod carentia peccati, non prius hominẽ ad Deum adducat, ipſique uniat, quàm eum poſthabitis relictisq; omnibus aliis intentionibus, ad Voluntatis Divinæ executionem deducat. Atque ita vel ex hoc uno certum eſt, Voluntatem Divinam, ejusq; intentionem, eſſe finem omnium aliarum intentionum, omnesque regulas & vias ad Deum, in hanc unam tandem revolvi: ipſam autem aliam poſt ſe non habere, ſed rectâ ad Deũ deducere. & quod conſequens eſt, omnium aliarum viarum regularumque perfectionem complecti, & compendium earum eſſe.

16. Jam verò quòd hæc ipſa Voluntatis Divinæ intentio & executio Chriſto familiaris fuerit quodque non per aliam, ſed per hanc ſolam viam ad Deum ille iverit, clarum ſatis eſt, tum ex ipſiusmet frequentiſſimâ de ſe atteſtatione: *Meus cibus eſt, ut faciam Voluntatem ejus, qui miſit me. Ego enim quæ placita ſunt ei facio ſemper. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Ego mandata Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione, &c.* (Joan. 4. 8. 14. 15.) Tum etiam ex eo, quia nulla alia Chriſto ad Deum perveniendi via ſuperfuerit, quàm hæc unica Divinæ Voluntatis: non enim illum metus inferni, non cæli ſpes, nõ alicujus alterius imitatio, non mortificatio paſſionum ſuarum, non quid aliud tale ad bene agendum, maleque non agendũ impellere poterat, prout per ſe clariſſimum eſt: Sola igitur Voluntatis Divinæ via Chriſtum ad Deum & perducere potuit, & perduxit.

17. Denique quòd Deus nonniſi per ſuã Voluntatem ad nos veniat, in ſe ſit, ad ſeſeque redeat, probare nihil attinet; palam enim eſt, Deum non cogi ab alio, ut nos aut creet, aut gubernet, nobiscumvẽ moretur, ſed ſuâ duntaxat ad id inclinari omnipotentiſſimâ, ſuaviſſimâque Voluntate. Similiter certum eſt, Deum diligere ſemetipſum, benè velle ſibi, complacere ſibi, gaudere de ſemetipſo, frui ſeipſo, beatum eſſe ſeipſo; nec ti in triplici illâ perſonâ, unâque naturâ ſeipſo, non juſſum ab alio, non coactum, ſed ſponte voluntarièque (etſi non liberè) voluntateq; ſuâ propriâ neceſſitatum. Quæ cùm ita ſint, manifeſtum relinquitur, Divinam Voluntatẽ eſſe certiſſimam, compendioſam, directiſſimamq; ad Deum perveniendi viam præſertim, quòd (ut hoc etiam addam) ducat ad Deum per ipſum Deum. Neq; enim aliud eſt Voluntas Dei, & aliud ipſe Deus, ſed unum omninò & idem; quoniam idem eſt in Deo eſſe & velle, nec inveniri quidquam poteſt in Deo nõ Deus. quare ſi Voluntas Dei Deus eſt, & per Voluntatem Dei ad Deum itur, utiq; per Deum ad Deum itur, eſtq; ipſe Deus via ad ſeipſum; & quia nil Deo propinquius ipſo Deo, nulla via brevior & propior eſt ad Deum, ipſo Deo: ire ergo ad Deum, per voluntatem Dei, breviſſima via eſt, ut non immerito quidam Sanctorum, ſic Deum roget. *Trahe nos Domine ad te, per te, propter te; ad te, quia tu es vita: per te, quia tu es via: propter te, quia tu es veritas.*

18. Cùm ergo, ut jam ſatis notum eſt, breviſſimâ, & perfectiſſimâ, immediatiſſimâque via ad Deum ſit, Voluntas Dei, neceſſe eſt, omnes eos, qui non ſolùm nolunt à Deo Deiq; unione penitus aberrare, ſed etiam qui volunt præterea citò, & compendiò ad ipſam pervenire, relictis aliis viis, tùm ad Deum non ducentibus, tum

per

per circuitus longos ducentibus hanc unam viam Voluntatis Divinæ terere, calcare, & tenere: necesse est, inquam, relictis omnibus aliis exercitiis, etiam piis, & uti potest videri, valde solidis ac sublimibus, vel renuntiare, solamq; hanc Dei Voluntatem nudè & præcisè intueri, vel huic uni submittere, & ab eâ ad illa alia exercitia fructum derivare, illorumq; tædiosam longitudinem, suavissimis facillimisq; hujusce compendiis delinire: quod an fieri debeat, & quomodo possit, operæ pretium jam est declarare: quod quidem ita faciam, ut eâdem operâ, difficultates ex prædictis enascentes dilucidem.

CAPUT V

Occurritur dubiis contra dicta surgentibus, & quæ sit perfectissima Christum imitandi ratio. Curq; necessarium fuerit Christum venire, docetur.

19. Motus aliquis his, quæ jam dicta sūt, dicere fortasse poterit; Hinc sequi, quod quis Christum Dominum in suis operibus imitando, per Christumq; ad Deum, juxta ipsiusmet præceptum pergendo, ad Deum aut non sit, aut tarde & ægrè sit perventurus: cùm tamen Apostolus disertè dicat, *quòd non sit aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi utique nomen* JESU; & ipse Christus non minùs clarè pronuntiet. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum via, veritas, & vita.* (Act: 4. Joan. 14.) Quomodo igitur, si Christus est via ad Deum, sine quâ nemo ad illum pervenire potest, alia quædam brevior via ad Deum statuitur? Equidem non dico ad Deum per Christum perveniri non posse; clarè enim hoc verba Evāgelii, atq; adeò omnis Christi œconomia, convincunt: sed dico, dari altiorem quandam, quin & magis immediatam (si nunc Voluntatem Dei à Christo ut Homine secernamus) ad Deum perveniendi rationem, quàm est per Christum; quin addo, dari talem, sine quâ ne ipse quidem Christus si ab eâ separari posset, via esset, aut utilis esset; & à quâ Christus ipse habet hoc, quòd sit ad Deum via. Neque enim Christus aliter & aliunde est ratio ad Deum accedendi, quàm ex Dei voluntate; adeò, ut ad Deum per Christū, perq; ejus fidem ac doctrinam & imitationem perveniri non posset, nisi Voluntati Divinæ hæc fides, doctrina, imitatioq; initeretur; quia enim Deus voluit nos in Christum credere, & hanc fidem nobis prodesse, idcirco, & nos credere tenemur, & fides nobis prodest: fac hæc Deum nolle, ruunt omnia.

20. Quod quidem tùm multis aliis argumentis, tùm illo imprimis probatur, quod supra in hunc ipsum finem proposui, quando dixi, Christum ipsum, nec per aliam viam ad Deum ivisse, neq; pervenire potuisse, quàm per hanc Divinæ Voluntatis. Certè enim Christus ad Deum pervenire necesse habuit. quoniam ipse ait: *Vado ad eum, qui me misit. A Deo exivit, & ad Deum vadit; ascendo ad Patrem meum, &c.* (Joan: 16. 13. 20.) Si autē necesse habuit ad Deum pervenire, debuit & viam habere: Via Christi ad Deum, fuit Voluntas Dei. Ergo consequenter regula operum Christi, quibus ad Deum ibat, fuit Voluntas Dei. habuit ergo Christus altiorem regulam, quâ ipse ire, & dirigi in eundo ad Deum debuit. Hanc igitur regulam, quæ Christum rexit, & perduxit ad Deum, dico altiorem esse, & magis immediatam rationem perveniendi ad Deum. Ea propter nullum opus Christi nobilius, majusq; est, teste Scripturâ, quā Voluntatis Dei executio: nec ullius rei nobis tam illustre (addo & tàm solùm) exemplum dedit, quàm Voluntatis Divinæ exequendæ. quidquid enim fecit, studio Divinæ Voluntatis exequendæ fecit. Ergo Christum etiam in hoc imitari, est in maximo opere illius eum imitari; in hocque solo illum imitari debemus. Scripturam autem quam citavi, dico, esse illum Pauli locum; *Christus factus est obediens usq; ad mortem, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* (ad Philip: 2) Hic enim Paulus expressit, causam Exaltationis Christi non aliam, quàm Voluntatis Divinæ executionem.

21. Neq; hæc res est Christo Domino injuriosa, quin potius gloriosa; altissimum enim nobis modum Christum imitandi, exponit & proponit: facit enim & docet, non tantùm, ut pro regulis nostrorum operum opera Christi assumamus, sed etiam ut secundum quam regulam Christus opera sua direxit, & nos secundum eandem dirigamus, & quâ viâ Christus ad Deum ivit, nos etiam eandem teneamus; quod sine dubio celsius est imitationis genus, quàm si opera ejus tantum attendētes, regulam autem operum ejus ignorantes, nostra opera operibus ejus, non regulæ ejus accommodemus. Sicut nemo negârit, quod perfectius imitetur Magistrū discipulus Pictoris, tunc, quando ex eâdem arte, ex quâ Magister pingit aut pinxit ima-

xit imaginem, & ille similiter illi similem pingit, quàm si artis Magistri sui ignarus præceptorumque, ad imaginem tantum à Magistro profectam respectans, similem illi depingere conetur: qui enim sic imitatur, artem non scit, nec regulam, proinde nec Magistri perfectionem assequitur: neque omninò Magistrum, sed opus Magistri imitatur, proq; arte ac regula operationis suæ, exemplari per artem depicto utitur. Pari ergo ratione, qui opera talia facit, qualia fecit Christus, & ideò tantum, quia ille fecit, benè quidem is facit, & aliquomodo Christum imitatur, nō perfectè tamen imitatur Christum, sed potius tantùm opus Christi, quoniam nec operationis Christi modum, nec artem imitatur, aut exprimit; at verò ille demum Christum per omnem modum imitatur, qui & hoc facit quod Christus, & eo modo, ex eâdem arte, secundum eandem regulam, secundum quam Christus fecit: hoc est enim verè discipulum esse, hoc est perfectionem Magistri assecutum esse, quodque discipulo sufficere, Christus non dubitavit asserere, quando dixit: *Sufficit ei* (discipulo) *si sit sicut & Magister ejus*, Ex duobus igitur hisce bene operandi modis. *Facio istud quod Christus fecit, quia Christus fecit.* Et: *Facio istud quod Christus fecit, quia Deus præcepit* nobilior, excellentiorque est modus posterior, quàm prior: tùm quia nobilior est Dei voluntas, exemplo & opere Christi: (secludendo personam operantis) tum quia ipse Christus Dominus, non primū modum sed secundum tenuit: ex quo etiam sequitur, quòd non is, qui primum operandi modum, sed is qui secundum tenet, Christum Dominum imitetur, quoniam quem modum Christus in operando tenuit, & ipse tenet.

Joan: 16. 13. 20.

Matt: 10. 25.

Philip: 2

20. 21.

22\. Atq; ex his confestim solvitur altera cum hac cōnexa difficultas. Dixerit enim forte aliquis. Gratis Christum in mundum venisse, neq; fidem in Christum, ejusq; imitationem nobis ad salutem necessariam: Siquidem (ut dicebam) sequendo solam Dei Voluntatem, eiq; inhærendo salvari possumus. At enim ego non dicebam, sine Christo-Homine pervenire nos ad Deum (stante hoc rerum humanarum ordine, qui defacto est) posse; sed tantum dixi, perveniri immediatiùs, & altiore viâ, quàm per Christum hominem, etsi non sine Christo Homine; eâ scilicet viâ, quâ ipse prior, & ad exemplum nostrum pervenit Christus, per Voluntatis nēpe Divinæ executionem, quæ supponit Scientiam sui, atq; cognitionem; cognosci vero non potuit, nec potest, nisi per Christum; ipse enim à Deo datus est Magister & expositor Divinæ Voluntatis, idq; non speculativus tantum, docēdo nos quid Deus velit, quid jubeat, quid vetet, quid consulat, quid approbet, quid (uno verbo) facere nos velit; sed etiam practicus, docendo suo exēplo, quomodo hoc ipsū, quod faciendum docebamur, faceremus.

23\. Quæ causa est, cur Christus necessarius nobis fuerit ad credendum, ad discendum, ad imitandum, ad valendum? curq; non gratis venerit? curq; etiam tàm multa heroicarum virtutum opera in omni genere ediderit? Ad credendum quidē esse necessarium, quia oportebat nos credere Christum à Deo esse, & Deum esse; docendi authoritatem, & verba vitæ æternæ habere. Ad discendum, ut ab eo Voluntatem Dei disceremus. Ad imitandum, ut ab eo modum Voluntatis Divinæ exequendæ practicum, & in exemplo haberemus: ad volendum, sine ipso enim nihil valebamus facere, nec Voluntatem Dei, aut scire, aut exequi, sed ejus ad id merito & gratiâ opus habebamus, ut ipse nobis promereretur & gratiam, & jus ad gratiam, per quam & cognoscere, & velle, & posse, & reipsâ exequi potentes essemus Dei Voluntatem. Sine ipso enim nihil pos-sumus facere; in ipso vivimus, movemur, & sumus; per ipsum, & in ipso, & ex ipso sunt opera nostra omnia; ab ipso habemus scire, velle, posse, facere pro bona voluntate nostrâ. Alioqui autem illis heroicis virtutibus opus non erat ad nudam Voluntatis Divinæ explicationem, imò nec ad nostram redemptionem: redimi enim unicâ guttulâ Sanguinis, imò unico nutu oculorum ejus poteramus: verùm ad nos suo exemplo instruendos; ut scilicet, non tantùm sciremus Voluntatem Dei, & quæ agenda, non agendave essent, sed etiam exemplar ac modum eadem agendi haberemus. Qui modus non poterat facilè nobis infirmis & rudibus, quin & malitiâ corruptis dari in uno aliquo levi Christi Domini facto, sed oportebat heroica, & plurima facinora virtutum excellentium exhiberi: puta, Amoris Dei, & proximi, & inimicorum: Obedientiæ ad Deum, & omnem Magistratum: Spei contra spē; Humiliationis & Humilitatis, Patientiæ, cū Innocentiâ & rectè factis: Paupertatis Spiritûs, Castitatis, Mansuetudinis, Resignationis, Silentii, Zeli, Discretionis, &c.

24. Non est ergo dicendum, posse ad DEUM perveniri sine Christo, sed potiùs posse & debere ad Deum immediatè perveniri exẽplo Christi, ductu Christi, modo eo, quo pervenit Christus. Passus est Christus indigna, quia Deus ita voluit, possumus & nos, quin & debemus injurias pati, quia Deus idem vult, idque se velle ostendit, per doctrinam, & per exempla Christi; ut scilicet, & vellemus tanto exemplo moti, & ut sciremus, tanto Magisterio practico docti, & denique ut possemus, copiosissimis efficacissimisq; ejus meritis adjuti, & roborati Divinam suam Voluntatem, quantumvis ardua volentem exequi. Quod utique excelsissimum genus est, tum imitandi Christum, tum pertingendi ad Deum.

25. Totum hoc, quod dixi hactenus, robur sumere potest ex eo, quod Christus Dominus aliquando dicebat, Observationem verborum seu mandatorum Dei, beatitudinẽ & salutem conferre; aliquando dicebat observationem mandatorum suorum id facere. Faciebat enim hoc, quia aliquando se ut hominem à Deo discernebat, aliquando se ut Deum in æquali portione cum Deo ponebat. Quando se à Deo separabat, non suorum, sed Divinorum verborum custodiâ salutarem esse dicebat, tanquam altiùs esset, Dei, quàm sua verba custodire; quando Deo se ex æquo ponebat, verba quoq; sua spiritum & vitam esse, hoc est, salutem & beatitudinem æternam illa servantibus conferre, demonstrabat.

CAPUT VI.

Studium exercendi se in solius Divinæ Voluntatis Intentione, & executione, non præjudicare aliis piis exercitiis ostenditur.

26. AT enim nonnemo dicet: Ex hâc doctrinâ, quam tradimus, colligi videtur; Debere nos abjicere atq; negligere tot media ad virtutem, tot exercitia sancta, tot Spirituales doctrinas à Sanctis Patribus traditas & excogitatas, imò ab ipsomet Spiritu S. inspiratas; & quorsum tot libri, tot de rebus Spiritualibus tractationes; tanto labore & diligentiâ passim conscripta de acquirendâ perfectione volumina? Sed

Sciendum est, quòd in Bonis aliud sit, quærere perfecta, aliud sectari perfectissima: quòd aliud item sit pergere aliquò viâ longâ, & pergere compendio. Videmus de iisdem scientiis, alios ingentia, alios succincta componere volumina: videmus ejusdem uniusq; artis præcepta, à quibusdam tradi fusissime, à quibusdam brevissime: neq; tamen ob id minus placet, aut illorum exacta disciplinæ explicatio, aut istorum breve, fastidiumq; levans compendium: & sane non video quid intersit, longané an brevi methodo ad scientiam pervenias, dummodò pervenias. Quid quòd ingenia multa sunt, quibus quantò plura in explicando ageras, tantò majores tenebras offundis, quantò paucioribus rem proponis, tantò illam percipiunt celeriùs & meliùs. Ita in re nostrâ loquendo; Bona sunt omnia quæ à Patribus de Perfectione traduntur sed inter hæc bona, negat nemo, alia aliis esse meliora. Omnia ad perfectionem ducunt; fateor, sed sicut perfectionis gradus sunt, ita & viarum ad illos, ascensuumque, varietas est. Certè bona erat lex per Moysen Judæis data, at melior Gratiæ per Christum parta: unde Apostolus Mosaicam legem Christianæ legis respectu, *elementa* vocat respectu scientiæ consummatæ. Quando Paulus idem scribebat. *Lac vobis potum dedi, & non escam, nondum enim poteratis*; bonũ aliquid dederat quod lac ipse vocat, & tamen solidum cibum se reservasse, nec apposuisse ob imperfectionem & incapacitatem illorum, hoc est, solidiorem aliquam doctrinam illis non exposuisse indicat. Similiter bona illa erant, quæ recensuerat, antequam dixerat, *Perfectiorem vobis viam demonstro: æmulamini charismata meliora.* Quin etiam Christus Dominus Apostolis dicebat: *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo: Spiritus autem &c.* Ergo, quæ tunc dicebat, eosque docebat, leviora erant, quæ portare poterant; quæ autem nõ docebat, quæque portare non poterant, altiora, graviora, perfectiora erant.

Gal: 4. 3. 9.

1. Cor: 3.

1. Cor: 12.

28. Et quid multis? Dico breviter. Sicut datur bono melius, & meliore optimum, ita ad bona & optima, dantur media bona, & dantur meliora; non secus atq; ad perdocendam perdiscendamq; Scientiam aliquam datur Methodus bona, datur melior; datur compendiosa, datur compendiosior. Ita etiam ad Deum, Deiq; unionem, datur & assignatur via bona, datur assignaturq; melior & optima. Bona est ad Deum via, mala nõ agere, melior bona agere, optima bona agere & mala pati.

pati. bonum est, quando injuriam pateris, silere, meliùs, etiam in animo quietem habere; optimum gaudere, cupere, injurianti benè velle, benè illi facere. Et quæro quando unus in injuriâ illatâ sibi, tacet, sentit tamen acerbum animum, & irâ consurgentem, alter verò compressam habens passionem, non tacet solùm, sed gaudet de injuriâ, amatque hostem suum; horum duorum, uter majore passu ad Deum currit? uter compendiosiorem viam ad Deum init? nonne hic potiùs alter, quàm ille prior. Ergo te ipso judice, si tibi daretur unam ex his duabus viis eligendi optio, hujus tu alterius, non prioris illius viam eligeres? quòd ubi faceres, nunquid te hoc pacto injurium in vitæ Spiritualis Magistros, putares, qui primum hunc patientiæ gradum ponunt *Silere in injuriâ*? Non utiq;, sed diceres potiùs, breviorem te, & compendiosiorem perfectioremq; viam eligere, non esse cur tempus consumas in infimo, cùm possis alta conscendere: nemo quippe infimum terit gradum, ut teneat, sed ut ad altiora gradum faciat. Hoc igitur quod tu in tuâ electione diceres, & me in meâ dicentem audi: Omnis ad virtutem via bona est, si modò ad illam via est, at si melior potest, si potest & optima inveniri, ut quid cogor ad bonam, optimam habere si possum? ut quid cogor ad longâ, si breviorem habere, melioremque possum? illa enim optima sunt media, quæ fini proxima: nam quæ à fine remota sunt, vix media, at potiùs extrema sunt.

Gal. 4. 3. 9.

1. Cor. 3.

29. Via ergo quæ Deo proxima est, quæ me immediatè ad Deum adducit, Deo conjungit, hæc est optima. Atque hanc dico in præsenti, non aliam esse, quàm Voluntatis Divinæ cognitionem, intentionẽ, executionem. aliæ viæ bonæ sunt, sed infra hanc sunt. aliæ ut me ad Deum adducant, ad istam prius deducere, & in eâ collocare debent: quod ubi fecerint, recedunt, & huic uni officium, me ad Deum ducendi relinquunt. Quod si ita est, desipiamne, qui relicturas vias relinquo, & deducturam me ingredior si possum, si commodè, si commodiùs possum? Quocirca, bonum est, agere bene, non peccare, ut infernum evadas; melius ut cælum Deique visionem assequare: meliùs ut Christum imiteris; ut ne gratiam Dei perdas, ut legibus Amoris Divini satisfacias, amoremque Dei in te vividum esse protesteris, ut ob Amorem Dei te abneges: at omnium optimum est, ideò benè agere, & malè non agere, quia hæc est Voluntas Dei, & ut voluntatem ejus impleas, beneplacitoque ejus te conformes, & ad placitum, palatumque Divinæ Majestatis facias. Hoc quod optimum esse ex rectâ ratione judico, si etiam præeligo, aliisq; propono, non ego illa alia contemno, illisve injuriam aliquã infero, sed mihi consulo, sed sapienter ago, sed (quod caput est) secundum Dei voluntatem facio. placet enim Deo & voluntas ejus est, ut inter duo bona, quorum alterum altero meliùs Deoq; gratiùs, illud acceptemus, quod Deo gratiùs esse intelligimus.

1. Cor. 12.

28.

CAPUT VII.

Sicut DEI Voluntas præstat rebus omnibus, ita eam in omnibus intendere & exequi, præstare omnibus Spiritualibus exercitamentis, docetur.

30. Vix equidem puto posse quenquam reperiri, qui ambigat id gratiùs esse Deo, quod tuâ Sanctissimâ Voluntate plus approbat. (nam quid aliud est, gratum aut gratius esse Deo, quàm à Divina Voluntate, aut simpliciter, aut ampliùs approbari!) ut tamen neque hoc intactum relinquam insolutumque, & quia multum ad Divinæ Voluntatis commendationem facit, non abs re facturus mihi videor, si, quare hoc vel illud facere, propterea quia Dei Voluntas hæc est, meliùs sit, atque adeò optimum, quàm ullo alio fine idem facere, fusiùs aliquantò declaravero. Ac universaliter loquendo, Facere aliquid propter Dei Voluntatem quòd melius sit, quàm facere idipsum propter ullum aliũm finem, ab hoc diversũ, Causa est; quia voluntas Divina melior est omnibus aliis finibus, & rebus à se diversis. quod quidem multis & solidis rationibus demonstro.

31. *Primò.* Quia Voluntas Divina est finis omnium aliorum finium: ita ut omnes alii ad illam redigi reducique debeant, in tantumque sint fines & esse possint, in quantum Divinæ Voluntati subordinantur. Fac enim e. g. nolle Deum, ut vitem infernum, ut sim in cœlo, ut Christum imiter; me facere aliquid boni, ut infernum vitem, ut in cælo sim, ut Christum imiter, non tantùm bonum mihi non erit, sed peccatum erit, quia contra Dei voluntatem erit. quòd ergo propter evitationẽ

inferni aliquid boni agere, bonum sit, à voluntate Divina est, & illa est fons bonitatis istius. Melior ergo est Voluntas Dei, ejusq; executio, studio evitationis inferni, possessionis cæli, imitationis Christi.

32. *Secundò.* Omnia alia quæcunq; tandem sunt, Deus non sunt, sed aliud à Deo. Voluntas autem Dei est ipse Deus: non ad Deum quomodocunque revocatur, reducitur, refertur, ut alia quælibet, sed ipsi Deo inest, ipse Deus est; quo cùm meliùs nihil sit, cui dubium, Voluntate quoque Dei melius nil esse? nisi fortè quis dubitet Dei voluntatem Deum esse: at hoc in mentem venit nemini, quisquis non penitus ignorat, quid sit Deus. Non enim in Deo est aliud & aliud, neque quidquam in ipso est non Deus. Neque ego hic loquor de Voluntate Dei objectivâ, ut vocant, seu de re, quam Deus vult; hanc enim constat posse Deum non esse, ut quando Deus creaturam aliquam vult; sed sermo est de Voluntate Dei formali, & de actu ipso volendi, qui in Deo est circa hanc aut illam rem, ut fiat, non fiat, sic, vel aliter fiat. Quæ voluntas actus est Dei, & non distinctus à Deo, sed ipse Deus: qui quatenus aliquid probat, vel improbat, hancque suam approbationem vel improbationem sive beneplacitum nobis aliquo exteriori, nobisque cognito signo manifestat, puta, lege, consilio, rationis dictamine, Voluntatem suam nobis manifestare atque proponere, dicitur & censetur: huicque beneplacito sic manifestato nos conformari in actionibus nostris omninò, opus est, adeò, ut hac conformatione benè operari dicamur, sicut sine hac malè agere cēsemur. Esto ergò arctata & quasi alligata videatur esse hæc voluntas Dei ad limites creaturarū, quæ hac Voluntate fiunt, existunt, reguntur, aguntur, patiuntur, corrumpuntur, gubernantur, directè, permissive, juxta sapientissima efficacissimaque ejusdem decreta; hæc tamen arctatio non est à Voluntatis ipsius Substantiâ, quæ tàm lata & infinita est, quàm ipsa Dei natura; sed ab objectis, circa quæ est, idque tantùm ex nostro & propter nostrum imperfectum, divinas res & perfectiones concipiendi modum. Sicut aqua ex mari in fluvium derivata, eadem est essentialiter cum mari, estq; ipsum mare; à mari tamen differt, non per diversam aquæ naturam, sed in eo quòd limites, ripas, alveosque habeat, quos in mari non habet; quos si auferas, aqua illa mare erit. Hoc igitur cùm sit Voluntas Dei, sequitur eam esse rem optimam, sequitur, propter eam operari, esse optimum, sequitur etiam per eam esse maximum ad Dei unionem perveniendi cōpendium. Ubi enim unitus fueris Divinæ Voluntati, Deo unitus eris, & quantùm te Voluntati Divinæ adstrinxeris, tantùm te ipsimet Deo adstrinxisti; quod in aliis prædictis non est, quia Deus non sunt. Sequitur denique per Dei voluntatem, & propter illam operari, esse per Dei essentiam, juxta Dei essentiam, propter Dei essentiam operari, dirigereque opera sua juxta Dei voluntatem, & ejus rectitudinem; esse dirigere eadem opera juxta essentialem Dei rectitudinem; facereque opera sua eo fine ac motivo, quia Deus vult, esse, facere illa eo fine ac motivo quia Deus est, & quia placet Deo, quia Deus sic fieri amat, sic faciendum censet, sic ipse faceret, quia hujus operis in Deo talis est idea, talis ars, talis perfectio: denique quia in Deo hoc opus tale est, & tale esse habet eminēter, quale ego facio. Quo operandi modo, sine dubio (modo quis intelligat, quod dicitur) nihil est per omnes gradus perfectius, sublimiùs, excellentius: adeò quidem, ut ne Deus quidem aliam suorum operum regulā, (quæ utique perfecta est, & consummatè recta) habeat, quàm istam, de quâ loquimur. DEUS enim ideò facit omnia, quæ facit, quia vult: ideò ita facit, quia ita vult; siquidem ratio DEI velle ejus est: & nemo potest ei dicere: Quare hoc, aut quare ita facis? habet enim in prōptu dicere; An non licet mihi facere, quod & quomodo volo?

33. Atque ex hoc, quod dixi, manifestè colligitur, nullas intentiones, quāvis pias, altas, solidas quis reputet, posse in nostris operibus à nobis inveniri & applicari; nec ab ullâ earum, tantùm ad opera nostra bonitatis, rectitudinis, perfectionisque descendere, quantùm ab hac una Divinam voluntatem exequendi intentione, modò non sensibiles nostras devotiones, sed rectam rationem consulamus, & non ex devotione, gustusque perfectione, sed ex lumine divino, perfectionis meritiquè gradus desumamus, ac metiamur. Quod addiderim propterea, ne cui assueto fortè operari propter amorē Christi, B. V. honorem, hujus illiusve Sancti, mirum aut durum videatur, relinquere has devotiones, & ad unam solamque Dei Voluntatem, in omnibus intendendam, exercēdamque sese transferre; hoc enim faciendo, non solùm perdet nihil, sed

hil, ſed acquiret potiùs plurimum: tantoque magis faciet ad gratiam & palatum Chriſti, B.V. aut Sancti cujuspiam, quantò certius eſt, Chriſtum B.Virginem, Sanctos, omnem ſuum cultum, honorem, gloriam, Sacroſanctæ Dei voluntati, & adſcribere & ſubmittere; & quantò certiùs eſt, honores & imitationes Sanctorum, nō aliter nobis aut licitos, aut utiles eſse, quàm ex Dei voluntate. Sed ut ad propoſitum aliquando redeam,

34. *Tertiò.* Omnibus aliis intentionibus, melior eſt, Voluntátis Divinæ Intentio, quia hæc eſt Intentio Intentionum, regula regularum, principaliter regula, aliæ autē tantùm ratione iſtius, ut jam ſæpiùs, & ſatis dictum.

CAPUT VIII.

Probatur adhuc Exercitium Voluntatis Divinæ, præſtare aliis, ex eo quòd omnem eorum perfectionem contineat, exercentique compendiò conferat.

35. EST etiam ex hoc capite, Divinæ Voluntatis intentio & executio melior aliis omnibus, quia quidquid aliæ perfectionis habent, quidquid conferunt operanti, hoc totum, hæc sola, meliùs etiam, confert. & quod aliæ per ambages, longosque circuitus oſtendunt, ad hoc iſta compendiò, ſinceriùs ſecuriùsque deducit. Aliæ poſtquam ad ſuos proprios terminos deduxerint, ultra non ducunt, ſed perfectiori intentioni id muneris tanquam ſuum relinquunt. Hæc nunquam operantem deſerit, ſed per omnia vitæ Spiritualis, operationumque perfectarum puncta, rectè, ſola, ſine vicariis ducit, usque ad celſiſſimas Sanctitatis & perfectionis periodos. Hoc ita eſſe, operæ pretium erit, ni fallor, demonſtrare. Quærenti ergo Perfectionem, & cū Deo unionem, neceſſaria eſt Mandatorum Divinorum obſervatio: *Si enim vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; at quid eſt, ſervare mandata, niſi exequi Voluntatem Dei? Dixit Chriſtus: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, at quis tàm ſe abnegat, quisve tàm ſe in manus Dei reſignat, à ſeq; deſciſcit, quàm is, qui in omnibus hoc ſolum quærit, quid Deus velit: hoc ſolū facit, quod Deus vult. hoc ſolum optat & orat: *Fiat Voluntas Dei.* certè ſi is ſic operans, ſuam adhuc propriam retineret voluntatem, illa aut cum Dei Voluntatē cohæreret, & ſic communis jam non propria eſſet, aut Voluntatem Dei facere, non eſſet illam facere. Inter propriam enim hominis, & inter Dei Voluntatem, medium nihil eſt tertium, quare qui ſolam Dei Voluntatem intendit, ubique, ſuæ voluntati propriæ nihil loci relinquit: Sicut ſi quis mari limitem tolleret, terras omnes auferret, aut demergeret.

Matt: 19. — Luc: 9. — Matt: 6.

36. Gen: 17. Dictum eſt Abrahæ: *Ambula coram me & eſto perfectus.* quæſo quid eſt cum Deo ambulare, niſi ubique Deum agnoſcere præſentem eſſe, atque illius motu ſeſe regere: hoc autem quis melius & exactiùs facit, eo, qui ubique ſolam & unam Dei Voluntatem intuetur, ad eamque ſe componit? utiq; hoc eſt ſollicite ambulare cum Deo ſuo: præſertim quòd Voluntas Dei Deus ſit, quòd non poſſit non præſentem Deum cogitare, qui nihil vult extra ejus placitum operari. Ad ſui cognitionem tantoperè (ut ſatis notum eſt) tendenti ad profectum neceſſariam, quâ ratione meliùs, certiùs, citius quis perveniet, quā per continuam Divinæ Voluntatis contēplationem? contraria enim nunquam magis elucēſcunt, quàm cùm juxta ſunt. Vilitas hominis, malitia, obliquitas, fragilitas, ubi elucēſcet, ſi in conſpectu Digniſſimæ, Sanctiſſimæ, rectiſſimæ, potentiſſimæ Voluntatis Dei nō apparebit? quomodo enim ſe homo non cognoſcat in Voluntate Dei, quando toties experitur inclinari ſe ad contraria Voluntati Dei, quando toties ſe videt, aut deflectere, aut deflexurum fuiſſe à recto, à vero, à bono, niſi Dei fulciretur, & regeretur Voluntate? quid quod non aliunde ſcimus, à quo bonum habemus, ſi quod habemus, quàm è Dei Voluntate? quid quòd voluntatis noſtræ, judiciorum noſtrorum, conſiliorumque obliquitatem non aliter fidelius exploramus, quàm ubi ea cum Divina contulerimus voluntate.

37. Jam verò Deum, Deique ſapientiam, providentiam, potentiam, ſuavitatem, efficaciam, omnia denique ejus myſteria, ubi ac unde melius certiusque perdiſcemus, quàm è Divinâ voluntate? Sine quâ nihil de Deo, diviniſque rebus ſcimus aut credimus: quidquid autē credimus aut ſcimus, ex ejus Voluntate habemus: imò ſi quando rectenè an ſecus de Deo cogitamus noſſe volumus, ad Dei volūtatē non aliò recurrimus: hoc enim tantum de Deo ſentire poſſumus, quod ille vult, & dat nos de ſe ſentire poſſe: neque tamen ideò minus certi ſumus nos de illo

bene sentire, quia ex ejus arbitrio sentimus de ipso, qui non aliter potest velle, ut sentiamus de ipso, quàm ipse sentit de seipso: imò in quo unum & idem est, ipse sensus ejus de seipso, & voluntas, quâ nos vult sic vel sic sentire de seipso.

38. Puritatem & Munditiem cordis, quæ sola ad visionem, hoc est, ad possessionem Dei sufficit, & requiritur, (*Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,*) [Matt: 5.] non aliter certiùs acquirere possumus quàm cùm totos nos uni Divinæ voluntati impendimus: quid enim immundum in me supersit, quando totum me Divina voluntas occupat: hoc est, quando me totum Divinæ voluntati impendo? Certè si quid in homine immundum est, aut ex homine, aut ex Deo est. qui se voluntati Divinæ totum impendit, nil sibi ex se, quo ex parte suâ inquinari posset, reliquit. aut ergo amator Divinæ voluntatis solius, nihil immundi in se habet, & sic purus corde est; aut si quid habet, à Divinâ voluntate habet; quod vel blasphemiam est dicere, vel necesse est immunditiam illam mundissimam esse.

39. Imò etiam non aliter homo facilius ad Nihilum sui reducitur planissimum, quàm isto studio voluntatis Divinæ. Si enim verè nil aliud homo, quàm solam Dei voluntatem operatur, cùm hoc ipsum per eandem solam Dei voluntatem operatur (*Sine me enim nihil potestis facere.* Et: *Omnis sufficientia nostra ex Deo est*) [Joan: 15. 2. Cor. 3.] sequitur in tali homine nihil ex homine remansisse, sed & opus, & operantem unum solumq; Deum esse: Ergo in tali homine periit felicissimâ perditione vetus homo totus, & novus si quis est in eo, Deus est, Divinusq;. nihil enim jam agit, tanquam agens, sed magis tanquam patiens, nec operatur tanquam ipse, vel tanquam per seipsum, sed operatur tanquam Deus, tanquam per Deum, tanquam ex Deo, in Deo, propter Deum, cum Deo. Per quod tamen nihil minus de mercede aut merito deperdit, quin potius tanto de illo certior est, quanto manifestius se experitur non solùm Deo subjectum esse, verùm à Deo & in Deum absorptum; suaq; opera tanto esse Deo gratiora, & præmio digniora, quanto minus sunt humana, plus autem divina.

40. Ex his autem necessariò promanat, ad unionem & contemplationē Divinā; non faciliùs perveniri, quā per eandem Voluntatem Divinam, sic enim purificato, purgato, mundato, à seipso extracto, exhausto, annihilatoque, & in Deum translato homini, quid restat? quàm ut eidem uniatur, inhæreat, eum contempletur, in eo voluptuetur, ipso inebrietur, &, ut ita dicā, moderatissimâ vesaniâ helluetur. Sanè, *qui adhæret Deo,* scriptum est, *unus spiritus est cum eo*; [1. Cor. 6.] at quis ita adhæret Deo, ut is, qui unum vult, unum non vult cum Deo? Patet igitur, nisi fallor, quidquid boni & perfecti est, in aliis Sanctis exercitiis, hoc in isto uno perfectiùs, sinceriùsque reperiri.

41. Jam verò quod compendiosiùs etiam & breviùs reperiatur, per sese ex dictis elucescit. Quod in multis seorsim est, hoc in isto uno simul reperitur, & quod alia nonnisi multâ & magnâ plurimarum circumstantiarum observatione, difficultatumque aut devitatione, aut superatione, cum multis, aliis, post alias permutationibus, atque ab imperfectioribus ad perfectiora progressibus, non sine tamen voluntate Divinâ, conferunt, hoc una & sola Divina voluntas, per Intentionem puram operibus applicata, illicò, & brevissimè, & rectissimè, & suavissimè, constantissimeq; possidendum tradit.

42. Declaro rem exemplo. Volo hanc illatam mihi injuriam pati æquo animo, ut Christi exemplum sequar, utque Filio Dei à Deo in Magistrum mihi dato, Domino, Redemptori, Regi meo, homo, discipulus, servus, conformer: volo autem illi conformis esse, quia hæc est Dei voluntas, placitumque hoc est ante oculos ejus: hic patiendi injuriam communis est modus, at de quo nunc ago, & quem hic commēdo, talis est, resecat omnia intermedia, non ut mala, sed ut moram facientia: & dicit; Volo injuriam æquo animo perpeti, quia sic Divinæ placitum est voluntati. Eodem pervenio, quò & illi, qui priorem sequuntur modum, idem lucrum commodumque habeo, quia perinde ut illi, Divinam facio voluntatem; nec plus illi faciunt, quàm ego, nec minus ego, quàm illi: hoc solùm præ illis habeo ego, quia quò tardiùs illi, citiùs pervenio ego. quin & illud supra illos fortè assequor ego, quòd illi in tantâ intentionum serie, non rarò voluntatem Dei magno suo damno non attendunt, aut certè nonnisi à longè, & indirectè intuentur: ego autem transitis levioribus, in quibus præcipuum robur succusque boni non est, medullam rectitudinis, & sanctitatis, scilicet, Dei voluntatem, certus & indubitatus teneo.

43. Atque in hoc meo exercitio illud præterea inest cōmodi, quòd illud mutare nun-

re nunquam, aut deserere, ad aliudque perfectius transire, necesse habeo, cùm tamen secus in aliis eveniat. Nam à timore servili, ad initialem aut filialem eundum est, ab amore concupiscentiæ ad amorem amicitiæ & benevolentiæ; ab amore Christi carnali & tenero, ad amorem Spiritualem, & serium; denique à Christo ad Deum, à Theandricis, ad purè divina transeundum est: ego autem sive Incipiens, sive proficiens, sive perfectus; sive in activâ, sive in contemplativâ, sive in mistâ occupatus sum vitâ, semper voluntati Dei inhæreo, quin & inhærere debeo, quæ ita sè mihi accommodat in omnibus, ut cùm immutabilis sit, mecum tamen mutetur, & Incipientibus talem se præbet, ut solis Incipientibus videatur congruere: proficiētibus talis apparet, ut ipsorum tantum putetur: perfectus sibi soli reservatam penè asserit. Non quod mutet Divina voluntas naturam, quæ (ut dixi) est immutabilis, & eadem semper, sed quia usũ sui variat, vel potiùs mutat eos qui se utuntur, redditque capaciores sui tantò magis, quantò illi ipsâ uti pergunt impensiùs. quod lumen in omnibus aliis piis exercitiis, vel non omninò, vel non facilè reperias ut unum omnibus commodè serviat, sed ita nata sunt omnia, ut omnia omnibus, unum uni, aliud alteri conveniat. Nullum igitur dubium esse, Voluntatis Divinæ exercitationem omnibus aliis ad pietatem & perfectionẽ exercitiis, nobilius, melius, compendiosius, perfectius esse.

1. Cor. 8.

41. 42. 43.

CAPUT IX.

Intendere & exercere in omnibus DEI Voluntatem an præstet Intentioni quæsitionique in omnibus Gloriæ Divinæ?

44. NOn possum hoc loco præterire id, quod fortasse alicui facessere difficultatem in re propositâ posset. Diceret enim aliquis. Agere propter unicam (aut etiam majorem) Dei gloriam, eamque in rebus omnibus attendere, est sublime sine dubio magnæque perfectionis exercitium, multumq; defæcata Intentio; atqui videtur hic etiam operandi modus deserendus esse ob istam quam dudum cõmendo Divinæ solius Voluntatis executionem, & in omnibus intentionem. Sed nimirum tàm hæc præsens, quàm aliæ permultæ dubitationes nascuntur nõ aliunde, quàm ex solâ non rectè Divinam Voluntatem animo concipiendi consuetudine, cujus fundamentum est imbecillitas imperfectioq; nostri intellectus, qui res excelsas, per se alioqui notissimas, non potest tamen uno intuitu, ita prout illæ in se revera sunt apprehendere, sed eas necesse habet in multa partiri, & sic per partes concipere, cùm tamen iis rebus partes nullæ in se sint, sed quia illas intellectus nostri fragilitas & imbecillitas attribuit, ideò ibidem inesse reipsâ opinatur. eo modo, quo quibusdam oculis malè affectis accidere consuevit, ut cùm pupillam nescio quomodo infectam, aut potius quasi sectam habeant, quidquid intuentur, duplicatum illis videtur, unamque rem duas esse ostendunt, quia scilicet ita apprehendunt.

Sic igitur & in re nostrâ accidit; quia Voluntas Beneplacitumque Dei à Gloriâ ipsius tanquã aliud ab alio diversum secernitur, ideo hæc, & huic similis non una dubitatio instituitur: cùm Voluntas & Gloria Dei tàm unum sint idemque, quàm unus idemque est Deus, & illa cum Deo. Non enim Deus gloriam extra se habet aut quærit (nimium verò misera & ingloria isthæc Dei gloria esset, quæ aliud à Deo, & extra Deum esset, quamque ille aliunde emendicare cogeretur) cujus ipse plenissimus est: sicut nec Voluntatem suam à nobis fieri vult, quasi eam ipse sine nobis longè & melius perficere non posset: sed gloriam à nobis habere vult, quia nobis hoc bonum est; & Voluntatem suam à nobis impleri vult, quia idipsum etiam nobis prodest. Sicut ergo Voluntas Dei cum gloriâ ipsius idem sunt inter se, ita facere aliquid, ut Voluntas Dei fiat, seu quia Voluntas Dei est; & facere aliquid ut gloria Dei sit, vel quia hoc est è Gloriæ Divinæ incremento, idem omninò erit: præsertim quod gloria Dei tunc & non aliàs apud nos esse cognoscatur, quando Voluntas ejus à nobis perficitur: adeò, ut tunc gloriam Dei apud nos promovere dicamur, quando Voluntatis ejus gloriosissima decreta executioni mandamus & urgemus. Quare ad Gloriam Dei opera sua dirigere, eademque Voluntatis Divinæ exequendæ gratia perficere, idem est: quocirca non desinit gloriam Dei quærere, qui propter Voluntatem Dei studet omnia facere.

45. Addo etiam, quòd si quis velit Gloriam

riam

riam Dei à Voluntate ipsius separare, aliudque esse contendat, Gloriam Dei quærere, & voluntatem facere: huic illud unum oppono: Censeaturne quis gloriam Dei quærere, qui cognoscitur, Voluntatem Dei aut negligere, aut contra illam operari? Nemo certè sanus dixerit, è gloria Dei illud esse, quod constat Divinæ Voluntati repugnare; alioqui sentiendũ foret, magis nescio quem alium Dei gloriam amare, scireque promovere, quàm id Deus velit, aut nôrit facere. Igitur concedere debebit, gloriam Dei non aliter, nisi è præscripto Voluntatis Divinæ quærendam & promovendã esse. Quod si ita est, quis jam dubitabit Voluntati potius Divinæ exercendæ, quàm gloriæ Divinæ quærendæ insistere perfectius esse: quoniã clarum est, gloriam Dei sine voluntate Dei benè quæri non posse: Voluntatem autem Dei fieri sine incremento gloriæ Dei nunquam posse. Aut ergo voluntatem cum gloria Dei, unum esse, parique passu progredi concedendum est, aut curam Voluntatis Divinæ, curâ gloriæ Divinæ nobiliorem & excelsiorem esse sentiendum. Ecce autem nova consurgit dubitatio.

46. Est doctrina Spiritualium, tanto plura esse merita, quanto plures sunt intentiones bonæ. v. g. plus mereri eum, qui orat ex amore Dei, & ex humilitate, quã qui ex solo Dei amore. Ergo etiam qui orat ex amore Dei, & ex Dei voluntatis implendæ studio, plus meretur, quàm qui ex solo Divinæ voluntatis studio.

Hæc quoque objectio ex ignoratione voluntatis Divinæ procedit. Vel enim putatur Oratio ex amore Dei facta valere aliquid, præscindendo à voluntate Dei, vel nihil: primum putare absurdum est & falsum: dato autem secundo, sequitur orantem ex Dei amore, & simul studio Divinæ voluntatis nõ plus mereri, quàm orantem, ex solius studio Divinæ voluntatis, siquidem Oratio ut ex amore Dei profecta, nonnisi eatenus aliquid valet, quatenus Dei voluntatem merendi vim habet. Sicut ergo qui orat ex amore, ex humilitate, ex Dei voluntate, nihil omninò facit, nisi ex Dei voluntate, & Dei voluntatem, ita etiam nihil meretur, nisi quatenus orat ex Dei voluntate: multiplicat autem intentiones verbo non re, quoad hanc partem (nam quoad exercitia virtutum, secus sentio accidere posse) meriti. Tantundem ergo agit, qui solam Dei voluntatem intendit, quantùm qui præter illam aliquid addit. Sicut nõ plus solis capit aut videt, qui illum multis fenestris admittit, quam qui pleno illũ àere liberoque immittit: nec plus capit aquæ de fonte per multos illã derivans rivos, quàm qui solum, sed totum habet fontem.

47. Ex quo patet, hîc circa Dei voluntatem concipiendam errari; Confertur enim voluntas Dei cum virtutibus, quæ tamen tantum distat ab illis, quantum fons à rivis, sol à radiis, universalis causa à particularibus effectis. Voluntas Dei non est virtus, sed fons & regula virtutum; dat virtutes, non est virtus: non illâ meremur, sed ab illâ, & illam. (Denique plus meretur apud Regem, qui illi servit, tantùm ut placita Regis faciat, non ut quid mereatur, quàm ille qui servit, ut aliquid à Rege obtineat.

Ad extemum quid est amare Deum, humiliare se, pati, abnegare, imitari Christum, nonne est voluntatem Dei facere? hæc enim omnia Deus vult, hæc omnia probat. quare qui hæc facit, Dei voluntatem facit, & ita qui hæc faciendo meretur, faciendo voluntatem Dei meretur. quod si plus meretur multa talia quàm pauca faciendo, nihil sanè mirum, quia plus meretur famulus multas Domini voluntates faciendo, quã paucas; omnes quàm unam: multas autem Dei voluntates facit, qui multa prædicta facit: si tamen multæ voluntates sunt, & non potius una: vel ut dicam, quod res est: multæ sunt objectivè, una formaliter. & sic in dato casu, multa fiunt objecta voluntatis Divinæ, una fit voluntas Dei. Sed sicut melior est ipsa volũtas una Dei, omnibus creatis objectis ejus; ita melius facere propter unam ipsam Dei voluntatem aliquid, quàm propter omnes simul creaturas, quæ essent ejus objecta: supposito quod ista essent separanda ab invicem: objectum scilicet, & voluntas objecti quæ est in Deo.

CAPUT X.

Triplex DEI Voluntas earumq́ definitiones, ac inter sese differentiæ expli-cantur.

48. NUllus jam videtur esse locus ambigendi de hujus Exercitii præstantiâ, at illud aliquem torquere potest, cum voluntas Dei saltem sæpenumero lateat, qui fieri tandem possit, ut ubique homo & voluntatem Dei assequatur, & exequatur? Quem nodum ut expediam, rationemque

facile

facilè ubique Divinam voluntatem exequendi & cognoscendi tradam, necesse est a me prius, Quid sit voluntas Dei? tùm etiam? Quomodo a Deo nobis manifestetur? explicari. Non commemorabo autem Scholis & Theologis usitatas voluntatis Divinæ explicationes, & divisiones, tum quia subtiliores sunt, tum quia minus ad praxim accommodatæ, quam ratio nobis hîc proposita postulat. Non abs re tamen, nec a proposito abhorrenter fecero, si voluntatis Divinæ divisionem Mysticæ Theologiæ Magistris usurpatam, & ex S. Paulo desumptam, hoc loco vel obiter perstrinxero.

Illi igitur, triplicem Dei voluntatem statuunt; non triplicem quasi diversam (una enim & eadem in Deo, idemq; cum Deo Dei voluntas est, ut pridem docui) sed tripliciter consideratam. 1. est Essentialis. 2. Interna. 3. Externa. Apostolus ita loquitur *Voluntas Dei bona, & Beneplacens, & Perfecta*; ita ut Bona voluntas sit Externa: Beneplacens Interna: Perfecta, Essentialis. illa juxta Lyr: l. c. ad Rom: ad Incipiẽtes, media ad Proficientes, ultima ad perfectos pertinet; dixerim ego, primam, hoc est, Externam & Bonam, esse Agentium; Mediam esse Contemplantium; Ultimam Excessivorum.

Essentialis voluntas Dei & reliquæ duæ, quoad rem ipsam, idem omninò unumque sunt: differunt tamen inter se per aliquas externas considerationes nostras atque conceptiones. Nam voluntas Dei spectata & sumpta ut est in se, sine ullo ad Creaturas ordine, prout scilicet nullo modo ad creaturas producit se profertque existentes, sed prout in solo Deo est, idemq; cum Deo, & ipse Deus, hæc est illa quæ hoc loco dicitur Essentialis, & perfecta. Circa hanc Voluntatẽ, ita nudam, ita solam, ita ab omni creatâ specie & imagine similitudineque separatam, versantur & occupantur, potissimum quidem Beati in cœlo, at etiam aliqui, sed rari in hac vitâ, excellentes nimirum Sancti, & plane perfecti, & Deo digni, digni qui medullam & substantiam Dei, non per speciem & in ænigmate hauriant, & sugant, sed quos Deus omnibus creatis denudatos, ad se quoque limpidissimum Dei fontẽ, & recti principem, sine medio ullo admittat, & seipso pascat, altissimisq; suis rationibus regat & gubernet.

Eadem voluntas Dei, spectata & accepta non jam omninò ut est in seipsâ, atq; in Deo, sed ut se profert ad creaturas existentes, non per signa tamen ulla, & effectus sẽsibiles, verùm per solum quoddam lumen, quo illa se animæ hominis manifestat, ita copiosè, disertè, & clarè, quin etiam experimentaliter, ut homo perfecte, atque clarè experiatur cognoscatque, ipsam esse hoc quod est, seu, ipsam esse voluntatem Dei, beneplacitum Dei: dicitur voluntas Dei Interna. Itaq; Interior voluntas in hoc differt ab Essentiali, quod Essentialis se per se cõmunicet homini & ostendat, fruendamq; det: Interna verò lumine superaddito additur, quo anima hominis, vel homo illustratus interiùs, planè intimèq; cognoscit, sentit, experitur etiam, atque adeo degustat quid Deus velit, quòd hoc velit, in quâ re Deus habeat, & qualem habeat gustum Voluptatẽque, si fiat, si exerceatur ab homine. Quid sit autem illud superadditum lumen, & an differat a conformitate ipsâ conjunctioneq; humanæ Voluntatis cum Divinâ, & obscurum est explicare inexpertis, & ab hoc instituto alienum, & denique tum melius aliquid de hac Voluntate addetur, quando tertium genus Voluntatis explicabitur.

51. Eadem ergo Dei Voluntas spectata & considerata, ut se foras prodit per externa signa, vel etiam per sensibilia, mediata, immediata; puta per leges, consilia, rationis dictamina, sive ea scripto, sive voce, sive naturali instinctu edicantur, dicitur Voluntas Exterior, sive Externa. Hæc differt ab Internâ voluntate, quod etsi utraque se foras proferat, & prodat Creaturæ v. g. Homini, Externa tamen profert se & ostendit lumine externo, nimirum lege, rationis dictatu &c. ideoque fiat regula operum humanorum tam internorum, quam externorum à liberâ operatione procedentium, cui se illa cõformare necessariò debeant, si recta, bona, meritoria, placita Deo esse velint. Interna verò voluntas profert se lumine interno, & intimo, solius Dei proprio, ut inspirationibus, luminibus, elevationibus, & divinis quibusdam raptibus, attractionibusque, quibus anima absorbetur in Deum, audit & intelligit loquentem Deum, & ita audit loquentem ut, simul intelligat, ipsum Deum & non ullum alium esse qui sibi loquatur, quemque audiat. Præterea intelligit, persentiscit sensu quodam, & gustu spirituali rationali, experimentoque suo indubitato comprobat, quid Deus velit, quod hoc non aliudque velit, Denique degustat illum gustum Dei, quem habet in eo, quod res

hæc fiat, ita fiat, tali modo, in talibus circumstantiis fiat. Externa voluntas sæpè, imò passim sentitur, videtur, auditur, scribitur in legibus, in præceptis, regulis, consiliis, consuetudinibus: Interna semper intus est, prodire foras non potest, alioqui jam interna non est. Externa fundatur in creaturis, æternæ Divinæ legis particulam in se habentibus; Interna in Creatore Deo cognoscitur, & ex illo hauritur, in illo legitur, ab illo discitur. Externa voluntas rudibus, & exercitatos sensus non habentibus se accommodat: Interna Spiritualibus servit: Essentialis consummatos delectat. Externa ad Internam, Interna ad Essentialem deducit; ubi externa perfecta est, ibi interna inchoàtur; hæc ubi perficitur, Essentialis degustari incipit. Ubi enim homo ita insuescit omnibus divinis legibus perfecte, sincerè, nudè, solitariè obtemperare, ut in omnibus suis operibus, nihil attendat, nihil spectet, nil cupiat, nisi unicam solam nudam Dei voluntatem, lege, præcepto, consilio, consuetudine rationis lumine, expressam, illico ad Internam voluntatem ab hac Externâ transit, illicò, inquã, admittitur ad voluntatem Dei intus in se degustandam & non jam per externas legum imitationes, sed per ipsius Dei internas inspirationes cognoscendã, imò experimento probandam. Sed hæc non contingit nisi, uti dixi, ei, qui insuevit nudè, sincerè, solitariè soli Divinæ voluntati sibi quomodocunque expositæ obsequi; Nam si quid præterea aliud à Divinâ voluntate diversum, quidquid illud sit, intendit, nullo modo gustum internæ Divinæ voluntatis assequitur: nõdum enim solam Dei nudamque voluntatem intueri didicit (quod omninò, & accuratè notandum èst; multis enim perfectis alioqui hominibus hæc res injicit remoram, repulsæque causa est, quominus intimiùs ad Deum ingredi possint.) Per intuitum autem nudum solius voluntatis Divinæ nihil aliud intelligo, quam resolutionem illam arbitrii humani liberi, quâ ablegatis, abdicatisque suis affectionibus, passionibus, propriis voluntatibus, operibus quæ præ manibus habet, etiam bonis & sanctis, modò à Divinâ voluntate separatis, eligit, decernit, & statuit, exequiturque unam ac solam impermistã Dei voluntatem; idque eo præterea modo, ut prædicta resolutio mentisque libera electio, non vi, coàctè, violenter, & impetuosè, sed leniter, modestè, ex habitu, uno verbo, ex consuetudine quasi fiat. Violentia enim illa signum est rebellantis adhuc propriæ voluntatis, & animi passionibus suis desideriisque privatis nondum exuti, nondũ dominantis. Quod tamen intelligo quoad partem animi superiorem, non quoad inferiorem. Nam ordinatis beneque edomitis superioribus partibus, quidquid in inferiore fiat, non nocet, quia ratione domatur, & regitur Quod solatium est iis, quibus effrenatæ passiones obtigère, & quibus perpetuum diabolicæ tentationes bellum indicunt. hoc enim illos nihil impediet ab Internæ Voluntatis deliciis gustandis, modò illis difficile non sit abstrahere se ab omnibus creatis, & imprimis à seipsis: totos verò se ad unam solam Dei voluntatem ubique spectandam & exercendam convertere.

52. Jam verò ubi ad perfectum Internæ Voluntatis intuitum & gustum homo pervenerit, in tantoque gradu stare, & eò dignè se gerere didicerit, atque assuefecerit, continuo ad Essentiali voluntate fruendum admittitur. Sicut enim quãdiu nubes & caligines àërem occupant, nec Sol radios evibrare, nec ipse Sol videri potest, pulsis autem nubibus, & detersâ caligine, fundunt se radii, & ipse conspicuus redditur; ita quamdiu humanus animus nubes & caligines propriarũ voluntatum in se fovet, lux Divina Solq; justitiæ in eo non potest elucescere, at pulsis nubibus affectuum (quod per sinceram illã, & nudam Divinæ voluntatis Externæ intentionem fieri diximus illicò radii Solis in terram cordis nostri evibrantur, serenitasq; enascitur: per radios autem, tanquam per indices, & duces ad conspectũ Solis ipsius, Patris luminum, & radiorum fontis pervenitur: spectandumque se Sol ille Divinus exhibet, non in radio & luce suâ, sed in semetipso.

Atque ex his elucescit tandem illud, quod erat initio Capitis hujus propositum: quidnam scilicet sit Voluntas Dei? & quomodo nobis illucescat? Cæterum non sum nescius hæc obscuriora esse paulò: quin imò fateor ita obscura esse, ut ipsâ explicatione obscurétur; hæc enim non Magisterio aut lectione humanâ, sed disciplinâ divinâ, & experimento proprio addisci amant, & nata sunt: ad illud ergo tandem veniamus, ut dicamus. quomodo Voluntas Divina in rebus omnibus quæ agendæ occurrunt, cognosci possit?

CAPUT XI.

Tria esse Actionum humanarum genera: indifferentes actus in individuo non dari: de parte animi Superiore & Inferiore disputatur.

53. AD ostendendũ, quomodo cognosci possit, quæ sit Voluntas Dei hîc & nunc, supponere oportet; Omnium actionum nostrarum genera tria esse: Aut enim imperatæ sunt à Deo, aut prohibitæ ab eodem, aut nec imperatæ, nec prohibitæ, sed arbitrio nostro relictæ, & quasi indifferentes, ita ut neque peccemus si agamus, neque si non agamus. Actiones si imperatæ sunt, aut prohibitæ à Deo, indubitatam habent Dei voluntatem; neque est in hoc immorandum; labor solum in hoc est, ut sciamus quæ nam jubeat, quæ prohibeat Deus. Per jussionem autem prohibitionemque divinam, non intelligo solius Dei mandata, & placita, per ipsummet lata, sed intelligo omnia cujuslibet Superioris scita, & decreta, qui legitimam habent imperandi, nosque hîc & nunc ad obtemperandum obligandi potestatẽ: siquidem etiam hæ leges ab homine modo debito latæ, ad tempus vel pro semper divinæ censendæ sunt, cùm non sit potestas nisi à Deo: atque ideò, sub actionum imperatarum vel prohibitarum à Deo nomine, complector Leges Regum, Rerumpubl: justas, Præcepta Ecclesiæ, Parentum, Superiorum: Regulas, Constitutiones, Ordinationes Ordinum & Familiarum, aliorumque legitimorum quorumlibet Superiorum, Confessariorũ, Præsidum: de his enim dictũ omnibus est. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit*: Et omnes hi, usurpare possunt illud: *Mea doctrina, non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Quare quidquid à Deo immediate, per se, mediate, per homines jussum est, faciendum est, eo solo, & uno fine, quia Deus fieri vult; nullo alio admisto, quali quali intento. Similiter, quidquid ab eodem Deo, modo dicto prohibitum est ne fiat, nullo modo faciendum est, postpositis omnibus aliis respectibus, solo eo fine, quia Deus non fieri vult.

Luc: 10. Joan: 7.

54. Quod attinet ad Actiones Indifferentes, & nec imperatas, nec prohibitas à Deo Deique ullo Vicario, de his paulò fusiùs, enucleatiusque differendum est: utilis enim est ea doctrina, & ad præsens institutum valde necessaria; neque omninò cuique ad sciendum prompta.

55. Sciendum igitur imprimis est: Actiones indifferentes, quæ scilicet nec bonæ sint, nec malæ, sed possint esse & malæ & bonæ, pro variâ circumstantiæ bonæ vel malæ, ad objectum alioqui nec bonũ nec malum ex se, adjectione, nullas in individuo & particulari tales esse: Sed omnem singularem actionem hominis, necessario aut bonam aut malam esse debere: Indifferentes autem, & nec bonas nec malas, tantùm in communi consideratas inveniri; reipsâ verò in usu & praxi humanâ, non dari. Quod vel ex eo clarè patet; quia actionem, quæ nec bona nec mala sit, necesse est esse talem, quæ nec agẽti nec alteri ab agente, ullo modo prosit; at actio, quæ talis sit, ut nulli prosit, otiosa est (secundum ea, quæ Gregor: Basil: Hieron: de otiosis verbis dicunt) Ergo consequẽter mala: otiosum quippe est malum & de eo reddendam esse rationem in Judicio Veritas asserit. Actio igitur quæ nec bona nec mala sit aut nulla est, aut mala est.

Est autem hujus rei ratio sublimior, scituque dignissima, quamvis paucis nota. nimirum, Naturale esse unicuique rei (rectam rationem id dictare) ut secundum eum gradum operetur, qui in illâ est supremus & perfectissimus. Ita, v.g. vivens aliquod nõ satis habet operari juxta infimum suũ gradum, puta Corporis, sed exigit poscitque operari secundum eum, qui est illi supremus, nempe secundum gradum vitæ. Rursum animali sentienti, non satis est operari secundum gradum vitæ, sed exigit operari secundum sensum: si enim tantum ageret, ut vivens, non ageret ut animal, sed ut non animal. Pari ergo ratione, homo rationalis, non satis habet, habereve debet, si tantum agat secundum gradum vitæ aut sensus, hoc enim est agere, ut caudicem, vel belluam, sed poscit ratione duce, agere secundum rationem, quia hoc est agere hominem, & ut hominem, hominisque personam & dignitatem sustinere. Quam ad rem penitius intelligendam,

56. Sciendum est. Naturam hominis non esse, Vivere; quia hæc arborum, & fruticum est; non esse Sentire, quia hæc natura brutorum est; sed esse, Rationalem esse. Ergo tunc homo secundum naturam vivit, quando secundum rationem vivit, & tunc homo agit naturaliter, secundumque suam naturam, quando vivit rationabiliter: rationabiliter autem vi-

vere homo potest vel rectè, vel non recte, hoc est vel secundum rationem rectã, vel secundum rationem corruptam & erroneam. Si ergo vivit rectè rationabiliter, id est, secundum rectam rationem, benè honesteque agit. Si vivit & agit non rectè rationabiliter, id est, secundũ rationem errantem, malè & non honestè agit. semper tamen propter finem agit, quia rationabiliter agere, est propter finẽ agere; qui finis si bonus est, & honestus, eumque homo appetit, actio est secundum rectam rationem; si verò finis malus est, & non honestus, eumq; homo appetit, actio est secundum non rectam rationem; si reprobat cùm debet, actio est, secundum rectam rationem. Si ergo homo agit propter finem (quando agit ut homo) semper, & finis semper vel est malus vel bonus, semper homo aget secundum rationẽ rectam vel non rectam, & sic semper malè vel benè, nunquam autem nec malè nec benè, quia finis nunquam datur nec bonus nec malus, sed semper aut est vere, aut fictè bonus.

57. Quod si quæras, Quid si homo agat secundum inferiorem suũ gradum, puta, sensualitatem, aut vitæ, agitne benè? Dico, Pessimè, non enim agit hominem, sed bestiam, sed caudicem ut dicebam. Jã igitur si homo naturâ & ratione duce, poscit, & tenetur agere secundum gradũ suum supremum, scilicet rationem, sequitur quòd quotiescunque sic non agit, peccet in naturam & rationem. Jam verò quid est agere secundum rationem? nemo dubitat, quòd sit agere propter finem sive bonum (bonum enim & finis sunt idẽ) si igitur homo semper tenetur agere secundum rationem, tenetur etiam agere propter bonum, & propter finem. at actio quæ est etiam propter finẽ, seu propter bonũ, debet esse & necessariò est bona (sive verè bona, quando est finis verè bonus, sive tantum putativè & apparenter, quando finis verè malus in se est apprehenditur tamen ut bonus) ergo si homo tenetur semper agere propter finẽ, tenetur habere semper actionẽ bonam, bonam inquam quomodocunque, vere vel putativè, tendentem scilicet in bonum verum vel apparens. Agit igitur homo semper propter finẽ, & si agit propter finem semper, nunquam actio ejus est indifferẽs, sed aut est omninò bona, si est propter finem bonũ verè, scilicet honestum, & rectæ rationi conformem: aut est omninò mala, si est propter finem malum in se, & rectæ rationi difformem.

58. Neque verò potest assignari ullus finis in particulari, qui nec difformis, nec conformis sit rectæ rationi: Vel enim cõgruit humanæ naturæ, & illa congruentia honesta est, & digna quam recta ratio appetat, & sic est finis rectæ rationi conformis: vel illa congruentia non est digna, quam recta ratio appetat, esto aliàs naturam delectat; & sic finis verè est difformis rationi, estque malus, & actio propter illum est mala. vel deniq; non congruit naturæ, neque apprehenditur ut talis ab Agente, & sic finis non est, nec quisquã agit propter illum; propter illud enim omnia agunt, quod convenit, sive quod bonum est: unde Philosophus dixit: Finem esse id quod omnia appetunt. Maneat ergo tanquam certum, quod nunquã homo agat indifferenter, & quòd nullæ actiones possint dari indifferentes, sed omnes aut bonæ sunt aut malæ. Si tamen extra usum & exercitium spectentur, assignari indifferentes possunt, quatenus objecta quædam reperiuntur, nec bona nec mala in se: at ex applicatione praxique, possunt esse bona aut mala: quæ applicatio fit, quando actio circa talia objecta exercetur.

59. Juvat rem exẽplo demonstrare. Ambulare ex natura suâ nec bonum nec malum, hoc est, nec honestum, nec turpe, nec rationi conforme, nec difforme est: potest ergo ambulatio fieri & benè, & malè: Si nimirum addas aliquid quod sit honestum vel turpe: ut si ambules propter amorem Dei, propter sanitatẽ, ambulatio est bona; quia amor Dei, sanitas, sunt honesta bona; Si ambules, ut fureris, ambulatio est mala, furtum enim est malum & turpe. Atque hactenus ista extra controversiam sunt. Quæritur jam: Ambulare ut ambules, quia commodum est, quia delectat, sitne honestum an turpe? Et respondeo: Ambulare præcisè ut ambules, alio nullo fine, turpe esse & malum, quia rationi difforme, difforme autem quia caret fine, caret autem fine, quia finis est aliquod bonum, ambulatio autem nec bona nec mala ex se est, finis igitur esse non potest: ergo ambulare ut ambules, est sine proposito fine ambulare, quod est sine ratione agere: sine ratione autem hominem agere, est contra rationem agere; ratio enim vult juxta se semper agi. Neque dici potest, tunc ambulationẽ esse finem ambulationis, quia si est finis, est bonum: at suppositum supra, ambulationem nec malum nec bonum esse, non potest igitur esse finis nisi aliud addas, quod

illam

illam ex nec bono nec malo, faciat bonum & consequenter finem: Similiter ambulare quia commodum est tantùm, vel rationi rectæ congruit, & est honestum, vel ab illâ discrepat,& est turpe; discrepat autem, quia non est actio rationabilis: non est autem,quia non est propter finem naturæ rationali congruentem: est quidem congruens naturæ simpliciter, sed sensuali tantùm: at hominem propter bonum solius suæ sensualis portionis non decet operari (sic plane prout illum non decet operari ut bestiam) alioqui si hoc deceret, deceret hominem luxuria, ingluvies, aliaque bestialia opera: non teneretur homo reprimere passiones appetitus sensitivi, quod absurdum est: Neq; video discrimen inter hæc duo: Ambulare quia sensualem naturam delectat, & Actus luxuriæ obire, quia eandem delectat. quod enim ambulatio ex se honestari possit per aliud v.g. Intentionem sanitatis, etiam actus illi possunt honestari, per usum Matrimonii &c. intentionemque prolis. Denique quorsum dixit Apostolus. *Mortificate membra vestra, &c. Si spiritu facta carnis mortificaveritis &c.* quorsum, inquam,dixit, si propter commodum solius sensualis naturæ agere hominem decet. Sed de his satis superque actum.

60\. Sciendum deinde est, in homine duplicem esse vitam, seu potius, duplicem animæ portionem: Superiorem seu Rationalem ac Spiritualem: (Apostolus illam vocat Spiritum) Inferiorem seu sensualem, Scriptura vocat carnem, opera carnis, legem membrorum &c. Duæ istæ portiones ita conjunctæ sunt, ut simul repugnent sibi, imò & sese oppugnent quod expressit Apostolus cùm dixit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et: *Spiritus concupiscit adversus carnem, & caro adversus Spiritum:* imò etiam Poëta. *Video meliora, proboq;: Deteriora sequor.* In hac perenni portionum istarum pugnâ (perenni dixi, quia semper igniculus, ut ajebat ille jam moribundus apud Gregor: vivit) hoc evenit, ut si inferior superiorem debellet, actū sit de nostrâ virtute, totaque salute & vita spirituali supernaturali, imò & rationali naturali. Si superior inferiorem vincat, tantò nos beatiores in hac vitâ simus, quantò hæc victoria certior, firmior, consummatior est. Porrò hoc habet ea pugna cōmodi, quòd nunquam Inferior Superiorem debellare possit portionem, nisi nos vel potius ipsa pars Superior, ultrò & sponte inferiori succumbat: è contra Superior Inferiorem

Rom: 7. Gal: 5.

semper (auxiliante divinâ gratiâ, quæ semper præsto est) vincere possit, modo pugnare & oppugnare non desistat: quæ victoria & debellatio, non est in hoc posita, ut alterutra pars extinguatur extirpeturque, ita sicut Stoici de Apathia sensere: (semper enim quantumcunq; pars inferior Superiorem debellet, prodet se velit nolit pars Superior, & inferiorem victricem sugillabit: unde est quod pessimi quique, semper tamen remorsum conscientiæ, hoc est repugnantiam partis Superioris victæ contra Inferiorem victricem sentiant: & vicissim optimi quiquè & Sanctissimi (Christum cum Sanctissimâ Virgine excipio) semper tamen brutos motus, & rationem aut antevertentes aut respuentes plus minus experiuntur) sed in hoc sita est prædicta victoria, quòd alterutra portio æmulæ suæ dominatur & prævalet. Nam hoc solum Deus ab homine vult, ut partem sui Superiorem subjiciat Deo, præponat autem & dominari faciat sensualitati suæ, inferiori parti, & ut id cum virtute ac merito faceret, libere illum id facere voluit libertateq; ideò dedit. Hanc libertatem pars inferior tentat sæpissimè, sed tamen violentat, & cogit nunquam, alioqui libertas non esset: has tentationes libertas necessario sentit, sed in eas non libere consentit: unde non peccat sentiendo, sed consentiendo. Neque Deus præcepit homini, ne sentiat, sed ne consentiat. Sentire enim est hominis & naturæ, consentire est libertatis,& rationalis naturæ. ideò etiam sensum non subjecit libertati, sed consensum: consentire autem est, partem superiorem inferiori subdere. Quia tamen non vacat periculo semper tentari, aut sæpè, & quia gutta cavat lapidem, & denique quia hæc tentamenta possunt & solent esse, gravia, molesta, fortia, multum partem Superiorem debilitātia, idcirco homini impositum est onus sensualitatis mortificandæ, ut nimirum dum mortificatur, minus valida ad tentandum reddatur. Neque ut amplius homo cum suâ parte inferiore agat, ab homine requiritur. Imò ita hæc mortificatio imperatur, ut extinctio prohibeatur. Sic hostem debes persequi, ut serves civem. Caro & sensualitas à naturâ data est homini sive animo ad consortium post peccatū data est ad Exercitium, & prælium: Sic ergo te cum illâ debes gerere, ut illam vincas in prælio, serves tamen pro consortio, quod peccatum peperit, extingue, quod natura dedit, fove.

Quamobrem Deus optimus, qui ab

initio fecit hominem rectũ, ad eamque rectitudinem omnibus modis, quantum ex ſuâ parte ſufficit reducere conatur, ita hominem inſtituit, ut Superiorem ſeu rationalem partem relinqueret in arbitrio ejus, atque poteſtate pleniſſimâ pro quocunque & omni tempore, ita ut homo ejus arbitrii liberi, poteſtatiſque vi, poſſit hanc ſui partem vel ſubjicere ſenſualitati, partique inferiori, vel Deo ejusque voluntati conformare & ſubjicere, partique inferiori præponere; adjuvante in hoc hominem divinâ gratiâ. Inferiorem verò partem nõ ita moderator ille Supremus hominis libero arbitrio ſubdidit, ut ei ſemper ſubeſſe pars iſta poſſet, quoties homo vellet, aut ut eam Deo ſubjicere, & parte Superiore in officium redigeret cum liberet. (hoc enim donum, ſtatus innocentiæ amiſſus, nobis ſuſtulit) ſed tantum ut ejus impetibus & furoribus homo parsque ejus ſuperior poſſet non cedere, eosque ex parte ſretundere, ſeque ipſam ab conſenu in ejus deſideria immunem ſervare poſſet deberetque, conceſſit, & præcepit. Unde fit, ut homo volens nolens raptetur ad ea per partem inferiorem ſui, à quibus ratione Superiori abhorret; juxta illud: *Non quod volo bonum facio, ſed quod nolo malum hoc ago; ideoq; jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et illud: *Sentio aliam legem &c.* Hinc etiam fit, ut nec Deus ab homine exigat, nec teneatur homo violentas iſtius infimæ, & infirmæ ſuæ partis impetiones exſcindere, ac non ſentire, ſed tantum tenetur oportunis afflictationibus ſui aſperitatibusq;, ne frequentes ſint, ne violentæ, ne ſuperiores & fortiores parte rationali: uno verbo, non tenetur facere homo, ut eas nõ ſentiat, ſed ut quam minimè ſentiat, & ut nunquam conſentiat: hoc ſi homo facit, ſatis facit; non tantumque non peccat ſentiendo, ſed potius merendi & pugnandi, & vincendi, & coronas obtinendi hinc occaſionem habet, ſi prout decet, legitimè decertat; decertat autem ſi ſenſui non conſentit, ſi repugnat, ſi ſe ſentire gemit & dolet: ſi in propoſito nõ peccandi præſertim mortaliter, firmiſſimus, & quaſi obſtinatus eſt: ſi arma nũquam abjicit, nec dat manus impugnanti inimico, eſtque ſibi conſcius atque credit, ſe reſtitiſſe: hæc enim ſunt ſigna certa ſufficientiaq; pugnæ & victoriæ, nec Deus ſcire nos voluit, habereque certiora: quod notandum diligenter eſt iis, qui dubitant, conſenſerint necné in peccatum: ſi enim ſibi conſcius eſt firmum

Rom: 7.

Rom: 7.

propoſitum tenuiſſe non peccandi, certus ſit, etiam ſe non conſenſiſſe: eſto alioqui videatur ſibi non ſatis viriliter obſtitiſſe, debilitas enim illa obſiſtendi, quæ fuiſſe videtur, non à defectu firmæ in bono voluntatis, ſed à violentiâ tentationis fuit, & ita non ille debiliter obſtitit, ſed fortiter impugnatus eſt. Quando ergo homine agente aliquid, motus à parte inferiore inſurgunt, ipſo repugnante, & per partem rationalem obſiſtente, atque ab uſu rectæ rationis, fidei luminis, Dei voluntatis non recedente, periculum peccati nullum eſt, modo perſeverantia in reſiſtendo non deſit.

His ergo ita præmiſſis, ad oſtendendum, quâ ratione in actionibus indifferentibus Divina voluntas invenienda ſit, accedamus. Quia verò præſentis capitis moles excrevit, ideo id cõmodiùs in novo capite præſtabimus.

CAPUT XII.

Actionum indifferentium genera tria eſſe, & quomodo in ſingulis Divina Voluntas inveſtigari debeat, docetur.

62.

Videtur non tàm inquirendum, quomodo in actionibus indifferentibus Dei voluntatem inveniamus, quàm potius quomodo illâ ad haſce actiones adferamus: Si enim hæ actiones voluntatem Dei habent, indifferentes non ſunt; danda igitur ipſis eſt voluntas Dei, aut potius ipſæ ſunt voluntati Divinæ adjungendæ, atq; accommodandæ, ut ex indifferentibus bonæ eſſe incipiant, atque hoc ipſum, qui fieri poſſit inquirimus.

Poſſumus verò actionum indifferentium tres veluti claſſes deſignare, ut quædam ſint gratæ nobis, quaſdam averſemur ut moleſtas, quaſdam ſus deque habeamus, ſeu fiant ſeu non fiant, ſeu oppoſitæ illis fiant. Gratæ actiones nobis, amicæq; ſenſui & naturæ ſunt, amæna & ridentia ſpectare prata, ſapidos deguſtare cibos, &c. Moleſtæ actiones ſunt, ut flagellum ſponte ſubire, abſtinere à delicatis cibis, à congreſſu familiarium. Actiones nec gratæ nec ingratæ ſenſui, ad quas non plus quàm ad oppoſitas afficimur, ſunt: Inambulare, colloqui, foras prodire, aut domi conſidere, &c. Igitur offerentibus ſeſe actionibus iis, quæ demulcent ſenſum, foventque naturam, inferiorem vè portionem

tionem (de hac enim sermo hîc) eæ rejiciendæ erunt ab eo, qui voluntatem Divinam exequi cupit in his actionibus. Causa est: quia hæc est Voluntas Dei, ut hujuscemodi actibus abstineamus: scriptum est enim: *Desideria carnis vestræ, ne perfeceritis, &c.* Et: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*; Et: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Etsi in hoc habendam esse rationem discretionis non nego: habendam esse nimirum rationem complexionis, sanitatis, valetudinis, loci, temporis, ætatis, personæ, status. Sed hæc ipsa ratio cauta, discretaque debet esse in hac parte; magis severa, quàm blanda. Natura enim semper se ipsam quærit, & miris artibus, fictionibusq; eblanditur à nobis, ut ei tantisper indulgeamus.

Gal: 5. Rom: 8. Coloss: 3.

63. Proinde si quando incidit occasio actionum carni nostræ suavium & gratarum eliciendarum, tunc hosce Canones censeo observandos.

Primus. Si actionis, quæ carni grata est, nulla est causa alia, ob quam fieri debeat, quàm quia grata & commoda est naturæ, tunc est omninò reijcienda, & à tali actione abstinendum, juxta prædictam scripturam.

Secundus. Si præterea est alia causa, propter quam fieri debeat, puta, valetudo, & sanitas propria, charitas & hospitalitas in alios; evitatio vanæ gloriæ, ostentationis, censuræ aliorum; tum considerandum, an hæ, vel similes causæ, quæ suadent fieri tales actus, tantæ sint, ut meritò debeant præferri studio mortificationis à Deo in scripturâ præscripto. v.g. Videndum, an deceat Religiosum hominem, qui profitetur rigidam & austeram vitam, propter sanitatem, nihil aut modicè affectam, tàm suavibus delicatisque cibis se pascere apud externos? &c. Similiter an deceat hospitalitatis gratiâ religiosum silentium solvere? An charitatis fraternæ gratiâ sumptus faciendus sit, qui alioqui paupertati non congruit? Si enim revera causæ illæ, mortificationi sui præponderant notabiliter, cedere tunc mortificatio debet, & tunc non fiet actio sensui grata, quia illi grata, sed quia necessaria est: tuncq; jam Voluntas Dei, stabit pro hac parte, ut fiat. & valebit illud axioma. *Hæc oportet facere, & illa non omittere. Euntes, discite quid sit, Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Quod si causæ faciendi, & non faciendi dictos casus, erunt pares, aut pænè pares, tunc,

Matt: 23. & 9.

Tertius. Canon est servandus, ut seclusio rationabili scandalo (cui meritò obviandum) mortificationi attendatur potius naturæ. vel certè hic

Quartus. Ut quoniam ambigua res est, & res non gravis est, nihilq; periculi post se trahens, indifferenter alterutra pars, liberè, securâ cōscientiâ, eligatur, & propter voluntatem Divinam exercendam, fiat: censeri enim rectè potest, utrinque rem gratam esse Deo, sive fiat, sive non fiat. Si autem res quidem ambigua sit, at magni momenti ut meritò deliberationem requirat, nec sinat indifferenter alterutram partem eligi, tunc

Quintus Canon serviet, ut consilio peritorum, & bonorum res dirimatur, aut per orationem lumen à Deo impetretur; dicaturque; *Domine quid me vis facere?* In quo casu non debet mens deliberantis adhærere uni parti, sed utrique æquè favere, & eo tantum parata esse accedere, quo bonorum prudens consilium, aut lux divina censuerit accedendum v.g. Expediatnè vivere in sæculo? retinere opes, quibus multis aliis, Ecclesiæ Dei, tibique sis profuturus ad salutem? an relictis omnibus sequi Christum? etsi enim hoc ex naturâ suâ perfectius est, at aliquando hic & nunc, talibus & talibus personis, illud utiliùs, securiùs, consultiùs; puta cùm tales sunt, ut religiosam perfectionem non sint assecuturi: in sæculo autem tantum boni videntur facturi aliis, sibique, ut religiosæ ipsorum professioni sit exæquandum: hîc enim valet illud; Et Monachum non facies, & Senatorem perdes. Atque hi Canones servandi sunt etiam in secundo genere actionum indifferentium: quando scilicet offerunt se exercendæ actiones carni ingratæ; æqualiter enim de utrisque Scripturæ, & Spirituales viri solent decernere: quare non est me opus diutiùs in his immorari.

Act. 9.

64. Quamobrem ad Tertium genus venio, cui propriè Indifferentium actionū nomen quadrat. Quando ergo occurrunt actiones nec bonæ nec malæ, nec gratæ nec ingratæ sensui & naturæ, & perindè erit sive fecerimus, sive neglexerimus, sive oppositum egerimus, tunc Canon supra ordine 4. locum habebit, ut scilicet indifferenter quamcunque partem eligamus, dummodo illi Voluntatem Divinam applicemus: hoc vel simili modo, mente vel ore etiam dicendo. *Domine faciam hoc, surgam ex hoc loco propter tuam Voluntatem. Sedebo hic adhuc, quia tua Voluntas est, &c.* Per talemq; Voluntatis Divinæ applicationem à me factam, ex indifferenti aliàs actione, fiet bona, Deoque grata, &

ta, & mihi meritoria: perinde ac quando rem expreſsè à Deo imperatam facio, vel prohibitam non facio, quia à Deo prohibita eſt. Cujus rationem ſuperiori capite attuli, quia actiones noſtræ à fine accipiunt rationem boni vel mali, ita ut tales ſint, qualis finis propter quē fiunt: ſi verè bonus finis eſt, actio vere bona eſt; ſi finis ficte putativeque bonus, reipsâ autem malus eſt, actio etiam reipſa mala. Quia verò in illâ actione: *Surgam hinc, quia tua eſt Voluntas Domine*, finis bonus eſt, ſcilicet Dei Voluntas ejusque executio, ideò & ipſa ſurrectio optima eſt.

Et hoc eſt illud quod tantopere Sancti viri & facere ipſi curant, & alios facere docent, dum quantum fieri poteſt, in omni actione parvâ, magnâ, imperatâ, non imperatâ, naturali, ſupernaturali, ſpirituali, corporali, internâ, externâ, ex ſe naturâque ſua bona, ex ſe naturâque ſuâ indifferente, volunt rectam haberi, & puram intentionem ab Agente, volunt in omnibus Deum quæri, volunt omnia fieri propter Deum, in præſentia Dei, propter gloriam Dei. Hinc eſt illud Apoſtoli: *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri IESU Chriſti facite.* Et: *Sive comeditis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ipſe Chriſtus: *Sic luceat lux veſtra coram omnibus hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum.* Et: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit, lucerna corporis tui, oculus tuus. Cum omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus.* Ex quibus Sacræ Scripturæ locis poteſt etiam ratio confici, quæ evincat tales indifferentes actiones hac Voluntatis Divinæ applicatione, bonas, ſanctas, Deo gratas, nobis meritorias ad ſalutem fieri, atque ex indifferentibus Voluntatem Divinam reddi, non quidem imperantem aut prohibentem eas fieri, ſed approbantem eas fieri, poſſe fieri, bene fieri. Certum ſiquidem & indubitatum eſt, eas actiones eſſe Dei voluntatem, ſive à Deo approbari, imò Deum velle eas fieri, quæ fiunt eo modo, quo Deus jubet omnes noſtras actiones à nobis fieri: at quando actus indifferentes facimus ad honorē Dei, ad Divinæ voluntatis executionē, facimus eos eo modo, quo Deus vult fieri omnes actus à nobis, ut ſupra ex cōmuni doctrina Patrum, ex Apoſtolo, & verbis Chriſti oſtendi. Ergo actus indifferentes facti ad Dei honorem, & Divinæ voluntatis executionem, ſunt verè Voluntas Dei, approbantur à Deo, Deus vult eos fieri.

Col: 3. 1. Cor: 10. Matt: 5. Matt: 6. Luc: 17.

65. Quod ipſum longè fortius etiā evincit ratio petita ex Dei ad ſingulas noſtras actiones concurſu. Certum enim eſt, nos ſine Deo nihil planè facere; quando ergo Deus nobiſcum operatur actus indifferentes, (& eadem ratio aliorum omnium) facit illos ad gloriam ſuā, & ad Voluntatis ſuæ executionem. Quod ſi ita eſt, ut omnino eſt, ergo licitum eſt homini actus indifferentes agenti, Deum ſecum concurrentem, in hac intentione gloriæ & Voluntatis Divinæ exercendæ imitari. Ergo conſequenter homo ſic operans, rectè operatur, & voluntatem Dei operatur, & deniq; Voluntatis Divinæ operationem ſuâ operatione imitatur. Sed in hac re comprobandâ, non eſt operæ pretium immorari. puto enim fore neminem, qui de hac re tàm certâ, & in Spiritualibus doctrinis tritâ, dubitet. Et ut verum fatear, hocq; caput ſimul concludam, non tàm nobis eſſet in hoc laborandum, ut ſubtiliter, ſitne? qualis ſit? quomodo appellanda ſit Voluntas Dei in hoc vel illo actu? quàm potiùs ut ſit ſimpliciter: ut fiat à nobis exactè. Hic enim eſt cardo vitæ perfectæ & ſanctæ. Facere hoc quod Deus jubet, & eo modo per omnia, quoad omnes circumſtantias loci, temporis, modi, intenſionis, &c. quo Deus vult facere: vel breviùs utrumque complectendo. Facere voluntatem Dei ſemper, ſincere, ſolam, perfectè; Sed hæc in ſequēti capite perſequemur; nunc reliquam partē præſentis doctrinæ perficiamus.

66. Reſtat enim nonnulla de actionibus indifferētibus præſertim naturæ & ſenſui gratis (quas ſupra primi generis diximus) quæſtio. Sunt enim pleræque actiones, ſenſui & naturæ inferiori gratæ, ita neceſſariæ, ut ſine illis durare non poſſit; fit etiam aliquando, ut homo in talibus circumſtantiis, loci, temporis, perſonarum, &c. inveniatur, in quibus illi integrum omninò non ſit, à talibus actibus, de quibus loquimur abſtinere. Declaro exemplo. Dormire, cantus & harmonias in templis audire, apparatusque elegantes ſpectare, &c. ſunt naturæ grata ita, ut etiam neceſſaria, ſaltem pro aliquo tempore, certisque circumſtantiis. Quid igitur in propoſito quoad mortificationē (quam ſemper propoſitā nobis eſſe debere ſupra dixi, & ex Scripturis docui) faciendum? quomodo impediendum, ut cibum ſuavem comedam, nec ſuavitatem ſenſui gratam ſentiam? &c. Quam ad rem advertendum eſt (quod etiam cap: præc: dixi) quod aliud ſit ſētire aliquam in actioni-

ctionibus quibusdamque rebus suavitatē, & naturæ commoditatem, aliud verò eandem cupere, quærere, intendere, in eam consentire, illius præsentiâ oblectari. illud prius malum non est, neque impediendum; est enim rerum, & actionum naturis inditū, v.g. melli dulcedo, flosculis odor, coloribus voluptas, &c. at illud posterius malum esse, vitandumq; & dixi, & dico, in eoque mortificationis præceptæ cardinem versari assero. Comedendus ergo cibus est, audiendi cantus, odorandi flores, vel vapores odoriferi, sed non propter suavitatem, non propter voluptatem: pati ista, nō impelli ad ista, nec intendere ista debemus: imò quantùm fieri potest, ab his animus (hoc est pars rationalis) avocandus, totus in Deum figendus, nullus voluptati illi quæ sentitur, locus dandus, nullo modo, inquam, amanda est illa delectatio, sed graviter etiam ferenda: & ob hoc solum, quia Deus illam in talibus rebus inesse immisceriq; voluit, toleranda & subeunda. quâ ratione servatâ, non tantùm nullum erit mortificationis detrimentum, sed potiùs erit insignis ejus exercitatio. Non tantùm voluntas Divina non negligetur, sed verò etiam egregie fiet; dummodo seriò agatur res, & homo seipsum decipere nō velit, & qui semel coàctim voluptatem senserit, passusque sit, sensim delinitus, non etiam illam appetat, & intendat, cumque Spiritu cæperit, carne tandem cōsummet.

67. Ad quod maximè attendendum illis, qui aliquando res sensui gratas, actusque naturæ jucundos exercent, proferentes se id facere, ut ex his sensualibus ad spiritualia habeant occasionem: non minus enim ex melle, quàm ex absynthio laudari potest Deus degustato. His, inquam, ad prædictam doctrinam attendendum est, & certò sciendum tales Spiritualitates technas esse diaboli ex Angelo Satanæ in Angelum lucis se transformante. Quantæ enim & quàm piæ Sanctæq; conversationes transierunt in carnales affectiones, licet & ille & illa Spiritualissimæ personæ viderentur, imò & essent. Non potest talis intentio esse purè ad solam Dei voluntatem conversa: sed necessariò sensualitatis amorem habet intermistum: & quidquid prætendat Voluntas propria, omninò seipsam cuniculis quærit, & intendit. Verè enim fit id quod sensus amat: vitatur id quod sensus horret, & quidem deliberatè & ex animo. Et quis credere potest Voluntatem Divinam solam tibi cordi esse, cùm deliberato animo, & ex proposito sensualitatem quæras: contra illud quod dixit Deus: *Desideria carnis ne perfeceritis.*

68. Breviter ergo sic habendum est, & sentiendum in re propositâ. Sensualitas nullo unquam prætextu quærenda est; si se ingerit tanquam necessariò connexa iis actibus à quibus nullatenus abstinere possumus, toleranda est non acceptanda, repudianda non amplectēda: aversione & avocatione, mentis ad alia impedienda est, non animo intendenda. quod si impediri repudiarique non potest, necessitas in virtutem commutetur, voluptasque illa, quam Deus rebus & actibus inseruit, tanquam Dei voluntas, non tanquam sensûs voluptas est amplectenda: tunc enim patietur, non aget rationalis pars, non volet sed perferet sensualitates, affectionesque inferiores naturæ. quas illa non tenetur tollere, sed minuere tantùm, sed tantùm iis non consentire, sed tantùm iis superior esse, juxta ea quæ postremò dixi capite præcedenti. Quæ autem de rebus sensui gratis admittendis dixi, de omittendis sensui ingratis tenenda sunt.

CAPUT XIII.

Intentionis Divinæ Voluntatis substantia, proprietates, modi practici, quibus ea reddi familiaris possit, explicantur.

69. OMnia fermè, quæ de hac voluntatis Divinæ perpetuâ intentione executioneque magis necessaria scitu judicabam documenta, exposui: Superest mihi, ut ipsâ hujus Intentionis Executionisque praxim, proprietates seu conditiones, modos denique, quibus familiaris nobis reddi possit, institutâ brevitate persequar.

Quod ad primum attinet. Sciendum; Dupliciter posse nos in omnibus nostris actionibus Voluntatem Dei intendere atque exercere. *Primò* quidem, universaliter omnia & singula opera nostra vitæ, vel diei totius, ad Divinæ voluntatis per ea executionem applicando. hac vel simili praxi. *Domine Deus meus qui sanctam voluntatem tuam, & semper ipse facis, & semper à nobis fieri vis, volo & statuo totâ hac die in omnibus actibus meis quibuscunq;, corde, ore, opere exercendis, tuam adorandam voluntatem spectare, & exercere.* *Secundò.* Specialiter & in particulari,

omnia vel aliqua nostra opera cujuscunque facultatis & potentiæ, ad ejusdem Voluntatis Divinæ executionẽ applicando. hac vel simili ratione. *Domine Deus meus, in cujus Voluntate vita est, & cujus voluntati nemo resistere potest nemo debet, volo hoc opus* N. (puta Orationem hanc, laborem hunc, Sacrum hoc, refectionem, deambulationem &c) *facere, ut tuam Sacratissimã voluntatem exequar.* vel brevius *Domine volo facere hoc, quia hæc est voluntas tua.* vel: *Domine, hoc facio, ut fiat voluntas tua.* Quod si placeret expressè omnes alias intentiones quascunque excludere, posset ad dictos modos addi vox aliqua exclusiva. v. g. *Domine, hoc facio, ut sola fiat Voluntas tua. Propter tuam solam voluntatem; tantùm quia hæc est voluntas tua, &c.*

70. Inter hosce duos modos hoc interest, quòd etsi ambo sunt boni, & divinæ majestati nostra opera faciant grata, præstet tamen posterior priori, quia frequentiùs fit, & major in eo Divinæ voluntatis æstimatio, majusque studium elucescit. Præsentius etiam est contra retractationem per adversariũ propositum remedium, ut omittam, quod generalis illa habitu tantùm, aut ad summum virtute ad omnes se extendat actiones; hæc actu illas afficiat. Quare etsi utroque illo modo uti licebit, ita tamen, ut generalis intentio justis quibusdam diei partibus, particularis vero frequenter, & quoad fieri potest, frequentissimè, certè ad notabiliores quasque actiones accommodetur, usurpeturque. Poterit, inquã, Generalis intentio, Mane, Meridie, Vesperi, exercitari, particularis verò frequentiùs, pro cujuslibet vitæ, occupationumque serie: ut dum lecto surgit, dum ad orandum accedit, dum Sacrum auditurus, facturusvé est. dum officium divinum, aut quamlibet partem recitare aggreditur; dum se ad studendum, legendum, scribendum accingit; dum foras prodit &c. dum aliquid incommodi vel ingrati subiturus est, dum denique quidlibet parvum aut magnum acturus, passurusvé est. Atque hæc de Intentionis Executionisvé Divinæ voluntatis praxi quasi Substantiali, satis est dixisse.

71. Ad proprietates Intentionis Executionisque istius accedo, ex quibus etiam ipsius Substantia meliùs elucescet. Et quãtùm quidem ad proprietates Intentionis hujus attinet, eæ duplices sunt: quædam illi cum omni bonarum & laudabilium intentionum genere cõmunes, quædã isti soli propriæ. Cõmunes sunt cum aliis, ut, quòd Intentio debeat esse Bona, Prudens, Prompta. Propria ejus una solùm est, ut, quod debeat esse Simplex, seu Sola. Omnes autem istæ proprietates, unico possunt & solent nomine à Spiritualibus Magistris comprehendi videlicet, ut sit Intentio Pura. Pura; nihil habens admisti mali seu peccati; nullus sit error quoad circumstantias, non sit rara, & diu dilata, non sit tarda, aut frigida, & quasi extorta fluctuansque; postremò nulli alteri permista aut adjuncta. Utile tamen existimo futurũ, de singulis hisce proprietatibus aliquid dicere, quanquam de prioribus earum, ita jam supra dictum est, ut hoc solum de iis opus sit dicere, me jam dixisse. *Bonam* enim hanc Intentionem esse, ita jam docui, ut etiam optimam, perfectissimamque esse evicerim. Deinde quid facto opus sit, ut prudens sit, quæ vitanda, quæ adhibẽda regula, id quoque jam supra satis exposui: quando de bonis seu imperatis, de prohibitis, de indifferentibus actionibus, quomodo in iis Voluntas Dei investiganda esset, tractavi:

Frequentẽ esse volo hanc Intentionem exercendæ Divinæ voluntatis, ut extrema duo devitentur, quorum unum est raritas ex negligentiâ aut oblivione nasci solita. *Rara* est intentio, si quis semel, bis, tervè intentionem hanc in diem renovasse, & uni, duabus, tribusve actionibus eam applicasse sit contentus. Alterum extremum est *Perpetuitas*, aut potius perpetuò illam continuandi, & singulis quibusvis actiunculis illam applicandi cura. Nam hoc & impossibile est re ipsâ fieri, & cum periculo sanitatis fieret. Non ergo quoties oculum digitumvé moves, toties intentionẽ hanc renova: sed quoties novum, & à priore distinctum opus aggrederis toties te illud Voluntatis Divinæ causâ aggredi, corde & ore, vel solo corde, profitere: v. g. lecturus es? legere te velle, quia Deus vult, dicito: à lectione ad Scriptionem te transfers? scribere te velle, quia est voluntas Dei, cogita; & sic de aliis. nam ad singula commata, lecta, vel scripta id protestari, est & inutile, & nocivum, & impossibile. Imò etiam addo, si ab opere ad opus transiens, à legendo, ad scribendum te transferes, adeo distractus non es nec primam intentionem è memoriâ dimisisti, nihil attinet, te intentionem renovare, sed sufficit, in priore perseverare, Deoque inhærere: quod maximè locum habet in operibus vel per se ad Deum spectantibus, ad Deumque trahentibus, uti sunt, à Meditatione ad officium Divinum recitandum

dum se transferre: vel adeò brevibus, ut prius conficiantur, quàm intentio è memoria excidat, vel quàm alia sequior intentio subrepat. Satis ergo frequens hæc intentio erit, si toties repetita fuerit, quoties novum opus à priore distinctum, & naturâ, & justo tempore inchoandum erit: nisi forte tàm longa prior actio sit, ut etiam eâ durante intentio revocari, maximè si vana gloria, vel quid aliud obrepat, meritò debeat.

73. *Prompta* esse intẽtio debet. Decet enim nos hilari animo & festino properare ad exequenda Dei Creatoris Dominique nostri placita. Quò quidem facilè nos impellet magna de voluntate Dei æstimatio, debitaque de ejus exercendæ studio supra tradita, & probata opinio: impellet etiam firmum & avidum animi propositum, ubique Divinam voluntatem cognitam exequendi; impellet præterea, si in nullam aliam circumstantiam Voluntatis Divinæ, nisi in solam voluntatem, mentis obtutum figere consuescat. Nam si voles examinare & attendere, per quem proponatur Voluntas Dei? quo tempore? quo loco? quo modo? multa habebis impedimenta promptitudinis; ut si asperè imperatur, si violenter prohibetur, si causa prohibendi nõ apparet, aut parva apparet, si tempore tibi incommodo, quo tu alteri rei vacabas, quod destinâras alteri occupationi; si id quod jubetur vile est, & in oculis aliorum exercendum; si qui proponit, jubet, vetat, infra te est ætate, prudentiâ, statu, virtute, experientiâ. hæc promptitudinem animi tollunt, si spectantur. Non ergo spectandum, quid? quando? per quem? quo loco? Deus vult, sed quia vult, & quia velle ejus amas, implereque vis, hoc attendendum, & omnia erunt dulcia, omnia commoda. Vel certè sic cogitandum: Voluntatem Dei ego exequi volo: at voluntas Dei est etiam in his circumstantiis: voluit enim Deus sic mihi imperari, per hunc, hoc tempore, hoc loco: Ergo, etiam in his circũstantiis illam agnosco, exosculor, exequor. Uno verbo, *cæca sit, & prompta erit intentio*, Et sicut in obedientiâ, ut quis prõptè obediat, duo sunt requisita: *Primò*. Ut sciat credatque firmiter ac certò, esse imperatum nomine Dei. *Secundò*. Ut àmet, tàm imperium, quàm rem imperatam *Non enim ibi durâ necessitate servitur, ait S. Greg: ubi diligitur, quod jubetur*. Ita in hac Divinæ voluntatis executione (quæ revera obedientia quædam perpetua & suprema est) duo sunt pernecessaria. *Primo*. Ut tibi persuadeas certò esse Dei voluntatẽ. *Secundo*. Ut ames istam ipsam Dei voluntatem. His enim positis, fieri non potest, ut prõpte ad Dei voluntatem exequendam non tendas. Maximum enim est amoris pondus; maxima eloquentia, & suadendi vis in amore.

74. Possum idipsum in fide cognoscere, ut quis aliquid fide credat, duo sunt requisita. 1. Ut fidem amet, sibique necessariam esse persuadeat. 2. Ut id, de quo agitur, ad credendum propositum esse ab Ecclesiæ capite certo cognoscatur, aut putetur. Hinc fit ut cùm homini bene Catholico de aliquo articulo dicimus: Definitum est, de fide est: statim amplectatur, si definitum esse sibi persuasit. Ita ergo & in proposito nostro evenit, evenireque debet: Si promptè ferri ad Dei voluntatem exequendam volumus, & voluntatem ipsam amemus, & illam huic operi in talibus circumstantiis adesse firmiter nobis persuadeamus, neque opus à voluntate separemus, sed unũ quid ex his conflari, quod separari per nos nec possit, nec debeat, credamus. Non enim Deus abstracta vult, sed concreta: Quare hæc in nobis resolutio esse debet: Et voluntatem Dei, & id quod vult Voluntas Dei, propter ipsam voluntatem volo facere, volo omittere, volo admittere; volo respuere. Stultissimum est dicere. Ego quidem voluntatem Dei istam amo, sed id, quod illa vult facere nolo: Sicut si quis dicat: Amo quidem ego imperium ipsũ, sed rem imperatam non amo, nec faciam. aut. Amo quidem comestionem, sed cibum non amo, nec admitto.

75. Promptitudinis igitur hujus de quâ agimus, hi fontes, hi Canones erunt. 1. Ama Dei voluntatem, & totum id quod Deus vult. 2. Fideliter crede hoc Deum velle, & propter hanc volitionem operi te accinge. 3. Nihil aliud in ullâ re specta, nisi an sit Dei voluntas? hanc si vides adesse, satis sit, de executionẽ jam cogita 4. Ne diu examina, ne hæsita, ne respecta scrupulosè sitne voluntas Dei? si vel suspicio est, esse Dei voluntatem, jam illuc impetus eat volũtatis tuæ. Ideò enim forte in illâ Orationis Dominicæ parte, *Fiat voluntas tua*: præpositũ est, *Fiat*, reliquis verbis, ut ostendatur, tàm avidos nos esse debere Voluntatis Divinæ exequendæ, ut prius, si fieri possit, eã fieri & perfici à nobis velimus quam planè cognoscamus; vel ut inter illud ipsum tempus, quo illi cognoscendæ vacamus, Jam etiam in executionẽ, & qua

si factione illius occupemur. Et certè idcirco Deus vult, quidquid vult, ut fiat quod vult; finis ergo quem volendo Deus intendit est factio, atqui constat quod finis, qui postremus est in intentione, primus sit in executione. Quocirca prius penè à nobis fieri deberet, quod Deus vult, quàm cognoscamus perfectè illum velle. quod exaggerare volui ideò, ut promptitudinem suaderem. Quare etiam ad promptitudinem pertinet, ut prius intentio statuatur Divinæ voluntatis, quàm opus ipsum inchoëtur; fecisse enim intentionem, jam est inchoâsse Divinæ voluntatis executionem: at inchoâsse opus sine intentione, non est illud ex Voluntate Dei fecisse; quod enim sine intentione factum est, sine Dei voluntate, vel non propter Dei voluntatem factum est. Si tamen oblivio intentionis subrepat initio operis, quamprimum in mentem venerit, statuenda erit.

76. Ad extremum Intentio debet esse *simplex* seu *sola*. quo nomine volo illam nihil habere immistum sibi, non solùm malum, quod absit, non solùm indifferens, non solum privatum redolens commodũ aut affectum, passionisque aut sensus palpamentum, sed ne bonum quidem alioqui, modò voluntate Dei inferius. Tam ergo simplex sit intentio hæc, ut sola simpliciter, nuda, directè, immediatè, Dei voluntas intendatur. quod si quando aliquid immiscendum putabitur, huic subsit, huic serviat, non aliter intendatur, quàm ob Dei voluntatẽ. Unde hoc simplicis istius Intentionis nomine, etsi potissimum ad vivum & imũ planè resecatur omnis affectuum inordinatio, omnis passionum immortificatio, omnis amoris proprii privatæque voluntatis cura, omnis humanorum judiciorum, respectuumque ratio; sed præterea etiam bona huc non admittuntur, si alioqui imperfecta sint aliis, & præsertim voluntati Dei comparata: ita ut in hac intentione, vel locum non habeant, vel ejus materia sint, & illi subserviant cujus rationem dudum supra attuli, quia hæc sola Intentio Divinæ voluntatis, tàm est perfecta, ut sola aliarum vicem implere, & perfectionem æquare sufficiat: hâc autem unâ absente, nulla alia quantumvis optima videatur, sufficiens sit, & imperfectione careat: quidquid enim aliud intendas, si ad Dei voluntatem non retulisti, nihil boni egisti; neglige alia omnia, solam voluntatem Dei præ te habe stantem, omnia possides in hac unâ.

Quocirca diligenter in hoc puncto (etsi & in aliis prioribus) potissimum examinanda est intentio nostra; & alterum ex his servetur. 1. Ut vel sola Divina voluntas intendatur: hoc modo: Volo hoc facere, propter solam & unam Dei voluntatem: 2. Vel si quid aliud præter illam intendere placet, intendatur propter illã, hoc modo: Volo hoc facere ut me mortificem, ut Christum imiter, ut ad honorem B. V. aliquid agam, quia est hæc Dei voluntas. Sive: Volo orare ad honorem B. V. quia hæc est Dei voluntas. 3. Vel si quid aliud intenditur, suppositâ Dei voluntate intendatur: hoc modo: Volo orare, ut impetrem remissionem peccatorum, interea subintelligendo id Deo placere. Extra hos tres modos si quis intẽtionis modus est, bonus non est: in his verò tribus, primus optimus est, secundus illi suppar; infimus tertius est: Ea propter existimo, aut primum aut secundum in omni nostrâ actione tenendum esse, at præcipuè primum, alioqui difficile erit Intentionem amore proprio & omni impuritate, obliquitateq; expedire, cùm tamen id facillimũ in primo sit modo. Et deniq; absque dubio justiùs, rectius, securiusque Divina voluntas, (quæ est fons omnis justi, recti, perfecti) directè & immediatè intenditur, aliis mediatè, indirectè, implicitè, intentis; quàm ut alia expresè, directè intendantur, Dei verò voluntas tantum virtualiter, mediatè, respectivè, consequenter spectetur, non enim vòluntas Dei ancillari aliis, sed omnia voluntati Divinæ debent. Atque ex his quæ jam dixi, non est difficile cuilibet investigare, varias rationes, quibus hanc Divinæ voluntatis exercendæ praxim, possit sibi familiarem, & perfacilem reddere: Suggeram nihilominus aliquas brevissimè.

77. *Prima*. Indiculum sibi conficere quotidianarum suarum, vel earum quas se habiturum quis quotidie prævidet, actionum, & proponere firmiter, quòd unicuique earum sis præmissurus Intentionem exequendæ Dei voluntatis: idq; deinceps propositum exequi, adhibito etiam examine Speciali supra id: An scilicet unicuiq; actioni, quam in Indiculo habes, præmiseris Intentionem Divinæ voluntatis exequendæ, eo modo quo promiseras te præmissurum. Et hoc quidem propositum ter in die, Mane, sub meridiem, sub vesperam; Examen verò sub meridiem, atque sub vesperam fieri poterit.

Secunda ratio. Habito hoc firmo animi de-

mi decreto, quòd omne studium velim ad exercendam jugiter in meis actionibus voluntatem Divinam collocare; constituam mihi excitatoria certa signa, visu, vel auditu percipienda, quibus cōmonebor hujus Intentionis; ita, ut quoties tale signum, videbo, vel audiam, toties me ad Divinam voluntatem reflectam: talia signa esse possunt: certo modo certas res in cubiculo disponere, imagines affigere, &c. ut illius dispositionis objectu commoneat, hanc à me factam Intentionem propter Dei voluntatem renovandam. Item tale signum esse posset, Campanulæ domesticæ, vel templi, vel horologii sonus, ita, ut statuamus, quoties signum hujus campanulæ audiero, toties Intentionem Divinæ voluntatis renovabo.

78\. *Tertia ratio.* Applicare signum aliquod vesti, vel corporis alicui parti, sensum aliquem imprimens, ut manui &c. occulte, si cum aliis agendum sit; palam si soli. v.g. digito annulus imponendus, ut hujus signi sensus refricet memoriam exercendæ Divinæ voluntatis.

79\. *Quarta ratio.* Constituere singulis diebus, vel diei partibus, vel horis certum numerum actuum, sive currentium in vita mea ordinaria, ordineque communitatis præscripto, sive virtutum definitarum, quarum studio vel penuriâ magis urgear, eosq; actus exercere tanto numero, aut proponere propter Divinæ voluntatis executionem v. g. *Volo hodie, hac diei parte, hac horâ, in hac occupatione, toties ad Deum mentem elevare, quia hæc est Dei voluntas: toties actum amoris Dei & Christi elicere, quia hæc est Dei voluntas: toties SS. Trinitatem adorare, me humiliare, hunc unum, vel hos sensus mortificare, quia hæc est Dei voluntas. Volo toties actum humilitatis in honorem B. V. elicere, quia hæc est Dei voluntas: Volo tot actus Intellectus, tot actus Voluntatis, tot actus memoriæ, tot aspectus oculorum, tot actus audiendi, tot actus gustandi &c. facere vel etiam non facere, sed abnegare, propter Voluntatem Dei.*

80\. *Quinta ratio.* Acturus aliquid cogita tantisper prius, quomodo Deus si idipsū acturus esset, illud ageret? & ubi hoc dispexeris, propone consimiliter agere id quod es acturus. Sine dubio enim Deus te ita agere vult, quomodo ipse ageret, si hoc ipsum acturus esset. Quæ praxis ut intelligatur, & magni æstimetur, exerceaturque diligenter, interest fundamentum ejus altiùs explicare, pertinet enim hæc praxis ad exercitium Voluntatis Divinæ internæ.

81\. Sciendum ergo; In Deo esse rerum omnium Ideas, tàm Substantiarum, quàm accidentium, v. g. actionū humanarum. Hæ Ideæ in Deo sunt Deus; ita, ut homo, v. g. qui in mundo existit, longè perfectius esse habeat in Deo, quàm in se hic; & actio humana. v. g. Oratio, longè perfectius habeat esse in Deo, quàm in homine, à quo fit; in Deo enim sunt hæc sine imperfectionibus, sunt perfectissima, sunt Deus. Igitur perfectiùs ego, v. g. Oro in Deo, quàm in meipso: illa enim Oratio mea in Deo, est regula hujus orationis in me, ita perfecta, ut si Deus ipse in personâ mea orare vellet, juxta illam regulam se in orando dirigeret, illudque suum exēplar in se imitaretur. Et hoc est, quod in Deo vocatur Idea: illa scilicet ratio perfectissima, quam Deus in se habet, & quam intuetur, quando aliquid agit, ad cujusque normam tum ipse rem talem vel talem facit, tùm ab aliis fieri vult. Hæ in Deo concipiuntur tot, quot res sunt, vel de facto, vel possibiles: etsi in Deo sit una tantum Idea, hoc est, ipse Deus. In his Ideis plurimum sibi Deus complacet, ut pote, in perfectissimis operibus, operumque exemplaribus, ac regulis, quibus meritò omne opus conformari debeat. Unde vult nos illis conformari, estque illi gratissimū si tales simus, & ita agamus hic, quales sumus in ipso, & quomodo agimus in ipso. Et hic est ille gustus Dei, quē habet apud se ex rebus, tunc quando ita fiunt, vel non fiunt &c. Ad eum modum, quo artifex peritus, quando cogitat de aliquo opere quod fieri posset, vellet, aut videt, efformat sibi speciem exactam operis in animo, & in eâ sibi complacet, gustatque per animum proportionem & decorum illius formæ, simulque cupit illud opus ita prorsus fieri, prout ille speciem ejus habet: & si videt, omninò illud ita factum, gaudet, approbat: si non ita, non est contentus, improbat; quia scilicet nō est tale, quale ipse in animo suo longè perfectius intuetur. Quare qui vult Dei voluntatem, in suis actibus exequi, totumq; se ad gustum & placitum Dei in suis actionibus accommodare, faciereq; opera sua ita, ut ex illis gustū habeat Deus, respicere debet ad illas Ideas Divinas, quas habet Deus actionum illarum suarum, debetque conari, ut eas quā simillimas reddat illis Ideis; tunc enim fiet, ut Deus vidēs illas actiones suis Ideis simillimas, approbet actiones, gustumque habeat talem, qualem habet ex suis Ideis. Atque hoc est ad gustum Dei agere, hoc est æmulari Ideas ejus, hoc est agere secundum voluntatem Dei Internam.

82. Difficultas tantùm esse posset, quomodo quis scire possit, qualis sit idea in Deo hujus aut illius rei quæ agenda occurrit? Sed in hoc facile subsidium est à Fide, & Scripturis, à rationis lumine, & conscientiâ, à Christi exemplis & Sanctorum, à doctrinis Spiritualium Magistrorum: demum quomodo alium doceres hoc vel illud agere cum virtute, eo modo ipse facito. potissimum verò attendere oportet hîc inspirationes divinas, quæ animabus bonis nunquam deficiunt. Nam sicut Deus inspirat quid agere, ita idem ostendit, & quomodo agere debeas. In summâ ergo loquendo, hujus rationis & modi quinti hæc praxis erit: Volo orare, scribere, dormire, &c. *Quia nunc Deo placet, ut orem, utq; ita orem, ut scribam, & ita scribam*. Vel: *Volo ita orare, quomodo Deus oraret, si oraret*. Vel: *Orare debeo, & quia Deo gratum ac suave est, si ita orem; volo ita orare &c.*

83. Plures hujuscemodi, aut etiam commodiores rationes unusquisq; excogitare, sibiq; præfigere, & ad usum deducere poterit: mihi satis est, digito intento fontem ostendisse, ut ajunt, aut carbone lineamenta duxisse, suo quemque penicillo atque colore uti permittendo. Ingeniosa enim caritas est & inventiva; & sæpe fit, ut quod uni difficile est, alteri sit facillimum sæpe etiam fit, ut aliqui invenire non possint, at inventis addere feliciter sciant. Non obest dare uniuscujusq; industriæ locum. Hæc ipsa quæ ego scripsi, meliùs aut scripserunt, aut scripsissent alii, imò hæc meliùs penetrarent alii, exercerentq; quàm ego, si ad eorum manus (sed non huic fini scribo, mihi privatim laboro) pervenirent. Cæterum ut ad rem, & finem regrediar, rationes à me præscriptæ tum demum efficaces erunt, quando diligenter exercebuntur: diligentiam vero acuent multa, de quibus cũ toto hoc tractatu sparsim, tùm potissimum c. 7. & hoc ipso, cum de promptitudine Intentionis disputavi. Sed nihil magis eam conservabit, quàm examen frequens quotidianumq;, pœna etiam inflicta, si negligentia subrepserit, denique oratio ad Deum, ac potissimum illa, ab ipso Deo in hunc finem instituta. *Fiat Adoranda, fiat Sanctissima Voluntas tua, à me, in me, de me, per me. &c.* Vult enim Deus, ut hoc petamus à Deo fieri, & in hoc ipso est exequenda Voluntas ejus, quia ille vult à se peti, ut fiat Voluntas ejus. Tantus est æstimator Deus voluntatis suæ. Sed ecce in altum provehor; nolo autem cum ad finem festinárim.

CAPUT XIV.

Quibus mentis affectibus Divina Voluntas sit à nobis exercenda?

84. FErmè hactenùs solum Intellectum instruxi, quâ ratione se in hoc altissimo exercitio gerere, quomodo illud sibi familiare debeat reddere: instruendus etiam est affectus; sive, voluntati sunt suggerendi affectus, quibus voluntatem Dei exercere & intendere quis possit.

Ac primum omnium, Amore vehementi & intenso, magnâq; æstimatione rapi debet. Et quis nõ amet, non æstimet voluntatẽ Dei, quæ ipse Deus est, imò quâ solâ Deus nobis bonus est? Nullo enim alio attributo se nobis communicat, nisi voluntate, Nullo alio bene facit, benè vult, nullo nos amat, curat, tuetur, nisi voluntate. Intellectu suo nos scit amare, creare, salvare, &c. Sed voluntate suâ nos creat, amat, salvat, beat: quis itẽ non æstimet hoc exercendæ Dei voluntatis studium, quod Deus ac Christus, summi utique Magistri & rerum æstimatores fecerant, & faciunt. Liceat aliquid dicere: Fuisset in mundo æstimatio volũtatis Dei, Christus non venisset, peccatum non fuisset, infernus non fuisset; da illam & modo, extinxisti inferorum incendia.

85. *Secundò*. Reverentiâ Divinæ voluntatis decet nos duci ad exercitationem ejus. Dignissima quippe est omni honore, omni cultu, omni veneratione, quippe quæ sit Deus ipse, & per quam Deus quã maximè Majestatem suam prodit: quam Deus ipse in semetipso vel maximè veneratur (si modo in Deo est sui saltem reverentia, est certe æstimatio dignitatis, & procuratio tantum non ambitiosa, quia meritissima) adeò ut probet nihil, nisi quod è voluntate ejus factum: culpet nihil puniatque, nisi quod alienum ab ejus voluntate.

86. *Tertiò*. Timore filiali & casto, duci nos oportet ad exequendum quod Deus vult. Non timeat filius Patris voluntatem transgredi, negligere, oblivisci? & quæ certior via excidendi à gratiâ, quàm neglectorem inveniri volũtatis Dei? Times à Deo malum pœnæ? time à te, & fuge malum culpæ: culpa sola est recessisse à Dei voluntate.

87. *Quartò*. Humilitate, & propriæ indignitatis, ineptitudinisq; reputatione ad Dei voluntatem exequendam eundum est. Quidni enim se humiliet res vilissi-

ma, cernens se tantæ & tàm puræ, tàm dignæ rei exequendæ, conficiendæq; instrumentum assumi? Homo, actio humana instrumentum sit tàm sanctæ, tàm puræ, tàm dignæ voluntatis? Magnum erat, & nimis magnum homini voluntatem Dei vel à longè intuendam ostendi, etiam ad efficiendum eam assumitur, etiam compellitur, & præmiis invitatur!

88. *Quintò.* Fiduciâ nos trahi ad id oportet ut voluntatem Dei faciamus: fiduciâ, inquam, primò facilitatis in exequendo: Dei enim negotium est, quando ejus Voluntas agitur, ego instrumentum sum, voluntas Dei materia est. Eadem voluntas artifex est: Si vult benè fieri ab instrumento opus suum, adhibet industriam suam, & adhibebit sine dubio, modo nō desim ego, non desim subtrahendo me, importunum aliquid de meo adferendo, quod ejus purissimæ Voluntati immisceri non possit, non deceat. Fiducia deinde tàm propinqui auxilii, tàm intimæ Divinæ mecum præsentiæ. Non est Deus, mecum præsens, cujus voluntatem in manu habeo? Voluntas certe ejus, præsentia ejus. Ergo dum facio ejus voluntatem, facio & præsentiā; & quid metuam, quo egeam, Deo præsente? in manibus meis præsētia ejus, cùm volo facio illam, & est amplius quod velim? Ita mihi præsens est, quomodo ego facio. Si Deus tibi daret potestatem, ut Deo posses præscribere decreta tuæ salutis, non esses certus de salute? nō sperares saltem? Ecce voluntas ejus in manu, fac illam qualem vis. ad hoc tibi proposita, imò & imposita est, ò homo, ut facias illam: facias, inquam, tibi salutarem, te sanctificantem, te justificantem, te roborantem, te exornantem, te cælis dignum reddentem; quem incusabis si perieris? quid amplius tibi facere Deus debuit? En tibi dicit, Habes in manu tuâ voluntatem meam, qualem illam censes ex tuo usu, talem finge, talem forma. Voluntas mea est, ut salveris; hæc voluntas in manu tuâ est, ut eam facias; quidni facis? Volo ego pro te sententiam ferre; hanc voluntatem tibi do in manus, effice illam, ferto illam pro te: ratum habeo. non vis: quid te perire doles?

89. *Sextò.* Atque hinc surgat necessariò admiratio atque stupor: Creaturam tàm familiariter cum Creatore agere, posse, cogi, ut in manibus suis habeat, fingat, fabricet Voluntatem ipsius, ut videat Deum tàm intimè sibi in omnibus coöperari, secum agere omnia, sibi sua agenda committere omnia.

Septimò. Desiderium Deo obediendi huc nos ducere debet, est enim hæc exercitatio, ut aliàs innui, perpetua obedientia. Ex quo consurgit

Octavo. Gaudium de certitudine, quod non aberres, utpote, qui tibi conscius sis te in luce Dei vivere, & agere, te ex mente Dei operari omnia, imo mentem & voluntatem Dei in omnibus operari, nihilque tuum quærere, sed solius Dei, soli voluntati ancillari, omnesque tuas vires & actiones, & potentias impendere.

90. *Nonò.* Unde ultra gignitur sui abnegatio, expropriatio, annihilatio, seu Spiritus paupertas, dū homo nihil de suo judicio statuit, nihil de suo commodo quærit nihil de suo arbitrio operatur, sed hoc solùm judicat faciendum, solum hoc judicat bonum, quod Deo videt placitum; nunquam quidquam de suo adfert ad opus, præter libertatem, quâ vult liberè, Dei non suam voluntatem facere, & hanc ipsam libertatem agnoscit è Dei voluntate esse, quia enim Deus vult illum libere operari, libere operatur: & ita hoc ipsum non hominis, sed Dei est, in quo vera & genuina hominis expropriatio est. Nam nihil homo videt in opere suo suum, Nō externum opus, quia hoc Dei est; non voluntatem operis, quia hæc etiam Dei est; ideo enim opus fecit, quia illud Deus fieri voluit; Non executionem ejus Divinæ voluntatis, quia etiam hæc Dei est; Deus enim hanc executionem voluit, quando opus fieri voluit. Non executionis modum & circumstantias, quia & has Dei voluntas præscripsit, & absorpsit. Nō libertatem executionis, quia & hoc ipsum Deus voluit, & ideò executus est, quia Deus libere exerceri, fierique suam voluntatem voluit: præterquam, quòd illam Deus fecit, & homini dedit. Unde jam homo in opere suo, ut dicebam, nihil videt suum, sed omnia Dei, & ubique Deum, imò ne opus quidem sed solam Dei voluntatem, quæ tā opus, quàm omnes alias circumstantias ejus ita sibi vendicavit, ut quidquid sit in eo, totum sit voluntas Dei, totum Dei.

91. *Decimò.* Atque ex hoc non possunt nō surgere in homine exultationes mentis, quies animi, limpida quædam præsentis & vicini Dei contemplatio, exosculatio ejusdē, amplexus & basia: dum se homo à sui servitio exemptum, totum Dei factum, instrumentum Dei redditum, in Deum absorptum, a Deo regi, Deo vivere, hoc est, per Deū, & propter Deum, suos actus, Dei actus, se non in se, sed in Deo durare,

durare, moveri, vivere, esse, agere, videt.

Hos scilicet omnes actus & affectus homo pro suo modulo, nunc hos, nunc illos sentire, & afferre deberet ad voluntatem Divinam, quando eam executurus est. hos etiam haurire deberet ex eâdem, quando eam executus est: hos denique quando in se, & quantò in se plus minusvé experietur, tantò plus tantoq; minus se in hoc exercitio beatissimo profecisse intelligere debet. Horum affectuum, aliquorum saltem, praxim attexere mihi visum est, ad cujus normam alii affectus exerceri poterunt, cum Voluntas Dei agnita, intendenda erit in opere. Ergo ubi cognovi Voluntatem esse Dei, ut v. g. orem nunc, dicam corde vel etiam ore. *Est voluntas tua Domine, ut ego nunc orē? amo istam Voluntatem tuam valde, & ideo orare jam volo. Est Voluntas tua Domine, ut ego nunc studio scientiæ me occupem? Gaudeo hanc esse voluntatem tuam, eamq; exosculor, atq; jam exequor. Est voluntas tua Domine, ut cibum sumam? O mi Deus etiamne hoc tibi placuit velle à me fieri? facio purè quia tu ita vis. Est voluntas tua Domine, ut ego scribam? tantine sum ego tibi vermiculus, & minima portio creaturæ tuæ, ut dignum ducas tuam mihi Voluntatem ostendere, & pro me illam perficere? Fiat Voluntas tua.* Vel: *Non sum dignus ut faciam Voluntatem tuam, quia tamen tu vis, fiat Domine à me & per me.*

Hæc sufficiant. Et quia res hæc magni momenti est, adeo ut totius structuræ sit basis & cardo, Considerationem apponam, quâ hæc omnia, quæ hactenus fusius dicta sunt, in unum contraham, fontesq; tùm præcedentis capitis praxium, tùm hic expositorum affectuum explicabo, quo in promptu sit, mentem ad hujus exercitii saluberrimi usum identidem excitare, atq; prædictorum memoriam refricare.

CAPUT XV.

Consideratio ad cognitionem, amorē, exercitationem Divinæ Voluntatis mentem permovens, & prædictorum summam magnâ parte complectens.

92. LOngior hæc (ut patebit) erit Meditatio, in quibusdam etiam punctis difficilior; cogit enim sic rei necessitas, magnitudo, obscuritas. Erit tamen fæcunda & practica, neque gustu privabit. abundat convictionibus intellectûs, profuturisque conclusionibus. Meditantis erit, Voluntatem etiam ad id quod probabit impellere, aut impelli à Deo flagitare. Ne longitudo fastidiosa sit, octo in dies fermè distribui poterit Meditatio, idque hoc ordine quo & scribetur.

1. De Voluntate Dei secundum se.
2. De Voluntate Dei quoad Deum; non quòd ista re distinguantur, sed quia consideratione nostrâ distinguentur.
3. De Voluntate Dei quoad Christum Dominum.
4. De Voluntate Dei quoad nos, seu quid sit in nobis?
5. De Voluntate Dei, quid exigat à nobis?
6. De Substantiâ Intentionis & Exercitationis Divinæ voluntatis, deque proprietatibus ejus Intentionis.
7. De excellentiâ, perfectione, effectis hujus exercitii.
8. De modis reddendi hoc studium familiare, deque affectibus, quibus hæc exercitatio peragenda sit. Priores quinque partes tradam fusius; in reliquis remittam me fermè ad jam supra dicta; ut quid enim repetam? Ad rem jam accedo.

CONSIDERA I. *Quid sit Voluntas Dei secundum se?*

93. I. Dei Voluntas in se, & secundum se spectata, est ipsemet omnino Deus: quidquid enim in Deo est, Deus est: considerantur autē & concipitur, ut aliquid aliud à Deo; vel propter opera quæ facit extra Deum: vel propter expositiones sui modosque, quibus se explicat ad notitiam nostram, quos constat non esse Deum: vel propter similitudinem nostræ voluntatis, quæ aliud est ab animâ, & in quâ aliud est potentia, aliud actus: nos autem divina creatorum instar percipimus, cùm tamen in Deo volendi vis sit, potentia non sit, vis autē semper actualis, semper in actu, eoque uno, nec à Deo distincto; se enim ipso Deus vult, quidquid vult.

Ex quo ego *primò* magnā quandam, & miram mihi de hujus voluntatis naturâ opinionem formabo: ut quæ imperceptibilis incomprehensibilisque sit, planè sicut & ipse Deus, cum quo illa unum est.

2. Conabor etiam corrigere usum meum cogitandi de voluntate Dei, & eam non ut quid diversum à Deo, sed ut Deum ipsum concipere contendam. 3. Deniq; Orabo hanc ipsam Sanctissimam Volunta-

luntatem Dei, ut ipsa cogitationes meas de se corrigat, meq; digne de se cogitare faciat.

93. II. Quemadmodum velle, est actus appetitus rationalis in bonum tendentis, ita voluntas Dei nil est aliud, quàm actus appetitus Divini, ex summâ ratione, Sapientiâq; procedens, in bonumque tendens. Bona enim volumus, & malum ut tale, nemo vult: Sed objectum voluntatis est bonum tantum: quia ergo Deus quidquid vult seipso vult, sequitur quod Deus seipso in Deum tendat, & ipse sit appetitus boni. sitque ejus naturâ bonum appetere, & denique quòd sit actus bonum appetens. Cùm verò talis sit actus, quale ejus objectum, talisque sit appetitus, quale id quod appetit: sequitur etiam Deum bonum esse actum, bonumque appetitum, siquidem bonum appetit: quod si appetat summum bonum, sequitur etiam esse ipsum summum bonum.

Ex his autem discam, quanta & quàm bona res sit Bonum appetere. Per hoc enim redditur bonus appetens: Certè hoc tanti facit Deus, ut per seipsum, seu seipso bonum appetat, & velit, ipseque sit Voluntas boni. hinc proponam avertere mentem meam voluntatemq; semper à malo, bono autem illam applicare. Hinc etiam discam, Voluntatem Dei bonam esse, siquidem bonũ appetit, & vult; & quidem tàm bonum esse, quàm bonum est id quod appetit. Hoc autem quale sit, jam videbo.

94. III. Deus non tantùm vult bonum, nec tantùm vult illud semetipso, ita ut suum velle sit ille ipse; sed etiam vult summum bonum, quo scilicet, nullum honestius, sincerius, majus, perfectius; hoc est, vult semetipsum? Nullũ enim aliud summum bonum est, præter ipsum Deum, & nullo alio potest gaudere, aut agere, aut egere, nisi summo, cùm sit summus, & in appetendo Sapientissimus: non sapienter autem appeteret, si minus bonum, quàm ipse sit, appeteret; quin minore bono, quàm ipse sit habito, nunquam appetitum suum expleret; quippe majoris boni capax esset, & nõ haberet, ideòque miser esset. Pro quo, Nota; quòd si Deus nonnisi summum bonum vult, sequitur, quòd quando vult, ut ego silentium v. g. servem, aliudve quid simile, in oculis meis vile & leve faciam, tunc etiam Deus summum bonum velit. Nunquid ergo servari silentium à me, summũ Dei bonũ est? Est omninò ex parte motivi Divini. Deus enim omnia quæ vult, propter se vult, & non tam alia, quàm seipsum in aliis attendit & vult: proinde quando meum silentium vult, seipsum in meo silentio vult, ipse autem sibi summum bonum est. Vide ergo ô anima, quantum bonum silentium tuum est, quod Deus à te vult: summum bonum Dei in eo est; & ero tàm impius in Deum, ut illi denegem? ô quo affectu, quâ curâ, quâ diligentiâ, hæc minuta quamvis, facienda essent, si oculi quibus hæc videantur, essent!

Atq; ita hinc colligã 1. Hæc omnia unum & idem esse in præsenti, Deum qui vult, voluntatem quâ vult, Bonum quod vult; hæcque omnia summa & perfectissima esse. 2. Colligam quòd quando Deus vult summum bonum, vult seipsum, & suâ voluntatem. 3. Colligam, Quòd quando Dei voluntas vult summum bonum, vult ipsum Deum, & vult semetipsam, & consequenter, Colligam 4. Voluntatem Dei multis de causis dici Dei voluntatem. 1. Quia in Deo est. 2. Quia Deus est. 3. Quia Deus per illam vult, quidquid vult. 4. Quia Deus per illã nõ aliud sed seipsum vult. 5. Quia Deus per illam vult & habet illam ipsam, ideòque ejus est, quia illam vult, & habet illam, per ipsam voluntatem: Voluntas enim Dei est suiipsius volitio. 5. Deniq; Colligam Voluntatem Dei esse summum bonum: Est enim Deus qui est summum bonum: quàm ego beatus, si voluntate Dei potiar? quãtopere illam æstimare, amare, appetere, quærere, ambire, venerari debeo? quantum meum bonum hanc voluntatem nosse, gustare, exequi!

95. IV. Deus nunquam sine suâ voluntate est. Etenim vita in Voluntate ejus, semperque vult aliquid, quia semper est quod velit, nempe ille ipse; neque vult alteri nisi sibi, & ita vult semper, semetipsum sibi; neque verò otiose, & steriliter vult, sed efficaciter; quare sicut perpetuò se sibi vult, perpetuò se sibi dat, & cùm sit summũ bonum, summum bonum sibi dat; semper ergo gaudet, potitur, fruitur summo bono, estque semper beatus; & cùm hoc à voluntate habeat, summi æstimat hãc suam voluntatem, semper illam implet, & per illam seipso tanquam summo bono fruitur. Fruitio enim & gaudium est actus voluntatis circa bonum præsens; atque ita Deus suâ voluntate vult sibi, summum bonum, confert, fruitur.

Ex quo Colligam immensam quandam hujus voluntatis bonitatẽ. 1. Quia cùm amet, & velit summum bonum, summè bo-

mè bona ipsa est; talis enim actus est, quale objectum ejus. 2. Quia Deo est causa & origo summi boni per illam enim Deus dat sibi summũ bonum, cùm,ut dixi, efficaciter illud sibi velit, & Dei velle sit posse, sit facere. 3. Quia facit Deũ beatum. 4. Quia est ipsa fruitio summi boni, atque beatitudo Dei. Ultra inde colligam, quantum sit bonum, hanc Dei voluntatem efficaciter exequi; ecce enim, quia Deus illam exequitur, summũ bonum habet, & beatitudinem: Si ergo etiam ego illam exequerer beatus summo bono essem. quocirca illam exequi sẽper efficaciter proponam.

96. V. Deus est actus purus. Semper ergo agit. Actus enim est id, quo aliquid fit, seu, quo aliquid actu est. Semper ergo Deus voluntatem suam (etsi semper existentẽ) agit. Estque in Deo actus voluntatis semper. Semper ergo Deus vult, & quia nil aliud vult, quàm bonum, id est, seipsum, quem tamen semper habet: ideò Deus semper habet bonum, quod vult & tamen semper vult id quod habet; ex eo, quia semper bonum quod vult, habet, beatus est: quia verò semper vult quod habet, summũ esse bonum quod vult, ostendit, ut pote, quod nunquam fastidiatur, quod nunquam satis appeti possit, circa quod rectè voluntas semper occupetur, & quod summæ Voluntatis capacitatem, sufficienter, semper, adæquatè occupet: tale denique quo ille contentus sit, & quod habere semper velit.

Ex quo ego Colligam. 1. Quod si Deus semper suam agit voluntatem, & ego nunquam debeam à Divinâ voluntate agendâ cessare, præsertim cùm Deus illam agat sẽper perfectissimè, ego autem cùm tot imperfectionibus, ut meritò debeam semper in eâ perficiendâ occupari. 2. Quod si Deus habet hoc totum quod vult: ego quoque si Dei voluntatem fecero, totũ habebo, quod voluero. 3. Denique colligam, quod si Deus hoc vult, quod jam habet, cupiam & ego nunquam Dei voluntate fatigari, sed semper illam cupiam facere; nec mihi molestum, leve, turpe, parvum erit facere, quibus Deus non eget, sed satis erit mihi Dei voluntatem, ut ea fint, fecisse: sicut Deus etsi habet quod vult, vult tamen quod habet, quia illum delectat velle: ita ego etsi scio nil prodesse Deo opera mea, volo tamen illa facere, tantum quia illa vult Deus, & quia hoc illi placet.

97. VI. Deus quidquid est in Creaturis perfectionis, totum habet in se modo perfectissimo, seclusis imperfectionibus; unde etiam hoc, quod in Creaturis Voluntas est & velle, habet Deus in se modo perfectissimo. Volitio creata, seu actus volendi, est actualis appetitio, tendentia, propensio in bonum. in Deo ergo, vel potiùs Deus ipse, est etiam vis & actus tendens in bonum, illudque appetens, & hic dicitur Dei voluntas. Quare eatenus Deus dicitur Voluntas Dei, quatenus scilicet est actus tendens in bonum, & appetens illud. Hic actus vel hæc tendentia in bonum, quatenus se in se continet, & quamdiu intra se est, vocatur Essentialis Dei voluntas; estque necessarius actus; necessariò enim Deus tendit in bonũ, cùm & tendentia ista sit Deus, & bonum illud non sit aliud, quàm Deus. Hæc ipsa tendentia in bonũ quatenus incipit se derivare & manifestare ad extra in Creaturis, vel eas creando & condendo, vel cum ipsis operando easque in suis operationibus, ut & ipsæ quoq; rectè in bonum tendant dirigendo, est vocaturque Dei voluntas ad extra: & est actus liber, non enim necessariò erumpit foras modis prædictis. Sed liberè, & quia ita placet illi: Et condendo quidem creaturas prodit se illo dictamine practico, cui vel ipsum Nihil obedit, *Fiat.* Operando autem vel coöperando, & coöperationes dirigendo creatas, prodit se illo dictamine etiam practico, cui omnis creatura existens obedire tenetur, irrationalis quidem necessariò, rationalis liberè. scilicet, *Hoc fac.*

98. Et loquendo de Creaturis rationabilibus, istud dictamen practicum, operationes dirigens dupliciter Deus ad extra prodit. 1. Intus purè. Homini v. g. ad cor solus soli loquendo, Voluntatemque suam ostendendo, & quid boni appetat declarando, idque tàm clare, ut homo nullo modo dubitet Deum esse qui sibi loquatur, Voluntatemq; suã declaret; quippe qui intus experiatur & gustet, & videat, non alium præter Deum esse, qui hoc velit, & se hoc velle, sibi ostendat. Atque hoc fit vel intellectum hominis illustrando, & dicitur Inspiratio, Illuminatio: vel voluntatem creatam pelliciendo, gustumque ejus quod Deus velit (imò & aliquando illum ipsum quem Deus de re volitâ habet) propinando, & est Motio. quoquo autem modo fiat, sive per lumen, sive per gustum (ordinariè fit per utrumque) exinde Voluntas Dei Interna dicitur; intus enim se & quasi clam, & furtim absque arbitris insinuat: ita ut possit

homo

homo dicere, se venas susurri ejus audiisse aure suâ.

99. 2. Prodit Deus voluntatem suam in illo dictamine (*Hoc fac*) foris per signa aliqua externa, ut per vocalia imperia, per leges scriptas, à seipso, vel per Superiores, quoscunque legitimos, legitime latas, per consuetudines, per rationis lumen, per cursum naturæ. Et hæc dicitur Voluntas Dei Externa. quia scilicet per externa signa se declarat, multis nota, communia. Primæ voluntatis finis est, Deus nude, ejus enim est Deo benè velle, Deum beare, Deum velle, Deum esse. Secundæ & Tertiæ Voluntatis, est etiam finis Deus ultimatè, sed non nudè, verùm per medias creaturas, ad quas Deus à se prodit propter se, & iterum ab illis redit ad se, illas deducendo ad se, sed tamen diverso modo. Nam secundâ voluntate prodit suaviter, occulte, sine signis & strepitu, suum gustum de rebus dans creaturæ, & sic eam sui suavitate, & perfectione delinit, perficit, à creaturis aliis abstrahit, in se rapit: at tertiâ Voluntate, sensibiliter manifeste agit, proditque se, ostendit legem, scripturam, usum, regulam, rationem, conscientiam appetit, opus exigit, ut juxta hæc fiat, ne ab his aberretur.

100. Ex his porrò ego discam, tripliciter Deum Deique voluntatem attendere in meis operibus, & in meipso. 1. enim conabor, ut omnia hæc quæ Deus fieri vult, mandat, consulit, ostendit, faciam, propter hoc solùm, quia Deus vult, & hoc ex præscripto Voluntatis externæ. 2. Conabor facere omnia quæ Deus vult, non tantùm quia ita in legibus præcipit, sed magis quia hoc delectat Deum, quando ita fit, & quia Deus gustum habet in hoc quod ista fiant, ut ergo Deus gustû hunc habeat vel quia illum habet, vel ut illum gustum ego experiar, faciam, nec ultra quidquam intendam. 3. Nec attendam legem, nec gustum experiri cupiam, aut excitare, sed conabor omnia facere quia Deus est, abstrahendo ab hoc quid sit? ubi sit? sed hoc solùm in operibus meis attendere volo (*Facio. ut Deus sit, quia est.*) Brevius; Conformabo me, vel externæ quam mihi Deus præscribit, regulæ; vel interno de re gustui, & sapori, vel ipsi purè Deo, nihil admiscendo in quopiam gradu mei lucelli, commodi, spei.

101. Ex his etiam discam ita soli Divino bono inhærere, & placito, ut tamen etiam externa bona amē (sicut & volun- Dei, ita est circa bona Dei, ut sit etiam circa nostra) sed nonnisi juxta Dei solius solam nudamque voluntatem, & ita pro regulâ voluntatis meæ, omnisq; operationis meæ assumam mihi Dei voluntatem, aliquo modo ex illis tribus spectatam, modò explicatis.

Ex his denique discam: Inspirationes & motus interiores procurare, observare, & exequi. Similiter discam, leges, regulas, consuetudines communes aut privatas cognoscere, amare, exequi diligentissime, etiam minutissimas. Siquidem eadem in re, & in Substantiâ voluntas Dei est quæ dicit: *Non occides*: & quæ *non otiose loqueris*: objectum diversum, at voluntas Dei eadem. S. Hieronymus in Ep: Jacobi ad vers. 10. *Quicunq; autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: sic habet: *Quare, non debemus aliqua præcepta ejus, quasi vilia munuscula & parva contemnere, sed imperantis in omnibus majestatem aspicere. nullum quippe mandatum DEI contemptibile nobis videri potest, si ejus semper cogitemus authorem.*

102. Discam similiter, & ordinem universi: naturas rerum, earundem proprietates, omnes eventus, tanquam Dei voluntatem amabo, tanquam signa & expressiones divinæ voluntatis recognoscam & acceptabo; contentusque ero omnibus evenientibus, exequarq; si quæ erunt exequenda. Hinc non erit mihi molestum, quòd pluvia, aut æstus sit, quod ignis urat, quod spinæ pungant, quod aqua frigefaciat, quod ventus flet, quod nox diei succedat, quod moriatur quis aut infirmetur, quòd persecutiones boni patiantur, quod hoc vel iste, vel ille faciat, quod mihi hoc vel illud accidat, non accidat, &c. Sed in his omnibus geram me illo modo, quo de se testatur David. Psal: 30. 10. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu (Domine Deus. Tu ô adoranda Voluntas Dei mei hæc omnia) fecisti. quoniam tu in istis tibi complaces, quoniam hæc tibi sapiunt in hisq; tu delectaris sapientissime, & suavissime, & occultissime, & felicissime: & deniq; quoniam tu es, qui es, & hoc quod es. Gaudeo quod hæc tua Sanctissima Voluntas fiat. supplico ut fiat hæc tua Sanctissima Voluntas, sicut in cœlo, sicut in teipso, ita & in terra, & in nobis, & per nos.*

CONSIDERA II. *Quid sit Voluntas Dei, & qualis quoad DEUM?*

103. I. Voluntas Dei est in Deo id, quo sibi Deus optimus est. Deus enim per hoc

hoc sibi optimus est, quia in nullâ re sibi deesse vult, neque deest, sed omnia bona sibi vult, omniaque sibi confert, omnia sibi conservat, omnia bona sibi est: hoc autem habet Deus à suâ Voluntate, quâ tantum sibi boni vult Deus, quantum boni esse potest, tantumq; boni sibi dat, quantum capere potest in omni genere. Bona est Sapientia? dat illam cum summâ propensione, & alacritate atq; gaudio Dei voluntas Deo, & dat tantam, quantam Deus capere potest. Bona est Bonitas? dat bonitatem cum summâ item alacritate & voluptate Deo, tantam, quantæ Deus capax est. Bona est pulchritudo, suavitas, majestas, dignitas, gloria, misericordia, Justitia, perfectionis omnis plenitudo? tantam dat voluntas Dei Deo, quantam capere Deus potest, &c. Ex his ego vel unum hoc colligam, nihil esse melius, quâ cum hac Dei voluntate familiaritatē contrahere, per hanc enim fiet, ut omnibus illis divinis bonis tantum ditescam, quantum mea parvitas capere poterit.

104. II. Ut luculentius capiatur, quomodo se hæc Dei voluntas habeat quoad Deum, sciri debet, duas illam habere in Deo singulares prærogativas, atq; functiones. *Prima est,* Quòd sit vinculum Dei, & vinculum quidem omninò indissolubile, vinculum Deo necessarium, & quod in Deo est necessariò, etsi non sine summâ Dei voluptate; adeò ut Deus illud nec effugere possit, nec solvere, imò neque ejus solutionem velle (siquidem deberet velle per voluntatem, Voluntas autem, non potest seipsam nolle, aliàs id quod vult, nollet) Ligat autem Deum voluntas & vincit in semetipso, ita ut per hoc vinculum Deus sit sibi hoc quod est, videlicet Deus, hic Deus, unus, idem. Quia enim illum ineffabilis illa Communicabilitas & Communicatio videbatur quasi velle partiri à semetipso, & in plures personas dividere ac multiplicare, ne id fieret, voluntas personas quasi vinxit, & duo Supposita unum fecit in natura; neque tamen duo Supposita sustulit, aut confudit, sed potius distincta reliquit, atque etiam seipsam, ut quid tertium, adjecit, adjiciendo nexuit, & multiplicitatem Deorum impedivit: & ex tribus unum in natura conflavit, triaque nihilominus Supposita sed vincta, sed unita, sed identificata in natura reliquit. Dum enim se Pater Filio communicat, se quasi à se separat, seque sibi opponit, sed voluntas illum sibimet apponit, quando se utriq; communem interserit, & utrumque conjungit, ita ut illis duobus se velut quid tertium addat, & duo Supposita uniendo tria faciat, omniaque tria supposita, unum in natura reddat. Mira equidem, & nec investigabilis, nec comprehensibilis duorum in unitatem & identitatem, per tertii ab utroque distincti, additionē còâgmentatio: quis enim capiat? ut ex duobus unum idemque facias, tertium superaddere distinctū ab utroque, commune tamen utrique, & idem cum utroque, quod & illa duo, & se tertium faciat cum illis, & inter se unum ac idem? Verum est in Creatis etiam, ut duo unum fiant, tertium superaddi solere distinctum, at illa unitas non est propriè unitas; est enim aggregatio potiùs, non verò identificatio. at hîc ita sunt duo Supposita unum in natura per additum tertium, ut omnia & distincta maneant, & tamen sibimet identificata, sintque & tria, & unū: tria supposita, unum in natura, Hoc est mirabile Divinæ voluntatis in Deo vinculum, in quo Pater & Filius communi sibi Spiritu sancto nectuntur, suntq; unū & sunt unus: sunt tamen tria Supposita & tres. Unde autem hoc illi Voluntati? ne quære. Voluntas est: hoc satìs est. & quis illi potest dicere, cur ita facis? Job: 9. 12.

Ex hoc ego colligam, Divinæ voluntatis, sicut ejus quæ ad intra est, ita & ejus quæ est ad extra proprium esse, omnia Deo unire, quæ digna Deo sunt, præsertim verò Filium. Unde Conabor 1. Filius Dei per gratiam Christi fieri. 2. Deinde hanc voluntatem Dei studebo semper magni æstimare, & diligenter exequi; illique me unire, ut sic & illa me secum Deo uniat.

105. III. Ex hac primâ Prærogativâ Voluntatis Divinæ consurgit altera, quòd scilicet sit Domina & Regina Dei, cùm enim ita, ut dixi, vinciat, & stringat, consequenter illum in suâ potestate habet, eique dominatur, ita ut nihil faciat Deus sine illâ, sed omnia per illam, & ad ejus nutum Deus verò illi in omnibus ad unguem (ut ita dicam) obedit. Quod tamen nec Deo indignum, nec Divinæ Voluntati indebitum est. Non quidem indignum Deo, perinde, sicut nec indignum eo est, ut sibi ipse imperet. Voluntas enim ejus, est ille ipse, & ita dum voluntati obedit, sibi obedit. Non etiam in debitum Voluntati, quia cùm sit Sanctissima, Rectissima, Perfectissima, Suprema agendi regula, imperandique ratio, debetur illi naturaliter, & omni jure, ut

juxta

juxta eã quilibet se dirigat. Neque Deus habet in se altiùs, rectiùsque agendi principium, suâ ipsius Voluntate; ita ut si Deus suâ voluntate nõ regeretur, non supersit illi quidquam aliud quo regatur, sed vel nil agere, otiarique, vel contra suam voluntatem, sineque illâ agere deberet: quorum illud puro actui repugnat, & hoc per se absurdum est. Voluntas ergo Dei dominatur Deo, estque ejus Domina, Regina, Imperatrix.

Ex quo discam ego, æstimare hanc voluntatem Dei, meque illi nullatenus subjicere gravabor, cui vel ipsum Deum obedire advertã. Discam etiam quàm justum sit & me & omnia huic Sanctissimæ Dei voluntati subjici, à cujus subjectione Deus etiam seipsum non exemit. Discam præterea quàm in æstimabilis sit hominum, & mea imprimis malitia, atque nequitia, qui Divinæ huic voluntati nos subtrahere, resistere, illam infringere, eiq; omnibus modis repugnare audemus. Et quibus infernis expiari potest satis, tanta Divinæ voluntatis à vilissimo vermiculo, à pulvere & cinere injuria?

106. IV. Sed juvat penitius hunc voluntatis Divinæ in Deum dominatum, Deique erga illam, (ut sic loquar) reverentiam inspicere, ut tanto ampliùs & ejus dignitas, & humana patescat malignitas. Tantum ergo hæc Voluntas in Deum potest, & tam Deus illi exactè obedit, ut quidquid illa jusserit, digna, indigna, is ne jota quidem, nec apicem unum ex omnibus ejus jussis negligat. Communicabat se Deus plenissimè, sufficientissimèq; in seipso tribus personis suis, nec egebat amplius communicari; jussit Voluntas Divina, ut Deus se etiam aliis modis infinitis, communicaret rebus creatis, per esse Corporeum, per esse Spiritus, per esse vivens, sensitivum, rationale, intellectuale, substantiæ, accidentis, per esse Gratiæ, Gloriæ, Sacramentale, unionis hypostaticæ, cùm tantâ in singulis generum, specierum, individuorum, proprietatum, virtutum, accidentium, circumstantiarum varietate; fecit hæc omnia Deus, & usque nunc facit, & faciet.

107. V. Deus habuit imaginem sui adæquatissimam apud se in Filio suo, jussit tamen illum voluntas Dei infinitas creaturas ad imaginem & similitudinem sui condere, iisque esse immortale conferre; Fecit hoc Deus.

108. VI. Deus maxima quæq; attributa, & perfectiones suas habebat apud se reconditas; jussit Voluntas prodere illas gravissimis stupendisque operibus: Omnipotentiam, creando tanta, tàm varia, tàm pulchra, mira ex nihilo, propagando generationem, &c. Sapientiam, ista omnia ordinando: Bonitatem, tot virtutibus utilitatibusque ea implendo, & certis usibus deputando: Æternitatẽ, æterna multa, incorruptibiliaq; faciendo: Liberalitatem, omnia maximis perpetuisque beneficiis ornando, pleraque etiam sanctificando, salvando, beando: Misericordiam, ex miseriis extremis ac præsentissimis ea liberando: Justitiam rigidissimè illi satisfaciendo: Charitatem, tanta propter illã faciendo, patiendo, instituendo.

109. VII. Deus erat beatissimus atq; felicissimus ineffabili beatitudine, quæ nec in cor hominis poterat ascendere, aut in ullius puræ creaturæ animum. Deum sua voluntas jussit Creaturas suæ illius beatitudinis capaces condere, ad istum eas finem ordinare media illum consequendi præscribere auxilia semper parata uti volentibus præstare, non cogitantibus offerre, respuentibus obtrudere.

110. VIII. Deus erat sibi sufficientissimus, in gloriâ, in opibus, in vitâ, in naturâ, in esse, in virtutibus & perfectionibus, jussit eum tamen Voluntas mendicare à Creaturâ suâ Gloriam, Opes, Cultum; quin & vitam, naturam, esse humanum; virtutes etiam, perfectionesque, Paupertatis, Castitatis, obedientiæ, patientiæ, humilitatis, mansuetudinis, modestiæ, abstinentiæ, abnegationis, mortificationis, Spei.

111. IX. Deus habebat capacissimum in quo maneret Domicilium, scilicet, semetipsum: jussit eum tamen acceptare domos in mundo: jussit eum manere in omnibus rebus etiam vilissimis ac minimis, per essentiam, præsentiam, potentiam. Deinde in cœlis, deinde in cordibus rationalium creaturarum, per Fidem, per Gratiam, per corporalem Incarnationem ut in Maria, per Unionem hypostaticã in Christo, in Sacramento panis, in templis.

112. X. Habebat apud se Deus multa decreta, & consilia secretissima, quæ tamen scitu & operatu erant tùm dignissima, tùm valde necessaria creaturæ: jussit illum hæc omnia creaturis evulgare, etiam tantò ante, non solùm per naturale lumen, per figuras, per prophetias, sed etiam per seipsum, non tantùm voce, sed opere & exemplo.

113. XI. Deus habebat apud se thesauros pre-

ros pretiosissimos æquè ac delitiosissimos, scilicet Filium unigenitum, & Spiritum s. medullam bonitatis suæ; utrumque jussit dari hominibus, dare debuit, dedit.

114. XII. Deus habuit magna apud creaturas debita, præsertim apud homines ut Amoris, satisfactionis, justitiæ, adorationis, Sacrificii, Gratiarum actionis &c. Jussit voluntas hæc illum sibimet pro hominibus, 1. præstare, 2. deinde etiam idipsum hominibus præstandi facultatem & potestatem dare, modumque docere. factum est. Hinc Deus sibi pro hominum peccatis ex summo rigore satisfecit, justitiam implevit, seipsum amore cultuque creato quantum creaturæ possibile fuit, amavit, coluit, adoravit. Sacrificium sibi Adoratorium, Gratiarum actorium, propitiatorium, impetratorium, ex seipso instituit, ejusque potestatem hominibus non solùm offerendi, sed etiam conficiendi contulit. Misericordiam & Gratiam hominibus, quin etiam jus ad exigendam gratiam ex jure justitiæ fidelitatisque in manus hominũ in Sacramentis dedit.

Admirabor & obstupescã vehementissimè hanc Divinæ voluntatis in ipsum Deum imperiositatem & auctoritatem, Deique ad illam submissionem. Discam etiam, quod si Deus in seipso tantum curat omni ex parte Voluntatis suæ nutus implere: quantò magis zelabit, ut iidem à creaturis impleantur, & quàm indignè feret, si non implebuntur. Gaudebo illam tantum in Deum posse, & tàm sibi obsequentem Deum habere. Cupiam illam etiam mihi tantùm dominari, & me illi tàm plenè subjici. Agam immensas gratias, pro me, pro hominibus, pro omnibus creaturis, quod tantorum operum, tàm nobis utilium Deo causa fuerit. Petam ab illâ, ut etiam mei dominatum acceptare velit, mihique imperare. Submittam me illi & in æternum in omnibus secundum omnes circumstantias soli mè illi serviturum proponam.

CONSIDERA III. *Quid & qualis sit Dei voluntas quoad Christum Dominum?*

115. I. Christus Dominus DEUS & Homo Verbum æterni Patris, unigenitusq; ejusdem Filius non aliam ob causam in mundum venit, naturamq; humanam induit, quàm ob solius Divinæ Voluntatis placitum. Ubi enim decrevit SS. Trinitas, homines lapsos per Verbum erigere, & redimere, statim Verbum obtulit se ad exequendum hoc decretum, reque ipsâ postea tempore designato, perfecit.

Ex quo perpendam, quantæ authoritatis sit Dei voluntas apud SS. Trinitatis Personas omnes. Quod enim Verbum reipsà fecit, hoc fecisset Pater, hoc & Spiritus Sanctus. si ita decretum in illo arcano Trinitatis concilio fuisset: imò, non minùs fecit Pater dando Filium, quàm Filius dando seipsum, sicut etiam non minùs fecit Spiritus S. descendendo ad Ecclesiam die Pentecostes.

116. II. Humanitas Christi Domini, seu Christus Dominus ut homo, quia ex Voluntate Dei deputabatur ad maxima munera, ut ad hominum cum Deo reconciliationem, eorum à servitute peccati, & diaboli liberationem, justitiæ divinæ satisfactionem, promulgationem doctrinæ cælestis, & ædificationẽ Ecclesiæ, judicium vivorũ & mortuorum: ideò ad hæc obeunda, data sunt illi ab eádem Voluntate Dei, dona omnium maxima, tanta quanta nulli creaturæ, tanta quantorum creatura esse capax potuit. Dedit enim illi donum hypostaticæ unionis, & associavit illam naturam humanam naturæ divinæ, in unâ Verbi personâ, fecitque Christum Dei Filium naturalem, dedit illi Personam, & cum personâ dignitatem, sanctitatem, authoritatem Dei, aliaque postmodum infinita, quæ hanc unionem secuta sunt cõnaturaliter bona omnis generis.

Ex quo colligam, quàm bonum utileq; sit, hujus divinæ voluntatis instrumentum fieri, ut quæ tantis auxiliis instrumenta sua instruat & ditet, quantis opus habent illa munera, ad quæ illa applicat. Cupiam ergo magna pro Dei, & cum Dei voluntate agere, si volo magna bona & magna auxilia ab ipsâ obtinere.

117. III. Si autem vis habere, ò homo, vivum exemplar tàm efficacitatis Voluntatis divinæ quàm etiã subjectionis ad illam debitæ, quid hæc Voluntas in Christo egerit, quid illi imperaverit, quomodo autem Christus executus sit, diligenter attende. Voluit ut Persona illa dignissima Verbi incarnaretur, & naturæ humanæ corporaliter uniretur, adeò, ut sicut erat verè Persona Dei, ita etiam esset verè persona hominis: omniaque munera & officia personæ humanæ obiret & suppleret. Voluit ut incarnaretur ex muliere, non ut sibi conderet naturam, ut Adæ, aut Evæ, sed quomodo reliqui infantes concipiuntur. Voluit ut ad id uteretur

quidem

quidem suâ Omnipotentiâ (præsertim quod ex Virgine esset concipiendum illud Verbum) atque Sapientiâ, attamen etiã consensum illius Virginis voluit requiri, & expectari. Voluit Matrem ejus desponsatam esse viro, ut sic videretur non miraculose, nec ex Virgine natus. Voluit ut in formâ parvuli conciperetur, & novem mensibus in viscere materno lateret, illasque angustias & tenebras & vincula naturæ, quanquam plenè ratione utens, imò & Deum intuitivè cernens tanto temporepateretur. Voluit eum peregrè hyeme, in itinere, in stabulo extra diversorium exclusum, incommo dissime nasci, rudibus pannis involui, in præsepio reclinari, sicq; cœlo & terræ, tanti mundi Conditorem, Angelis, Pastoribus, Regibus, egregiè scilicet paludatum & instructum infantulum, vagientem, lachrymulas oculis funditantem, reptantem mẽbris tenellis, ubera fletu poscentem, auxilii indigũ, & curæ, omniaque cæterorum pusionum simplicium more obeuntem ac patientem commonstrari, & ostentari. O vim stupendam Divinæ voluntatis! tantum ausa est imperare, tantum expressit à Deo-homine; fecitque Deus. O Dei Sapientia, Verbum, Fili, siccine te decet? O majestas itane convenit? O creator repertorque hominum, hoccine decet? Decet, quia Voluntas jubet. Si enim hæc imperare, decet Dei voluntatem, si, inquam, decet Deum velle, decet & facere. O quàm vivum mihi Voluntatis divinæ exequendæ exemplar; si modo is sim, qui imitari velim. Et quidni volo, tanto Dei hominis pro me exemplo?

IV. Et hæc quidem in infantem Deum, hominem Christum vix natum, potuit Dei voluntas, quò se postea protenderit, etsi, quia sat notum, nil attinet dicere, quia tamen valde utile, multùm attinet cogitare. Circumcidi, offerri, redimi, fugâ neci subtrahi, inter idololatras Ægyptios nutriri, abscondi, reportari in patriam, latêre ad annum 12. hinc Dei templum adire, relinquere, & contristare dulcissimam Parentem: Doctores interrogare, audire in templo; Subdi deinde Matri, & Josepho per omnia ad 30 annum usq;, nec ullatenus? quis aut quantus esset? se foras prodere: pœnitentium peccatorumq; ritu, Joannis baptismo ablui, turbis peccatorum & publicanorum immistum: ire in deserta, jejunare quadragesimam, cum bestiis esse, cum quo Angeli esse indigni, fame confici, tentari; quid? etiã tractari & portari à dæmone. ita est, nec mirare, nec causam quære, dicet enim tibi: *Sine modo: sic enim oportet nos implere omnem justitiam*, scilicet, Dei voluntatem; decuit me sic expelli à Spiritu Sancto in desertum, ut tentarer: *meus cibus est, ut faciam Voluntatem Patris mei*. Ita non erubescit, sed fatetur etiam se hæc facere jubente & cogente Dei voluntate, quam sibi non facere, nefas sit, & piaculum.

V. Nec opus est recensere, quæ jam secuta sunt: Prædicationis labores, vigiliæ, inediæ, æstus, frigora, pluviæ, itinera, orationes, lachrymæ: conversatio cum omnis generis hominibus, magnis, infimis, peccatoribus: neque meretrices aut adulteræ abjectæ; etiam se gentibus impendit, tùm prædicationes, disputationes, curationes, miracula, insidiæ, fraudes, violentiæ, invidiæ, impetitiones, lapidationes, consilia de interficiendo: tandem & vis illata cum gladiis & fustibus & armis, cum ministris & militibus, & cohortibus. Emptus sanguis venundante discipulo, 30. non amplius, argenteis, & in his omnibus causæ non amplius, quàm illud: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, hæc patior.

VI. Vide verò ultra duras tragædias. Paventem, tædentem, merentem, tristem illum consolationum Oceanum. Vide orantem JESUM adeò anxiè, prostratum in genua, in faciem. Vide nubem, obnuptumvè Solem sanguineos rores guttatim stillantem; an potius vide Ocellum æterni Patris toto corpore cruentas lachrymas fundentem; Vide euntem hostibus obviam Ah quid agis voluntas magna! jubes obviam ire, quid attinet? veniunt hostes, festinant, sat veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem quid urges? tantisper differre placeat miseriam Christi. Nihil minus. imò *surgite, eamus*, ait Christus, ita urgebatur. Ecce appropinquavit prod tor, quantò ille festinat amplius, tantò ego urgeor magis obviam. Ad Judæ osculum scilicet fuit festinandum. ô! non illa paterna, non amica, non materna sunt; proditoria, hostilia, Judæ sunt. Prô quàm dura voluntatis hujus super Christum imperia! Sed dura in illum, nobis ut mollescerent ut mansuescerent. Et ita revera factum. Sed tamen nos increduli, stulti, & tardi corde ad credendum, externam speciem horremus, suavitatem internam non gustamus. At esto sint etiamnum dura, quid tum? divina sunt: Voluntatis Dei sunt. non sufficit hoc, ut fieri à nobis debeant? leviorane dia-

116. 117. 118. 119. 120.

Matt: 3. *Joan: 4.* *Joan: 14.*

nē diabolica?

Deinde Christus illa executus est propter nos; non exequemur nos eadē Christi causa? Indigna voluntas Dei, quæfiat? Indignus Christus qui exemplo sit? quā vereor, ne indignus ego, & illam facere, & hunc sequi. Quidquid est. Christus illà omnia executus est. Bibit calicem, bibit avidè, avarè superante etiam siti, cum fæcibus ad fundum etiam, dicens, & clamans, cœlos terramque testans, *Sitio*: quasi diceret: meus hactenus cibus fuit Voluntas Dei Patris; jam sum satur hoc cibo, at potum cibus poscit, non est quod bibam, Sitio: præstet etiam Voluntas eadem mihi potum, en Sitio: Si iterum ab exordio usq; ad hunc ipsū crucis & mortis epilogum decurrendum est, placet ire, modo sitim hanc extinguam. O'ardorē! ô amorem! ô sitim! Divinæ voluntatis, dignam Christo, dignam Dei filio. Mi JESU illam tuo dono fac sentiam, fac patiar, fac illâ crucier. Sitiam siti tuâ voluntatem Dei.

121. VII. Quæ tandem sequuntur, horret animus: Vincula, cædem, pugnos, raptationé, verbera, vulnera, livores, sputa, judicia, examina, alapas, falsos testes, blasphemias, accusationes, calumnias, ludibria, cum homicidis compositiones, infraque hos dejectiones, tribunalia, flagella, virgas, spinas, arundinem, purpuram, genuflexiones, fellita pocula, crucem, clavos, lanceam, necem, sepulturam: Matris præsentiam & aspectum.

122. VIII. Sunt & illa præterea Divinæ voluntatis in Christum imperia, videlicet, Triginta trium annorum spatio totum Redemptionis nostræ negotium peragere, quod uno fieri poterat momento; Ecclesiam fundare super homines: Eandem ubique gentium propagare, per rudes, vilesque ac paucos rusticulos: Doctrinam dare & spargere, omni humanæ sapientiæ oppositam, omnium studiis contrariā, communi depravatæ naturæ repugnantem: augere Ecclesiam mortibus, cladibus, detrimentis: non in doctis humanæ Sapientiæ persuasibilibusque verbis, sed per stultitiam prædicationis salvos facere credentes: in adeò paucis, in adeò vilibus externâ specie Sacramentis merita sua deponere, eorum usum, & administrationem plus quam vulgarem facere: Ecclesiam obscuritate fidei, dilatione spei, invisibilitate gratiæ, incertitudine salutis sustentare, tyrannide principium vexare, hæresibus purgare, cladibus probare, funeribus augere, & sic usque ad consummationē sæculi perseverare. Denique tantorum laborum, sudorum, dolorū, tanti Sanguinis, paucorum tantum hominum (eorum qui sine passionis fructu pereunt, comparatione) salutem, mercedem, & præmium recipere.

123. Quis non obstupescat, voluntatem Dei hæc imperantem, Christum hæc exequentem intuens? O sanè magnum aliquid hæc Voluntas est, quæ tantum potest, quæ tanti apud Christum est, cui se tantum Homo-Deus submittit: Submittit autem ad exemplum meum vel maximè, ut ex ipso discam, Voluntatem Dei nosse, amare, æstimare, exequi, inhærere illi, vivere illi, illi eviscerari, illi pati, illi perire, illi immori. O JESU Magister mi, fac me prout melius nosti, mancipium, jumentum Sanctissimæ hujus Dei voluntatis. Tibi verò ô Adoranda Dei voluntas gratulor talem servū, qualis erat Christus, sed insimul rogo, ut quæ tantum in Christum potuisti, & fecisti, possis & in me, facias & in me. Siquidem non minus ego, & sum, & esse teneor, & esse pro meâ pusillitate cupio subditus subjectus, mancipatus, divinissimæ, suavissimæque tuæ potestati, ac dominationi, quàm fuit Christus. Quidni igitur me captivas Voluntas sancta? nunquid aliud vis à me, quàm ut servus tuus fieri velim? En volo: facito. O quàm felix ero tibi serviens!

Considera IV. *Quid sit, & qualis Voluntas Dei quoad nos?*

124. I. Dei voluntas est nobis principium essendi. Essentiam enim & naturam, quā habet quæq; creatura, habet ex Dei volūtate Quod vel ex eo patet: Quia ideò creaturæ non sunt, nec existunt in rerum naturâ, quia à Deo conditæ non sunt, non sunt autem conditæ, quia condi illas voluntas non fuit. Voluntas ergo Dei est omnium nostrum, hoc est omnium Creaturarum Mater, quæ nos in Ideis Sapientiæ, artiumque divinarum regulis, ac in Omnipotentiâ Divinâ tanquam semine latentes, in utero suo prima concepit, eduxit, existere, aliquidque esse ex nihilo, fecit. Voluntas quoque divina, est veluti alveus quidam, & meatus multiplex, Oceanum illum Essentiæ Divinæ multipliciter pro cujusque nostrū naturæ &, essentiæ existentiâ derivans.

125. Hinc Colligam Voluntatem hanc Dei

Dei esse mihi Matris loco habendam, pietateque Matri debitâ honorandam. Colligam etiã curandum mihi esse, ne unquã hunc essentiæ, influentiæ donorum divinorum meatum & alveum in me obstruam, aut incidam, sed curabo potius quantum ex me, quàm maximum huic meatui receptum apud me facere, ut quàm copiosissime per illum ad me bona Dei deriventur; quin etiam studebo ipse huic meatui vias facilitare ad animam meam, novis ut quotidie cursibus & influxib9 gratiarum cœlestium me locupletet.

126 II. Dei voluntas est Regina nostra, & Domina. Gubernat enim nos quos creavit, providet iis, quos produxit, conservat eos, quos fecit. Obit ergo partes nutricum, parentum, magistratuum, magistrorum, pædagogorum. Hinc tota series providentiæ ejus circa nos naturalis & supernaturalis, adeò lactea delicata, mirabilis, efficax, solicita, ut sic curet, unum quemlibet, solum acsi curet, de aliis nihil cogitet: passer sine nutu ejus non cadit in terram; capillos numeravit nostros, vestigia nostra considerat: fænum agri tàm eleganter vestit. uno verbo tantũ curæ uni muscæ impendit, & industriæ suæ dat, quantùm totus mundus, cum totâ suâ sapientiâ dare illi non posset. Unus homo, si Divinæ circa se Voluntatis providentiam consideraret, vita illi sua non sufficeret: sed oculi nobis non sũt ad ista, qui ad vana alia oculatissimi sumus. Hoc unum punctum satis esse mihi deberet ad amandam Dei voluntatem, omniq; curâ semper exequendam.

127. III. Dei voluntas centrũ est, ad quod omnia, & à quo omnia percurrunt. Velit nolit homo Voluntati Dei subest, & eam facit: est enim illa adeò potens & efficax, ut vel in hoc ipso quòd eam homo nõ faciat, faciat illam; siquidem non est sine Dei voluntate, quòd quis non faciat Dei voluntatem: non enim homo posset illam non facere, si illa nollet se non fieri. Vult ergo non fieri, quod vult fieri? ita omnino. quod enim vult fieri per beneplacitum, vult idem non fieri per permissionẽ: hoc est, vult fieri; sed permittit nõ fieri; permittit autẽ, quia vult permittere, suaq; libertatẽ creaturæ cõservare. Generosa nimirũ est Dei volũtas: serviri sibi, & servari se vult à Volentibus, neminem cogit. Si vis, servi mihi; ego volo ut servias, tibi liberum esse volo ut servias, liber es, fac quod placet. Servis mihi? facis quod volo. non vis servire? permitto: sed tamen & sic facis quod volo; facis nimirum id, quod ego permittere volo. at illo discrimine, quod serviens mihi, voluntatis, quam facis, habeas præmium; non serviens mihi, Voluntatis quã permittentem facis, habeas pœnam. Sic ergo homo peccans currit à Deo placato, ad Deum iratum: dum non vult facere voluntatem coronaturam, facit punituram. Et sic ad Dei voluntatem omnia redeunt, omnia currunt, ut ad centrum, sive rectâ lineâ, sive obliquâ tendant, ad centrum tendunt. Hinc colligam consultiùs esse voluntatem Dei facere coronaturam, quàm punituram.

128. IV. Dei voluntas est nobis regula operandi, & lex vivendi. Voluit nos sibi attendere, se nosse, secundum se in omnibus corpusve animâve attinentibus regi. Unde omnium omninò nostrarum operationum præscripsit nobis formam: præscripsit autem, vel per seipsam immediatè, vel per naturam impressam (qualis est in bestiis præscriptio) vel per rationis lumen vel per potestates, vel per consuetudinem. Præscripsit quomodo cum Deo, cum superiore, cum pare, inferiore viveremus; quid, quo ordine deberemus Deo, nobis, aliis, & ne multa loquar nõ est actio, non est officii hominis ulla pars, cui legem non dederit Deus, juxta quam fiat. Facit nobiscum, ut pædagogus, rudem adhuc formans puerum, cui omnium agendorum, non agendorum, normam dat. qui se cum parentibus & majoribus, qui cum paribus, inferioribus, qui domi, qui foris gerat. pedem sine se domo efferre, à præceptis discedere non finit; si discedat, corrigit; format aspectum, labia, manuum, digitorum etiam motus, ita agit nobiscum Dei voluntas, si non discoli sumus, ac protervi. Statuam hujus magistri præcepta nosse, ijsque regi, curabo discolus non esse puer: si quid in me tale deprehendam, reprehendam, & puniam, & corrigam.

129. V. Dei voluntas aliter nobiscum, aliter cũ Irrationalibus agit. Cum illis agit, ut cum mancipiis, nobiscum, ut cum ingenuis. alias creaturas juxta suam regulam dirigit, ipsis regulam non attendentibus: unde aguntur, patiuntur, juxta regulam quam agunt; sunt ut instrumenta artificum, mallei, limæ, penicilli, quibus artifex utitur in opere, sed ipsa usum sui esse nasciunt. Oritur Sol, lucet, occidit: quare? non scit. rotatur assiduo cœlum, quorsum? non scit. nidificat avis, quorsum? non scit. aguntur in finem, sed quẽ, ipsæ

ipsæ hæres nesciunt; in illum quem intendit Deus. Alia hominum ratio: Sumus in manu voluntatis Divinæ, ut discipulus apud Magistrum, cujus manum hic tenet, & ductat in opere, sed simul artem docet, & jubet spectare: non solùm agit Magister, sed cum discipulo agit: docetque, ut sciat quid & quomodo agat. Itaque voluntas Dei hominem existere vult, sed simul vult ab eo sciri, cur existat; vult illum vivere, sed vult scire quare, & quomodo vivat; vult agere, sed vult scire quare & quomodo agat: hinc illi regulam ostendit existendi, vivendi, agendi, loquendi, cogitandi, orandi, laborandi, omnia operandi, non operandique, juxta quam omnia perficiat. Quæ hæc regula? modo dixi. Voluntas ipsa. quomodo ostendit illam? Inspirando, in scripturis revelando, per rationem dictando &c. Sicut ergo discipulus non errat, Magistri ductû, & artis præscripta servando, sic homo Dei voluntatem in omnibus attendendo. Age ut te Deus agere vult, omnia Sancta sunt. Et hæc esse unica cura hominum deberet: sed pro dolor! non est. Vivimus & agimus vel casu, vel ex nostro, vel ex hominum arbitrio, non e Dei.

129. Ex his discam, quæ sit hominum felicitas habere hunc Doctorem! quæ felicitas eundem sequi.

2. Discam, quæ debetur gratitudo Divinæ voluntati, quæ me in omnibus etiam vilissimis actibus meis dirigit per seipsam.

3. Discam, Amorem honesti, & ordinis, & regularum. Voluntas Dei tam ordinem amat, ut se totâ occupet in ordine inducendo, perturbatione vero ordinis excludendâ. nullam actionem relinquit sine regulâ.

130. Hinc 4. discam, omnem regulâ quamcunque non metiri ex objecto de quo est, sed ex authore, à quo est. Regula illa, quam despicio, Dei voluntas est, & hoc audeo?

5. Discam, summam esse felicitatem regi voluntate Dei, & ipso Deo: summam miseriam esse, recedere à voluntate Dei, quia est recedere à Deo; summam esse stultitiam, eâ uti nolle, quia hoc est Deo uti nolle. Atq; id tam in parvis, quàm in magnis rebus, quia eadem est in omnibus Dei voluntas, esto non eadê quæ vult; non est autem injuria objecto & rei volitæ, sed ipsi volenti, & voluntati; quod diligenter notandum est parvarum legum contemptoribus, in Religione, in Republicâ, in Conscientiâ.

Considera V. *Quid exigat à nobis Voluntas DEI?*

131. *Primò*. Exigit à nobis voluntas Dei cognitionem, ut scilicet eam perfecte sciamus, quantum ad officium, statum, ætatem, occupationes nostras attinet. Hoc enim sublato, frustra sunt reliqua. Hinc fons perditionis humanæ, Ignoratio voluntatis Divinæ: ad eam tollendam ipse Deus homo factus est, & Magister voluntatis suæ esse voluit, docuitque quid credi Deus, quid fieri vellet à nobis; docuit nô verbo tantùm, sed etiam exemplo. Ex hoc concludam crebro regulas officii mei, status, occupationum mearum relegere, expendereq; me debere, aliosq; ad id inducere.

132. *Secundò*. Exigit voluntas Dei à nobis Amorem & Æstimationê sui super omnia, quæcunque, cujus exêplar habemus in Deo & Christo. Causæ amoris hujus patent ex prædictis satis. 1. Dignitas hujus voluntatis. 2. Exempla Dei, JESU Christi, Sanctorum, beatorum in cœlo, rerum inanimatarum. 3. Utilitates sive effectus hujus voluntatis, quos in Deo, in Christo, quos nobis & in nobis facit: ut quod illa principiû essendi nobis est Mater, Regina, Regula, centrum, omnium perfectionum compendiû. 4. Necessitas: volentes enim nolentes illi obsequimur, ut supra dixi. Cons. 4. n. 3,

133. *Tertiò*. Exigit à nobis voluntas Dei exercitium & usum sui. Ad hoc enim est: ad hoc se prodit: non enim gratis vult, sed ideò, ut sit quod vult. Ad hoc se manifestat & plane obtrudit infinitis viis & modis, ut exerceatur. Ad hoc minatur ingentes miserias neglectoribus sui, ut scilicet non negligatur. Nihil punit Deus, nisi suæ voluntatis contemptum & quantum punit? tolle hunc, infernus non erit. Ad hoc præmia promittit, sibi obsequentibus, ut sibi serviatur. Nihil coronat, nisi sui executionê; quibus præmiis? tantis, quantis ipsa vult, tantis autem vult quantis potest: ipsius enim velle est posse. Et quis Tibi non serviet voluntas sancta! Voluntas magna! O me millies contingat mori priùs, quam Tibi in puncto & apice non conformari!

Reliquas Considerationes, nihil attinet me repetere, ne actum agam, dictumque dicam. vide supra Cap: 13. Cap: 8. & sup: Cap: 13. Cap: 14.

GASPARIS DRVZBICKI

SOCIETATIS JESV.

TRACTATVS
De Gratia Delectante & Vincente.

JNDEX CAPITUM *huius Tractatus.*

CAPUT I.

Ad omne Operationis genus, requiri aliquam & intercurrere delectationem.

1. QVod in naturâ fieri videmus, ut in omni penè operatione naturali (præsertim vitali) admista sit quædã Declaratio, qua singula Agentia, & ad Agendum provocantur, & inter agendum roborantur, & ad finem actionibus debitum imponendũ, stimulantur: hoc ipsum in supernaturali ordine fieri partim ratione docemur, partim experientia convincimur, partim authoritate doctrinaque Sapientium cognoscimus. Et facit hoc (sicut omnia) sapientissimè DEus parens autorque tàm naturalis quàm supernaturalis ordinis quamvis enim ille Omnipotentissimâ suâ Virtute & Efficacitate posset Creaturam omnem in omnes actionum labores & conatus necessitando impellere: id tamen minimè facit, sed arbitratur ad Sapien-

tiæ suæ eminentiam pertinere, si Creaturas suas, ad Actionum sibi proportionatarum studia atque exercitia, ducat potiùs quàm trahat, alliciat magis, quàm cogat, comitetur sponte propendentes potius, quam impellat ignaras, nihilque minus quam operationem appetentes. Ea propterea indidit creaturis suis & cognoscendi lumen & appetendi vim: ut cognoscendo irritetur in eis appetitus, appetendo autem ut tendant, tendendo ut agant, agendo ut Volũtati Creatoris sui subserviant, subserviendo, finem suum, cujus capaces & ad quem ab Autore suo ordinatæ sunt, consequantur.

Et quia videbat appeti nihil posse nisi bonum: Bonum verò esse, aliud honestum, jucundum aliud: utile aliud: ideò providentissimè appetitui objecit res omnes, aliquâ saltem bonitate non vacuas, sed conditas; adjunxit autem appetitui cognitionem, ut per eam ad bonitatis scientiam, persecutionem consecutionemque duceretur: Inde videmus nihil incognitum à quoquam appeti, nihil desiderari ignoratum, neminem in bono quantumvis præsenti dummodò ignotum sit delectari. Siquidem ignoti nulla cupido, nullus appetitus, nullus fructus. sed in omnibus necessariò præcedit cognitio, sequitur appetitio, tum actio, tandem finis, seu boni consecutio.

2. Sed tamen Prudens Molitor omniũ non arbitrabatur satis prospectum à se agentibus creatis, Cognitionem illis Appetitionemque inferendo, verùm super hæc existimavit necessarium, delectationem etiam Voluptatemque inspergere quâ non minus suaviter Agentia ad operationes suas provocarentur, in iisque vel perseveranter continuandis, vel opportunè repetendis continerentur. Inde videas animalia ad quærendum sumendumque cibum non tantùm necessitate adigi virium reficiendarum, sed etiam suavitate allici recreandi, demulcendi palatum. Videas oculos non tantùm necessitate ad aspiciendum lumen coloremque compelli, sed etiam delectamento pulchræ lucis, elegantisque coloris, nec non latentis Symmetriæ provocari. Videas aures non ad voces tantum, sonosque converti, sed & harmoniæ consonantiæque intendere, eâque oblectari. Par de reliquis judicium.

3. Atque ex hoc fine dubio fonte, censent Sapientes, triplici potissimum impulsu duci nos ad expediendas nostras actiones; Illuminatione nimirum intellectûs; Excitatione motuque voluntatis; & Oblectatione cupiditatis idem veritate, necessitate, bonitate, suavitate; Quas tres machinas, qui optimè commodissimèque ad excitandũ in alicujus animo actionis desiderium adhibuerit is, etiam sufficientissime officio suo functus esse censetur: quippe qui nihil omiserit eorum quibus animus ad agendum operandumque induci natus est.

CAPUT II.

Esse in supernaturali vitâ Gratiam quæ delectat.

4. Quoniam autem Deus hominem in duplici ordine constitutum esse voluit duplicemque illi Vitam, Naturalem nempe supernaturalemq; indidit, nec non illi necessitatem utriusq; vitæ operationibus defungẽdi imposuit, idcirco in utriusque hujus Vitæ actionibus, auxilia necessaria motivaque convenientia providit & assignavit. Et Naturalis quidem Vitæ functionibus, plurima eum instituisse adminicula in confesso esse: Ad supernaturalem verò vitam exercendam unum duntaxat, principale universaleque instituit adjumentum, quod vulgato usitatoque nomine Gratiam nuncupamus. Ejus gratiæ pretium, dignitatem, necessitatem nemo unquam pro dignitate satis aut explicavit aut explicabit, sed neque vim efficaciamque ipsius quisquam Mortalium digne assecutus est. Notissimos tamen habet tres quos in hominum mentibus producit effectus, videlicet Illuminationẽ Intellectus, Excitationem, Inflammationemque sive permotionem Voluntatis. & denique delectationem roborantem, vel roborationem delectantẽ Mentis. Una eademque Gratia est quæ hos triplices habet effectus & parturit fructus, esto diversas sortiatur appellationes. Nam quia illuminat, lux & lumen vocatur: quia inflammat, calor, fervor, ignis, dicitur: quia delectat atque roborat, Unctio, suavitas, auxilium dici solet.

5. Secundum omnes istos effectus Gratiam Divinam scrutari & commendare propositum præsens non sinit, siquidem Gratiam in quantum Delectans est considerare deliberatum mihi est. Gratia Auxilium

xilium est, & quia gratis datur, gratia dicitur, cum quod Auxilium sit, tripliciter auxiliatur iis quibus datur; illuminando, permovendo, delectando, ex his omnibus modis victores fortesque eos quibus datur & à quibus dignè usurpatur: Sed ego uti prædixi illuminantem, & permoventem Gratiam nunc non prosequar solam delectantem indagabo, quid sit, in quo consistat, quæ necessitas ejus aliaque ejus generis, scitu non digna solum, sed etiam apprimè necessaria.

Adjuva nos Domine DEUS noster Gratiâ tuâ Sanctâ; illumina nos, inflamma nos, oblecta nos, ut Gratiæ tuæ gratias referamus omnes, & semper dignas, in sæculum. qui quidquid sumus ex Gratiâ tuâ sumus, ex nobis autem pauperes nimis sumus: proinde nobis quidem sola debetur confusio faciei, tibi autem Gloria in sæcula.

CAPUT III.

Quid sit Gratia Delectans: & qui ejus effectus.

6.
Inf. c. 5.

DIxit nonnemo antiquorum sapientum. *Trahit sua quemq; Voluptas.* non enim animus noster sola (ut ait Aug:) trahitur Veritate: sed trahitur etiam Voluptate, non ad malum tantùm, non etiam ad bonum tantùm: sed tàm ad malum quàm ad bonum: est enim & in bono & in malo Voluptas sua, animo vix quidquam magis quàm Voluptatem appetenti. & utrobique animus ita delectatur ut etiam vincatur: nisi quod quia in bono vincitur, vera sit germanaque victoria, quia in malo, strages sit potius cladesque nuncupanda. ideoque etiam delectatio in bono, Gratiæ est, in malo autem miseriæ & calamitatis. Quamobrem hic delectationem ita Gratiæ attribuo Vincentem, ut de eâ solâ loquar, quæ de bono & ad bonum solum este; nã delectatio quæ ad malum este Morbus cũ sit, delectationis veræ nomen habere nõ potest: quem enim morbus unquam delectat, nisi insanum & infelicem? Est itaque Gratia Delectans & Vincens: aliud nihil quam suavitas divinitus menti infusa, quâ mens hominis (sive Voluntas) in bonum supernaturale pertrahitur in eoque continetur.

Non sum ignarus Gratiam & Intellectui affundere doctrinæ lumen, & voluntati impetum appetendi imprimere: sed his in præsenti à nostrâ consideratione (ut supra dixi) exclusis, solam in eâ suavitatem expendo, non quod hæc sola in eâ sit, sed quod solam investigare propositum sit. Cujus propositi rationem in fine tractatûs hujus afferam, cum primùm scilicet Consideratione hac animũ meum satis pascam.

Est ergo Gratia, suave auxilium Dei, quo Deus dum illuminat mentem, dum incitat Voluntatem, suavissimè etiã lactat eandem, amoreque boni in bono eam continet. Sine hac suavitate Divinâ, nemo è lutulentis sceleratæ vitæ oblectationibus palatum extraxit. sine hac suavitate nemo amaros pœnitentiæ fructus vel primis labris degustavit. sine hac suavitate nemo, propriæ sensualitati, nemo privato amori, nemo sibi ipsi bellum indixit: Sine hac suavitate nemo arctum cæli iter &c. ingressus, nemo Christi JESU crucem complexus. nemo cœlis facere violentiam ausus est. Hac suavitate voluptateque de cœlestibus illis Voluptatum torrentibus tantisper degustatâ homines Dei operati sunt Justitiam, execrati malitiâ, deposuerunt dolum, induerunt simplicitatem, omnibus thesauris Ægypti Christum pauperem, contemptum, crucifixum præposuerunt, facti sunt sibi hostes, JESU Socii, concives Angelorum, Dæmonibus terribiles, obliti naturæ, obliti consuetudinis malæ, obliti fragilitatis, spe firmati, charitate fortes, fide & tentatione probati, abnegarunt semetipsos levaverunt se super se, ascenderunt usque ad scientiam supereminentem Sanctorum. Ea propter. Suavitas ista, Delectatio ista, simul est robur, simul est auxilium, simul est Victoria. sic enim delectat (imò ideò delectat) ut simul roboret, adjuvet, vincat. Hac credo suavitate delinitus delibutusque David canebat; *Dulcis & rectus Dominus.* hanc quoque ab aliis degustari optans hortabatur omnes dicens. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Hac suavitate jugum suum inunctum esse Christus Dominus intelligens invitat omnes, ad sese dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

5.

CAPUT IV.

Delectationem Gratiæ intus non foris esse attendendam.

8. S. Gregorius hoc interesse asserit inter bona temporalia & spiritualia, quod temporalia, dum absunt appetuntur, dũ adsunt fastidiuntur. Spiritualia è contra, dum absunt fastidiuntur, dum adsunt tantò etiã magis appetuntur. Tradidi alibi hujus discriminis causam, hoc loco totam in voluptatem conjicio. Utraque bona, voluptatem habent, sed priora (Tẽporalia) habent insuperficie, non in interiori substantiâ: Spiritualia certam habent delectationem, non in superficie externâ, sed in substantiâ internâ. Inde fit quod illa quidem quam diu non gustantur placent, gustata displicent: quippè delectatione foris repræsentatâ intus carent, hæc verò eminus conspectâ horrorem incutiunt, cominùs degustata satiare delectatione sui non sciunt; semper enim vera bona, plus habent in recessu quam in conspectu, vana verò totum habent in conspectu, nihil in recessu, atque ideò etiam vana sunt. non alia enim est, natura essentiaque vanitatis: quam apparere. & hac apparentia incautos decipere.

9. Quamobrem in usu tractationeque bonorum utrorumque tradunt sapientes, optimum consilium esse amborum substantiam non eminus à longè contemplari, sed è propinquo atque penitùs conspicere, & quantum fas est experiendo illorum naturam pernoscere: sic enim fiet, ut animus, qui Veritate ducitur vel inuitus, verùm experiendo assecutus, sano judicio se tandem gubernans, sciat reprobare malum, & eligere bonum, sciat falsam à verâ, vanam à solidâ segregare, suavitatem. Cujus rei ignaros homines alicubi taxans, scientibus autem loquens S. Bernardus, pulchrè ad propositũ Cruces illas quibus Ecclesia parietes signari, & ab Episcopis, inter &c. consecrandum inungi oleo solent. Christianæ spiritualique ac Religiosæ vitæ accommodat austeritati, ut enim in Ecclesiis prædictæ Cruces apparent, unctio verò latet, ita in Christiana disciplinâ supernaturalique vitâ, horror quidem & labor mortificationis foris sese ostentat, suavitas autem & voluptas, tum cœlo affusæ Gratiæ tũ serenatæ per honestatem rectè factorum Conscientiæ, intus in animo clausa delitescit. Quod dum rudes & terreni animalesque homines non attendunt, nihil esse miseriùs ac molestiùs sanctâ supernaturalique vitâ existimant. agrestisque omninò & inhumani hominis esse putant, eum vitæ rigorem, vel probare, vel inire, vel tenere. In quo quidem isti non ideò falluntur quod barbarum putant, sine Voluptate vitam vivere posse & conari, sed in hoc errant quam maximè, quod eos qui Spiritualem vitam vivunt, Voluptate destitutam vitam degere sibi persuadeant. In hoc isti plùs quam vehementer errant. Nam dum hoc opinantur & Deum barbarum faciunt crudumque, qui servis suis nihil indulgere sciat Voluptatis; & præterea eundem faciunt miserum, qui cum Corporeus non sit, cõsequenter nihil Corporearum Voluptatum etiam ipse experiatur, nullas autem isti præterquam istas fœtulentas suavitates esse opinantur, ex quo Deum omni suavitate destitutum esse oportet, & insuper omne suavitatis genus ad solam adstringunt materiã, soloque sensu metiuntur voluptatem, quasi non habeat etiam sua bona, suaque commoda & oblectamenta Spiritus, & tanto quidem Corporalibus præstantiora, quanto ipsemet istis materialibus est sublimior & excellentior. Et denique malè de naturâ fragili opinantur, quia illam sine omni delectamento, hac in vitâ conservari posse existimant; quod usque adeò falsum est, ut falsiùs nihil sit Hoc enim ipsum est in vitâ Spirituali maximum delectabile, quod nullâ carnali inquietetur vel inquinetur delectatione, siquidem hæc tantùm abest ut delectatio sit, ut potiùs sit veræ delectationis hostis. Proinde rectè dixit S. Cyprianus. lib. de bono pudicit: *Voluptatem vicisse, voluptas est maxima*) planè ut mellitum toxicum evomuisse, dulcedo est summa.

10. Falluntur q; isti vehementer & utinam fallantur tantum, & nõ etiam in perniciem extremam suâ deceptione devolvantũr. sed nunc hæc nihil attinent ad nos. Certum nobis indubitatumque esse debet, esse & in Spirituali vitâ suam suavitatem, sine quâ hæc vita non vivitur, à quibuscunque vivitur; de quâ tantò plus hauritur, quantò ampliùs à sensuali omni delectatione receditur. Hæc suavitas Gratia est, quâ omne bonum suum DEUS respergit, ut ab hominibus eligatur, electum exerceatur & teneatur. Sine hac suavitate, Vitæ nostræ Spiritualis, ita sunt frugiferi conatus omnes,

mnes, ut est frugifer ager rore nullo, imbre nullo mollitus. ita sunt suaves labores, ut suaves sunt cibi sine condimentis, aut pugnæ sine præmiis, aut soni sine consonantiis.

CAPUT V.

Sensus Augustini de hac gratiâ proponuntur.

11. LIbenter Augustinum de hac quam expendo Gratiâ allegabo, non ideò solùm quia Sanctus ille, adeò dignè de Gratiâ Divinâ sensit & scripsit, ut quidquid scripserit, id totum ab Ecclesia Catholicâ tanquam certum & Divinæ veritati, consonum, receptum comprobatumque sit; sed ideò etiam quia solus ille est, qui de Gratiâ delectante atque vincente luculenter & peracutè tractavit, viamque aliis ad eam sub hoc nomine expendendam stravit. Hic igitur S. Doctor cum multis in libris Divinam gratiam magnificè extulisset, omnemq; Creatam naturam, vel potiùs Creatæ naturæ superbiâ & ingratitudinem fregisset. veraque & germana ac solidissima Humilitatis Christianæ, seu veriùs omnis Creaturæ fundamenta jecisset fontesque aperuisset, tùm etiam Delectantis Gratiæ frequenter omninò commeminit, talibusque Orationibus ejus naturam proprietatesque exposuit, ut ad ejus explicationes addi à nobis nihil possit.

12. Lib: 1. de Gratia Christi c. 13. vocat hanc Gratiam *suavitatem ineffabilem* Eodem lib: 1. C: 35. vocat illam Adjutorium ad benè agendum, quod Deus naturæ atque doctrinæ adjungit, flagrantissimam & luminosissimam charitatem inspirando. At verò lib: de meritis & Remissione. 2. Cap: 17. vocat illam. Ejusmodi suavitatem quam donat Deus ut animæ nostræ terra, suos virtutis fructus ferat, alias arida & sterilis futura, velut ager quem neque ros neque ulla pluvia molliverit. Eodem lib: C. 19. discite illam, dicit delectationem Victricem, quæ, adversantes cupiditatum illecebras, terrores ab improbis intentatos, inolitæ cõsuetudinis vim, & quidquid vitiis suffragatur, evincit & expellit. Libro de Correp: & Gratiâ C. 8. vocat illam delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem. Quam cum ineffabili suavitate, (ait id. lib: 1. de Grat. Christi c. 13.) infundit non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus: ita ut non tantum ostendat modo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Tractatu 26. in Joan: explicans illa verba Joan: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* post aliqua præmissa ait. *Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si Poetæ dicere licuit. Trahit sua quemq; voluptas. non necessitas sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus. Trahi hominem ad Christum qui delectatur veritate. delectatur beatitudine, delectatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est An vero habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis.* post pauca: *Ramum ait viridem ostendis ovi, & trahis illam, Nuces puero ostenduntur & trahitur, & quia quo currit, trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si igitur ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas, revelantur amantibus, trahunt(quoniam verùm est, Trahit sua quemq; voluptas) non trahitur revelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima quàm Veritatem.*

Hæc & plura alia alibi Augustinus de Gratiâ delectante & vincente cujus ex verbis & quid sit, & quanti æstimanda sit, & quam necessaria sit, & unde petenda, & quorsum dirigenda, quomodoque fovenda ac retinenda sit, consideranti facilè patet. nullus enim est alius fons nullus scopus, nullum objectum ejus, nisi solus DEUS à quo illa manat, in quem tendit, quem sic & ideò agnoscit atque amat, ut amet tanquam bonorum omniũ bonum summum, summè delectans, summa & æternâ bonitate beatitudineq; replens. (Quis enim sic delectat quam ille qui fecit omnia, quæ delectant.) Aug. in Psal: 32.

CAPUT VI.

Quos in usus Gratiæ Delectatio adjuncta sit.

13. EX suprà dictis quidem non parùm elucescit. Summo Consilio, summâ providentiâ DEI actum actum esse quod Gratiæ Divinæ Auxilia. Delectationem istam (ut dixecat Aug:) victricem adjunctam habeant; attamen ex instituto fusiùs expressiùsque id explicandum existimo, ut pateat, tum quanti facienda sit etiam & ex hoc Capite Divina Gratia, tum quos & quomodo in usus à nobis flecten-

flectenda sit atque usurpanda, si quando illam nobis à Christo suggeri contigerit. Et quidem ego potissimum duas ob causas existimo à Deo mortalibus hanc delectantem Gratiam subministrari. Una est Ejectio voluptatis & delectationis terrenæ atque sensualis. Altera verò expugnatio Tristitiæ & mæroris Spiritûs. Utramque hanc pestem quomodo ex animo Gratia delectans explodat, in hoc, sequentique Cap: quam brevissimè potero, volo indagare. Quantum ad primum attinet, certum indubitatumque nobis esse debet. Hominem duci voluptate in agendo, ita ut si absit voluptas non agat, vel si agere cogatur in aliquâ extraneâ cum ægritudine & molestiâ rebellioneque agat, hoc experientia satis docet, nec indiget probatione.

14. Jam illud quoque consimiliter certū esse oportet Delectationem esse ex bono, malo enim nemo delectari potest quà tale est; sed & bono nemo delectatur ignoto, nemo absente, verū opus est, bonum, & præsens esse, & cognitum sub ratione boni esse, ad hoc ut delectationē pariat: Quam ob causam Delectatio nasci dicitur ex præsentiâ proportionati, seu connaturalis boni: idq;, non quomodocunque sed pro tali, id est, sub ratione sui boni cogniti. Nam & ignoti nulla cupido, & absentis nulla delectatio, è contra verò Cogniti boni amor est: absentis desiderium seu cupido, præsentis delectatio, sive fruitio, sive lætitia, & gaudium, & quoniam delectatio gaudiumq; jucunda sunt animo his affecto, ideò quidquid delectat, jucundum etiam est, nec fatigat aut molestat aut inquietat animum: sed potiùs quietum & contentum, pacatum, tranquillumque facit. Ea propterea delectatio quies animi dicitur, in re enim delectabili, sic conquiescit animus, ut in suo loco conquiescit corpus, vel ut in luce conquiescit sanus oculus.

15. Ulterius autem progrediendo: Delectatio propriè dicta non potest esse, nisi in rebus Cognitione appetituque boni præditis: quæ enim bonum non apprehendunt cognitione, quomodo possunt delectari ejus fruitione ac possessione? Porro, cum duplex sit genus cognoscentium bona sibi connaturalia, seu (aliter) convenientia, unum Sensu, alterum prætereà Ratione præditum, cumque consequenter duplex sit bonorum genus, alterum quod sensui, alterum quod Rationi bonum videtur; relinquitur, vicissim duplicem quoque delectationem reperiri: alteram quidem quam sensus ex suis, alteram quam Ratio ex suis quoque bonis percipere potest. Iterum autē cum Ratio duplici in ordine posita duplicemque in finem & vitā ordinata sit, quarum altera naturalis est, altera naturæ limites supergreditur, oportet rationem duplicia bona habere & ex duplicibus bonis duplicem quoque delectationem percipere posse, unam quidem quæ naturalis sit, alteram quæ supernaturalis. Atque adhuc, cum hæ omnes vitæ rationes vivendique ordines in hominibus (scilicet Sensualis, Rationalis Naturalis rationalis supernaturalis) sint Divina dispositione sibi mutuò subordinati, ita ut sensualem Rationali naturali, naturalem rationalem, supernaturali subjici subservireque oporteat: exinde necessariò consequenti etiam bona harum vivēdi rationum &c. & delectationes ex his bonis in vitæ quodvis genus redundantes, mutuò & debitè sibi subordinari debere; ita quidem ut digniori vilior præstantiori humilior submittatur. Et cum satis constat sensualem vitam omnium esse vilissimam, huic autem præeminere Naturalem Rationalem; isti insuper præstare supernaturalem, etiam necessariò constare debet, omnino delectationes, ex bonis sensualibus natas, servire debere Delectationibus Rationis naturalis, & vicissim delectationes hujus, servire oportere Delectationibus Rationis vitæque supernaturalis. Quare non plùs nec aliter sensus debet, quærere & admittere delectationes suas nisi quantum & quatenus eæ stare simul possunt cum delectationibus Rationis naturalis. Ratio quoq; naturalis eatenus solū debet quærere & usurpare delectationes sibi cōformes, quatenus eæ supernaturalis vitæ commodis & delectationibus subservire possunt.

16. Hæc delectationum subordinatio, facillima nobis esset, si ipsarummet illarum vivendi rationum, hoc est Humanarum portionum, subordinatio in nobis integra & firma consisteret. Sed quia ita primævo lapsu Naturam nostram infregimus, ut sensui contra rationem rebellandi, frenosque excutiendi occasionem & licentiam & consuetudinem fecerimus, rationemque naturalem ac multò magis & supernaturalem, in nobis debilitaverimus ac sepeliverimus, ideò his in tumultibus factum est, & quotidie fieri experimur, ut quemadmodum

sensus

ſenſus rationi repugnat. Ratio naturalis ſemper naturam ſuumque bonum, vix unquam ſupernaturale attendit, ita quoque delectamenta ſenſuum pugnant cum delectamentis rationis naturalis, & hæc quoque à delectamentis avocant animũ ſupernaturalibus. Inde eſt, ut totus hominis labor, tota induſtria, toti conatus, in hoc unum præcipuumque deſudare debeant, ut aliquâ commodâ viâ & methodo, pugnam hanc trium iſtorum vitæ noſtræ ordinum, tripliciumque harum noſtrarũ portionum componere ad debitâque & à Deo præſcriptam ſubordinationem revocare poſſimus.

17. Et hæc eſt illa in Legibus Chriſtianis, Sacriſque Spiritus S. & Patrum noſtrorum libris decantatiſſima inter carnem & Animam, inter ſenſum & Spiritum, inter Naturam & Gratiam, inter Concupiſcentiam & Charitatem, inter proprium & Divinum Amorem, lucta atque conflictatio. Hæc eſt illa Chriſti voce ad omnes homines evulgata, ſui Abnegatio. *Qui vult inquit venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me.* Item *qui non odit Patrem, Matrem, fratres, ſorores, uxorem, inſuper & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hæc ipſa quoque eſt per Tubam Apoſtolicam promulgata Mortificatio. *Mortificate* ait *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis, ſi autem ſecundum carnem vixeritis moriemini. Caro concupiſcit adverſus Spiritum & ſpiritus adverſus carnem* In hac pugnâ in hac luctâ, nulla pax, nullæ induciæ eſſe poſſunt aliter, niſi ſi forte inferior cogatur, diſcat, inſueſcat, gaudeat ſubordinari ſuperiori. Et in hoc eſt Chriſtianæ tota poſita athleticæ diſciplinâ, in hoc tota Chriſtianæ legis in hac vitâ, perfectio: in hoc hujus vitæ ſita felicitas, ita nimirùm expugnare & domare inferiores ſui partes, ut non tantùm ſuperioribus ſubſint; ſed etiam libenter, etiã ſuaviter ſubſint. Ad quam libentiam, ad quam ſuavitatem (quoniam ſine labore, dolore, vi, reſiſtentiâ in aſſuetâ ſuis privatis juribus commodiſq; natura haberi non poteſt) obtinendam, Deus providentiſſimus, ſuæ Gratiæ Auxilianti, ſine qua nos nihil in hiſce pugnis & bellis dignum cœlo, Virtute, Deo perficere poſſumus, adjunxit delectationem: facitq; per unius & ejuſdem Auxiliantis Gratiæ ſubſidiũ, ut & cognoſcamus recta à nõ rectis, tanquã per lumen, & tendamus in eadem voluntate noſtrâ tanquam per quendam impulſum, & cum ſuavitate delectamentoque adverſitates omnes reſiſtentiaſque & tentationes conſurgentes, ſeſeque opponentes ſuperemus, in bono autem & recto conquieſcamus, & illi fortiter adhæreamus, tanquam per delectabilem quietem ac perſeverantiam.

Luc: 9. 23. *Luc: 14. 26.* *Colos: 3. 5.* *Rom: 8. 13.* *Gal: 5. 17.*

16. Hæc igitur eſt una Cauſa Gratiæ delectantis, Expulſio ſcilicet ſeu quod idẽ eſt, ſubordinatio Carnalis ſenſualiſq; Voluptatis & Cupiditatis, in ejus, autem locum ſubinductio & præpoſitio Caſtæ ſuavitatis & ſanctæ Charitatis. Nam ut Auguſtinus in Pſalm: 9. ait. *Delectatio pernicioſa, ſequitur Cupiditatem: fructuoſa Charitatem.*

CAPUT VII.

Gratia Delectans datur, ut Spiritus Triſtitiam extinguat.

18. AD alteram Gratiæ Delectantis cauſam accedo. alterumque ejus veluti officium, quo in animis noſtris fungitur examino. Eſt autem hoc, Triſtem Spiritum ab hominis animo amoliri. Sancti Auguſtini indubitata doctrina eſt: duabus potiſſimùm viis, ſeu portis, diabolum ad corda hominum ingredi ſolere, ſcilicet Amore & Timore, nã omne peccatum, omniſque diaboli laqueus, in his duobus affectibus latet: ſemper enim, aut nobis dæmon proponit tanquam amanda cõcupiſcendaque ea quæ non ſunt amanda; aut tanquam timenda, ea quæ nõ ſunt timenda: quorum alterutrum ubi à corde noſtro obtinuerit, gregem illico turbarum & peccatorum illuc introducit. Quocirca rectè S. Auguſtinus verba illa Apoſtoli. *Nolite locum dare diabolo:* ita interpretatur, ut dicat tunc nos locum dare diabolo quando aliquid vel amamus vel timemus: nihil timeamus, nihil amemus, & omnem locum diadolo portamque præcluſimus. Sed de Amore & Cupiditate proximo Capite actum ſatis: Timorem nunc expendimus.

Ephes: 4. 17.

Hic enim eſt fons Triſtitiæ, pater & origo mæroris. Nam dum eveniſſe nobis id mali arbitramur quod metuebamus tum triſtamur, dolemus, iraſcimur, torquemur. Quâ affectione vix quidquã eſt in Animo noſtro peſtilentiùs: vix, ac ne vix quidem, eſt aliquid omni virtutum generi in nobis calamitoſius & nocentius: adeò ut prorſus neſciã, an quidquam in vitâ legeque Chriſtianâ & Spirituali æquè ſit hominibus fugiendum, ac

Tristitiæ spiritus. Unde & Climacus: " *Quicunq; lapsi sumus, ante omnia spiritui mœro-* " *ris resistamus. Hic est venenum cordis, præcipita-* " *tio & barathrum animi: tabes hominis viventis* " *hostis fervoris sancti exitium, noverca Gratiæ, pa-* " *bulum diaboli, lerna peccatorum, acediæ mater,* " *hominis infernus, rabiei infernalis prægustatio, a-* " *damantina diaboli catena, pondus, in abysso mise-* " *riæ & furoris hominem tenens & deprimens.* Rectè S. Chrysostomus l. 3. de Providentia. Nullam diadolicam actionem potentiorẽ esse, ad nocendum, mæroris magnitudine Salomon ait, *Spiritus tristis exsiccat ossa, cap, 81.* Nescio, an exprimere signantiùs malitiã mæroris potuerit. Non ait, debilitat carnem, vel exsiccat carnem, sed exsiccat ossa: scilicet nequitia non perstringit solam cutem, non solùm penetrat carnẽ, non solos nervos venasque pervadit, nõ solos affligit musculos, ad ima ossium ingreditur, depastis & consumptis in homine omnibus, etiam ipsas ossium medullas exedit, sicq; omnẽ spem vigoris recuperãdi adimit. Exhaustis autẽ exsiccatisq; ossibus, quæ spes vitæ vegetationisq; reliqua? Hoc facit Spiritus Tristis. Non tantùm nihil boni est in homine per tristitiam dejecto, sed neque spes boni est, verum sola remanet extrema calamitas, desperatio salutis, & tantum non infernalis infœlicitas.

19. Vide hominem tristitiæ Spiritu agitatum & occupatum: Nulla illi mens, nulla ratio recta, nullum aut habet aut admittit sanctum consilium, non ille amore, non timore regitur; si amabilem objicias vel ipsum Deum, contemnit; si inferni ipsas ostentes pœnas, præceps & ultro se illis devovet: non potens iræ, nõ desperationis, non audaciæ; furit, odit, ringitur, rabie insanit, stupescit; Nulla in re gustum capit & habet, nisi, si fortè socium & incentorem tristitiæ invenerit; nullum illi beneficium magnum, nullus æstimandus amicus, nulla levis & cõtemnenda injuria. Hoc malum tantò intimius occupat, tantò fortiùs tenet, tantò promptiùs citiusque invadit hominẽ, quantò magis quis se illi quandoque permiserit. Videas tales quandoque nullâ causâ habitâ, solâ tantùm causæ suspicione, imò & absq; suspicione ullâ, hoc malo corripi & agitari. Hominibus, huic malo obnoxiis & occupari solitis, nihil promptius ad Contumelias, ad blasphemias, ad impuras cogitationes, ad desperabundas, ad projectè audaces resolutiones; talibus nihili, estrepugnare superiori, contemnere parem, convitari inferiorem, innocentem appetere, parcere nulli, minas & furores vomere, vocationis, obligationis, honestatis omnia repagula rumpere & calcare, Audent etiam tales Deum ubique culpare. & suæ miseriæ vel nequitiæ causam in Deum conjicere; illum sui oblitum, rerum suarum ignarum, ingratum suorum erga se obsequiorum, cupidum sui sanguinis, & peccatorum & calamitatum, cogitare, imò & dicere non verentur. Tanta est vis mæroris ad animum admissi. Ex his verò quis non videt quanta hæc pestis sit animi, honestatis, virtutis, vitæ denique Spiritualis. quanto animi conatu & cautelâ vel excuti, vel averti, arcerique debeat à corde?

20. Tanti mali origo plerumque à natura est, sive à naturali hominis temperamento. Dũ enim quis atrâ bile abundat & humore, ut vocant, Melancholico, is connaturaliter nisi ratione rectâ & Gratiâ Divinâ sese frenaverit, in hanc Mœstitiæ affectionem pronus & effusus esse solet, maximè ubi insuper vel flavâ bili cholericoque humore vel pituitâ (quo pejus est nihil) abundare eundem contigerit. Istiusmodi namque temperamento præditus homo, cogitabundus, & altè introrsus meditabundus esse solet, taciturnus, aliorum (nisi forte paucorum qui ad mentem loquantur) colloquia fugitans, suspicax, murmurator, amarus, omnium in se oculos defixos esse, ab omnibus se notari & culpari, omnibus odiosum se esse putat. Nemo illi non gravis est, cumque ipse omnibus meritò debebeat esse gravissimus, existimat tamen se innocentissimum inter omnes vivere, nulli datâ occasione molestiæ. Huic naturæ, ubi usus etiã consuetudoq;, sive habitus mærẽdi accesserit, incurabilis morbus est.

Irritari autem hæc miseria assolet præcipuè, quotiescunque aliquid contra voluntatem, contra spem & propositum, contra judicium decretumque evenerit.

21. Isti malo remedium aliud non est usquam, quàm in ipsomet qui illo affectus est: ut primùm quidem, hunc esse morbum, eo se laborare, agnoscat; illumque in semetipso abhorreat. Multi enim ab hoc malo non sanantur, quia illud non morbum sed sanitatem putant. Alterum est, ut suo judicio nunquam fidat, sed in omnibus etiam minutis, etiam suo judicio sibi evidentissimis rebus, alterius opinioni potiùs cedat, quam suæ nitatur. Post hæc, opus est, ut sese nõ multũ amet,

suasque res non magni prorsus æstimet, non famam, non voluntatem, non vitam: hoc ubi habuerit, næ ille facilè ansam mæroris inventurus est. Præterea fugiat solitudines, fugiat amara colloquia, & amaros collocutores, pestes istas animi sui, quos evitare, quos si repellere scit, & solet, non ita pronum ipsi est Tristitiâ demergi. Et quia durum est tacere cum doleas, difficile conceptum animo dolorem non effundere; licet ergo ut effundas, imò & volo quamprimum ut effundas: sed ei quem animæ tuæ Patrem, ducem, Magistrumque sortitus es. Huic te tuaque effunde omnia: sed cave ne illum ipsum putes & habeas, cui mali causam attribuas: hanc primum de illo depone opinionem, quod si non potes deponere, apud illum tamen tu depone tuam tristitiam, sorbeat quod affudit: reperies non rarò (dicam semper) errasse te, & meris ta tùm suspicionibus, umbrisque laborasse, ignarum veri, judicem superioris tui, damnatorem innocentis. Quod si revera nocens ille ipse fuerit, atque in te peccaverit, tu tamen prout debes illum ama, vel odientem, crede decipienti, vince in bono malum, & si non fecerit illum tibi tua sinceritas subjectioque amiciorem, attamen te tibi reddet quietiorem, reddet meliorem superiori, reddet Gratiorem Deo, reddet victorē diaboli.

22. Nihil tamen æquæ radicitus malum tristitiæ ab animo detergit, atque lætitiâ ipsa & delectatio. Si usquam verum est, Contraria contrariis curari: hîc certe vidimus non raro homines acerbissimis oppressos mæroribus, incapaces omnis remedii, nullis rationibus Sapientum, nullis sacris commentationibus, nullis convictionibus superabiles, unicâ lepidâ narratiunculâ, unicâ exercitatione ludicrâ, festivo joco uno, rediisse ad amænitatem, ad pacem, ad sanitatem: Verum hoc industriæ genus admodum rarum est apud Animarum Pastores, apud Spiritus Magistros, apud Christianæ vitæ Duces, faciliùs apud Medicos, apud Politicos amicos repereris. Existimant nempè isti qui juxta Apostolum *Spirituales* sunt, gravitatem disciplinæ Christianæ minus decere istius modi amænitatem & affabilitatem; quasi verò etiam non istæ Virtutes sint, non etiam Christianum deceant. Non judicant isti, quod sæpè corda, quæ frangendo curare laborant frustra, melius flectendo leniter curassent: & quæ laniando magis exulcerant: mulcendo facilè mitigassent: & quæ austeritate importunâ, nimiâ, & non secundū scientiam exactâ disciplinâ perdunt; hac mansuetudine in tempore usurpatâ lucrati fuissent sibi, communitati, & Christo. Sunt enim non raro homines, quibus, si, dum furunt & insaniunt, paulisper cesseris, indulseris, eosque (ut ajunt) patienter toleraveris: ubi deferbuerint, illico ipsi sibi succenseant, ultrò se accusent, ultrò pœnas deposcant, omnemque pœnam quam injunxeris leviorem erratis suis putent. Hos ex arte tractare scire, plane sapientis est Animarum Magistri, sic equis dum sæviunt blandimur, cedimus, adulamur; mansuefactis autem & mitigatis insidemus & insultamus. Delectatio igitur & aliquantula suavitatis indulgentia, mæroris malum ab animo arcet & pellit.

23. Ea propter Sapientissimus Deus gratiæ suæ, quâ sine, vita Spiritualis nullo modo vivitur, ad reliquas proprietates adjunxit delectationem, ut videlicet omnis per eam amaritudo, omnis horror, omnis tristitiæ nubes ab animo depellatur. Inde vulgò dicitur *suaviter equitare quem Gratia Dei portat*. Et certè, quomodo Gratia esset gratia, si esset ingrata; esset vero, si esset amara insuavis, turbulenta. Sed absit ut talem dicamus. A suavitatum voluptatumque omnium mari dimanat gratia, ideo non potest non esse voluptuosissima. Nec immeritò, Deus enim supernaturalibus donis suis, non evertit naturalia sed perficit; non tollit sed commutat, & ordinem ad altiorem sublevat. Cū igitur naturæ nostræ innatū sit, suavem appetere in omnibus vitam, in actionibusque singulis venari voluptatem: hoc ipsum Deus in supernaturali ordine, non tantùm non imperat tolli, sed potius etiam jubet ad altiorem ordinem dirigi, & supereminentiori dulcedine condiri atque ex genere naturalium, inter supernaturales transferri. Quod dum plerique ignorant, ideò vitam supernaturalem, plusquam horridam & agrestem putant. Existimant enim, sese, ut primum ad supernaturalem vitam animum applicare voluerint, illico omni naturæ delectationi, omni suavitati & amænitati Ingenii animique abrenuntiare debere, quod lõge aliter est ac putant. Amænitas Naturæ, hilaritas ingenii, nõ vitium est, sed ingens Dei bonum: quodqui sortitus est, *animam bonam* (pro quâ Salomon merito Deo Gratias agit) *sortitus est*. hoc non tantùm non est deponendum

dum,quādo ad serviendū Deo acceditur, verum etiam quā maximè est conservandum; *hilarem namq; datorem diligit Deus*: quomodo autem se, aut sua, hilariter dabit Deo. qui hilaris non est in seipso. Fateor, quod vitiosum, ineptum, inordinatū, rationi repugnans est, id tollendum esse in vitâ spirituali: Sed hoc non sola Spiritualis supernaturalisque Christiana lex vult, verùm & Naturalis recta ratio præscribit. Non etiam nego, cum Virtute, cumque præclarâ sui victoriâ fieri, quod etiam licitæ & honestæ animi naturales voluptates à corpore & animo quandoque relegantur, ad exemplum Christi. ad Imitationem Sanctorum, ad expiandas præteritæ vitæ noxas, ad augenda spontaneis afflictionibus merita gratiæ & gloriæ. Sed aliud est quod licitè & meritoriè agitur, aliud quòd necessariò Vita Spiritualis requirit.

2. Cor. 9. 7.

24. Harum delectationum honestarum naturaliū, vita Supernaturalis ablegationem non imperat, sed earum in supernaturalem finem directionem requirit, alioquin *de mundo*. ut ait Apostolus *exeundum erat* omnibus, supernaturalē vitam vivētibus: & omnis prorsus hujus temporalis vitæ conditio exuenda. nec manducandum, nec bibendum, nec quiescendū, nec ullum omninò naturalis vitæ opus exequendum. Quis enim ubi cibum sumit, aut potum, non se recreari sentit? quis somno non relevatur? quis post iter sedendi quietem non experitur? Hæc omnia delectationes sunt naturales & corporeæ; nec potest sine his hæc vita duci, neque tamen his nos vult carere supernaturalis vivendi professio, sed tantum ista sibi subordinari, & in tantum usurpari, in quantum ipsius profectibus utile est, imperat. Neque ampliùs severiusve est supernaturalis vitæ in Naturalē Dominium, quod dum passim ignoratur, passim etiam maximo multorum detrimento secùs quàm deberet, de Vita Spirituali & supernaturali judicatur: & Cruditas quædam Crudelitasque in naturâ Deo affingitur. Qua de re quia satis copiosè alibi dixi: nunc me ad Gratiā Delectantem revoco. eamque, ut jam sæpius dixi, ideò divinitùs hominibus affundi assero, ut tristis Spiritus, ab animis eorum, dum in Dei servitio occupantur, quam longissime arceatur: quod quibus viis & modis Gratia exequatur, sequēti capite, quoniam hoc longius excrevit, indicabo.

1. Cor. 5.

CAPUT VIII.

Qua ratione fiat ut Gratiæ Divinæ Delectationes in animo, ablegatis Tristitiis experiamur?

25. AD hoc pertractandum, evocat me, tū præcedenti Capite inchoâta materies, tum quotidiana multorum Spiritualem vitam viventium, supernaturalemq; perfectionem inquirentium confessio ne dicam querela. Fatentur enī passim multi, se in Vitæ Spiritualis consectatione, molestiæ multum, pugnæ & luctæ interioris multum, solicitudinis etiam timorisque, quin & tristitiæ multum perpetuò exhaurire: delectationes verò & suavitates, & gustus, & delicias unctionesque Spiritûs, quamvis tantopere decantatas, & scilicet in hoc Vitæ genere etiā usitatas, minime degustare aut experiri. Quā de causâ, libet nunc causas indagare sterilitatis hujus: sic enī fiet ut facile advertamus quibus modis Delectationes Gratiarum Divinarum in animum vel ipsæ descendant, vel derivandæ sint. Et primùm quidem illud adnoto: Cavendum esse hic ne quis aliter de Gratiâ delectāte sentiat quam opus est, ne videlicet ita prorsus delectationes Spiritus sensu metiatur, prout delectationes carnis, vel palato, vel tactu, vel odoratu, vel alio quopiam sentiendi organo. Qui ita affectus est, errat & carnem sapit. Gratiæ Divinæ Delectatio, Voluptas ex Gratia procedens, nec sapor, nec odor, nec color, nec quid tale est, sed est sapor mentis, natus in eâ ex Veritate & Charitate. Tunc anima delectatur Gratiâ supernaturali, quando amat, quando sectatur, quando obtinet, Veritatem, Charitatem, Justitiam, Christum, DEUM, quidquid circa horum amorem & quæsitionem patiatur, quidquid perferat molestiæ (perferre autem necessario cogitur ob luctam carnis, ad suas miseras delectationes perpetuò mentem revocare conantis) dummodò nihilominus, in quærendo in amando perseveret: delectatur, voluptuatur, fruitur, gaudet, lætatur. Quā in re, experientiam potius quàm verba allegata, malum, exemplum tamen afferre non gravabor. Paulus Apostolus de semetipso & de suis similibus sic ait. *Quis nos separabit à Charitate Christi. Tribulatio? an gladius? an fames? an persecutio? &c.* ex his verbis intueor, ego, Paulum septum undiq; infinitis periculis: nihilominus in istis omnibus

Rom. 8. 35.

CA-

mnibus immotum & quietum. Si quietus est Paulus in tantis discriminibus & pugnis: certe delectatur: quies enim mentis est Delectatio, ut supra docui, at unde in Paulo quies ista & delectatio, nisi à Charitate Christi, à quâ quia non separatur, ideò quiescit, & quia quiescit, delectatur. Igitur adhærere & non separari à Charitate, est frui delectatione & pace.

27. Ex his quæ prædixi, confectum habemus quod quærimus: nempe quî fiat ut delectationibus Spiritualis Gratiæ in vitâ Spirituali careamus? & quibus viis Gratiæ istius delectationes ad nos derivare possimus? Etenim illud primũ ideò toleramus, quia à Charitate Christi, à dilectione justitiæ, ab amore veritatis & recti discedimus: illud verò alterum assequimur si mordicus ambabus ut ajunt manibus, Recto, Justo, Vero, Honesto, Christo, adhærescere voluerimus. Id jã ex Pauli Apostoli exemplo patere nobis potuit: necesse tamen est uberius hoc utrumq; declarare. Ac imprimis occurrit mihi ad rem prorsus meam loquens S. Anselmus Epist: 7. ubi sic scribit. [*Amice mi & frater dilectissime totis viribus Quieti mẽtis studeas, sine quá, nulli licet callidi hostis insidias circumspicere vel semitas virtutum angustissimas prospicere. Ad hanc vero (Quietem mentis) Monachus qui in Monasterio conversatur pertingere nullatenus valet. sine Constantiâ & Mansuetudine (quæ Mansuetudo indissolubilis comes est patientiæ) & nisi Monasterii sui instituta (quæ divinis non prohibentur mandatis) et si rationem eorum non providerit, ut religiosa studuerit observare.*] Hæc Anselmus, quibus quidem verbis luculenter Sanctus Doctor & necessitatem quietis internæ (quæ idem est quod Delectatio) & modum ejus acquirendæ describit, eumque non alium quam perseverantem patientemque in rebus adversis tolerantiam, & omnium Instituti sui præscriptionum exactam observationem.

28. Non est autem existimandus Sanctissimus hic Pater, sine magno Spiritûs S. lumine utrumque hoc ad pacem mentis cõparandam, medium præscripsisse. Nam quantum ad primum attinet certum sine patientiâ pacẽ non haberi sic enim Patientia ad pacem, ut humiliatio ducit ad humilitatem: fundamentum vero ejus doctrinæ est in ipsâ Naturâ tam Vitæ Spiritualis quàm nostrâ, qui illam exercemus, defixum. Nos enim ita à primis vitæ nostræ exordiis vulgo vivimus, ut semper sensibus grata appetamus indulgeamusque, horreamus autem ea quæ sunt sensibus inimica: deinde vero initio vitæ, nulla prorsus alia bona quam ea quæ sensibus subjecta sunt, æstimare, cognoscere & inquirere adsuescimus: Accedit quod Passionum effrenatam licentiam nõ agnoscimus initio, sed priùs illis plerumque omnia frena permittimus, quam illarum impotentiam sentire agnoscereque incipimus: unde fit ut tali vivẽdi rationi passionatæ, sensuali, animali, terrenæ, insueti: si quãdo ad saniora, ad rationalia, ad Christiana & supernaturalia Consilia præceptaque nos revocare volumus, difficultatem, luctam, rebellionem præsumptæ consuetudinis experiamur. Difficulter enim & cum molestiâ gravi ex animo deponitur, quod diu & cum delectatione animo impressum est. Bella igitur opus est ut perferamus interna, quando à carnali ad Spiritualem vitam nos transferimus: & quia bella, necesse est & subire pericula, sæpe etiam vulnera, quocirca non potest etiam in tali passu deesse patiendi materia: quod si suppetit patiendi materia: utique non debet abesse cum Mansuetudine, patientiâ. Nam si hæc defuerit, Victoria penes hostem erit, supernaturalis deseretur vita, & ad sensualem pristinam regressio fiet, ut canis ad vomitum, aut suis lotæ ad volutabrum: illudeturque tali homini à videntibus omnibus, *quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* Si autem Patientia adfuerit: & in patiendo Constantia, penes Rationem & Gratiam erit Victoria, victoriam triumphus sequetur, ex hoc delectatio: hæc autem est pax animi & quies: pax vero est (juxta Gregorium Nazian: Orat: 14.) *id quod cuiq; placet, imperiumq; in turbulentas animi permotiones.* Ex quibus omnibus patet quàm verè Anselmus dixerit, ad pacem mentis sine mansuetudine & patientia constante perveniri non posse.

29. Jam quantum ad alterum illud spectat; quod Anselmus de Observatione legum institutioneque omnium attulit: id quoque per omnia certissimum est. Nimirùm sine eo Delectationes Spiritûs nullo modo obtineri posse. Dum enim ita in Christi lege vel in Religiosa domo vivitur: ut leges Christianæ & disciplinæ domesticæ non serventur, tùm necessario propriæ quidem & privatæ servitur voluntati, Divinis autem & Majorum & communitatis universæ resistitur mandatis: ex quo necesse est erumpere discordiam, & inquietudinem, & amaritudinem: exulare autem omnem pacẽ

 & dele-

& delectationem. sine observatione igitur proprii status, & vitæ supernaturalis, ab sectandum delectæ institutorum, nulla pax animo, nulla delectatio gratiæ inesse potest.

30. Altiùs hujus ipsius doctrinæ fontem petere non inutiliter possumus: quem nobis indicat. S. Bernardus Serm. 75. in Cantica dicens. *Dissimulatur* (id est negligitur) *lex, subtrahitur Gratia, vigor disciplinæ lentescit*. Quibus verbis, diserte duo damna gravissima ex negligentia Regularū Religiosarum dimanantia exponit. Horum alterum privatum est, ejus scilicet qui negligit servare Instituti sui Regulas; alterum Commune, totius scilicet Communitatis, in quá tales neglectores legum reperiuntur. Primum est, Subtractio Divinæ Gratiæ ei, qui instituti sui leges servare contemnit. alterum est, dissolutio disciplinæ, quæ in Communitatem ex negligentia legū necessariò subintrat. hoc alterum non est ad præsens Institutum: primum illud ad nos pertinet: sed ejus ratio patere non videtur, maxime quādo in aliquá Communitate, regulæ ad sui observationem sub peccato non ligant. Cur enī tunc subtrahitur Gratia, quando nulla est in negligentia regularum culpa. Sciendum igitur Christianam legem, & omnem Religiosam professionem, esse institutam à Deo, ad hoc, ut in ea perfectionem & Gratiam & beatitudinem obtineamus: ad id tanquam ad finem melius & certius obtinendum, idem ille Deus, media præscripsit ordinavitq; ; quorum usu ad prædictum finem perveniamus. Ita in Christiana lege, sunt media salutis certa, certæ leges, quæ nisi teneantur & serventur, Christiana perfectio salusque non obtinetur. talia sunt Fides, Sacramenta Christi, & Ecclesiæ præcepta &c. In Religiosis institutis, sunt propriæ à quolibet Instituto præscriptæ vivendi Regulæ.

31. Hisce mediis tanquam aliquibus Cōditionibus occasionibusque requisitis alligavit Deus gratiæ suæ actualia auxilia, ad salutem ad perfectionemq; assequendam necessaria: alligavit autem per hoc solum, quia ex liberá suá Voluntate decrevit, non dare aliter ulli gratiam pro hoc statu, & pro hac vivendi ratione tenendá necessariam, nisi positá hac cōditione, quod, si quis velit, uti & de facto utatur tali vel tali medio, talem vel talē Regulam servet. v. g., Deus nullum salvat nisi prius Baptizetur, Baptismo igitur alligavit gratiam suam, adeò ut positá conditione Baptismi gratiam det, non positá non det. Similiter in Religionibus alligavit Deus Psalmodiæ vel Meditationis horæ Gratiam: ut si Religiosus preces decantarit horam Contemplationi assignatā impēderit, gratiam recipiat, si autem neglexerit quod de his Regula præscripsit, Gratiá destituatur & careat. Neque enim Deus tenetur tunc & eo modo homini Gratias dare quando & quomodo ipse homo vult: sed tunc eas homo tenetur ambire, & quærere, & aucupari, quando illas Deus dare, decrevit: decrevit autē dare tunc quando regulæ ab ipso Deo vel ab hominibus à Deo inspiratis præscriptæ servabuntur. Cujus decreti Divini, etsi sufficiens causa est mera voluntas & Beneplacitum ejus, attamen illa commode assignari potest, quod Regulæ à Dei Voluntate præscriptæ sint, has igitur qui servat Dei voluntatem implet: qui autem Dei voluntatem implet utique congruum est ut gratiam apud Deum inveniat, ab illoque recipiat. Contra; qui spernit Regulas (jussaque majorum) Dei voluntatem spernit: quâ spretá, quī fieri potest ut gratiam à Deo cui merito ingratus est recipiat. Observare igitur regulas debet, si quis Gratias à Deo recipere volet.

32. Ex quo satis liquet, quomodo gratia ad dissimulationē, hoc est, Negligentiam regularum, sequatur. Per hoc enim ipsum subtrahuntur, quia non dantur; non dantur verò, quia conditiones ad earum conditionem requisitæ non ponuntur. Conditiones istæ, observationes sunt. Observa regulā, ut recipias gratiam. Quod si gratia non datur negligenti observationem regulæ, consequens est, ut eidem neque delectatio gratiæ conferatur, atq; ita tandem & illud verum est, quod Anselmus asseruit, pacem mentis non posse habere quenquam religiosorum, nisi instituta Ordinis sui studuerit observare. Inde porrò tandem illud manifestum evadit, quod in præsenti capite indagandū proposueramus, Divinæ gratiæ Delectationes & suavitates, non aliis viis ad nos derivari, nec aliis modis Tristitias mæroresque Spiritus ab animo detergi, quàm si omni conatu, mentis rectitudine, veritati, justitiæ, Charitati, Christo & Deo adhærescamus: omnibus autem his adhærescimus; quando omnia præscripta, omnesque regulas, ejus vitæ quam nobis ad salutem æternam Deo annuente delegimus, exactè ad amussimque servamus.

Hoc

33. Hoc utinam seriò efficaciterque apprehendant omnes ii, quotquot supernaturalis Vitæ studio accensi, religiosum profitētur institutum! Sane hujus cognitionis & executionis defectu solo, evenit eis quod crebrò causantur, scilicet, se nullā in Religiosā vitā delectationē, nullā in Christi jugo suavitatem levitatemq; experiri, nullas Spiritûs delicias gustare, nam quomodo miseri gustent, qui ad se meatus omnes Gratiæ delectantis quotidiè obstruunt, fodiunt autem sibi cisternas dissipatas, propriæ Voluntatis & amoris proprii, quæ non valent continere aquas. Intelligant miseri, Gratiam Dei non contingere indignis, negligentibus, ingratis. sed quærentibus eam & esurientibus. Meatus quibus affluunt, ad animam Gratiæ, sunt Regulæ, has observent, & illicò experientur quam suavis sit Dominus, & quam dulcis Misericordia ejus: & quam multæ delectationes in dexterā ejus: alioqui quidquid egerint, frustra erunt, onus quidem disciplinæ, ut Jumenta & asini portabunt, sed nequaquam de divitiis delectationibusque Domini sui pascentur: verum semper erunt de gregē illorum quos describit Bernardus: [*pusillanimes & remissi, deficientes sub onere; Virgā & calcaribus indigentes: quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est. quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine sui ædificatione, quos vix gehennæ motus inhibet, vix pudor cohibet: vix frenat ratio, vix disciplina coërcet.*] Nunquam autem accedere & accenseri poterunt ad illos Filios & pullos Gratiæ, quos idem paulò ante descripserat in hunc modum. (*Viros repletos consolatione, super abundantes gaudio jucundo, semper hilares, ferventes Spiritu, nocte & die meditantes in lege Domini, crebro suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione levantes, solicitos observatores Conscientiæ, & devotos sectatores bonorum operum. quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, Vigiliæ breves, labor manuum delectabilis, & universa deniq; Conversationis hujus (Spiritualis) austeritas, refrigerium videatur.*] En fontes & fructus delectantis Gratiæ. En è contra damna absentis.

CAPUT IX.

Quibus præterea viis Delectatione Gratiæ potiamur & fruamur?

34. NOn desunt aliæ Delectantem Gratiam ad animum derivandi viæ. Cujusmodi sunt, 1. Generosæ ad magnos ausus resolutiones pro Deo factæ: maxime ad Victoriam sui, ad Gloriam Dei, ad salutē proximi susceptæ. 2. Abjectio & ablegatio omnis à se delectamēti temporalis & Creati: tali enim animæ, ab omni creatā suavitate nudatæ, Deus ipse Nutritius est, cum illam fame sui perire nolit. 3. Accedit fervor spiritûs continuaque tepiditatis excussio, & fervoris renovatio, hanc enim sequitur charitas, Charitatem gratia, gratiam comitatur delectatio. 4. Facit huc quoq; aversio mentis & avocatio ab omni quod contristat, etsi ipsa sit peccatorum recordatio atque pœnitudo: non semper enim peccata, nō semper supplicia & pœnæ in animo habendæ: sauciant & cruentant, franguntque & dejiciunt ista animum, non lactant, non nutriunt, non augmentant Spiritum profectumque. Exeundum est quandoque è sordibus, & ad Delicias Boni Dei adspirandum, progrediendumque post opera pœnitentiæ. 5. Juvat hîc immodicas vitare curas, plura quàm commodè possis, quàmve obedientia vel charitas (quæ discreta est) poscit, agenda non aggredi; ad quod sæpè nos rapit non Deus, sed æmulatio superbiam redolens, quia pares esse aliis, & laudari cum aliis, digitoque monstrari desideramus, in nidulo suo quemq; morari & mori convenit: sub parvo & sub humili, attamen quia sub suo, securè tecto latent testudines. Nemo unquam quietus & pacatus multa simul egit: exiguæ sunt vires hominis, uni labori vix sunt satis, pertinetque ad superbiam, multa putare se posse. Augustinus in quadam Epistolā ait: se etsi multa posset repetere, attamen unum hoc solum repetiturum. [*A Curis vanis abstinete, Veras curas suscipite.*] 6. Addam & illud ad Delectationem Spiritus jugiter habendam prodesse plurimum, soli inniti, solâ regi Divinâ Providentiâ, ejus solius protectioni & auxilio & curæ fidere, ejusque rei quotidie saltem unum experimentum in semetipso quærere & expendere. Hæc te consideratio, dulcissimis quoties voles (audacter dico) implebit lacrymis, hæc te, spe, fiduciâ, ferventi amore, diligenti negligentia, & tui oblivione in curiaque, solius autem Dei, & Voluntatis ejus attentione beabit. 7. Sed neque illud prætermittam addere, ād suavitatem Vitæ supernaturalis possidendam, facere plurimum, non suavitatis delectationisq; causâ Virtutem sectari & Deo servire, sed

pure

puro Dei solius intuitu. Gratis nempè & sine ullo ad privatum bonum solatiumvé respectu. Nam quod dulcius à Deo prœmium quam ipse Deus? nunquid ad præmium diligendus est ille, cujus hoc ipsum est maximum prœmium, quod diligi se à nobis velit & donet. quæ enim major miseria, quam non Amare Summū Bonum? & contra quæ major Voluptas quam summo bono per Amorem inhærere & perfrui? 8. Præter jam dicta, plurimùm meo quidem judicio ad delectationem mentis facit. quidquid egeris, proposueris, volueris; ita velle proponere, agere, ut tamen totus à Dei voluntate atque dispositione pendeas: paratus, cum Deo placuerit, omnia proposita, amata, inchoata, deserere, quin etiam tuismet manibus (si Deus velit) convellere, & in his omnibus immotæ imperturbatæque mentis pacem servare & tenere. Nescit mundus (& utinam Religiones sciant) vim Indifferentiæ. Magnum id, sed obscurum nomen in doctrina Spiritûs, & tamen vix est aliud certiùs ad pacem iter, itinere Indifferentiæ. Quanta putas est hæc Virtus quæ facit, ut motus non movearis, & de cœlo ad inferos translatus, maneas tamen in loco tuo, hoc est in pace tua.

35. 9. Attamen nihil scio quid efficacius Gratiam Voluptatesque ejus trahat in animum, quam grata humilitas, & humilis gratitudo. Si nimirùm, divitias nostras non nostras, hoc est, non ex nobis esse sciverimus, & fateri non erubuerimus; sed totum quod bonum est in nobis, in Deum retulerimus. Si ingenuè sciverimus nos nihil esse ex nobis, ad nihil sufficere, merum esse nihilum, meram pauperiem, meram mendicitatem & indigentiam Dei ejusque Gratiarum; sufficientiam verò omnem ex Deo & à Deo, & in Deo, & Dei esse, propter quod nobis nihil, Deo autem omnis Gloria debeatur. Nullâ manu fortiùs trahitur teneturvé gratia de cœlo quàm manu humilitatis. Nullo sinu uberiùs excipitur, & securiùs tenetur Gratia, quàm Humilitatis. Exalta ô Homo Deum & Gratiam Dei, abjice te, despera de te, contemne te, oblivisscere tui, & habebis gratiam, redundabis gratiâ, absorberis & demergeris in gratia. Quoties ergo in te sentis augmentum gratiæ: dejice te & exalta gratiam: quoties sentis detrimentum, dejice te, & puta, in causa esse, vel præteritam, vel præsentem, vel fortè futuram atque suborientē superbiam. Sagax enim est odoratus gratiæ, & subnascentem superbiam, sentit in semine, sentit in radice, proinde ut primum gratiā fugere vel fugisse cognoveris, hostem gratiæ adesse conjice, quem ut dejicias, te quantum potes infra omnia creata abjice & dejice. Hæc de Viis Gratiæ Delectantis breviter, faxit Deus, ut mihi saltem, si proximis meis non mereor, efficaciter dixerim.

CAPUT X.

Quibus in rebus sit Delectatio Gratiæ.

36. Duplici in sensu quæstionem præsentem propono & expendo. Alter est quænam sit in nobis potentia, quâ Delectationem Gratiæ degustemus? Alter est, quibus ex rebus, seu quibus ex objectis atque Materiis ea Delectatio percipiatur? Et quidem utraque hæc propositio non obscurè est in præcedentibus intimata, nihilominùs habebit suam utilitatem pleniùs illā, fundamentaliusque hoc loco persequi. Quod ergò ad primum quæstionis sensum attinet, quæri potest; an sentiri Delectatio Spiritualis gratiæ possit per sensum, an per Intellectum, an per Voluntatem? Qua in rē, quod absque controversia certum est, hoc dicam; quod quis revocare in dubium possit, ad Scholasticas subtilitates amandabo disputandum. Certum hic primo est. Esse aliquas sensuum oblectationes: quas & belluæ, quas & nos, qua parte sensu & imaginatione pollemus, percipimus.

37. Hæ oblectationes, universæ, terrenæ, corporeæ, materiales sunt. Extra has oblectationes, nullus sensus, nulla imaginandi vis egredi, ad immaterialesque delicias sese elevare potest: Nulla enim potentia ferri potest in objectum nō suum: ita oculus sonos, auris colores, gustus odores, tactus sapores non percipit, dum extra latitudinem sui objecti debiti hæc esse constat. Quia ergò sensus nostri externi & interni, totaliter corporei & materiales sunt, omne id quod apprehendere possunt, materiale necessariò esse debet. Et quia Gratiæ Divinæ Delectatio materialis non est, sed potius omnem etiam Naturæ ordinem transcendit, ideò à nullâ sensuali potentia apprehendi degustarivé ullo modo potest. Solet quidem quandoque ex delectationibus ani-

bus animi, cum ille iis redundat, aliquid & in Corpus & corporeos sensus delectationis quasi redundare: illud tamen quidquid est totum materiale est, ex eo tantum natum quod animus Delectationibus Divinis affluens, miro quodam suavissimoque modo componitur, & quietus contentusque redditur. A quâ animi quiete, sua etiam in Corpoream sensualemque partem portio defluit, quoniam & ipsa tunc à bellis contra animum, & ab animo contra se motis, vacat, exindeque conquiescit, & suaviter delectatur.

38. Iam verò hæc Spiritus & Gratiæ delectamenta, ad Intellectum-ne solum an verò ad Voluntatem solam, an ad utrumque horum pertineant, in eove resideant: Scholis id & disputationibus determinãdum relinquo. Mihi certum est, in solo Rationali animo, id est tam in Intellectu quam in voluntate simul, delectationes has residere, sed non in quolibet Animo, verum in eo solo, qui, fide, Spe, Charitate, Gratiâque Divinâ præditus, à malo & vitioso voluntatem aversam, ad rectũ autem & honestum, & Divinum conversam habet. Animus enim qui turpitudinibus carnis & sensualibus bonis delectatur, qui à Charitate delapsus, à recto & honesto deflexit, non magis delicias Spiritûs percipit, quàm lapis vitam, Arbor sensum, belluæ honestatem apprehẽdunt quod diserte testatur Apostolus dũ ait. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus.* quippè cum sint toto non solum, ut ajunt, cœlo, sed tota etiam natura diversa. Solius ergo animi, & quidem rectè se in bono habentis proprium Delicias Gratiæ degustare, atque in iis conquiescere.

39. Ex his quæ de primò quæsito breviter, attamen satis attulimus, magnâ parte elucescunt, quæ de 2do dicenda supersunt. Cum enim Spiritûs delectatio in solo Rationali animo locum habeat, relinquitur etiam ex solis, ad rationalem animum pertinentibus bonis percipi posse. Multa enim sunt genera bonorum, sive Convenientium (Bonum namq; idẽ est quod conveniens) quædam sunt bona per id solum, quia naturæ conveniunt, etsi à natura, convenire non cognoscuntur: eorũq; fere, natura cognitione destituta sit: ita bonum Aquæ, frigus, bonum Ignis, Calorem: bonũ arboris, Incremẽtum vocamus. appetique hæc ab illis dicimus, non quidem appetitu aliquo actualiter exercito & elicito, qui in his rebus ad hæc bona sua nullus est: attamen appetitu quodam innato, seu potiùs propensione quadam & instinctu pondereq; naturali. Quædam sunt bona non tantũ per id, quia naturæ conveniunt sua sponte; sed etiam per id præterea, quia naturæ convenire apprehenduntur, ideoque tanquam talia, appetuntur, quæruntur, possidentur: appetuntur, inquam, non puro naturæ pondere, sed actuali exercitoque appetitionis actu. quæ bona ita appetita, si absunt, amari vel desiderari dicuntur. si adsunt, amari & possideri dicuntur, dum autẽ possidentur, quiescit in illis animus: & quia quiescit delectatur.

40. Hæc Appetitio elicita exercitaque boni convenientis duplex est, sicut & ipsum tale bonum est duplex. Quoddam enim bonum, seu, conveniens est Materiale & sensuale: quod scilicet sicut sensui convenit, ita etiam per sensum convenire sensui cognoscitur & per sensualẽ appetitum, concupiscitur, quæritur, possidetur. Talia bona talesque horum bonorum concupiscentiæ in solis sunt brutis: & hominibus etiã quâ parte ii sẽsuali portione constant. quoddam porrò bonum & conveniens est immateriale, insensibile, soli Rationali & immateriali portioni, potentiæque conforme: ideoq; & ab hac solâ cognoscitur appetiturque: cognoscitur per Intellectum, appetitur per Voluntatem, quæ duæ sunt partes Rationalis animi. Hæc bona pura sunt & à Materia separata: ideoque materiali & sensibili hominum parti incognita & improportionata. proinde in ea sensuales cognitiones & appetitiones non magis ferri possunt, quàm lapis potest sentire: è contra verò Rationales cogitationes & voluntatis appetitiones, non minus istis bonis possunt & occupari & delectari, quam sensum experimur, suis sensualibus bonis affici & recreari.

41. Inde vero colligere obiter possumus ad hominem triplicia bona pertinere, triplicemque bonorũ sensum & fructum redundare: Unus quidem fructus est eorum bonorum quæ hominis naturæ, ipso etiã nõ cogitante non sciente, cõveniunt. Alter eorum, quæ sensu & percipiuntur, & appetuntur, & possidentur. Tertius denique eorum quæ solâ Ratione cognoscuntur, & solâ Voluntate rationali appetuntur. Colligere præterea possumus, duplicem esse in homine bonorum convenientium appetitum elicitum. unũ bonorũ merè sensualiũ, alium bonorũ merè rationalium. Et utrumque hunc appetitum posse quandoque simul & semel ferri

in bona sua. iisque perfrui & delectari, quandoq; posse alterutris destitui : quãdoque posse alterutris bonis delectari invito altero appetitu: quandoque vero non invito sed consentiente; quandoq; posse unius appetitus bona & jucunda & convenientia esse, alteri appetitui mala, ingrata, & inconvenientia. adeò ut quæ ex unâ parte homini delectationem inferunt, ex alterâ tristitiam generare possint. & tanto quidem majorem hinc tristitiam & mærorem, quanto aliunde majorem ingerunt voluptatem. Experientia id quotidie docet, quis enim non experitur cordate Christianus homo? hanc in se ex una eademque re voluptatis & Tristitiæ, ebullitionem. Objicitur quidpiam suave sensui, inardescit sensus, inhiat, ambit, possidet, fruitur, & tam diu quidem quãdiu res objecta sensui, durat & illudit, interim Voluntas, gnara, miserum turpe, illicitum esse, dare frena sensui, & sensualibus delectationibus, quia sensuales sũt, & quia delectant uti, repugnat delectationi, fugit, ad superna ipsum delectationis usum detorquet si potest, sin minùs consensum fortiter sensui negat: interim tamen sensus sentit, & voluntas non consentit, hinc in sensu quia sentit delectatio est & tantò quidem major, quantò majus est sensûs bonum illud, quod sentit; at in Voluntate molestia est, mæror & dolor est, & quidem tantò major quantò est in sensu delectatio importunior, & ad voluntatem in suas partes pertrahendam vehementior.

Hæc pugna quotidiana est, sed non in omnibus. Non est in iis, qui ad quemlibet sensûs pruritum, Voluntate rationali illico præcipites in servitia sensuum ruunt. Non est & in iis (vel saltem rarò & parùm est in iis) qui vel longâ vel forti exercitatione, sensum rationi rebellare dedocuerunt, subesse autem, & pænè nihil invito illo appetere, assuefecerunt, quo in genere qui perfecti sint, pauci admodum sunt: & tamen ad eam victoriã nullis non Christi exemplis doctrinisquè nullis, non Christianæ professionis partibus & legibus vocamur. Sed hæc alias nunc ad propositum.

42. Rationalis partis bona (ab hac enim digressi fuimus) duplicia sunt. Alia naturalia, supernaturalia alia. Illa sunt, omnis honestas, veritas, virtus, scientia, dignitas, lumine naturæ nota hæc sunt omnia illa quæ fide Christiana novimus, & Divinâ revelatione nobis appetenda proponuntur. Exinde in nobis & vita Rationalis & Cognitio rationalis, & appetitio rationalis duplex est: nẽpe una quæ naturæ lumen non egreditur, altera quæ ad supernaturalem lucem evecta, ad illius ductum omnia metitur & agit, & amat. Harum duarum vitarum unam alteri, naturalem supernaturali subordinari tàm necesse est, quàm nos salutem æternam supernaturalem consequi opus est Ad finem enim & bonum supernaturale mediis opus est supernaturalibus, media salutis nostræ sunt omnia opera vitæ nostræ præsentis, sed ut media sint, proportionata, seu, supernaturalia esse debent: fient autem si supernaturali lumini subordinabuntur; subordinantur, quando ex intentione, & intuitu, ex motivo supernaturali & suscipiuntur & perficiuntur. Ex motivo supernaturali tunc fiunt, quãdo in finem fide supernaturali cognitum diriguntur. Hoc scire, Sapientia est, Hoc agere, Charitas est, Hoc posse, Dei donũ est, in hoc perseverare, Gratiæ Delectantis & Vincentis est. Hujus laboris exemplum Christus, præmium Deus est. Ut ergo tandem Capiti finis sit. Materia delectationis Gratiæ, tota vita hominis, seu omnes actiones hominis sunt, si nẽpè supernaturales vel naturâ suâ, vel intentione agentis fiunt. Tales enĩ solæ actiones ex supernaturali Gratiâ fiunt, eæ solæ veram homini delectationem ingenerant, pacem animo, conscientiæ serenitatem pariunt, reprimunt, extinguunt vitiosos habitus, pravos actus excludunt, vitæ æternæ merita congerunt. Christo Dei Filio similem reddunt, æternæ beatitudini Sanctorumque Societati hominem transcribunt.

CAPUT XI.

Quænam sint species hujus Sanctæ Delectationis,

43. VNusquisque hominum talis est, qualis est Voluntas ejus: bonus est si bonam habet Voluntatem malus si malam. Voluntatem tunc homo censetur habere bonam, quando habet in bonum directam & ordinatam; tum malã, quando in malum: non quod voluntas malum sub ratione mali appetere possit, sed quod appetere possit tanquam bonum, id quod revera malum, hoc est rationi difforme, ac proinde inhonestum & turpe est: quandocunq; ergò tale bonum appetit, revera malum falsò bonum appetere dicitur. & consequenter ipsa Voluntas re-

ipsâ mala est, & malum hominem cujus voluntas est facit. Voluntatem in aliquod, seu verum seu putativum bonum directam esse, est aliud nihil, quàm constituere sibi aliquam rem pro fine, in cujus consecutione & præsentiâ quiescat. Cum enim finis sit extremum, ultra quod non ampliùs tendatur, vel tendat res illa, cujus aliquid finis esse dicitur, ideò necesse est, ut ubi aliquid ad finem suum sibique propositum pervenerit, hoc est, ubi finem consecutum fuerit, ultra jam non tendat, sed conquiescat. alioqui, post finem, finis dari deberet; atque ita & voluntatem, ubi finem assecuta fuerit, quiescere necesse erit. Ex quibus dictis sequitur inprimis, Finem & Bonum idem esse, proinde sicut bonum aliud est verè, aliud putatitiè tale, ita & finis. Sicut verò voluntatem bonam vel malam reddit, bonum vel malum, ita & finis bonus vel malus, eandem bonam malamque faciet. Rursus, sicut homo, à voluntate bonâ vel malâ fit bonus vel malus; ita etiam à fine bono vel malo fiet bonus vel malus. & deniq; siquidem finis est, id in quo voluntas quiescit, homo autem fine & voluntate fit bonus vel malus, ideo etiam per hoc in quo voluntas quiescit, homo fiet bonus aut malus, tandemque quies hominis facit hominem bonum vel malum. Quoniam vero (ut & supra sæpiùs dixi, & ratio ipsa ostendit) quies hominis est delectatio, & in quo homo ejusve voluntas quiescit, in eo etiam delectatur: tunc enim quiescimus quãdo optata re, seu optato bono & fine potimur: potiti enim, à labore & contentione & desiderio cessamus, rem possidemus, ac tandem re optatâ fineque desiderato potiti, à cura & labore vacui, delectamur, fruimur, gaudemus. Ideo hinc sequitur manifestè, hominem & voluntatem ejus, delectatione suâ reddi bonum aut malum. Quod si delectatione homo Voluntasque ipsius, bonitatem aut perversitatem contrahit, quantò magis actiones ejus eandẽ inde participabunt? utique necesse erit illam actionem hominis bonam honestâque esse, quam in delectationem bonam & honestam tendere constiterit. Deniq; quandoquidem à Delectatione homo, voluntas, & actio ipsius bonitatem vel malitiam suam habeat, restat sanè, ut etiã à Magnitudine Delectationis, magnitudinem gradumque bonitatis vel malitiæ habeant. Itaque ille erit homo optimus, qui in bonum seu in delectationem honestam feretur ardentius: illa voluntas erit optima & rectissima, quæ honestæ delectationi inhiabit ardentissimè, seu quæ in bonorum honestorum & rationi congruorum possessionem, adeptionem, executionem, effundet se fortissimè & suavissimè. illa Actio hominis erit optima, quæ ad Virtutem, ad honestatem ad Justitiam, & omnem rectitudinem feretur & decurret placidissimè, circa illamque se occupabit constantissimè, & gaudiosissimè: uno verbo, ille optimus erit, cui virtus magis sapiet, qui ad opera Virtutis quælibet, & cum gustu perget, & cum suavitate in iis morabitur. E contra illa actio pessima, illa voluntas perversissima, ille homo flagitiosissimus erit, qui in Virtutis actibus, gustum nullum, sensum nullum, molestiam summam, in flagitiorum verò actibus, in sensualibus, turpibus, bestialibus delectationibus, impotentiam vehementiamque experitur maximam. Unde tandem elucescit, consummationem, tàm virtutis quàm perversitatis humanæ, ex delectationis, quâ homo vel in virtutum vel in flagitiorum usu habet, mensurâ, sumendam esse. Multum quis laboris & difficultatis sentit, in operibus uirtutis, minùs longè in operibus malis? multum hic malus, parùm, aut nihil bonus est: sentit quis in se laborem, & fastidium virtutis decrescere: crescere autem fastidium peccati & laboris pro peccato? is sciat se proficere in bono, deficere in malo. Nihil aliquis experitur molestiæ in usu Virtutum immo suavissimè & quasi connaturaliter ad opera honestatis, & Christianæ tendere se sentit disciplinæ, è contra molestissimum illi est, à Deo avelli & à cælestibus, converti autem ad carnalia & sensualia & transitoria? perfectionem hic se adeptũ sciat, quantoq; amplius hanc experietur suavitatem ad bonum, acrimoniam in caducis, tanti se in ipsâ perfectione proficere ampliùs non ambigat. Quocirca delectatio in bono, perfectio hominis est, progressio in delectatione boni, in perfectione Christianâ progressio est. Consummatio in delectatione boni, consummatio perfectionis est. Sed hanc in cœlo quidem nos assequi speremus: hîc autem, pro illius consecutione, quantò majorib⁹ possumus passibus festinare conemur: & in hoc unum quotidie cum Paulo Spiritu mentis nostræ renovemur, in hoc unum cum Davide quotidie, nos iter ingredi nuncq; incipere arbitremur. Siquidem hac in vitâ, nunquam tantùm progredi in virtute possumus, quin adhuc ulterius

proficisci possimus: aliàs vita præsens non esset viæ, & progressui, & stadio assignata, si posset per aliquem decurrendi certum finem, esse terminata.

Neque tamen desunt aliquæ veluti species & gradus hujus Sanctæ in bono Delectationis, qui à Sapientibus harumque rerum peritis assignari, proponique, quanquam interdum spinosiùs, solent. Et meo quidem Judicio, quædam sunt in quibus plus luminis est, quã suavitatis; quædam sunt in quibus contra plus suavitatis quam luminis: non quod non sint utræq; Rationales & suaves, sed quod per quasdam Deus, magis illuminando quam indulcando, contentum facit Intellectum: per quasdam contra, magis dulcedine permulcet affectum, quam collustrat & erudit convincitve intellectum. Priores, vulgò vocamus, mentis lumina Illustrationes, Veritates: posteriores vocamus Gustum, seu, Devotionis sensum, Sensibilem Devotionem. Et quamvis neutræ contemnendæ sint: priores tamen ego, ni fallor, potiores judico, magisque utiles. Harum varii sunt vel gradus vel affectus. Primus est, sic amare Deum, ut omnia quæ ad ipsum pertinent (sive sint virtus, sive arreptum vitæ institutum, sive Regulæ Ordinis, sive quod aliud ad Spiritum spectans auxilium) ut nihil Deo, nihil rebus ad Deum pertinentibus ducentibusve præponas, sed omnia propter Deum & propter divina, relinquenda & contemnenda putes

Alter est sic amare Deum & omnia Divina, supra recensita, ut omnia alia quæcunque licitè egeris, in Deum & in supernaturalia lucra transferas, eaq; quãtumlibet Naturalia & modica fuerint, in ordinem tamen supernaturalem transducas, vitæ æternæ meritoria facias, & omnino Spiritu Divino, vocationis & professionis tuæ proprio imbuas, uno verbo ut omnia quæcunq; agis, propter Deum ut supernaturale bonum, & propter status tui supernaturalis perfectionem assequendam, juxta Dei voluntatem agere intendas & agas.

Tertius est, sic amare Deum & divina prædicta; ut quidlibet potius perpeti eligas (sive illud detrimentum famæ, sive corporis, sive fortunæ, sive sit jactura opinionis, ex Scientia, Virtute, rebus gestis, talentis) quam aliquid eorum quæ ad Deum tuumque statum & professionẽ pertinent deferas: supposito quod in eo articulo res sint, ut aut perpetiendum malum, aut deferendum bonum sit.

Quartus est, sic amare Deum, & divina jam dicta, ut datâ vel optione vel occasione gloriæ & ignominiæ, laudis & contemptûs, speciosi & abjecti muneris: evadendi vel subeundi infamiam ac pœnam: abjiciendi sui confundendique, vel occultandi & excusandi: in hoc potiùs, suaviùs, libentiùs incurras, quod Amori & æstimationi propriæ inimicum est, quodque Christo conformiorem, & in oculis mundi contemptiorem facit; quam quod ad opposita deducit.

Quintus est sic amare Deum & Divina, ut quanquam licitè & commodè possis ab humilibus, à doloriferisque abstinere actionibus, soleas tamen & gaudeas, humilia sectari, abstinere à licitis solatiis, inferre sensui dolorem, fraudare genium solatiis, jejunia, vigilias, insomnia, verbera, vestium & lecti asperitatem subire, similiaque agere propter Deum, propter Christi & SS. Exemplum, propter expianda tua aliorumve peccata, propter impetranda tibi, aliis, Dei dona.

Sextus est, sic Deum & divina amare, ut non ad præmium, non ob supplicium temporale vel æternum, ab homine, vel à Deo recipiendum, non ob oculos humanos judiciaque, sed merè gratis Deum ames. hoc solo contentus præmio quod possis Dignissimum Deum amare, Virtutemque propter Virtutem ipsam & Deum sectari.

Jam verò sensibilium illarum Consolationum, quædam sunt quæ in solo se animo continent, neque ad gustum sui socium animi Corpus admittunt, sed soli animo Deum & honestatem amorosè propinant, & ad virtutem illum tanto fortiùs, quanto teneriùs, dulciusque alligant. quædam porro sunt, quæ se se ab animo etiam in corpus derivant. Ut enim à Corpore ad Animum, ita multo magis ab animo ad corpus redundare solatia & delectationes possunt. cujus rei & experientia testis est: & Divinitùs id posse fieri, quando ejus bonitati, servos suos, etiã exterioribus istis solatiis recreare, inque servitio suo fovere complacet, minime dubium: & quodammodo etiam socium animi in labore, societate præmii nõ fraudare, æquitati consonum videtur. Ex his duobus posterioris Delectationis Sanctæ gradibus: prior purissimus & defœcatissimus est, alter suavitatis quodammodo plus habet ac roboris. Neuter tamen magnopere est à Deo desiderandus, nisi in quantum firmiorem in bono hominem

nem reddit: nam sub hujusmodi desiderio, amor proprius & quædam sensualitatis Species latitare solet. præmiumque bonæ vitæ hac in vitâ recipitur, & non raro magna quædam de suis apud Deum meritis, opinio, præsumptioque in homine gignitur. Idcirco expedit talibus Dei deliciis, & cũ absunt, & cum adsunt, indignum sese judicare: animumque ad fortiter sine suavitate, gratis sine mercede, Deo serviendum assuefacere: idque inter præcipuas suavitates & præmia, quod in Gloriam Majestatis Divinæ vel tantillum conferre liceat. reputare.

CAPUT XII.

Causæ scriptionis hujus de Gratia Delectante.

46\. HÆc quæ de Gratiâ Delectante atq; Vincente scripsi: sat scio, ineptè & pro Dignitate Materiæ indignè exiliterque scripsi, & non tantum nulli alteri, sed neque ipsi mihi satisfeci: quod etiã, cùm primùm ad scribendum accederem, prævidi: Scripsi tamen, non spe fiduciaque virium mearum ductus, sed Delectantis & Vincentis cognoscendæ Gratiæ cupidine allectus; existimans, futurum aliquando. ut si discurrendo & indagando Delectationem Gratiæ cœlestis cognovissem, & experiendo eandem Deo dante degustarem: Et fateor fecissem consultiùs, si orando & gemendo humiliter id à Deo fonte gratiarum emendicare contendissem: quàm inutilium & rem indignè explicantium, forteque mihi vix satis cognitorum verborum scriptitatione festinatâ, tempus perdidissem, attamen persuadebam mihi, etiam sic me gratiam invenire posse, si aliquantulum, non pro unâ horâ, sed pro longiori tempore, nec mihi soli, sed aliquibus etiam aliis, pro Gratiâ laborassem. Feci, laboravi modicum: & inveni nisi fallor, non quidem omnem & plenam, attamen pro capacitate meâ multam requiem, copiosam dulcedinem, non inutilem cognitionem. Ut nihil aliud, id assecutus mihi hæc scribendo videor, quod æstimare Gratiam Dei, haud paulò plus deinceps didicerim, quod, quam parùm ego hactenus in Christianâ virtute profecissem cognoverim: quod, quæ sint officii mei humani, Christiani, Religiosi partes, utcunq; meliùs quam ante sciveram, dispexerim: quod scopulos in vitæ viâ periculosos ac latentes, ante, non tantum nosse, sed vitare proposuerim, fortasse & cœperim. Hæc si cui modica sũt, ignoscat mihi viro videnti paupertatem meam, quod isthæc omnia divitias magnas reputem. contentusque his esse velim, & me liberalitati Divinæ ejusque Gratiæ obligatum esse gaudeam.

Ita est mi Dignissime DEUS, gaudeo me tibi debere quæcunq; sum & habeo ad punctum omnia. nolo mentiri Deus meus; quia tibi non possum, & si forte mentior, retracto: gaudereq; cupio, quod totus, quantus quantus sum, tuum munus, tuum donum, tua gratia sum. Gratias ago gratiæ tuæ, liberalitati tuæ: & peto ut sit, & nunc, & semper, Mater mea, Nutrix mea, Delectatio mea, lux mea, Motio mea, ego autem sim mendicus ejus, infans & lactens ejus, locus ejus, sedes ejus. Hoc ubi fiet, tunc ego Tibi Deo meo gratias & laudes, & benedictiones fundam, debebo, reddam, in omnem æternitatem & ultra.

GASPARIS DRVZBICKI
SOCIETATIS JESV.
DE
NEGOTIATIONIS SPIRITUALIS INDUSTRIIS TRACTATVS.

Jndex Industriarum Tractatûs hujus.

Indu-

Industria XXIII. *Possumus unius Voluntarii boni actûs exercitio, plurium vicem, quantùm ad meritum & Valorem supplendo, in meritis crescere.*

Industria XXIV. *Possumus crescere in meritis patiendo aliquid mali, faciendoq; aliquid boni semel pro semper.*

Industria XXV. *Possumus & debemus crescere in merito per augmentum Voluntarii, Deliberationis, Electionis, Propositi, in nostris Actionibus.*

Industria XXVI. *Augere merita possumus per irritationem, & per applicationem sensuum, vel Imaginationis, vel Rationis, ad ardua Objecta.*

Industria XXVII. *Possumus crescere in merito non intendendo meritum.*

Indust: XXVIII. *Ut Actus nostri sint meritorii, utq; Industriæ nostræ utiles, oportet, ut sensum & notitiam actuum, affectuum verborum, mens nostra veram, formalem, vivacem habeat, tunc quando illos & illas exercet.*

Industr: XXIX. *In Actionibus nostris anticipare punctualem esse, ultra tempus morari, item ægre & tarde agere, easdem præscindere, ac breviare, summi meriti.*

Industria XXX. *Per substitutionem Voluntariam vocis, aut signi unius pro multis Actionibus, copia meritorum compendiò conquiri à nobis potest.*

Industria XXXI. *Omnes præteritæ Industriæ in compendium redactæ.*

Proœmium.

QVoniam Tractatum præsentem, hominibus spirituali vitæ deditis, Negotiationi Sacræ, & ad animarum lucra pertinenti consecratis scribimus, ejusq; negotiationis fructuosæ ac cum Dominico lucro peragendæ Industriis tradimus; ideo supponimus, eos, qui hoc lecturi sunt, atq; in suum usum traducturi, decursâ jam primâ Spiritualis vitæ viâ, ac veluti ætate (quam Purgativam atq; Incipientium Magistri nostri vocaverunt) in secundâ, quæ proficientium est, & Illuminativa dici solet, occupari. In quâ vitâ posteriore, ne diu tempus & frustra terant, hasce illis Industrias, tanquam subsidia atq; compendia submittimus; ut iis observatis, non tantùm securè, non tantùm citò, non tantùm fructuosè, sed etiam feraciter, atq; opulenter abundanterq; stadium Virtutum decurrere, copiam meritorum parare, perfectionem sibi propositam, suoq; instituto convenientem assequi & hæreditare valeant. Cognovimus namq; experientiâ, plerosq; candidatos ac studiosos perfectionis, etsi plurimos annos in studio ipso posuerint, etsi diligenter, quantum in ipsis erat, tum libros spirituales, tum Magistros animarum consuluerint, etsi nihil horum, quod legerant didicerantq;, omittere laboraverint, nequaquam tamen ad optatæ perfectionis possessionem, ad Virtutum soliditatem, atq; Virtuosè agendi facilitatem, quam speraverant, pervenisse. Nullâ quidem aliâ de Causâ, quam defectu Methodi ac rationis, aut potiùs defectu & ignoratione Industriarum practicarum, quibus unumquodq; documentum perfectionis, ex Magistris haustum, in usum suum & in praxim deducere, ac illud sibi facile, familiare, innátumq; reddere potuissent. Quâ ignoratione si non laborâssent, audeo affirmare.

mare, quòd illi minore multò conatu & tempore, ad optatos perfectarum Virtutum amplexus fructusq; sine dubio pervenissent. Vt enim in omnibus artibus atq; scientiis, præcipuè practicis & activis, observant earum periti, non tantùm reperiri præceptorum cognitionem atq; etiam exercitationem; sed præterea esse quasdam unicuiq; arti Industrias suas & exercendorum præceptorum, conficiendorumq; operum compendiosas praxes, quarum ignoratione unus artifex esto præceptorum gnarus & diu in exercitatione versatus, opera artis suæ (quæ in Practicis sunt opus & finis atq; perfectio) magnâ cum difficultate, magno sumptu, magno labore, magnis sæpe cum erroribus atq; periculis vix effingit: alius verò è contrà industriarum gnarus, eadem præcepta & ejusdem artis opera, mirâ facilitate, dexteritate, compendio, celeritate, perfectione exequitur. Ita etiam in scientiâ spirituali (quam practicam esse magnâ saltem ex parte, satis constat) usu venire, nullum dubium est. Sunt in eâ opera quæ facere oportet, sunt præcepta & documenta, juxta quæ operum executio facienda est; sed insuper, sunt praxes atq; industriæ, quarum ignoratio & neglectus, difficilem, laboriosam, longam, inefficacem reddit, tum præceptorum observationem, tum operum effectionem: è contra, earum cognitio atq; observatio, facilem, compendiosam, delectabilem & efficacem reddit omnem spiritualem præceptionem, omnem operationem, omnem perfectionem. Quamvis autem hæc præcipuè Illuminativæ viæ sectatoribus scribamus & proponamus; non solis tamen hæc servitura dicimus: quinimmo in decursu etiam ea afferemus, quæ tàm Purgativæ quàm Vnitivæ viæ asseclis, multùm profutura, minimè dubitamus.

Atque jam hisce Industriis tradendis, in præsenti manum admovemus, & ab Ordine ordimur.

INDVSTRIA I.

Vivendum semper ordinatè, tàm quo ad tempora, quam quoad opera.

Est igitur prima Industria, Vitæ ac Negotiationis Spiritualis, Vita Ordinata, seu Vivere ordinatè. Nihil hic ego de Ordinis commendatione: ex libris hæc peti aliis potest. mihi aliud propositum est. Satis est quòd Ordo sit rerum anima: quantùm corpora sine animabus, tantùm res & actiones absque ordine pretii habent atque Utilitatis. Prudentiæ non postremus est labor, Ordinem curare, instituere, servare; compendium quoque maximum in rebus est, Ordinis observatio; neque solùm compendium, sed etiam decorum & ornatus ab Ordine rebus advenit. Tolle ordinē in membris humanis, monstrum est. tolle ordinem, in ædificiorum saxis, acervus est. Sic de aliis. Præcipuè tamen Ordo invenit sibi locum atque domicilium in cœtibus ac domibus ac personis Religiosis: adeo, ut etiam Ordines vocentur Religiosorum cætus, non aliâ de causâ, quàm quia in Religionibus præcipua causa est Ordinis: quæ si non sit, Religiosi cætus Religiosorum nomen non mereantur. & proinde amor, cura, observatioque Ordinis, Religiosis tàm cætibus, quàm personis commendatissima esse debeat. ac inter alias observantias, hæc maximè observanda.

Ordo in Religionibus (cùm enim hæc præcipuè Religiosis scribantur, de his etiam totâ tractatione istâ præcipuè agen-

agendum erit, exemplaque & documenta Religiosis apta afferenda) multiplex est. Nam est Ordo totius Instituti Religiosi, quo ordinatum atque præscriptum est cuiq; Religioni, quid sit ejus Instituti, quid non; quibus eam distineri laboribus & occupationibus sit ejus proprium, quibus verò alienum; quibus principale & substantiale, quibus accessorium & ex supererogatione: quid sit in Religione Finis, quid medium ad Finem &c.

Est etiam Ordo personarum, quem Distinctionem vocare possumus. Ita alii sunt novitii, alii jam vota professi, & horum alii juniores, alii veterani; horum rursus alii ad opera domestica, alii ad spiritualia, alii solenniter, alii simplicia professi: alii Superiores, alii subditi &c.

Est etiam Ordo Actionum, ut primò Probatio fiat; eaque prima, tum secunda: post Probationem alia succedant ministeria, ut studere, docere; tum circa officia Religionis occupari.

Est etiam Ordo Temporum, est Locorum, est Operum, &c. Sed his omissis & tanquam notis relictis, ea quæ sunt nostri propositi, de hoc Ordine explicemus.

Dicimus ergo Religioso maximam curam esse habendã Ordinis, si vult proficere in Virtutum studio, & alia commoda consequi, damnaque non perpeti evenientia his, qui Ordinis aut studiosi, aut incurii sunt. Est autem Ordo Religioso observandus duplex: alius Religionis, alius Religiosi ipsius. Religionis Ordinem illum voco, quem Religio præscribit vel omnibus, vel certe penè omnibus. Talis Ordo est, certâ horâ surgere, post surrectionem tantum temporis immediati, præparandæ Orationi seu meditationi impendere, per horam meditari, tum sacro interesse, deinde studiis operam dare &c. Religiosi Ordinem voco illum, quem sibi ipse Religiosus pro suo usu & libitu, à se ipso servandum præscribere debet; ita tamen, ut non prætereat ordinem illum Religionis, sed eo supposito atq; salvo, suum illi adjungat. Cujus Ratio hæc est. Quia enim Religio non potest, neque etiam debet, unicuiq; personæ suæ præscribere Ordinem minutum & particularem omnium agendorum à personâ; id enim nullâ ratione commodè fieri potêst à Religione aut à Prælatis Religionis, potest autem à Religioso ipso; ideo Religiosus ipse debet sibi hunc ordinem ipse præscribere particularem.

Exemplo fiet res clarior. Religio præscribit personæ ut concionatorem agat. huic illa dat suum illum ordinem prædictum, communem omnibus, surgendi, Meditationem parandi, eandem faciendi, Sacri dicendi, Examinandi côsciam &c. sed tempus & ordinem studendi, Patres legendi, Concionem parandi, Scripturæ ipsius & interpretum legendorum, Horas Canonicas dicendi, extra OrdinemOrationi mentali aut vocali vacandi, librum spiritualem pro suâ ædificatione lectitandi, à laboribus requiescendi, Templi visitandi &c. Religio nô præscribit, neque potest, neque tenetur; relinquit hoc Concionatori, seu personæ, ut ipsa sibi hunc ordinem actionum, & temporum actionibus deputandorum præscribat. Similiter Religio jubet aliquem studiis vacare aliquibus; huic illa dat ordinem suum illum communem, surgendi, orandi, Sacrum audiendi, ad Scholam eundi, ab eâ discedendi, vacandi, privatim domi studendi. Cæterum eadem Religio non præscribit tali Religioso, quos autores quis leget, quam diu quas lectiones repetet, quis disputationi vel oppugnationi sese præparabit, quid privato studio & quibus horis discet &c. relinquit hunc ordinem ipsi personæ, sibimet præscribendum atque servandum. Par sit judicium de iis, qui à Religione Superiores, Professores, Magistri, Confessarii, Temporalium officiorum curatores constituuntur. Omnibus enim hæc industria ut conficienda, ita etiam observanda, à Religione relinquitur. Quam Industriam, Ordinem têporum & Actionum possumus appellare; in quo cupio & suadeo, ut Religiosus sui profectûs amans, ita tempus suo arbitrio à Religione relictum ordinet, ut cuique tempori assignet actionem certã, illo tempore peragendam, & nullatenùs Differendam, nisi necessitas, obedientia, Charitas, exigat oppositum.

Sub hoc porro temporum & actionũ privato ac personali ordine comprehendi cupio à Religioso, atque ordinari, nô solùm tempora notabilis Quantitatis, aut actiones longioris durationis, sed etiam minuta tempora & opera, quæ micæ & fragmenta temporũ dici possint. de quorum observatione, alius dicendi locus erit exactior, nunc sufficiat id Religioso commemorasse, ut meminerit hasce micas temporum notare, & cuilibet earum,

 actiun-

actiunculam aliquam seriam (cuperem autem piam & ad Deum directè ducentem, aut mentem recolligentem sibique reddentem) intra tempus illud peragendam assignare; citra tamen notationem aliorum, citra fatigationem virium, citra actionum publicè incumbentium detrimentum ac impedimentum; sed suaviter & modo soli Deo noto, ab aliis autem vix notando.

6. Exempli gratiâ illud tempus, quod insumis per curritorium à tuo cubiculo ad alium quempiam locum, quo aut vage circumspiceres, aut otiosa cogitares; impende brevi tuimet recollectioni, impende ferventi & ignitæ ad Deum ejaculationi, impende intentionis renovationi, impende actuum vel caritatis in Deum, vel humiliationis tui, vel resignationis repetitioni, impende alicujus rei postulationi, impende Virtutis menstruæ actui, impende propositi in Oratione facti innovationi, impende practicæ præmeditationi operis quod acturus vadis. cuicunque ex his exercitiis piis, fragmētum illud temporis impendes, absq; fructu tuo non impendes. Atq; si id cuilibet tuo per curritorium transitui condimentum addideris; tu ipse judica, quot & quantis & quoties in unum diem (mēsem, annum) meritis profectibusque animam tuam locupletabis, quosvè actibus, virtutis habitum in te radicabis & firmabis.

7. Explicatus hactenus Ordo Temporum atque actionum, si à Religioso eâ quâ par diligentiâ servetur semper, inter alias plurimas commoditates quas parturiet, afferet etiam hanc, quia semper constabit Religioso ratio vitæ suæ; Semper habebit animā in manibus suis, ad otiosa nunquā vacabit, non dico opera, sed etiā verba & cogitata: nulla illi erit in suæ conscientiæ disquisitione difficultas; denique semper Spiritu fervebit, semper spiritu mentis suæ innovabitur. Quæ an ita sint, experientiæ remitto; quanta verò sint, à Spiritualibus viris librisque discendum, non à me hîc explicandum puto.

INDVSTRIA II.

Modus & Regulæ unicuiq; Operi assignandæ & in ejus executione servandæ.

8. PRiore Industriâ Ordinem Temporum & Actionum suasimus observandum: hac Industriâ modum in Actionibus servandum docemus. Quæ res latissimè quidem patet; non tamen à nobis ita tractabitur in præsenti, sed tantùm hoc tradēmus, quod ad fructuosè fæcundè, facile proficiendum in Virtutibus, per actionum nostrarum usitatarum transactionem servire potest.

Modi igitur nomine intelligimus observationes, & veluti Regulas cuilibet operi competentes, quarum diligenti observatione fiant opera non tantùm bona sed etiam perfecta, etiam ornata, etiam meritis fæcunda & animam ditantia, consequenterque Dei gustui atq; placito valde grata. Hæ observationes seu Regulæ, triplicis generis esse possunt. quædam præscriptæ à Religione, aut ab aliquâ simili autoritate cui sit obediendum; quædam à naturâ rei profluentes; quædam spontè à nobis ex devotione nostrâ desumptæ, etiam nobis in tali vel tali opere ad observandum injunctæ. Atque hæ triplicis generis observationes, aliquando concurrunt omnes ad unum aliquod opus, aliquando aliquæ tantùm ex eis. v.g. Actio comedendi, habet à Religione præscriptam observationem, ut præmittatur ei benedictio & sequatur eam Gratiarum actio: item, ut dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio tribuatur. Eadē actio habet à naturâ suâ præscriptam regulam Temperantiæ, ut in cibo non gulæ, non voluptati, sed necessitati ac sufficientiæ serviatur. Eadem insuper actio habere potest observationes eas, quas quisque ex suâ devotione & pietate sibi proscribet. Quomodo Sancta Gertrudis ex Christi consilio omnem bolum sumendū in Christi intingebat Sanguine: Beatus noster Aloysius ad prandium recolebat fel & acetum Christi, eoque condiebat cibos suos, Ad Cœnam, Christum cœnantem cum discipulis habebat propositum.

9. Hæ ultimi generis observationes bifariam dividi possunt. aliæ namq; sunt veluti substantiales operi bono & meritorio quatenus tale est, ita ut nisi illæ adsint, opus parum valoris sit habiturum: cujusmodi sunt, ut sit opus vel ex naturâ suâ bonum sive honestum, vel saltem non malum, sed indifferens, & capax honesti finis. Item ut sit rectâ intentione factum, & eâ quidem supernaturali. Item ut sit ab homine in gratiâ posito &c. Quas observationes quàm sit necesse adhiberi ad operum executionem, vix attinet dicere, cùm res ipsa loquatur. Ita si-

quidem

quidem se habent, ut ad medium illud genus ex tribus, revocari meritò possint.

10. Aliæ porrò sunt non jam substantiales, sed accessoriæ; & veluti exornativæ, quæ supposità Comitate & supernaturalitate operis, illud insuper ornant variis Virtutum actibus, variis piis affectibus, quos suggerit pia & devota, placendique Deo cupida Voluntas. In quibus ipsis adhuc sunt gradus, & quædam celsitudines sublimitatesque defæcatæ in spirituali vità non incognitæ, quæ operibus nostris adjunctæ, non possunt non magnum illis pretium & pondus & meritũ afferre, consequenterque, eximiè animam ditare, ac ditatam, Deo insuper gratam & gratiosam repræsentare. Namque cui dubium esse potest, plùs Deo placere, defæcatumque magis esse opus profectum ex Dei Caritate, quàm ex servili timore, aut ex præmii æterni cupiditate? &c.

11. Præsens igitur Industria, hoc præcipuè vult, ut amator profectûs sui spiritualis, in singulis actionibus suis ordinariis atque notabilioribus, habeat certas praxes & observationes, quas in eis observet, & quibus actiones illas modo quodam supererogatorio exornet, gratiosioresque Deo, ac sibi fructuosiores faciat. Industriæ istius exempla vix ullo in Sancto desunt. Ita S. Xaverius noster dum horas Canonicas recitaret, unicuique horæ Hymnum *Veni Sancte Spiritus & emitte cælitus &c.*, magno cum pietatis gustu præmittebat. B. Borgia, quoties à somno surgebat, statim in genua provolutus, & SS. Trinitatem adorabat, & Incarnationis Dominicæ mysterium venerabatur, & suam vilitatem infra omnia creata abijciebat. Petrus Faber in hoc genere Industriæ maximè excelluisse mihi videtur. quippe quocunque se verteret, quidquid ageret, ubiubi locorum esset, certas observationes suas, pietatis eximiæ plenas habebat. Sancta Gertrudis (ut in Divinæ pietatis insinuationibus refertur,) nihil quoque videtur unquam egisse absque istiusmodi Industriis: Inter has fuit illa una, ut quoties esset alicui locutura, linguam suam in Christi Sanguine intingeret, ut sic lingua purificatior, & sermo efficacior esset. Talia verò plurima in dicto Insinuationum libro reperiet qui volet, atque ad eorum normam pro suo Spirituali gustu, multa sibimet in suis actionibus observanda deliget. Pater Jacobus Alvarez, vitæ spiritualis Magister inter primos clarus, in hoc genere Industriæ explicando, benè magnum volumen insumpsit, omnia quæ à nostræ Societatis hominibus, diebus, hebdomadis, mensibus, semestribus, annis singulis obiri solent opera, recenset, & quâ unumquodque perfectione obiri possit, satìs exactè docet: ita, ut qui ejus præscripta observet, nihil magnoperè in suis operibus desideraturus sit, quod ad perfectionem desit. Quanquam & ille his, quæ dicto Volumine docuit, nemini interclusit facultatem, alia & alia excogitandi, quæ pro suâ pietate, in suis operibus & actionibus observet: quin potiùs viam & modum ad talia inveniend aperuit, dummodo sit, qui hac Industriâ uti non gravetur. Atque ut hac de re pressiùs aliquid dicamus.

12. Amator sui profectûs habebit certas observationes, quas observet, dum è lectulo consurget, dum se vestibus induet, dum Orationi initium dabit, dum orabit, dum ab Oratione recedet. Habebit certam rationem Missæ audiendæ, Examinis faciendi, Coronam B. Virginis recitandi, cibum capiendi, foras ex cubiculo vel domo prodeundi. Habebit certas observationes in Confessione suorum peccatorum, in Recitatione Officii Divini, iu Præparatione sui ad Missam, in ipsâ Missâ, post Missam: in confessionibus aliorum audiendis, in adeundis proximis & alloquendis, in Concionibus parandis & dicendis, in lectionibus parandis & habendis &c. Habebit certam rationem Collectionis hebdomadariæ, ac menstruæ, ac semestris, ac annuæ faciendæ. Habebit certam rationem certas festivitates Ecclesiæ celebrandi, ut sunt, Tempus Adventûs, Quadragesimæ, Rogationum, Qnatuor Temporum. Festa quoque Natalis Domini, Circumcisionis, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, nec non festa B. Virginis, Festa Patronorum &c.

Has istorum aut similium operum obeundorum rationes, unusquisque vel excogitabit ipse, vel ex libris petet, vel ex Patribus Spiritualibus discet: nam hîc illas à me poni, & longum esset nimis, ac præter hujus Tractationis propositum, & præterea frustra hic labor assumeretur: quia non omnia omnibus sapiunt, & præstat in hoc genere rerum permittere, ut quisque in suo sensu abundet, suoque palato serviat.

13. Quærat aliquis, quænam potissimùm censeam in operibus nostris prædictis observanda, & ad quæ in hisce observationibus respiciendum sit. Respondeo in-

deo inprimis, non probare me, ut multæ observationes fiant; hæc enim res est onerosa & fatigat, fastidium deinde parit, contemptum tandem ac denique neglectum. Paucæ igitur atque selectæ designentur, quæ commode fieri possint suo tempore, neque opus sit festinanter ac tumultuariè fieri. Sic enim exiguus fructus, nullus esset gustus earum observationum. Addo deinde, in actionibus primum locum deberi iis observationibus, quæ sunt vel ex naturâ rei, vel ex præscripto Religionis Obedientiæque, alicui actioni annexæ. de quibus suprà hîc initio dixi fol. quibus ubi fuerit satisfactum, & aliàs insuper addere placuerit, tum id fiat.

14. Ac præcipuus primusque locus sit Intentioni bonæ, quæ quo erit purior, tanto melior. Intentioni succedat prævisio occasionũ tam peccandi quàm merendi in opere faciendo. Quodsi hæc prævisio non est necessaria, eò quòd jam hæ occasiones aliàs sint notæ, succedat Propositum de eis vitandis quæ sunt ad malum, arripiendis quæ ad bonum. Atque hîc potissimùm cuperem haberi rationem ejus vel vitii, cum quo Examine particulari, menstruove exercitio pugnatur, vel ejus Virtutis, quæ similiter per singulos Mensis dies ad exercendum assumpta est.

His si placebit addere excitationem fervoris ac Intensionis seu applicationis & diligentiæ in agendo Exemplum quoque seu imitationem Christi aut Beatæ Virginis, aut certi Sancti, Honorem quoque Sancti cujuspiam &c. Oblationem sui, Impetrationem aliquarum rerum sibi aut aliis, satisfactionem pro se, pro aliis, vivis, mortuis: hæc omnia utiliter fient, modò ne longo tempore, cum fatigatione, cum festinatione: Sed seriò, breviter, devotè fiant. Præstat alioqui pauca bene & strenue agere, quàm multa tumultuariè & fastidiosè quia actus unus intensus pro mille remissis facit.

15. Forsitan alicui non displicebit, quod addam ex Andreâ Capellâ pio scriptore: qui in quodam suo opusculo collegit plurimas actiones humanas, & easdem piè peragendi modum singillatim præscripsit. Sunt autem sex, quos ad quamlibet actionèm adscripsit. 1. Præmittit Sententias Sacræ Scripturæ aliquas actioni accommodatas. 2. Subjungit considerationem aliquam, etiam actioni congruam. 3. Gratiarum actionem. 4. Confusionem. 5. Petitionem. 6. Oblationem. Non pigebit autem, exemplum unum ex eodem Auctore hîc inserere. Est igitur ejus exercitium ordine secundum, dum in vestiendis nobis manè occupamur.

Sententiæ Scripturæ. Induimini Dominum nostrum IESVM Christum. (Rom: 13. 14.) *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* (Ib: 13.) *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit me. Qui vicerit, induetur vestimentis albis.*

Consideratio. Consideremus quod per peccatum simus subjecti frigori & aliis injuriis corporis: unde egemus vestimentis. Sed & Christus, ut peccata nostra expiaret, nudus in Cruce mortuus est.

Gratiarũ actio. Agamus Gratias Deo, qui providit nobis unde vestiamur & frigora depellamus: item quia nuditatem animarum nostrarum, Gratiæ suæ veste vestivit.

Confusio. Erubescamus nuditatem animæ nostræ, cujus primam Innocentiæ vestem in baptismo sumptam laceravimus, immo eandem toties, licet à Deo instauratam iterum discerpsimus.

Petitio. Petamus à Deo, ut dignetur hanc iterum vestem reparare & vestitu virtutum nuditatem nostram contegere, ut amoveatur confusio nostra, & anima congruò vestita, possit se digne conspectui divino sistere.

Oblatio. Offeramus nos Domino ad perferendam ejus amore Pauperiem, Nuditatem, & denique ipsam Crucis mortem. Hucusque exercitium prædicti Autoris; in quo, ut apparet facile, permultum est pietatis. Neque difficile erit Amatori profectûs sui, talia sibimet apparare pro actionibus suis, aut certè ex eodem autore mutuari.

16. Finem huic Industriæ imponam, si primùm rogavero perfectionis amatorè, ut hujus Industriæ usui, quàm optime affectûs esse curet: neque nimiam sibi perfectionem præscribi, aut gravem sibi laborem suaderi putet. Sit certus non facturum se hac in re tantum, quantũ multi Dei servi factitarunt & faciunt. In vitis Patrum legimus, quendam ex eis, colloquentem cum aliis fratribus orationes complevisse. Pater Jacobus Alvarez, refert de quodam Patre Societatis, quòd in dies singulos, 100 Dei nomina considerare, sub ijsque SS. Trinitati honorem habere solitus fuerit, idque exercitium per multos annos continuaverit. Pater Josephus Anchieta, nunquam à cõtinuâ

tinuâ Dei præsentiâ cessavit, & omnium, quæ agebat, rationes, ex Deo desumere solitus fuit. S. Augustinus de seipso refert Ep: 151. se, antequam obdormiret, in lectulo cubantem, de Beatâ vitâ cogitare solitum: deinde orare, ac tandem dormire. S. quoque Ambrosius suam in simili consuetudinem dum nobis commendat, refert lib: 3. de Virgin: ait enim. *In ipso cubili, volo Psalmos cum Oratione Dominicâ frequenti contexas vice, vel cùm evigilaveris, vel antequàm corpus sopor irriget.*

17. Mitto alios, nusquam hæc in libris & vitis Sanctorum non invenies. Multa possumus, modò posse velimus. dies faciet leviora omnia, faciet faciliora, faciet usitata, ac fere connaturalia. docilé namque Deus providit nobis naturam, & quæ insuescere facile possit, immo & velit, modò nos regere naturam velimus, & quæ est perinde ad mala atque ad bona per se indifferens, eam nos ad bona convertamus, & à malis avertamus. Quis credat, in dicendo Sacro, tot posse devotiones (ut vocant) observari, quot si in unum congregentur, possint Sacrum ipsũ quod dicitur, mole suâ exæquare. Observari autem ita, ut nulla sit temporis prolongatio, nullum per hoc præjudicium reverentiæ attentionique, ad ea quæ in Sacro dicuntur aguntur ve, fiat. quin potiùs, ut per hoc & augeatur devotio, & excitetur reverentia, & attentio innovetur, & fructus ingens animæ proveniat, Hoc inquam vix credibile videtur, & vix posse cum iis, quæ in Missâ dicuntur agunturvé consistere, præcipuè nihil ad mediam horam Sacro præscriptam, temporis addendo: & tamen fieri id posse ac solere, ab iis scio, qui facere solent, neque operæ pretium mentiendi habent. Quod ergo fit ab aliquibus; cur non ab omnibus perfectionis & negotiationis Spiritualis amatoribus? & quod fieri potest in hac unâ satis per se difficili, totumque hominem sibi vendicante actione; cur nõ possit fieri in aliis, vel similibus, vel etiam minùs hominem totum desiderantibus? potest absq; dubio; modò non desit conatus, non desit industria, prudentia, perseverantia. quæ si adfuerint; non patietur se desiderari, avida talium laborum Divina Gratia.

18. Ex his quæ hactenus dicta sunt, facilè concludi potest, quanta sit & utilitas & necessitas hujus industriæ iis, qui perfectionem amant. hæc enim est una ex præcipuis rationibus proficiendi in Spiritu, virtutes exercendi, merita conquirendi, interiùs operandi, assiduè cum Deo agendi & versandi, otiosos ac inutiles actus devitandi, perfectos tamen & sublimes mortificandi. Hæc etiam ratio est una, animam propriam semper in manibus suis habendi, ejusque profectus & defectus quasi in numerato habendi. Dũ enim cuique actioni peragendæ certos homo modos habet: ut primum in modum oculos mentis conjecerit, & actionem ad eos comparârit, illicò perfectionem actionis, statimq; profectum suum & vigilantiam suam cognitam & perspectã habebit: unde perpetuus ei erit stimulus, aut ad perseverandum, si proficere se advertit, aut ad acriùs vigilandum, si deficere ac negligere aliqua recognoscit: Quod totum maximi est in vitâ Spirituali momenti.

INDVSTRIA III.

Per partes assuescendum observationibus in Actionibus, ut vitetur fatigatio & actuatio.

19. PRæmissa proximè Industria, hanc objicere solet, eá uti cupientibus difficultatem, quam etiam ibidem perstrinxi, quòd videatur laboriosa & multiplicatæ reflexionis: itaque obnoxia fatigationi capitis, viriumque ac instrumentorum, per quæ anima nostra operatur. Huic difficultati, necnon & aliis similibus, quæ sese etiam in aliis Industriis offerent, obviat & medetur præsens Industria.

Ne igitur, hac observationum observatione fatigemur atque obruamur; hæ servandæ erunt veluti Regulæ, atque hic modus tenendus. I. Ut non multiplicentur observationes dictæ in operibus, nec multæ illis apponantur, sed tantùm tot, quot faciendis sufficere possumus, immo etiam non tot sed pauciores. Præstat namque paucas diu vel perpetuò facere, quàm multas aliquamdiu tantùm, posteaque deficere, & nec illas nec ullas posse exercere. Qualem etiam Regulam dant Magistri Spirituales in mortificationibus externis, quas tales esse oportet, ut diu adhiberi possint. hoc est; præstat eas esse breves & frequentes, quàm longas & graves esse raras. Graves enim semel vel iterum adhibitæ frangere sic vires possunt, ut postea vel nunquam vel diu fieri non possint, immo

nec aliæ leves sustineri. Breves autem & moderatæ, etsi frequentes, nunquam ita vires atterent, qui repeti valeant. Itaque graves illæ, vires corporis frangent, rebellionem autem sensûs & passionem non edomabunt: immo dum fracto corpori indulgendi necessitatem inducent, & sensui & passionibus robur dabunt: breves autem ac modestæ, sensim & passionem sensim compescent, vires non frangent, sicque & hostem expellent, & Civem servabunt. Consimilis ergo etiã est Regula in observationibus asservanda.

20. II. Ut observationes dictæ, quoad fieri potest, ejusdem generis seu speciei vel omnibus vel pluribus actionibus accommodentur. Sic enim fiet, ut observationum istarum usus in unâ actione evadat facilior in alterâ actione; atque ita uno eodemque labore assuefiat animus iisdem observationibus servandis in ordine ad plures actiones. Exempli gratiâ. Intentionis renovatio assignetur observanda in matutinâ surrectione, in Oratione, in Sacri auditione, in studiorum initio &c. Inde fiet, ut in decursu harum actionum, usus renovandæ intentionis quando surgitur è lecto, valeat ad duo minimùm. 1. Valebit ad hoc, ut etiam crastinâ die, dum surgetur, intentio renovetur, & sic deinceps. aliquot enim diebus vel hebdomadibus intentio renovata inter surgendum, sic insuefaciet mentem & memoriam hominis, ut deinceps quotiescunque surget, semper ei, Renovandæ intentionis in mentem labore nullo, sed quasi naturaliter veniat. 2. Valebit ad hoc, ut etiam in sequenti opere, v. g. in Meditatione intentionem innovet facilè, minùsq; in eâ laboret: & sic deinceps.

21. III. Ut observationes dictas, non laboremus in omnibus simul actionibus (diurnis etiam) usurpare, sed sensim id & per partes faciamus. Assumantur initio actiones duæ vel tres diurnæ: iis observationes modo jam dicto assignentur: assignatæ aliquanto tempore, hoc est per unam, alteram, hebdomadam aut mensem usurpentur, ita ut usurpatio illa sine labore fiat, ut ad eam sponte se mens excitet, ipsaque Sponte suâ menti occurrat semper, quoties aliqua ex illis actionibus duabus vel tribus agenda erit. Ubi jam sic ad tres actiones assueverimus dictis observationibus; assumamus rursus alias tres; & priores non intermittendo, his etiam novis eodem modo per aliquot hebdomadas insuescamus; & posteaquam his quoque insueverimus; iterum alias assumamus, & observationes in eis usurpare, itidem eadem ratione condiscamus, donec omnibus actionibus quibus volemus, assuescamus. Talis modus servatus, nullam fatigationem inferet viribus. nunquã enim labor assumetur major, quàm fuit initio ad tres primas actiones assumptus. Cùm enim ab assuetis non fiat passio, & quibus insuevimus, iis non fatigemur; (quod præcipuè in mentalibus actibus verum est) hinc fit, ut initio tantùm circa tres actiones laboremus: quo labore in assuetudinem & facilitatem verso, dum circa alias tres novas actiones laboramus, tantùm circa has laborem habemus, circa priores verò nihil fatigamur, quia omnia ex habitu & facilitate operamur. ab assuetis autem, ut dixi, non fit passio, & sic deinceps discurrendum est. Atque hæc Regula servata omnem indiscretioni atque actuationi aditum præcludit. Habet autem locum etiam in aliquâ aliâ industriâ, quam suo loco subjungam. Nunc autem notandum est pro præsenti

22. IV. Ut actiones in quibus, observationibus nostris uti volumus, non sint nimium minutæ, sic enim fatigatio non evitaretur, & vis fieret capiti, exhaurirentur Spiritus animales ac vitales, nimiâ & nimis frequenti continuatâque actuatione. Quod periculũ in vitâ & B. Aloysii nostri & Joannis Berchmanni observatum à Patribus Spiritualibus legimus, sed non perinde ab illis beatis animabus declinatum. Sint igitur actiones observationibus nostris ordinandæ, graviores & notabiliores: non nimis multæ: non nimis breves. Sic namque fiet, ut vitetur multitudo, continuatio, actuatio, fatigatio. fiet vero ut actiones obeantur prudenter & perfecte, observationes vero usurpentur suaviter & discrete.

23. V. Ut harum observationum nostrarum non simus servi & mancipia, neque avari ac scrupulosi earum à nobis exactores, neque si eas vel earum aliquas omitti aliquando contingat, ob id nimium simus anxii; agamus talia in spiritu libertatis: & cujusdam ingenuitatis. Quod si subnascentem in nobis morosam solicitudinem adverterimus, ejus remedium sit, omissio talium observationum, saltem ex parte & aliquarum, earum præcipuè, quarum omissio nos pungere videtur, aut si omissio cui dura videtur, nõ omittat, sed permutet, aliam in aliam, aut certè

aut certè differat, aut transponat: ut ita suum jus in his retineat & sub devotionum suarum non redigatur potestatem.

Anxietatis namque illius si à rationis & prudentiæ moderamine remedium esse non potest, præsentissimum remedium est, illa vel omissio, vel immutatio, quorum utrumque est etiam quandoque remedium oportunum vanæ gloriæ subnascenti ex observationibus (vel aliunde) istiusmodi reprimendæ. Si quis enî sibi complacet ex eo, quòd consuetudines suas (loquor de spontaneis, non autem de præceptis ab Obedientiâ, & naturâ rei ipsius) diu & exactè servet: is prudenter faciet, si eas vel omittet, vel immutabit, vel transponet. Quod si damnũ metuit meriti, tum vel aliter supplebit, vel ipsa omissione (ob dictam causam) se hoc ipsum meritum lucraturum sciat. Neque hoc est Diabolo cedere, sed potiùs diabolo & vanæ gloriæ resistere, occasionemque intumescendi conscientiæ auferre. quæ enim ex continuitate observationis offerebatur, eadem si se aliquando omisisse recordabitur; elationis occasionem non habebit. quod est non tantùm Diabolo restitisse, sed etiam periculi in posterum creandi illi materiam subduxisse.

24. VI. Immo verò expedit hoc etiam in dictis observationibus servare, ut non semper serventur, sed aliquando immutentur, ut fastidium vitetur, ut mutatione mens & fervor renovetur, ut perfectioribus exercitiis (quod notandum) locus detur. Neque enim semper omnia nobis occurrent, immo Dei mos est, ut ab imperfectioribus ducat ad perfectiora: immo adhuc experientiâ constat, unam eandemque veritatem quæ satìs clarè videbatur fuisse penetrata, postmodũ auctâ desuper à Patre luminum, luce longè sublimiùs penetrari, & ex cujus penetratione practicas conclusiones atque observationes deduci, & actionibus apponi posse.

Quare hîc etiam habet locum illud, ut non simus servi nostrarum devotionum, observationum, & consuetudinum: id enim fieret magno animæ damno, & magno, ut ita dicam, gratiarum divinarum in nobis vel impedimento, vel contemptu, semperquè hærendum esset in incipientium statu, aut cum eo ad altiorem viam pergendum, quod necessarium non est, immo frequenter absurdum. Itaque si ad perfectiora nos Deus vocet exercitia, non vereamur relinquere imperfectiora. Cùm essem parvulus, sapiebam ut parvulus; cùm autem factus sum vir; evacuavi ea quæ erant parvuli; ait Apostolus: *Quidni & nos ejus exemplo idem faciamus?*

25. VII. In Observationum istarum (quod etiam in omnium no rarum privatarum devotionum & exercitationum usu locum habet) usurpatione, vitandũ est: ne propter nostras spontaneas & voluntarias observationes, negligamus ab obedientiâ vel à naturâ rei præscriptas, sive observationes, sive actiones. Hoc enim esset non proficere sed deficere: id esset propriæ Voluntatis mancipium fieri & observationibus suis servire. Illa Christi Regula servanda est, *hæc oportet facere, & illa non omittere.* (Matt: 23. 23.) alioqui objiceretur nobis meritò quoque Pharisæis: *Quare vos propter traditiones vestras transgredimini mandatum Dei?* (Matt: 15.) In hoc peccant illi, qui v. g. propterea, ut Officium de Conceptione recitent, tempus spirituali libro, Meditationis Præparationi, examini conscientiæ deputatum illi suffurantur: Similiter illi, qui devotionibus ad mensam attendunt, lectioni autem mensæ aures non dant, neque ex eâ fructum capiunt. Item illi, qui in externis occupationibus peragendis ad suas internas devotiones absorbentur, & exteriùs imprudenter, contra judicium, cum damno, cum aliorum molestiâ operantur. Horum mores probare non possum, neque sectãdos cuiquam suadeo. quippe hi mores, & disciplinæ, & ordini, & obedientiæ adversantur, scandalis, schismatis, sermonibus, occasionem dant: & ipsis eorum authoribus, ad nihil, nisi forte ad superbiam, illusionem, & ruinam prosunt.

Quæ in hac Industriâ explicandâ tradidimus, ad eum præcipue fructum nobis pariendum conducent, ut in Exercitiis nostris Spiritualibus, securè, discretèque progrediamur, tum ut cum facilitate, immo & cum celeritate in eis proficiamus. Etsi enim videtur hic esse modus lentior; & per modicos veluti quæstus opes Spirituales corradere; est tamen longè velocior opposito agendi modo. Celeriùs certè is currit, qui lento quidem, at æquali, & continuato ad finem usque viæ cursu currit, quàm is qui initio quidem festinavit, sed ipsâ festinatione fatigatus decursu desistere ob virium ad pergendum defectum coâctus est. Ille enim tandem ad finem viæ perveniet: iste autem, finem itineris nunquam attinget. Sat citò si qui sat bene.

Sed

Sed non sat benè, neque sat citò qui nunquam.

INDVSTRIA IV.

Actiones nostræ Intentione variorum Finium compatibilium fæcundandæ, & non unus ex eis fructus (ut vulgo fieri à bonis etiam solet) decerpendus.

26. EA est tum Divinæ mentis liberalitas, tum actionum nostrarum, ut ita dicam, tractabilitas; ut per unam actionē nostram (dummodo non malam ex se) ad multos fines applicare possimus, consequenterque multos effectus & fructus unius operis consequi Deo non tantum manum suam non arctante, sed immo etiā liberalitate suâ divinâ planè dilatante. Non comprehendam hac Industriâ totū, quidquid eâ includi posset: aliis id Industriis reservabo explicandum: hic tantùm exponam, quos ad fines, & ex quibus rationibus possit una eademque actio applicari, non absque utilitate & profectu animæ.

Possumus igitur actione nostrâ qualibet, 1. Deum laudare atque exaltare. 2. Possumus imitari eundem. 3. Possumus gratias agere eidem. 4. Immolare nos & dedicare seu offerre ac donare eidem. 5. Mereri bona tum spiritualia tum temporalia. 6. Impetrare seu nobis, seu aliis. 7. Satisfacere pro nobis ac aliis. 8. Satispati pro nobis ac aliis pro futuræ vel præsentis vitæ pœnis. Rursum possumus similiter qualibet actione nostrâ, nihil præjudicando proximè positis, laudare, honorare Christū, B. Virginem, Sanctissimos omnes & certos. Imitari eosdem, agere iisdem gratias, ornare & adjuvare actiones nostras meritis, gratiis, precibus illorum: easq; efficaciores reddere ad impetrandum, ad satisfaciendum & satispatiendum. Possumus reddere gratiores gustui Divino per eadem merita & gratias atque preces, Christi, Dei Matris & Sanctorum.

27. Mitto alia interim, aliis industriis, ut prædixi, explicanda. hæc quæ attuli ostendere possunt, quantas utilitates ex nostrâ qualibet actione percipere possemus, si actionibus nostris uti sciremus. quantis è contrà commodis privamur, dū actionibus nostris, non ita prout possemus, utimur: quantis item in tenebris versentur illi, qui nimis multum se facere, nimis diligentes esse negotiatores spirituales putant, si actiones suas bonas, bonâve intentione actuali vel virtuali facere laborant. Etsi enim hi malè nō faciunt, nec in eo, quod faciunt, reprehendendi sunt, non tamen ideo, quia hoc faciunt, jam diligentes planè omni ex parte censendi sunt. Curandum potiùs, ut aperire oculos velint, & ad thesauros quos in suis actionibus latentes habent, quosque sine fructu sibi perire sinunt, & quos exiguo labore eruere, atque suos pro omni æternitate reddere possent, aliquando advertere, & veternum excutere & ignorantiam ab animo abstergere. Quotus enim quisque est, qui cùm aliquid facit, non est bene contentus opus suum ad Dei laudem dirigere, vel illud pro suis peccatis offerre, vel per illud, aliquid à Deo impetrare, ita quidem ut de eodem opere ad alios usus dirigendo nihil cogitet?

28. Atque certum est, posse unum opus bonum ad multos fines dirigi, & fines illos per illud, obtineri sine impedimento mutuo illorum finium. v.g. potest uno jejunio & Deus laudari, & Christus imitatione exprimi, & B. Virgo honorari, & Sanctus ille vel ille coli, & obedire præcepto Ecclesiæ & satisfieri pro animabus in purgatorio, & obtineri Indulgentia, & impetrari aliquid Ecclesiæ, nobis, aliis, & meritum gratiæ haberi, & sobrietatis Virtus augeri, & caro mortificari, atque spiritui subdi, & expiari pœna peccatis debita & aliquid temporale impetrari, si Deo ita videatur. Hæc omnia unico jejunandi actu possunt obtineri; neque unus finis alterum impediet, immo etiam adjuvabit. Hic jam judicandum relinquo, si quis jejunium suum offerat ad solam Dei gloriam, vel ad solam satisfactionem pro peccato de aliis finibus nihil cogitet; sitne ille reliquis istis jam enumeratis commodis Spiritualibus privatus nec ne. Negari non potest privatum esse: Quoniam supponimus intenta ab illo in opere jejunii non fuisse. quod autem quis non intendit seu non vult id promereri non potest, in præsenti præcipuè materiâ. Si igitur privatus est commodis, quæ habere solâ Voluntatis intentione seu actûs applicatione potuisset; nunquid hoc parvam jacturam homo Spiritualis, & diligens nego-

negotiator reputabit? minimè verò.

Quid igitur faciendum? hoc, quod jam ex dictis colligi facile potest, ut opera nostra omnia & singula, majoris præsertim momenti, illâ finium jam explicatorum varietate imbuantur à nobis; sitque id quotidianum, ac si fieri potest, sæpiùs in die frequentatum exercitium, istiusmodi applicationem finium ad opera nostra facere, & quasi extensionem quandam operibus, cujus sunt capacia, addere; extensionem, inquam, in valore, non in duratione, aut in aliquâ aliâ ratione.

Quod autem dixi faciendum operibus seu actionibus, hoc ipsum faciendũ censeo passionibus sive molestiis (animi vel corporis) quæ se nobis nunquam nõ ingerunt, etiam non advertentibus; & has enim eodem modo condire supradictis finibus possumus, simulque ad lucra animabus nostris parienda, fæcundiores facere. Operæ pretium puto fore, paradigma & praxim hujus Industriæ ob oculos hoc loco ponere iis, qui eam Industriam servare, & ad praxeos hujus normam, suas sibi conficere volent. Est igitur praxis ac paradigma hujusmodi.

Valoris Actionum & Passionum nostrarum extensio sive applicatio.

29. *Per omnes & singulas actiones ac passiones totius vitæ meæ, quas omnes nunc voluntariè accepto de manu Dei.*

I. Volo Laudare, dignificare, adorare; amare & revereri. Sanctissimam Trinitatem, Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. JESUM Christum Deum, Dominum ac Redemptorem meum. Pretiosissimam Dei Parentẽ VIRGINEM MARIAM. Sanctos omnes Angelos & homines, ac nominatim N. N.

II. Volo Imitari quàm perfectissimè omnibus & in omnibus, Sanctissimam Trinitatem, JESUM Christum, præcipuè pro me passum, contemptum, stultum reputatum, Pretiosissimam PARENTEM. Sanctos omnes.

III. Volo Agere Gratias. Sanctissimæ Trinitati, ex cujus Gratiâ: JESU Christo, ex cujus meritò. Sanctissimæ Virgini, Sanctisq; omnibus, ex quorum precibus illa facio ac patior.

IV. Volo mihi mereri Gratiam sanctificantem. Gloriam & vitam æternam. Remissionem peccatorum quæ nunc retracto, & pœnarum quas merui. Totum id, quod Divina Voluntas vult. Augmentum Charitatis & Virtutum omnium. Benedictionem in officiis necessitatibusque meis.

V. Volo impetrare mihi & Amicis & &c. Gratias actuales, frequentes, efficaces, finales. Gratias sanctificantes. Gratias gratìs datas congruè ad salutem. Gratias proficiendi heroicé in omni sanctitate statui propriâ. Auxilia in consiliis, necessitatibus, officiis. Temporalium sufficientiam. Præservationem a malis Animæ & Corporis. Perseverantiam in bono Finalem.

VI. Volo impetrare Ecclesiæ Dei, & SOCIETATI IESU. *Conservationem & pacem. Propagationem & incrementum. Vigilantiam Pastorum. Copiam Apostolicorum virorum. Exterminium scandalorum, & scandalisantium, atq; hostium.*

 VII. Vo-

VII. Volo satisfacere & satispati. Pro peccatis meis & pœnis eorum, quæ nunc retracto. Amicorum carne & spiritu, Pro pœnis peccatorum, alienorum, Superiorum, & subditorum. Pro pœnis animarum in Purgatorio. Inimicorum ——.

VIII. Volo Omnes & singulas & me per omnes ac singulas Sacrificium & holocaustum Deo facere ——.

Omnia ex Voluntate mea deliberata; omnia pro hoc, & pro omni reliquo vitæ meæ mortisq; momento, omnia ad gustum & gloriam Voluntatis Dei æternæ, meæ suavissimæ, ac semper adorandæ Sponsæ.

In unione Sanctissimæ JESV Christi in mundo conversationis: nec non Pretiosissimæ Parentis.

In unione meritorum & Oratione JESV Christi, Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum omnium ——.

30\. Hactenùs promissum Paradigma, cui addere aut detrahere poterit qui volet, quidquid volet. Ac erit forsan non nemo qui dicet videri sibi justorum opera, atque afflictiones, etiamsi non ita expressim ac minutim Deo offerantur, nec ad prædictos fines offerantur, neque istæ omnes rationes in iis reperiri possibiles specifice recenseantur; posse tamen aliquid eorum finium consequi, utilitatemque animæ sine hac curâ tam exactâ proferre, ac proinde, curam hanc Industriamque, minùs necessariam esse. Sic sentienti, ut contradicere nolim, ut aliquid permittere etiam possim, omnia tamen non possum: cùm profectò certum sit, ad pleraque dictorum opera passionesque nostras, sive justorum, extendi naturâ suâ, sive voluntariâ expressâ vel implicitâ (quæ tamen in expressâ & explicitâ actualiq; fundetur) intentione atque applicatione, ut proinde dici non possit, hanc curam inutilem, & hujus Industriæ usum non necessarium esse.

31\. Cuilibet (ut aliàs dixi) in suo sensu abundare, per me licet. hæc non scribuntur, non proponuntur nolentibus sed volentibus. Nō est etiam abbreviata manus Domini, ut non possit alios aliis Industriis, longe, quàm hæ sunt à nobis propositæ aut proponendæ, melioribus, ad metam perfectionis deducere: nam si de uno scriptum est justo; *justum deduxit Dominus per vias rectas*; quanto id veriùs est de Justorum multitudine, è quibus, audeo dicere nemo est, qui eâdem cum altero aliquo ducatur viâ ad perfectionem; sed tanta sit varietas justorum in Spiritu, quanta est varietas hominum in vultu. Pertinet hoc enim ad divitias Bonitatis, & ad thesauros Sapientiæ perfectionisq; Divinæ; ut sicut stella à stellâ differt in claritate, ita & perfectio alia atque alia sit omnium & singulorum, impleaturque illud Psalmi de Ecclesia Dei; *Astitit Regina à Dextris tuis circumamicta varietatibus.* (Psal: 44. 6. 15.) Quocirca utendi di Industriis istis, penes unumquemque jus esto. Si alicubi à vero & recto aberro, corrigat me: Si autem aliquid de bonis Domini mei, verum rectumque suadeo; dominum audiat & sequatur, non me. Atque quod hujus præsentis Industriæ occasione nunc disci, id ratione omnium aliarum, dictum esse cupio.

INDVSTRIA V.

Actiones nostræ Intentione plurium particularium virtutum, affectibusq; & actionibus earum, in ratione meriti &c. fœcundandæ.

32\. NOn hæc sola, quam modò exposui, ratio est, actiones nostras ad varios fines extendendi, atque per hanc extensionem seu applicationem fæcundandi. Sunt aliæ præterea, e quibus hic unā afferimus. Est autem hæc, ut unicuiq; actioni nostræ, plurium diversarum virtutum motiva apponamus, & ex iis actionem illam exerceamus, ac, quod idem est, unam actionem, plurium virtutum actionem esse faciamus. Et hoc enim etiam

tiam in nostris actionibus boni est, ut una possit plurium virtutum bonitatem atque honestatem in se complecti, dummodo ad eas virtutes intentione operantis referantur. Substantia igitur Industriæ præsentis in eo est; cùm aliquod opus facimus (internum aut externum) faciamus illud ex motivo & intentione plurium, immo quantum fieri commodè potest, plurimarum virtutum, dummodo supernaturalium, quales in hominibus justis habitualiter esse certum est. Sed habitus illos oportet in actum educi, ut non solùm faciant nos simpliciter posse, per modum poten tiæ, sed étiam facilitatem nobis conferant operandi, ex actuũ frequentatione partam. Pro cujus intellectione breviter.

33 Observandum est, 1. Naturales virtutes & fines etsi honestos, nihil ad meritum, gratiam, gloriamque conferre homini. Unde actus naturales naturalium virtutum peccata quidem dici non possunt, inter merita tamen computari non possunt, quia ad finem supernaturalem proportionata non sunt: cùm media fini oporteat proportionari ac ejusdem ordinis esse.

34. Observandum 2. Habitus virtutum in nobis duplices esse posse, Naturales ac Supernaturales: seu, quod idem est, ac qui sitos per actuum frequentationem, & Infusos cum primâ gratiâ sanctificante.

35. Observandum 3. Habitus naturales ab supernaturalibus in hoc inter alia differre, quòd naturales adveniant potentiæ post actus, & acquirantur per actus frequentatos: unde potentiam complent ac perficiunt in eo, ut quod sine habitibus simpliciter tantũ potuit, cum habitibus facilè possit operari: Supernaturales verò non tam potentiæ adveniant, eamvè compleant, quã potiùs potentiam suppleant ejusque vicem occupent. Unde non dant facilitatem operandi, sed tantùm possibilitatem seu potentiam: neque ex actibus generantur, sed actus præcedunt, ante quos infunduntur. Unde fit, ut possit in homine esse habitus alicujus virtutis supernaturalis valde magnus & intensus, & tamen esse difficultas in eodem homine ad exercendos actus illius Virtutis. Quod videre est in recenter conversis per pænitentiam, qui etsi in gratiâ sint, etsi omnium virtutum habeant infusos cum Gratiâ habitus, tamen habent difficultatem in exercendis actibus virtutum, facilitatem verò & propensionem ad actus vitiorum.

36. Ex quo consurgit illud étiam discrimen aliud, inter naturales & supernaturales habitus: quòd cum habitibus naturalibus virtutum per actus acquisitarũ, non possint stare simul habitus oppositorum vitiorum, cum habitibus verò supernaturalibus virtutum, possint stare habitus vitiorum virtutibus illis oppositorum: unde accidit illud quod modò dixi, ut recenter conversi, v. g. ebriosi, etsi habeant in se habitum Temperantiæ ac sobrietatis, tamen post conversionem recentem, sentiunt difficultatem in abstinendo ab ebrietate, facilitatem verò & pronitatem ad inebriandum. Hoc enim non accidit aliunde, nisi quia habitus illi simul stant, sobrietatis & ebrietatis. Stant autem, quia ille est tantùm per modum simplicis potentiæ ad sobrietatem, iste autem per modum facilitantis potentiam ad ebrietatem. Eapropter qui habet habitus supernaturales, esto plurimos, esto in gradibus intensis, iste non hoc ipso habet facilitatem operandi seu exercendi actus illorũ habituum: quin potius frequenter habet difficultatem magnam in eis exercendis. Oportet ergo, ut istos suos habitus supernaturales ac infusos, in se quodammodo compleat & perficiat actuum competentium exercitio. quò fiat, ut jam illis habitibus supernaturalibus adveniat facilitatio quædam, ut per eos, non solùm possit operari ut ante, sed etiam facile possit actus exercere, atq; etiam cum voluptate, lætitiâ, & quasi connaturaliter. Ad quem statum quando à nobis in nobis deducuntnr habitus supernaturales; tum efficiuntur perfecti, & nos etiam faciunt perfectos.

37. Ex quo colligere est. Primò, quàm sit necessarium Virtutum infusarum exercitium actuale, sine quo, virtutum habitus, sunt in nobis prope ac si non essent.

2. Multos in nobis quandoq; esse habitus, & quidem intensos, quos tamen ita habemus, ac si non haberemus, eorum actus nunquam exercemus: nũnquam autem exercendo, steriles ac otiosos, & magnâ sui parte quasi imperfectos in nobis relinquimus.

3. Quàm sit necessarium à nobis, in nobis, particularium virtutum per actus unicuique Virtuti proprios exercitium. Quod cùm sit valdè laboriosum ac propemodum immensum; inde efficitur, ut unum ex his faciat homo virtutum & perfectionis studiosus: vel ut singularium virtutum actus frequenter eliciat, sicque fa-

que facilitatem ac perfectionem earum acquirat. & hoc dixi laboriosum esse: vel ut singulas virtutes habens (etiam scripto) collectas, eas certas in classes seu partes dividat, & unicuique classi tempus, quo exerceat, & actus, quibus exerceat, & occasiones in quibus exerceat illas virtutes, in sesèque nunc has nunc illas perficiat: vel ut plures virtutes simul, ac distinctè in uno eodemque actu exerceat. quod potest duobus modis fieri: vel solâ intentione Voluntatis & directione actûs in finem & motivum plurium virtutum distinctarum, nullos interea exercendo proprios illarum virtutum actus. ut v. g. quando dico. Volo orare, ex spe in Deum & Charitate, ex obedientiâ, patientiâ, humilitate, Religione, Timore Dei, non eliciendo interim actum explicitum Charitatis, neque affectum aut actum Obedientiæ, neq; Humiliationis mei &c. sed tantùm solam orandi actionem ad omnes illas virtutes dirigendo: Atque hic modus est bonus, de eoque præsens Industria procedit: vel certè non solâ intentione virtutum plurium expressarum, sed etiam præterea cum quodam exercitio explicito affectuum, & actuum illis singulis virtutibus propriorum. Ut si v. g. dicam, Volo orare ex spe in Deum, à quo omnia spero, ex charitate, quâ diligo nunc Deum super omnia, ex obedientia, quam Deo præsto & superioribus omnibus propter Deum; ex patientiâ, quâ grato animo accipio adversa omnia, quæ Deo placuerit, & placet, me perpeti; ex humilitate, quia ita vilis & mihi ad nihilum sufficiens sum, ut Dei gratiâ egeam in omnibus. &c. atque hic modus est etiam bonus, & priore perfectior, licet fortè laboriosior: quanquam in exercitatis hic labor vix ullus est, & potest brevissima affectûs cuilibet virtuti proprii elicitione perfici; & deinde si semel in die expressim fiat, ad unam actionem vel ad omnes in genere & communi, potest brevissimâ ratihabitione sæpius, in diem repeti, sine labore ad singulas quasque graviores actiones; servatis præsertim his, quæ Industria 3. suprà notavimus.

Itaque ex tribus prædictis modis, actus particularium virtutum exercendi, Primus, ut dixi, est laboriosus: secundus satìs commodus, est, deque illo alibi dicetur: Tertius, qui bifariam divisus est, est etiam commodus, & hac Industriâ præcipuè commendatur.

38. Colligi autem ex prædictis 4. potest, hac unius actûs ad intentionem plurium simul particularium virtutum applicatione, duo commoda advenire homini spirituali. 1. Amplificationem meritorum per unum quemlibet sic exercitum: seu, sic pluribus virtutibus imbutũ & exornatum actum, tot enim sunt merita, quot virtutes intentæ. 2. Exercitationem actuum, & per actus Habituum infusorum; quâ exercitatione fiet, ut nõ magno, immo compendioso labore, singulæ particulares virtutes propriis actibus exerceantur, & facilitate illâ quâ alioqui ex se carent, & est habitus omnino necessarius, imbuantur, sicque homo, perfectas virtutes possideat, & perfectus ipse fit: qui est scopus totius laboris spiritualis, immo totius Evangelii & Scripturæ: nihil enim nobis præscribitur aliud, nisi, Estote Perfecti, *Esto Perfectus;* Perfectus autem ille est, qui omnes virtutes habet, non in habitu infuso tantùm, (quia sic haberi omnes virtutes ab imperfectissimis Justis possunt,) sed in habitu actibus exercitato & completo: ita, ut per eos homo bene atque studiosè nõ possit tantùm operari, sed etiam facilè possit; delectabiliter possit, connaturaliter quasi possit: malè autem nonnisi ægrè, non nisi difficulter possit. In eo statu virtutes esse, hoc demum est eas perfectas esse: in eo statu virtutes habere, & consequenter hoc demum est perfectum esse.

39. Dixerit aliquis apud Magistros Perfectionis, quatuor genera Intentionum assignari. Unum est cùm aliquo opere intendimus executionem mandati Divini, seu mandatorum. Secundum, cùm aliquo opere intendimus virtutem aliquam exercere non præceptam, supposita tamen obedientiâ mandatorum (hæc enim includi debet ubique) Tertium, cùm aliquo opere intendimus plures virtutes in specie exercere. Quartũ, Cùm purum, solum, nudum, Divinæ Voluntatis beneplacitum in actione intuemur, & aliud nihil quærimus. Ex qua doctrinâ apparet, documentum hac Industriâ traditum, pertinere ad tertiũ harum Intentionum genus, consequenter esse imperfectius quarto genere, proinde minùs fæcundum & meritorium.

Ad quod Respondeo. In hâc Industriâ, & in dictis de illâ, mihi propositum non fuisse, assignare aut perfectissimum Intentionum genus, aut modum operandi maximè meritorium, & ad animam ditandam fæcundissimum: itaque nihil hac objectio-

objectione derogari, his quæ dicta sunt à nobis. Quia tamen id hoc loco disputandum se obtulit, quod alioqui alibi etiam disputari debuisset; pauca de hac re addo.

40. Ex quatuor Intentionũ generib⁹. Primum esse omnino necessarium, sed imperfectissimum. 2. Perfectius priore, supponere tamen primum. 3. Perfectius utroque sed item supponere primum. 4. Perfectius omnibus & in se continere nõ tantùm primum, sed & alia duo. Conformitas enim cum Dei Voluntate in omnibus, est omnis virtus, est omnis perfectio, est omnis charitas, est omnis cum Deo amicitia, est, absit verbo error, propemodum ipsa Sanctificans Gratia. quod eo sensu loquor, quo Theologi non postremæ notæ, charitatem à Gratiâ non discernunt vel vix discernunt. Itaque ejus Intentio, est omnium Virtutum intentio, ejus possessio, omnium est possessio; ejus perfectio, est omnium perfectio. In tantùm enim quælibet virtus est Virtus, & in tantùm cujuslibet Virtutis actus, est Virtutis actus, immo in tantum est licitus actus, in quantum est Dei Voluntati conformis. Tolle conformitatem, actus virtutis non est virtutis sed vitii, nec virtus, est virtus, sed vitium. Hanc igitur intendere & tenere in actionibus nostris, est omnium virtutum perfectionem intendere & tenere.

41. Sed hîc advertenda sunt duo. Primum, Conformitatem cum Dei Voluntate, aliam esse inchoatam, aliam perfectã: (perfectam autem voco, pro gradu & statu hujus vitæ, nam alioqui conformitas perfecta simpliciter, non est hujus vitæ, neque hîc obtineri potest, sed tandem in Patriâ obtinebitur) Imperfecta & inchoata Conformitas, habet aliquod discrimen suum in aliis virtutibus: & iis indiget, & intentio illius cum aliarum intentione stare potest.

Perfecta Conformitas, qualis esse hujus vitæ potest, etiam suo modo taliter se habet cum aliis virtutibus, ut Inchoata; plus tamen vel minus, pro sui majori aut minori perfectione: alioqui illa, naturâ suâ est quasi omnis virtus, atque omnium virtutum vicem supplet, est earum fructus, nucleus, & earum perfectionẽ ab iis labore longo quæsitam, illa ut suam habet, suam facit, Virtutes verò illi ut famulæ obsequentissimæ, Dominatrici, Heræ, obsequuntur. quò si Epicurus respicere potuisset, qui Virtutes Voluptatis ancillas, & ejus throno assistentes dixit, nihil extra propositum dixisset, nihil extra veritatem. In veritate namq; Conformitas & Unio cum Dei Voluntate, Voluptas est, & pax, & fruitio summi boni secura, & pro statu hujus alteriusvè vitæ imperturbata. Cui virtutes omnes, & omnis singularum perfectio militat, ex earumque perfectione illa resultat; ut verissimè justissimèque suprà dixerim, quòd hanc Conformitatem in actionibus intendere & tenere, sit omnium Virtutum perfectionem (non tantùm virtutes ipsas qualescunque) intendere ac tenere. Quia tamen hæc Conformitas quamlibet perfecta sit, tamen in hac vitâ imperfectionem semper habet, ideò etiam semper exercitio aliarum virtutum opus nos habemus, tum ut virtutes ipsas perficiamus, tum ut conformitati illi cum Voluntate Divinâ, nos magis ac magis idoneos reddamus. Ex hac autem consurgit secundum, quod observandum esse dicebam, nempe suppositâ hac perfectâ imperfectione, vel imperfectâ perfectione Conformitatis cum Dei voluntate in nobis pro hoc vitæ statu dari posse.

42. Quintum Genus Intentionũ (quod si nõ coincidit cũ 4. perfectius erit illo) in eo situm, ut complectatur omnia quatuor suprà dicta, addatque illis hanc complexionem, & quandam subordinationem & trium primorum generũ ad quartum, & quarti ad se ipsum; ita, ut fiat aliquod opus tum ex motivo implendi imperii præceptique divini, tum ex particularium aliquarum virtutum non unius tantùm, sed etiam plurium intuitu: qui uterque intuitus tam implendi præcepti, quàm exercendi alias virtutes, subordinetur conformitati nostræ Voluntatis cũ Divinâ, & fiant illi intuitus propterea, quia id Deo placet, Deusque vult; & rursus ista ipsa subordinatio ad Dei Voluntatem, fiat propter eandem ipsam Dei Voluntatem, ut sic faciamus Dei Voluntatem ad Dei Voluntatem, prout alicubi loquitur S. Bernardus, atque Deo secundum Deum vivere, servire, & placere valeamus, prout alicubi orat Ecclesia. Ex quo sequetur, nihil omnino defuturũ isti intentioni quinti generis, ad plenam, quæ in hac vitâ cogitari, & actionibus nostris à nobis attribui potest, perfectionem ac sublimitatem.

43. Volueram hujus Industriæ explicationem paucioribus, quàm priores prosequi, sed præter spem, longiùs etiam quã præcedentes, processit oratio. Puto tamen nihil præter propositum ac nihil

absque utilitate dictum esse hactenus. Superest ut Industriæ hujus paradigma aliquod praximque proponamus.

Dignissime Deus, volo ab hoc tempore deinceps omnia facere eo motivo, eoque modo, quo tu vis, & quia tu vis illa fieri à te & à me propter omnium mandatorum, consiliorum & beneplacitorum tuorum impletionem, propter virtutum omnium Theologicarum & Moralium, supernaturalium, donorumque & fructuum Spiritûs Sancti in omni congruo mihi gradu assecutionē, exercitationem, incrementum, propter Gratiæ gloriæque tuæ in me confirmationem, propter Instituti mei perfectam impletionem, propter totius mundi auxilium, propter omnium Sanctorum, omnium Angelorum, Pretiosissimæ Parentis, IESV Christi, Tuum verò Sanctissima Trinitas Deus, imprimis honorem & imitationem; super omnia verò, propter omnimodam Tui gustus recreationem, Adorandæ Voluntatis executionem, Summæ Bonitatis dilectionem, eminentissimæ Dignitatis exaltationem, mei denique universalem annihilationem, quia hæc est Voluntas dignitatis Tuæ, & dignitas Voluntatis Tuæ. Amen.

44. In hoc paradigmate: observa Primò. Illud omni Actioni etiam totius vitæ accommodatum esse: posse tamen facilè actioni particulari accommodari. Factum verò id ideo, ut unum omnibus servire possit & laborare necesse non sit in novis excogitandis. Præterea, ut si semel vel iterum tertiòve in diem fiat, aliis vicibus, non sit eam praxim opus repetere ad opera singula, sed tantùm ad hæc semel iterumve recitata, mens se possit revocare, & ea etiam in præsenti rata habere. Quomodo à Patre nostro Jacobo Laynes legimus solitam fuisse quotidie Renovationem votorum, in Sanctissimo Sacrificio, tribus verbis perfici: Placet quod promisi. Sic enim & nos dicere per respectum ad paradigma positū possumus, Placet quod intendi, vel: quæ intendi, rata habeo.

45. Observa 2. omnes hoc paradigmate Virtutes, sed genericè tantùm non in specie, ne longum esset, facile erit cuivis, earum nomina interserere, quarum præcipuè motiva & actus cupiet exercitos: sicut etiam facile erit, eosdem actus, vel affectus exercere saltem mente.

Observa 3. In hoc paradigmate perstringi omne genus Voluntatis Divinæ, & præcipientis, & suadentis, & simpliciter arbitrariè volentis, hoc est Voluntatis Signi & Beneplaciti.

Observa 4. Inseri etiam huic paradigmati quædam eorum, quæ Industriâ præcedenti sunt commendata, ut advertas utramque hanc Industriam, immò & plures alias, conjungi posse ad unam actionem perficiendam, dummodo longitudo, fastidium, fatigatio vitetur; quod prudentiæ ac discretionis erit, quam sēper præ oculis haberi cupio ab his, qui hæc servare volent; sicut etiam obedientiam, consilium Patrum ducumq; Spiritualium suorum, Caritatem, Necessitatem: Hæc enim oportet & incumbit servare ac facere; illa autem, si poterunt non omitti, non omittere.

Fructus hujus Industriæ quis sit futurus utenti, jam satis ex dictis patuit: morari me & repetere nihil est opus.

INDVSTRIA VI.

Vsus Potentiarum tam animæ quā Corporis, quibus plurimis uti solemus in aliquâ unâ actione vel occupatione, DEO explicitè offerendus.

46. NOn absque profundo Providentiæ suæ consilio Deus nos homines condidit compositos ex Animâ & Corpore; iterumque animas nostras multis potentiis, corpora multis partibus & membris, animæque ad operandum multiplicibus instrumentis, non absque providâ mentis suæ ratione constare voluit. Fecit hoc inter alias causas etiam ob istam, ut ex hac multitudine partium, organorum, potentiarum, actuum, consurgeret in nobis multiplex etiam & mirabilis laudum divinarum harmonia, multiplex simplicissimæ illius ac æternæ ejus naturæ potentiæque operatricis, ac primæ causæ, nec non aliarum perfectionum ejus repræsentatio, multiplex merendi ratio, multiplex Virtutum exercitatio. Cui enim dubium, quia hæc omnia prædicta ex hac multiplicitate potentiarum atque consequenter actuum consurgant? Et quamvis hoc apud multos sit extra considerationem & advertentiam; quamvis apud plures etiam sit extra usum debitum & honestum; non ideo tamen evacuari potest, aut par est, Providentiæ cōsilium. Quin immo, si quis hactenus id aut non advertit, aut neglexit in seipso, inque suis quotidianis actibus; recta ratio dictat, multoque magis Negotiationis Spiritualis vigilantia exigit, ut hæc bona Domini, quæ quotidie tam multipliciter

pliciter usurpamus, sive otiosè, sive tantùm naturali impetu ac instinctu, sive etiam honestate; usurpemus ex rectâ ratione, ex devotâ mentis intentione, ex supernaturalis finis applicatione & adjunctione, sicque ex Domini bonis & talentis, esto nobis minutis, ingentes tamen usuras & fructus Domino colligamus, & in tempore rationis reddendæ eidem repræsentemus, cum ejus insigni Voluptate, cum nostrâ vero illâ beneficâ commendatione: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini Tui.* Matt: 25. v. 21.

47. Libet rem hanc Exemplis declarare: forsitan enim & illustrior erit ad cognoscendum, & efficacior ad persuadendum. Solvit aliquis pensum Horarum Canonicarum Deo, is, non dubito, ante illud opus, offert illud Divinæ Majestati, sive intentione communi Ecclesiæ, sive etiam particulari quapiam suâ. & id quidem rectè satis: si tamen aliud amplius facit nihil, non possum aliud dicere, quàm quod multis se privet commodis lucrisque spiritualibus, quod ex eo patebit. Oratio illa, est unica actio orandi in sese, quam, ut dixi, offert Deo, qui facit illam. Huic tamen actioni, annexæ vel sunt, vel esse possunt, plures actiones plurium potentiarum tàm corporis quàm animi, quæ ad Orationem illam, ut sic loquar, partim cooperantur, partim concomitantur. Fit illa ex libro, legendo, fit inambulando, vel sedendo, vel stando, vel flectendo; fit etiam audiendo: fit ex memoria: tenetur liber manu, versantur chartæ digitis: leguntur oculis sententiæ, verba, literæ: aspiratur & respiratur inter dicendum: auribus excipitur tàm propria quàm aliena recitatio & pronunciatio: Intellectus sensum eorum quæ dicit, percipit: manuum, brachiorum, pedum, genuum, aliarumque partium usus intervenit: varietas situum corporis admiscetur, pectus signatur, tunditur, elevatur, inclinatur caput: oculi etiam piè sublevantur vel deijciuntur, affectus voluntatis, vel ex mysterio de quo preces sunt, vel ex sensu verborum sententiarumque quæ recitantur, in Deum, Christum, Sanctos, in vitia, errores, malitias, infinitâ varietate, intensionis & attentionis, devotionis & fervoris sese intermiscent. Imaginativæ etiam, æstimativæque plurimi actus interseruntur, lingua & omnia loquendi organa, in tam multiplici usu & motu est; fauces, labia, dentes, gutturis & arteriæ meatus, vox ipsa sonans, oratio in silentio: denique totius corporis & animæ actio adest, per omnes sui potentias & partes; habitus quoque plurimi interni & externi, naturales & supernaturales in actu & opere sunt. Adveniunt insuper multi multarum potentiarum actus, occasionaliter intercidentes. & qui prævideri non possunt particulatim, tantùm in genere.

48. Hæc tanta varietas ac multitudo actionum à tot potentiis, tot modis proficiscentium, non est Oratio: est tamen Orationis Actioni connexa ordinariè: quæro, quotusquisque Sacerdotum eam Deo unà cum sua Oratione consecrat? quæro quid obstet, quominus consecret? quæro, si consecret, nullone an vero ingenti cum animæ lucro id facturus sit? quæro, si id negligat, nullone an verò ingenti cum damno animæ meritorumq; detrimento facturus sit? quæro denique, an pio & diligenti negotiatori conveniat tantam segetem bonorum non negligere, tantam meritorum sementem quotidie demetere, ex tot actionibus, ex tot potentiarum suarum, atque adeo sui totius usu tanto in uno opere, quem alioqui semper facit & facturus est, sine ullo fructu suo nullo autem additamento laboris novi, præterquam brevissimæ Intentionis seu applicationis ad finem supernaturalem, ad eum v. g. ipsum, ad quem applicavit totam Orationem? Ex hoc fundamento nonnulli pii viri, Horas Canonicas etsi memoriter (immo & alias Orationes) recitare possint; tamen legunt: ut hac ratione plurium potentiarum & sensuum usu Deum laudent; & tamen memoriæ sit usus atque locus suus, in illâ ipsâ Oratione.

49. Hæc quæ in uno Orationis Canonicæ à Sacerdotibus fieri quotidie, bene lógo tempore solito opere ostendi; ostendere possum in aliis omnibus actionibus nostris, v. g. in Sacro, in Concione, in docendo, in discendo, in confitentibus operam dando, in Triclinio ad mensam cibum sumendo, vel cibum sumentibus ministrando, legendo, in omni aliâ quacunque actione & occupatione peragendâ mentem & corpus distinendo, in omnibus enim totus homo ferè semper aliquid agat, vel hac vel illâ potentia atque sui parte. Et ut nihil aliquâ sui parte agat aliud, nisi quod præsens est etiam per illam partem actioni, quâ Deum laudat, id ipsum laudabile est, & si Deo offeratur,

feratur, eidem acceptabile, hominique non inutile. Quantis ergo cumulis meritorum ditior homo quotidie fieret, si talium observator esse vellet?

5. Neq; hæc observatio laboriosa esse potest, diligentibus ac prudentibus. nã v. g. quantus labor est, ut lector ad mensam, offerat Deo actionem suam illam legendi, & offerat omnes actiones aliarum potentiarum, quæcunque aliquem sui usum inter legendum homini præstabunt? offerat etiam omnium verborum ac literarum pronuntiationem, offerat omnem oculorum motum, omnem aspirationem, omnem cessationem, &c. Quod totum offerendi munus potest vel uno verbo perfici: quin vix etiam verbo opus; solus mentis in hanc oblationem conjectus seu Voluntatis consensus sufficit. Non est opus, quod in hac re morer: concludo appositione paradigmatis, sive praxeos, in eodem quod superiùs tractavi recitationis Divini Officii exẽplo, quod quivis poterit ad suum palatum accommodare, fusiùs, breviùs, expressiùs, &c.

Praxis offerendi recitationem Horarum Canonicarum.

51. *DEus, cujus immensam Majestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum: Offero tibi has Ecclesiæ Tuæ Sanctæ preces, à me indigno die hodiernâ recitandas. Offero inprimis omnes à Matutino usque ad Completorium Horas. Offero omnes earum affectus & sensus à Spiritu sancto & ab Ecclesiâ Sponsâ tuâ intentos atque hic depositos. Offero omnia earum puncta, cõmata, sententias, verba, literas. offero omnes motus linguæ meæ, & manuum mearum; omnes ictus oculorum, omnes respirationes, omnes cogitationes & affectiones animæ meæ, omnes mei totius commotiones in hac præsenti Oratione intercursuras. Accepta ergo hoc tributum servitutis meæ, Tu, qui es Dominus meus, Rex meus, Deus meus, solus, unus, naturalis: meque mancipium tuum naturale & Voluntarium, Spiritu tuo Sancto, & gratiâ efficaci, atque abundanti purifica, confirma, sanctifica, ut tibi servitium meum in sanctitate & Iustitiâ, & perseverantiâ semper exhibere valeam: qui in Trinitate perfectâ vivis & regnas unus Deus in secula benedictus, Amen.*

Domine Deus, offero tibi totaliter hanc (omnẽ) actionem meam, cum omnibus aliis, quas hujus occasione per quamcunque Corporis & Animæ meæ potentiam exercebo, quia hæc est Voluntas Tua, & dignitas Voluntatis Tuæ.

Extat hujus Industriæ praxis & exemplum in Davide Psal: 103. ubi in hunc modum, Deum laudat; *Benedic Anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* & alibi idem sic ait: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis Tibi? &c.*

INDVSTRIA VII.

Actiones nostræ etiam aliorum actionibus in Deum per nos relatis sunt fæcundandæ; & ex omnibus Creaturis, DEI laus desumenda.

52. PRæcedenti Industriæ vicina est ea, quæ jam sequitur, ideoque etiam illi subjungitur. Non tantùm enim ille usus variarnm potentiarum nostrarum, intercurrens in alicujus occupationis nostræ à nobis executione offerri potest Deo, meritorumque cumulus nobis parari per hanc oblationem; Sed etiam eadem ipsâ oblatione, possunt offerri Deo in laudem & in nostrum meritum, aliorum actiones omnes, quibus illi nobis ad nostrarum actionum executionem cooperantur quocunque modo. Id quod fieri potest, non ideo tantùm, quia illæ actiones, cùm sint proximorum nostrorum, possint à nobis per Caritatem supernaturalem nostræ fieri, ut vulgò docetur à Spiritualibus Magistris, sed etiam peculiariter ideo, quia tales actiones, quæ nobis in nostris auxilio aliquo sunt, fiunt quodãmodo nostræ & nobis inserviunt, utque inservirent, à Divinâ Voluntate provisæ ac ordinatæ sunt, ut proinde meritò illas tanquam nostras Deo offerre, & pro eis Dei Providentiæ gratias agere, Deumque, pro eis, ac in eis, laudare debeamus. Sic factitatum legimus à Patre nostro Petro Fabro, qui si quando ingrediebatur templum aliquod augustius, & apparatu Ecclesiastico instructum; illico eam sibi materiam laudum Divinarum assumebat; laudabat Deum pro iis, qui Templũ suis extruxissent sumptibus, qui manu, qui arte; qui illud etiamnum curarent, qui ornassent & ornarent, qui instruxissent apparatibus ac thesauris, sive auri, sive argenti, sive serici, sive alio quovis modo. qui cantores providissent, qui cantarent, & cantu alios ad Dei laudem provocarent, qui Templum ornassent, & vestissent parietes, sive sumptu,

Bern. Plautus. Alvarez.

sive

five jussu, sive manu; qui apparatum Sacrum elaborassent, Sanctorum imaginibus Reliquiisque dotassent &c.

53. Ex quo apparet, quàm uberem Vir Sanctus, quamque facilem & obviam ubique, Deum laudandi, animamque suã Pietatis studiis saginandi, Materiam haberet, depromendo illam ex alienis operibus & actionibus. Quod factitari potest, non solùm in hominum, sed etiam in bestiarum, & non sensilium rerum actionibus, aut potiùs deservitionibus. Sic David Cælorum motum, dierum & noctium vicissitudinem, mirabilia Dei opera in aquis, & mari, & in omnibus abyssis, materiam laudum Divinarum sibi assumebat. Sic tres illi pueri in fornace Babylonicâ fecere, in omnibus penè creaturis. Sic B. noster Borgiâ Obedientiam canum & avium venaticarum, faciebat Dei laudandi materiam.

54. Sic nos quotidie possumus (immo perpetuò) tali Industriâ uti, modò ne pigrescamus. Cur non possumus audientes vel Lectionem in Scholâ, vel concionem in Templo, laudare Deum pro his à quibus docemur? offerre illorum omnes actiones, laboresque omnium potentiarum ipsorum, quibus laborant in nobis docendis, in parandis lectionibus concionibusque, in dicendis & tradendis? Cur non possumus laudare Deum pro Autoribus, scriptoribus, impressoribus, emptoribus, compactoribus, custodibus librorum, è quibus illi sumunt, & paratiores ad docendos nos accedunt? Cur nõ possunt subditi, pro omnibus Superiorũ suorum curis, laboribus, molestiis, quas in gubernatione devorant, Deum laudare, eorumque propter se molestias, & actiones omnes circa se Deo offerre? pro iis gratias agere? Cur itinerantes non possumus agere gratias Deo, pro tot illis operis & laboribus equorum, rotarum, lignorum, ferramantorum, coriorum, aurigarum, sociorum, fabrorum? Cur non possumus omnia objecta, quæ se itinerantibus in oculos, in aures, in alios sensus ingerunt, materiam Dei laudum facere?

Petrus Faber jam allatus, inter alias itinerandi Industrias pietatis plenissimas, hanc etiam habuit, ut ubicunq; iter faceret, illîc Deum laudaret, illîc Angelos & Sanctos locorum, Regionum, Urbium, Templorum, altarium, hominum, custodes & patronos veneraretur, invocaret, oraret, pro curâ circa incolas gratias ageret, se item protegi peteret &c.

Hæ sunt Sanctorum Virorum Industriæ, hæ praxes, quibus inscitiam nostram erudiri, Ignaviam confundi, & excitari par esset.

55. Nec plura hac de re addo: illud tantùm repeto, hac Industriâ tres à me res atque praxes commendari unâ operâ.

Prima est ut alienas actiones, etiam à quibus per eas juvamur in aliquo nostro opere, Deo tanquam nostras offeramus.

Secunda est ut etiam ex omnis Creaturæ actione, & ex omni creaturâ, quæ sese ingerit nostris sensibus actionibusq;, Deum laudandi materiam sumamus.

Tertia ut in actionibus nostris sive passionibus, condiscamus consuescamusque multiplicare circumstantias (vel quod idem est, reflectere nos, animumq; advertere ad actionum & objectorum, circa quæ operamur, circumstantias) sive actionum sive objectorum nostrorũ, vel in genere, & confuse, ac simultaneè omnes acceptando, Denque offerendo, & materiam Virtutis ac meriti ex intentione faciendo, vel etiam quando vacat, distinctè eas dum adsunt, acceptando & offerendo, dum non adsunt, ultro advocando & augendo, materiamque, ut dixi, Divinæ Laudis, virtutum ac meritorum faciendo. Nulli enim dubium est, quòd plurimæ nos Creaturæ, & creaturarum conditiones circumstantiæq; circumstant semper, dum aliquid agimus patimurque (semper autem aliquid agimus patimurque) quarum præsentiam nos, ut dixi, etiam augere possumus, si volumus, quarum præsentiam nos materiam Virtutis, meriti, laudisque Divinæ, nullo sumptu ac labore nostro, præter modicum advertentiæ intuitum, voluntatisque intentum, possumus.

56. Quod genus Exercitii, incredibilis est plenissimum pietatis; sed requirit animum ordinatum in se & passionibus suis: ordinatum etiam foris, in actibus & occupationibus & temporibus suis. Quâ de re suprà Industriâ primâ satis præscripta sunt. Requirit etiam animum ubique Deo assuetum, vel certè Deum quærere & invenire condocefactum. Quo in genere Nostræ Societatis omnes homines excellere, Sanctus Pater Ignatius desiderabat, immo & in quadam Regulâ id præscripsit omnibus, ut in omnibus quærant Deum. quod est aliud nihil, quàm ex omnibus rebus Dei laudandi, amandi, prædicandi, æstimando materiam sumere, & animum cælestibus meditationibus tanquam alimentis ubique &

omni occasione saginare.

57. Et revera id Naturæ rationali debet esse perquam convenientissimum. Omnes namque res ita sunt comparatæ, ut unaquæque juxta supremum naturæ suæ gradum operari perpetuò appetat, omnemq; occasionem ejusmodi operationis avidissimè rapiat. Videmus arbores & frutices, ubiubi sunt, vegetari cupere, crescere, assurgere, virere, folia, flores, fructus mittere, humorem & succum trahere: quòd si alicubi sunt, ubi talia operari nequeant, arescere, putrescere, perire. Videmus bestias quadrupedes, volatiles, aquaticas, reptiles, omnes universim id ubique agere, id ubique indagare, ut pascantur, ut alantur, ut saginentur, ut delectentur: id ubique bestia agit sine delectu, respectu, pudore, verecundiâ, cessatione. Nimirùm hoc est ejus opus præcipuum; ad hoc agendum, ad sic operandum sensualis facta est. hoc si operatur, beata est, si operari non potest, elanguescit & interit.

58. Quid ergo est tandem, quòd homo, rationalis natura, non ubique rationalia quærit, agit, meditatur, contemplatur? tota est in sensibus ac sensibilibus; ad rationalia, ad honesta, ad sublimata à sensibus, elevare sese nec potest, nec sinit? Quid, inquam, est hoc? Monstrũ id sanè necesse est aut interitui vicinum si non interitus ipse. Nam sicut arbor, si posita in humido loco, virorem & succum non trahit, aruisse & inanimata dicitur, securique tantùm idonea & igni; Sicut Jumentum si pascua habens & pabula copiosa, nolit sumere, nolit satiari, nolit saginari, interiturum dicitur: cur homo rationalis, si rationale nihil meditetur, nihil concipiat, nihil sectetur, inter tot licet Rationis, Veritatis, Honestatis objecta positus, cur, inquam non dicatur moriturus, aut potiùs interiisse, & in bestiam degenerasse? Et quid dicam de Naturâ (ut sic loquar) supernaturali, de Viro, inquam, Religioso, de viro spirituali, si is, nihil sublime, nihil supernaturale, nihil defæcatum à sensu & naturâ sapiat, nihil quærat, nihil cogitet, nihil loquatur: Sed tantùm naturalibus regatur nitaturque principiis, tantùm sensualia, naturalia commoda attendat, politicis tantùm rationibus & honestatibus nitatur, nihil Christianum, nihil ex Christi Scholâ, nihil ex Crucifixi, pauperis, contempti, stulti, dolentis, & abjecti Christi doctrinâ in suis moribus, consiliis, operibus, intentionibus præferat, in suis actionibus & occupationibus præferat ac præfigat; Spiritualemne hunc & Religiosum & supernaturalem dicemus; anverò potiùs à Spirituali in carnalem, à Religioso in sæcularem, à supernaturali in naturalem, à Hierarchico in Politicum statum & gradum degeneravisse?

59. Ex quo discursu non admodum quidẽ sublimi, & arguto, illud tamen evincitur, Religiosum, spiritualem, & perfectionis professorem, hominem debere esse sublimem in studiis suis, debere cogitationes fovere sublimes, debere non degenerare ab excelsis cogitationibus filiorum Dei, debere, quæ sursum sunt, quærere & sapere, debere in omnibus Deum quærere, in omnibus Deum invenire, agnoscere, adorare, laudare, amare: alioqui non ille homo spiritualis, sed aut politicus & ethnicus, aut bestia & jumentum, equus & mulus sit futurus. nam nisi talis erit, qualem debere esse dixi; quid habebit super equum & mulum? super Ethnicum? nonne & Ethnici hoc faciunt, quod ille facit, juxta Christi argumentationem in simili fermè materiâ.

Hæc dixi eâ occasione, quòd amator Perfectionis, omnem Creaturam debeat facere sibi Dei laudandi materiam; & nullam, sive suam, sive alienam actionem, non in Dei laudem suumque meritum convertere.

INDVSTRIA VIII.

Actiones nostræ fœcundandæ per Augmentum Intensionis & fervoris Rationalis, id est proportione Arithmeticâ.

60. VIx est ulla res, quæ valorem operũ nostrorum, impetrandi efficaciam, satisfaciendi virtutem ita enervat, quomodo Tepiditas & Socordia actionum sive operum. Quantùmcunque enim opus sit, ex naturâ & objecto seu specie suâ nobile & eximium; quantùmcunq; defæcatum & sublime; nisi sit fervore incensum, sit verò tepiditate infectum, nequaquam beneplacito Divino ad mentem complacere potest. Et causa in prõptu est, quia cùm Deus sit actus purus, ejusmodi etiam actiones creaturarũ suarum (præsertim eas, quæ sunt ad suum obsequium directæ,) desiderat ut sint quàm simillimæ puro actui, actùs verò

puri

puri proprium eſt, carere omni non ſolùm admiſtione extranei: non ſolùm defectuoſitate potentiæ, ſed etiam remiſſione languoris ſive activitatis: quidquid enim horum admiſtum ſit actui, purus eſſe & dici non poteſt. Nam ſi purus eſſet, totum quod habere poſſet ac deberet, re ipsâ haberet: remiſſus autē actus, hoc ipſo quòd remiſſus ſit, non habet id, quod debet,& quod poteſt. Quare remiſſus actus, ab actu puro, & conſequenter à Deo longè eſt, ideoque Deo diſplicet, ac valoris parùm, efficaciæ nō multùm, dignitatis & fructûs vix aliquid obtinet.

61. Eam ob rem diligenti negotiatori,id inter alia vel maximè curandum incumbit, ut actus ſuos remiſſos,Deo non exhibeat, potiùs autem quàm ferventiſſimos atque intenſiſſimos facere in conſpectu Dei laboret; non tantùm ut Deo placeat (quod ſolum omnium inſtar eſt) ſed etiam, ut actibus operibusque ſuis, quā maximum valorem, pretium, efficaciam, dignitatem conciliet. Hoc igitur agit præſens Induſtria; ſuadet homini Negotiatori, ut in operibus ſuis (quæ ſunt Negotiationes ejus) curet fervorem ac intenſionem non deeſſe.

62. Quantū hoc ſit momenti, quantum hoc curari cōveniat à Negotiatore avaro Spirituali, ſi ſuprà dicta non ſufficienter evincunt, vel illud evincat communiſſimum dictum: Unus actus intenſus pro mille remiſſis facit. Quis nollet ita operari,ut unico labore mille labores expleat & adæquet? quis nollet tales nūmos quærere & lucrari, quorum unus æquivaleat pro aliis mille? quis nollet tali veſte ornari, quæ una & pretium & uſum mille veſtium ſuperet? Quis nollet tali labore occupari & opere exerceri, quo uno mille labores exſolvat, mille opera expediat, mille laborum lucra obtineat? Omnes vellemus dubio procul. Atque ecce in propatulo eſt modus, pro mille laboribus laborandi unicum laborem. Faciamus, ſubeamus unum intenſum & ferventem laborem; & ille pro mille remiſſis laboribus apud Deum reputabitur. Id quod vel maximè faciendum nobis ex hoc capite eſt, quia remiſſi actus non rarò, quin immo frequēter ac ferè ordinariè, majore moleſtiâ, labore, nauseâ, fatigationeque tàm animi quàm corporis, jacturâque etiam temporis à nobis fieri debent, quàm intenſi. Et cauſa eſt in promptu, quia actus remiſſi, ordinariè ideo remiſſi ſunt, quia fiunt ex tepidâ & per acediam gravatâ, conſequenterque repugnante voluntate: quæ autem repugnante voluntate fiunt, ea & remiſsè & cum moleſtiâ tædioque fiunt. Atque ita omnia iſta habent incommoda remiſſi & ſegnes labores, quæ habent intenſi ac ferventes: & inſuper illud moleſtiæ habent, quòd Conſcientiam, pigritiæ conſciam, angunt, cùm interea eandem, intenſi ex cognitione & teſtimonio ferventis operationis exhilarent, & ſpe recreent, laborisque moleſtias minùs ſentire faciant: quinimmo alacriorem ad ulteriores atque etiam majores labores perferendos reddant, ita; ut ſibi ferventes operarii non laborare, ſed recreari, reſpirare non fatigari videantur. Perinde ut Mercatores magnis lucris partis, accendi ſolent ad conquiſitionem majorum lucrorum; quæ res in vitâ ſpirituali majoris eſt momenti, quā dici poſſit: rarior eſt quàm, ut in vulgo & plebe ſpiritualium hominum frequenter deprehendi ſoleat: verior denique eſt, quàm ut de ea addubitari fas ullo modo ſit. Quæ quidem nos, ſi veri negotiatores Theſaurorum Spiritualium ſumus, maximopere nos ad ferventer & intense operandum animare atque excitare debent.

63. Cæterùm in ea re dubium illud eſſe poteſt: quid ſit hæc intenſio operandi atque laborandi, quam ita & commendamus, & in Sacris literis, Sanctisq; Patribus cōmendari non ignoramus? Pro quá re ſciendum; nomine intenſionis intelligi alacritatem & vigilantiam accurationemque & applicationem mentis in operando: quæ ſi eſt in operatione, dicitur fervor: ſi verò non tantùm eſt, ſed etiam creſcit & augetur mentis conatu, ſemetipſam urgente & ſtimulante; dicitur intenſio ſeu intenſus fervor, Atque ita, quando operamur aliquid applicatè, feriò, alacriter, diligenter, inſtanter; dicimur tunc operari ferventer: quando verò operamur ita aliquid,ut applicatio & alacritas, & diligentia operandi inter operandum in nobis creſcat, dicimur operari intensè, & fervor operationis dicitur intendi: Quanquam hæc frequentiſſimè apud nos in ſermone confunduntur, ita, ut pro eodem ſit, ferventer, & intensè operari: licet reverà fervor, ſit calor quidam mentis atque præſtuatio, intenſio verò, ſit fervoris ſeu caloris atque præſervationis illius incrementum & progreſſus; ad eum planè modum, quomodo igneus calor, cùm eſt

in justâ aliquâ quantitate, dicitur fervor caloris, seu fervens calor, ratione cujus dicitur aqua fervere dum eo calet: hujus verò quantitatis augmentum dicitur intensio caloris. Sunt autem circa hæc, advertenda aliqua, ut meliùs vis & scopus Industriæ istius intelligatur, meliùsque etiam ac alacriùs in praxim postmodum deducantur.

64. Horum primum est; Intensionem ac fervorem spiritualem in operando, vel potiùs in homine operante, duplicem esse posse. Una est intensio sensibilis, altera rationalis. Sensibilis intensio illa dicitur, quando homo inter operandum, sentit, sensu corporeo sensibili æstum quêdam in se, in suo corde, pectore, capite, &c. sentit, inquam sensibiliter, ex eoque sensu incalescit cor, intenditur pectus, & ejus venæ atque ossa, capacitasque, intumescit ac distenditur, idemque sentitur etiam in capite, in temporibus, in faucibus, in vertice: qualis sensus si excrescat & non cohibeatur, potest & solet in incautis valetudinem lædere, venam pectoris rumpere, ossium compagem labefactare, caput fatigare, atque officere organis;

65. Ob quam causam, hæc intensio corporalis, sicut dum est moderata admitti potest cùm sponte advenit, vel etiam excitari potest, cùm ejus occasio est (advenit autem, vel occasio ejus est ut plurimũ, intensio & fervor rationalis, de quo mox dicetur: licet eum aliquando etiam præcedat, aliquando simul sit, aliquando sequatur, aliquando post illum remaneat, nonnunquam etiam, immo non raro præcipuè in eis, qui potentes affectus habent, sine illo veniat & sit, habetque adnexas dulcedines sensibiles, suaves lacrymas per ora & genas, vel per fauces, calida etiam & impetuosa suspiria ac longa, membrorum etiam quendam suavem languorem, atque dejectionem sensuum, suspensionem externorum &c.) moderanda tamen est, nec ei habenæ laxandæ, ne, prout dixi, valetudini noceat. Deinde non est illi insistendum, nec in eo ambitiosè conquiescendum, quia non in eo est præstantia laborum, operumq; ac meritorum: & potest talis sensibilis intensio (quæ etiam vulgo devotio ac dulcedo sensibilis dici solet) reperiri etiam in peccatoribus, in infidelibus, in semisobriis &c. Proinde non hanc ipso loco sensibilem intensionem in nostris operibus, neque hunc fervorem commendamus.

66. Alia est intensio Rationalis, quam superiùs descripsi, quæ est in parte non Sensibili sed Rationali, scilicet in animo, in Intellectu, ac Voluntate, & est alacritas, vivacitas, vigilantia, diligens applicataque cura animi ad operandum aliquid, cum augmento ejus in eodem animo. Quod augmentum sicut & tota alacritas & est in intellectu atque voluntate, & provenit ab appretiatione æstimationeque operis, operationis, finis propter quem fit operatio, v. g. Dei, Christi, Virtutis, Animæ, Beatitudinis, quæ appretiatio atque judicatio rationalis quanto est major, quanto ex majori lumine Spiritûs, ex convictione intellectûs, ex affectu Voluntatis, convictionem intellectûs sequente; tanto etiam est operatio diligentior, ferventior, applicatior, magìs indefessa, magìs succrescens & vires sumens, tanquam ignis, qui ex seipso vires sibi suppeditat tanto majores, quanto ipse major est. Hæc Intensio habet secum attentionem. Hæc intensio est omnium virtutum vita, operum nostrorum omnium pretium, meritorum seges, Gratiæ illicium & invitatio, cibus Dei, quo libenter vescitur, pinguedo medullarum animæ, irritatio avaritiæ & gulositatis spiritualis, dilatatio animæ, fænus & lucrum negotiationis Dominicæ.

67. Hæc intensio est omni Spirituali viro unicè noscenda, amanda, procuranda. Hac intensione Vir Spiritualis opera sua condire, impinguare, imprægnare debet. Hæc intensio differt ab intensione qualitatum Physicarum, quod illæ limitatæ sint, & ultra octavum gradum ex Philosophorum placito ascendere non possint; ista autem limitem nullum habet, præter eum, quem Gratia & hominis conatus posuerit.

68. Hæc Intensio in hoc differt ab illâ sensibili; quòd illa etiam sit limitata, immo debeat limitari à discretione, ne officiat valetudini, ista verò non eget limite ullo, nec frangit vires corporis, quia non per corpus fit sed per animum, & potest fieri absq; ullâ vehementiâ sensibilium partium, absq; ullâ violentiâ nervorum vel virium, absque ullâ organorum fatigatione, solo duntaxat rationalis Voluntatis imperio, ampliùs & ampliùs sese ad appretiandum, & ex appretiatione operandum perurgentis, suaviter, lentè, quoad sensibiles motus, efficaciter tamen & cum succrescentiâ, quoad Voluntatis conatum. Hæc Intensio, si acce-

ſi accedat operationi noſtræ, mirum eſt, quantum pretii ac valoris afferat eidem, mirum eſt, quantum ad generandos in nobis habitus virtutum, quantum ad facilitatem operandi bene, virtuosè, heroicèque in animo noſtro conferat. Quapropter ab amatoribus profectûs ſui ſpiritualis, hoc intenſionis genus, & cognoſcendum, & æſtimandum, & uſurpandum eſſet.

69. Expedit declarare id, tum exemplis, tum ſimul Regulis in hoc ſervandis. Si quis igitur faciat actum Caritatis divinæ, & eum velit intenſione condire; cum Caritas conſiſtat in æſtimatione Dei atq; prælatione ſuper omnia, is eliciet hanc æſtimationem, atque prælationem Dei ſuper omnia creata: elicitam continuabit aliquandiu: (prout ipſi placuerit) continuando autem illam appretiationẽ, æſtimationem, prælationem, majore & majore quodã mentis ſeu rationalis portionis conamine, ſive ſemper continuè toto illo tempore quo durat actus, ſive interpolatis & diſcretis vicibus, eliciat; ita ut ſi v. g. actus ille Caritatis duret per viginti paſſus hominis, aut viginti inſtantia diſcreta temporis, aut per unũ quadrantem horæ; actus ſit quidem Caritatis, quoad ſubſtantiam & entitatem ſuam initio, v. g. in primo paſſu; ſed in ſecundo ſit intenſior, in tertio intenſior, & ſic deinceps usque ad vigeſimum paſſum vel inſtans, quadrantisve finem, & pars actûs illius elicita in vigeſimo paſſu atque inſtanti, viginti veluti gradibus ſuperet primi inſtantis actum.

70. Hoc verò totum poteſt fieri ſine intenſione ſenſibili, & partium corporis; ſed ſolo Voluntatis rationalis imperio, conatu, intentione, adeo ut ſufficiat, ſi voluntas ſic ipſa ſibi imperet. Volo viginti paſſus facere ex Caritate Dei & ad ſingulos paſſus elicere Caritatis actum (vel, per omnes paſſus dum ii durant, volo continuare actum Caritatis, ita ut ſingulis paſſibus major Caritatis actûs portio & intenſior reſpondeat,) alium atq; alium, alium alio ferventiorem & intenſiorem, atque omnino talem ut quolibet actu cuivis paſſui reſpondente, magìs appretiem & ſuperexaltem Deum. Tũ ſi ita re ipſâ Voluntas vel homo faciat, ſolâ mente vel etiam voce mentalem actum exprimendo; dico, quod actus ille Caritatis in ultimo paſſu, erit ſe ipſo major vigeſies, & apud Deum meriti majoris, & in mente noſtrâ erit æſtimatio Dei major in vigeſimâ particulâ, quàm fuit in primâ.

Et manifeſta eſt ratio, quia totum hoc pendet à noſtræ Voluntatis intentione ſeu determinatione. Sicut ergo quando Voluntas in primâ parte, paſſu, inſtanti, intendit Deum amare, amat illum; & quando illum intendit tantùm amare, tantùm illum amat; ſic etiam quando in ſecundâ parte intendit illum plus amare, quàm amavit in primâ, plus amat re ipſâ, & quando plùs intendit amare in tertiâ quàm in ſecundâ, (& etiam primâ,) tum revera plus amat; & ſic deinceps, quando intendit illum plùs amare in vigeſimâ parte atque paſſu, quàm amavit in in decimo nono (vel in omnibus præcedentibus decimum nonum) de facto & re ipsâ plus amat.

71. Quod luculentiùs apparet in actu oppoſito odii Divini. Nam ſi quis intendat Deum blaſphemare & contemnere per viginti paſſus aut inſtantia, (vide Induſt: 22. infrà fol. & ita intendit, ut in quovis inſtanti velit intendatque majorem Dei contemptum in ſe eſſe & à ſe elici: nonnè is per illos viginti paſſus eliciendo actum contemptûs Divini, (vel actus, certè plures hoc eſt viginti) magìs cenſebitur etiam apud ſuam conſcientiam contempſiſſe Deum in ſecundo quàm in primo, magìs in tertio quàm in ſecundo, magìs in vigeſimo quàm in decimo nono. Quod igitur hìc ſine controverſiâ agnoſcimus fieri poſſe, hoc ipſum poſſe fieri in actu Caritatis, & Divinæ æſtimationis, neceſſe eſt ut fateamur.

Ex quo etiam apparet, quàm id facilè fieri poſſit, & abſque ullâ fatigatione virium animi vel corporis. Cùm enim id pendeat ex ſolius Voluntatis intentione, intendentis tantùm & proponentis hunc actum ſic facere, tantam ejus partem ſic in Deum tendere, tantam plùs; hac parte tantum ſui in Deum affectûs applicatiùs exprimi, hac verò ampliùs quàm priore; illâ rurſum ampliùs quàm præcedenti, &c Intentio autem voluntatem non fatiget, quippe quæ ſit & eſſe poſſit inſtantanea; ſequitur, etiam intenſionem non fatigare animum, nec intenſione exhauriri vires; ſed ſi quando exhauriuntur, id provenire vel ab inſcitiâ modi, intenſionem hanc peragendi. vel certè ab ipſius actûs inentitare ſuâ productione à potentiis animæ atque corporis. Quin immo poteſt actus v. g. Caritatis in ſuâ entitate eſſe per omnes viginti paſſus, æqualis & intenſionis & proportionis, & tantùm per Intentionem voluntatis moraliter diſcer-

ni in partes viginti, & cuique parti assignari major intensio, per hoc solum, quòd voluntas, unâquâque parte, velit & intendat Deum ampliùs & ampliùs æstimare, cùm sit dignissimus, majori & majori semper æstimatione: quod si fiat, actus ille non plùs fatigabit elicientem cum hac intensione, quàm fatigasset absque illâ.

72. Ex dictis colligi potest, quòd si quis flectat per horam in oratione, possit in horâ illâ assignare 40. v. g. instantia seu partes, consequenter 40. etiam partes in suâ flexione, seu in suâ molestiâ quam habet in flectendo, & unamquamque partem molestiæ illius, offerre Deo in testimonium Caritatis, perpetique illam ex Caritate Dei; & quidem ita, ut quælibet pars succedens, sit ex majori Caritate in Deum profecta, & majoris Caritatis in Deum affectus. Si ita fiat ab aliquo; quadragesima pars molestiæ illius, erit ex majori, & imperabitur à majori Caritate; à majori, inquam, quadragies, quàm imperata fuit prima pars, & nunquid sine ingenti meritorum incremento? Similiter facere possunt ii, qui deambulatum animi causâ prodeunt, & passus suos vel ex Caritatis, vel ex Obedientiæ affectu majore ac majore, sigillatim offerre. Tum quotus numero erit ultimus passus sic oblatus, tanto numero & gradu intensionis Obedientiæ actus & affectus (vel Caritatis) superabit suos actus præcedentes.

73. Id ipsum facere possumus, cum singulis salutationibus Angelicis in coronâ vel Rosario, cum singulis Psalmis, versiculis, verbis, literis, in Horis Canonicis, cum singulis item actibus animæ & corporis, verbisque ac literis in Missæ Sacrificio, cum singulis literis vel voculis, vel lineis, quas scribimus in lectione vel dictamus in lectione, vel legimus in lectione, vel proferimus in exhortatione, vel concione. Id ipsum fieri potest cum singulis ictibus disciplinæ, vel cum singulis aculeis cilicii sive catenæ.

Denique id ipsum possumus facere cum omnibus motibus nostris ab hoc vitæ nostræ præsentis instanti, usque ad finem vitæ; motibus, inquam, nostris, sive animæ, sive corporis: itemque passionibus. Totum hoc enim pendet ab arbitrio, designatione, intentioneque, & respectu Voluntatis nostræ, quæ in hoc genere, plenissimo est jure Domina sui, & quanto est in hoc occulatior, tanto etiam ditior.

74. Ex quo patet quanti sint meritorum thesauri, inter manus nostras, quos quotidie infinitos amittimus. Patet, quanti thesauri lateant, in intentione Voluntatis nostræ, cujus tamen cura est nobis propè postrema. Patet quanta sint lucra Intensionis istius, de qua loquimur hâc Industriâ. Patet quanta sit nostra, in negotiatione Spirituali, vel inscitia, vel ignavia, qui tantam farraginem messemque vel ignoramus atque non advertimus, vel advertentes negligimus ac dissimulamus, & præ pigritia, tantillum conatum adhibere nolumus, ut tanta animæ lucra conquiramus, tantoque singulis non dico diebus, sed momentis vitæ nostræ, intervallo, gratiores Deo efficiamur, & Deum vicissim nobis, gratiorem, digniorem, pretiosiorem efficiamus.

75. Quare consilium meum esset, Primò. Ut quisque Negotiator Spiritualis aliquo tempore in diem, vel saltem, hebdomadam, instituat hanc intentionem Voluntatis suæ, quâ Deo offerat omnia instantia vitæ suæ, omnesque actus à se quocunque modo perficiendos in vita sua, & quocunque modo suos: offerat autem ita, ut protestetur se actus omnes illos intendere facere, majori & majori fervore intensioneque Caritatis, æstimationis, humilitatis, Obedientiæ, & cujuscunq; tandem ipsi placuerit, Virtutis affectu.

2. Ut singulorum dierum actiones aliquas suas, eodem modo Divinæ Majestati offerat. Deligat autem actiones ejusmodi, quæ non planè minutulæ sint, sed quæ sint, ex genere à nobis suprà positarum.

3. Si quis consuetudinem habeat singulos in menses aliqua in virtute sese exercere, is poterit singulis quoque diebus aliquas, certas, tempore certo actiones suas, eodem modo Deo offerre ex motivo illius virtutis, ita ut quævis portio actionum illarum, sit perfecta ex majori & perfectiori gradu, affectu, motivoque Virtutis illius, v. g. Caritatis, resignationis, liberalitatis, gratitudinis, affectu, in Christum, in B. VIRGINEM, in Sanctum aliquem &c.

4. Hujusmodi actus nec minutos, nec multos esse suaserim, ut minutiis & multitudine se ipsam mens non impediat, fatigando se ipsam, festinando, vix quidquam boni bene faciendo, ut assolet evenire incautis in omni exercitio Spirituali. Non est igitur festinatè agendum sed cum moderatione, donec assuetudine

res hæc

res hæc complanetur, animusque huic labori assuefiat per partes, modò aliàs explicato.

74.

5. Si quis velit hac Industriâ uti, habeat formulam aliquam istius oblationis brevem, compendiosam, & tamen multa, latitudine suâ complectentem. v. g. *Domine DEUS, offero Tibi hanc actionem & omnes ejus partes (tot & tot &c.) intendo facere majori & majori intensione amoris Tui, Obedientiæ, Humilitatis, Contemptûs mei &c.*

6. Si quis hanc intensionem rationalé adjuvare etiam voluerit intensione sensibili, poterit: sed discretionem servet, nec Valetudini vim faciat; alioqui præstat sensibilem omittere.

75.

7. Potest hæc Industria etiam magìs practicari hoc modo. Assume tibi Actum aliquem pium. v. g. hunc. *DEUS meus, amo te super omnia.* Eum actum (mente vel etiam voce in singulis Rosarii globulis, vel etiam absque illis, pro libitu repete, ita, ut unumquemque actum majori intendas conatu dicere, seu ex majori Caritate proficisci: hac ratione actus repetiti per singulos, majoris erunt Caritatis, immo major erunt singuli Caritas, consequenterque Deo gratiores, & animæ utiliores.

Quæ de hac Industriâ allata sunt, ad ejus credo commendationem, & cognoscendam praxim sufficient. Servient etiam Industriæ sequenti, quæ ejusdem ferme erit rationis cum hac, ac tantùm in uno puncto forsitan variabit.

INDUSTRIA IX.

Actiones nostræ fæcundandæ sunt intensivè per proportionem Geometricam.

76.

INdustria præcedens dabit lucem præsenti: ab illâ enim nihil hæc differt, præterquam in variatione Progressionis, in augmento meritorum, atque valoris operum nostrorum. In præcedente siquidem Industriâ expositum est, quomodo actibus nostris, intensio adjungi possit, & ea quidem per partes seu gradus æquales æqualitate seu proportione Arithmeticâ; in hac vero docetur, actibus nostris addi posse intensionem atque valorem, per partes seu gradus inæquales, hoc est majores & majores in proportione Geometricâ, & in progressione tantâ, quanta operanti placuerit, aut venire in mentem poterit. Exemplis rem præstat illustrare practicis, quia sic meliùs intelligetur præsens observatio, quibus tamen exemplis ipsis intelligendis, præmittenda est nota apud Arithmeticos & Geometras, ratio hujus Progressionis seu Proportionis, quam hîc suadere viris Spiritualibus profectumque & lucrũ copiosum in sua spirituali negotiatione amantibus desideramus.

77.

Sciendum igitur duplicem esse progressum & proportionem in rebus. Una est, quando res plures sese aliquæ excedunt in partibus & gradibus æqualibus uni certæ parti, ut videre est in numeris v. g. 1. 2. 3. 4. 5. in his enim secundus primum sup[er]at parte unâ tantâ, quæ sit æqualis toti priori, tertius secundum superat tantâ parte, quantâ secundus primum superavit, quartus tertium, tantâ superat parte, quantâ idem tertius superabat secundum, & quintus tantâ parte superat quartum, quantâ idem quartus superaverat tertium, idemque numerus quintus superat primam unitatem quatuor partibus, siquidem & habet unitatem, & præterea quatuor unitates alias. idemque est dicendum de reliquis numeris majoribus. Et hæc vocatur æqualitas proportioque Arithmetica, quæ solet attendi in operibus humanis per Justitiam Commutativam.

78.

Et secundùm hanc proportionem procedit doctrina tradita in præcedente Industria. Jam alia est proportio in rebus, quando res plures excedunt se nõ in æqualibus partibus uni alicui, (prout in priore fuit) sed in partibus inæqualibus, proportionem tamen aliquam inter sese habentibus. qualis excessus est in numeris his v. g. 2. 4. 8. 16. 32. 64. 128. 256. In his enim numeris, secundus primum superat parte, æquali ipsi priori numero: Tertius secundum superat eodem modo similiter, & sic deinceps cùm in proportione illâ Arithmeticâ non sic fuerit. Tantùm enim sequens præcedentem superabat, una media parte numeri præcedentis. Nam tria super duo tantùm unitatem addit, quatuor etiam tantùm unitatem super tria, quinarius super quaternarium tantùm unitatem. At verò hic quatuor, supra duo, addit alia duo; octo, supra quatuor, addit alia quatuor, sedecem supra octo, addit alia octo &c. Atque inde consurgit inter hos numeros dupla proportio. Vocatur autem hæc proportio Geometrica, quæ attenditur in Justitia distributiva, reddente

pluri-

pluribus v. g. personis, non æqualia premia omnibus, sed æqualia singulis, omnibus autem inæqualia.

79. Et hæc Proportio, potest variari atque augeri, plùsquàm imaginatio hominis capere potest. Non solùm enim dupla, sed, & tripla & decupla, & centupla, & millenaria, & millionaria &c. potest fieri; quæ etsi nostris humanis cogitativis potentiis confusionem pariat, si distinctè quis eam instituere, & in longum multiplicare velit; tamen inDivino intellectu nihil tale parit, & nostræ voluntati atque desiderio, nihil potest esse impervium, dummodo libertatc suâ uti, ptout potest, velit, & conatu mediocri atque per prudentiam temperato, sese in his proportionalitatibus exercere, & fervorem actionum suarum intendere atq; augere non pigritetur. Jam igitur ad exempla veniamus. Si quis Coronam dicat Beatæ Virgini constantem 63. salutationibus Angelicis; is potest unamquãque Salutationem ita recitare, ut quælibet Salutatio præcedentem superet sequens, in dupla proportione Caritatis, in B. Virginem propter Caritatem Dei; ita, ut prima Salutatio sit ex Caritate ut unũ, secunda ut duo, tertia ut 4. quarta ut 8. quinta ut 16. sexta ut 32, &c.

Potest etiam ita recitari, ut quælibet salutatio sequens, præcedentem superet in tripla proportione, vel in decupla, vel in centupla, vel in millies millies majori proportione Caritatis Dei Matris propter Deum. In quo quantus sit accessus futurus, tum Caritatis in Virginem & Deum, tum meriti, gratiæ, & Gloriæ, tũ habitûs; vel ex hoc colligi potest, quòd ad id cogitandum, cogitatio humana sufficere ferè non possit. Certè in trigesimo gradu duplæ proportionis, excrescit numerus 536870912. Jam quantum excrescet in decupla, vel centupla, vel millies-millies majori proportione, à Voluntate intenta & determinata; cogitet & computet qui potest.

Ego hoc loco illud solùm repeto, quod etiam præcedente Industria observavi, vel ex his patere posse, quantos thesauros meritorum habeant, Christiani, Religiosi, Spirituales viri in manibus, qui tamen illis elabuntur quotidie per tot annos, perque tot annorum actiones, per tot momenta temporum ac vitæ quotidianæ.

80. Sed ad exempla rèdeo. Si Sacerdos horas Canonicas recitet, potest omnes suæ Orationis literas intendere & velle proferre, cum majori & majori fervore, milliesque millies majori proportione fervoris, Caritatis, (vel alterius Virtutis à Caritate imperatæ, non solùm conjunctæ) usque ad ultimam voculam seu literulam, & literis potest syllabas, voces, cõmata, sententias, totumque precum pensum addere, eademque intensionis intentione rationali formare ac augere. Potest insuper omnes motus actusq; potentiarum animæ & corporis intermistos orationi, simili modo formatos auctosque adjungere. Quanto id cum meriti cumulo, computet qui vult aut potest.

81. Id ipsum facere potest Sacerdos, dum Sacrum facturus est vel facit. Id ipsum potest Concionator facere verba facturus, Confessatius cum pœnitentibus acturus, is qui studet vel docet, libros lecturus vel scripturus, is qui iter agit vel alias occupationes obit, eas peracturus. Janitor v. g. gressus suos circa portam, Emptor circa emptionem; Cocus circa opera culinæ &c. Neque ea res habet multum laboris, si modo adsit modica diligentia, & Industria. Immo audeo dicere, plerosque nostrûm, in nostris actionibus, habere observationes privatas, pias illas quidem & sanctas, magìs tamen laboriosas & simul minùs fœcundas, quàm ista est de qua loquor, & quam commẽdo.

82. Hac ipsa Industria potest quis prudens Negotiator, etiam aliorum actiones: aliorum, inquam, non tantùm Angelorum & hominum, sed omnium omnino creatorum entium actus, præteritos, præsentes, futuros, possibiles, offerre Deo, & oblatos animare, atque dignificare, sibique immensè meritorios facere: Si nimirùm eos suos (sicut revera sui sunt, saltem pro hoc, quòd sunt vel proximi, vel alicujus creaturæ, cum quarum qualibet est illi communio, & connexio aliqua) faciat, & factos, Deo, cum, & pro creatura offerat, gratuletur, Charitate in millies-millies majori proportione ferventi.

Hâc ipsa Industriâ, potest quis omnia entia creata, omnium entium creatorum, tam substantias & entitates, quàm potentias & facultates, quàm motus, motiones, & actus, in atomos & momenta partiri cogitatione, & quemlibet atomum entitatis & actionis creatæ cupere, optare, offerre, gaudere, gratulari Deo, cum millies millies majori proportione Caritatis in Deum &c. Et hoc potest facere Spiritualis

tualis vir etiam in possibilibus creaturis, etiam in ipso nihilo, in quod Creaturæ assiduò tendunt, vel resolvi cùm libuerit Deo, possunt. potest autem facere sine ulla virium animi & corporis fatigatione, modica tantùm Industria adhibita, & rationalis suæ libertatis prudenti dispensatione. Quid enim fatigabit Sacerdotem Horas Canonicas recitaturum, si dicat : [Sanctissima Trinitas te laudo affectu tuo, & Sanctissimæ JESU Christi Humanitatis, per Matutinum & Laudes, & per omnes actus potentiarum animæ & corporis, in hac Oratione intercursuros, majori quàm unquam fervore Spiritûs, milliesq; millies majori proportione Caritatis atomatim, idque ad purum gustum tuum, ad nullum præmium meum] intelligendo per hoc [atomatim] omnes, & recitationis, & suiipsius, & actionum omnium inter recitandum intervenientium : ita, ut quolibet instanti, indivisibili momento (quod totum nomine atomi intelligo) intendat Sacerdos Sanctissimam Trinitatem laudare, vel amare, vel adorare, millies-millies majori proportione Caritatis, & quidem affectu Sanctissimæ Trinitatis ipsius & Christi Domini. Hæc, inquam, paucula verba, (sic semel percepta & intellecta, prout explicui) quid fatigabunt Sacerdotem? nihil sanè. & tamen nemo dubitat, quin infinitum quendam thesaurum spiritualium opum illi sint comparatura. Par Judicium fieri potest, de aliis actionibus humanis quotidianis, quas Deo sicut generatim totas, ita etiam in partes majores & minores, & in ipsa indivisibilia distributas, offerri à nobis nemo prohibet; immo Deus libenter habet, & homines Dèo impensè dediti, divinoque lumine collustrati, atque igne succensi, familiariter solent.

Antequam huic Industriæ finem imponam; aliqua, quæ tam ad eam elucidandam, quàm ad alios usus viro spirituali servire poterunt, adnotabo.

83. Primum est. Sciat vir Spiritualis plures simul Industrias, in unam aliquam actionem concurrere posse, esseque hanc unam etiam compendiosam artem, in spirituali negotiatione, quomodo in proximâ dictâ Horarum Canonicarum oblatione videre est. Illa enim formula licèt brevis videatur, continet aliquot Industrias, (& posset etiam plures continere;) precibus recitandis idoneas. v. g. 1. Quamlibet Horarum Canonicarum, dicit in Honorem Sanctissimæ Trinitatis. 2. Quamlibet partem, dicit affectu seu devotione, vel Sanctissimæ Trinitatis, quâ illa fertur in seipsam, vel humanitatis Christi in eandem Trinitatem, vel B. Virginis, vel omnium Beatorum spirituum ordinum, vel Sanctorum Sanctarumq; omnium. 3. Non solùm totas preces ut preces sunt, sed omnia commata, sententias, verba, horas, offert Sanctissimæ Trinitatis laudi. 4. Neque solùm preces ipsas precumve partes, sed omnes motus animæ & corporis immistos precibus, & elicitos occasione precum. 5. Omnes elicit ex Caritate, immo fervore Caritatis, majori quàm antè. 6. Immò non tantùm actus sed etiam actiones actuum, & totius laboris, atque etiãm subjecti Orantis. 7. Quibus singulis laudat Sanctissimam Trinitatem majori fervore. 8. Et insuper millies-millies majori proportione intenso fervore Caritatis. 9. Et quidem ita, ut quilibet atomus ferveat super alium in millies-millies majori proportione. 10. Et denique ita, ut per hoc totum, nullum præmium à Deo desideretur aliud, quàm pura gloria ejus. Tantus Industriarum cumulus in tot verbis latet, si quis ea in Intellectu suo proferat. Plures Horarum Canonicarum Industrias, tum suprà Industriâ sextâ tum alio in speciali scripto vide. hic eas repetere, instituta tractatio non permittit, in quâ, tantùm Industriæ explicantur, non autem in longum ipsæmet occasiones Industriarũ pertractantur.

84. Aliud est; hanc Proportionem, seu Proportionalem Intensionem, vel potiùs proportionalis Intensionis Voluntatem & determinationem, posse haberi in omni actu qualicunque (modò non sit naturâ suâ malus) & in omni virtute, ex quâ actus potest elici vel imperari. Illud tamen sciendum in hoc, quòd si ista intensionis intentio, applicetur alicui alteri virtuti distinctæ à Caritate Dei, vilissimum sit, & Virtutem illam (unam vel plures) & intensionem ejus in actione informare, nihilominus, actu Caritatis divinæ expresso vel implicito ac virtuali; etsi enim actio illa, ex aliâ Virtute sic facta à subjecto in gratiâ & Caritate habituali posito, erit multùm meritoria, longè tamen ampliùs merebitur, & gratiæ & gloriæ, & augmenti in habitu suo, si fuerit actuali Caritate Dei ornata & formata : & longè adhuc ampliùs, si ipse actus Caritatis Divinæ fuerit in magnâ elicitus intensionis proportione : Quam

 ob cau-

ob causam, suprà dixi fol.   hac ipsâ Industriâ oblationem Horarum Canonicarum, à Sacerdote fieri posse, ex aliquâ Virtute etiam à Caritate distinctâ, à Caritate tamen imperatâ, & non solùm cõjunctâ cum Caritate. Etsi enim actus Virtutis elicitus ab homine, in Caritate Dei posito,(quod est actum illum Caritati cõjungi in præsenti) meritorius esse possit; longè tamen plus mereri poterit, quando fiet ex Caritate à Caritate, seu informatus & animatus & penetratus atque fermentatus à Caritate; quomodo lac vel pomum puero placet ex colore, sed longè ampliùs ex dulcedine colori illi conjunctâ, & albedinem illam lactis, vel colorem pomi penetrante, & fermentãte atq; condiente.

85. *Vide Joan: Cromb. lib: 1. c. 38. n. 47. & sequ.*

Et ratio hujus rei ex Theologorum placito peti potest. Theologi enim, etsi doceant, omnem Virtutis actum supernaturalem, elicitum ab homine in gratia seu Caritate posito, esse meritorium apud Deum, esse tamen discrimen inter Virtutem Caritatis & alias Virtutes tale: quòd scilicet aliarum Virtutum actibus, meritum à Deo non detur, par ipsis actibus, seu non æquale in actuum gradibus, sed minus (& loquor de merito Gratiæ atq; Gloriæ) ita, ut si actus Virtutis sit ut 6, fervens, non rependantur illi promeriti gradus gratiæ vel gloriæ 6. sed tertia parte minus nempe duo. Si actus sit graduum 12, gratiæ & gloriæ meritum, erit graduum quatuor; si actus sit graduum 24, meritum erit graduum octo, & sic deinceps. Dixi me loqui de merito Gratiæ & gloriæ, per aliarum Virtutum actus parando, nam de merito augmenti habitûs illius Virtutis, cujus elicitur actus, sentiendum sic est, quòd latitudini actûs eliciti, respondest latitudo augmenti habitûs, illius Virtutis, cujus est actus. At verò actibus Caritatis Divinæ, quibus Deus super omnia diligitur, respondet meritum G-atiæ & Gloriæ, par & æquale actui ipsi, consequenterque & meritũ habitus Caritatis. Quamvìs de augmento meritovè habitûs Caritatis, si ab actu adæquetur habitus, ajunt Theologi, quòd habitus accrescat in duplâ proportione. Ut si v. g. actionis fervor sit 10 graduum, habitus, qui supponitur etiam esse ut 10 augebitur ad gradus 20, ex quo habitu si rursum eliciat, actus illi par in gradu, habitûs intendetur ad 40, & si id rursus fiat, rursum habitus excrescet ad 80, & sic deinceps.

86. Nec immeritò id tribuit Caritati, quia enim Caritas est & amor Dei, quo Deus & diligitur ab homine, & vicissim homo diligitur à Deo, unde & amicitia seu amor mutuus dicitur, ideo maximè proportionatur Gratiæ, simulque Gloriæ, adeo ut aliquibus Theologis videatur non differre à Gratiâ ipsâ, sicut & Gratia à Gloria non differt: quo fit, ut pro sui latitudine mereatur ac recipiat latitudinem etiam Gratiæ atque Gloriæ. Quare sequitur, nullum esse fæcundius Negotiationis genus cum Deo, quam per mercimonium Caritatis. Expedit igitur nihil agere sine Cartiate. expedit, inquam, omnem actum cujusque Virtutis simul fieri actum Caritatis, fiet autem, si imperetur a Caritate, si eliciatur ex Caritate, si eliciatur propter Caritatem, & denique si eliciatur cum Caritate, non solùm concomitante & simul existente habitualiter in subjecto, sed cum Caritate cooperante, immo operante actum illum alterius Virtutis, atque condiente & fermentante, quomodo cùm amicus amico, vel sponsa, servile licèt obsequium præstat, facit illud cum Caritate amici, cum Caritate sponsæ, hoc est, facit ita, ut actum illum obsequii animet sponsali suo amore.   Sic ergo assero, expedire actus aliarum omnium diversarum à Caritate Virtutum, conjungi & informari actu Caritatis: actu dico, non habitu solo, & actu per illam proportionem jam explicatam intenso, intensione rationali: hoc enim & dignificabit actus aliarũ Virtutum, nam eos ad dignitatem actûs Caritatis evehet; omnis enim actus, illius habitûs esse censetur, a quo imperatur, & in cujus finem dirigitur, & efficitur meritorius longè amplius Gratiæ & Gloriæ, quam fuisset, si in Caritate quidem, non tamen ex Caritate elicitus fuisset.

87. Tertium est: Jam hanc modo explicatam conjunctionem actuum Caritatis cum actibus aliarum Virtutum, quam superiùs paulò commendatum plurium Industriarum varii generis concursum atq; nexum, quam quarumlibet aliarum piarum cõsuetudinum, quam denique omnium quarumlibet actionum exercitationem, posse summâ cum utilitate informari, hujus Industriæ præsentis per hanc Intensionem Proportionis Geometricæ adjunctione, dummodo quis hac in re, nec piger sit ut non utatur, nec imprudens, ut indiscretè, atque multa cum actuatione utatur, de qua re jam aliâs monui, nunc immorari, nihil attinet in hoc pũcto, cùm sit jã ex ante dictis satìs notũ.

Quar-

Quartum est, ut nemo miretur, quod dicam, hac Intensione, jam explicatâ mirè augeri pretium & valorem actuum nostrorum, sicuti in illâ priore, quam proximâ Industriâ explicui: etsi enim in aliis actibus, quos Voluntas à suis diversos per alias potentias elici jubet, non valeret hoc, quod hîc assero, & tanquã certum suppono; tamen in actibus Voluntatis hoc maxime valet. Etsi enim nõ per hoc ipsum quis velocissimè currit, quia vult velocissimè currere, neque per hoc ipsum perspicacissimè novit difficultatem, quia vult nosse perspicacissimè, tamen in voluntatis propriis actibus ita est; per hoc enim quòd aliquid Voluntas velle vult, jam illud vult, & per hoc quòd aliquid amat, sine dubio amat, & consequenter per hoc quod aliquid (puta Deum] tantopére amat, tantopere amat; quod Deum tot gradibus amoris vult stringere, tot gradibus stringit; Voluntas enim stringendi est strictio, voluntas gaudendi de Dei bonis, est gaudium de ejus bonis.

Et causa manifesta est, quia hîc idem est actus elicitus, qui & imperatus, aut si aliquando alius alium imperat, eadem tamen est voluntas quæ imperat & cui imperat. Unde, quantum sibi imperat, tantum in se facit, immo ipso imperio facit & ipsum imperium est actus imperatus. Voluntas enim sola est talis potentia, ut ipsa sola sibi imperare possit: sicut ergo ipsa sibi potest imperare, ita etiam sola ipsa imperium suum adæquare potest, immo sola ipsa Imperio suo hoc facit, quod sibi imperat, & ipsum imperium facit, simul esse etiam imperatum, nec opus sit, actu ad actum, sed actu quo imperat, potest facere id quod imperat, quia non aliud quàm actum suum sibimet imperat. Neque enim imperat aliter quã volendo, nec aliud imperat nisi velle, seu ut velit: Si ergo aliquid se velle vult, vult ergo se velle, & consequenter facit hoc, quod se facere velle vult, consequẽter tantum efficit quantum vult, quia efficere illius est velle efficere, quod in nullâ alia potentiâ est, præterquam in unâ sola voluntate liberâ. Quodsi quando Voluntas videtur procedere ad actus impossibiles, & eosdem sibi imperare, hinc sciendum est, quòd talia imperia, vel sunt intelligenda per impossibile, vel conditionate, si esset possibile, vel quòd actus Voluntatis sit possibilis, quia de facto fit & habetur à Voluntate. vult enim impossibilis actum, licet alius actus qui est objectum illius, sit impossibilis. Quomodo cùm dicimus Deo: *Domine cupio te amare quantùm Tu Te amas.* Talem actum à Voluntate haberi est possibile, quia habetur de facto, & verbis exprimitur, licèt actum qui hoc actu desideratur, habere sit impossibile.

87.

Hæc de præsenti Industriâ dixisse sufficiat, in qua plures alias simul expositas esse, prudens Lector advertet, immo verò, & ex eis alias etiam plurimas ipse per sese colliget. Inter quas illam etiam, quod prudentiæ spiritualis non postrema portio sit, scire atque curare facere actus fæcundos & prægnantes variis rationibus augentibus & multiplicantibus meritum Gratiæ & Gloriæ apud Deum. Qua ipsa in prudentiâ ille laudatissimus gradus est, cùm quis scit hanc fæcundationem actionibus suis addere, per rationes quasdam atque veritates, formalitatesque solidas, sublimes, generales, latas, & transcendentes, summè defæcatas & purificatas, purificantesque ac multiplicantes valdè, & quidem paucorum verborum compendioso ambitu.

88.

Cujus rei exemplum est hæc Industria præsens, ad cujus normam non erit difficile alias conformare & excogitare, aut etiam in Sanctorum exemplis invenire. Non est enim novũ Davidi omnia ossa sua, omniaque interiora sua, ad benedicendum Deum excitare; omnia itẽ creaturarum genera, ad Dei laudes evocare, pro iisque Deum exaltare. Non est novum tribus Pueris, & cum eis Ecclesiæ, Deum benedicere omnibus, cum omnibus, & pro omnibus creaturis, specificè enumeratis. Non est novum Sanctæ Gertrudi Virgini, Deum per omnia ossa sua quæ numerat 225, venerari. Ecclesiæ non est novum pro numero annorum vel Christi Domini, vel B. VIRGINIS, eundem Christum eandemque VIRGINEM honorare. Itaque nihil attinet in hoc ampliùs explanando immorari, sed tantummodo attinet, nos in eo Industriæ genere usurpando, quàm diutissimè & frequentissimè occupari.

INDUSTRIA X.

Actiones nostræ ad Excellentiam Heroicam deducendæ: præstatque tales potiùs paucas, quàm remissas multas fieri.

89.

DUæ præcedentes Industriæ, ejus (meo judicio) sunt fæcunditatis atq;

 latitu-

latitudinis, ut eæ penè solæ sufficiant ad fœcundationem Actionum nostrarum, & ad complectendas omnes alias Industrias, quæ forsan in hoc genere esse possunt à nobis; & denique ad aperiendam viam, atque normam aliarum Industriarum, à quolibet pro suo spirituali gustu excogitandarum atque adhibendarum; quia tamen hunc Industriarum conscribendarum laborem idcirco præcipuè mihi assumpsi, ut spiritualium mercium divitiarumque avidis, earum venas aperirem & in eis Marte suo excogitandis, vel laborem minuerem, vel saltem in labore præeundo, viâ complanarem; ideo ad præcedentes duas satis generales, afferam in sequentibus, aliquas particulares magis Industrias, juxta quas, veri negotiatores possunt operibus suis magnam sublimitatem spiritûs, magnumque ad merendũ pondus, actionibus suis attribuere.

90. Est igitur Industria singularis crescendi in meritis aliosque thesauros cõparandi, paucas aliquas actiones elicere, sed eximie & heroicè, & in gradu excellenti, intenso, defæcato à propriis cõmodis & laudibus. Præstat enim potiùs pauca facere, & ingenti conatu & fervore Caritatis, & æstimationis Dei, quam multa tumultuariè, indeliberatè, festinè, præcipitanter, hoc solum, ut expediantur, attendendo & curando. Quo sensu, præstat, unam orationem Dominicam recitare, devotè, mediatè, attentè, intensè, ardenterque, quam totum decurrere Rosarium cursim, festinatè, linguâ mentem præcurrente. Hoc etiam sensu, (licet in aliâ materiâ) præstat, alicujus veritatis, vel assertionis unam rationem solidam, certis & indubitatis nixam principiis afferre, & confirmare, atque omni genere argumentorum comprobare, quã conglobare multas, nullam solidam.

Vide simile infra Indust. 27. fol.

91. Hoc sensu dicitur vulgò, quòd unus actus intensus, faciat pro mille tepidis. Facit, inquam, revera. nam & plus meretur, plùs impetrat, plùs satisfacit, plùs habitûs producit, plùs diaboli sensualitatis, voluntatis propriæ, propriæ repugnantiæ conatus infringit, plùs tentationes omnes prosternit, plùs Diabolo de victoriâ ex homine consequendâ desperationis inijcit, plùs virium, plùs facilitatis, plùs animi & resolutionis & præparationis in futurum homini parturit, unicus actus strenuus & heroicus, quàm mille remissi & frigidi. Semel S. Franciscus leprosum pauperem abhorrens sese ad ejus osculum & complexum demisit heroico conatu, & in posterum omnẽ sibi similem nauseam abstersit. Semel Catharina Senensis, semel Franciscus Xaverius purulentum ulcus saniemque ejus corruptam, triumphante ore & linguâ suxit, & ab omni se in posterum nauseante molestiâ liberavit: quod non fecisset mille remissis circa hoc actiunculis. Semel Thomas Aquinas, Lupam à se strenuo conatu & ausu abegit, & deinceps, eam pacem à luxuriâ consecutus est ministerio Angelico, quam plerique plurimis plurimorum annorum laboribus sudoribusque, non assequuntur. Nimirum verum est, quod unus actus intensus, pro mille faciat remissis.

92. Essent hujus rei rationes de longè petendæ, sed hîc talium locus non est. Satis sit experientia; tam ista Sanctorum jam adducta, quàm quotidiana eorum, qui id experiuntur semper, quoties in aliquo genere difficultatis sese strenuè superarunt, sive in tentationibus à Carne, sive in conculcando proprio honore, sive in condonandis injuriis, sive in similibus occasionibus; in quibus, una strenua victoria sui, æternam quandoque pacem affert victori. Maximè verò id, quod asseritur hîc, probabit experientia cujusque, si volet in semetipso eam cognoscere. Et quis nolit unius momenti labore mercari æternam victoriam, perpetuamque ab hoste pacem, cum aliis, jam suprà recensitis commodis. Sed quæret aliquis ex me, rationem strenuorum istorum & Heroicorum actuum exercendorum. Ad quod, quàm brevissimè licebit, respondebo.

93. Heroici actus atque strenui, possunt esse, aliquando ex solo objecto, aliquando ex solo subjecto, aliquando ex solo conatu, aliquando ex his omnibus, aut etiam pluribus causis. Si sit objectum aliquod arduum, difficile, rarum, & quod vulgò asseritur apud omnes non esse cujusvis mentis, & animi, & laboris, præstare; quale fuit v.g. illorum trium militum Davidis, petentium aquam ex cisternâ Bethleem, per medium castrorum hostilium: arduus sanè fuit actus ex objecto, & objecti circumstantiis, & ideo heroicus fuit amor ille in Regem. Si sit quidem objectum non adeo sublime & excelsum, sed subjecti abhorrentia gravis ab objecto, qualis fuit in Xaverio ab Elephantiaci hominis sanie, eam abhorrentiam superare, heroicum fuit. Si neq; objectum sit arduum, neque abhorrentia animi gravis, sed tantùm in animo

ipso &

ipso & actu ejus sit conatus, sit ardor, sit diligentia & cura singularis, potest & tunc actus esse heroicus, quantumlibet ille oculis hominum videatur esse ordinarius & communis. Sic aliquando silere ea, quæ in mentem dicere veniunt acutè, lepidè &c. Sic aliquando exiguum aliquem defectum, vel irrationalem suam cogitationem, quæ etiam involuntariè obrepserit, publicè coram fratribus fateri: sic aliquando flosculum non decerpere, nec naribus admovere; sic aliquando sapidum gulæ bolum vel poculum negare, immò tantùm, dum æstuat ejus desiderio, differre; sic locum aliquẽ scopis verrere exactè, aut lances triclinii eluere, magno cum conatu devotionis, seu quod idem est, Caritatis, Obedientiæ studii, fraternæ Caritatis, poterit esse in hisce omnibus ac similibus actus Caritatis, immo & in ipsis actibus, purè internis, & in nullum actum externum prodeuntibus. Si verò concurrant prædicta omnia ad actum, quomodo ad obedientiam Abrahæ concurrerunt universa; nam & objectum eximium, & animi lucta ingens, & conatus devotionis egregius, & omnes aliæ circumstantiæ exaggeratæ, ad facinus illud Patriarchale accesserunt, ideo heroicum fuit, & tanti à Deo, quanti notum est, æstimatum.

94. Praxis Industriæ præsentis poterit esse pro varietate occasionum & animorum varia. Ac inter alias hæc v.g. Assumat homo spiritualis actionem suam aliquam v.g. Orationem horariam, Sacrum, Horas Canonicas, laborem culinæ, laborem docendi in Scholá vel discendi &c. & eam Actionem circumspiciat undique, ita ut perspectos habeat, defectus, qui ubi intervenire illi solent, perfectiones quas ibi adhibere posset (omittere autem forsan solet) quâ intentionis puritate, quâ sui humiliatione, quâ effusione sui totius in Deum, in proximique Caritatem propter Deum, quâ constantiâ animi, quâ Dei præsentis reverentiâ; quibus affectibus cordis &c, effecturus sit Orationem illam horariam, vel aliud quodvis opus: & hæc omnia actu ingenti, resoluto, parato etiam ad graviora & grandiora adhibenda, vel superanda affectu, facere primùm proponat, deinde re ipsâ facere aggrediatur, peragat: ubi peregerit, totum totaliter Deo subdat, & solam sibi confusionem faciei reservet. Sic qui oraverit per horam, docuerit vel studuerit per horam, vel quidvis aliud egerit, omnibus licet commune; dico, Orationem, doctrinam, studium, omnem ejus actum illum sic factum, heroicum fore. utinam sic vel unam in die actionem agamus (agere sanè omne opus deberemus) & per singulas actiones agere, omnes sensim consuescamus! sanè longè plures in Religiosis domibus, in cætibus perfectionem profitentium, re ipsâ perfecti essemus.

95. Ex hoc fonte, profluxit illud documentum; quod plus habet in recessu & in intimis, quàm in exteriore sensu præferre videtur: Ordinaria facienda sunt non ordinariè. Quod gravissimus nostræ Societatis, noster Pater Hieronymus Natalis, solitus erat ex omnibus præcipuè commendare. Vide Histor. Soc.

Consimili ratione vir studiosus profectûs sui, eligat aliquam Virtutem, ejusq; formalem actum, ex electione, deliberate, advertenter, eliciat, & eliciat in eo gradu, qui est in illius Virtutis specie, vel ex animi dispositione difficilis, vel si nõ difficilis ei ob habitum & usum, attamen sublimis & perfectus; & eliciat sive tantùm interno animi, singulari conatu, sive insuper etiam externo aliquo, qui sit imperatus ab illo interiore; eliciat, inquam, illum, esto circa objectum non planè arduum, esto absque repugnantiâ, immo cum delectatione animi, eliciat tantùm ex proposito, deliberatè ex purâ placendi Deo intentione, eliciat perfectè & defæcatè sine intuitu suiipsius ullo: etiam hic actus erit Heroicus, erit strenuus, & pro mille remissis, (certè pro multis) faciet. Quòd si etiam ad actum accesserit objecti aliqua raritas, & cum raritate difficultas, & aversio inferioris hominis, & solitudo cordis, & nuditas spei concupiscentis, gratuita, sola Caritas Dei, &c: ingens accedet cumulus, tum perfectionis, tum dignitatis valorisque actui. Estque hæc singularis ratio proficiendi in virtutum soliditate & perfectione si præsertim tales actus fiant frequentiùs in diem ejusdem Virtutis; si per aliquod longiusculũ tempus exercitatio duret, puta unius vel alterius mensis: denique si accedat occasionum, vel sponte se offerentium commoditas, vel, si se sponte non offerant, quæsitio, aut certè propositio saltem imaginaria & conditionata. Ut si quis sibi imaginetur gravem aliquam (respectu sui) occasionem & materiam contemptûs, & eã sibi veluti præsentem in circumstantiis aggravantibus proponat, loci, temporis, personarum, modi &c. & ad illum contemptum

temptum sese odio sui, & studio confundendi sese ex debito sibi cognito contemptûs, ex æstimatione Dei, ob quem contemni, exaltari est non contemni, adeo, ut hoc omnem hominis indignissimi statum superet, ex Christi Domini quàm proximâ imitatione &c., sese resolvat, puro Dei gloriæ ardentissimoque intuitu; Erit Actus iste Heroicus.

Atque hujusmodi actus, si fiant aliquoties in diem per unum mensem, ingenerabunt in hominis animo, contemnendi sui seu humiliandi habitum excellentem, magnamque ad contemptus devorandos inducent promptitudinem, adeo, ut etiam plus postmodum periculi sit futurum ex ambitiosa cupiditate contemptuum, quàm ex fugâ illorum. Et quod in unâ hac virtute dixi, idem potest fieri in omni aliâ militantibus quoque aliis præteritis Industriis.

96. Alias hujus Industriæ praxes, prudentia, experientia, & inprimis unctio docebit; hasce duas vel tres attulisse suffecerit. Sub finem monuerim, ad rectum ejus Industriæ usum conferre plurimùm,

1. Si quis omnium aut saltem potissimarum Virtutum naturas, species, gradus, occasiones, actusque formales cognoscat: Sic enim faciliùs ex earum indole ac ingenio, actus elicere poterit magno cum lucro, parvo cum labore.

2. Proderit etiam, si quis sciat, perspectasque habeat rationes Virtutũ, & actionum, cõmunes omnibus, ac ideo etiam servituras omnibus, per quas, actiones tam virtutum quàm aliarum occupationum, fiant puræ & Deo gratæ, atq; gustabiles modo non plebejo, nec ordinario. Quas rationes superiùs quidem perstrinximus, in explicatione Industriæ, sed ex proposito forsan alicubi erunt explorandæ, nunc eas attingo pauculis.

Ac primùm suppono, hominem debere esse in Gratia Dei, & amicum, hoc enim nisi fiat; omnia frustra sunt.

97. Deinde oportet esse actum humanũ, hoc est liberum, deliberatum, voluntarium, ex electione tam actûs, quàm etiam circumstantiarum ejus. Post hæc, oportet esse actum supernaturalem ex motivo, fine, atque etiam quoad fieri potest, mediis supernaturalibus, & fide notis, atque revelatis profectum & exercitum.

Insuper oportet esse actum supernaturalem, ut dixi, & quidem ex motivo sublimi. Sublime motivum vocatur illud, quod abstrahit valde à creaturis omnibus; quod abstrahit valde ab omni creaturarum amore, gustu, spe; quod abstrahit ab ipsius operantis commodo, nõ tantùm sensuali, sed etiam rationali, etiam supernaturali, nisi propter ipsum Deum, sit illud ipsum commodum; quod abstrahit ab omni, omnis creaturæ etiam sanctæ gustu, præterquam propter Deum, ita ut hic ipse gustus in Deum tendat, & creaturæ appetantur propter Deum; quod abstrahit à libertate propriâ & delectu proprio, & sese in solius Dei nutum, & si quid minutius signum placiti Divini potest esse ipso nutu, deponit, resignat, sepelit, demergit; quod abstrahit ab omni curâ & inquietudine &c. Hoc solemus vocare motivum sublime, defæcatum, purum, nudum, solitarium, gratuitum, quod est solius Caritatis & Resignationis puræ in Deum, quæ in merito neque meritum quærit, nec mereri volendo, vult mereri, sed vult mereri, quia Deus vult illum mereri, & meriti quæsitione Dei gustum implere.

98. 3. Proderit nosse, quod non ex difficultate operandi vel facilitate atq; suavitate pendeat ratio Excellentiæ Heroicæ in actibus. Nam si sit difficultas ex imbecillitate virtutis in animo, atque ex parvitate conatûs ad eliciendum actum, ex tepore Caritatis in Deum, propter quem fiat actus; hæc difficultas non tantùm non facit ut sit, sed potiùs facit ut plurimùm ne sit actus Heroicus. At verò si sit difficultas ex parte quidem sensibili aut inferiori hominis, promptitudo autem ex parte Voluntatis superioris rationalis, cum aliis suprà expositis requisitis, tũ difficultas hæc facit, ut sic actus Heroicus.

99. Cæterùm in perfectis viris, & virtutes possidentibus in gradibus eximiis, actus Heroici esse possunt, etsi cum summâ facilitate, suavitate, ac hilaritate illos eliciant. Facilitas quippe illa, fructus est Victoriarum præteritarum, & triumphus de adversario homine in sese victo. Quæ proinde promovet & facit, excellentiam Heroicam, in actibus, cùm hoc ipsum sit heroicum magnos magnarum Virtutum actus facere, nõn tantùm libenter, non tantùm faciliter, sed etiam delectabiliter, atque connaturaliter. alioqui si hoc non esset, tunc aut non essent actus Virtutum exercendi, neque per eos parandi habitus intensi Virtutum, siquidem habitibus & facilitate, impediretur excellentia heroica aut certè in actibus heroica sublimitas, nihil laudabile contine-

contineret, quod tamen contra omnem rationem esse constat.

Denique sequeretur in Christo Domino nullam fuisse Heroicam Virtutem, quia in eo nulla fuit difficultas, summa verò facilitas exercendi actus Virtutum: atqui constat in eo plusquam fuisse heroicas Virtutes omnes; Facilitas ergo stat cum excellentiâ heroicâ, atque illam adjuvat; ac proinde ad eam conandum est, in exercitio Virtutum assiduo, ita ut ex facilitate, heroica sublimitas, ex heroicâ sublimitate, facilitas exercendi nascatur.

INDUSTRIA XI.

Actiones sic à nobis sunt exercendæ, ut sint superiores habitibus suis.

100. HUmanæ actiones fiunt vel sine habitu, vel ex, & cum habitu, vel secundùm habitum, vel supra habitum, vel infra habitum. Sine habitu facimus actiones, quando aliquas primò aggredimur facere. Ex habitu facimus, quando jam per actuum repetitionem, consuetudine agendi contractâ, ex illâ & cum illa consuetudine (quæ habitus est) facimus. Infra habitum facimus, quando agimus ex illâ quidem, & cum illius consuetudinis auxilio, non tamen cum eâ latitudine atque conatu, cùm quantâ possemus ex vi illius consuetudinis atque facilitatis sive habitûs, sed cum minori. Secundùm habitum facimus, quando actione ipsâ vires & latitudinem illius consuetudinis æquamus. Supra habitum facimus, quando agendi conatu, facilitatem habitumq; excedimus, ita ut actio plus habeat in se latitudinis atque graduum, quàm habuit habitus, quod absurdum non est: tum quia actio potest esse sine habitu; tum quia non solus habitus est principium actionis atque conatûs in actione, sed libertas animi, gratiâ divina adjuti; quo fit, ut postquam animus suo conatu agendi adæquaverit habitûs sui vires & gradum, adhuc possit ulteriùs pergere, libertatis suæ conatu, & Gratiæ fervore stimulante simul atque adjuvante.

101. Hæc quintuplex ratio agendi, Prima habet difficultatem gravem, secunda minorem; Habitus enim cum sit facilitas, inde fit, ut agere ex habitu & infra habitum, immò & adæquatè habitui minorem pariat difficultatem; immò verò inde fit, ut pro mensura habitûs, sit etiam mensura difficultatis vel facilitatis: ita, ut si magnus sit habitus, magna sit facilitas, parva difficultas in agendo. Adæquatè tamen habitui agere, difficultas esse solet & potest; quia non semper homo animi conatum ad agendum adhibet parem habitui suo: quo fit, ut habitualem præparationem non adæquans potentiæ conatu, actu etiam non adæquet. Quod maximè in supernaturalibus contingit actionibus atque habitibus, qui nõ dant facile posse, sed tantùm simpliciter posse.

Longe verò maxima difficultas est, supra habitum operari, & conatu habitum excedere; hoc enim facere, est nihil aliud, quàm facilitatem agendi superare; superare autem illam non est facile, ut patet ex terminis. Si enim esset facilè facilitatem superare, hoc ipso non superaretur facilitas, sed tantùm æquaretur ad summum: vel certe infrà illam ageretur contra suppositionem; Supra habitum ergo agere non est facile, quia est quasi ultra vires, saltem facilitatas habitu, agere. Unde sequitur, singularem esse difficultatem agere supra habitum, consequenterque, raræ & insignis admodum Virtutis, ferventisque Caritatis ita operari: ac tandem consequens est, magni esse pretii meritique apud Deum, ita propter Deum operari.

Atque hoc est, quod præsens Industria commendat ferventibus & diligentibus operariis Negatiatoribusque. Suadet videlicet, ut non sint contenti, operationes suas exercere ex habitu, vel cũ habitu, vel infra vires habitûs; Sed ut conentur semper, aut adæquare habitum, aut certe etiam snperare. Id enim cùm est per sese magnificum, tum Deo summe gratum, tum ad fervorem in nobis conservandum augendumque, mirè proficuum.

102. Quid verò sit operari suprà habitũ, & facilitatem, quam habet quis ex usu contractam superare, ingenuè fateor, me id explicare aliter, quàm jam explicui, non posse. Nam & difficile est hoc aliter explicare, & apud Scriptores talium, legere me nihil memini de hac materia, nisi id quod jam dixi. quippe omnes hoc nõ tam explicant, quàm adducunt, & veluti rem notam adduxisse, præcepisseque, vel consuluisse contenti sunt. Accedit verò, quòd non sit facile cognoscere, quanti sint in nobis uniuscujusque quali-

tatis præsertim spiritualis habitus: quo ignorato necesse est etiam ignorari, quomodo sunt superandi habitus actionibus. Itaque, hoc universim tradiderim. Primo, ut unusquisque dum operatur, conetur cum eo, cum quo videtur sibi posse operari conatu. Discretione tamen salvâ, ne fortè dum habitum superare volumus, superemus etiam potentiam & naturam.

Deinde, ut quis sciat, quantos habeat habitus alicujus virtutis in se, attendat primùm, quàm frequentes & quã ferventes, & quam longo tempore elicuerit actus alicujus Virtutis: ex his eni facilè teste conscientia, colligere poterit de Excellentia habitûs illius Virtutis in se.

103. Præterea attendat in præsenti, quã libenter, quam facile & expedite operetur alicujus Virtutis actus. nam si ægre, rarò, repugnanter, cum imperfectionibus operatur actus, palam est infirmum esse habitum. Sin verò crebrò, facilè, avidè, cum nulla, aut cum modica, aut cum strenuè vinci solita difficultate operatur, dubium non est, habitum esse Virtutis insignem & validum, quem adæquare operando, ferventis; superare, valde ferventis, & valde conantis est. Quid autem sit hoc? jam dixi, me nescire. Illud repeto jam alias dictum, quã ferventissimè salvâ discretione operari, id fore, vel æquare, vel superare habitum actione. Certitudinem in his & evidentiam nunquam fore nobis in hac vita, Deo id soli notum; nobis satagendum est, ut per bona opera certam vocationem nostram faciamus, & quidquid potest manus nostra, id instanter operemur: Neq; operemur ad mensuram & ad solum debitum, sed ad supererogationem. tali enim Domino laboramus, qui nobis etiam, si quid superérogaverimus, soluturum se promisit, & soluturum quidem mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & supereffluentem.

104. Cùm ergo talem habeamus solutorem laborum nostrorum; quid mirum, si ille etiam vult, nos tales esse laboratores, qui faciamus, opera plena, opera perfecta, confirmata, cum usura & fœnore, ad mensam data, atque recepta, & Domino tradita, afferentia fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum. Hoc igitur agamus, vires nostras metiamur & intelligamus, quas ex Dei Gratia nobis communicata, ex quotidiano labore acquisivimus, atque ex earum mensura laborare, operarique satagamus.

Cæterùm uberiorem hujus Industriæ magisque practicam explicationem a me nemo expectet; exemplis enim & praxibus hæc res declarari non potest scriptis, sed factis. Faciamus itaque actus strenuos, heroicos, viribus nostris quam maximè proportionatos, & tunc, sine Magisterio clarissimè cognoscemus, hoc, quod hic doceri a nobis non posse, libenter, quia vere, confitemur.

INDUSTRIA XII.

Actiones nostræ sublimandæ in meritis JESU Christi & Pretiosissimæ Parentis MARIÆ.

105. SAtis constat inter Fideles, nihil Ecclesiam habere pretiosius, quo vel placere, vel demereri, vel placare possit faciliùs Deum suum, quam JESUM CHRISTUM, ejusque MATREM dignissimam. Non est opus hoc loco a me recenseri, quantos in Christo thesauros habeamus; quantam fiduciæ causam in Christi Matre; hæc tractare non est Instituti præsentis: supponimus hæc aut nota alias Lectori harum Industriarum, aut certè aliunde horum notitiam petendam. Hîc tantùm dicimus docemusque, singularem, commendatissimam, & usurpandam esse a Spiritualibus Mercatoribus hanc Industriam, ut quidquid tandem agant, quocunque modo, & quavis potentiâ suâ, id totum JESU Christi Humanitati, conversationi, actionibus, meritis, gratiæ uniant, unitumque Deo offerant, vel certè manibus JESU Christi Humanitatis benedictum, sanguine respersum, meritis unitum, Gratia illustratum, actionibus Theandricis sigillatum, per easdem illas Christi manus, conspectui SS. Trinitatis præsentari petant.

106. Huc facit illud, aliquibus & cõmendatum, & usitatum spiritualibus Hominibus, actiones nempe suas, immo & potentias, & denique toto se cum corpore & anima, JESU Christi vulneribus, nunc pedum, nunc manuum, nunc cordis seu lateris, immittere ac immergere: inibi se purificare tanquam immundissimos, calefacere tanquam frigidissimos, confortare tanquam debilissimos, dignificare tanquam vilissimos. se, inquam, & sua omnia, tam dicta, quam facta, quam cogitata, quam potentias istorum o-

rum omnium causas. Ita Sanctum Franciscum legimus, solitum sibi factitare balneum, ex Christi Domini vulneribus, & in eo quotidie, teste S. Bonaventurâ, animam suam lavare. In quo SS. virum imitari, nescio quid nos prohibeat: cùm Christus sit melior Jordanis, nos verò magìs leprosi quàm Naaman. Cùm Christus sit Petra foraminata, in quâ nos simplices columbas, ab unguibus infernalis herodii abscondi saluberrimum est. Huic etiam vicina est illa consuetudo Sanctæ Virginis Gertrudis superiùs à me recensita, linguam suam locuturam, immergere solitæ in Christi sanguine. Quod idem ne à nobis per omnia opera, perq; omnes potentias & particulas nostras fiat, sanè nihil prohibet, modò ne negligentia & dilatio prohibeat.

107. Huc quoque faceret, si quis id sibi familiare faceret, opera omnia sua facta vel facienda, cordi Christi JESU (vel alicui vulneri) immittere, ac in eo velut in Alchimistico instrumento detinere atq; sublimari cupere; sicque sublimata, & Theandrica quodammodo effecta, per manus Christi, Sanctissimæ Trinitati offerre. Non poterunt non reddi opera nostra per illas manus fæcundissima, quia illæ sunt manus, inter quas, pauci pisciculi, & quinque panes, in quinque hominum millia multiplicati sunt. Illæ sũt manus, quæ cùm aperiuntur, implent omne animal benedictione &c. Sic se suasque potentias & suas actiones Christo unire; hoc est illud quod Salvator desiderat: hoc, inquam, est, in Christo manere, Christi palmitem esse, Christi membrum esse, de Christo vitam, robur, & spiritum haurire.

108. Hujus Industriæ, nusquam non potest, (dicere debueram, non dèbet,) esse usus inter spirituales viros. Ac inter cætera opera, ac tempora, suaderem ut concessuri dormitum, lavemus animas nostras, ab omni inquinamento delicti, in sanguinis & vulnerum Christi Domini balneo: suaderem ut omnia, quæ de manu Domini accepimus, opera, potentias, substantiam totam nostram, seu nos ipsos, Deo restituamus semper, & in vulneribus Christi JESU conservandos deponamus: suaderem, ut omnia opera agenda, vel etiam acta, Christi sanguine meritisque respergamus & ornamus, & cum talibus tantùm Divino in conspectu versari, eidemque morientes sisti laboraremus: hoc enim, puto, esset, lavisse stolam suam in Sanguine Agni.

109. Plura de hac operum nostrorum cũ Christi communione, deque modis & sublimitatibus, subtilitatibusque eam faciendi non adfero. Nec enim desunt alii, qui hæc tractârunt, & ex his quisque alios formabit ad gustũ suum praxes. Hæc, quæ de Christo attuli, dicta volo & de Pretiosissimâ Parente Virgine MARIA: per cujus etiam merita ornari opera nostra, non absque ingenti fæcunditate possunt: possunt; immo debent, per ejus manus offerri Divinæ Majestati omnia. Majestas quippe illa gaudet, totum à nobis habere per Mariam, quæ etiam nihil nos habere voluit nisi per MARIAM. *Bern.* Quidquid ergo offerre paramus, MARIÆ commendamus, ne fortè patiamur repulsam. Quam ob rem cùm aliàs semper omnes, quoad fieri potest, actiones, Sanctissimæ Trinitati, per manus MARIÆ offerendæ sunt; tum verò id suaserim faciendum, statim ac surgimus, & cùm proximè dormituri sumus; Hoc vel simili modo.

Pretiosissima Parens mea MARIA, Tibi ego omnes actiones meas, totius hujus diei (vespere, dic noctis) mensis, anni, Vitæ meæ præteritæ, præsentis & futuræ commendo, easq; Tuis Sanctissimis manibus & meritis, & Gratiis, & donis exornandas, atq; Sanctissimæ Trinitatis conspectui pro me offerendas committo: quatenus enim à me sunt, indignissimæ ejus conspectu sunt &c.

Qui ipse actus unà cum unione operum nostrorum cum meritis Christi depositioneque eorum in manus tàm Christi, quàm Pretiosissimæ Parentis repeti & conjungi potest sæpiùs in die pro libitu, hâc vel simili formulâ:

In manus tuas Domine IESV, & in Tuas, Pretiosissima Parens, commendo omnia opera mea, hoc præsens opus meum; illudq; utriusq; vestrũm manibus & toti in Mundo conversationi unio; ornandumq;, & Sanctissimæ Trinitati offerendum trado. Vel hac aliâ:

Omnes actus meos mi IESV in vitâ, vulneribus, & corde Tuo depono; ut in eo detenti sublimentur, & sic dignè Sanctissimæ Trinitati, Tuis, & Pretiosissimæ Parentis manibus offerantur &c.

INDVSTRIA XIII.

Actiones nostræ possunt locupletari per Appropriationem bonorum, præcipuè Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum.

110. ITa res sunt conditæ à Deo omnium autore, ut inter eas sit connexio quædam atq;

atq; communicatio, quin & indigentia sui mutua, adeò, ut bonum unius, sit bonum omnium, & bonum omnium sit bonum unius. sicut vice versâ malum unius, omnium malum est, malum omnium, malum est unius: ut ex hoc discant homines, nullam rem, nullam personam odisse; discant nullius malis insultare, nullius bonis invidere, non solis sibi vivere natosque sese putare: item ut discant, bonis suis & perfectionibus suis, non solis sibi bonos esse atque proficere, sed omnibus, malis suis & vitiis atque exitiis ac detrimentis, non solis sibi nocere atque perire, sed perire omnibus, & cum omnium damno: Item ut discant homines, non solos se curare, sed omnes; & sic pro se, ac pro omnibus, proq; omnium bono solicitos esse: sic pro omnibus proque bono omnium angi, ac pro suo proprio. Item ut discant homines ex alienis bonis eundem profectum capere, quem ex suis propriis, immo aliena bona non reputare aliena, sed propria sua, eaque tanquam propria amare, appetere, promovere, tueri, augere, iis confidere, & per ea sese Deo commendare.

111. Quod quidem præ aliis, hâc Industriâ commendamus. docemus nempè, atque suademus Spiritualibus negotiatoribus, hanc quoque usurpandam ad profectum in spiritu, & meritis, & Charitate, rationem esse, quæ fiat, per Appropriationem omnium bonorum alienorum, eorumque tanquam suorum propriorum, sibi vendicationem, & tanquam suorum Deo oblationem. Ut enim jam dixi initio, res ita sunt connexæ omnes inter se, ut sint vinculo quodam naturalis Caritatis colligatæ: atque ita sunt omnes mutuò, atque vicissim suæ & alienæ.

Accedit quòd Deus peculiari ratione omnia hominibus in ministerium & subjectionem dedit. *omnia enim*, ait Psal: 88. *subjecisti sub pedibus eius: oves & boves, &c.* adeo, ut etiam ipsi *Angeli missi sint in ministerium hominum*. Hebr: 1. 14.

Præterea ratione Christi Domini, qui cùm sit Dominus omnium, & simul caput hominum, donatus à Deo etiam hominibus, teste Paulo; inde sequitur, ut omnia sint nostra, nos Christi, Christus Dei: sequitur, ut qui nobis donavit Christum, donaverit etiã omnia nobis cum illo. Igitur cùm ita sint omnia nostra, & nos omnium, sequitur, quòd possimus nos nobis appropriare aliena bona tanquam nostra, & aliis nostra donare, tanquam eorum, absque ullo detrimento partium.

112. Ergo Negotiator Spiritualis familiare sibi faciet hoc exercitium, appropriandi sibi, omnes omnium creaturarum Essentias, proprietates, bonitates, perfectiones, operationes, tàm naturales, quàm morales, bonas in entitate. Item exercitium appropriandi sibi omnes omnium creaturarum justarum atque sanctarum actiones, tàm viventium, quàm jam mortuorum atque cum Deo regnantium hominum, Angelorumque ipsorum. Item exercitium appropriandi sibi merita & dona omnia, actionesque ac Virtutes, Pretiosissimæ Parentis Mariæ. Deniq; Exercitium appropriandi sibi Christum Dominum, cum omnibus opulentiis eius. Vix eni ulla res est æquè nostra ac Christus Dominus. nostra, inquam, nobisque donata, nata, impensa, appropriata. quod probare huius loci non est, etsi res suavissimæ Meditationis materiam contineat: maximè si quis contempletur mysterium Sacrificii, Sacramenti & Passionis, thesaurorumque Christi; proinde vix ullam rem justiùs, confidentiùs, utiliùs, honorificentiùs, potest homo sibi appropriare, per eamque ditescere, atque per hanc Jesu Christi Domini meritorum, thesaurorum, gratiarum, Virtutum, actionum; passionum, substantiarum appropriationem, usurpationem & possessionem. Ut hoc exercitium jure optimo debeat esse amatoribus lucri Spiritualis commendatissimum; mirumque sit valdè, quòd non sit usurpatissimum, cùm præsertim hoc unum maximè Christus ipse desideret, nullâque ex re majorem vel ipse capiat Voluptatem, vel nos percipere velit utilitatem, & nulla nos ratione meliùs ac digniùs fructum ex se capere posse ac debere existimet, quam per hanc de quâ loquor, sui à nobis appropriationem, & cum eo sic nobis appropriato, omnium nostrarum actionum atque passionum, in divinum conspectũ productionem, earumque gustui Divino oblationem.

Cui namque dubium, Deo, qui *nihil odit eorum quæ fecit* (ut ait Scriptura) actiones nostras longè gratiores reddi consortio actionum Christi, ac meritorum & Gratiarum; itemque consortio meritorum Pretiosissimæ Parentis, Angelorum, Sanctorumque omnium; item consortio actionum & bonorum omnium creatorum, quam sunt, vel essent, ipsæ per se. cum solâ habituali unione cum Christo capite.

capite. Multò namque est efficacius illud consortium actuale, quàm habituale. ac proinde ex eo dignitatis atque efficaciæ & valoris in opera profluit amplius.

113. Quòd cùm ita sit, consultum existimo uno cuilibet Spirituali, uti hac appropriatione bonorum omnium, quæcunque in cæteris rebus reperiuntur, eorũque cum suis conjunctione, & suorum per illa in Dei conspectu dignificatione, exornatione & locupletatione. Quæ quidem variè fieri in praxi potest. Nam vel possumus hanc appropriationem facere in genere & confusè, omnium scilicet bonorum, in creaturis existentium quocunque modo, vel possumus facere in specie, bonorum scilicet omnium moralium, vel possumus certarum tantummodo rerum, v. g. tantùm certorum Sanctorum hominum, tantùm sanctorum hominum sed omnium, tantùm Angelorum & Beatorum Spirituum Ordinum, tantùm Pretiosissimæ Parentis MARIÆ, tantùm JESU Christi; vel possumus facere appretiationem omnium istorum simul &c. Et quidem, aliquando omnium simul, aliquando aliquorum, aliquando horum, aliquando illorum, prout devotio vel occasio poscet, ac animus volet. Appono hujus rei paradigma aliquod, cujus ad instar additis vel ademptis aliquibus, poterit quisque simile pro semetipso conficere.

114. *Praxis appropriandi sibi omnia Bona creata, Deoq; illa ad gustum offerendi.*

DEVS cui soli humana corda loquuntur, & qui solus gratus salvare nos vis, potes, soles, debes, Ego N. paupercula creatura tua, omnium tuarum quarumcunq;, inprimis autem rationalium Creaturarum, usque ad Angelos, usque ad Pretiosissimam Parentem Virginem MARIAM, usq; ad Sacrosanctam IESV Christi humanitatem procedendo, omnes in genere, specie, numero, Tibi quocunq; modo placitas, aut in omnem æternitatem placituras, actiones, passiones, potentias, entitates, perfectiones, mihi nunc ex dono Gratiæ Tuæ, ex beneplacito Voluntatis Tuæ, voluntariè & deliberatè assumo, approprio, atq; ad purum & nudum gustum Dignissimæ suavitatis & suavissimæ Dignitatis tuæ offero; illisq; meas etiam pauperculas, actiones, passiones, ac entitates omnes conjungo: & tam pro hoc præsenti momento, quã pro totâ vitâ meâ reliquâ, quàm pro mortis articulo, quàm deniq; pro toto æternitatis decursu, illas omnes cum hoc appropriationis actu habere intendo, Tuæq; summæ Majestati, quantum digna est, substerno, substernereq; in æternum & ultrà volo, Tibi Deo meo. sit honor ab omni & pro omni creaturâ creaturæq; atomo, in sæcula sæculorum. Amen.

115. Usus istius Appropriationis, esse varius poterit apud virum spiritualem. Nã sive voluerit se ipsum ditare, sive actiones suas, passionesque digniores apud Deum facere; sive Caritatis actum; in Deum, vel in proximum, vel in omnem creaturam elicere; sive negligentias, imperfectiones, defectusque suos volet supplere; sive paupertatem suam agnoscere atque confiteri; sive spem in Christi & Sanctorum meritis collocare; sive aliquem Sanctorum speciali cultu colere; ad id omne, & ad plurima similia, hoc appropriationis Exercitium plurimùm poterit, spiritualem hominem adjuvare, ejusque conatus apud Deum gratiores facere. Insuper & illud observandum est, hanc appropriationem creaturarum omnium ad sese ab homine spirituali utiliùs fieri posse, atq; sanctiùs, si omnes creaturas, omniaque bona illarum naturalia, supernaturalia, ornet imbuatque meritis JESU Christi, eaque sic ornata & veluti ditata, dignificata, atque in fontibus Salvatoris tincta, sibi appropriet, & appropriata, Trinitati Sanctissimæ secum & ipse offerat, &c.

INDVSTRIA XIV.

Possumus spiritualiter ditari ex Actionibus atq; Passionibus alioquin inutilibus futuris, tam ex nostris quàm ex alienis.

116. SEquens Industria vicina est præcedẽti, & quodammodo particula illius. Est autem in hoc posita, ut Spiritualis homo, crescat in Spiritu & meritis, & in Gratiâ apud Deum per nostra & aliena bona, & quidem in specie per illa quæ sunt nobis & aliis alioqui inutilia, cujusmodi sunt v. g. actus Beatorum omnium præteriti, præsentes, futuri. item actus omnes boni ex se, & per accidens mali. item actus boni eorum, qui sunt in statu peccati, actus quoque naturales, indifferentes, otiosi, & in finem bonum supernaturalem non directi. Cujusmodi actiones atque passiones plurimæ sunt, nõ tantùm in omnibus creaturis, sed etiam in unâ-

in unâquâque creaturâ individuâ, & in unoquoque nostrûm.

Ex quibus omnibus vir Spiritualis & bonus Negotiator, si sapit, fructum capere potest, appropriando eos sibi, & in finem supernaturalem, Caritatis, Dignificationis & gustûs Dei, illos sublimando atque dirigendo, & unà cum suis pro se vel pro aliis Divinæ Majestati offerendo, consecrando, suos defectus supplendo, Caritatem suam, liberalitatem in Deum per hunc modum contestando, nihil à Dei laude, atque beneplacito vacuum esse pro suâ parte sinendo & curando, aliarum creaturarum (sicut & proprios) defectus, negligentias, inadvertentias, omissiones supplendo. Quod fieri poterit hac vel simili praxi.

117. *Domine DEVS meus, qui omnia opera nostra operaris in nobis; operaris autem propter gloriam tuam, & propter bonum nostrum, neque quidquam in nobis à nobis otiosum esse vis: omnes actiones, omnesq; passiones meas, Angelorum, Beatorum, & omnium entium creatorum quocunque modo, te Domino Deo nostro dignas, ipsis autem creaturis cæteroqui vel neglectas, vel inutiles, vel non necessarias, ego videns & agnoscens paupertatem meam, & simul nusquam exulare cupiens Gloriam Tuam utilitatemq; nostram; has omnes tàm meas, quàm omnium creaturarum actiones atque passiones, etiam atomicè computatas, Tibi Deo meo præsento, honori, gloriæq; Tuæ consecro, pro meo (& pro omnium Creaturarum capacium) bono temporali & spirituali hujus & alterius vitæ offero, iisque omnes defectuositates meas, (& earum) qualescunq; suppleri cupio & intendo, in unione meritorum IESV Christi, atq; Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum omnium: idq; facio semel pro semper & pro omni æternitate, ad purum gustum Tuum ô Sanctissima Trinitas, DEVS meus. Amen.*

Usus Industriæ istius, quos in fines adhiberi à nobis possit, jam ex prædictis patet. Ad quorum normam facile erit, & fines, & fructus plures cuilibet designare. Unum tantùm in præsenti monuerim: bonum fore, si statis in diem vel saltem hebdomadam vicibus, istiusmodi alienorum sive propriorum (aliàs inutilium ad merendum futurorum (actuum passionumque oblatione faciat, quisquis per hanc Industriam crescere desiderabit.

INDVSTRIA XV.

Possumus nos cōmunicare cum Creaturis, & transformare in eas: ac pro eis DEVM collaudare.

118. Vtilis est & illa ad pietatem promovendam, ad liberalitatem in Deum exercendam, ad Deum in Creaturis & pro Creaturis laudandum, ad dilatandâ propriam in Deum & Creaturas dilectionem, & ad alios insuper pios fines consequendos; Industria Communicationis. Quâ scilicet homo cōmunicat cum omni creaturâ, & se quasi in illam transformat, omnemq; creaturæ substantiam, potentiam, actionem, passionem, (exceptis peccaminosis) circumstantiam, capacitatē, suam quodammodo facit, & supponit: & ita in omnes transformatus, omnisque effectus, omnium vice, cum omnibus, pro omnibus, omnes in se & per se, & vicissim se in omnibus ac per omnes, summo Sanctissimæ Trinitatis amori, honori, cultui, æstimationi, resignationi, fruitioni, consecrat, exercet, donat, dedicat, sacrificat, holocaustificat: ut hac ratione, homo, quod in se est, faciat Deo ex omnibus creatis entibus, potentiis, actionibus, passionibus, circumstantiis, capacitatibus, atomis, laudem omnem debitam sibi, dignam ipso, Creaturæ possibilem. Cujus Industriæ hæc esse praxis poterit, vel illi similis.

118. *Mi DEVS, volo me omnem creaturam esse, omnem cujusvis Creaturæ notitiam, potentiam, actum, passionem, affectum, circumstantiam, capacitatem, atomum meam esse, & re ipsâ, quoad possum plenâ Voluntate, meam, & me illam, & illam vicissim me facio: omnesq; illas in unum me complector, & sic me in omnibus, omnes in me, pro me, pro omnibus, in tuum summe plenū, plene summum, omnimode tibi debitum, creaturæque possibilem, amorem, cultum, dignificationem, voluntatis Tuæ, omnem gustum atq; expletionem per omnes atomos & momenta, per omnes naturæ Gratiæq; ordines & gradus, exerceo, expendo, exhaurio, do, dono, dedico, offero, sacrifico, holocaustifico, annihilo, semel pro semper, & pro omni æternitate, in unione meritorum IESV Christi, & Pretiosissimæ ejus Parentis, Sanctorumq; omnium. Amen.*

Vim, fructum, usum Industriæ hujus cōmendare intelligentibus Dei sensum, nihil attinet: unctio enim Dei sola, omnium persuasionum & persuasorum loco est. Et talium sensus non ex persuasibilibus ac doctis Humanæ Sapientiæ verbis discitur, juxta illud Christi Domini Joan: 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ meâ, utrum ex Deo sit.* Quæ verba in omnibus tam præmissis quàm secuturis Industriis, immò in omni vitâ spirituali locum habent.

INDUSTRIA XVI.

Possumus in meritis crescere, defectus Divinæ Laudis, in, & pro omnibus Creaturis supplendo.

119. NEmo dubitat, à Creaturis omnibus, quantumlibet in Dei Gloriam conditæ sint, immò quantumlibet etiam in Dei laudem Sponte suâ pleræque earum conversæ sint; plurima tamen omitti ac negligi, ac imperfectiùs committi, quàm dignum sit, illâ Dei laudabilitate, quæ Deo inest, & quam exigat illud debitum, quod omni creaturæ ad Deum exaltandum incumbit. Atq; hæc in Deo laudando imperfectio, ac defectuositas, non tantùm provenit ex immensitate laudabilitatis Dei, nec tantùm ex limitatione substantiæ ac facilitatis cujusvis creaturæ, sed etiam ex incapacitate vel naturæ, ut in irrationalibus, vel status, ut in damnatis, & insuper etiam ex ignorantia, negligentiâ, fragilitate, inadvertentiâ, ut in hominibus adhuc in hâc vitâ degentibus.

120. Ex quo sequitur, nulli quoque dubium esse debere, quin Deus quotidie innumera patiatur detrimenta laudis suæ, ex quibus corda amantium Deum, non possunt non cruciari. Et quia homo ita conditus est, ut pro omnibus irrationalibus creaturis, Deum agnoscat, amet, & laudet, ob idque à creaturis obsequium & subjectionem servilem ac jumentalem habeat; rursumque ita omnis homo conditus est, ut cum omni creatura, ac præcipuè cum rationali, sit quadam Caritate & communione conjunctus; ita ut bona Creaturarum omnium, sint bona unius, & damna omnium sint damna uniuscujuslibet, & debita omnium sint debita uniuscujusque, & negligentiæ atque culpæ, & ab officio defectiones omnium sint uniuscujusque particularis; perinde, ac in corpore humano videmus accidere; inde efficitur unumquemque hominem debere solicitum esse proinde pro omnibus creaturis, atque pro seipso uno, ne desint officio suo in laudando Deo: quod si desint ob aliquam prædictarum causarum, tum consequens est incumbere homini cuilibet particulari ex Caritate communi, & ex prædictis rationibus atque obligationibus officium & conatum, supplendi omnes omnium Creaturarum in Deo laudando, amando, colendo, adorando, timendo, appetèndo, appretiando, imitando, gratiarum actionibus recolendo &c. negligentias, ex quâcunq; causâ provenientes. Idq; tum, ut Deus saltem in aliquâ creaturarum habeat quoad fieri potest, plenam laudem suam, tum ut omnis creaturarum populus in multis à debito Deum laudandi deficiens, saltem in quapiam sui parte; in aliquo, inquam, (vel aliquibus) suo individuo, impendat Deo laudem quam debet, eâ plenitudine & integritate, quâ debet, juxta fragilis creaturæ possibilitatem.

121. In quo genere quia primas duxit & ducit Sanctissima Christi humanitas, postea Pretiosissima Parens MARIA, tum beati, jam in Cœlo regnantes ducunt: ex parte quoque Justi in hâc vitâ degentes, potissimùm excellentes Sancti, etiam hoc ipso officio funguntur: ideo illis creaturæ omnes, plurimùm debent: sicut è contra damnati, Dæmones atque homines, & in peccatis hærentes, plurimum malitiosi in omnem creaturam sunt, ideoque etiam exosi omnibus creaturis meritò sunt. Justi igitur viri, non tantùm possunt, sed etiam debent (juxta jam dicta) hâc Industriâ uti, ut Deum omnium Dominum & summum summèq; bonum laudent pro omni reliquâ creaturâ; utque defectus omnium aliarum creaturarum, quos committunt in Dei laude, committunt, inquam, sive perpetratione actuum Deo displicitorum, sive omissione actuum Deo placitorum, sive bonorum actuum imperfectione multiplici, ipsi suis actibus, & conatibus, & perfectionibus actualibus, tum totius vitæ suæ reliquæ, tum præcipuè ex proposito ad hunc supplendi finem actis, Deoque pro Creaturâ omni oblatis, supplere, atque lacunas omnes, & valles adimplere.

122. Atque ex hoc fonte, Sancti viri (ut exempla tam Sacrarum Scripturarum, quàm alia, satis docent,) Deum non tantùm pro se privatim, sed pro omni & simul cum omni omnino creaturâ, laudare, benedicere, magnificare, timere, adorare, & quovis alio venerationis officio prosequi sunt soliti, ut videre est in tot psalmis, canticis, orationibusque Sanctorum virorum. Quare quisquis veritatis hujus jam expositæ vim agnoscit, & huic obligationi, studiosè ac piè satisfacere volet, hâc Industriâ utatur. 1. Ut se creaturam, & omnibus aliis Creaturis, communione connexum agnoscat. 2. Ut agnoscat se in Dei laudem plenam

cum omnibus creaturis conditum. 3. Ut agnoſcat, à ſe & ab aliis plurima negligi in Dei laude (ſi v. g. adverterit ad damnatos, ad gentiles, ad Hæreticos, ad peccatores, ad rudes, ad infantes, ad tot negligentes & tepidos, ad tot irrationales, & uſu rationis deſtitutos, ad tot etiam Sanctiſſimos quandoque deficientes, otiantes, diſtractos, dormientes &c. &c. 4. Ut agnoſcat ſe obligari quodammodo ad harum Dei laudum defectus ſupplendos. 5. Ut eos defectus ſuppleat re ipſâ, raptus Caritate Dei, & Caritate creaturarum omnium, Deo ita obligatarum, & non ſatisfacientium: ſuppleat verò actibus & paſſionibus, quibus maximè & commodiſſimè poterit, extendendo eos ad omnes creaturas, & earum obligationes extendendo ad intenſiones Heroicas, & tales; quæ omnium creaturarum conatum & debitum exequent, ornando eas & imbuendo humiliatione ſui, meritis JESU Chriſti, gratiis Pretioſiſſimæ Parentis & Sanctorum, omnibus miſerationibus divinis &c. hac vel ſimili Praxi.

123. *Agnoſco DEVS meus, infinite, plurima in laude Tuâ, Tibi à me & ab omnibus creaturis debita, deperire, malitiâ, ignorantiá, fragilitate, imprudentiâ, defectuoſitate noſtrâ. Cupio mi DEVS supplere, & re ipsâ quoad poſſum, ſuppleo defectus iſtos omnes noſtros, Amore tui, æſtimatione, & dignificatione præſenti actuali, quâ te Deum noſtrum, omne bonum noſtrum Amo & ſuperamo, dignifico, & ſuperdignifico, adoro & ſuperadoro, cupio & ſupercupio, laudo & ſuperlaudo ſecundùm totam Amabilitatem tuam at amativitatem noſtram, ſecundùm totam Dignificabilitatem tuam, & dignificativitatem noſtram, ſecundùm totam adorabilitatem Tuam & adorativitatem noſtram, ſecundùm totam concupiſcibilitatem tuam, & concupiſcitivitatem noſtram, ſecundùm totam Laudabilitatem tuam, & laudativitatem noſtram, ſecundùm omne quod debetur & quod debemus Tibi, poſſibileq́ eſt nobis, & tu dignus es: ut ita Tibi Deo meo, & noſtro, ſit Laus plena, ſit gloria perfecta, ſit exaltatio pro noſtro poſſe adæquata, ex nunc in æternum, ſemel pro ſemper, majori quàm unquam fervore, atomice, in unione ſanguinis, meritorum, converſationis IESV Chriſti, Pretioſiſſimæ Parentis, Beatorumq́ omnium, Amen.*

124. Hujus praxis aliquas voces, Inferiores Induſtriæ explicabunt. Nunc tantùm addo, utilem eſſe hanc jam explicatam Induſtriam, & in praxi ſaltem quolibet veſperi uſurpandam. Aptiſſimum etiam eſſe SS. Miſſæ Sacrificium ad hunc ſupplendi uſum, nemo dubitare debet. Suaderem etiam viris Spiritualibus, ut familiare ſibi hoc Deum laudandi, amandi, adorandi, timendi &c. tam pro ſe, quàm pro omnibus creaturis etiam individuis facerent, itemque tam ſuos, quàm earum defectus quoſcunque, actibus ſuis ſupplendi (in qua re, nullâ fatigatione opus eſt) aut etiam paſſionibus quarumcunque potentiarum animi & corporis, Rationalis & ſuperioris Voluntatis, eas actibus, Jesuq; Chriſti meritis imbuendo, & dignificando, atque intendendo.

125. Hujus jam explicatæ Induſtriæ inter alios hic & fructus & finis erit; quòd hac ſuppletione, ſeu hujus ſuppletionis conatu, homo ſpiritualis tot meritis ditabit animam ſuam apud Deum, totque gradibus augebit Caritatem &c. ſuam, quot creaturarum, quotque defectus ac omiſſiones & imperfectiones ſupplebit. quod quidem, nemo eſt, qui non videat eſſe longè maximum atq; copioſiſſimum.

126. Hæc Induſtria duplici à nobis Spiritu & officio exerceri poteſt. Aliquando enim poſſumus ſupplere pro omnibus creaturis tanquam ex debito pro eis, & per reſpectum communitatis, quam cum eis habemus: aliquando vero non per reſpectum debiti earum, ſed tantummodo pro eis & cum eis in earum perſonâ, earum affectu, cum earum comitatu, nihil attendendo ad hoc, quod illæ debeant, quod negligant &c.

127. Similiter hæc Induſtria poteſt variè fieri, pro varietate Specificorum debitorum in Creaturis exiſtentium. multa enim debita cùm ſint in Creaturis erga Deum, in multis etiam poſſunt deficere, & in multis pro eis poſſunt ſupplere. Debent creaturæ v. g. amorem, laudem, adorationem, gratitudinem, ſacrificium, deſiderium, ſatisfactionem, admirationem &c; omnia iſta debita homo ſpiritualis pro creaturis poteſt debetque ſupplere, nunc ſimul omnia, nunc diſtinctè ſingula, nunc hæc, nunc illa. Poteſt autem hæc ſuppletio fieri non tantùm operibus ex propoſito ad hanc ſuppletionē inventis, ſed etiam quotidianis ac ſolitis, duntaxat in hunc finem ſupplendi directis & ordinatis: quod ideo notavi, ne quis gravius id eſſe putet, quàm revera eſt. Oratione quotidianâ, Sacro, Horis Canonicis, mortificatione corporis conſuetâ, poteſt hoc ſupplementum fieri. Quo quis actu quaſi pro ſe Deum amat, laudat, adorat; quo actu pro ſuis propriis gratiis, gratias agit Deo; eodem actu, eâdem paſſione poteſt facere ſatis, agere gratias, adorare Deum, & pro omnibus

omnibus Creaturis id debentibus, id negligentibus, præstare Deo, dummodo extensio fiat per actum Voluntatis, quo nihil faciliùs & citiùs absolvi potest.

INDUSTRIA XVII.

Ratio crescendi in bonis Spiritualibus, per dilatationem extensionemque desideriorum, sive alterius generis actuum, ad plures & plures actus, vel ad plura & plura objecta, aliter aliterq; multiplicata.

128. SApientissimæ Dei bonitatis, erga hominum (electorum præsertim suorum) commodum, effusa nimis propensio, satìs gnara, quàm angusta sit virium humanarum efficacia; hoc illis veluti quoddam compendium (si modò in bonum uti velint) providit, ut volitiones, desideria, cæterosque Voluntatis suæ actus, extendere in immensam quandam latitudinem, altitudinem, longitudinem, profunditatem, multiplicitatem, seu innumerabilem numerum possint. Quâ extensione haberent, non tantùm meritorum & donorum Dei sibi accumulandorum facultatem, verùm etiam in hâc ipsâ accumulandi facultate, gauderent subtractam sibi laboris difficultatem. Etenim tam facilem hominibus indidit, desideria sua dilatandi potestatem, quantam & ipsa simpliciter desideria sua eliciendi facultatem.

Eapropter desiderii humano, sive potiùs Voluntatis humanæ in volendo ac desiderando hæc est felicitas, uti & possit in immensum extendi, & extensionis ejus conatus, quantumlibet versetur circa objecta, viribus captuque hominis superiora ac majora; possit nihilominus esse Deo gratus & homini magnopere meritorius. Atque inde consurgit præsentis Industriæ doctrina, scilicet de ratione crescendi in meritis, & in gratiâ, cæterisque bonis apud Deum, per dilatationem extensionemque desideriorum, ad plures & plures actus, ad plura quoq; & plura objecta, ac ea rursus aliter & aliter, in infinitum immensumque multiplicata, nec non per omnia momenta, per omneque æternitates distenta ac repetita.

129. Explicari hæc Industria præsertim in ordine ad usum & praxim, bifariam potest. Primò quidem ita, ut dicamus hanc extensionem dilatationemque actuum Voluntatis, v.g. Desiderii sive Amoris, fieri posse à nobis, partim ex parte actuum ipsorum, puta desideriorum aut amorum, partim ex parte objectorum, seu rerum desideratarum ac amatarum, adjungendo eis omnes circumstantias, quarum potest esse aliqua cum objectis connexio. ut v. g. loci, temporis, numeri, gradûs, denique possibilitas ipsius. Et hoc quidem utrumque ita, ut actus isti, scilicet desiderii aut amoris, aut cujuscunque alterius speciei, sint vel absoluti, vel certè conditionati, vel optativi.

130. 2. Potest hujus ipsius Industriæ usus & praxis exponi hoc modo, ut omnia omnino capita, ad quæ dilatatio & extensio actuum, v.g. desideriorum, amorum, aliorumve in specie, fieri potest, habeamus cognita, & veluti numeratò comprehensa, ad quæ extensionem hanc dilatationemque faciendo, respiciamus, eamque amplificemus. Et id quidem ita, ut quandoque omnia respiciamus, quandoque non omnia, sed aliqua ex iis, pro arbitrio & commodo facientis. Possunt capita isthæc esse. (1.) Actus v.g. Desideriorum iique (2) proprii aut (3) alieni, (4) genere, (5.) specie, (6.) numero distincti, (7.) intensi per gradus plures & plures, quorum intensio capax sit. (8.) extensi per subjecta, (9.) & tempora, (10.) & æternitates, repetiti autem & replicati intentione voluntatis, (11.) per subjecta, & per (12.) loca seu spatia, (13.) & per tempora, (14.) & per objecta, (15.) & per subjectorum, locorum, temporum, objectorum omnium atomos, instantia, momenta, indivisibilia, (16.) absolutè, (17.) vel conditionatè ac optativè, (18.) in majori & majori proportione extensionis, (19.) fervorisque, (20.) denique omnimode & omnipossibiliter, dummodo dignè Deo.

Uterque hic explicandi modus, idē omninò dicit & docet sed aliter. meâ tamen sententiâ posterior est facilior; ob quod etiam in eo exemplum præsentis Industriæ propono. Tendat ergo desiderii actus supernaturalis in Sanctissimam Trinitatem, unum & verum Deum, hac vel simili ratione, omnia 20 prædicta capita complectente.

131. *O Sanctissima Trinitas, desidero te Deum, & summum, & omne, & solum bonum meum, desideriis omnibus meis, quæcunq; ego juxta omne placitum*

citum tuum elicere totâ substantiæ meæ, totalis & partialis capacitate possum tam in genere quàm in specie, quàm in numero desideriorum. Neq; *solùm te his desideriis meis desidero, sed etiam omnium omnino singulariumq; creaturarum etiam possibilium, omnibus genere, specie, numero, possibilitate distinctis desideriis, præcipue verò omnium Sanctorum, tum hominum, tum Angelorum, tum Pretiosissimæ Parentis, tum Sanctissimæ IESV Christi Humanitatis, omnibus absolutim erga te Sanctissimam Trinitatem, desideriis præteritis, præsentibus futuris, idq; in omni istorum omnium desideriorum intensione, in omnibus intensionis gradibus, ab omni & singulâ creaturâ etiam atomice sumptâ, & etiã ab ipsâ Pretiosissima Parente, IESVq; Christi humanitate elici possibilibus, tanquam actu, defacto, in præsenti, nunc, pro omni temporis momento, semel pro semper elicitis, in millies-millies infinities majori, possibili, omnimodâ proportione.* Neque *solùm in intensione sed etiam extensione desideriorum omnium, & singulorum, extensione, inquam, per omnia & singula subjecta desideriorum istorum, perq; atomos & indivisibilia spiritualia & corporalia, tum verò extensione ad omnia loca & spatia, etiam imaginaria, ad circumstantias & atomos, spatiorum, locorum, temporum, reliquarumque circumstantiarum Deo possibilium. Extensione quoque ad omnia tempora & ad omnia omnium temporum instantia, ad omnia quoq; momenta æternitatis tàm ante, quàm pòst. Præterea intentione, & motivo, & objecto, & ratione desiderationis, omni quidem, possibili tibi Deo meo atque complacitâ, sed nominatim illâ omni, propter quam tu ô Sanctissima Trinitas, es desiderabilis & desideranda in te, & per quam nos sumus, aut esse quovis recto modo possumus desiderativi tui & desiderantes te; sive illa ratio ac intensionis motio, sit quidpiam ad intrà in te, & ipse Tu, sive sit aut esse possit aliquid ad extrà, diversum à te sed tamen profectum à Te. Et cupio hunc actum, & à me, & ab omni eo, quodcunque Tu non es, mihi Voluntate Caritatis meæ insubstantiato, in omni atomo sui, & in omni circumstantiâ spectato, replicari & repeti; immo, quantùm in me, replico, repeto, & repeti gaudeo, mihique ex hoc propter te complaceo, omnipossibiliter, in singula per omnem æternitatem momenta, tantùm, quantùm tu ô Trinitas DEVS, & nos omnes creaturæ tuæ, desiderare volumus, debemus, possumus, quia tu dignus es, & quia nos debemus, & quia nos adjuvante, immo dante & faciente Te nobiscum, ac per nos, possumus. Communicando hunc actum, inprimis IESV Christi Domini ac Redemptoris nostri omnibus meritis & gratiis, undàque Pretiosissimæ Parentis ac SS. omnium, ad Christum IESVM, Incarnatam & Increatam Sapientiam, Verbum, Filium DEI, tanquam ad caput pertinentium intercessionibus. Deinde universæ Divinitatis tuæ Bonitati, & Bonitatis Divinitati, atque Dignissimæ & substantialissimæ Dignitatì. Ad gloriam omnimodâ, & omnipossibilem, & omniparem, Patris æterni Ingeniti, Verbi, filii unigeniti & Incarnati, & Spiritûs Sancti ex Patre Filioque procedentis, ab omni æternitate, & in omnem æternitatem, & ultrà.*

132.

Hæc praxis potest pro arbitrio contrahi, nimirum non omnia 20. capita, sed aliqua eorum plura vel pauciora complectendo, hoc vel simili modo.

Sanctissima Trinitas DEVS meus, cupio te amari & amatum fuisse ac fore, per omnia omnium temporum æternitatumque instantia, à me & ab omni creaturâ, creaturæque portione, & atomo & momento.

Vellem Domine DEVS meus in te toties per omnia singulaque momenta & indivisibilia mea, amore digno Te, debitoque Tibi à me succendi, quoties ab intrinseco vel ab extrinseco, quælibet mobilia, corporalia, & spiritualia, mota sunt, moventur, movebunturque, per omnem durationem, perque omnia instantia durationis eorum. Quoties Domine moventur folia & rami in arboribus, herbæ & gramina in campis, segetes in agris, animalia in terris, aere & aquis, vitalia in animalibus, guttæ aquarum in fluviis, lacubus, fontibus, & mari, & nubibus, Meteora quælibet in aëre, sensationes in cognoscentibus, Intellectiones & volitiones, in Angelis & hominibus: toties ego te Domine, pro me & pro omnibus creaturis amo & superamo, superque amare volo, propono, peto, in æternum.

Quidquid Domine inerat, inest, inerit, inesse possibile fuit ac erit unquam intensionis ac fervoris, in omnibus qualitatibus actibusque Creaturarum omnium, naturalibus juxta & supernaturalibus; totum hoc intentionis istius conglobamentum, cupio, & quantum possum ac tu donas, facio inesse omni actui vitæ meæ; nominatim verò huic præsenti meo actui, quo Te ô Trinitas Deus, ô Incarnatum pro me Verbum, Credo, spero, amo, adoro, veneror, timeo, desidero, laudo, magnifico, gratias ago, summè summum bonum meum appeto, de omnibus bonis tuis tibi gratulor, gaudeo, complaceo, &c.

Domine pro omnibus & singulis granis & atomis terræ, aquæ, aëris, ignis, luminis, cæli, reliquarumque creaturarum in his contentarum, te dignifico, te laudo, te timeo, te spero, te adoro, te amo; toties replicando actuali voluntate meâ, hos omnes & similes affectus atque actus in te, quot sunt, esse posunt prædicta grana, prædictique atomi,

Sanctissima Trinitas, istis omnibus actibus affectibusque, quos hac die aut horâ, hocque in loco, tempore, & occasione, vel quâvis aliâ præteritâ, præsenti, ac futurâ in te eliciunt ac elicient, sub quacunque piâ motione, adinventione, industriâ, formalitate, circumstantiâ, omnes creaturæ tuæ,

omnes

omnes pii & boni servi tui, omnes prædestinati, omnis triumphans & militans Catholica Ecclesia: afficior ego quoq; pauperculus vermis in te: gratulando illos tibi, offerendo, infinities volendo, & repetitos perfectiores ac plures esse cupiendo, de illis & per illos tibi congaudendo, propterque illos, omnes auctores eorum amando, honorando & appretiando.

Quidquid est Domine aut fuit, aut erit, aut esse possibile est unquam & uspiam vilitatum ac humiliationum Naturalium & Voluntariarũ, supernaturaliumq;: iis omnibus ego mi DEVS, corã te & propter te & tibi, humilio & vilifico me, meamq; totaliter substantiam: ita ut atomus in se non sit ullus, non sit motus animi mei ullus, qui non sit coram te, propter te, & tibi, omnipossibiliter humiliatus & vilificatus. Humilio me Domine, humilitate IESV Christi, DEI-Hominis, Domini mei. Humilio me Humilitate Pretiosissimæ PARENTIS, *Angelorum, Sanctorumq; omnium; humilitate totius Ecclesiæ, humilitate omnium hominum, omnium creaturarum reprobarum & damnatarum, humilitate omnium rerum in cælo & sub cælo, in terrâ & intra terram existentium; Humilitate vilitatum, sordium, fæcium, sentinarum, putredinum, corruptionum, purgamentorum, excretionum omnium; humilitate denique omnis ac totius nihili; ita ut his omnibus humilitatibus ac vilitatibus, instar spongiæ penetrer undiq;, instar piscis innatem in iis totus, instar volucris voluter & volitem circumdatus, ut denique totus per omnia, in corpore & animâ, omniq; substantiâ, capacitate, motu, atomo, instanti, horum omnium non solùm humilis aut vilis, sed ipsissima humilitas, vilitas, abjectio, contemptus & contemptibilitas, confusio & odiositas efficiar. Tibi Deo meo ad gustum, mihi autem ad debitum omnimode explendum & exæquandum, ut quantùm tu dignus es, tantùm ego vilis sim in æternum, exclusâ solâ in tuam Domine Bonitatem & Voluntatem & Dignitatem, peccati malignitate & indignitate.*

Sufficient hæc exempla: ad instar quorum facile erit cuique amatori talium efformare alia innumera. Nullus enim est pene hominis motus, aut actus sensuũ internorum, externorum, potentiarumq; rationalium, ex quorum objectis & aliis circumstantiis, non possit Negotiator Spiritualis, actus suos fæcundare, & merita sibi cumulare.

Conjecisti fortè oculos in agros, prata, hortos, arbores viridantes? omnem illum virorem, subjectaque ejus & atomos, motusque subjectorum, tuum fac, proque eo Deum ama, lauda, nosce, time, gusta, ei te subjice, redde, pro omnibus debitum gratiarum & laudum solve, & unus oculorum jactus ingentem tibi meritorum messem suppeditabit.

Cogitas omnium fidelium pios in Deum motus, religiosorum preces, cantus, pia exercitia, mortificationes, Ecclesiæ Orationes, sacrificia, vota, labores? omnia fac tua: offer omnia Deo: offer te in omnibus, & per omnia, & pro omnibus, Deo: gratulare, gaude, velis, complace Deo. Audis sonos, strepitus, voces quarumvis rerum? omnibus his Deum lauda. Si cantent volucres; si coaxent ranæ; si pipiant pulli; si bauhent culices; aut muscæ, aut bruchi; si balent oves; si latrent canes; si grunniant porci; si mugiant boves; si loquantur homines; si nimbi, grandines, tonitrua, tempestates insonent; si voces instrumentaque Musicorum, vel aliorum artificium personent; his omnibus ô Homo, Deum nosce, ama, canta, spera, lauda, crede, time.

Vides densissimas pluvias, grandines, nives, aut ingentes arenæ cumulos? pro omnibus guttis & granis Deum ama, in Deum exæstua, timore ejus concutere.

Audis tot hominum millia, Martyrio olim, vel bello, vel fame, vel aliter extincta? omnium morte cupias laudatum esse Deum, cupias te toties mori Dei causâ.

Vides ingentia volumina? instructas libris bibliothecas? lauda, adora Deum, ama, time, æstua, omnibus ingeniis, omnibus operis, omnibus libris, foliis, lineis, verbis, syllabis, literis, quæ inibi, & quot, continentur.

Vides civitates, populos, regna, exercitus, res omnis generis, naturâ, arte, ad usum, splendorem, delicias hominum, factas? pro omnibus, cum omnibus, omnibus, Deo amorem, laudem, honorem, spem, timorem, gratias exhibe: Deum orna, gusta, &c.

Denique ut finem faciam; juxta hanc Industriam magis in Dei laudes efferri, plura coacervare in dies, & horas, & momenta, potes merita, quàm ut complecti animo possis. Ita nimirum capacem nobis providit bonorum meritorumque cælestium Deus naturam, ut, modò velit, capacior esse semetipsâ possit, tantùmq; capiat, quantum quòd capiat, capere ipsa non valeat.

INDVSTRIA XVIII.

Possumus Operum nostrorum valorem, per vota iis præmissa augmentare.

133\. INter alias rationes, quibus opera nostra effici solent apud Deum, majoris atque fæcundioris tum meriti, tum ad impetrandum & satisfaciendum ponderis, est, si fiat aliquod opus ex voto, & ex obligatione voti. (quo loco etiam adjungo juramentum; licet votum præstet juramento, teste D. Thomâ 2. 2dæ. Q. a.) Constat enim, hac obligatione, mirificè opera nostra Divinæ Majestati commendari, atque, quod consequens est, efficaciæ majoris apud Deum reddi solere. Hæc igitur Industria præsens, docet hoc, ut ad majus meritum, ad magis Deo placita reddenda opera nostra, addamus eis sanctitatem votorum; ita ut ea ex voto faciamus: hoc est, votum de eis faciendis priùs concipiamus; eoque concepto, illa tum faciamus: sive sint interna tantùm opera, sive externa etiam; sive sint naturalia, sive supernaturalia; sive sint spontanea, sive obligatoria, & aliunde obligata; sive aliàs facienda, sive non faciéda, nisi ex inductione voti facti. Quia verò ex hac verborum præmissione & usurpatione, possent aliquibus ignaris ac incautis, loco profectûs & lucri spiritualis, potiùs impedimenta, damna, scrupuli, & scopuli conscientiæ nasci; nollem autem ego in ullo meo scripto, cuiquam laqueum injici; ideo cautela quædam est adhibenda in hujus Industriæ usu: & quidem hæc potissima: ut hæc vota non sese extendant, neque fiant in ordine ad opera non posita in nostrâ potestate, neq; ad opera diu & crebrò à nobis factitanda, neque ad opera tarde pòst futura à nobis, neque ad opera, in quibus potest subesse periculum alicui votum irritandi: sed ad opera obvia, quotidiana, notabiliora, in potestate posita, & in præsenti statim futura, & nullius irritationis voti periculo exposita. Ita exempli gratiâ, si dicturus sum Orationem Dominicâ, Horas Canonicas, Sacrum Missæ Officium, Coronam; si sumpturus sim Eucharistiam; si facturus aliquam mortificationem corporis, actum aliquem Virtutis; facturus, inquam, sim ita, ut sim jam accinctus ad faciendum; possum talibus præmittere votum, & statuere atque facere illa ex voto. ex voto, inquam, tali, quod se extendat tantùm ad præsentem actum, non ultrà: & quod in tantum me obliget ad faciendum, in quantum est in meâ potestate facere: Quodsi interveniat aliunde impedimentum factionis, hoc ipso cesset votum. Atque hac ratione votum si usurpetur in nostris operibus; nihil periculi afferet, plurimum lucri & pietatis augebit animabus. Quod enim periculum sit animæ, si jam ad Sacrum dicendum procedens concipio votum faciendi illud, vel faciendi in hunc illumve finem, gloriæ Dei? &c. Item si dicturus, Ave Maria, voveam me dicturum illud, vel dicturum in honorem Virginis Mariæ? Quodsi, ita inopinatè quidpiam interveniat & interpellet me in ejus recitatione, hoc ipso ex intentione meâ, voti reus non sum, &c. Igitur si quis rectè attendat ad hoc quod dictum est in hac Industriâ; tam multùm potest esse utilitatis, quàm nihil omninò periculi.

Addo hoc loco: votum præmitti posse non tantùm actionibus, sed etiam intentionibus actionum. Ut, si facturus sim pro defuncto aliquo; possum præmittere votum, non tantùm de faciendo Sacro, sed etiam de faciendo pro defuncto. Itê si velim subire afflictionem aliquam, ad gustum Dei voluntatis, ad me in conspectu Dei vilificandum, Deum verò exaltandum, ad hoc vel illud impetrandum, ad pro hoc vel illo satisfaciendũ; omnia ista voti obligatione exornare possum, absque ullo periculo, magno cum lucro.

Addo præterea aliud: Vota modo jam explicato fieri à nobis posse, non tantùm de operibus faciendis; sed etiam de non faciendis: maximè sensualibus & commoditativis, aut certè quibuscunque non obligatoriis, hîc & nunc sub tali vel tali conditione. Sic v. g. si quis stimuletur ad dicenda aliqua alicui, ad videnda vel audienda nova, curiosa, ad utendum hac vel illâ commoditate, potest commodissimè & utilissimè, interdicere sibi illis dicendis, videndis, audiendis, utendis, ad aliquantulum tempus, unius Ave Maria &c., idque ex voto seu per votum.

Denique addo: per hæc vota non solùm immediatè Deum honorari posse, sed etiam Sanctos ejus; ut si v. g. voveamus id vel id facere in honorem Sancti alicujus vel Sanctorum.

INDV-

INDUSTRIA XIX.

In Operibus nostris, nosmet ipsos sacrificare debemus DEO.

135. AD augendum valorem operum nostrorum, valet etiam plurimùm Sacrificatio nostri in operibus nostris, vel ipsorum Operum nostrorum DEO in Sacrificium oblatio. Est enim hoc certum inter Spirituales Magistros, & etiam in Sacris Literis expressum habemus, quòd servi DEI, sint quodammodo spirituales ac Mystici Sacerdotes, qui operibus suis bonis ac sanctis, juges hostias DEO offerunt, tot victimas ejus honori immolantes, quot opera bona perpetrant, quot dura & aspera pro ejus amore tolerant. Sic enim monentur omnes fideles, ut sciant se esse, & re ipsâ atque executione sint, Sacerdotium Sanctum, offerre Spirituales hostias, acceptabiles DEO per JESUM Christum. Docetque adeò D. Thomas alicubi, ipsum Sanctissimum Missæ Sacrificium, alioqui naturâ suâ DEO gratissimũ; quatenus tamen à nobis offertur, nisi ita offeratur, ut & nos simul in eo internâ oblatione immolemur, gratũ DEO non futurum; quanto id magis de aliis nostris operibus credendum erit? quæ nisi ex interiori nostrâ devotione gratiam habuerint, alio nullo ex capite eam habitura sunt. Debemus ergo id curare, ut si opera nostra multùm valere apud DEUM volumus; sic ea facere laboremus, ut in eis nos ipsos DEO in Sacrificium immolemus. Sed hîc quæritur, quid sit tandem & quomodo perfici possit hæc oblatio, atque adeò Sacrificatio nostri in operibus? Qua de re nihil brevius, nihil veriùs dicere possum, quàm hoc; id negotium solius Amoris sive Caritatis esse. Ipsa est enim, quæ nos Sacerdotes, quæ altaria, quæ hostias, quæ immolationem ipsam, & immolari facit. Ipsa est enim, quæ & DEUM dignificat super omnia, & nos annihilat propter Deum, & cum Deo, & in Deo, perdendo nos, & mori quodammodo morte spirituali, nobis scilicet ipsis, & amori nostro proprio, faciendo: (quæ duo ad rationem sacrificii requiruntur, ut nempe res aliqua creata perdatur in honorem Dei tanquam supremi principis &c.) Caritas ergo nos sacrificat, Caritas immolat, sed Caritas illa, quæ hoc est re, quod præfert nomine. Caritas perfecta, Caritas, quâ nemo sibi vivit, sed vivit Deo. Cùm ergo quæritur, quid sit, in operibus nostris Sacrificium fieri; respondeo, Opera ex amore facere, in amore, cum amore, propter amorem Dei solius & unius, sine ullo amore nostri, sine ullo commodo nostro, quatenus nostrum est. hâc enim operandi ratione, fit, ut anima vel potiùs totus homo perdat se, moriaturque sibi, & moriatur in honorem & cultum exaltationemque solius DEI.

1. Pet: 2. v. 5

2. 2dæ. qu: 85. a. 3.

136. Hoc igitur suadeo viris Spiritualibus omnibus, ut in omni opere suo, amorem, immo puritatem amoris sectentur, Deoque sese charitate immolent, & quidquid tandem sive agunt, sive patiuntur, id totum faciant, ut illi quidem annihilentur, DEUS verò glorificetur; illi pereant, DEUS sit; sibi pereant, DEO sint, & existant, & vivant. Itaque hoc speciatim advertant, in suâ Caritate, ut sit sacrificativa, requiri, ut nempè sit ab omni humano (quà humanum est) commodo spirituali ac temporali defæcata & depurata, & quàm longissimè semota, unique soli placere Deo cupiat in opere, idque quàm maximè, idque quia DEUS dignus est, & debentur ei omnia, & ipse placet super omnia, & homini debetur nihil, præter solum nihil. *Vide supra Indust. 4. 2. 1.*

137. Hæc nostri ipsorum Sacrificatio, in omnibus quidem, (ut dictum est,) operibus nostris curanda est, at præcipuè locũm habere debet in Sanctissimo Missæ Sacrificio, ut dum Sacratissimam illam hostiam, æterno DEO, vivo, & vero immolamus, nos etiam ipsos, tum holocaustum facientes, illi Divinæ hostiæ adjungamus, & nos etiam per illã sanctificemus ac dignificemus. Debet etiam habere locum hæc nostri immolatio, in Oratione ad Deum, in operibus zeli animarum, & denique in omni opere spirituali, in quo periculum subesse possit homini, ne seipsum quærat, sibive complaceat, & vanitate gloriæ humanæ seu creatæ titilletur, & coram se ipso pretiosior appareat, sibiq; ipsi aliquid esse videatur, cùm nihil sit.

Huic sacrificandi nos per opera nostra exercitio, maximum pondus atque pretium addit sanguis, merita, Gratia JESU Christi: per hunc enim mediatorem, atque summum Sacerdotem, spirituales nostræ hostiæ efficiuntur Deo acceptabiles, juxta verba S. Petri superiùs citata. Quare, ad valorem omnem operum nostrorũ, etsi satis sit, ea uniri Christo Domino, per hoc, quòd nos, qui ea operamur, simus in Gratiâ habituali;

tamen longè plus efficaciæ habèt, si etiã particulatim & in specie, & ipso, ut sic loquar, actuali exercitio, uniantur meritis Christi: de qua unione, jam supra sæpiùs actum est.

Ind: 12.17.
Ind: 13.71.

INDUSTRIA XX.

Possumus actuum nostrorum meritum augere, usu mortificationis externæ, in quovis opere nostro.

138. FAcit etiam ad valorem & ad Efficaciam operum nostrorum permultùm Mortificatio: & quidem omnis, tàm scilicet interna, quàm externa, tàm partis inferioris, quàm superioris; præcipuè tamen hîc loquor de mortificatione externâ, quàm hæc Industria suadet adjungendam esse, quoad fieri potest, omnibus & singulis operibus nostris, præsertim gravioribus. Etsi enim homo spiritualis ita debet esse hostis sensualitatis suæ, ut nullo momento, ab ejus mortificatione vacet, sive subtrahendo delectabilia & commoda, sive ingerendo aspera & incommoda; tamen, cùm hoc multorum natura ferre non possit, & magna in eo discretione opus est, ne dum persequimur hostem, interficiamus & civem; & in paucis istiusmodi fervor est; ideò consultum est, ut amator spiritualis profectûs, medium aliquod certũ, in sui mortificatione exteriori habeat.

Atque ita curabit vir spiritualis in sui mortificatione excellere, non eo solùm fine, ut se affligat, & hostiliter tractet, tanquam perpetuum hostem suum, non solùm ut pœnas à se sumat peccatorum, & ulciscatur in se offensas Dei; nõ solùm ut atterat vires sensui, contra spiritum, plusquam par est potenti & audenti; sed etiam, ut operibus suis, addat plus efficaciæ ad merendam gratiam & Gloriam, ad impetrationem sibi aut aliis multiplicium Donorum Dei, ad copiosiorem satisfactionem pro pœnis sibi vel alicui viventi mortuové debitis. Mirum enim est, quàm grata Deo, quàm animæ proficua, quàm adversario nostro horribilia sint opera illa nostra, quæ præter alias suas commendationes, habent etiã commendantem & confirmantem se mortificationem: quæ fusiùs referre non est hujus propositi, ubi tantùm Industrias scribimus practicas viro spirituali exercendas, idque hoc, si placebit, ordine ac modo.

139. Habeat vir spiritualis cognita, atque etiam in Indiculum collecta omnia opera sua, quotidiana, vel etiam nõ quotidiana, duntaxat sibi usitata. & inter alias observationes seu Regulas operum illorum exercendorum, de qua re supra dixi Ind: 2. Habeat etiã unã hanc, ut sese, sive carnem suã aliquo certo genere mortificationis affligat, inter exercitium cujuslibet operis v.g. dum manè surgit, habeat in promptu & more mortificationem carnis, qua reliqui actus surrectionis matutinæ condiantur. dum meditationem peragit matutinam, non absit externa aliqua mortificatio. dum ad Sacrũ sese dicendum comparat, vel dum illud peragit, vel dum eo peracto, Gratias Deo persolvit, adjungatur reliquis actibus atque consuetudinibus mortificatio. dum studet, dum legit, scribit, dum cibum sumit, dum recreationi horariæ intendit, dum foras prodit, dum cubitum vadit, dum per examen in Conscientiam inquirit, dum se somno dat vel jam dedit: omnia ista opera, habeant itatam certam mortificationem. Et non dico ut hæc mortificatio sit continua per illorum operum peractionem, sed ut aliqua quidem, habeant continuam comitem, aliqua verò non continuam, sed tamen ex intervallo, vel præmissam, vel advenientem, atque vigilantiam animæ excitantem &c.

140. Quærat aliquis, quas & quales, cuilibet operi nostro velim aut putem mortificationes adjungi posse? Respondeo, id præsentis mei Instituti non esse, quantùmlibet id aliquis desiderare possit à me. Ingeniosa est Caritas, Inventiva, facilis excogitare, & modos, & instrumenta afflictationis. Monuerim tantum, ut sit discreta, ut non notabilis neque in oculos & admirationem hominum incurrere apta; ut tales mortificationes adhibeantur, quæ difficilè sciri ab aliis possint, quæ diu fieri, & in multos annos, salvâ valetudine, exerceri protrahique possint.

Proderit etiam habere collecta & in Indiculum redacta, tum corporis membra, tum corporis sensus; tum eorum affligendorum, in operibus his aut illis, (certis tamen) modos: ita, ut nunc hæ, nunc illæ partes, nunc hi nunc illi sensus, nunc in hoc nunc in illo opere, nunc hoc, nunc illo modo, affligentur. Quæ corporis, membrorum, ac sensuum mortifican-

ficandorum distributio, poterit partim operibus quotidianis, partim temporibus certis (horarum, dierum, hebdomadarum, mensium, & suaserim hebdomadarum vel mensium esse) alligari, atque assignari, in quibus exerceatur; Quâ de re alibi forsan tractandi locus erit: hîc enim ejus rei locus non est.

141. Advertendum etiam est, Mortificationem externam, duplicem esse, aut dupliciter fieri posse; uno modo positive; dura & dolorifera, aut molestifera, infligendo carni & sensui: alio modo, quasi negative, seu privative; mollia, delicatiora, oblectantia, foventia, commodantia, subtrahendo carni & sensui. Atque hoc posterius fermè faciliùs exerceri potest, quam illud prius: ut, si in cibo insulso, salem non apponas, incondito condimentum non addas, in pruritu te non frices, in frigore non calefacias, in sessione te non fulcias, in stando, sessione, fulcrum non quæras; &c. non videas, non audias, non tangas, non decerpas, nō odoreris, non respondeas, non interroges, non dicas tibi laudabilta &c. Non stes, dum libet carni stare, non decumbas, non dormias, non bibas, non consideas, non obambules, dum libent talia sensui, & commodiora videntur: idque ad tempus aliquod, tantùm ut resistatur appetitui & propensioni naturali, sensualique aliquantùm. Proinde expedit ad hujus Industriæ praxim, dispicere bene mores suos, & fomenta sensûs corporisque sui, quibus in vitâ ordinariâ uti assolet, licèt ea non sint apparentia sed communia omnibus, dummodò ad satisfaciendum sensui accommodata: his enim benè cognitis, non erit difficilè vigilare ad ea neganda saltem in occasionibus interdum & operibus quotidianis; idque non ex toto propter fragilitatem nostram, sed saltem ad aliquantum tempus in corporis exercitatione.

142. Pro fine hujus Industriæ appono hîc illud, quasi sive axioma sive epiphonema. Sic vigilare debere spiritualem virum ad affligendam carnem & sensum, ingerendo ei dura, subtrahendoque commoda: sicut vigilat ipsamet sensualis nostra portio, ad captandas consolationes & commoditates, fugiendas verò & submovendas à se, quaslibet minimas afflictiones & incommoditates suas. Quantùm verò vigilet & excubet in omni occasione sensus, ad ea, quæ illius commoda sunt, id non magisterio alieno, sed propria experientiâ atque reflexione cognoscendum est. Satis sit hoc, quod nūc dixi, expressum esse ab Apostolo tum in illis verbis; Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: hæc enim invicem sibi adversantur. tum alibi: Videte ne curam carnis perfeceritis in desideriis ejus.

143. Denique minimæ istæ molestiolæ sensuales, non sunt minimæ in merendo, non sunt minimæ ad augendum valorem operum nostrorum. Etsi enim spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam, &c. Corporalis exercitatio ad modicum valet, si illa sola absque exercitatione internæ pietatis ac devotionis, quæ ad omnia valet, exerceatur; tamen si Pietatis & Devotionis internæ operibus adjungatur, maximum ei ornamentum & momentum addit. Sicut enī aureum vas, per sese quidem pretiosum est, & valoris ponderisque magni; si tamen addas ei nitorem, lævorem, rasuram, aliasque extrinsecùs adjectas figuras, emblemata, &c; longè speciosiùs & pretiosius evadit: sic opera Pietatis, per se quidem magni momenti apud Deum sunt; si tamen exterioris mortificationis, discretâ rasurâ, politie, lævitate, flosculis figurisque ornentur; longe plùs speciosa in oculis Dei evadunt.

144. Addam hoc prædictis commodum; Mortificationem externam, posse exerceri, etiam in ipsius commoditatis, aut necessitatis impensione, dummodo quis hac in re circumspectus & prudens esse nôrit. Ita enim commoda ista externa cōmodant (quod tum experientia docet, tum Gregorius Magnus alicubi fusè exēplis ostendit) sensui; ut si in eis eorumve usu homo diutiùs perseveret, solatia illa, vertantur sensui in molestias, & appetibilia, transeant in fastidiosa. Sic enī sæpè molestiâ standi affecti, sessionem vel ambulationem, levaminis loco inchoamus: ambulatione fessi, sessionem quærimus: pruritu carnis vel morsu aliquo excitati, fricationis remedium adhibemus, mox tamen ipsam fricationem molestam experimur, si longiùs adhibeamus. Sæpe ad quod aspectandum avidè accurrimus, mox vel satietate aspectûs, vel vilitate objecti videndi, videre nauseamus: Hoc igitur dico: si talia observant viri spirituales, plurimas sui sensûs mortificandi ubique invenirent & occasiones & rationes; atque adeo ipsasmet commoditates sensûs, facilè verterent in afflictiones, uti satis ex modò propositis exemplis patet: ex quibus

prudens, de aliis facere conjecturam potest.

INDVSTRIA XXI.

Possumus multa merita comparare, per ratihabitionem actionum, atque passionum, bonorumq; omnium, tàm alienorum, quam propriorum.

145. SÆpè homines, Spirituales etiam contenti sunt, opera aliqua fecisse, aut aliquâ in Dei laudem, animæ suæ utilitatem peregisse, atque pertulisse; nec ampliùs laborant, ex eisdem, quanquam jã transactis, fructum colligere. Non credo, quòd id faciant negligentiâ, sed potiùs credo, facere inadvertentiâ. Quare præsens Industria, suadet spirituali viro, ut non tantùm laboret, multa bona opera facere, multaque adversa perpeti, Dei Gloriæ & salutis suæ causâ; verum etiam, ut opera jam facta, adversave jam tolerata, iterum & sæpiùs in fructum suum convertat.

Quod quidem præstare poterit variis modis. Primò ratihabitione eorum, atque quâdam approbatione, & contentatione (non superbâ & vanâ complacentiâ, quæ hîc non habet locum) quæ jam in Dei gloriam, facta vel tolerata, vel proposita sunt. 2. Nec solùm quæ jam in præterito sunt, sed etiam quæ in præsenti, quæque in futuro, per totam vitam reliquam, & momenta illius, atque atomos etiam, si ita placet. 3. Potest id præstari Gratiarum actione Deo pro eis. 4. Oblatione eorundem Deo. 5. Potest id præstari, non tantùm quoad substantiam actionum & passionum, sed etiã quoad omnes circumstantias, quoad totam latitudinem, intensionem, gradum, sensum bonum. 6. Potest id fieri nõ tantùm de actionibus & passionibus propriis, sed etiam de alienis, immo de omnium creaturarum, etiam insensibilium & irrationalium, usque ad Christi Domini actiones, atque passiones, resolutionesque; ita, ut offeramus, gratias agamus, ratas habeamus omnes actiones, passiones Christi, B. Virginis, Angelorum, Sanctorum, hominum, damnatorum, animalium, arborum, fruticum, herbarum, lapidum, arenarum, guttarum, aëris particularum, stellarum, Cælorum, atomorum; in omni & cum omni circumstantiâ, latitudine, bonitate earum. 7. Potest id etiam fieri, de iis omnibus actionibus atque passionibus, quæ in honorem Dei, & aliàs quomodolibet bene fiunt ab aliquâ creaturâ, occasione nostri quomodocunque, sive quia ex nobis profecerunt ad bonum, nostro exemplo, institutione, oratione, occasione, dilectione, scriptione, laude, &c. &c.

146. 8. Potest fieri id non tantùm per eorum actuum ratihabitionem, qui sunt, vel fuerunt ex naturâ intentioneve operantium, boni & Deo placiti, sed etiam per eorum, qui fuerunt, aut sunt merè naturales, neque à nobis aut ab aliis directi in finem supernaturalem: item etiam per eorum, qui sunt mali & malèfacti, bene tamen fieri poterant, & bonitatem saltem entitativam habent, & certè bonitatem moralem habere debuerant; quam etsi non habuerunt, nec habent, nec habebunt, tamen ex nostrâ in Deum religione & devotione, optatur ut habuissent, utque habeant, & à nobis, quantùm est ex nobis, hac ratihabitione & in Deum directione eam accipiunt. Quo sensu, etiã peccata impiorum, damnatorum, atque dæmonum, sub ratione entitativæ Bonitatis, non autem malitiæ & perversitatis, possunt à nobis in nostrum meritum, & in Dei honorem converti, quantùm ex nobis est. Possunt & nostri actus alioqui minùs bene peracti, hac ratihabitione & oblatione, aliquatenus, immo non parum rectificari, & ex inutilibus, aut etiam pœnalibus reddi meritorii. Et hoc namq; est, Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. Si enim possumus ex actibus malis, à nobis v. g. commissis, elicere fructum pœnitentiæ, doloris, humiliationis; & si possumus dolere, quòd illos malos & malè fecerimus; igitur possumus etiam optare, ut eos bene bonosque fecissemus: igitur ultrà possumus optare & cupere, ut nunc boni sint & in Deum directi: igitur possumus & dirigere eosdem, & ut sic directos, ratos habere &c.

147. Hæc ars ratas habendi actiones passionesque omnes, nostras juxta & alienas, proficua est, nec facilè Negotiatori spirituali negligenda, quin immo frequenter exercenda, & quoad fieri poterit, exactiùs minutiùsque exaggeranda, ut actus ratihabitionis, per multiplicia objecta, quæ complectitur, etiam quodammodo multiplicetur. Quantò enim multiplex magìs erit, tanto & magìs utilis ac meritorius. Nã sicut si quis malos actus suos,

vel aliorum, in Dei contemptum factos approbet & complaceat, omnes ac singulos intentione deliberatæ Voluntatis, fieret omnium & singulorum reus, & censeretur, per omnes damnabilis; cur non id fiat in oppositâ bonorum ratihabitione? cur, inquam, non per tot, & pro tot actibus mereatur Gratiam apud Deum, quot actus Deo & in Dei Gloriam factos voluit, ratumque habuit. Magna igitur est hic messis bonorum, & quidem sine magno labore comportanda.

148. Quodsi adhuc ista ratihabitio actuũ ita fiat à viro spirituali, ut cupiat omnes actus (& idem dico de passionum omniũ toleratione ab omni creaturâ) & singulos factos, majore & majore millies proportione fervoris, caritatisque in Deum, in unione meritorũ Christi Domini &c.; Non dubito, quin hæc praxis longè evasura sit fæcundior, & coram oculis Majestatis Divinæ acceptior. Praxim hujus Industriæ brevissimam subjungo.

DEVS, cujus Gloriæ, & servire debent, & serviunt omnia, omnes actiones passionesq; tam meas, quàm omnium reliquarum creaturarum, quocunq; modo à me & ab eis habitas, & etiam per omnem æternitatem habendas, ratas habeo, atq; tibi Deo Domino offero, iisq; omnibus te dignissimum laudo, adoro, benedico, dignifico, & amo super omnia: item pro eis omnibus tibi, tanquam earum fonti Gratias ago, ac eas tibi restituo & in te refundo, ratificans eas, & congaudens tibi ex eis, in totâ earum entitate, bonitate, latitudine, sensu, circumstantiâ. & cupio omnes ac singulas elicitas fuisse, esse, fore, ex purissimo gustus tui sibi adæquati intuitu, millies milliesq; majori proportione fervoris & Caritatis, ex totâ latitudine capacitatis omnis creaturæ, in unione totius Sanctissimæ IESV Christi, B. Virginis, Sanctorumq; omnium tuorum conversationis. Specialiter autem, ratas habeo omnes meas, & aliorum, meâ occasione habitas, exercitasque coram te, & propter te, actiones ac passiones. Magis verò ratas habeo, Sanctorum hominum, & Angelorum, Pretiosissimæ Parentis MARIÆ, IESU Christi DEI-Hominis capitis nostri. Cæterum super omnia ratas habeo omnes actiones & passiones tuas ipsius, ô Domine DEVS noster, sive ad intrà, sive ad extrà, in te, & à te repertas. Ratas habeo omnes communicationes tuas, per quas tu tibi in te, & per quas nobis tu ex te communicas, perfectiones tuas, & omnia quæ Tu es, & quæ sumus nos, & per quas nos ad Te refluimus atq; recurrimus, tanquam ad fontem nostrum. Tibi ex omnibus & in omnibus DEO nostro Gloria, æstimatio, & laus per omnia momenta, per omnes atomos, per omnia instantia temporis & æternitatis, usq; in æternum, & ultra, fiat, fiat. Amen.

Poterit id ipsum brevius & simplicius transigi hac praxi:

Ratas habeo omnes actiones & passiones meas, quocunq; modo habitas & quocunq; modo bonas. Ratas etiam habeo easdem omnium omnino creaturarum, incipiendo à Christo Domino, ad ultimam usq; atomum creatam. Ratas habeo in specie etiam illas, quæ sunt occasione meâ aliquomodo in te Deum exercitæ, & ratas habeo omnes & singulas in omni earum latitudine, sensu, circumstantiâ, in unione meritorum IESV CHRISTI, Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum, majori quã unquam fervore spiritus, millies que millies majori proportione fervoris, charitatis, Dignificationis, quia hæc est Voluntas tua & Dignitas Voluntatis tuæ Sanctissima Trinitas, DEVS meus. Amen.

Valet hæc Industria, tum ad multa alia commoda, tum, ut homo particeps fiat actualiter, omnium omnino bonorum creatorum, utque Deum in omnibus laudet, utque nihil vacuum à Dei laude esse, vel fuisse, vel fore sinat, in ullâ creaturâ, ut que ex omnibus fructum percipiat, non unum, nec semel, sed quotiescunq; & qualem, cumque libuerit.

Potest etiam hæc Industria extendi ad rata habenda ipsa bona Dei, quatenus in Deo sunt, & quatenus ex Deo ad nos fluunt jugiter, & quatenus à creaturâ in Deum refluunt, ut jam in praxi priore visum est.

INDVSTRIA XXII.

Possumus crescere in merito per retractationem malarum, Actionum, tam nostrarum quàm alienarum.

149. QUod superiore Industriâ exposui, de ratihabitione actionum & passionum bonarum, sive propriarum sive alienarum; id ipsum in præsenti Industriâ suadeo faciendum, per retractationem malarum actionum passionumque sive nostrarum, sive alienarum. Intelligo autem malitiam moralem, peccaminosam, & Deo displicentem, nosque displicere, & pœnas mereri facientem. Cujusmodi malitiæ, non est finis in hominibus, tàm vivis, quàm mortuis, damnatis, itemque dæmonibus æterno supplicio addictis. Eam verò potest bonus Spiritualis Negotiator, in usum suum meritumque apud Deum convertere, retractando illam, cupiendo non fieri, non factam esse; dolendo quod fiat, facta, futuravè sit; compatiendo iis, qui in eâ sunt; cupiendo libe-

do liberari ab eâ (etiam damnatos ſi ita Deus vellet) omnes, ſtatim, in perpetuum; cupiendo impedire & impedire eā malitiam à Deo. Talis quippe retractatio, non poteſt non eſſe ſummi momenti & meriti apud Deum; quia vix poteſt procedere non ab ingenti charitate Dei & proximi, à zelo Gloriæ & Dignitatis Dei, ab amore Juſtitiæ &c. Ex quibus principiis mirè augetur. hujus retractationis valor ac meritum at Dignitas apud Deum.

150. Quod ſi retractationi accedat etiam ſatisfactio aliqua vel ſatiſpaſſio (ut in Sacrificiis Miſſæ vel in Mortificationibus externis, inqué victoriis ſui evenire ſolet) oblata pro iiſdem malitiis Deo, in quandam delinitionem Divini cordis, dolentis ex offensâ tàm multiplici, tàm continuâ, tàm obſtinatâ, tam æternâ; longè ampliùs etiam hæc retractatio efficietur gratior Deo, vel homini utilior: utilior verò non ad merendum tantùm Gratiam & Gratiam ſed etiam ad abſtinendum à peccato, ad accendendum zelum contra vitia, inhibenda in ſe & aliis, ad colendam virtutem ſuâ & aliorum causâ &c.

Praxis hujus Retractationis, hæc ſimilisq́ eſſe poterit.

DEVS Digniſſime, qui nos Creaturas tuas in Gloriam tuam creaſti, ſed à nobis infinitis modis ac malitiis, quotidie offenderis, doleo quantum poſſum pro omnibus, & ſingulis peccatis atq́ malitiis, in te, primùm quidem à me, deinde ab omni creaturâ commiſſis, atq́ etiam committendis. Nolo mi DEUS, nolo ullam malitiam à me, ab omnique creaturâ aliâ commiſſam eſſe, ac fore; eam ex nūc retracto, deteſtor, & execror: quia te DEVM digniſſimum agnoſco, amo, æſtimo. Nolo te in æternum offendere, nolo te offenſum eſſe. nolo offendi te à præteritâ, præſente, futurâ, vivâ, & damnatâ creaturâ. O quis det, ut te omnes laudent, & ut omnia mala ab eis commiſſa & committenda, non ſint commiſſa, non ſint committenda, ſed potius ut omnia ſint in laudem tuam quàm maximam cōverſa. DEVS meus, vides voluntatem meam; vides quod cupiam, ut nihil ſit in creaturis tuis malum in oculis tuis. Cupio & propono, quantum in me erit, impedire mala omnia & diſplicita tibi. Offero tibi totam vitam IESV Chriſti, Pretioſiſſimæ Parentis, Sanctorum omnium & ſingulorum: offero totum me, cum omni capacitate meâ, ad reſarciendam læſam malitiis noſtris Bonitatem Dignitatemq́ Tuam. Offero tibi hoc in particulari opus meum &c.

151. Hujus Induſtriæ, utilitas maxima eſſe poteſt, atque ut dixi, Deo gratiſſima piisque mentibus, quas zelus domûs Divinæ tabeſcere facit, deberet eſſe commendata, & in dies ſingulos ſtatis temporibus uſitata. Hoc eſt enim comedi zelo Dei: hoc eſt videre prævaricatores, & tabeſcere: hoc eſt interficere in matutinis omnes peccatores terræ. Hoc zelo certe Chriſtus arſit ab initio Conceptionis ſuæ ad mortem. hoc zelo ardent omnes Sancti in hâc vitâ, qui ita aliena ac ſua propria peccata deflent, & impedire laborant. Hunc zelum quotidie Chriſtus exercet in Eccleſiâ; exercet quoque ipſa Eccleſia, dum quotidie retractat & expiat peccata filiorum ſuorum. De hoc zelo intelligitur illud: Peccata populi comedetis. Hanc retractationē exercuit ſeptimo quoque die Job pro filiis ſuis offerens, ne forte peccaverint filii ejus & filiæ in Deum. Hanc retractationem Synagoga exercuit, offerendo ſacrificia pro peccatis populi. Hunc zelum Chriſtus, ut dixi, exercet aſſiduè usque ad conſummationē ſeculi, in Sacrificio Miſſæ, quod eſt propitiatorium, ſatisfactorium, &c. cui ergo pio, dubium erit, hoc Exercitium eſſe Deo gratiſſimum?

152. Hæc Induſtria retractativa, multifariam poteſt adhiberi & exerceri. Primò poteſt fieri in genere ſuorum & alienorum malorum, juxta poſitam praxim. 2. Poteſt fieri in particulari, retractando ſpecificè peccata, ſecundùm eorum ſpecies. 3. Poteſt fieri, retractando peccata certorum locorum, regionum, ſtatuum, temporum, perſonarum, officiorum, &c. 4. Poteſt fieri retractando peccata ſecundùm pœnas eorum. ut ſcilicet ea peccata, quibus Deus tales vel tales pœnas infligit, retractemus, & pro eis ſatisfaciamus, &c. 5. Poteſt fieri retractatione peccatorum, ſecundùm horas, dies, hebdomadas, menſes, annos; retractando ſcilicet peccata hujus diei, menſis, à me ab aliisque commiſſa, eaque ſupplendo ratione ſuprà poſita vel alio meliore modo. *Induſtr: 16.*

Hujus Induſtriæ tempus eſſe poteſt commodum, omne illud, quo de propriis peccatis Examen & dolorem inſtituimus, actumque contritionis facimus, conjungendo ſtatim cum retractatione ſuppletionem, hac ſequenti, vel præcedenti, vel aliâ ſimili ratione.

Mi DEVS: omnia peccata, malitias, imperfectionesq́ meas, [& omnium aliarum creaturarum, etiam damnatarum] à me [& ab eis) hodie, [hoc menſe, anno &c.] in te perpetratas, coram te

ram te retracto & detestor, perpetratasq; esse nolo. Pro omnibus vero illis, hunc actum qui sequitur, Amoris, Æstimationis, Adorationis, humiliationis, doloris, mortificationis, abstinentiæ insupplementum Tibi Dignissimo DEO meo offero, uniendo illum meritis, mihi per gratiam tuam appropriatis, IESV Christi, Pretiosissimæ Parentis, Sanctorumq; omnium. Amo te super omnia, Æstimo, Adoro, Dignifico, exalto, Benedico toto me, totis viribus, actionibus, passionibus meis, majori quàm unquam fervore spiritûs, milliesq; millies majori proportione illius, semel pro semper, Seraphicè, Mariane, Christiformiter, atomice, sacrificatoriè, &c.

INDVSTRIA XXIII.

Possumus unius Voluntarii boni actus exercitio, plurium vicem, quantùm ad meritum & valorem, supplendo, in meritis crescere.

153. HÆc est Voluntatis nostræ, ac multò magis Divinæ Gratiæ natura, ut quemcunque locum calcet pes ejus, ejus fiat: modò usus tam Voluntatis, quàm Gratiæ, nobis sit tàm familiariter notus & usurpatus, quàm commodè potest naturâ suâ esse, si nobis nos deesse nolumus. Inter alias ergo Voluntatis nostræ liberas divitias, divitesque libertates, est hæc una: quòd unico actu ac motu, sive opere suo externo aut interno, imperato aut elicito, possit plurimorum, ac, audeo dicere, infinitorum, possibiliumque vicem supplere, ac meritum, valorem, præmiumque obtinere. Habemus ejus rei aliquod simulacrum immò exemplum in notis numericis, quas homines ad placitum inventas, designarunt ad tantam vel tantam summam, tantumve numerum significandum, v.g. statuerunt, ut C significaret Centum; D Quingenta; M Mille.

154. Hoc quod fecit placiti humani libertas, in hisce & similibus notis, potest eadem facere in actibus vel passionibus suis internis, externisve ab internis imperatis. potest, inquam, Voluntatis humanæ libertas id facere, id sibi imperare, ut si faciat unum talem, aut talem actum, cum hac intentione atque proposito, censeatur fecisse 10, 100, 1000 actus: potest sibi imperare, ut libenter quidem hic & nunc faceret, si posset, si locus, occasio, tempus, circumstantiæ paterentur, mille millia actuum talium & talium in D[ei] laudem; sed quia id prudenter nequit, substituit unum actum Charitatis, spei, timoris, zeli, resignationis, quem cupit, & vult, ac intendit vicem illorum mille milliũ tenere & supplere: maximè cùm, ut alias dixi, omne pondus actionum nostrarum, quod eis ex parte nostrâ advenit, à Voluntatis libertate, sive ab intentione, & deliberatione, advertentia, conatu, designationeque proveniat: ita, ut quòd hic actus meus valeat tantùm, alteriùs verò, vel alter meus ampliùs, tertius etiam ampliùs; id non sit aliunde ex parte meâ, quàm à Voluntatis meæ intuitu & studio & arbitrio. Ex parte, inquam, meâ; nam ex parte Gratiæ habitualis, ex parte objecti quid accedat, nũc non attendo. Quia ergo ita valor actionum, à Voluntatem meâ, talem vel talem valore intendente dependet & promanat: manifestum est, licere mihi, apponere actionibus meis ex parte meâ valorem, quantumcunque volo: ac, si apposuero parvum, parvus erit, si magnum, magnus erit, si majorem, major, si omnem, omnis.

155. Neque est periculum, ut hac ratione Christum ipsum, aut Beatam Virginẽ, aut omnes Sanctos, meritis adæquem & superem, & quidem unicâ brevi actione, per solam Voluntatis intentionem. Non, inquam, hoc periculum est; quia hæc adæquatio, non ab hâc solâ Voluntatis nostræ affectatione dependet, sed plura alia ad eam concurrere esset necesse, quæ solam Voluntatem affectantẽ non sequuntur. Cæterum ad præsens Institutum satis est, verum esse, quod dicimus, Voluntatem tantùm mereri, quantum vult valere, & tantum pondus suis actibus dare, quantum vult dare: siquidem pondus eorum, est illud ipsum velle, ex quo fiunt ac imperantur.

156. Quòd si quis dicat, ex dictis sequi, quòd, si debeam Deo centum actus Charitatis, & velim unum actum Charitatis facere, intendendo, ut illo uno faciam 100, re tamen ipsâ non faciam nisi unum, satisfaciam debito meo. Ad hoc facilis est responsio ex jam dictis. Nam supponuntur centum esse debiti, proinde uno non possunt expediri, quia non unus est debitus sed centum. Deinde si centum quidem debeam, sed centum propter circumstantias expedire non possim, unum autem possim, possim unum elicere pro centum, & unum substituere pro centum: & audeo dicere valiturum apud Deum

pro centum, modò sit Voluntas parata præstare 99, si quando erit commoditas. Addo nullum esse dubium, quòd pro centum qualibuscunque actibus, possit unus intensus & heroicus æquivalere, sicut pro centum solidis, valet unus aureus. Insuper advertendum est, aliam esse rationem numeri & valoris. valor enim nō sequitur nummum, sed conatum, hoc est, voluntatis liberæ intentum; numerus autem sequitur repetitionem. quo fit, ut si debeam centum actus, possim uno actu mereri, & unum actum elicere, qui valeat tantum, quantum merear pro centum, vel quantum valebunt centum; non tamen unus actus erit pro centum, quia non est repetitus centies; quæ repetitio erat debita, & cadebat sub debitum. alias, si repetitio non caderet sed valor; posset unus tantùm fieri, qui valeret tantùm, quantùm centum, dummodo constare hoc possit, quòd unus valeat pro centum.

157. Denique aliud est loqui de debitis, aliud de arbitrariis voluntatis nostræ actionibus. In illis enim, Voluntas non est sui juris, sed ejus, cui, debito obligata est: ejus ergo Voluntati obsequi debet, non suæ ipsius. In his verò secùs res habet. Et tamen, etiam in debitis actibus, potest Voluntas, suâ libertate ita uti liberaliter, ut centum actus debitos, faciat ita strenuè singulos, ut intendat singulis exæquare obligationem centum actuum; & sic deinceps: in hoc enim Voluntas sui juris est. Sic, si mihi imperetur Corona B. Virginis dicenda, 63. Salutationum Angelicarum, dicere debeo, 63. Quamlibet tamen earum, potero ita velle dicere, ut quælibet æquivaleat omnibus 63. æquivaleat quoad valorem, & meritum, & venerationem Beatæ Virginis, non autem quoad numerum, & repetitionem; in quâ non valor, sed entitas actûs attenditur debita, & non nisi repetitione actûs præstanda.

158. Ex his patet, quod initio dixi hujus Industriæ, Voluntatis nostræ fœcunditas. Patet, quantus cumulus meritorum, in nostrâ Voluntate situs sit, modò velimus. Patet, quanta quotidie damna faciamus, per meram, vel ignorantiam, vel negligentiam. nam aut nescimus, aut negligimus uti Voluntate, cujus exercitium infinitæ fæcunditatis est; ut non immeritò jubeat Deus se diligi ex totâ animâ, mente, viribus, fortitudine, corde. Quæ omnia nihil sonant aliud, præter Voluntatem liberam, & ejus conatum, quem totum Deus sibi & suo amori servire vult ac impendi. Quia si totus impendatur, infinitum quiddam impenditur.

Exercitium ergo hoc atque Industria, piis Negotiatoribus spiritûs, debet esse valde commendata. parvo enim compendio, maxima lucra facere spiritualia possunt. Unâ aspiratione, uno ictu oculi, unâ pectoris tunsione, unâ genuflexione, uno actu amoris Dei, proximi, tantùm mereri potest, pro quot actibus illum volet valere; modò alia requisita ad merendum, non desint.

Sic, vellet aliquis, centum actus Gratiarum Deo pro Beneficiis præstare; non potest ob circumstantias prudenter aut commode? eliciat unum pro omnibus, & offerat pro omnibus, valebit pro omnibus. Vellet aliquis, Deum toties amoris actu prosequi, quoties offensus ab illo est, vel offensus ab omnibus peccatoribus, ab origine mundi: non potest? eliciat actū unum vel alterum, quos intendat valere pro omnibus, valebit, quantum ex voluntate est, pro omnibus. Vellet aliquis adorare Deum cum omnibus, pro omnibus, affectu omnium Sanctorum, in cœlo Deum, & terra tota adorantium, unum actum affectumque cum hoc & ex hoc proposito eliciat: quantùm ad voluntatem ejus (etsi non quantùm ad actum adorationis & alias forsan circumstantias) valebit totum, quod intendet. Ex his faciet prudens conjecturam de reliquis.

159. Antequam huic Industriæ finem imponam, hoc addam; ut nemo miretur, me tantùm de Voluntate nostrâ præsumere: miretur potiùs se ipsum, quod insueverit, tantam voluntatis suæ fœcunditatem, tantumque apud Deum pretium & pondus, vel ignorare, vel negligere. Verè enim mira res est, quòd homines etiam prudentes doctique, ac de rerum naturis optimè discurrentes, naturam Voluntatis suæ adeò ignorent, adeoque negligant, ut nihil sit apud eos ignotius, nihil neglectius, usu Voluntatis. Quæso qui hæc mirantur, respondeant: Si quis vellet esse ita malitiosus, ut apud animū suum statuat, dicat, decernat, juret, voveat, se quoties pedem, manum, oculum, moverit, quoties respiraverit, &c. &c. toties velle & intendere, Deum actu odisse & blasphemare, immo quolibet tali motu & actu, millies millies velle & intendere actus odii Dei elicere, & dictos motus pedum, manuum, oculorum, respirationum, velle esse & signa & actus odii, & singulos eorum pro millibus mil-

lium

libus odiorum actualium esse: Si quis, inquam, tam perditus esset, & in hac perversâ Voluntate persisteret, & ex hac Voluntate actus dictos pedum, oculorum, manuum, &c. facere; quæso, inquam, & quæro, motus illi manuum, pedum, oculorum hujus hominis, ex intentione tali ejus Voluntatis eliciti, essentne mali & malitiam odii Divini, haberentne an non? quantam haberent? nonne tantam, quantam ille impius voluntate intenderet? Ita sanè. Jam quæro cur Voluntas hominis istius tam est fœcunda ad peccandum, & voluntas pii hominis, cur non potest esse tam fœcunda etiam ad merendum, si adsint cætera requisita?

160. Consimili ratione, sit aliquis tam impius, qui uno actu odii hominis alicujus velit velle omnia ea mala illi evenire, quæ Dæmon aliquis vult evenire mortalibus, vel quæ Dæmones volunt, elici atque actum illum odii, cum tali proposito & pondere Voluntatis; simplexne malitia actui illi inerit, an inerit Diabolica, sive æquivalens Diabolicæ? & quidem ideo, quia eliciens vult actum illum æquivalere malitiis Diabolicis? Si hoc ita est, uti revera est, & esse, convincit Voluntatis liberæ intentio, atque ponderatio; cur hoc miramur asseri de bonâ voluntate, quod evidens videtur inesse malæ voluntati ab ipsâmet Voluntate?

Memini me jam aliquoties usum hac explicatione, quin & promitto usurum me, cum locus & materia poscet, idque ideo, quia contraria juxta se posita meliùs dignoscuntur, & quia non dubito, omnibus notum esse, Voluntatem nostrã, Dei Gratiâ adjutam, non minùs capacem & fœcundam esse ad bonum, quàm malitiâ impulsam proruere ad malum. Neque enim Deus minoribus nos ad bonum instruxit præsidiis, quàm nos iisdem donis Dei uti possumus perversè ad perniciem nostræ salutis.

161. Cæterum haud desunt alia, quæ eandem fœcunditatem nostræ Voluntatis ostendunt, nostrisque oculis ingerunt, si nos videre possemus vel vellemus. Nam cui dubium est, unum actum nostrum, si fiat ex spontaneâ electione ac deliberatione hominis, plus habere valoris & ponderis, quàm actum ejusdem licet speciei, si is fiat casu, à non cogitante, à dormiente, à coacto. Unde autem ille valoris excessus? utique à libertate Voluntatis, hic absente, ibi præsente; à quâ fit, ut ille sit laude vel pœnâ dignus, hic neutro. Item unde est, quod vulgò asseritur, & sanè veraciter, actus ex unius Virtutis imperio factos, nobiliores esse, & plus meriti laudisque habere, quàm factos ex alterius? Nonne ideo, quia unus est à nobiliore virtute, alter ab ignobiliori? At quæso, quid est ista Virtutum nobilitas? Certe si ad principia voluerimus pervenire, nusquam illam ponemus, nusquam deducemus meliùs, quàm à Voluntatis nostræ præstantiore exercitio, & puriore libertatis impulsu, atque ponderatione. Nam cur Charitas præfertur omnibus virtutibus? Nõ ab objecto, quia & aliæ in idem tendunt, Fides, Spes, Timor, Religio; sed ab eo, quia Voluntas nostra, meliùs sese effundit in Deum, & agglutinat Deo charitate, quàm aliis virtutibus. Quomodo autem meliùs? quia liberiùs, quia liberaliùs, quia defæcatiùs, quia amiciùs & benevolentiùs, quia à suis commodis privatis alieniùs; uno verbo ideo, quia amat ut amet, amat, quia illi Deus placet, & ut illi Deus placeat, & ut placeat Deo, placeat verò, quia id placitum est Deo. hoc autem totum quid est aliud, nisi Voluntas, nisi volitio, nisi voluntatis ponderatio, & intentio? Voluntatis ergo defæcatio, est Caritatis commendatio.

162. Item cur vitium vitio, peccatum peccato est gravius? nonne ex eo quia est liberius? Unde quando peccata excusamus, ignorantiam & nolitionem prætexìmus, inadvertentiam obtendimus, indeliberationem, affectum impotentem, præoccupationem, alienam suasionem, coactionem adducimus. Quod frustra faceremus, nisi cognosceremus, pondus malitiæ, à Voluntate nostrâ esse in peccatis. Ut ergo levia peccata faciamus, Voluntatis nostræ pondus illis detrahimus, in alia omnia, aliquando in Diabolum, aliquando in ipsum Deum (ut Adam fecit) causam congerimus. Similiter aut opera ex voto facta pluris æstimari à Deo asserimus, quàm eadem sine voto perfecta? nonne ideo, quia in opere facto ex voto plus voluntarii, hoc est, plus à voluntate liberâ ponderis ac meriti agnoscimus, hoc autem quo modo? eo sanè, quia voluntas voto obstricta libertatem suam liberè constrinxit, & quasi immolavit, nemo autem liberiùs quidquam facit, quàm qui liberè cogit, seu, quàm qui ita liberè libenterque facit, ut non facere nolit, utque velit non posse non facere, sed coactus esse ad faciendum. hic enim non tantùm facit, non tantùm liberè facit, sed etiam libertatem suam in

alterius gratiam, ex liberâ servam facit, atque libertatem immolat, & veluti annihilat atque prodigit: unde etiam pretiosum opus illud reddit, quia totum pretii ejus fontem in illud profundit, totâ arborem, cum radice illius, cum fructu simul offert.

Similiter cur opera etiam parva, si citò, promptè, hilariter, libenter, diligenter, constanter, sponte fiant, gratiora sunt, quàm si, esto aliquando majora fiant, tardè, invitè, coactè, ex timore, ex præmio, ex spe, ex prece, inconstanter, perfunctoriè, oscitanter, tepidè, acediosè? Nullam causam afferemus bonam, nisi à voluntatis pondere petitam, quod ibi est, elucet, agit, placet, hîc deest, retardat, impedit, displicet.

163. Maneat ergo Voluntatis nostræ pretium & pondus; maneat illud verum esse; Amor meus pondus meum, quocunq; feror, amore feror: Pretium meum, Voluntas mea. Maneat & illud, consultè & prudenter fieri, quando unum actum pondere Voluntatis liberæ, piæ, devotæ, ita imbuimus, & impinguamus, ut ille à nobis substitui possit ac offerri Deo pro multis, æquivalenter, non solùm quoad valorem & meritum, sed etiam quoad multitudinem & numerum, dummodo ille debitus non sit sed arbitrarius, aut certè debiti expletio excusetur per aliquod impedimentum, ita, ut Voluntas non solùm per intentionem & intensionem, sed etiam per extensionem, unum actum pro pluribus, brevem pro longis, facere atque supponere possit, piè, licitè, meritoriè, cum profectu. Illud tamen addiderim, quòd, si unus actus debitè substitutus, pro pluribus facit, & apud Deū gratiosus est, longè sint futuri gratiosiores, si tales plures fiant à nobis, qualiū unus, possit esse pro multis.

Hæc quæ hîc diximus in commendationem Voluntatis liberæ, nihil præjudicare Gratiæ Divinæ, sive actuali, sive habituali, nihil Christi meritis, nihil aliis ad merendum requisitis, volumus. Magnum est pondus liberæ Voluntatis, magnum Gratiæ, magnum omnium requisitorum; Negotiator spiritualis nihil negliget, & ea, quæ nos bene suademus, re ipsâ meliùs faciet.

INDVSTRIA XXIV.

Possumus crescere in meritis, patiendo aliquid mali, faciendoq; aliquid boni, semel pro semper.

164. Est mos inter homines, ut dum aliquid vel docent, vel explicant, vel petunt, vel promittunt, vel imperant, vel præmonent, adjiciant, se id facere, docere, dicere, &c. semel pro semper. Quo loquendi modo cùm alia intendunt, tum perseverantiam suam in eo quod faciunt, dicunt, docent, rogant, imperant, monent. Ex quo intelligi datur, Voluntatem nostram hoc quoque habere in naturâ suâ reconditum, quòd possit unū aliquid, aliquando velle unico actu, eoq; brevi, & tamen pro omni tempore secuturo, quantumcunqueentitas actus illius, cessaverit pridem, ita, ut voluntas non solùm ad plura actuum suorum objecta, (quod proximâ Industriâ propositum est) sed etiam ad plura actuum tempora, (quibus actus illos exercere aut pati debeat vel possit) possit se extendere. Ex quo fundamento illud Juris pronunciatum natum videtur, Quod semel placuit, semper placere debet. Per quod irrevocabilis constantia voluntatis declaratur.

165. In hac Voluntatis nostræ proprietate, fundatur hæc præsens Industria, quæ suadet, ut viri spirituales & meritorum avari, quod semel faciunt & amant boni, sic faciant & ament, ut pro semper ament, pro semper faciant, sicut & pro semper, semper oderint malum. Certè est apud Theologos doctrina, quòd intentio habitualis, sufficiat ad bonitatem actionum moralem conciliandam, etsi actualis aut virtualis desit, modò habitualis illa, non sit aliquando actu opposito explicito retractata. Igitur & præsens Industria rectè suadebit, si suadebit, ut quis, quod facit boni, faciat semel pro semper. Per hoc enim propositum, non tantùm actum bonum in se eliciet, sed etiam Voluntatem suam extendet ad omne sequens tempus, ejusque momenta. Et præterea hoc proposito ostendet se jam quasi omni sequenti tēpore id ipsum facere, non tantùm velle, sed quasi actu facere. Insuper ostendet hoc proposito, se firmam & constantem Voluntatem habere, & habiturum esse omni reliquo tempore in bono; quod totum neque absque merito Voluntatis, neq; absque dignificatione ac multiplicatione bonorum operum, neque absque obfirmatione Voluntatis in bono, esse coram Deo potest, ac proinde non absque ingenti cōmodo operantis: quod commodum quotidie

tidie in omni actu suo bono, potest homo spiritualis lucrari tribus verbulis solâ cognitione conceptis, semel pro semper. Itaq; si quid agat boni, si quid proponat, si quid patiatur adversi, si quem actum eliciat virtutis, profiteatur Deo, se ita hoc facere aut pati nunc, ut paratus sit pati agereque semper, immo agere nunc patique, pro semper.

166. Potest ejus doctrinæ valor confirmari, veritasque illustrari ex eo; quod in perfectione Christianâ, sint quædam Virtutes, quas habitualiter semper opus est in homine esse, etsi actualiter non item. Habitualiter autem esse in adultis virtutem aliquam, est meo judicio non tantùm habere ejus habitum infusum in baptismo vel in Sacramento aliquo, primam Gratiam sanctificantem conferente, sed etiam habere habitum post actum vel actus relictum. Quos actus non est opus continuari aut repeti, & tamen opus est habitualiter durare, seu habitus eorum esse. Quod, si rectè attendimus, est aliud nihil, quàm actus illos semel pro semper elicitos esse ac existere. Id quod non est necessarium in omnibus virtutibus virtutumvè actibus, quarum habitus infusos habere possumus, possumus tamen actus earum nunquam elicere, etiam per totam vitam sine salutis damno. aut si aliquando elicuimus, non est necesse nos in eis perseverare, nec illos in nobis, habitualiter, si fieri potest, dummodo actus eis contrarios non eliciamus. Cujus contrarium est in aliquibus aliis virtutibus: quarum actus & elici à nobis aliquando debent de necessitate salutis (qui adulti sumus) & in elicitis semper manere debemus, non actualiter, (quia id nequit fieri in hâc vitâ) sed saltem habitualiter, nunquam eos retractando, nunquam contrarios eis vel incompossibiles eliciendo. v. g. actus Fidei, Spei, Charitatis, ita à nobis debet elici aliquando, vt semel pro semper elicitus sit: nunquam enim talis actus retractari, nunquam ejus habitus amitti debet. Similiter actus pænitentiæ de peccatis semel pro semper haberi debet, quia nunquam, saltem habitualiter, in pœnitentia debet non manere, qui se vel semel meminit peccasse.

167. Similiter recta actualis intentio, semper debet esse in nobis & durare, non actu, quia hoc nobis impossibile est in hac vitâ, sed habitu, hoc est, debet semel pro semper elici, nunquam retractari. Quæ intentionis duratio in habitu, satis erit, ad actus ad illam spectantes afficiendos. Vel enim intentio durat vel non durat habitu. Si durat? operatur ergò, id est, afficit actus sibi subjectos & in suâ latitudine comprehensos. Si non durat? est ergo retractata (contra suppositionem) per intentionem oppositam malam, & durat mala. Extra bonam enim & malam habitualiter intentionem, non videtur esse posse homo: nisi dicamus, dari posse indifferentes actus individuè, qui nec boni, nec mali, nec otiosi sint, quod an stare cum veritate possit, viderint alii. hic locus non est, hæc disputare. Durat ergo Intentio habitualiter: quod si durat, debet effectû facere, qui est, actus sibi subordinatos afficere, & suâ bonitate fermentare. Ex quo sequitur, non improbabiliter doceri, intentionem habitualem sufficere ad operum bonitatem, de quo tamen ego non contendo interim: quin immo libenter fateor, virtualem atque actualem intentionem, esse longè meliorem intentionem. Interim meo proposito sufficit docere, quòd semel pro semper facere, aut proponere aliquid boni, sit laudabile, possibile, necessarium, meritorium, insuperque compendiosum & facile.

167. Hujus Industriæ locus & usus esse potest quidem in omni bono actu, præcipuè tamen esse debet in illis actibus, qui sunt, vel saluti nostræ substantiales, vel perfectioni nostræ necessarii omnino. ex vi status, vel heroici & coram Deo insignes, ut sunt, Charitas, Fides, vota Religiosa, intentio recta, Resignatio, Amor Inimicorum, studium proficiendi &c. condonatio injuriarum, dolor pro peccatis.

168. Potest etiam hujus Industriæ usus esse amplior, nempe in omnibus actionibus passionibusque bonis. possumus namque quantumlibet usitatissimas atque imperatas & omnino inevitabiles actiones & passiones, intendere facere ac pati ad gloriam gustumque (v. g.) Divinæ Majestatis ac Voluntatis, ad imitationem JESU Christi passi, ad honorem hujus aut illius Sancti, ad impetrationem hujus vel illius doni, ad expiationem pœnæ, hujus vel alterius vitæ, pro hoc vel illo peccato, nostro aut alieno, semel pro semper, nisi alia expressa, vel intentio; vel retractatio accedat.

169. Insuper, ejusdem Industriæ usus potest esse talis, ut quis faciat aliquid semel pro horâ totâ, pro die toto, pro mense toto. Certè eum, qui mane surgens, omnia sua dicta, facta, cogitata, totius sequentis

 quentis

quentis diei, honori divino consecrat, nemo reprehendit. At quid iste facit tali consecratione, sat plerumque brevi? hoc nempe. actum consecrationis illius sat in se brevem vult extendi, ad totius diei omnia dicta, facta, cogitata &c. quod, aliud est nihil, quàm consecrationis unum actum semel pro toto die facere, & extendere illum ad omnia dicta, facta, cogitata totius diei; ita ut perinde velit consecrans per actum hunc unum consecrationis,affici omnia sequentia, dicta, facta &c. ac si ad omnia dicta, facta, cogitata sigillatim novus & novus consecrationis actus ab eo eliceretur. Nulli ergo mirum videatur ac insolens,suaderi hoc à me vel ab aliquo fieri, quod alioquin omnes vel faciunt vel facere deberent, sub alia formâ confusiore ac implicitâ, fortasse etiam incognitâ, & vi efficaciâque ejus ignoratâ.

INDUSTRIA XXV.

Poßumus & debemus crescere in merito, pre Augmentum Voluntarij, Deliberationis, Electionis, Propositi, in nostris actionibus.

170. EST indubitatum dogma, naturalique ratione notum, ibi esse plus Bonitatis aut malitiæ moralis, ubi est plus voluntatis. Ibi autem censetur plus inesse Voluntatis seu voluntarii, ubi plus censetur inesse advertentiæ, deliberationis, electionis propositi. Inde aliquis dicitur malitiosus, quia sciens & volens, ac prudens malèfacit, de industriâ & proposito, quales Scriptura vocat venundatos ut faciant malum in conspectu Domini. tales vocantur inexcusabiles &c. E contrà dicuntur aliqui boni & studiosi, quia scienter & prudenter, volenter, ex animi destinatione, consilio, delectu rectè operantur. Tales scriptura vocat, pulchritudinis studium habentes, potentes virtute, prudentes virgines, servos fideles & prudentes, viros secundùm cor Dei, &c.

171. Est igitur singularis, immo necessaria valde industria facere (& pati) omnia bona in vitâ quam quis vivit, ex industriâ, electione, proposito, intentione, destinatione animi, prævia consideratione atque præmeditatione mediorum, finis, ordinis eorum inter se, executionis, circumstantiarum occasionum, Sic enim agere, primò est proprium hominis rationalis, deinde est prudentis, deinde est Christiani & spiritualis & ex fide viventis, mortificatos habentis vel habere curantis affectus. Sic agere, est in merito crescere, est meriti (quantum ex parte hominis est) fundamentum omne supponere, & sementem facere. Ubi enî plus voluntarii & deliberati, ibi plus boni & honesti, consequenter plus meritorii esse debet.

Augere ergo voluntarium deliberatione, electione, voluntatis imperatione & affectione atque applicatione, est sementem meriti facere, & messem augere. Sic agere, est extra periculum mali successûs esse: etsi enim forsan successus non is erit actionis qui sperabatur, erit tamen agenti bonus, quia actionis prudens fuit modus. Eventus autem actionum & consiliorum non est sæpe in nostra potestate, neque ex eventu judicari potest aut debet de consilio; cùm sæpe optima consilia malè, pessima bene cedant. Sic agere, rarissimorum est, etiam inter bonos ac justos, etiam inter eos qui videntur prudentes. Sic agere, omninò est necessarium, & maturè discendum. Sic agere qui scit, qui docetur, qui cupit doceri, beatus est. hoc est enim esurire & sitire justitiam, prudentiam, bonitatem, scientiam, sapientiam, & omnẽ virtutem. Sic agere neque ipsi Magistri sanctitatis atque prudentiæ spiritualis professores sciunt, certè non solent, & denique quod pessimum est, non amant, utinam & in aliis non carpant. Sic agere discet, curabit, assuescet, non erubescet, quisquis non dico humanè prudens, sed Christianè sapiens, hoc est; Sanctus Deiformis, perfectus, fidelis Dei servus, bonus negotiator & Athleta esse volet.

172. Hoc autem assequetur, si assuescet agere omnia ex præmeditatione, ex rationum in utramque partem dispectione & ponderatione, ex rationis lumine, ex mediorum delectu, ex aliorum consilio, ex prævia oratione, ex affectûs omnis in alteram partem inclinantis denudatione, ex puro in solius Dei gloriam majorem intuitu, ex oblivione sui solatii, honoris, commodi, spei; ex circumstantiarum circumspectione, ex resignatione in Deũ & in ejus voluntatem perfectâ, ad omnẽque eventum paratâ; ex lumine & ratione fidei supernaturalis, ex rationibus sublimibus Heroicis; ex consilio Dei, ex constantiâ & efficaciâ & vigilantiâ in executione & in mediorum usu, ex affectu

Voluntatis, prædictis omnibus obsequẽte, & in eo quod agitur vel agendum est, qualequale illud sit, dummodo Deo placere constet, sibi complacente & sese contentante.

173. Hanc rationem agendi, expressit David, cùm dixit, *Voluntarie sacrificabo Tibi;* Item, *& ex Voluntate meâ confitebor ei.* Talem Christus, tum ipse servavit, tum nos docuit. Servasse palam est vel ex illis verbis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* item ex illis, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et certè alia ratio agendi in eum cadere non potuit, in quo plenitudo divinitatis corporaliter mansit, & omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri fuerunt; & qui denique Sapientia æterna, summaque, ac prima, & omnis ratio fuit. Docuisse, plenum est talibus Evangelium, ac præcipuè illa ostendunt toties inculcata. *Attendite, Vigilate, Orate.* Item illa: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Item illæ de servis prudentibus ac fidelibus, de Virginibus prudentibus, de homine ædificante turrim, de Rege suscipiente bellum, de ædificatore domûs super firmam petram, parabolæ. Ad hanc etiam hortatur Apostolus Paulus, *Rationabile*, dices, *sit obsequium vestrum.* Denique omnis Scriptura hoc docet, clamat, exigit.

Ps: 53. 8. Ps: 27. 7. Io: 8. 46. 1. Pet: 2. 22. Colos: 2. 9. Mat. 10. 16. Rom. 12. 1.

174. Multa hic locus exigeret dicenda, sed non est instituti præsentis; & alibi de hoc actum aliquid speciali tractatu, de Consideratione Practicâ. Addo hic tantùm pauca. 1. Rectissimè facturum, si quis diebus singulis, aliquid temporis ponat, in consideratione practicâ agendorum, & actorum. In quem usum S. P. Ignatius, Societatis Fundator, horâ Meditationis, & Examen quadruplici tempore repetendum præscripsit. horum enim (meditandi & examinandi) exercitiorum, nullus alius finis est, ex mente Sancti Patris, nisi præcognitio agendorũ, & dijudicatio actorum, quomodo, quâ perfectione, sanctitate, profectu, &c. agenda sint illa, ista, hic & nunc, & quâ acta. Magnus ergo, & accuratus esse deberet in Societate, & inter omnes perfectionis studiosos, meditationis reflexivæ, & vitæ reflexivæ usus. De quâ re etiam alibi tractavi, & forsan hîc etiam aliàs tractabo.

175. 2. Rectissimè faciet, qui Examen conscientiæ facere consuescet, non jam super acta, sed super agenda à se. Quod genus Examinis, in meditatione locum habere potest; sed suaserim alibi etiam ex proposito factitandum esse. 3. Rectissime faciet, si singulis diebus, unum opus aliquod (aut etiam plura successu temporis & praxi accedente) assumat, & de illo deliberet juxta proximè dicta, An? Quare? Ubi? Quomodo? quâ perfectione, sublimitate, quibus occasionibus mali vitatis, quâ sui victoriâ, quo aliorum fructu, quibus occasionibus bonorum usurpatis, in quem finem, in cujus Sancti, in quâ virtutis imitatione, præsertim Pretiosissimæ Parentis, & Christi, hoc vel illud sit faciendum. Sic enim si quis aliquandiu factitet, perveniet ad eã prudentiam, cautelam, circumspectionẽ, integritatem in agendo in omnibus, ut defectus in eo, ab aliis vix sit aliquando reperiendus.

176. Alias Industrias, doceat unctio, doceat consideratio, doceat exercitatio. Hoc pro conclusione repeto 1. Neminem sciturum ejus Industriæ commoda, nisi qui eam exercere, & molestiam, laboremque, in eâ initio sese offerentem, devorare suaviter, prudenter, constanter, studuerit. 2. Duos scopulos hic vitandos moneo. Defatigatione natam desidiam, & actuationem scrupulositatemque nimiam. 3. Ex electione & cõsilio, ex intentione & voluntate deliberatâ, supernaturali, agere; hoc omnino ad cooperandum Gratiæ, ad proficiendum in omni (ut breviter dicam) perfectione, necessarium esse. 4. Sancti Patris Regularum de Electione usum maxime huic Industriæ exercendæ utilem fore. cujus etiam illa agendi ratio præ oculis habenda est, quæ in ejus vitâ traditur. Omnia enim negotia, Deo per orationem sic commendabat, atque committebat, ac si ipse nihil, DEUS omnia solus acturus esset. Deinde verò sic omnia providebat & curabat negotio proposito opportuna, acsi solus ille omnia, DEUS nihil esset acturus. Hæc Sapientia est; qui legit, intelligat, & exerceat.

Dabitur inferiùs Industria specialis Examinis super agenda à nobis: Ex quâ Spiritualis negotiator desumet usum ejus, quam nunc tradidimus, Industriæ. *Ut* enĩ agamus deliberatè, ex beneplacito, pleno assensu & electione; necesse est animum instrui, præcognitione atque præmeditatione agendorum. ad quod, nullum (post Divinam Gratiam) efficacius est subsidium, reflexione & Examine prævio, cujus praxim, & modum, & materiam se-

riemq;

riemque, Industria infra ponenda dabit.

INDVSTRIA XXVI.

Augere merita possumus per irritationem, & per applicationem Sensuum, vel Imaginationis, vel Rationis, ad ardua objecta.

177. Inter alias rationes, quas ad exaggerationem excellentiamque meriti, ac valoris in operibus passionibusque humanis, tam homines, quàm etiam ipse Deus attendere assolet, est etiam difficultas objecti, & operationis sive passionis. Quantò enim aliquid est difficilius actu aut perpessu, tantò præstantius censetur, si vel fiat vel toleretur. In talibus enim actibus & passionibus, elucet firmitas constantiaque Voluntatis in bonum, & adhæsio ad Deum, ejusque Voluntatem, legem, ac placitum: quæ in facilioribus non ita apparet. Apparet etiam in talibus, conatus Voluntatis ingens, & pugna atque lucta pro bono, pro honesto, pro virtute, pro Deo & ejus Gloriâ, contra sensum, contra naturam, contra timorem hominum, contra amorem proprii honoris, vitæ, & aliarum rerum amabilium & pretiosarum mortalibus.

Eam ob rem Deus, ut est in Scripturâ, Sanctis suis dat certamen forte, ut vincant, delicatos suos facit ambulare per vias difficiles, ut virtus in infirmitate perficiatur. Ita Abrahamum Deus probavit, in Filii imperatâ immolatione, cũ exaggeratis adeò graphicè circumstantiis omnibus difficultatem facere natis, & vulgò solitis, ut nulla intermissa videatur. Quid enim hic deest; Tolle filium tuum, unigenitum, quem diligis, Isaac, & offer illum, super unum montium? &c. Ita Jobum per exaggeratam eluviem calamitatum probavit, ut ejus narrat historia, ut tanto virtus appareret fieretque solidior, & meritum tàm Abrahami, quàm Jobi, cumulatius. Ob hanc causam, virorum Spiritualium, solidè & strenuè in spiritu proficientium, est consuetudo atque Industria laudabilis, & imitatione digna, ut actionibus & passionibus suis, quærant objecta difficilia & ardua, ipsaque si non sint, illi ipsi sibi faciant talia, idque vel augendo eorum difficultatem, vel proponendo ea exactè sensui, imaginationi, intellectui, vel exaggerando illa, vel semetipsos irritando, sensusque suos & affectus provocando objectivè, & tamen frenando rationis & fidei lumine &c.

178. Præsens ergo Industria docet, posse spirituales negotiatores, magnum sibi parare lucrum, Irritatione sensuum, & affectuum suorum, per objecta proposita exactè, & tamen eorundem strenuâ compressione & victoriâ. v. g. Si quid ab aliquo, curiosi, novi, elegantis, domum afferatur, & spectandum proponatur, si qua persona Illustris pertranseat, si quod spectaculum hominibus gratum & novum exhibeatur &c. potest spiritualis vir & proficiendi strenuè cupidus, suum appetitum & curiositatem irritare, laude, novitate, elegantiâ illius rei, illius personæ, illius spectaculi, potest desperatione futuræ occasionis similis &c. potest utilitate, & spe experientiæ, & notitiæ rerum, personarum, &c. & tamen post hæc omnia, potest sibi imperare abstinentiam aspectûs illius rei ob amorem Dei, ob odium & victoriam sui, ob honorem Sancti, &c. quæ victoria & abstinentia sic exaggerata & irritatione sensuum cupiditatisque aucta, longè erit amplior, Deoque gratior, & ad merendum efficacior, quàm si absolutè facta fuisset sine hac exaggeratione.

179. Similis Irritatio utiliter fieri potest, in irritatione Gulæ, appetentis cibum vel potum aliquem delicatum. Potest enim irritari objectatione, versatione, propositione, colore, saporis grati commemoratione &c. & tamen negari gustûs ejus, gulæ & palato. qualis negatio longè est præclarior, quàm si simpliciter negaretur.

Similis Irritatio sensûs Gulæ esse potest, cibi, vel potûs comedendi, dilatione & morâ, etiam brevissimâ, ut fervor gulæ retundatur, & ratio domina sensûs sit, & victoriæ sui propter Deũ, vel propter sui odium, locus relinquatur.

Similis Irritatio, potest esse in afflictione corporali sensûs tactûs, puta corporis castigatione, si feriantur partes magis sentientes, si ad percussionem & dolorem advertat sensus & ratio, & non sinatur sensus auxilia per subtractionem advertentiæ, (qualis est naturæ usitata dolori leniendo) advocare, si lentè & meditatè sese affligat, & ad sensum doloremque animum advertat. Talis afflictio corporalis, longè majorem victoriam de sensu reportat, quàm illa, quæ fit tumultuariè, compressis dentibus &c.

Similis irritatio esse potest, quando aliquid

aliquid agendum est contemptibile, confusivum apud alios, derogatorium honori & reputationi: tunc enim utile est amanti suiipsius victoriam, ut objectum illud, ipse sibi exaggeret, proponat sermones hominum, judicia, nutus, notationes, insultationes æmulorum, ruborem suum & confusionem faciei, compassiones aliquorum, inquisitiones aliorum de causâ &c. & his similibusque propositis sese irritet, & tamen vincat, conculcet, amore Dei atque odio sui. talis namque vincendi sui ratio, non tantùm ad magnitudinem meriti, sed etiam plenitudinem victoriæ, & pacificum de amore sui triumphum, valet quàm plurimum.

180. Similis irritatio esse potest, in illatâ tibi ab aliquo injuriâ condonandâ ex animo, vel in Caritate exhibendâ ei à quo læsus sis. Potest enim expendi injuria secundùm circumstantias, Loci, Temporis, Personarum, animi, conatûs, sermonum humanorum; & tamen conculcentur omnia, & vindictæ appetitus cõculcetur, & lædenti condonetur, vincatur in bono malum, ametur ex animo reus, in amore Christi, & ejus vulneribus sepeliatur injuria, & injuriæ sensus; per merita & preces adversarii oretur, non illi injuria sed Dei voluntati patiendi materia attribuatur, & indignum te illâ fuisse, coram Deo, ex animo sentiatur. Nova insuper petatur materia, & tanquam merces, tanquam panis quotidianus à Deo postuletur, magnique loco beneficii Dei ac favoris ducatur. Nemini dubium est, quin hæc ratio condonandi injuriam sit locupletissima, & Deo gratissima. Par sit judicium de reliquis occasionibus.

181. Hujus Irritationis per istiusmodi propositionem, & exaggerationem, atque applicationem, habemus exemplum in Christo Domino, qui totâ vitâ suâ, propositam habuit sibi omnem seriem passionis suæ. Cujus propositionis effectum, in horto agonizans & sanguinem sudans semel ostendit, & deinceps ab illâ horâ usque ad mortem retinuit; cùm alioqui, nullo negotio, animam à sensu dolorum & passionum omniũ avertere, atque alienare potuisset.

Tali irritatione Sanctus Alexius, S. Joannes Calibita, vicit & triumphavit amorem parentum. Tali irritatione vicit B. Jacoponus cupiditatem edulii certi, ut est in ejus vitâ. Ad hoc etiam genus referri possunt illæ Sanctorum victoriæ, ut Sancti Francisci osculum leprosi, S. Xaverii & S. Catharinæ Senensis epotum pus atque sanies ulceris. In vitâ B. Aloysii nostri legimus, eum, cùm de suis defectibus moneretur publicè, seriò & de Industriâ animum monitioni advertere solitum fuisse, ut magis confunderetur, cùm alioqui facilè posset animum alio avertere, ita ut nihil eorum quæ ipsi dicerentur, adverteret. S. P. N. Ignatius Jacobo Laynio dabat certamen forte, ut vinceret. *V. 2. p. Hist. Societ.* Idem S. Pater præcipit in Regulis Rectorum fieri (*Reg. 29.*

182. Id tamen monuerim, ut hanc Industriam, non facilè Tyrones, & adhuc vivos affectus habentes, adhibeant. Talibus enim consultius est, non colludere cum hoste, neque infirmas suas vires spirituales, validis sensualitatis viribus objicere. Industria ergo hæc, bene proficientium, & perfectorum, aut propè perfectorum erit. Tyronibus, non facilè, nisi de consilio Patrum spiritualium, quibus eorum dispositio nota sit interior, permiserim ac suaserim. Tyrones enim, ad sui victoriam, potiùs per propositionem facilitatum, quam exaggerationem difficultatum, inducendi sunt. talibus enim lac dandum, non solidus cibus, nec eis omnia sunt proponenda statim, cùm non possint portare, ut Christus de suis etiam Apostolis dicebat. Porrò in materiâ lubricâ, nulli quam diu in carne est, hujus Industriæ usum probaverim. Nimis enim est verum illud Sancti. Agonizantis jam, & tamen metuentis atque clamantis; *Adhuc igniculus vivit, mulier paleam subtrahe.* Item illud, alterius, de hoc genere li- Athletæ, *Vivere non licet, & lascivire licebit?* Itaque cum hoc genere hostis, non per irritationes sed per fugas & subductiones pugnandum censeo. Itemque cum aliis hostibus nostris, eodem ingenio præditis, si qui forsan sunt, uti fortassis sunt: maximè si ad particularium personarum speciales circumstantias attendatur. Quippe contingere assolet, quòd aliquis sit in reliquis strenuus, solidus, robustus & securus, in uno autem aliquo objecto, vel affectu, sit valde infirmus, & labilis, & ideo, ab ejus occasione submovendus.

INDUSTRIA XXVII.

Possumus crescere in merito, non intendendo nec intuendo meritum.

183. GRatìs Deo servire, tanta res est, ut nesciam an sit aliqua ratio Deo ser-

 viendi

viendi sublimior; & an ipsâ Caritate purior atque defecatior. Norunt eam viri spirituales, nec eam explicare opus est in præsenti, Etsi non negaverim, eam esse tam raram, ut ausus sit Thomas de Kempis alicubi exclamare; Ubi invenitur talis qui Deo velit servire gratis? Diabolus certè in omni vitâ Jobi, nihil, quod calumniari posset, invenire potuit coram Deo, præter illud: *Nunquid Iob gratis colit Deum?* Quem locum expendens Augustinus, & se & omnes Christianos confundit, quòd à Diabolo debeant discere, Gratis Deo servire. Et utinam discamus vel ab illo, nihil enim obstat, vel ab hoste veritatem audire, virtutemque discere.

Hâc Industriâ præsenti, hoc suadeo Negotiatori spirituali, ut Deo serviat gratis, hoc est non per respectum ad meritum, sive Gratiæ, sive Gloriæ etiam æternæ. non quòd propter augmentum Gratiæ vel Gloriæ Deum colere, sit malū; est enim optimum, sed quòd non sit gratuitum, quòd involvat hominis commodum summum, ac proinde non planè ab amore concupiscentiæ defecatum. Gratis Deum colere oportet, gratis amare, ita ut efficiatur in nobis illud Bernardi, *Causa diligendi* DEUM, DEUS *est*, *modus sine modo diligere*. & illud: *Amo, quia amo, & amo, ut amem, Causa mihi Amoris, amor; præmium amoris amor.*

184. Mitto alia quæ legi possunt apud Augustinum, Chrysost: & alios, de gratuito amore Dei. ad meum propositum redeo. Inter alia exercitia sua, habeat vir spiritualis hoc etiam unum, ut voluntatem concipiat, eamque inviolabiliter teneat, ac Deo protestetur. quòd gratis Deo servire in omni vitâ suâ, in omni actione & vitæ suæ velit. Hoc est, quod per omnem suam vitam, & per omnes actiones perpessionesque suas qualescunque, non intendat ullum bonum à Deo, quod non sit ipse Deus; quodque nec ipsum meritum intendat; aut si meritum intendit, quòd illud non intendat, quia & quatenus meritum est suum, sibive proficuum, sed quia Deus sic statuit, ut mereatur vel ut propter meritum operetur; & quòd ipsum mereri, non propter mereri intendat, sed propter Dei placitum atque gustum.

185. Hac operandi ratio est magni apud Deum meriti, sed si ita adhibeatur, ut in ejus adhibitione, non spectetur ratio magni meriti. Posset enim quis (quòd cautè est advertendum) ideo velle operari non propter meritum, ut hac operatione majus acquirat meritum, quod esset illusorium & contra intentum. Quare, sincere secum, & cum Deo debet agere animus, ut in non quærendo merito, verè non quærat meritum: neque ideo non quærat ullum, ut inveniat majus, sed ideo nullum quærat, ut tanto gratuitiùs & puriùs solius Dei gustum & placitum expleat. Licèt cum hoc stare possit, quod per hunc operandi modum, majus meritum acquirat, & acquisiturum se speret, dummodo acquirere non intendat, neque ex spe (esto cum spe) acquirendi operetur. Nunquam enim sine præmio diligitur Deus & servitur Deo, licèt non propter præmium diligatur, sive serviatur. Immo, tunc maximè non sine præmio diligitur Deus, & servitur Deo, quando maximè non propter præmium diligitur, Sicut è contra tunc maximè sine præmio diligitur, quando non sine præmio sed propter præmium diligitur. Talis namque Dilectio, quæ propter præmium fit, minimum præmium meretur & accipit. Quare non est propter præmium, sed sine præmio diligendus, ut non sine præmio diligatur: non est propter meritum ei serviendum, ut non sine merito ei serviatur. *Non enim (ait Aug.) ad præmium est diligendus Deus. Colis non gratis, si colis ut aliquid ab eo accipias. Gratis cole, & ipsum accipies. & quod dulcius à Deo præmium, quam ipse Deus?* Hæc Augustinus.

Lib: 50. Hom. Serm. 38. Serm: 32. de Temp: 14.

186. At Chrysostomus insuper asserit, Hoc ipsum esse debere nobis maximi præmii loco, quod possimus Deum colere & illi servire, nec aliud debemus à Deo amoris in Deum nostri præmium expectare, quam hoc, quòd Deus, à nobis amari dignatur, quodque sibi à nobis serviri patitur. Verba Sancti sunt. *Quid igitur agis ô homo? quid ineptis? ad hoc conditus es, ut conditori tuo placeas, ut Domino tuo servias; & tu de mercedibus cogitas? Si omnino dignus fueris agere aliquid quod placeat Deo; aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris? Verè ignoras, quantum bonum sit placere Deo &c. Nescis quia major tibi augetur merces, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi.*

Lib: 2. de Comp.

Ex his patet, quod hâc Industriâ suademus, magnum esse crescendi in merito compendium, non quærere meritum, sed ita, ut ipsa non-quæsitio meriti, non fiat propter majus meritum, verùm ita, ut ideo non quæramus meritum, quia solius Dei placitum & gustum gratis explesse, est nobis super omne meritum.

Hujus Industriæ hæc praxis esse poterit.

187. *Domine DEUS meus, quidquid facio, quidquid patior, quidquid faciam patiarvé unquam, quocunq; modo; totum puro, nudo, gratuito Amori tuo consecro. Non meritum cupio, sed tuum gustum intendo. Ipsum meritum quod consequor, tuo gustui consecro. Ipsum, quod mereri non intendo, aut quod tuo gustui consecro, non propter majus meum meritum, sed propter plenius suaviusq; tuum placitum; tibi Dignissimo Deo, semel pro semper consecro, & Tibi, etsi non absq; spe, attamen perinde, ac si absque omni à te præmii ac boni spe, gratis, puré, ac nudé servio, servireq; in æternum volo. Sufficit mihi, placuisse tibi; non tamen, quia placuisse tibi Bonum mihi, sed quia gratum ac placitum tibi. Amo te, quia mihi places, ut tibi placeam, ut mihi placeas. non quia id bonum mihi, sed quia id debitum tibi, quia dignum te, quia bonum & gratum & placitum tibi; & deniq; ut sit bonum, gratum, gustabile, placitumq; Tibi.*

INDUSTRIA XXVIII.

Ut actus nostri sint meritorii, utq; Industriæ nostræ utiles, oportet, ut sensum & notitiam, actuum, affectuum, verborum, mens nostra veram, formalem, vivacem habeat, tunc quando illos & illas exercet.

188. VSitatum est inter homines, bonorũ operum meditatores, propositores, immo etiam practicatores atque factores, quod mentis suæ mentem, verborumque suorum sensum non teneant, linguamque (ut ajunt) suam non intelligant. Atque hoc contingere, vix ullus est (eximie diligentes in suis actionibus, libens excipio) etiam spiritualis homo, qui non experiatur. Nam v. g. quis ita accuratus est recitator Psalmorum Davidis, ut ubique attendat, & efformet in animo suo, veram & vivam Davidis mentem atque affectionem? quis dum ab aliquo alio conscriptas recitat orationes, expendit considerationes, cõcipit proposita? quis, inquam, in eis, non dico Auctoris, sed suã mentem propriam assequitur & advertit? Quàm sæpè experimur, nos, quando in Oratione, à nobis etiam factâ, dicimus, Amo te Deus meus, Doleo quòd te offenderim, Detestor peccata omnia, Æstimo te super omnia, Propono hoc vel illud vitare, in eo me emendare, Fiat Voluntas tua sicut in cœlo & in terra, Vias tuas demonstra mihi, Fac me JESU Christo Crucifixo, pauperi, contempto, dolenti simillimum, Condono propter te omnes injurias. Fac me aliquid hodie propter te sustinere adversi sensui, ac voluntati meæ &c, quàm sæpe, inquam, experimur, nos, dum talia similiaque proferimus ore, ac forte etiam aliquomodo mente, tamen horum omnium vivacem, immo nec realem formalemq; apprehensionem ac sensum in animo habere. Quo fit, ut passim orationes, proposita, affectus, postulataque nostra, licet naturâ suâ & ex vi verborum, quibus concepta scriptavé sunt, sublima & defæcata atque heroica sint, tamen efficaciâ, fructu, gustu, præmio apud Deum careant. Non ob aliam utique causam, quàm quia vitam & formam in mente nostrâ non habent, quam si haberent, efficaciam quoque haberent, & partim in voluntate nostrâ habitum generarent, partim à Deo impetrarent, partim solidarent animum, partim ferax meritũ conquirerent, partim novas gratias obtinerent &c.

189. Præsens igitur Industria hoc docet primò, ut quando sive Orationes, sive proposita, sive promissiones, sive affectus prosecutivos vel detestativos facimus, ita faciamus, ut non solùm verbis strepamus sonemusque, sed veram & formalem in mente apprehensionem, sensumq; orationis, propositi, promissi, affectûs, exaggerationis, sublimationisque habeamus, exque illâ verâ ac formali apprehensione loquamur. Ad quod proderit, prius mente quàm ore & verbis orare, proponere, loqui: proderit non festinanter facere, atque orare, sed lentè, & quasi noviter, & nunc primò, antea nunquam hoc oraverimus, proposuerimus &c. proderit non ex imaginariæ memoriâ, sed ex reflexâ rationis recordatione, vel novellâ efformatione, conceptioneque orare ac proponere. proderit ex scripto potiùs, quàm ex memoriâ habituatâ, ideoque parum attentâ orare atque proponere.

2. Docet hæc Industria, ut præter jam dictam, veram, formalem, propriamque apprehensionem eorum, quæ oraturi aut propositurí sumus, curemus insuper, habere vivacem, penetrativam, & efficacem, atque si fieri potest, ipsisme verbis latiorem in mente sensum apprehensionemque eorum, quæ oraturi propositurique sumus. Ad quod, maximè proderit usus attentionis, intensionis, fervoris, reveren-

verentiæ Dei; proderit item maximè fuga festinationis, & notitia reflexa ineptarum ridicularumque (ut plurimùm) causarum, quam vel mens ipsa, vel affectus impotens, vel cura pungens, vel Diabolus insidians obtendit festinationi. proderit fuga arcti temporis, quæ sit causa festinationis. proderit etiam fuga illius avaritiæ, quæ multa expedire dum vult, festinat, non attendit, linguam suã non novit. proderit persuadere sibi, & hac persuasione regi, quod melior sit semel Oratio Dominica dicta debitè, quàm centies dicta indebitè: quomodo ordinariè dicuntur, quando ex usu, & multæ, & in brevi tempore, & citò dicuntur, nullo alio fine fructuque, nisi ut expediantur.

190. Similiter unum propositum factum attentè, deliberatè, advertenter, applicatè, intensè, devotè, ardenter, reverenter, exaggeratè, depuratè, sublimiter, heroicè, fœcundè, humiliter, constanter, resolutè, resignatè, charitativè, plus apud Deum valet, plus illi placet, plus meretur gratiæ & gloriæ, plus animo & voluntati elicientis prodest, quàm centum proposita, facta tumultuariè, citò, mente festinante, vagâ, tempore strictâ. Idem judicium sit de aliis. Quando ergo orantes dicimus v. g. Pater noster, adveniat regnum tuum; præsenti & intelligenti mente dicamus, & mente concipiamus cognitionem adventumque regni Divini: aut etiam conceptum adventum divini Regni, æstimemus, desideremus; & desideremus humiliter, ferventer, heroicè; desideremus nobis, & omni animæ, omni creaturæ, omni tempore, in omni loco, actu, officio, circumstantiâ. desideremus, quia dignus est Deus, quia hæc creaturæ felicitas &c. Quando item dicimus, Fiat voluntas tua &c. intelligamus hoc mente, *Fiat*: petamus hoc, *Fiat*: amemus hanc voluntatem, submittamus illi nos & omnia nostra, creaturas & omnia earum: felicitatem, & vitam ponamus in hac Voluntate, extra illam infernum & mortem: desideremus illam semper, pro omnibus, ubique &c. Quãdo dicimus: Deus meus amo te super omnia; revera actum formalem amoris Divini habeamus, & revera talem, quo super omnia Deus appretietur. Item quando dicimus: Offero me totum, totaliter, tibi dignissime Deus; sit in mente & voluntate realis formalisque actus oblationis, & Deus qui dignissimus dicitur, dignissimus censeatur. Item, quando dicimus. Domine utere me ad humiliandum me & exaltandum te valde, sicut scis & vis: sentiamus & sciamus verè formaliterque illius vocis sensum [ad humiliandum me] ut verè vilificationem optemus, verè conculcari, despici, contemni propter vilitatem nostram, Deique amorem ac Christi imitationem velimus. Sentiamus item & gustemus animo exaltationem Dei, etsi propter illam millies & in summo gradu humiliationis nos humiliari sit opus. Sentiamus præterea in animo, plenitudinem sapientiæ potestatis Divinæ supra nos, eique totaliter ad omnem usum, conditionem, faciem, speciem, individualem, sensitivam, æstimabilemque exaggerationem resignemus, & in æquilibrio ad nutum Voluntatis ejus adorandæ ponamus, quia hoc illis verbis [sicut scis & vis] dicimus. Atque eadé sit reliquorum nostrorum affectuum, propositorum, orationum, & orandi modorum ratio: sive ii nostri sint, sive alieni, ab aliisque à nobis usurpati.

191. Quæ res non fatigat animum, neque vires corporis, si prudenter fiat, quia revera fieri potest absque molestiâ & fatigatione: fieri autem debet necessariò, si fructuosos labores ejusmodi nostros esse volumus. Neque est periculũ (quod aliquos forsan afficere solet) ne si hac ratione oremus, proponamus, affectus eliciamus, &c. non possimus multas orationes, multa proposita, multos actus, multos affectus facere. Inprimis enim ut prædixi, præstat paucos facere actus, bonos & perfectos, quàm plures imperfectos. tum quia unus iste, per se prævalet his omnibus, tum quia in uno illo bono & perfecto, si advertamus, inveniuntur multi boni atque perfecti, integrantes perfectionem unius totalis, principalis, & quandoque longe plures ac insigniores, quàm forsan illi fuissent, quos ob moram circa unum, ut nobis videtur, perfecte & accuratè faciendum omisimus: tum quia uno illo perfecto, meliùs perficitur & habituatur Voluntas in bono, & in Deo, quàm fuisset per illos plures, immo per plures illos festinè aut perfunctoriè factos; disposita potiùs fuisset malè & ad malum, nempe ad perfunctoriè agẽdum. Deinde faciendo paucos sed perfectos actus, discit mens & anima nostra ejusque potentiæ, multos & similes & alios agere æquè bene & exactè. illa enĩ diligentia, & perfectionis in actibus cura, quæ initio apparet gravis, morosa, infæcunda, usu efficitur levis, habitualis, facilis,

facilis, jucunda, fæcunda, frequens, & frequentandi facilitate utilissima. Neque enim putare debemus, quòd solùm negligenter agendo, discamus agere negligenter, etiam enim diligenter agendo, consuescimus agere diligenter. Quare, nemo hoc periculo moveatur ad sterilem illam festinationem: potiùs his, quæ dixi, quæque docebit (vera esse) experientia, excitetur ad actuum perfectionem.

192. Neque tamen per prædicta vellem alicui suadere, putidam immorationem in orando, in legendis precibus Canonicis, dicendo Sacro, recitandâ Coronâ. ubique enim discretione opus, etiam in ipsâ diligentiâ, etiam in ipsâ devotione. Non enim imprudenter dixit qui dixit, Odi nimium diligentes. Quare quando longiuscula est actio, & tempore circumscripta, vel per legem, vel per alia negotia, vel per decorum vitæ communis ac socialis, in eâ pergendum est eo modo, quo prudentes, pii, timorati, & perfectionis studiosi solent.

193. Addo præterea, non inutilem observationem; esse etiam quoddam festinationis genus bonum, quòd a vehementiâ & fervore ignescentis affectûs nascitur: quod expertus est & expressit David, dicens. Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis. Quod expetiit Sponsa quando petiit, Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Quod experiuntur ii, in quorum meditatione exardescit ignis. Et sic existimo Paulum festinasse, quando illa dicebat, Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? &c. Ergo festinare quandoque licebit, sed festinatione, non ignavè & negligenter agere assuetæ mentis, sed festinatione concalescentis cordis, & excedentis Deo mentis: quæ si festinat in orando, afficiendo, proponendo, festinat ideo, quia plena est; festinat, quia plenè & clarè & ignitè, ea, quæ festinatò agit, penetrat; festinat, quia verbum bonum eructat; festinat; quia unctio celerem ad motum fecit. Sed hæc hactenus sint satis ad persuadendum, ut mens nostra cum verbis suis intimam & veram habere curet concordiam, & non tantùm non cogitet aliud quàm loquitur, sed etiam, ut hoc, quod loquendo cogitat, cogitet formaliter, vivaciter, expresè, exaggeratè, deliberatè.

Hæc Industria usum sui habebit utilissimum in plerisque sive præmissis sive subtexendis Industriis: nisi enim ejus in illis habita fuerit ratio, ferè nullus earum fructus erit: omnes siquidem vigorem & efficaciam ab hac accipere debent. atque adeo etiam omnes istam supponunt. Quod consultò adjeci, ut hujus Industriæ usum, tantò efficaciùs explicarem, atque explicando persuaderem. verè enim sic res habet & non aliter, ut experienti patebit.

INDUSTRIA XXIX.

In Actionibus nostris anticipare, punctualem esse, ultra tempus morari, item ægrè & tardè agere, easdem præscindere ac breviare, summi meriti est.

194. HAc unâ Industriâ quinque modos & veluti Industrias crescendi in merito per nostras actiones expediam.

Prima est, agere quæ agere debemus (ex obedientiâ, vel sponte, vel aliâ quâvis causâ) in puncto temporis, quo agenda est aliqua res. Hanc rationem agendi S. Pater noster Ignatius præcepit Societatis hominibus, quos vult, audito signo alicujus rei agendæ, statim convolare ad illam agendam, etiam literâ inchoatâ imperfectâ relictâ, sive lecta, sive scripta ea sit.

Talem punctualem operum peractionem servasse videtur Patriarcha Noe, de quo testatur Sacra Scriptura, quod *in articulo diei illius*, quo jussus est à Deo arcam intrare, ingressus sit. Eandem rationem suadere videtur sapiens, quando monet: *Particula boni doni non te prætereat.* quasi dicat: Si quid boni acturus vel donaturus es Deo, vel certè si quid doni à Deo percepturus es in ejus servitio, vide, ut ad punctum accurras, nec vel primam, unâve particulam boni doni negligas offerre, aut accipere. Similis punctualis executio atque operatio innui videtur, in illâ parabolâ de decem Virginibus, præcipuè in illis verbis, *Mediâ nocte clamor factus est, Ecce Sponsus venit, exite obviam ei, Tunc surrexerunt Virgines illæ: Tunc*, dicitur, quasi illo eodem puncto momentoque temporis. Similiter & in illâ frequenti Dominicâ exhortatione, quâ exhortatur servos fideles & prudentes ad vigilandum, ut in *quacunq; horâ Dominus revertatur à nuptiis, confestim aperiant ei.* Christo quoque Domino familiare illud: *Nondum venit hora mea, Hæc est hora vestra: Propterea veni in*

horam hanc: Venit hora. Exiit summo mane conducere operarios. iterum exivit horâ 3. &c, tempus meum nondum advenit &c. Salomon quoque, Fili, ait, *Observa Tempus.* Permagni ergo meriti est apud Deum, ad punctum agere quæ agenda sunt, & non ea tantùm quæ agenda sunt ex obedientiæ præscripto, sed etiam ex proprio arbitrio, ex voluntariâ dispositione, ex Caritatis fraternæ studio. estque hoc, tum signum, tum exercitium Dominii super se, mortificationisque affectuum, etiam in rebus non illicitis, quæ est rara Virtus.

195. *Secunda est.* agere anticipatò, hoc est, etiam non expectato tempore præscripto, vel sponte designato, nisi aliquid obstet, cujus sit ratio habenda, vel nisi anticipatio vitiosa sit; ut esset in delectabilibus sensuum, vel laudem admirationemque hominum parientibus: in his enim non anticipatione, sed potiùs morâ est utendum, ut infrà dicetur. Causa hujus anticipatè agendi modi est, quia qui citò dat, bis dat: hoc est, quia anticipatio illa fervorem & alacritatem cordis designat in servo Dei: hilarem autem datorem diligit Deus, & solutio anticipata, gratissima est, tum apud omnes, tũ apud creditores negotiatoresque præcipuè, & provocat ad credendum creditorem; Fidelitatem enim & securitatem creditori facit, & timorem molestiæ in exigendo debito adimit; quod ipsum homo respectu Dei dũ facit, non potest Deo non placere, consequenter, non possunt hi anticipati actus, Deo non esse gratissimi, summique apud Deum meriti.

Bonus ergo Negotiator spiritualis, opera sua, quæ Deum, quæ proximi charitatem, quæ laborem, quæ molestiolam concernunt, & in quibus anticipatis nihil sensui, vel proprio compendiolo indulgetur, curet facere, atque inchoare anticipatò, neque signum faciendi expectet, sed antequàm ipsum signum detur, jam paratus sit, vel etiam jam inchoasse, agere à signo agendi inveniatur. Exaggerabitur enim per hoc obedientia, Charitas, fervor, disciplinæ exactio, vitæ communis observantia, fidelitas, &c. accedet exemplum bonum communitati fratrum &c.? recedetur procul à tepore, à dilatione &c. vitabitur illud, quod Sapiens in pigro servo notat, horâ surgendi non te trices ad parietem; implebitur verò illud, quod idem laudat in fervent servo; Vidisti servum velocem in opere suo? coram Regibus ministrabit. Et verè Dignus est Regali obsequio, qui anticipare consuevit in officio. Hanc anticipationis consuetudinem de se ipso David confitetur. & scilicet nobis commendat cum ait: *Preveni in maturitate & clamavi. Prævenerunt oculi mei ad te diluculò. Præoccupemus faciem ejus in confessione.*

196. *Tertia ratio est,* agere cum prolongatione & protractione temporis, quo aliquid agendum est, ita, ut non tantùm non breviètur tempus, non tantùm non in puncto cessetur (nisi id quoque ut cessetur, obedientia cogat, vel ratio dictet, hîc & nunc) sed ut paululùm etiam producatur, ut sit opus supererogatorium, ita ut sit mensura operum nostrorum non tantùm plena, sed etiam coagitata, supereffluensque & conferta. Hæc ratio, in iisdẽ objectis habet locum, in quibus & præcedens, non habet verò in quibus & præcedens. hanc rationem, servatam passim, commendatamque in gestis Sanctorum leges; quod nempè primi & ante tempus etiam, ad opus, ad laborem, ad vigilias, ad ministeria fratrum, ad Psalmos, ad locum pænitentiæ, ad Orationem convolarint, ultimi verò ab his discedere soliti fuerint. Est enim hæc agendi ratio signũ fervoris, fidei, obedientiæ, infatigabilis animi, insatiati obsequio Dei cordis, perseverantiæ.

Hanc rationem & exegit & sine præmio non futuram promisit Samaritanus ille piissimus, qui dixit stabulario de ægroto, *Curam illius habe, & quodcunq; supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi.* Hoc etiam videtur innuere illa parabola seminis in terram bonam lapsi, *quod affert fructum,* non tantùm simplum, sed *trigesimum, sexagesimum, centesimum.* Hoc & illa distributio *pecuniæ ad usuram* videtur velle.

197. *Quarta ratio est,* agere cum aliquâ morâ & dilatione, hæc locum habet in delectabilibus objectis, in sensualibus, in parientibus commendationem laudemve, in iis, ad quæ inordinatiùs propendere nos sentimus, ut sunt cibi sumptio aut potûs, præsertim cùm vel sitis, fames, vel cupiditas inordinatiùs urget, frenanda enim est impotentia, per moram aliquam spontaneam. Item recreationes, spectacula festiva, curiosarum rerum aspectus, auditus &c, aggressio officiorum vel operum speciosorum, prolatio alicujus sermonis vel dicti arguti, acuti, ingeniosi &c. narratio alicujus rei cum laude propriâ conjunctæ. In his, & similibus, mora, dilatio, repugnantiaque est laudabilis; modò, ne sit fastidiosa, affectata, refractaria obedientiæ, & in damnum

mnum (spirituale præsertim) tertii. Sic Saul declarandus Rex populi Israel, abscondit se. Sic, unctus in Regem, illico rediit ad greges ovium pascendos. Sic, Christus rapiendus ad Regnum fugit, qui rapiendus ad crucem, sponte obviâ ivit raptoribus.

198. *Quinta ratio est,* Agere cum abbreviatione, tum temporis, tum actionis ipsius. Habet ratio ista locum in iisdem, in quibus proxima. Quæ enim sunt illius generis, hæc, sicut ægrè sunt inchoanda, ita ægrè continuanda, ægrè ad finem, & quidem quamprimum (salvis salvandis, puta obedientia, charitate, indemnitate,) deducenda. In talibus, dum aguntur, gustus est subtrahendus, voluptas & complacentia, vel impedienda, vel retundenda ac diminuenda, vel perpetienda tantùm, & quamprimùm excutienda, juxta illum S. Aug. in cibis sumendis (& eadem servari debet in reliquis delectabilibus) regulam. Ait ille ad Deum: Hoc me docuisti, ut alimenta tanquam medicamenta sumpturus accedam. Hinc illa tædia Sanctorum super cibos, super officia honorata, & prælationes; hinc fugæ ab officiis gestis; hinc fuga in loca ignota, si quando in suis inclaruissent plus, quam vellent.

Fundamentum autem hujus totius, in his quinque modis agendi traditæ doctrinæ, est illud, quod alicubi S. Greg. observat. Docet ille; Obedientiam, aliquando debere habere aliquid de suo, hoc est, de obedientis appetitu & inclinatione; aliquando nihil omnino. Si obedienti imperentur vilificantia ipsum, molesta, ardua, laboriosa; ad hæc advolare, festinare; in his hærere, & morari sponte & libenter debet; hæc etiam ambire, ex odio sui, & studio contemnendi affligendique sui potest, immo debet. at vero si obedienti imperentur delectabilia, speciosa, grata; ab his refugere, ad hæc, ægrè, cum repugnantiâ (subjectâ tamen cui subjicienda est) accedere debet, in his affici tædio, his liberari, cupere debet, & pro suo posse curare, & cùm potest licitè, excutere ac fugere.

199. Fundamentnm hujus ipsius est, quia quæ sunt molesta & vilia, ab Amore proprio plerumque fugiuntur. ergo strenuus pugil, ut amori proprio ægrè faciat, utque seipsum vincat, ad ea festinat, eaque ambit, quæ sensui, honori, voluntati, judicio, famæ, vitæ commodis, proprioque amori sunt inimica: sic enim ab amore proprio fit remotissimus, & consequenter tutissimus, Christoque simillimus. E contra, quæ sunt mollia, grata, honorifica, placita, quæ amorem proprium pelliciunt & irritant, ad hæc ille festinat, hæc ambit. Strenuus ergo bellator, ut hîc quoque amori proprio, offam cupitam subtrahat, ab his penitus refugit, & repugnat; & nisi cogatur, vel naturæ, vel obediendi, vel Caritatis necessitate, illa ne quidem attingit, & in his coactus ac gemens hæret: hæc, quandocunque potest licitè, excutit, ut à periculo serviendi amori proprio, remotissimus sit. Inde est, quòd ad ea, quæ vel sunt inimica amori proprio, vel nihil ei commodi afferunt, vir spiritualis, & sponte & anticipatò, & libenter vadit, in iisque moras trahit, tanquam in suæ securitatis regno, ad ea verò, quæ sunt amori in deliciis, non nisi tardè, & cum morâ, atque invitus ac gemens vadit; ab his verò, tanquam ex laqueis & retibus Diaboli, libentissimus abit.

Quod autem dixi proximè de obedientiâ ex S. Gregorio, hoc ipsum dico de omni opere, quodcunque Viro spirituali agendum est, vel ingratum sensui amorique, vel gratum eidem. In illo enim multum de suo, in isto autem nihil de suo affectu & conatu debet habere, ad illud anticipate, vel in puncto saltem temporis advolare, & tardè ab eo abire debet; ad istud ægre pertrahi, ægreq; illud sustinere, & denique, cùm primùm commodè, id est licitè, potest, excutere.

INDUSTRIA XXX.

Per substitutionem voluntariam vocis, aut signi unius pro multis actionibus, copia meritorum, compendio conquiri à nobis potest.

200. EST apud Philosophos nota doctrina, Voces humanas esse signa ad placitum, quibus homines inter sese sensus animorum suorum communicant. Esse autem signum ad placitum, vel ex placito, est secundùm eosdem aliud nihil, quàm convenisse & conspirasse propriæ voluntatis libero placito homines, ut hæ tales, ex his vocibus, literis, syllabisque sic coordinatis ac cõjunctis dictiones, aut orationes, sint talium conceptuum suorum internorum, taliumque rerum, talium Voluntatum signa; ita, ut iis ab uno prolatis, ab altero autem cognitis, alter ille, cognoscat

gnoſcat ſenſum animi proferentis. Inde factum, ut v. g. hæc vox [homo] ſignificet eam rem, quæ Latinis homo, diciturque animal rationale &c, & qui audit ab alio efferri hanc vocem, homo, cognoſcit eum loqui de animali rationali.

201. Hæc porrò applicatio vocum voluntaria, & ex placito hominum profecta, ad aliquid ſignificandum, puta ad conceptus mentis, aut ad res conceptas à mente, poteſt ſervire, non tantùm vocibus atque verbis, ſed etiam aliis quibuslibet rebus ac notis, ut in communi hominum uſu facilè videre eſt. Sic enim, ut ſignificetur, in aliquâ domo venale eſſe vinum, pro foribus exponitur hedera, quæ ſignificet venale hic vinum haberi. Sic ut ſignificetur, aliquem hujus aut illius eſſe familiæ atque proſapiæ, adhibetur tanquam ſignum ſtemma gentilitium, ab illâ familiâ olim delectum, & omnibus ex eâ originem ducturis, in notam, & ſignum, & inſigne relictum. Sic ut Arithmetici deſignent multitudinum ſpeciem quamlibet, invenerunt notas, unicuique pluralitati unitatum deſignandæ ſervituras; quo fit, ut ſi unitatem deſignare velint, forment figuram. 1. Si velint deſignare unitates quatuor, forment figuram 4 &c.

Atque hic uſus ſignorum ex placito, tum notiſſimus, tum utiliſſimus eſt vitæ humanæ, adeo, ut ſine eo, nullo modo vitæ ſocialis ſtatus, inter homines conſiſtere poſſit, ut conſideranti, facile conſtare poteſt.

Cæterum hunc uſum ſignorum ex humano placito, ſive ea ſigna ſint voces, ſive res, ſive notæ aliquæ, ſive etiam actiones & opera, ſive paſſiones; poſſunt ſpirituales negotiatores meâ quidem ſententiâ ad uſum ſuum convertere, ita, ut ex eo magnam profectuum fructuumque ſpiritualium, hoc eſt, meritorum apud Deum, meſſem colligere poſſint, & quidem parvo labore, magno compendio.

202. Quod antequam exponam, revoco in memoriam lectori, hoc, quod ſuprà Induſtriâ 9. de noſtræ Voluntatis naturâ & fæcunditate expoſui, quæ tanta eſt, ut tantum poſſit, quantum ſibi imperat, immo, hoc ipſo, quòd tantùm ſibi imperet, ſeu quòd tantam ſe eſſe imperet, tanta hoc ipſo ſit. Imperium enim ejus, Volitio eſt, ſi ergo imperat ſibi ut tanta ſit, tantam ſe eſſe vult: tanta autem eſt, quantam ſe eſſe vult, ac proinde tanta eſt, quantam ſe eſſe ſibi imperat. His poſitis ac revocatis in mentem, Quoniam Voluntas, ſemper tanta eſt quanta eſſe vult, (cùm hoc illi ſit eſſe quod velle) & quoniam verba, res, actus, notæ, poſſunt eſſe ſigna earum & tantarum rerum, quantarum & quarum placet Voluntati noſtræ; igitur, ſi Voluntas noſtra delegerit ſibi vocem, rem, actionem aliquam, quæ ſit ſignum talis ſui affectûs vel tanti, à ſe eliciti aut imperati; tum quoties voluntas uſurpaverit illam vocem, illam rem, illam actionem, toties cenſebitur talem affectum atque tantum eliciuiſſe aut imperaſſe. Exemplis res fiet manifeſtior.

203. Placuit hominibus, ut genuflexio ſit ſignum ad placitum reverentiæ Dei, ſubjectionis, humiliationis, circumſtantia orationis & habitus ſupplicantis; Genuflexio nec diuturna eſſe poteſt, nec frequens, nec ubique locorum, nec quovis tempore eam fieri convenit, neque cuilibet per vires, valetudinem, ætatem licet. Placeat ergo Voluntati ambulationem Genuflexioni ſubſtituere, (aut ſtationem, aut alium quempiam actum) ita, ut ſicut quoties genu flectit coram Deo, toties honorem exhibuiſſe cenſetur, aut cenſeri vult Deo, ſic etiam quoties greſſum ſeu paſſum fecerit, cenſeatur vel cenſeri velit honorem Deo feciſſe, ſe humiliaſſe, orantis habitum induiſſe. In hoc caſu, dico, tantundem valituros & merituros Voluntati ſeu homini ſpirituali apud Deum paſſus & greſſus, quantùm genuflexiones; tantùm ambulationem, quantùm ſuper genua innixionem cæteris paribus. Ratio eſt, quia tam illi paſſus, quam iſtæ geniculationes ſunt ſigna ad placitum. ex eâdem ergo voluntate eundem valorem habebunt, &c.

204. Aliud exemplum ſit. Induit aliquis juſtus veſtem cilicinam, aut cingulum, mortificandi ſenſûs gratiâ, ſubjiciendiq; ſpiritui, aut impetrationis alicujus, in honorem, in Caritatem Dei &c. non dubium, eſſe id apud Deum meritorium. Si tamen voluntas utatur hâc Induſtriâ, & ipſa apud ſe ſtatuat, quemlibet nodum cilicii, vel acumen ſive pili ſive ferrei fili, applicare carni per ordinem cum majori fervore Caritatis, & in majorem exaltationem dignificationemque Dei, ita, ut primus nodus, primumve acumen, carnem cruciet ex Caritate voluntatis in Deum ut duo: ſecundus cruciet ex Caritatem Voluntatis in Deum ut quatuor: Tertius cruciet ſeu tertii dolorem ferat Voluntas ex Caritate in Deum ut octo: quarti dolorem ferat ex Caritate in Deũ ut ſexdecim: & ſic deinceps. (vel etiam ferat quemlibet ex majori millies-millies

fervore Caritatis in Deum) dico unumquemque nodum, unumquodque acumen, futurum signum tanti gradûs Caritatis in Deum, tantique fervoris, & dolorem seu potiùs meritum doloris, gradui Caritatis per illum dolorem vel per acumen dolorificum signati intentique responsurũ. Ratio est; Quia enim Voluntatis nostræ posse (quantùm ad actus elicitos suos spectat) est ejus velle, & velle est posse; hinc fit, ut tantus sit ejus actus elicitus, quantum est ejus velle; fit, inquam, ut tantum possit atque re ipsâ faciat, quantum vult.

205. Id ipsum facere Voluntas potest hominis, flagellationem facturi corporis sui. Designet homo velle se centum ictus sibi infligere, & velle, ut quilibet ictus sit ex majori fervore Caritatis, vel humilitatis, vel patientiæ, vel simul horum omnium profectus. Inter inflictionem ictuum, non potest homo, simul & numero ictuum, & excitationi fervoris majori majorique, ac repetitioni attendere, tum propter moram, tum propter fatigationem mentis, tum propter facilitatem erroris? statuat Voluntas, numeros ictuum, esse, & numeros fervorum repetitorum, & voces quibus numerat ictus, statuat ex suo placito, esse etiam signa excitati fervoris majoris ac majoris; Dico tantundem id valiturũ apud Deum, Voluntatique profuturum, quantùm, si ad quemlibet ictum subsistens expressim conceptis usitatis verbis, eliciat proposita majoris fervoris &c. Id ipsum facere potest Voluntas recitantis Horas Canonicas Sacerdotales, vel Horas B. Virginis minores, vel Rosarium Coronamve B. Virginis, vel alias Orationes vocales. potest enim intendere, quãlibet vel vocem vel literam, novo fervore Caritatis, Reverentiæ, Obedientiæ, Religionis, humilitatis dicere &c. Signum autem, immo etiam actum novi fervoris, eandem quamlibet vocem literamve ex placito suo designare.

206. Ex hoc ipso fundamento placitæ & Voluntariæ designationis, si quis consueverit forte, Orationes, sive à Spiritu Sancto in Scripturâ & Psalmis, sive à piis viris conscriptas recitare, quarum sensus ex communi vocum acceptione pro uno tantùm orante dirigatur, easdem pro aliis vel etiam pro totâ communitate, pro totâ Ecclesiâ, aut Republicâ dirigere, nullo verbo mutato, sed tantùm vocibus singulariter sonantibus, ex placito proprio dando significationem communem. v, g. Si quis dicere soleat Divinæ Bonitati, [æstimo te super omnia;] vel, [Miserere mei, sicut scis & vis] &c; illud [æstimo] sic velit sonare, ac si diceretur nomine totius universitatis Creaturarum, hominum, Ecclesiæ, Communitatis &c. Item illud [mei] velit sonare quasi esset dictum ore, affectu, personâ, communitatis alicujus.

Atque ita hoc voluntatis compendio, faciet ex privatâ Oratione communem, & quod privatim sibi petere solebat, petet sibi cum omnibus. Quod facere, tantò procliviùs atque efficaciùs erit Voluntati, si quis consuescat, se cum totâ, vel creaturarum, vel Ecclesiæ, vel Regni &c, communitate, quasi unum apprehendere, communionemque ac unionem cum illâ habere.

207. Simili ratione; potest Voluntas, ex suo placito, unicam vocem, aut notam, aut actionem, assumere ad significandam aliquam multitudinem, sive actuum, sive graduum, sive rerum, sive laudum, sive humiliationum in Deum, in Sanctos, &c. ita, ut quod multis verbis aut notis designare alioqui deberet, hoc unâ voce aut uno signo designet. v. g. Sacerdos facturus Sacrum, in quo aliquoties genu flectet de more, potest ex placito suo designare & deputare, quamlibet genuflexionem facere, affectu, & reverentiâ, & debito Sanctorum omnium in cœlo, omnium hominum in mundo, omnium creaturarum Dei. Sic potest quis ex Voluntate suâ statuere dicere hæc verba, [Amo te Deus meus super omnia,] decies aut centies in diem; ita, ut quælibet pronunciatio istorum verborum, & dicatur & signum sit, quòd dicatur affectu omnium creaturarum, sive numerum, sive debitum, sive conatum, sive omnes circumstantias earum spectes.

INDVSTRIA XXXI.

Omnes præteritæ Industriæ, in compendium redactæ.

208. QUia in superioribus Industriis multa sunt proposita ad faciendum viro spirituali, quæ si omnia exequi vellet, non parùm forsitan & temporis, & operæ negotiique absumerent, fortassè etiam multùm fatigarent & exhaurirent incautè utentes; ideò hâc Industriâ ostẽdo, quâ ratione supradictæ Industriæ ferè omnes, ac etiam aliæ quævis, possint à

ſpirituali negotiatore in compendium contrahi, atque compendio exerceri.

Ac primò quidem, beneficio proximè aſſignatæ Induſtriæ, id non difficulter fieri poſſet, ut conſideranti patebit; ſiquidem non eſſet difficilè Voluntati, unum aliquod verbum, aut ſignum deputare, quod quoties uſurparet, velit uſurpare, velit cenſeri uſurpare omnes ſupradictas Induſtrias, in quantum prudenter uſurpari & cadere ſub talem rationem placiti poſſunt: tamen quia hæc res aliquomodo valde confuſa eſſet, & niſi aliquid expreſſius particulariùsvé Voluntas uſurpet, tandem, etiam in oblivionem Induſtriæ prædictæ, voci uni aut ſigno incluſæ, venirent; ideo judico expedire viro ſpirituali, ut bene perſpectis ac poſſeſſis prædictis Induſtriis, eas omnes ac ſingulas, in parvam aliquā formulam colligat, quam pro arbitrio uſurpet, & uſurpando omnes Induſtrias prædictas, ac ac in compendium illud collectas, uſurpet, & uſurpare intendat.

Praxis hujuſce Compendii hæc vel ſimilis eſſe poterit.

Sanctiſſima Trinitas, te agnoſco, amo, deſidero, laudo, benedico, adoro, tibi obedio, te timeo, veneror, dignifico, & exalto ſuper omnia. Affectu tuo, Affectu Sanctiſſimæ amabiliſſimæq; IESV Chriſti humanitatis, Affectu Pretioſiſſimæ Parentis, Affectu omnium Beatorum Spirituum, affectu omnium Sanctorum atq; Sanctarum, affectu deniq; omnium creaturarum.

Per hanc Actionem N. meam, & per omnes præteritas, a *præſentes, futuras, actiones* b *paſſioneſq; meas, omnium potentiarum corporis & animæ meæ, omniumq;* c *Creaturarum mihi & communione Creationis unitarum, & affectione* c *liberæ Voluntatis atq; Caritatis erga illas, propter te Deum, meæ; inſuper* d *imperſonatarum, atq; inſubſtantiatarum. Semel* f *pro ſemper, pro totâ vitâ, proq; omnibus & ſingulis momentis vitæ ſive exiſtentiæ meæ, & omnium creaturarum.*

a Jnd: 20. b Jnd: 6. c Jnd: 7. c Jnd: 14. d Jnd: 15. e Jnd: 1[…] f Jnd: 1[…]

Majori quàm unquam hactenus fervore a *ſpiritus, millieſq; millies millies majori proportione & incremento ferventis,* b *puritatis, Charitatis, diligentiæ, ac dignificationis Tui, vilificationis autem mei.*

a Jud: 8. 9. fol. b Jnd: 1[…]

Ad purum & omnem guſtum tuum, ad nullum præmium bonumve meum: ad nullum guſtū bonumve creatum à te ſeparatum, præterquam ad eos fines, quos guſtui beneplacitoq; Voluntatis tuæ ſubordinatos, ſpecialiter, in omnibus univerſim & ſingulis ſpecifice actionibus paſſionibuſq; intendere. vel poſſum, vel ſoleo, vel debeo, vel volo, vel tu vis.

Induſt: […] Jnd: 5.

Seraphice, Mariane, Chriſtiformiter, omnitudinaliter, inceſſabiliter, hujuſq; unius præſentis actûs pro omnibus ſubſtitutivé.

Jnd: 29.

In unione meritorum (mihi appropriatorum, tibi autem Deo, Trinitati oblatorum) IESV Chriſti, Pretioſiſſimæ Parentis, Sanctorum omnium & Angelorum.

Jnd: 13. Jnd: 12.

a *Atomice,* b *Sacrificativé* c *primitialiter,* d *Heroice,* e *omnipoſſibiliter.*

Digne Te Digniſſima Trinitate Deo meo.

Quia mihi places; ut mihi placeas: ut Tibi placeam amplius & amplius & amplius.

a Jnd[…] b Jnd: […] c Jnd: […] d Jnd: […] e Jnd: […]

Hoc Induſtriarum compendio, vel ſimili, uti poterit Spiritualis negotiator; quolibet die juxta arbitrium ſuum, intendens in eo & per uſum illius, uti ſimul præcedentibus Induſtriis, quæ in hoc Compendio ſaltem voce unicâ perſtringuntur. ad quod conferet, ut jam ſuprà monui, præcedentes Induſtrias bene perſpectas atque poſſeſſas habere.

GASPA[R]

GASPARIS DRVZBICKI

SOCIETATIS JESV.

FASCICULUS EXERCITIORUM ET CONSIDERATIONUM,

De præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei & Sapientiæ.

Ad efformationem Christianæ Vitæ, consecutionem salutis Æternæ, collectus: & usui accommodatus.

JNDEX PARTIUM

PARS I.

Erga Unum & Trinum Deum.

Pars II. Erga SS. Trinitatem.

Pars III. Erga Divinam Præsentiam.

Pars IV. Erga DEUM amandum & reverendum.

Exerc: 5.

PARS XIII. Erga Cœlestem Beatitudinem.

PARS XIV. Erga Semetipsum & Notitiam sui.

PARS XV. De Contritione.

PARS XVI. De Morte.

PARS XVII. Erga Animas in Purgatorio.

PARS XVIII. De Æternitate.

EXERCITIORUM
PARS I.
Erga Unum & Trinum DEUM.

EXERCITIUM I.
Quid sit, &, quod sit DEUS.

I.

STatue te in conspectu DEI, Unius in Trinitate, Trini in Unitate. Unius in Essentiâ, Trini in Personis: Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Hic est Verus DEUS, & non apponetur alius ad eum.

2. Cogita, agnosce, confitere, DEUM esse, & cogitari, & dici, id quod Est, &, Eum qui est: & eum, quem non esse, & non existere est impossibile: Qui est Ens per omnia: Ens ante omnia: Ens sine omnibus. Ens à se ipso solo, & à nullo alio, neque cum ullo alio, nisi quod est ab ipso. Ens, ante quod nihil fuit, post quod nihil erit, quia ille semper & sine ullo fine rit, & ab illo solo erit, quidquid unquam fuit, est, erit.

3. DEUS Est. Et Ens Entium est. Ens Essentiale, Essentia Essentiarum, Essentialis Essentia, abyssus, & abyssalis Essentia, abyssus Entitatis, pura, plena, simplex una, omni-una essentia, atque Entitas.

4. DEUS est: omnia Actu: purus actus, unus actus, omnis & omnia actus. Omnis possibilitatis & potentiæ actualitas, plenusque actus, etiam omnipotentiæ, ipsissimaque omnipotentia. Pelagus Essentiæ. Entitatis Oceanus. Fontalis Entitas. Originalis Essentia, & origo omnium Essentiarum. Originem ipse nullam habens: sed origo originum omniũ ipsa existens. Ens verum, & verè plurèque Ens: nihil nihili: omnique nihilo vacuum, & impossibilitatem habens cum nihilo. Omnis omnitudo: omne omnium, totus Actus totumque actu. Potentiâ nihil, omnmia actu.

5. DEUS est hoc, quod à DEO cogitari solo potest. Nihil horum, & hujus, quod à quocunque alio, non DEO, cogitari potest. Nihil horum, sed suprà hoc iinfinities aliud, melius, plenius, dignius, perfectius, quod nos cogitamus de DEO. Totum, simplex, totum unum, totum suum, totum sibi, totum omne Esse, & essentiale, & essentialiter, & essentia esse.

6. DEUS est: & ipsum Esse est: & ipse verè, purè, plenè, essentialiter est. Nemini debet esse, nisi soli sibi: quia à se, ex se, in se, per se, apud se, solo se, est, quidquid est: quidquid autem est, omne quod esse cogitari congruit & potest; hoc verè, & actu, & reipsa, & essentiâ, essentialiterque est.

7. DEUS est: & est totum, quod DEUM esse decet: & nihil est; quod DEUM esse non decet. Omne bonum, & omnibonus, & omnia bona, & pura, putaque bonitas, & origo omnis bonitatis, & mare omnis boni. à quo, & per quem omne bonum: sine quo nihil, & nullum bonũ: extra quem nihil bonum: imò omne Nihil: & omne Malum: solumque Nihil, & solum Malum.

8. DEUS est: Ens & Essentia. Entitas & existentia. Unus & Unitas Trinus & Trinitas. Vivens & Vita. Sapiens & Sapientia. Omnipotens & Omnipotentia. Justus & Justitia. Misericors & Misericordia. Verus & Veritas. Charitas & diligens omnia. Nullius egens, continens omnia. Lux, tenebras habens latibulum suum: & tenebræ in eo non sunt ullæ. Immutabilis, mutans & firmans omnia. implens minima, excedens summa. Inferior infimis, intimior intimis, altior summis, latior latitudine, longior longitudine, abyssis profundior. ex quo omnia quæ sunt: sed coram eo quasi non sunt. cui omnia sunt, etiã quæ non sunt: quia in manu ejus sunt, perinde, ac ea, quæ de tacto ab eo creata sunt.

9. DEUS est: Verus, verè, & Veritas. Vivens & vita: Rationalis, & ratio prima, summa, omnis. Rectus, rectitudo, regula, inflexibilis, infallibilis, indeclinabilis. Huic quidquid congruit, rectum est: quidquid ab eâ declinat, rectum nõ est, nec esse potest.

10. DEUS est: Pulcher, & Pulchrum, & Pulchritudo. omnium pulchrorum fons. sine quo nihil pulchrum: à quo omne pulchrum: coram quo tamen nihil pulchrum: nisi inquantum ab eo accipit ut

pit ut

pit ut sit pulchrum: quod tamen ipsius fontali pulchritudini comparatum, non meretur esse, aut dici pulchrum.

11. Deus est: Bonus, bonum, bonitas. Faciens omnia bona, & dans omnibus bonitatem. Sine quo nulla est ullibi bonitas, bonique nihil.

12. Deus est: Amor sui & suus. Amans se, & omnia in se, ex se, propter se. Amativus, & Amabilis, & amandus absque mensurâ, absque modo, absque præmio, absque spe mercedis. Summū enim, & unicum præmium est; Amare illum: & Amor illius, tantò majorem mercedem habens, quantò magis nullam sperat.

13. Deus est: & ejus Voluntas est Potentia. Velle est posse. posse est facere: facere est Sanctum esse. Ei subest cum voluerit omnia posse. In ejus ditione cuncta sunt posita. Nec est qui possit ejus resistere voluntati.

14. Deus est: Vincens scientiam nostram. Magnus & incomprehensibilis cogitatu. Magnitudinis non habens finem: immensus & implens omnia, nusquam tamen conclusus. intra omnia, extra omnia, ultra omnia, super omnia, infra omnia.

15. Deus est: Majestas, Dignitas, Celsitudo, Claritas, Gloria. Dominatio, Potestas, Rex, & Regnum. Imperans, & Imperium. Provisor, & Pater, dans omnibus omnia. Ipse nemine indigens, nisi ad hoc, ut habeat, cui benè faciat.

Iste est DEVS meus: & exaltabo eum. iste est Deus: & hoc cogito, dum aliquid de Deo, dignum Deo cogito: quamvis ille infinities infinitè perfectius, atque dignius, quiddam est, quam quod, & quomodo ego cogito.

PRAXIS.

O DEVS, ô Divinum: ô Deitas, ô plenitudo, atq; omnitudo Deitatis. Unus, unicus, unissimus, unitrinus tamen DEVS. Non desertus solitudine, sed beatus Unitrinitate & Trini-unitate suâ DEVS. Te ipso Ens. Tua ipsius Essentia. Totus, & semper ex te, & per te, & in te, & propter te. Tu tua tibi omnia. Tu beatus, & beatitudo tua. & hac est ab æterna omnis occupatio tua, quod sis, & non esse non possis Beatitudo tua. Ob hoc te amat: hoc tibi gratulatur, ex hoc de te gaudet universa Entitas mea: quia Tu es. qu a es id quod es: quia ex te, & à te es. quia te, omni bonitate plenus es: quia perfectio tua, & dignitas, & gloria tota tibi es. quia teipso consummate beatus, completa beatitudo es. Illud te esse, & abs te esse, & æternaliter esse. Tantùm volo, tantùm amo, tantùm gaudeo, tantùm exulto, quantum prævaleo posse: quantùm dignum est, & tu donas me posse: quantum possem, si quantum tu potes, tantùm dares mihi posse: quantum & vellem, si quātùm Tu potes, ego quoque possem.

EXERCITIUM II.

Quid sit Creatura.

1. Statue tè in conspectu Dei Unius in Trinitate, & Trini in Unitate: eo modo; quo S. Franciscus solebat sese constituere, & in oratione Dei pernoctare, solicitissimâ humilitate, quæstiones has duas repetens, simulque recolens: [Quis tu? & quis ego Domine?] Quid sit Deus? jam in priore Exercitio vidisti: quomodo Nicticoraces, Noctuæ, & Talpæ Meridianū solem videre solent. Quis sis, & quid sis Tu, jam vide.

2. Quid est Creatura? quod verius, plenius, adæquatius, responderi, & affirmari potest; est Nihil: qui Creaturam esse Nihil, dixit: dixit de eâ, deque totâ ejus Entitate, atque substantiâ, totum quod revera est: revera enim Creatura Nihil est. Non ens est, non est.

3. Opposito per omnia modo se habens ad Deum. Ut enim Deus est qui est: sic Creatura est quod Non est, seu Nihil est. Ut Deus est purum, primum, solidū, verumque Ens: sic Creatura est purum, putum, ac solidum merumque Nihil. Ut Deus, est essentialis essentia, & essentialiter Ens, atque Existens: sic Creatura, essenriale, & essentialiter est Nihil, & non ens, & non est. Ut Deus, ipsi sibi est fons & origo Essendi: estque id quod est, à semet. & ex semet, & semetipso: sic Creatura ipsa sibi est fons, & origo Nihili, & non essendi: & est id quod Nō est: à semetipsâ, & ex semetipsâ, ac semetipsâ est Nihil, & Non ens. Ut Deus, est suæ omnisque Essentiæ pelagus: sic Crearura est suæ omnisque Non essentiæ, & Non entitatis & nihili pelagus. Ut Deus, quantumlibet sese exhauriat, exinaniat, & annihilet; tamen impossibile est, ut Non sit: ut Nihil sit: ut id quod Est, non sit: sic Creatura, quantumlibet entificetur, ex non esse extrahatur, in Esse perficiatur, atque compleatur, tamen impossibile est, ut Non sit Nihil: non maneatque Nihil: & non toto Nihili sui innati impetu proruat in Nihil.

4. Quemadmodum Aër iste, quo vivimus

vimus atque spiramus: etiamsi per tot jam annorum millia, singulis diebus à luce Solis, ita illuminetur, atque lumine penetretur, ut quasi ipsum lumen fiat; singulis tamen diebus, seu noctibus, ita totum lumen deperdit, adeoque sequenti mane ac die rursus illuminari indiget, ac si nunquam antea fuisset luce perfusus, aut penetratus; Ita Creatura, quantumcunque in aliquod Esse de suo Nihilo educatur, & fiat: quantumcunque perficiatur, compleaturque, quantumcunque solidetur, firmetur, corroboretur; Nunquam tamen, etiam per absolutam Omnipotentiam, ita à suo Nihilo excedit, extrahiturve, ita perficitur completurve, ita solidatur & obfirmatur, ut vel ad momentum per se in suo illo obfirmatissimo quamvis Esse, permanere possit: si Omnipotentiæ manus ab eâ recedat.

5. Quemadmodum lapis Molaris, sursum rudente appensus, impediri quidem ille potest retinaculo ne deorsum ruat: tamen ne toto suo pondere deorsum tendat, inhiberi non potest: sed omni momento, quo retinaculum fuerit amotum, deorsum præceps ruet; Ita Creatura, potest quidem conservatrice Omnipotentiâ in Esse suo conservari, ne in suum Nihilum recidat; non potest tamen præpediri, quin in suum Nihilum primævum assiduò tendat: & quin amotâ conservatrice manu, in ipso momento, esse penitus desinat: & Nihil, quod fuit, imò quod est; evadat, & existat.

6. Huic suo Nihilo Creatura debet, carentiam omnis boni: quocunque caret, omni autem caret: & impossibile est, ut non careat: nisi illud Deus, à quo est; & cujus est; & qui est, omne bonum ipsi congruum; donet: & omni quidem prorsus momento donet.

7. Eidem suo Nihilo Creatura debet, annexionem sive emanationé omnis Mali, quocunque scatet: & est impossibile ut non scateat, si sibimetipsi relinquatur. Inde Creatura, v. g. Homo, quod non sit in rerum naturâ, suo nihilo debet. quòd sit homo non Angelus, suo Nihilo debet: quod corpus habeat infirmum, fluxum, deficiens, morbis obnoxium; quòd circumscriptum certâ mole, loco, tempore, duratione vitæ brevi, & quibuscunque, aut defectibus, aut miseriis, suo Nihilo debet. quod cæcus, luscus, surdus, mancus, claudus, gibbosus, distortus sit, suo Nihilo debet. quòd talis quidem non sit, at esse potuit, esse potest, aut forsitan erit, hoc suo debet Nihilo: quòd non fuit ante natalem suum; quòd brevi non sit futurus; quòd omni momento possit non esse, suo Nihilo debet. Procedatur hunc in modum per omnes conditiones cujuscunque sive Creaturæ, sive hominis, per bona, malave Corporis, Animæ, fortunæ: per bona naturæ, gratiæ, gloriæ: per mala naturæ, per mala moralia, per mala pænæ. Si homo bona non habet; si habet sed amittere potest; sicut reverâ omni momento amittere potest; imò quantum in illo est amittere laborat; suo nihilo debet. Si homo defectus habet, qualescunque illi sint; si non quidem habet, at omni momento habere potest, quin & quantùm ex se, ad eos habendos tendit; suo id Nihilo debet. Quod autem, vel aliqua bona habeat, vel mala non habeat homo; non sibi, sed Creatori, & largitori omnium bonorum, amotori omnium malorum DEO, debet homo: & omnis alia Creatura, perinde ac homo.

8. Ex his, quæ satis modicè de Nihilo omnis Creaturæ delibata sunt, cognoscat omnis Creatura, & in specie omnis homo, quem sensuum in veritate habere debeat de se omnis Creatura: & in specie omnis homo.

PRAXIS.

Confitebor tibi Domine, Rex, & Pater cæli, & terræ: quia docuisti me Nihilum meum quod ex me ipso sum, & quod non esse non possum. Ita Pater, hoc me de me nosse, & confiteri coram te; placitum est ante te. Quia quidquid sum, quidquid possum, quidquid habeo boni, a te. ex te, per te, & per bonitatem tuam e argitricem, sum, possum, habeo: quidquid etiam mali non sum, quod tamen esse potui, aut etiam fui, id etiam ex bonitatis tuæ procuratione habeo. Quidquid autem est in me. quidquid sum, quidquid esse possum, quidquid fui imperfectionis, defectus, cæcitatis, infirmitatis, malitiæ, stultitiæ, perditionis, & omnis omnino miseriæ malignitatisque, ad omne malum conversionis, ab omni bono aversionis: totum hoc meum proprium est, mei Nihili fructus, & emanatio est. Tu nosti Domine, & ego confiteor coram te, quia sum pulvis & cinis: quia canis mortuus: quia vanitas vanitatum, & universa vanitas: quia servus inutilis, piger & malus, quia filius mortis & perditionis, quia captivus peccati & diaboli, quia filius prodigus, quia Ovis quæ periit. quia in iniquitatibus conceptus, natus, nutritus, adultus sum, & non est auxilium mihi in me. Sed tu Domine, recordare, quoniam opus manuum tuarum sum, & homo infirmus, atque exigui temporis, magis etiam exiguæ, imo nullius virtutis, pro-

tis, propterea dimitte mihi omnia delicta mea, & conserva tibi in me omnia bona mea, quia ipsa sunt dona tua. pro quibus, benedictus sis in æternum.

EXERCITIUM III.

Quid sit DEUS Creaturæ?

1. Statue te, coram Deo, in Unitate Essentiæ Trinopersonaliter, & in Trinitate personarum Uno essentialiter. Hic est Deus, Deus noster: ipse est Deus, & reget nos in sæcula.

2. Adverte: quòd quoniam Creatura ex se, & à se ipsâ, & sibi, nihil omnino sit: ideo necesse est, ut ab alio, & ex alio, & alicui, atque alicujus sit: ejus nempe, à quo habet ut sit. quemadmodum figmẽtum, quod ab alio effictum est, effictoris sui totum est, à quo habet, quod figmentum sit.

3. Creaturæ ex sese prorsus Nihil existenti, & habenti; nullum quoque jus ad hoc, ut saltem ab aliquo alio quidpiam habeat, obtinendi; Deus Creator est, non ex ullo suo ad Creaturam debito: non ex ullâ indigentiâ: quâ ipse Creaturâ opus habeat: non ex ullo merito Creaturæ apud se: non ex ullâ spe, alicujus ex Creaturâ, si creetur, emolumenti. non ex aliquâ, cujuspiam, vel minutissimæ facilitatis subministratione, à Creaturâ Deo præbitæ, ad faciendam se: non ex ullo extraneo invitatore, nõ etiam ex ullo cooperatore, ac ne desideratore quidem, sed ex merâ, unâ, solâ, Bonitatis, Benignitatisque suæ Divinæ provocatione, ac emanatione, quâ complacuit Deo, plenissimè perfecto, & beato in se, à se, egredi etiam quasi foras, extrà se, & producere Creaturas, ex puro quidem illarum nihilo; ex suæ autem Entitatis, ac Bonitatis emanatione, atque communicatione.

4. Si ergo attendatur Creatura, ut ea ex ipsâ se, & in ipsâ se est; ita illi Deus nihil est, sicut ipsa sibimet nihil est. Sed si attendatur Creatura, ut ea Creatura, & creata, aut creabilis à Deo est; ita Creaturæ jam Deus est omnia, seu est, & dat omne quidquid est, quidquid potest, habet, in omni naturâ, & Entitate suâ inque omni conditione congruenti. juxta artem sapientiamque Divinam, Naturæ, & Entitati suæ.

5. Dum itaque indagamus quid nam sit Deus creaturæ suæ; agnoscere, sentire confiteri, debemus, Deum, esse nostrum Deum, & omnia nostra, omniaque nobis. Hoc est.

A 1. Debemus Confiteri, Deum esse Creatorem & factorem nostrum, ex nihilo quidem nostri ex nostro; ex Plenitudine autem Bonitatis suæ, per Sapientiam, & Omnipotentiam suam, hoc nos fecisse, quod sumus, & quod illi placuit de nobis, ut essemus. Nemo enim nostrũ addidit sibi, vel atomum sui de suo sed omnis substantia, & sufficientia nostra ex Deo est.

2. Debemus confiteri, Deum esse nostrum absolutum Principem, Regem, Dominum, Possessorem, Gubernatorem, Cõservatorem. dantem nobis esse, vitam, motum, & inspirationem, & intellectum, B & voluntatem, & libertatem, & memoriam, & prorsus omnia, sive Animæ, sive Corporis, sive quæ ad hæc sunt idonea.

3. Debemus confiteri, Deum esse & fontem & largitorem nobis, nostri Esse omnis. Nihilque in nobis esse, aut esse posse proprium nostrum, sed omnia sicut ex Deo, & à Deo gratuito largitore, ita etiam esse omnia Divina, & Divinæ illius, sicut donationis, & conservationis, sic etiam possessionis & dominationis.

4. Debemus confiteri, Deum esse nobis fontem essendi, lumen seu veritatem noscendi, regulam agendi, centrum ten-C dendi, bonum appetendi, mensuram volendi, finem quiescendi, materiam laudandi, bravium acquirendi, mercedem laborandi, vitam vivendi, beatitudinem amandi, possidendi, atque fruendi.

5. Debemus confiteri, Deum, esse nobis Creatorem creaturis. Dominum servis. Herum mancipiis. Regem subditis. Pastorem jumentis. Imperatorẽ militibus. Patrem filiis. Magistrum discipulis. Nutritorem lactentibus. Tutorẽ pupillis. Medicum infirmis. Sponsum sponsis. Pastorem Oviculis. Judicem D reis. Creditorem debitoribus. Retributorem merentibus. Redemptorem seu Salvatorem perditis. Sanctificatorem, justificatoremque impiis. Divitem pauperculis. Beatificatorem miseris. denique Deum universis, & Omnibus, singulisq; Omnia.

Ecce hoc est Deus creaturæ. Hoc sciat Creatura de Deo, hoc confiteatur Deo. hoc amet in Deo. hoc veneretur, hoc exaltet, hoc laudet in Deo. propter hoc observet, sequatur, obediat, subjiciatur Deo. inhæreat & adhæreat Deo. & nec ad momentum declinet, separe-

tur, discordet ab ipso. bonum atque Optimum ei sit, subditam per omnia se esse ei, à quo accepit, & semper accipit se quod sit. illi vivat, in cujus voluntate, omnis, & omnium vita est. illum amet ac laudet, ac honoret quem amando, laudando, honorando, beata sit.

PRAXIS.

Diligam te Domine, quoniam DEUS meus es, & factus es mihi in omnia, & bonorum meorum non eges, quæ nulla in me invenis præter ea quæ ipso in me facis. Exaltabo te Domine, quoniam creasti me, & suscepisti me, & de nihilo meo, de Bono autem tuo, formasti atq; eduxisti me. propter quod, tua sunt omnia, & non est alius præter Te, qui benefacis eis, & nutricante Gratiâ tuâ foves, & servas universa, implens singula bonitatis tuæ benedictione. Ideo benedico te cum omnibus, pro omnibus, & ipsismet omnibus creaturis tuis. Audite hoc omnes Creaturæ quas fecit Dominus; & auribus percipite omnes qui habitatis Orbem, quique terrigenæ & quique Caligenæ, filii hominum, & populi Angelorum, simul in unum, omnis Congregatio Creaturarum. Confitemini Domino, quoniam bonus, & dives in omnes: quoniam dat omnibus affluenter, & in sæculum misericordia ejus.

EXERCITIUM IV.

Quid sit Creatura DEO?

1. Statue te coram Uni-trino Deo, Patre, Filio, Spiritu Sancto; qui est Deus benedictus, & laudabilis, & superexaltatus in sæcula.

2. Adverte, quid huic Deo, atque coram ipso, sit omnis Creatura? Et quidē si spectetur Creatura prout ipsa ex se, & in se, suisque propriis principiis, sive dotibus est; Manifestum est, illam, sicut ipsa, ex ipsâ, est sibimet omnino Nihil, & Nihil, ita quoque Deo eandem Creaturam esse prorsus Nihil, per omnia Nihil, ad omnia Nihil, ex toto Nihil. Si enim (ut vulgò dicitur) qui sibi nequam est, alteri bonus esse non potest; quantò magis, id quod sibi, & in seipso Nihil est, alteri aliquid esse minimè poterit. Creatura ergo Deo nihil est, nisi Nihil. & quidquid post se trahit, seu, quidquid in se involvit Nihil.

3. Nihil, involvit in se, trahit post se, habet in se omnem inanitatem, vanitatem, nihilitatem, defectuositatem, infirmitatem, impotentiam, inconstantiam, mutabilitatem.

4. Ex Nihilo manat, Nox, & tenebræ, cæcitas & ignoratio, imprudentia, inscitia, error, & præcipitatio & temeritas, & amentia, & omnis Miseria.

A 5. Ex Nihilo prodit, omnis Malitia, nequitia, improbitas, impietas, injustitia, omnis noxa, & injuriositas, omne peccatum, & crimen, & scelesta ac propudiosa, irrequietaque malignitas, perversitas, cupiditasque infrenis. obstinatio quoque, & obduratio, & obcæcatio, & impœnitentia, tarditas, negligentia, incorrigibilitas, ac æternum malum.

6. Ad Nihilum consequitur, mendicitas & pauperies, egestas, ac nuditas omnis. Confusio, probrum, pudor, inexcusabilitas, odibilitas, & execrabilitas. Nausea, fæditas, sordities, abominabilitas, turpitudo.

B 7. Ex Nihilo est, Mortalitas, & Mors, & perpetuus ad defectionem, interitumque conatus, & labor. Perditionis quoque omnis necessitas, ac ipsa perditio, omnisque illam evadendi impossibilitas.

8. A Nihilo est, Indigentia omnis, & omnium, nunquam, etiam per absolutam Dei potentiam explenda. vacuitas abyssalis. impossibilitas omnis boni. nullius mali impossibilitas. Unde illud, Non est peccatum quod fecit unus homo, quod non possit facere alter homo; dici etiam pariter potest; Non est calamitas, quam subiit aliquis homo, quam non possit subire & alter homo. Propterea & illud C rectè dictum est. Homo sum, humani à me nihil alienum puto. dixisset pleniùs. Nihil sum, Nihil à me, nihil alienum puto.

9. Ista sunt, & aliæ præterea captui humano non capiendæ, Nihili, infelicissimæ opes, ac dotes. Cum quibus sese Creatura quælibet offert, repræsentatq; Deo, quando sese in suis propriis repræsentat. Jam quid eadem omnis Creatura, Deo, & coram Deo, quatenus est creata D ab ipso, & habet sese ab illo datam, donatamque sibi; & absque ullâ intermissione hanc sui donationem accipientem perenniter ab ipso; paucis saltem perstringamus, perpendamus verò non paucis.

10. Creatura ergo prout à Deo est, est coram ipso, atque coram oculis ejus, & in Comparatione Majestatis & omnipotentiæ ejus, omnino quasi nihil, & suâ existentiâ ac Entitate addens illi Nihil. Unde illa Davidica Vox; omnis totiusque Creaturæ etiam Universim sumptæ, est Vox ad Deum; *Notum fac mihi Domine finem*

Psal. 38. 5. *finem meum: & numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam Nihilum ante te. verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* (omnis creatura existens.) O David sapientissime, tu substantiam tuam coram Deo, agnoscis esse tanquam Nihilum: fateris esse universam Vanitatem: & insuper scire quæris: quid desit tibi? Desunt omnia ô Sancte. desunt omnia, quia & omnia, quæ tua sunt, & quæ tu es, aliena sunt, non tua: & hæc ipsa sunt tanquam Nihilum coram DEO & insuper, sunt universa Vanitas omnia in seipsis.

11. Creatura, Deo, & coram Deo, est tota, & totaliter, atque omnimodè pleno jure Dei: nec potest ullo modo, vel per se, vel quem alium, vel etiam per ipsum Deum, ab hoc jure possessionis, subjectionisque Divinæ absolvi, aut subduci. cùm planè impossibile sit, Creaturam esse, Divini autem juris eam non esse. Proinde tam frustra, quàm nequiter, ac impiè, dicit Creatura DEO: Nescio Dominum. Non serviam. Nam volens nolens, & habet Dominum: & servit: etiam dum non servit: hoc est, dum servire refugit: sed servit ad supplicium nō ad prœmium: quia servit ad odium, non ad gratiam: & rebellione, pervicacique suâ inobedientiâ, recedit à Deo placato, accedit autem ad DEUM iratum: excidit & excedit e manibus DEI tenentis, ac protegentis: incidit autem in manus DEI rejicientis, atque dispergentis.

12. Creatura Deo, & coram Deo, sive immensitati magnitudinis Dei composita, omnis, atque simul sumpta, & in omnem possibilem perducta, seu molis seu perfectionis magnitudinem, atomi unius portionem, proportionemq; non æquat. Hoc sibi volunt illæ scripturarum exaggerationes. v. g, *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi Nihilum, ac inane reputatæ sunt ei.* rursumque alio loco. *Multum valere, tibi soli superat semper:* (Domine,) *& Virtuti brachii tui quis resistet! Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante Te orbis terrarum: & tanquam gutta roris antelucani. quæ descendit in terram.* Si velit quis holocaustum offerre Deo: huic teste Isaiâ, *Et Libanus non sufficiet ad succendendum: & animalia ejus non sufficient ad holocaustum.* Si Universitas Creaturarum, convertat se totam in Vocem, clamantem Deo, Sanctus, Sanctus, sic erit omnis vociferatio ejus in auribus DEI, sicut folioli crepitantis in vastissimo nemore.

Isa: 40. 15. — Sap: 11. 22. — Isa: 40. 16.

13. Omnis Creaturæ, duæ sunt coram Deo filiæ, tanquam sanguisugæ, semper dicentes, Affer, Affer. Una est Natura, altera Gratia. sive Indigentia Naturæ & Indigentia Gratiæ: (in creatura Rationali:) hæc enim duplicia bona, omni momento potest amittere creatura, & sibi à DEO perenni influxu suppeditari, & quasi assiduè de novo & novo conferri, conservarique totalissimè indiget. Unde omnis Creatura perinde est DEO, atque tenellus quidam infantulus lactens, indigens perpetim ad ubera DEI pendere: omnemque succum cujuscunque substantiæ, in quocunque sit statu, Essentiævè, ac perfectionis gradu, trahere, & sugere. Alioqui, quomodo posset aliquid permanere, nisi Tu Domine voluisses? aut quod à Te vocatum non esset, conservaretur? Propterea meritò, & debitè, Gratia DEI, tam Naturalis, quàm supernaturalis ordinis, *Nutrix omnium appellatur à Sapiente.* Sap: 16.

14. Omnis Creatura coram Deo, est unius ejusdemque pretii, æstimationis, utilitatis, necessitatisve. Tanti apud Deum est, & Deo est, unus terræ pulvis, quanti supremus Angelus: tanti mundus universus, quanti, unus vilissimus vermiculus. Omnibus Creaturis dicit DEUS: *Non estis mihi necessariæ.* omnes illi dicunt: *Servi inutiles sumus.* Pulvis, & Cinis sumus. Ideo omni Creaturæ dicitur. *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Eidem quoque dicitur. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Deus enim pusillum & magnum fecit:* nec plus ei necessarius, aut utilis est magnus, quam parvus, imò & quàm nullus. Quia illi tam facilè est facere totum Universū, quàm unicam atomum. Ea propter dictitabat sapientissimè, plenus Deo, Franciscus. *Tantùm quisq; est, quantùm apud Deum est, & non plus. Ergo non glorietur ulla Creatura Sapiens in sapientiâ suâ, & non glorietur fortis in fortitudine suâ, & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur; scire, & nosse me, quia ego sum Dominus: qui facio Misericordiam, & Iudicium, & Iustitiam in terrâ. Hæc enim placent mihi* dicit Dominus.

Luc: 17. 10. — 1. Cor: 4. 7. — Eccl. 3. 20. — Jer: 9. 23. — Jer: 9. 24.

15. Ecce hoc Deo, & coram Deo est omnis Creatura. quod diu noctuque meditari, dixi, Sapientiam: & semper cogitare, intelligētiam. In hujusmodi verbis, Prudentia est: & ista scientia Timorem Dei docet, & largitur scientibus Vitam

tam Æternam.

PRAXIS.

Domine, mirabilis mihi facta est Scientia tua ex me, & mea quoq; ex te. exaltata est, & non possum, neq; unquam satis potero ad eam. Quis Tu? & quis ego? quis Tu mihi? & quis ego Tibi? elongatum est utrumque hoc nimis à me. Tu quidem mihi DEVS meus es, & omnia: Ego autem tibi quid sim plane nescio. sed tantùm quod Nihil tibi sim, scio. DEVS meus es Tu: & bonorum meorum non eges: tum quia nulla mihi sunt ex me, qui ex me Nihil sum: tum quia omnia quæ ex te sum, tua sunt magis quàm mea: & quia hæc ipsa tibi comparata, nihil sunt coram te, & apud te omnia. O quem Te Domine, quem me appellem! Vocabo te Magnum? major es omni magnitudine: & magnitudinis tuæ non est finis. Vocabo te omne bonum, & omnibonum? sed tu es bonum super omne bonum, & bonitas omni bonitate melior. Vocabo te Pelagus Essentiæ: quia omnem Essentiarum plenitudinem, in te habes, & ex te possides, & à Te dimanare absq; diminutione facis? at tu, Essentia superessentialis es, omni essentiâ, quam Creaturâ cogitare potest, essentialior, ac superessentialior. Me verò quid esse dicã? Nullum Nomen quo me appellem, & confitear, reperio: nisi ut me Nihil, nihil, & Nihil, & Universam vanitatem, & Vanitatem vanitatum, universamq; nihilitudinem profitear: atq; per omnem super essentialis essentiæ tuæ infinitam immensamq; vastitatem pronuntiem, & proclamem. Esse meũ nihil est. Essentia mea nihil. Origo mea nihil. Patria & patrimonium meum nihil. divitiæ meæ nihil. posse meum nihil. deniq; omnia mea, nihil, & peccatum, & perditio æterna, quam parturit ex suis visceribus nihil: cum omni cogitabili, atq; possibili, miseriarum, malorumq; multitudine: cujus mare, & abyssus est, nihil.

EXERCITIUM V.

Quid DEVS debet Creaturæ?

1. Statue te in conspectu Domini Dei tui, in Essentiâ unius, in Personis Trini. Hic est verus Deus: & post illũ non est Deus: sicut & ante illum non est Deus.

2. Debeatné? & quidnam debeat Creaturæ, sive omni, sive alicui, iste Deus? expendere, & pervidere diligenter debet omnis Creatura.

3. Et hoc quidem, in considerationem venire potest, imò & debet multipliciter. Vel enim cogitatur Deus creaturæ debitor, ut illâ est ex ipsâ se: vel ut est ex Deo ipso. Deinde etiam, vel cogitatur Deus debitor Creaturæ absolutâ debendi ratione; vel, ex alicujus conditionis Deo alicunde impositæ; suppositione.

4. Ut Creatura est, spectaturque ut est ex ipsâ se; sic spectatæ Creaturæ, Deus nullâ penitus ratione quidquam, sed solum nihil debet: & quidquid nihil, suâ ex naturâ conditionéque exigit.

5. Quia enim nihil; est nihil; & nihilo, nihil est vilius, atque contemptibiliùs; ideo omni Creaturæ; ob suum, ex quo est, & quod est, & quod in se habet nihil; debetur à Deo contemptus, abjectio, & neglectus, ac derelictio in suo nativo nihilo, innatáque vilitate.

6. Quia nihil (quod creatura ex se ipsâ est) exigit esse de ipso se miserrimum, defectuosissimum, omni ærumnâ & infirmitate, atque fragilitate scaturientissimum: ideo Creaturæ, ob istud suum nihil, à Deo debetur pariter abjectio, nullaque cura seu reputatio.

7. Quia nihil, (quod Creatura, ex ipsâ se est) exigit esse Malum, perversumque, omnis malitiæ, nequitiæ, scelerositatisque plenissimum, ac feracissimum: ob quod est omnis creatura peccans, & peccatrix, tam in genere Physicæ Entitatis, ut Creatura irrationalis; quàm in genere moralis rectitudinis, entitatisque ut creatura Rationalis; ideo Creaturæ debetur à Deo, ob suum istud nihil, abyssaliter malum, omnisque malignitatis abyssum; odium, & ira, & furor, & supplicium, & perditio, & oblivio, ac derelictio, atque planè sepultura in perditione, & punitione æternâ.

8. Quia nihil, quod Creatura ex se ipsâ sibi est;) exigit carentiam omnis boni, tam in genere Entis, quam Moris; imò exigit repugnantiam, & exclusionẽ, & impossibilitatem, quantùm quidem ex se, cum omni bono; & cum perventione ad illud, perdurationeq; in ipso: exigit potius perpetuam tendentiam, & præcipitationem ad amittendum omne bonum: & ad recidendum in omne nihil, malum: estque hæc præcipitatio vehementior, omni qui potest cogitari impetu, omnium montium, rupiumve deorsum ex alto ruentium, omnium fulminum ex nubibus erumpentium, omnis velocitatis in cursu suo Solis aut tẽporis. adeo ut istam Creaturæ in nihilum, & malum præcipitationem, ejusque violentiam, sola & una Dei omnipotentia, atque omnipotentissima in Conservatione virtus, su-

tus, superare possit, atque superet: propterea creaturæ ob hoc suum nihil; à Deo debetur perennis desertio, & in nihilitudinis abyssalitatibus derelictio; Nisi Deum, ad suæ Entitatis Bonitatisque communicationem, ipsi Creaturæ profundendam, sponte suâ inducat, ipsius incontinentissima Bonitas.

9. Hæc sunt quæ Deus debet Creaturæ, secundùm quod ipsa ex se sibi est, spectatæ. Jam verò quid debeat Creaturæ eidem, consideratæ ut ex Deo, & à Deo est, seseque ex ejus munere gratuitò habet, advertendum est.

10. Et primò quidem, erga Creaturam ut illa à Deo est; absolutum debitum nullum in Deo est: nullum esse potest. sed sicut ad Creandam, ex nihiloque in Esse producendam creaturam, nullo debito absoluto, absoluteve obligatur Deus: ita etiam Creaturæ jam conditæ, & ex nihilo eductæ nihil eidem debet absolutè: quia illam, conditam licet, potest, tam primo, quàm omni sequenti Creationem instanti, annihilare, ita, ut ultrà Creationis suæ instans non duret. Sicut enim Creatura, ut à Deo esset, exigere non poterat. ita ut in Esse perduret exigere non potest. Sed quomodo potentiæ Creatoris Dei obniti nullo modo poterat, ne Crearetur, & ex nihilo ad Esse prodiret: sic eidem potentiæ obniti nullatenus potest, ne ab Esse ad nihilum recidat: quocunque momento voluerit eam recidere Deus.

11. Quodsi Deus Creaturæ, nec primæ Creationis, nec sequentis Creationem conservationis debitor est; consequenter, nullius alterius rei debitor absolutè eidem est, esseve potest. Solùm ergo Deus Creaturæ suæ debitor, vel est, vel esse potest, ex suppositione alicujus, vel aliquarum conditionum: à suâ tamen tantùm solius voluntate inductarum: idque nihilominus ita, ut has ipsas conditiones abolere, debitaque conditionibus inducta extinguere, semper quandocunque libuerit; absolutè in ejus irrefragabili potestate voluntatis sit.

1. Itaque supposito; quòd Deus creaturas velit in rerum Naturâ esse: debet illis dare Esse, & facere ut sint; impossibile est enim eas existere, nisi Deus faciat: sicut & impossibile est easdem non existere, si Deus faciat, seu velit illas esse. Velle enim Dei, est ipsius posse: atque facere.

2. Supposito; quòd Deus Creaturas velit esse, & perdurare in suâ existentiâ, debet illis conservationem. debet inquã illis, illum ipsum vivacem, efficacemque influxum suum continuum, continuatumque, quo illas primitùs è Nihilo produxit: aliàs enim hoc subtracto ipsis, illico illæ ad Nihilum suum revolverentur.

3. Supposito; quòd Deus velit Creaturas conservare in datâ illis semel à se existentiâ; debet illis perpetuam suæ Sapientiæ cognitionisque præsentiam: debet quoque suæ potentiæ cooperationem. sicut enim primò esse Creaturæ non possunt, nisi dante illud eis Omnipotentiâ: sic nec ullam virtutem efficiendi, ac operandi potentiam, ipsamque actualem operationem ullam habere possunt, sine auxilio, concursuque ejusdem omnipotentiæ: sed illa debet concurrere, cooperarique cum ipsis, ad omnem illarum actionem: tanquam prima Causa.

4. Supposito etiam, quòd Deus velit Creaturas conservare in Esse, & in consequentibus ad Esse, debet illis Gubernationem, atque Dominium, seu possessionem: Non enim eas conservare potest, nisi earum Dominus & possessor, & gubernator absolutus sit: à quo Dominio & regimine absolvere illas, suique juris facere, & seipsum jure in eas privare, etiam ipse ille non potest: usque adeo Essentialiter omnis Creatura Deo subest: ut impossibile sit eam esse, & non subesse: sed eo ipso quo est, subest. ubicunque est, ibi subest. quamdiu est, tamdiu subest. Ut quid ergo, insipiens & infelix Creatura, & ea quidem rationalis, renuit subesse Deo? cùm ei tam bonum (imò melius) sit subesse, quàm esse. & longè melius sit Non esse, quàm non subesse? Debet ergo Deus Creaturæ suæ omni, dominium & possessionem: supposito quòd illi det conservationem.

5. Supposito; quòd Deus Creaturæ sit proprius, essentialis, & absolutus Dominus, ac possessor, uti reverâ est, jure (ut attigi) Essentiali, sive Essentialiter inexistente Creaturæ, jure Creationis à Deo ex non esse, & ex nihilo ejus; Jure deinde Conservationis quidẽ omni momentaneæ, conservationis ejusmodi, quâ creatura, tam accipit totum suũ esse, omni durationis suæ & tempore, & temporis instanti, quàm illud totum accipit primo, suæ ex nihilo eductionis momento, conservationis denique ejusmodi, ob quam, & per quam, Creatura, perpetuò, & semper, & in omnibus, dependet plenè, ac essentialiter à Deo, ejusque potestate; eo, imo magis essentiali) modo,

quo dependet splendor à lumine, visio ab oculo vidente, volitio à voluntate, intellectio seu cogitatio ab intellectu, animáve cogitante, tempus à motu. Hoc ergo supposito, Dei in Creaturam essentiali, Professionis seu Proprietatis Dominiique jure: debet Deus Creaturæ, hujus potestatis, dominatusque in eam sui, circa eam exercitium.

6. Et quidem propter Possessionem ac proprietatem, debet Creaturæ Amorem, Beneficentiam, Auxilium, Protectionem, Moralem & omnem penitùs congruam cujusque conditioni providentiam, subministrando cuique virtutem, & conservandi se, & operandi juxta potentias sibi inditas, & conjungendi se similibus, & tuendi à noxiis, & deveniendi ad suum finem, sibi a Naturâ & amore ipso Naturæ præscriptum, præfinitumque: demum reducendi, ad finem hunc, si ab eo aberret.

7. Jam verò propter Dominium, potestatemque Gubernativam: debet Deus Creaturæ gubernationem illius. Cujus munera, & opera sunt: Præcipere, seu præcepta imponere Creaturæ, ad hoc, vel illud faciendum. Prohibere etiam, ne hoc vel illud Creatura faciat. Permittere etiam, sive concedere Creaturæ, ut hoc, illudvè, facere possit vel licitè, vel saltem impune. Punire quoque Creaturam, si contra præceptum, prohibitionemvè aliquid exerret, committatvè: omnis enim præcepti legitimi transgressio habet culpam: omnis autem culpa habet pedisequâ suam pœnam. quâ subditus Domini, vel absterretur ne culpæ malum admittat: vel si illud admisit, læsus ordo rectitudinis ac justitiæ, sive debitæ subjectionis ad Domini legem Voluntatemque restauratur. Præmiare demum, seu præmio afficere benè operantem, sive benè subditam, seque ad Dei Domini Voluntatem modo debito gerentem: dando Creaturæ, pro Virtutis, honesti ac Rectitudinis, sive Justitiæ ac suæ Voluntatis placito, amato, exercito, servatoque bono; bonum jucundum: quo Creatura, tum inducatur ad Honestè, justeque, juxta Dei Voluntatem operandum: tum, si jam operata sit, debitè, justè, jucundeque præmietur. Cujus præmiationis, sicut & punitionis, definitio, atque taxatio, penes Voluntatem DEI est.

8. Atque ab hac Dei, respectu Creaturæ tam Proprietatis, quàm Dominii gubernationisque ac jurisdictionis potestate, nulla penitùs eximitur Creatura rationalis, sensibilis, inanimata: cujuscunque conditionis, autoritatis, potestatisvè sit. similiter ubicunque locorum, in cœlo, terrâ, mari, inferis sit. Item quocunque tempore, ætate, seculo existat. Ideo enim DEUS, *Rex seculorum, Rex Regum, Dominus dominantium, Solus Dominus, solus potens, Dominus universorum* dicitur. Solus esse is, *qui postquam occiderit corpus, habet potestatem etiam Animam mittere in Gehennam.* Solus ipse *facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos ignem urentem.*

Apoc: 1. *Luc: 12.* *Ps: 103.*

9. Adhuc autem, supposito, quòd Deus Creaturam ordinaverit, sicut defacto revera ordinavit Angelos & Homines ad se, tanquam ad finem, bonumque summum, ac ultimum; nec solum Naturalem, sed etiam Supernaturalem; debet Creaturæ sic ordinatæ, providere de mediis ad finem ejusmodi necessariis, juxta sapientissimam, potentissimam, piissimamque suam voluntatem. Atque sanè est debitum, inter alia, omnis gratiæ supernaturalis auxiliantis, sive actualis: gratiæ quoque Filiationis Dei, & sanctificantis: tum etiam Virtutum, ac Bonorum Dei supernaturalium, gratiosam Deo Creaturam facientium: atque etiam collatio luminis gloriæ ad fruendum, intuendumque Deum necessarium: in quâ re possessio finis ultimi summique boni consistit.

10. Denique: si Deus Creaturam, à suâ Sanctissima lege, per liberum suum arbitrium, à recto in pravum conversam, desciscentemque, (ut est omnis Creatura rationalis convertibilis, & peccabilis, inconstans de semetipsa, etiam remota extrinsecâ tentatione ad malum;) si, inquam, Creaturam collapsam, velit, statuatque reparare, & ad finem ultimum ex quo exciderit rursus revocare; debet Creaturæ beneficium Salvationis, quo & eruatur à malis, in quæ prolapsa est, & à quibus, nullis, neque suis, neque alienis creatis, præterquam solius Dei miserentis, viribus erui potest; & restituatur ad bona quibus excidit: & ad quæ item, nonnisi, solius Dei ope, ac miseratione restitui valet.

11. Sic Homo, libero suo arbitrio abusus, & à Deo, ejusque lege, ac obedientiâ aversus, triplex malum incurrit, 1. Malum culpæ, quæ est peccatum, seu prævaricatio legis, & læsio dignitatis Divinæ. 2. Malum servitutis atque captivitatis diabolicæ, cui quia plùs consensit quàm Deo, ideo in servum traditus est à Deo; ut à quo quis superatus sit, ejus etiam servus sit.

vus sit. utque is qui, legitimo Domino Deo servire contempsit; illegitimo & violento Tyranno subsit. 3. Malum denique Mortis tàm corporalis, quàm spiritualis, quàm æternæ ad pœnas inferni damnationis.

12. Idem Homo, eodem libertatis suæ contra Dei voluntatem & Honorem abusu, amisit bonum. 1. Justitiæ ac Innocentiæ atque Sanctitatis. 2. Gratiæ sanctificantis, ac Filiationis Dei. 3. Adeptionis, possessionisque finis ultimi summique Boni, nimirum Dei & beatitudinis æternæ.

13. Ab his malis erui hominem, atque ad hæc bona restitui, si Deus voluit; beneficium ei salvationis impendere debuit. & quia de facto restituere perditum hominem illi complacuit; de facto etiam Homini beneficium salvationis impendit. Et impendit ex merâ suâ, gratuitâque, miseratione, atque charitate: Impendit autem tale, quale nec in cogitationem, nec in spem, nec in desiderium, nec in meritum ullius, sive Hominis, sive Creaturæ cujuscunque cadere potuit. Sed solus Deus sic dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut Mundus salvaretur per ipsum. Quod beneficium, Redemptionem vocamus. de quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis: sed non hujus loci: & cujus hic istam mentionem fecisse satis sit. sed considerationem, sed æstimationem, sed gratitudinem, sed usum, fructumque ejus apud omnes nos, immensum, interminatum, incessabilemque esse opus est.

Et hactenus, quid Deus creaturæ debeat; consideratum esto.

PRAXIS.

Domine, Dominus, & DEUS noster, quid dicam omnibus fratribus meis Creatis: quid dicam & ipsi Tibi de Te? audebitne Cor meum, & os meum eructare hoc verbum de Te, & ad Te: quia Tu debitor es Creaturis tuis? Et quis quæso habet quidquam non tuum? Quis obsecro prior dedit tibi. ut Tu restituas ei? Et quis est omnis rei Pater? aut de cujus utero egressa est universa Creatura? Nonne pusillum, & magnum, unus, idemque tu fecisti? Nonne omnes nos populus tuus, & opera manuum tuarum: & oves pascuæ tuæ, manusque tuæ? Nonne omnes, quicunque sumus, & quidquid sumus, tibi debemus! & te Creditorem habemus? Et quomodo jam nos Te debitorem habemus, qui omnes non tantum debitores tui, verùm etiam debitum tuum sumus? Quid enim tam meum, quàm mihi Ego? & quid tam non meum, quàm ego, si alterius sum, quidquid sum? Et tamen, ô Domine, ita est, & fieri taliter necesse est: ut Tu sis Debitor noster, & à te debeantur nobis omnia, sicut & à te dantur nobis omnia. Nihil quidem donare nobis debes: qui quidquid donas Voluntate donas: non debito: quia tamen dedisti; donando, te debitorem fecisti: atque ut debitor fieres, donatorem te esse voluisti. Si volueras non esse debitor, donator nec esse, nec velle esse debueras. Quis Pater nō debet filiis? quis Pastor non debet oviculis? quæ Mater non debet infantulis? quis medicus non debet infirmis? quis dives non debet mendiculis? quis tutor non debet pupillis? Et tu Domine quid horum nobis non es: qui nos creas, qui conservas, qui gubernas, qui nos possides, qui nos redimis, qui salvas, qui ultimus finis, & summum bonum, & Vita æterna nobis es? Desine hoc esse, & desinis debitor esse: sed simul etiam dimittis nos in nostrum non esse. Habemus ergo Te Domine debitorem: & amamus, & gaudemus, & gratias agimus, & à te debita nostra exigimus, atq; recipimus; recipiendo autem; tibi debitores nos constituimus, & confitemur. Hoc est enim arcanum grande pietatis circa nos tuæ, quod exhibendo nobis debita, Creditor fias: & nos, recipiendo à te debita, reddamur tui debitores.

EXERCITIUM VI.

Quid Creatura debeat DEO?

1. Statue te coram Deo in Essentiâ Uno, in Personis Trino, qui solus habet immortalitatem, solus est Potens, solus Magnus, solus vivens in sæcula sæculorum.

2. Recognosce, te opus manuum Dei esse, facturam, & Creaturam ejus: & simul recognosce debitum, obligationemque tuam: (est autem eadem omnis creaturæ reliquæ conditio:) quâ obnoxius es essentialiter, & irrefragabiliter Deo.

Si enim factura factori, opus artifici, figmentum figulo, & omnis effectus causæ, in quantum talis est, debitor ejus est; cum tamen creati artifices, creatæq; causæ, neque dent, neque dare possint, totū esse suis effectibus, aut operibus: sed ipsi effectus aliquam partem sui offerunt artifici ad se faciendum: quomodo ligna veniunt ædificatori domûs ad manus: & figulus ex argillâ præparatâ fingit figmētum suum: ut proinde non tota Entitas figmenti, à figulo, nec tota substantia domus ab ædificatore proveniat: quantò magis factura Dei quæcunque, à Deo facta ex Nihilo subjecti, totumque suum esse, & quidquid consequenter venit ad

Esse,

Esse, sortita; sortiensque idem, per omnia existentiæ suæ momenta; quantò (inquam) magis tota factura, & Creatura Dei, obligata erit debitis, Deo: totaq; erit plenū & irrecusabile debitum Dei: à quo ita se nunquam expedire, sicut se à suo etiam Esse, exuere nunquam, possit.

Es igitur (ô Homo) debitor Dei: & debes illi Primò; Temetipsum: & omnia quæcunque in te sunt. ita ut tu totus, sis totum, plenum, sincerumque Dei debitum. Sicut enim nihil omnino es, nisi quod à Deo es, ita etiam totum Deo debes, quod ab eo es: & quia ab eo es: Et quia, non solùm te Creavit; sed etiam in eo, quod te Creando fecit, conservat; & quasi continuò te de novo creat, teque tibi per omnia momenta dat & donat; etiam hoc nomine illi debes te, & tua omnia.

Rursum: quoniam Deus ob creationem & conservationem tui prædictam, est Essentialiter Dominus, Possessorque, plenam tui Proprietatem habens, ideo etiam illi totalis debitor es. Jam quia Deus, tuus est Rex, gubernatorque: dirigens te, ac vivendi, agendique Normam præscribens, cujus præscriptis stare per omnia obligaris; & stare sic, est salus, sanctitas, Justitia, virtus, rectitudo, meritumque tuum totum; ob hoc etiam debitor Deo es universorum.

Insuper: quoniam Deus, te lapsum in omnem cogitabilem miseriam, ex merâ suâ bonitate, & miseratione, in statum è quo excideras restituit: & tam sumptuoso modo (qualis est Filii Dei unigeniti Incarnatio, Vita, Passio, Mors, & universa Christi Oeconomia, atque Gratia, Lex, Doctrina, Meritorumque inexhausta congeries) restituit: hoc etiam nomine, sicut specialiter totus Dei es, sic & specialiter Debitor Dei es.

Denique ex eo; quia Deus, ultimus finis tuus est. summumque & omne bonū tuum, à quo totus pendes, & ad quod totis viribus tuis conniti debes, ex eo (inquam) Dei totus es: & esse debes: & debitum ejus totus es: & omnium illi debitor es.

In particulari autem, etsi strictim debita Hominis ad Deum enarrando; hæc pauca de multis, imò de infinitis sunt;

1. Debes ô Homo Deo tuo Agnitionem, tam per naturale intellectûs lumen, quàm per supernaturalem fidei revolutionem: quâ mediante, cum cæteris gratiæ Dei auxiliis, pervenire debes ad agnitionem, visionemque intuitivam & beatificam Dei. 2. Debes ô Homo Deo, Confessionem tàm Cordis, quàm oris, quin & operis. Corde enim Creditur ad Justitiam: Ore âutem fit Confessio ad salutem: nec sufficit mente aut linguâ confiteri Deum, sed opus est etiam operibus: ac denique cum res ita postulaverit, ipsis Passionibus, atque vitæ & sanguinis, pro Dei veritate, lege, honore, profusionibus. 3. Debes ô Homo Deo tuo, Spem & Fiduciam in ipsum, Recursum ad illum, Invocationem illius, & Orationem ad ipsum, & quidem solum: non recurrendo ad idola, non ad dæmonum invocationem. Sanctos autem Dei orare, vel invocare, est Deum in Sanctis suis, & invocare: & orare: & honorare. 4. Debes ô Homo Deo, Amorem & Dilectionem, seu Charitatem: quâ diligere debes Deum ex toto corde, mente, animâ, viribus, fortitudine tuâ. Proximum verò tuum, & omnia alia, & ipsum te, propter Deum, eiusque Amorem, & Dignitatem, & Voluntatem. 5. Debes ô Homo, Deo, Religionem, seu Cultum, & quidem latricum, venerationem, Sacrificia & Holocausta, aliaque Deo digna: tanquam Principi, principio, & fonti omnium Entium, omnis vitæ, Essentiæ, existentiæ, conservationis: & absoluti omnium Domini, jus vitæ, & mortis habentis, in suâ voluntate seu Potestate. 6. Debes ô Homo Deo, observantiam, Timoremque filialem, castum, sponsalem: debes & servilem; qui tamen minus est dignus Deo. 7. Debes ô homo Deo, servitutem, subjectionem, obedientiam omnem, usque ad exinanitionem, & defectionem tui, si eam requirat Deus, eiusque causâ, absque ulla oblectatione. 8. Debes ô homo Deo, Laudationem, seu laudem, Honorem, Gloriam, Exaltationem, Prædicationem Nominis ejus, tam propter bonitatem, beneficentiamque illius erga omnem Creaturam, quàm propter eminentiam, excellentiam, Majestatem, Dignitatem, Perfectionemque illius, omni captu Creaturæ altiorem, & pleniorem. 9. Debes ô homo Deo, gratitudinem, & gratiarum actionem, incessabilem, pro omnibus ejus Misericordiis, & beneficentiis in te. in omnem singulamque Creaturam, inexhaustè profusis. 10. Debes ô Homo Deo, Desiderium Dei, & famem ejus ardentissimam, & inexplebilem, non tàm ideo (etsi & ideo) quia tibi, bonum est, cum Deo, in Deo, apud Deum esse: quam magis, quia ille dignissimus, & superdignissimus est; haberi,

beri, possideri, hereditari, intuitive, beatifice, æternaliter, fruitivè.

11. Debes ô Homo Deo, omnem curam tuæ æternæ salutis: & in omni virtute perfectionis sanctitatisque absolutæ in tuo statu: ut quam maximè placeas Deo: tibique Deus: & ut exaltetur Deus salutis tuæ per omnia se digna, tibi possibilia. Tua enim salus & æterna beatitudo est, summa quam ex te habere Deus potest, exaltatio. 12. Debes ô Homo Deo, curam quantùm ex te est: ut omnis Creatura Deum agnoscat, amet, laudet, ejus voluntati plene subjecta sit: ei uniatur, eo fruatur, maxime rationalis: pro irrationali autem, tu debes Deo suppletionem, & expletionem, omnis ejus officii, quod illa impendere deberet, si posset: & ob quod explementum, illa tuæ servituti addicta est à Deo, usque ad tui consumptionem, uti quotidiano discis experimento, atque oraculo prophetico: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi: terras quoque & maria, & omnia quæ in eis sunt: addixit tibi insuper cælos, & sidera eorum, nubes, & volucres cæli: demum & Angelos omnes, fecit administratorios nostræ salutis spiritus.

13. Debes ô homo Deo tuo, jugem Dei tui tibi semper, & ubique, & intime, per immensitatem Essentiæ, per plenitudinem Sapientiæ, per efficacitatem omnipotentiæ, per rectitudinem Sanctimoniæ præsenti; memoriam vivam, & amantem: & reverentem, Sicut enim te Oculi Dei, omni sole & luce plus mundiores, contemplantur assidue: ita & te omni momento decet, tuum cogitatum in Deo defixum habere.

In summâ, ô homo; debes Deo omnẽ penitus sufficientiam tuam, quoniam nihil sufficis cogitare à te, quasi à te. sed omnis sufficientia ex Deo est: & idcirco universa plenitudo, sufficientiaque, quantacunque est, Dei est: debeturque à te Deo: & incessabili confessione reddenda est Deo. alioqui perditur tibi nisi reddatur Deo: & nisi servatur in ipso, reddita ipsi. Tunc enim verè servatur quando ad Deum reducitur: tunc autem indubitatè amittitur, quando ad Deum confessione non remittitur. Sicut tunc flumina siccantur & pereunt, quando ad suæ originis Mare non revertuntur.

PRAXIS.

Hujus Exercitii sit sequens:

EXERCITIUM VII.

Exhibitio ejus debiti DEO, quod Creatura debet DEO.

1. Statue te in conspectu Dei in unitate Trini: & te effunde totum coram ipso, per omnes affectiones, & exaltationes tuas. v. g.

DEUS. DEUS DEUS. Tu solus, Tu verus, Tu unus, Tu Ens, Tu essentia existens es. Tu a te ipso totus, & totum, & summum es. Tu omne, sive, Omnia; non tamen multipliciter, nec multa es, sed unus, idem, simplex, & unitas, & summitas es.

Tu es, & Qui est es, & Deus es: & quidquid dignum te est, hoc es. Vivens, Verus, Sapiens, Potens, Magnus, bonus, altissimus, beatus æternus, & hæc omnia, tam secum, quam Tecum, unum, idemq; sunt, & Tu ipse sunt. Non est enim aliud Tibi Esse, & aliud Magnum, aliud Sapientem, aliud Bonum esse, sed Entitas, Essentiaque tua, est Sapientia tua, & Veritas, & Omnipotentia, & Vita, & Magnitudo tua, & quidquid in Te est, non aliud à Te, sed Tu ipse est: atque etiam Sapientia, ipsa est Potentia & Veritas, & hæc, ipsa sunt Magnitudo, & Beatitudo, ipsa etiam Justitia, & Misericordia, unum, & idem, & ipse Tu. Ego vero sũ horum Nihil. quia sum merum Nihil, non Ens, non existens, nihil habens, nihil potens, nihil operans, nihil merens. quia sum nihil, inane, vacuum, & egestas, & sterilitas, & infirmitas, & vilitas, & miseria, & malum, & malitia, & odibilitas, & detestabilitas, & omnem perditionem merens, exigens, possidens, ex ipso me.

Tu DEUS, es mihi (id est, omni Creaturæ) Omnia. Es enim mihi Deus, es Deus meus. fons omnium, largitor omnium, Creator, Conservator, Rector, Dominus omnium, bonus omnibus, bonum omniũ. Vita, beatitudo, finis, consummatio, centrum omnium. Ego Domine, sum tibi non aliud, quàm quod sum ipsi mihi: Nihil scilicet, Nihil merum, ad omnia Nihil. Neque possum transire à nihilo, & à Non esse, ad aliquid, & ad esse, nisi Tu facias, qui solus ex nihilo potes facere aliquid esse, & miro quidem sed vero, ineffabili, sed palpabili modo, Nihil, ta-

cis Esse.

Propter quod, omne quod præter te Deum est, quidquid est, abs te est, tuum est, tibi sese suaque omnia, debet per omnia. quibus, tu quidem, revera, & absolutè, nihil debes, nisi tuam voluntariam gratiam. Sicut enim non debebas illis ut essent, ita nec debes illis, ut sint. sed sicut fecisti omnia, quia voluisti, quod nō velle potuisti; ita sunt & manent omnia, quia tu illa esse & manere vis: & volendo esse, facis omnia. quod tamen potes non velle; & si non velles, in nihilum suum statim statim revolverentur omnia. at Omnipotens voluntas tua, quæ illa fecit ut essent, eadem facit ut etiam sint.

Propter hoc ergo Domine; quia ego, & omnis mecum Creatura, quidquid sum, à te sum, & totus tuus sum: ideo debeo tibi meipsum, & cum meipso, etiam cætera quæ sunt in me omnia. Sum tuus servus, sum mancipium, sum jumentum. sum & magis subjectus, quàm hæc omnia. Cætera enim, quæ irrationalia sunt; subjecta quidem sunt; at subjecta se esse, nec volunt: nec sciunt: nec debere esse noverunt: nec non subjecta esse aut volunt: aut velle possunt: sed solummudo sunt; at ego rationalis Creatura, subjectus sum, & esse cogor, & esse, cogique me novi: & velle possum: & velle debeo: & quàvis nolim, nihilominus sum: & maneo: & manere, ac esse debeo. & ideo magis, quàm aut jumenta, aut bruta, aut saxa subjectioni succumbo; quia sive nolim, sive velim, subjectus sum: & per ipsum tam nolle quam velle; per ipsum tam subjectum esse, quàm subjectum non esse; ac nolle esse; nihilominus subjectus sum, & omnium debitor sum.

Igitur, debeo Tibi Deo, & Domino meo, totaliter totum me: & quidem etiam toto me. Debeo tibi Corpus, Animā, Personam, Substantiam, substantiæ annexa omnia, substantiæ vires omnes, viriumque actus omnes. debeo tibi omnia ista quæcunque addidisti mihi, ad omne obsequium meum, propter obsequium tuum. Unde etiam omnem Creaturam cum omni, & pro omni obsequio suo, quod exhibet mihi, obsequioque meo: debeo tibi, & perenni obsequio tuo.

Debeo tibi, cognitionem & notitiam Tui; debeo fidem, confessionem, prædicationem. Debeo, spem in te, fiduciam, invocationem, recursum, refugium, orationem, supplicationem. Debeo, gratitudinem, gratiarum actionem, laudem, adorationem, cultum, honorem, venerationem, timorem, reverentiam, glorificationem, exaltationem, religionem, devotionem, pietatem. Debeo, obedientiā, subjectionem, servitutem, obsequium, in omnibus, rebus, locis, temporibus, circumstantiis tibi placitis, à te, vel tuo Nomine, à tuis locum personamque tuam tenentibus, imperatis. Debeo tibi Amorem, desiderium, dilectionem, Charitatemque super omnia, ex toto corde, ex totâ animâ, ex toto me.

Propterea, Toto me, amo Te, toto inquam me, sive prout ipse sum, quidquid à te, personaliter & individue sum; sive prout cum omni creaturâ communico, & vinculo communitatis, atque meæ voluntatis unum & idem sum.

Quod, quia Nihil omnino est coram Te; cùm Ego, quocunque modo sim, Nihil coram Te sim; & Amor meus, & omnis actus amoris, & omnis amandi te conatus, omnino & necessario nihil penitùs sit; Idcircò debeo, & velle debeo: & (quod sum, possum) volo, & velle studeo, mendicare à te, ut des mihi ampliùs, digniùs, validiùs Amare Te. Et cum nihil supersit, unde & ego possim petere; vel Tu possis præstare mihi magis amare te, quàm ipsum Te, & ipso Te;

Ideo, Toto Te, amo Te, & sic in æternum, volo, opto, peto, statuo amare Te. Toto nimirum Te, pro toto te, pro toto me.

O Sanctissima Unitas, ô Sanctissima Trinitas, ô Summa Deitas. ô te toto me agnoscere, confiteri, prædicare! ô te amare. æstimare, exaltare! ô te desiderare, concupiscere, in te æstuare, anhelare, ardescere! ô te quærere, invenire, apprehendere, tenere! ô te pasci, nutriri, saginari, impinguari! ô in te liquescere, languescere! ô in te exhauriri, absorberi, perire! ô in te transformari, transflammari! ô Deificari! ô Indivinari! ô te possidere, te frui, te gaudere!

EXER-

EXERCITIORUM
PARS II.
Erga Sanctissimam Trinitatem.

EXERCITIUM I.
Confessionis, & Postulationis Benedictionis in omnibus.

1. STatue te, in conspectu Sanctissimæ Trinitatis: DEI Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: cum singulari Fidei Vivacitate, & professione: reverentiâ quoque Majestatis ejus: tum viscerali tui ipsius, coram ejus Dignitate abyssali, humiliationis pondere.

2. Confiteberis sigillatim, necessitates, miserias, periculositates, omnis generis: tam tuas proprias, quàm tuorum: quàm totius Universi: temporales, corporales, spirituales, æternas: humilians te ex singulis, tuo, tuorum, universique nomine.

3. Postulabis; per omnia viscera Bonitatis Divinæ: cum plenissimâ in ejus miserationes fiduciâ; atque tui projectione: ut misereatur tui; sitque tui adjutor in opportunitatibus.

4. Postulabis quoque: ut misereatur eorum omnium; quos in orationibus tuis commendandos Deo suscepisti: vel habere debes: quos in Deo, ejusque Charitate diligis: & à quibus diligeris: atque pro te oratur: pro omnibus etiam tibi malè affectis.

5. Postulabis præterea: ut misereatur totius Ecclesiæ Christi: populique Christiani, Regni, & populi tui, Provinciæ: Civitatis, Domûs, &c.

6. Quibus omnibus det congruam benedictionem, in supra dictis Necessitatibus.

7. Idq; sicut Sanctissima Trinitas scit, potest, vult.

8. Adimplendo totum gustum suum, cordisque sui, & Voluntatis, atque Voluptatis suæ Sanctissimæ: sicut in Cœlo, ita & in terrâ: hoc est, in te, in tuis omnibus, denique in omnibus Creaturis, pro omni tam tempore, quàm Æternitate.

PRAXIS.

SAnctissima, Dignissima, Augustissima, Adoranda Trinitas, DEUS meus, DEUS omnium Nostrûm, Deus universæ Creaturæ: tu enim nos de Nihilo creasti, tu Dominus, tu Possessor, tu Rex noster es. Nos autem populus tuus: & oves pascuæ tuæ: pupilli, & plane pusilli pulli tui. Tibi confiteor: totâ spei, fiduciæq; in tuas Misericordias plenitudine: omnes Necessitates, infirmitates, ærumnas, periculositatesq; meas, quas tu Domine plenissime cognoscis. Per omnia viscera Bonitatis tuæ; cujus apud te est infinitus thesaurus: toto me, totoq; Universo, totiusque Universi atomis universalitatis: peto à te; Miserere mei, & omnium meorum, & omnis Creaturæ tuæ, subveniens, & benedicens Nobis in cunctis necessitatibus nostris Naturalibus, personalibus, spiritualibus, corporalibus, temporalibus, officialibus. sicuti potes, scis, & vis; eas gloriæ tuæ majori deservire, adimplendo in omnibus suavissimum Gustum Cordis tui, tam in me, quàm in omnibus Creaturis, pro omni tempore, & pro omni æternitate.

EXERCITIUM II.
Erga SS. Trinitatem, & ab ea Emendicationis omnium, & omnibus.

1. STatue te in conspectu Sanctissimæ Trinitatis: ante Thronum gloriæ ejus.

2. Penetrabis memoriâ, & corde tuo; abyssum plenitudinis perfectionū omnium: ac nominatim, Bonitatis, Liberalitatis, Profusionis, & Propensionis ejus ad benefaciendum: nec non ad Miserendum omnibus Creaturis suis. Quoniam Misericordia ejus super omnia opera ejus eminet: & manat incessabiliter, &c. Veluti ex Mari: omniū Fontium Fonte.

3. Penetrabis etiam Memoriâ, & Corde; omnem abyssum Mendicitatis atq; Miserabilitatis tuæ: tam ad Naturalia, quàm ad supernaturalia bona, & Effecta.

4. Hâc totâ abysso, emendicabis omnes necessitates: seu potiùs miserationes & beneficentias Divinas; Animæ, Corpori, statui, officio, obligationi tuæ; pro omni opportunitate, & pro omni tempore, atque æternitate.

5. Simili abysso miseriarum, Necessitatumque omnium, ac singularum Creaturarum, totius Universi; emendicabis etiam ab illâ immensâ Bonitatum, & perfectionum plenitudine Divinâ, omnem sufficientiam, omniumque necessitatum subsidium, copiosum, efficax, plenum, salutare, DEO gloriosum, & placitum, perseverans & æternum.

6. Juxta gustum Voluntatis Divinæ.

7. Allegando in subsidium mendicationis tuæ, Universam Bonitatis ac Munificentiæ Divinæ plenitudinem.

8. Verbi quoque Increati, pro nobis autem Incarnati, Majestatem Humiliatã; Humilitatemque Majestificatam: cum omnibus laboribus, passionibus, dignationibus, meritisque illius.

9. Pretiosissimæ etiam Dei & omnium nostrûm Matris Virginis: Matris misericordiæ atque Gratiæ.

10. Omnium denique Electorum Dei, Angelorum juxtà & Hominum, merita, preces, ac Beatitudines.

11. Repetes hanc Emendicationem sæpiusculè.

12. Et gaudebis totâ Mendicitatis tuæ abysso, omniumque Creaturarum; quia unus ac solus est DEUS, apud quem omnia emendicare & debes, & potes: liberaliter, fiducialiter, efficaciter, indesinenter, atque indeficienter, absque verecundatione, absque metu repulsæ, absque metu defectionis, absque metu improperationis. cum certitudine potiùs, tantò majoris profusionis beneficiorum ex Deo, quantò majorem crebriorem, audaciorem, avidioremque mendicationẽ attuleris: sæpiùsque repetieris ad ipsum.

PRAXIS.

SAnctissima, Dignissima, Opulentissima Trinitas DEUS: *abyssalissimâ Bonitatis, ac Munificentiæ tuæ plenitudine, totâ mendicitatis, egestatisq; meæ abysso, mendico: atque supplicissimè postulo: omne subsidium Necessitatibus meis omnibus & singulis, tam pro hujus, quàm pro alterius, tam pro naturalis, quàm pro supernaturalis Vitæ. Mendico etiam totâ pariter abysso mendicitatis omnis tuæ Creaturæ; eidem, omnem bonitatis, liberalitatisq; tuæ munificentiam, pro omnibus indigentiis ejus, hujus, alteriusq; vitæ. Mendico autem id; per omnem quanta quanta est Plenitudinem tuam Divinam: necnon ad sese nobis profundendam promptitudinem: Mendico id etiam, per Verbi Increati, propter nos autem Incarnati, omnes pro nobis ebibitos labores, dolores, Dignationes, ac Merita. Mendico id quoque, per Pretiosissimæ Dei, ac Nostrûm omnium Matris,* MARIÆ *Virginis Maternitatem, atq; Maternitatis Dignitatem, & apud te autoritatem. Mendico id quoque, per omnium Electorum tuorum, Angelorum juxta, & Hominum, tecum in Cœlis regnantium Merita, & preces, & beatitudines.*

EXERCITIUM III.

Erga SS. Trinitatem, traditione sui in Voluntatem ejus.

1. COnstitue te corã Sanctissima Trinitate, &c.

2. Constitue te coram Sacratissimâ, Adorandâ, superbenedictâ, ac superbenedicendâ ejusdem Voluntate, tanquam coram Dominâ & Monarcha plenipotentissimâ, absoluteque omnium Potente Principe, Reginâ, Imperatrice.

3. Trades te totum, ac in specie Cor tuum Voluntatemque tuam, instar tabulæ rasæ & mundæ, atque instar chartæ Virginis & puræ, tum Sanctiss: Trinitati; tum ejusdem Voluntati.

4. Totis tuis Viribus petes ab eâ: ut dignetur in Corde tuo, atque in Voluntate tuâ, inscribere & insculpere charactere indelebili Notitiam, Amorem, Reverentiam, Æstimationem, Observantiam, ac Exequendi studiosissimum studium, suæ beneplacitæ, adorandæ, suavissimæ, dignissimæ, sanctissimæque Voluntatis.

5. Ut nunquam ex Corde Voluntateq; tuâ deleatur, nunquam refrigescat, aut vel minimùm intepescat, aut in levissimam transgressionem declinet.

6. Sed ut semper maneas Mancipium, atque etiam Jumentum, (sed spontaneâ atque sponsali Voluntatis tuæ necessitate ac devotione,) Divinæ ipsius Voluntatis.

7. Inveniarisque semper, in omni occasione & circumstantiâ, insignitus Divinâ istâ Voluntate: ejusque amore; & ad illam plenissimâ subjectione, tanquam Naturali stemmate & charactere: quo in totâ æternitate cognoscaris, internoscarisque à reliquis Creaturis. velut Devotum Divinæ Voluntatis Mancipium;

8. Ignorans omnem prorsùs resistentiam, & moram, & lentitudinem, dissimulationemve, sed cum plenâ, ponderosâ, cæcâ, hilarique resignatione, obedientiâ, executione, quiete, contentatione.

9. Ita; ut sic affici, sic Divinæ Voluntà-

luntatis totum esse; sit tibi unicus cibus: unica Voluptas; unica Pax: unicũ Gaudium: unicum Præmium: unica Merces: unica Vita: unica Beatitudo.

10. Exinde verò, vel excidere, vel exerrare, aut in hac affectione intepescere, sit tibi morte gravius, sit inferno detestabilius, sit æternâ damnatione damnabilius.

PRAXIS.

Sanctissima, & Omnipotentissima Trinitas, Deus meus. Cujus Voluntas, potentia est, atq; omnium Voluntatum Regina, & Regula; Ecce tibi Cor meum, & Voluntas mea: Scribe, & insculpe in eâ, Universum beneplacitum tuum, tuæq; Divinæ Voluntatis. Unâ cum cordiali, sponsaliq; Amore, & appretiatione illius, in me æternaturo. Non sinas eum unquam aboleri: sed potiùs, fac eum semper innovari, altiùsq; & profundiùs insculptum excellere, Non sinas me unquam rebellare, resistere, obniti, obmurmurare, moras, vel recusationes obtendere: sed potiùs, fac me devotissimum mancipium, ac liberrimum, liberalissimumq; jumentum beneplaciti tui, Voluntatisque tuæ omnis. Characteriza me, signo isto tuo æternaliter, in omnibus substantiis, potentiis, partibus, actionibus, mutationibus, atomis, circumstantiis, occasionibus, momentisq; meis. Sit Voluntas tua, Cibus meus: Vita mea, felicitas mea, pax mea, gaudium meum, beatitudo mea.

EXERCITIUM IV.

Erga SS. Trinit: per projectionem sui in ejus Providentiam.

1. CONstitue te, coram SS. Trinitate: tanquam coram Mari fundo carente, omnibus bonis repletissimo: & ex cujus plenitudine manant omnia: replenturque, & continentur omnia.

2. Collige, omnes Necessitates tuas, (tuorum, & denique omnium creaturarum.) Curas quoque, proposi.a, intenta, vota, desideria, obligationes.

3. Projice illas omnes, in Abyssum Providentiæ, Voluntatis, Charitatis, Sapientiæ, Omnipotentiæ, Fidelitatisque DEI.

4. Sepeli eas ibique prorsùs demerge, in Domino Deo tuo: jactans omnem cogitatum tuum in eo: certus; quia ipse faciet ea omnia, quæ gustui illius, tuæ autem saluti, atque consolationi plenissimè servient.

5. Id autem eâ fac simplicitate atque

A securitate, quâ sese infantuli in sinu suarum Matrum, vel Nutricum deponunt; nihil omnino soliciti de se, ac neque cogitationem solicitudinis, & curæ sui habentes, sed ex toto provisioni maternæ innitentes, in eâque tanquam demersi cõquiescentes.

6. Pari ratione & tu; totus quantus in Divinæ Providentiæ plusquam Materno sinu recumbe: & conquiesce: certus; quoniam ipsi est Cura de te: deque omnibus.

7. Et eâ quidem tantò major ac liberalior, quantò tua, in ejus Providentiæ curam, est projectio fidentior: atque B plenior. Ex mensurâ enim nostræ in Deum fiduciæ, admetiri consuevit Deus curam suæ Providentiæ: semper superaddens plurimùm: Nolens nostram in eum fiduciam esse frustraneam: & Volens, suã fidelitatem circa nos, esse superplenissimam, & superexaggeratissimam.

8. Sic ergo sta in Providentiâ Dei fidenter, sicut vel terra in centro, vel infantulus in Materno sinu, perinde ac si nihil deberes, nihil velles, nihil posses, tibi providere, ac procurare. Nihil in te, in tuis viribus, in tuis industriis, in tuis meritis, in ullius Creaturæ subsidiis C promissisve spei, aut fiduciæ habendo, sed horum omnium efficacitatem, ex Dei Providentiâ, quæ in sui dispositione nunquam fallitur, expectando, acceptando, eidemque totalissimè attribuendo.

PRAXIS.

Sanctissima, Piissima, Fidelissima Trinitas Deus, in tuam Divinam Providentiam, Bonitatem, Sapientiam, Omnipotentiamque, me totum, measque omnes, & singulas, nec non meorum, ac totius Universi, necessitates abjicio, demergo, desero. Itaque tu ô suavissima, atq; Dulcissima Providen- D *tia, mihi, & omnibus mecum provide, sicut potes, scis, & vis. Ego enim nihil opus mihi afferre, nihil providere ex me sine te possum. Perdere, & prodere me possum, sed tueri ac servare non possum. Quid enim sum mihi sine te Domine, nisi Dux in præceps?*

EXERCITIUM V.

Erga SS. Trinitatem, per collationem sui ad Dignitatem ejus.

1. COnstitue te coram Sanctissimâ Trinitate.

2. Constitue te, & omnia tua bona Animæ,

nimæ, Corporis, fortunæ, temporalia, spiritualia; præsertim gratias, virtutes, merita, quæcunque habes, si quæ habes, coram Deo, ex Dono Divino.

3. Hæc omnia compara, & commensura cum Deo; ejusque, Eminentissimâ Dignitate, & Majestate.

4. Commensura quoque hæc eadem, cum omnimodâ tuâ ad Deum obligatione.

5. Et in spècie, compara te, tuaque bona, tuas excellentias, cum innumerabiliter multiplicibus, iisdemque simul inexsolubilibus ante Deum debitis tuis, reatibusque tam culpæ, quàm pœnæ temporalis, æternæ, damni, & sensûs, præsentis, futuræ, exterioris, & spiritualis.

6. Agnosce, atque confitere, te sic Deo, ejusque Majestati & Dignitati, Perfectioni & Sanctitati comparatum, merũ Nihil esse; nihil habere, nihil valere, nihil posse, nihil adhuc coram Deo boni egisse; imò bona acta, vix, ac ne vix quidem boni nomine digna esse; & non tantùm nihil illis apud Deum promeruisse; verùm etiam demeruisse; ac digna suppliciis plagisque peregisse; Nihil omnino propter Deum laborasse, aut sustinuisse; aut in ejus obsequium gloriamve expendisse; quod si quid peregisti, id potiùs, & magis Dei, quàm tuum esse; teque ex eo ipso, coram Deo debitorem, solvendi impotem, esse; nec ullam debitorum particulam exsolvisse, aut expiasse.

7. Ah miseram dignitatulam copiolamque tuam, Deo collatam! tantoque magis inanem, ac nullam, quantò majori collatam, atque compositam! O verè nõ magnificabitur nec justificabitur homo compositus Deo! sicut fuligo non albescit composita nivi, sicut lutum non fit pretiosius compositum auro.

8. Erubesce, & exhorresce Nuditatẽ, Nullitatemque tuam.

9. Obstupesce, & superobstupesce Eminentiam, Majestatem, Dignitatem, Perfectionem, Sanctitatem, Plenitudinem, opulentiamque Divinam; quam, sacro & devoto horrore perfusus, penetratusque, demisissimè venerare.

10. Exsuscita in te, majorem, majoremque in Deum liberalitatem, & quàm multiplicissimè multiplica fervorem serviendi Deo, studendi placere Deo, exaltandi Deum; laborandi & patiendi pro Deo; expediendi te à debitis quæ habes coram Deo.

11. Atque dic cum Prophetâ; *Nunc cœpi*; renova velut Aquila juventutem Spiritûs tui; & tanquam hodie primùm, de novo aggredere servitium Dei; exaltationem, magnificationemque Dei; impensionem, & superimpensionem, evisceratIonem, & annihilationem tui, Deo, & propter Deum.

12. Et cùm omnia feceris; dic nihilominùs; servus inutilis sum, quod debui facere, feci; & tamen post hæc omnia Nihil sum.

PRAXIS.

Sanctissima, Dignissima Trinitas, DEUS; Ecce totus ego, & universa Bona mea, dignitatesque ac merita mea in conspectu tuo. Ecce labores, ecce passiones meæ propter te; ecce Virtutes, & opera, & perfectiones meæ coram te. Heu! quàm omnia misera! quàm modica! quàm scatentia sorde! quàm nulla! comparata præsertim, supersuperque Dignissimo & Ditissimo tibi Deo. Adjuva Domine infirmitatem, nuditatemq; meam. Auge robur auge promptitudinem, auge fervorem, auge constantiam. Volo Domine abhinc tibi ferventiùs, ardentiùs, liberaliùs, ignitiùs, constantiùs, perfectiùs, solidiùsque, deservire; pro te laborare; pro te pati; pro te impendi; pro te profundi; pro te exhauriri; pro te exinaniri; pro te annihilari; & tuum Divinum beneplacitum exequi; dignitatem exaltare; Gloriamq; magnificare; & superexaltare; dignè te, propter te, toto me, toto te, in æternum & ultra, & amplius, atque ampliùs.

EXERCITIUM VI.

Erga SS. Trinit: per Evisceratio- nem Universi in Charitatem ejus.

1. Constitue te coram SS. Trinitate, cum totâ Creaturarum Universitate in te transformata, tibique impersonatâ, ita ut tota illa tu; & vicissim Tu, illa tota fias, quemadmodum in Deo omnia sunt unitate sibi devincta, tanquã unius Patris filii, cui & dicunt omnia; Pater noster.

2. Toto te, sic omnibus Creaturis cõjuncto, & impersonato, erumpes, ebullies, eructabis, ejaculaberisque Charitatem, & Æstimationem Sanctissimæ Trinitatis: appretiando eam super omnia existentia, & possibilia; tanto conatu, quantus est possibilis omni Creaturæ, in omnibus circumstantiis, & conditionib' illius.

3. Hu-

3. Hujuscemodi conatum, disce ab eo, qui ita hortatur omnes [Multa dicemus, & deficiemus in verbis ; consummatio autem sermonum, Deus ipse est omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? Ipse enim Omnipotens, super omnia opera sua. Terribilis Dominus: & Magnus vehementer, & mirabilis Potentia ipsius. Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis: Supervalebit enim adhuc: & Admirabilis Magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantùm potestis: Major est enim omni laude. Exaltantes replemini virtute, ne laboretis: non enim cõpredendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? Et quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus opera ejus. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit Sapientiam] *Eccl: 43. 29.*

4. Quia verò is ipse conatus, quantumlibet actualiter effusus, & exercitus, non plus est coram Deo, quàm unius folioli in vastissimo nemore moti strepitus;

5. Obsecrabis omnium Creaturarum, tibi impersonatarum Nomine, Entitate, affectu, obligatione, & etiam obedientiali possibilitate, atque capacitate, insuper omnibus omnium atomis universalitatis, ut Deus, qui solus sibi dignè amando, & dignificando, idoneus, & adæquatus est, semetipso seipsum amet, æstimet, laudet, exaltet, glorificet: adæquatè suæ dignitati, majestati, amabilitati, amativitatique, & suæ ad sese amandum infinitæ, & inexhaustæ facultati.

6. Exultabis toto te, quòd SS. Trinitas Deus, naturaliter, voluntariè, necessarioque, seipsum, suo Amore, pretio, æstimationeque expleat: exsatiet: exæquet. exæquaturusque, & expleturus sit per omnem æternitatem.

PRAXIS.

Sanctissima, & Inæstimabilissima, & Amabilissima Trinitas DEUS, totâ Omnitudine mea, ex omni Creaturarum mihi impersonatarum, adunitarumq; universitate conflatâ, Amo te DEUM meum: & præfero, atq; appretio super omnia: conatu omni, & toti mihi possibili. Quia verò hoc ipsum omnino Nihil coram te est; cùm ego, & personaliter particulariterq;, & universaliter, universalisatiuque, totus sim omnino Nihil; amorque omnis, & omne exercitium actuatioq; illius, sit etiam Nihil; comparatum Majestatis tuæ Magnitudini, atq; Dignitatis Eminentiæ. Sicut folium crepitans in vastissimâ solitudine, aut sicut gutta roris antelucani decidens in Mare; Idcirco toto me, totoq; universo, & omnibus atomis Universi universalitatis, desidero: ut Tu Deus meus, temetipsum, temetipso, tantùm ames, tantùm æstimes, tantùm glorifices, tantùmq; beatifices, quantum prævalet Immensitas tua tota. Et quia Tu sic te, necessariâ Voluntate, voluntariaq; necessitate diligis, & appretias ab omni æternitate: hinc Ego totis meis, totiuq; Universæ Creaturæ viribus exulto, & exultabo: & exultare desidero, opto, peto, & propono, in omnem Æternitatem.

EXERCITIUM VII.

Erga SS. Trinitatem, per Exsolutionem debiti universi, illi debiti.

1. STatue te coram Sanctissimâ Trinitate.

2. Omnimodam SS. Trinitatis Majestatem, Gloriam, Amplitudinem, tam eã, quam habet ipsa ex se, suâque Essentiâ, Naturâ, atque Personis, & Perfectionibus suis; quàm eam, quàm habet ex splẽdore totius Curiæ cælestis sibi assistentis, gloriamque sibi cumulantis; statue quoque tibi ob Oculos Cordis tui.

3. Agnosce, totius sub-cælestis Mundi, ac imprimis totius humani generis, super faciem terræ habitantis, omnimodum Debitum: quo debent SS. Trinitati Notitiam, Fidem, Spem, Fiduciam, Refugium, Timorem, Invocationem, Reverentiam, Orationem, Religionem, Devotionem, Pietatem, Obedientiam, Subjectionem, Servitutem, Laudem, Gloriam, Exaltationem, Exultationem, Gaudium, Gratulationem, Gratiarum actionem, Æstimationem, Amorem, Dilectionem; Charitatem, omnem, possibilem, atque etiam omnipossibili majorem.

4. Agnosce, & erubesce, & ingemisce, hujus debiti, vix, ac ne vix quidem minutam particulam, atomumvè Sanctissimæ Trinitati, à Creaturâ suâ, præsertim ab Humano genere, & specialiùs etiam à te, impendi: atque exsolvi.

5. Ergo, omnem Creaturam, maximè Humanam, tibi superinduens, atque in te impersonans, etiamque cælestem & supercælestem ad hoc adjungens, toto te, ad thronum SS. Trinitatis accedens, pronusque coram procidens, debitum istud, quo Universa tenetur Creatura; omnimodum, & æternale, & abyssale, Laudis, Amoris, Venerationis, Subjectionis, Exalta-

xaltationis, & Exultationis, exhibe SS. Trinitati: atque in exhibendo perennare tum concupisce: tum contende: ut nullum sit momentum temporis & æternitatis, nullum punctum loci, ac immensitatis, in quo non exhibeatur, quantum ex te, Sacrosanctæ Trinitati persolutio debiti hujus: usque ad Novissimum quadrantem, & minutum.

PRAXIS.

Sanctissima, Gloriosissima, Eminentissima Trinitas, Unus DEUS; cujus Natura & Essentia est Dignitas: quam Universa cælestis Curia superexaltare cupit, & gaudet: Tibi etiam Nos terrarum incolæ, omnem venerationem, omnem laudem, omnem subjectionem, omnem Timorem, omnem Amorem, & Devotionem debemus: sed (ah probrum nostrum!) in hoc debito persolvendo, plusquam nimium negligentes, rari, sordideque parci, quin & injuriosi, in Te sumus. In hujus negligentiæ compensationem, & adimpletionem, Ego Te nunc amo, adoro, glorifico, veneror. in æternumque venerari, & amare, Toto me concupisco, propono, & adnitor. Nullum sit ut deinceps Momentum temporis, & æternitatis, nullum punctum spatii & immensitatis, in quo Tu Trinitas Deus, à Te, à Beatis tuis, à me, ab omnibus, & singulis, etiam possibilibus Creaturis, non glorificeris, juxta, condignum Majestatis, Dignitatisque tuæ Meritum, & juxta Nostræ coram te, & ad Te, obligationis debitum.

ERGA

Sanctissimam Trinitatem Exercitium speciale.

1. SAnctissima TRINITAS, Pater, Fili, Spiritus Sancte; unus DEUS in Essentiâ & Naturâ: trinus in Personis, quem nosse & amare Vita æterna, & omne Bonum est: largire mihi Creaturarum tuarum rationalium minimo, cognitionem, amoremque tui, qualem potes, scis, & vis, quem cupio, & peto toto me, Toto te, propter Te.

2. O JESU, lux vera, quæ illuminas omnem hominem in hunc Mundum venientem, & ad SS. Trinitatis deducis cognitionem: illumina & me: ut cognoscam Sanctissimam Trinitatem, unum, verum, vivum, Deum, eumque amem in æternum.

3. Pretiosissima Patens DEI-Hominis: admirabile Triclinium, & ineffabile Cōplementum Beatissimæ Trinitatis: impetra cum omnibus amatoribus, & laudatoribus SS. Trinitatis, mihi, cognitionē, ac fidem; amorem, & æstimationem; reverentiam & adorationem; laudem & glorificationem; possessionem & fruitionem beatificam, Beatissimæ Trinitatis: tam huic præsenti, quam futuræ vitæ proportionatam.

4. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo, Te Pater ingenite, Fili unigenite, Spiritus Sancte ab utroque procedens. Pater ab æterno teipsum cognitione adæquans: mentisque tuæ Filium generans, & in eodem tibi ineffabiliter complacens: Fili, ab æterno DEUS de Deo genite, consubstantialis Patri, Patrisque amator, & glorificator: Spiritus Sancte, Patris & Filii amor consubstantialis, unus ab utroque, unus utriusque, unus amborum, nec tamen quasi duorum, sed quasi unius.

5. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, ô Essentia primoprima, carens principio, ex Te, & a te omnia, & totum, Ens à te solum, & fons aliorum omnium Entium. Naturans natura, creans, & conservans omnem Naturam. Principium Naturale Motûs, & quietis, operationis & propagationis, status & permansionis. Vita vivens, Vita beata, Vita beatificans, Vita, cui idem est Esse quod Vivere; idem Vivere, quod Esse.

Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te ô Pater luminum, ô fons gloriæ, ô securus possessor beatitudinis, ipsaque beatitudo: O Fili, lumen de lumine. Candor lucis æternæ, Splendor Paternæ gloriæ: O Spiritus Sancte, Patris, Filiiq; clara Suavitas, suavisque claritas: Patris, Filiique amorosa, & deliciosa, & illustris ebrietas, delitiarumque satietas.

7. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo Te, ô Prima, ô Essentialis, ô Originalis, ô Indeficiens Charitas, Benignitas, Pietas. Charitas creans, benignitas servans, pietasque gubernans omnia. Charitas præsens omnibus, benignitas operans in omnibus, pietas providens omnibus. Charitas sollicita pro omnibus. benignitas indulgens omnibus, pietas intendens & serviens omnibus.

8. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, ô superpotens omnipotentia, ô supersapiens sapientia, ô superdulcis dulcedo. O artifex & conditor omnium Potestas. O idea, & Ars omnium Sapientia. O lac, & fomentum, & nutrix omnium Suavitas.

9. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo Te, ô Pater, ex quo omnia: O Fili, per

li, per quem omnia. ô Spiritus Sancte, propter quem omnia. O Pater, ex cujus Essentiâ Filius & Spiritus Sanctus: ex cujus Potentiâ omnis Creatura; ex cujus Voluntate omnis Electio. O Fili, cujus adinstar & Exemplar omnia, per cujus Sapientiam ordinantur, & reguntur omnia. Cujus ductu Electi operantur, & Electis cooperantur omnia. O Spiritus Sancte, propter cujus amorem Pater & Filius facit omnia: conservat omnia, glorificat omnia.

10. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo Te, ô Pater, Fili, Spiritus Sancte: Deus, unus, vivus, verus: Principium omnia condens & regens, stabilitas omnia servans, & movens: æternitas præsentibus, præteritis, futurisque præsens. Immensitas, & plenitudo replês omnia. Simplicitas infinitè varians omnia. Unitas nectens omnia. Finis ordiens omnia, terminans, & perficiens universa.

11. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo Te, ô Veritas, & ratio, & lex æterna, atque prima. O veracitas, falli, & fallere nescia. O sinceritas incapax doli, & misturæ. O rectitudo immobilis, & inflexibilis. O Justitia, & æquitas justitias judicans, & tamen judicium misericordiâ temperans.

12. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo Te, ô Bonitas, bonitatis fons, bonitatis emanatio, bonitatis abyssus: Bona faciens omnia, benefaciens omnibus, bonos faciens omnes, bona excedens omnia. Voluptas, ubertas, repletio, satietas, saginatio, delectatio, dulcedo, amænitas omnium incomprehensa, infinita, omnibus infusa.

13. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te ô salus plena, salus secura, salus beata, salus æterna. Sol, & fons, & redundatio salvificans, & omnia ad salutem ducens. Sanctitas, puritas, innocentia, integritas. Misericordia, longanimitas, patientia, sustinentia, liberalitas: miserationis & causam, & modum, & têpus, ex te offerens, & quærens, & habens. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

14. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, ô Essentialis simplicitas, & simplex Essentia, impermista Natura. Expers potentiæ, actus purus, & primus, fons, & virtus omnis actionis: Forma formosissima, pulchritudo integra, Operatio sine mutatione operans, lassitudinem nesciens. Actio sine labore: quies absque otio: Otium beatum: Unitas, & indivisio: Insensibilis omnium sensus. Motus omnium absque motu: locus omnium absque situ. Capacitas omnium absque extensione. Mensura, omnia indivisibiliter mensurans. Magnitudo sine quantitate. Numerus omnia numerans, ipse innumerabilis. Pondus omnium: ponderans, & ponderari in suum finem faciens omnia, ipse tamen carens pondere.

15. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, ô Regula, & Rector: Ordo, & series, Decor, & species, Vigor & robur, Modus & status, Medium & finis, Initium & Clausula, Alpha & Omega. Radix & fructus. Vita & virtus. Sapor & gustus. Lux & splendor. Dator & donum. Pax & gaudium. Præmiator & præmium. Labor & Merces omnium.

16. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, ô Altitudo humilians, ô profundum erigens, o latitudo adarctans, o longitudo atoma. O ignis consumens, o lux lucens & latens, o fervor refrigerans, o satietas esurire faciens, o Ebrietas sitim inducens, o sitis inebrians, o fames satians.

17. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te o Majestas, ô dignitas, o celsitudo, ô gloria, o felicitas, o Beatitudo, æternitas, ô immensitas, ô in corruptio, ô Divitiæ ô Perfectio, Laus, ô honor, ô Exaltatio, o decus, ô Totum quod esse potest: ô Nihil eorum, quod Creatura est: ô aliud & aliter, quam à Creatura cogitatur: ô Dives omni bono, ô Paupertas omni carens malo & Nihilo, ô Ens Entium, ô Ens Essentiale, ô Essentialis Entitas, o Qui es, o Deus.

18. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te o Deus. Sapientia. Omnium Ars. Idea, & Artifex, Consiliarius, Illuminator, revelatio profundorum, Amor, & amans, Zelus, & Zelator, Pax, & pacificus, & Princeps Pacis, Longanimis, Misericors, Consolator, Protector, Justus, Loquens, & Imperans justitiam, Rectus, Judex, Ultor, Zelotes, Terribilis.

19. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo tè, o Deus Deorum, Deus super omnes Deos, qui nomen habes innominabilis. Qui es omne Ens. Qui es spiritus simplex, immortalis, perfectus, infinitus, immensus, immutabilis, æternus, invisibilis, incomprehensus, ineffabilis, excedens omnia, immanens omnibus, cunctis interior quàm sunt ipsa sibi, Veritas, Veracitas, Fidelitas, Bonitas, Pulchritudo,

Admirabilis, Vita.

20. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, o Deus piissime, beneficentissime, affabilissime, liberalis, magnifice, patiens, benigne, clemens, mitis, fortis. Suavis, Dulcis, Sanctus, Purus, Creator, Conservator, Provisor, Gubernator, Custos, Dominator.

21. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo te, o Domine exercituum, Deus Sabbaoth. Rex Magne, sublimis, excelse, Ascensor, & Possessor Cæli, amabilis, desiderabilis, incogitabilis. Dives in omnes. Solus divitiæ. Omnipotens, Legislator. Beate, Beatitudo, Salvator, Salus, Merces, Glorificator, Suscitans ex mortuis, Primus & Novissimus, Finis finium omnium, Summum, Ultimum, Supremum Bonum, Bonitasque completissima, & Essentialis.

22. Confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo Te, o Deus Unitas, o Deus Trinitas. Pater ingenitus, à quo omnis paternitas, à quo omnia. Filius Verbum, Imago, Unigenitus, Splendor, & Candor lucis æternæ. Speculum sine maculâ. Figura Paternæ Substantiæ. Sapientia genita, æterna, increata. Virtus Dei, brachium Dei, per quem omnia. Spiritus Sanctus, Amor. Vinculum Patris, & Filii: Donum. Sanctificatio. In quo omnia.

23. O Trinitas Deus, qui es id, quod es: qui quod es à Te es: qui abyssus Essendi es. Toto me confiteor, amo, veneror, glorifico, laudo, exalto, gaudeo te esse qui es: te esse id quod es: propter te: Toto me, (quia verò id Nihil est, sicut totus nihil sum; ideo) Toto te, volo tibi Te. volo tibi quidquid es. & gaudeo quia es quidquid es: & quia non es quidquid non es: gratias ago tibi, quia es quidquid es. & quia ex te ipso es. & quia hoc nulli, nisi ipsi, soli, uni tibi debes.

24. O Trinitas Unus Deus. Tu quidem Unum & simplicissimum, purissimû, perfectissimumque quiddam es: attamen quod est in Te tibi Optimum, nempe; Temetipsum; tibi volo toto me: toto Te: propter Te.

25. O Trinitas unus Deus, quidquid Cordis tui Voluntati præ omnibus placet, intra, vel extra Te, hoc totum Tibi volo: tibi gaudeo: tibi gratulor: toto me, Toto Te, propter Te.

26. O Trinitas Unus Deus, Omnipotens, Dignissime, Misericors, maxime: quoniam potes, scis, & vis, sicut potes, scis, & vis; inflamma, purifica, posside, illustra, penetra, transforma me totum Amore tuo: æternaliter, propter te. Ah! quando me tandem, ab omnibus separantibus à te, expedies? Quando memoriâ meam expurgatam ab omni imagine reddes? Quando illam te ipso uno, & solo replebis, & in te plenè, atque inconcussè stabilies? Quando te, mihi, & me tibi, præsentem habebo jugiter? Quando me suprà me elevabis, & adtrahes ad te, & intrahes in te? Quando securè, quietè, defecatè, purè, omnium oblitus, & ab omni alio non Te, nudatus; te ipso plenus; à te possessus; in te absorptus; te, per te possidebo? & perfectè constanter, & inamissibiliter tenebo?

27. O Trinitas, Unus, Dignissime, Omnipotens, Altissime, Laudabilissime Deus; sicut potes, scis, & vis, illucesce intellectui meo; & illumina illum: ut Noverim me, & te. Me in te, te in me, & in Te, propter te. Ah! quamdiu intellectus meus circa multa vagabitur, errabit, tenebitur? Ah! quando plenè purgatus, cognitione, & affectione hærebo apud te, & in Te? Ah! quando amoto velo speciei cujusque, in lumine tuo videbo lumen gloriæ, lumen beatum, lumen superessentiale? Quando revelatâ facie vultûs mei, vultum tuum Domine requiram, acquiram, & speculabor, gloriam tuam, & cognoscam te: non jam ex parte, sed ex Toto, sicut & cognoscor abs Te? Ah! quando suspensus de te, deficiam à me, & transibo in Te, & in loco tabernaculi tui admirabilis reficiar in admiratione gloriæ tuæ? Ah! quando sine cogitatione cogitabo? sine imagine intuebor, sine intellectu intelligam, sine affectu afficiar, & totus transradiabor, trâsfigurabor, transformabor, de claritate tuâ in claritatem tuam, tanquam à tuo Spiritu, in tuum nihilominus Spiritum?

28. O Trinitas, Deus unus, superdignissime, superoptime, superadorande, supermetuende, superlaudabilis, superamabilis, supergustabilis, super omnia: sicut potes, scis, & vis: quia potes, scis, & vis, dulcesce Affectui Amoris mei: & aufer à me illum totum: & inebria me affectu tuo: & recrea te affectu in te meo, ut amet te Charitas mea, amet me immensitas tua: vicemque rependam, ego quidem tibi in mensurâ; tu autem mihi in immensitate. O quando ardescet pigrum frigus meum igne tuo? & transflammatus in te, parvus erit mihi omnis amor, quo Creatura quævis diligit te? O quando vitali Amoris tui morte moriar, & in

igne

igne tuo consumptus favillescam, abibo-que in cineres dilectionis tui?

29. O Trinitas, Deus meus, Amabilis meus, & Amator amantium te, & inebriator amabilium, amatorum. O ebrietas Sanctorum, quando inebriabis me torrente superseraphici ardoris: & ardebit tibi tota substantia mea, totis viribus suis clamans jugiter, in omni momento, in omni tempore, in omni æternitate, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus; Deus Trinitas. Deus Unitas. Deus Una Trinitas. Deus Trina Unitas, omnipotens, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. O Ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris! ô Amor, qui semper ferves, & nunquam tepescis. Accende me: accendar (inquam) à te, ut amem te totus, & ardeam te totus, propter Te, toto Te.

30. O Trinitas Deus, unus in Trinitate, trinus in Unitate, lucem inhabitans, & in tenebris latibulum habens. Originalis abyssus, & abyssalis origo Bonitatis. Pater gratiarum, & Amoris. Verus, Vivus, Unus, solusque Deus, cui non apponetur alius ad eum: toto me, te adoro, te amo, te prædico, te glorifico, te superexalto, te laudo, tibi gaudeo, tibi gratulor, tibi gratias ago, te veneror, te timeo, in te credo, abs te spero, in te confido, te desidero, te amplector, ad te anhelo, te stringo, tibi supplico, tibi me trado, tibi me dono, tibi me debeo, tibi me dedico.

31. O Trinitas Deus, totus abyssus omnium: totus omnia: totus totum: totus Esse nostrum: & nihil: totus Essentia: totus Ens. totus Deitas. totus Deus. totus pelagus Deitatis. Nihilum Nihili, Nihil potentiâ, actu omnia: & omnitudo actualis. In quo omnia actu sunt, quæcunque in se esse possunt. Totum & simplex, & Unum, & omne Esse. Hoc te esse, & ampliùs, quod non capimus te Esse: toto Te, toto me, toto Universo, totis atomis Universi universalisatis: tibi gaudeo, atque gratulor: tibi supergaudeo: superque gratulor.

32. O Trinitas & Unitas Deus, Deus ignitissime: omnitudinem tuam, omnitudo mea, omnitudine Universi, Seraphicâ, Marianâ, Theandricâ, amat, adorat, benedicit, concupiscit, æstimat, exaltat, glorificat. honorat, intendit ignitissimè, incentissimè, intentissimè: laudat laudabilissimè, liberalissimè: magnificat magnificentissimè: optat optatissimè: reveretur reverentissime: sitit sitibundissimè, sapit saporatissimè, vult voluntarissimè, voluptuosissimè, vehementissimè, validissimè, zelat zelosissimè, tenet tenacissimè, tenerrimè, totalissimè.

33. O Trinitas & Unitas Deus. O Ignis Essentialis, Ignis consumens. Ignis substantialis. Ignis semetipso vivens, & ardens, & lucens, & omnia vivificans. Ignis ignitissime; Omnitudini tuæ, omnitudo mea, Universa, Seraphica, Mariana, Theandrica; benedicit, concupiscit omnem concupiscibilitatem tuam: dat, donat, devovet, dedicat sese devotissimè: gratulatur, gaudet gaudiosissimè, gratias agit gratiosissimè, tradit totalissimè, vilificat vilificatissimè, veracissimè, validissimè, zelat zelantissimè.

34. O superaugustissima Trinitas, ô superincomprehensibilis Unitas, ô superdesideranda, superqueamanda Divinitas; Toto me, desidero nosse te, Deum unum, solum, verum, summum. Desidero nosse te, summum, omne, ultimum Bonum. Desidero amare te super omnia. Desidero omnia in te, propter te, & pro omnibus, te, atque super omnia, te amare. Desidero exaltare te, & laudare, & glorificare te super omnia. Desidero videre te, possidere te, frui te, gaudere de te, requiescere in te. Desidero inhabitare te, & perire mihi in te. Desidero cognoscere, æstimare, facere, consummare omnem Voluntatem tuam. Desidero prædicare te omnibus, & ad te noscendum, colendum, amandum, habendum, adducere omnes. Desidero adorare, timere, venerari, colere te, cultu digno Te. Desidero credere, sperare, exaltare, te: cõquiescere, in te, & in æternùm regnare tecum propter Te.

35. O Essentiæ Trinitatis Unitatisque abyssus, Deus meus, aperi quæso abyssos amabilitatis tuæ: Charitatisque æternæ: & me Atomum, demerge in eis; absorbe in eis; sepeli, obrue, & perde æternaliter in eis.

36. O Deus in Trinitate Unus, in Unitate Trinus, Unus Essentialiter, Trinus personaliter; Utinam abyssus essem, totusque verterer in abyssum amoris, & laudis, & gaudii, & exultationis, & jubilationis, & desiderii, & profusionis, & amplexus & possessionis, & gloriæ, & glorificationis, atque beatificationis, & superexaltationis tui!

37. O Abyssalis Amabilitas Deus, fac me, qui etiam atomo minor sum; fac inquam, me abyssum; si non entitatis, at saltem Amativitatis & Amoris; saltem dilectionis & charitatis; ut absorbeam

te amore, sicut & tu absorbes me charitate.

38. O immensitas Deus, o Vastitas, o Essentialis charitas! O charitatis Essentia, & abyssale pelagus! O si, vel ad momentum transeam in te, absorbearque à te! ut te Deo meo, quantus quantus es, in te; fruar, & satier; poter & inebrier; hauriar & obruar; amando, atque laudando: tenendo atque fruendo, & sic per instans æternitatis semper manendo: semper ardendo: semper natando: semper vivificè, & beatificè pereundo: atque perennando.

39. Sed enim non licet Domine minimitati meæ, amare te, abyssalis entitatis amore. Scio quid faciam: In Nihilum meum descendo, & in Nidulo Nihilitatis meæ abyssos invenio. atque Te, totis abyssis, totis immensitatibus, totis infinitatibus, totis nihilitatibus nihili mei diligo. Amat te, Deus, abyssalis Entitas tua: & amat eundem Te, abyssalis Nihilitas mea. abyssus abyssum invocat, & provocat: æmulatur, & adæquat; nec altera alteram superat. Etenim non est in Te major abyssus Entitatis, quàm in me est abyssus Nihilitatis. Amaris toto tuo Ente à te, amaris toto Nihilo meo à me. Et par est Amor. Neque ego vinco amorem tuum, quia Ens non sum. neque tu vincis amorem meum, quia Nihil non es. Tu amas te eo, quod ego non sum: nec esse possum. Ego amo te eo, quod Tu non es, nec esse potes. In hoc tamen ego me vinci à te fateor: quia tu amas te, & non potes non amare te: ego autem si amo te; non sine te amo te: & infelix, possum non amare Te. Et hæc est abyssus infelicitatis meæ, posse non amare Te. hæc est abyssus Nihilitatis meæ, posse nõ amare Te; quin & non posse amare te, sine te.

40. O Domine, per omnes abyssos Essentiæ, Deitatisque tuæ, obsecro: ut auferas à me, infelicem; & impotentiam amandi, & potentiam non amandi te; & induas me felicissimâ actualitate, atque Necessitate amandi te. O amem te Domine, amem te, amem, & amem, & super, superque amem. O Amo te Deus meus, Trinitas Deus, Unitas Deus. amo te Abyssus Deitatis. Amo te Charitas Deus; Bonitas Deus: Dignitas Deus: omnia Deus. Amo te, amo, & amo, & amo te Deus. Amo te toto me, toto Te, propter Te: Deus, Deus, Deus, in omnia sæcula Æternitatis: per quæ fuisti, per quæ es, per quæ eris Deus.

EXERCITIORUM
PARS III.
Erga Divinam Præsentiam.

EXERCITIUM I.

Decet Hominem semper DEI sui meminisse.

1. Cogita Deum tibi præsentem, semper, & ubique, per Essentiam suam, per Præsentiam, & perfectissimam tui intimorumque tuorum omnium cognitionem, & per Potentiam, sive ad omnium singularumque tuarum actionum cooperationem, perpetuamque tui, in tuo quocunque Esse, (naturali, & supernaturali) conservationem: & per hoc tui semper in suâ potestate contentionem.

2. Sine hac Dei ad te præsentiâ, impossibile est, te esse atque existere, vel per unicum momentum; impossibile est etiam te vel tantillum corpore animâve commoveri, seu aliquid etiam tenuissimũ agere, aut erga absolutum, omnimodumque Dominium Dei, vel ad momentum esse.

3. Hujus Dei ad te præsentiæ, in Deo quidem fons est Immensitas ejus: tum Essentiæ, quâ necessariò ubique est; tum Sapientiæ, quâ necessariò omnia intuetur, ac novit penitissimè; tum Omnipotentiæ, quâ necessariò omnia operatur, & absque ejus sive operatione, sive cooperatione fieri omnino Nihil potest, ne quidem ad momentum unicum. In Homine verò (& in omni aliâ qualicunque Creaturâ:)

turâ:) ejusdem Divinæ ad ipsum Præsentiæ, fons est, Nihilum hominis: quod homo ex semetipse Essentialiter est: aliquid autem sive esse, sive agere, sive posse, sive commoveri, sive cogitare, penitus ex seipso non potest, sed quemadmodum ad primum suum Esse, atque existere, exigit ut omnino à Deo sit, ita & ad quodcunque aliud esse, aut agere, necesse est, ut pariter hoc sibi conferatur à Deo.

4. Unde Paulus Apostolus diserte de omnibus Creaturis affirmavit: *Quia in Deo vivimus, movemur, & sumus.* Est quoque universaliter verissimum de omni Creaturâ, deque omni Creaturæ actione, illud quod Christus Dominus, restrictiùs ad omne opus salutis asseruit. *Manete in me, & Ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere;* Hoc Christi Domini dictum, dico esse in omni sensûs latitudine verissimũ; quia omnes Creaturæ, sunt veluti palmites in Deo tanquam in vite, ex quâ omne suum esse, vivere, agere, & quovis modo fructificare in rerum naturâ habent; quia sine ipso, & nisi manserint in ipso, conservatæ ab ipso, nihil possunt esse, nihil possunt facere.

5. Hujusmodi conditio cùm sit Hominis, (& Creaturæ cujusvis,) respectu Dei, manifestum est; necessum esse, ut & Deus homini semper adsit, imo & insit, per suam Essentiam, præsentiam, atque potentiam; & vicissim, ut homo semper Deo adsit, per Entitatem, à Deo illam accipiendo; per potentiam à Deo illam ad operandum quidlibet derivando; per præsentiam, seu cognitionem, Deum semper sibi, & sese quoque Deo præsentem cognoscendo; & meminendo.

6. Et de primis quidem duobus, nempe præsentiâ hominis ad Deum, per Entitatis, atque Operationis ab eo derivationem difficultas nulla est; cùm hominem sine his, & esse, & agere impossibile sit; sed de tertio, nempe de cognitione & memoriâ apud se Dei præsentiæ, magna, simulque admodum homine indigna, Deoque simul exosa, difficultas est. Magna dico difficultas; non quòd revera magna, & difficilis actio sit, Dei præsentis meminisse; sed quia hæc est misera, & infelix hominum conditio, quòd in hujusmodi actione supra modum supinè sint negligentes, consequenterque ignorantes; perinde ut bruti pisces, cùm in mari vivant, moveantur, & sint, se tamen ibi vivere, & moveri, & esse ignorant; sic homines licet quantiquanti sint ex Deo, & in Deo vivant, moveantur, agât, & sint; id tamen ignorant, seu veriùs negligunt, contemnunt, & usque adeo in Deum ingrati sunt, ut etiam immemores penitus existant.

7. Adverte igitur o homo, adverte, & medullitùs expende, quàm decens, dignum, necessariumque sit; te cognoscere, cogitare ac meminisse, jugiter Deum tibi præsentem; & te coram illo stare. Expende; quàm indecens, quàm probrosum, quàm absurdum sit, ut tu, (o Homo) Dei vel ad momentum obliviscaris; qui scis Deum perpetuò tibi adesse, tuique meminisse, atque curam omnem tui gerere; & ita quidem gerere, ut hâc tui memoria suâ, totum quidquid Es, habes, potes, speras, optas, operaris, tibi conferat; tu autem nihil ei memoriâ tuâ tribuas, sed solummodò tibi ipsi omnia naturæ & gratiæ, & gloriæ bona conquiras.

8. Age gratias Deo, & quia semper tibi præsens ipse est, & quia vult te esse suæ Præsentiæ memorem semper; Hæc enim memoria; est Animæ tuæ, totique tibi, veluti quidam perennis aquæductus, quo in te ex Divinæ Bonitatis fonte, imò mari, redundant infinita bona. Inde enĩ manat in Animam tuam Fides viva; Spes firma, Charitas æstuans, puritas integra, fervor semper increscens, devotio dulcis, diligentia operandi infatigabilis, reverentia Dei profunda, oratio, cumque Deo sermocinatio familiaris, refugium certum, requies indubitata & secura; denique omnium virtutum, gratiarum, & perfectionum thesaurus; præter omnia Naturæ bona.

9. Pudeat te tuæ, sive Infirmitatis, sive negligentiæ, sive ingratitudinis, sive malitiæ, sive ignorantiæ, atque cæcitatis, quâ in te id probri fiat, ut Deum, tibi intimè, & assiduè præsentem, vel non cognoscas, vel non cogites, vel cogitare meminisseque negligas, ac non possis.

10. Omni, atque infatigabili conatu labora; ut jugis, ac perpetua in te Divinæ præsentiæ cogitatio, memoriaque perseveret; nõ recedat à Corde, non ab ore, non ab opere, non à memoriâ, non ab amore, non à desiderio, non à veneratione, non à contemplatione, non à laude, non à reverentiâ, non à fruitione, atque possessione, & à tentione, atque ab intentione tuâ, Deus tuus, & Memoria

Act. 17. 28. — Joan. 15. 4.

illius. Imple Davidicũ Monitum: *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper.* Imple & Exemplum ejusdem Prophetæ, dicentis de se; *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Imple denique Tobiæ Monitum. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM: & consilia tua in ipso permaneant.*

Ps: 104. 4. Psal: 15. 8. Tob: 4. 20.

11. Pete à Deo: ut quemadmodum ille tibi nunquam non est, nunquam te nõ conservat, nunquam non tibi cooperatur, nunquam non facta tua respicit, & discutit, seu remuneraturus bona, seu castigaturus mala; ita tu quoque nunquam non cogites eum tibi præsentem, nunquam nõ ei omnia tua bona attribuas, nunquam non te totum eidem offeras, atque reddas, nunquam non omni opere, dicto, cogitatu, affectuque tuo, illi sanctissimus, ac ferventissimus, appareas, & perseveres.

12. Propone denique; cum Dei præsentis tibi auxilio, te velle; perpetuam ejus præsentis memoriam, in mente, & actione, atque affectione circumferre, & nunquam in hoc defatigari.

PRAXIS.

DEUS, cujus immensitatis nullus est finis: & ideo ubique præsens, ubique totus es, in quo etiam omnes & singuli vivimus, movemur, & sumus, sine quo etiam nihil facere possumus, & demũ cujus est omne quidquid habemus: conforta quæsumus, & adimple luce tuâ corda nostra: ut in Præsentiâ Majestatis tuæ semper incedere, semper esse, semper memoriam Tui, cum amore, & reverentiâ conservare mereamur.

EXERCITIUM II.

Periculosum est homini, DEI præsentis non meminisse.

1. COgita Deum tibi præsentem sẽper, & ubique, per Essentiam, Præsentiam, & Potentiam; ait enim: *Cælum & terram ego impleo*: quod si hæc; sine dubio etiam te.

2. Cogita, imò statue, tu quoque; te Deo præsentem totum quantusquantus es. Sicut enim pisciculus, ubicunque se verterit, mare in quo est invenit; Sic & tu, ubicunque es, in Deo es; Deum ubique invenis, tibi ampliùs, quàm te ipsum tibi præsentem. Et pisciculus quidem è mari egredi, vel extrahi potest, te autem extra Deum vel egredi, vel extrahi, impossibile est.

A 3. Tunc solùm extra Deum egrederis, quando Præsentis tibi Dei oblivisceris: atque sicut pisciculus ex aquâ extractus, perit, & moritur; ita tu, ex Dei præsentiâ, per Dei oblivionem tuam egressus, necesse est ut subitò pereas. *Non est* (ait Propheta) *Deus in conspectu ejus*: (Hominis) *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*: & alius similiter Propheta dicit. *Divisum est Cor eorum*: (à Deo, & ejus Præsentiæ memoriâ) *nunc interibunt.*

Psal: 10. Ose: 10.

4. Est ergo extremè periculosum homini: non meminisse Dei sibi præsentis, neque versari in ejus conspectu. Nullâ B enim ratione, vel citiùs, vel faciliùs, vel graviùs, quicunque Homo prolabitur in peccata, vel in vicinam peccatis negligentiam, ac mentis cæcitatem, vel in tentationum laqueos, vel in derelictionem à protectione Divinâ: quàm si memoriam Dei sibi præsentis, à Corde, memoriâque suâ deponat.

5. Etsi verò Præsentiæ Dei memoriâ possit esse, tum explicito, & expresso memorandi, inque mente Deum ut præsentem habendi actu; quo quis reverâ, & reipsâ meminit Dei sibi præsentis; & coram eo, atque cum eo actu versatur, operaturque; tum implicita, & virtualis; C ut fit, quando quis cum Deo, vel coram Deo, vel de Deo, vel propter Deum aliquid agit boni; esto tunc de Præsente sibi Deo nihil cogitet, neque ad Præsentiam ejus, suam vel cogitationem, vel memoriam advertat; & hæc implicita Dei memoria bona fit, nec Deo ingrata; cùm etiam sic Deus laudari possit, & in ejus gratiam multa bona fieri valeant; tamen prior ille, explicitæ, & expressæ actualisque de Divinâ apud nos Præsentiâ memoriæ modus, longè est Dei dignissimæ Præsentiæ congruentior; & Deo nobis Præsenti, nostraque omnia peni-D tissimè, familiarissimè, amicissimèque inspicienti, quin etiam nobiscum operanti, jucundior; & nobis ad omnem in Virtute, in Dei amore, & amicitiâ, in mentis puritate, in fervore devotionis, in decursu perfectionis, utilior, atque fæcundior; proinde etiam, & iste idem prior modus, habendus est, quantùm fieri potest, familiarior.

6. Per hunc enim actualis memoriæ Præsentis nobis Dei modum & usum, admodum nutritur, & augetur in nobis Unio, & familiaritas cum Deo. Amicitia item reverentialis, & reverentia amica, amorosaque Dei; circumspectio quoque, & attentio mentis, ut dignè incedat Deo, in omni-

in omnibus viis, seu operibus suis; Excitatio insuper efficacissima, atque perpetua, Cordis nostri, ad omnis perfectionis studium, ad placendi Deo ampliùs, & ampliùs, incessabilem conatum, ad Dignas Deo resolutiones animi faciendas, exequendasque, pro ipsius gloriâ, per opera heroica.

7. Dum enim Homo cogitat DEUM sibi præsentem, & se coram illo stare, fieri non potest, ut non alienissimus fiat, remotissimusque, ab omni non solùm peccato, sed etiam umbrâ peccati, ab imperfectione, à motu etiam pravo, & in tentationem declinante; fieri etiam non potest, ut Homo DEUM præsentem habens in memoriâ, non perstringatur ejus Dignitatis æstimatione, ejus Bonitatis amore, ejus Majestatis reverentiâ, ejus beneficentiæ gratitudine, ejus liberalitatis cupidine, ejus voluntatis subjectione, ejus Cordis, cordialisque gustûs, per omnia, & quàm maximè explendi, nunquam satis explendo desiderio. Hæc autem, & his similia, omnia sunt acerrimi, simulq; suavissimi, ac proinde & efficacissimi stimuli; quibus benè se ad Deum habens omnis Anima, supramodum, mirificè sublevatur, fæcundatur, erigitur, roboratur, animaturque ad agendum, versandumque cum Deo, coram Deo, propter Deum, in Deo, dignè Deo. His verò omnibus ferè destituitur, qui actualem memoriâ, præsentis sibi DEI, non habet: quantumvis virtualem utcunque habeat. Multò verò magis omnibus his bonis caret, qui præsentis Dei memoriâ caret.

8. Age igitur ô Homo gratias Deo: qui & tibi semper Præsens est, & te suæ præsentiæ semper memorem esse jubet: & qui te sui, tam sæpe, tamque diu immemorem, vel à gravi lapsu, qui tibi in proclivi erat, conservavit, vel graviùs prolapsum, tamen non destituit, sed benignè erexit: magis attendens quid suam Bonitatem tibi præsentem, quàm tuam malitiam sui non memorem deceret.

9. Confundere, quod Dei (& ô quanti Boni!) obliviscaris tam sæpe, & quidem tam vilibus causis, sive occasionibus, ab ejus Præsentiæ memoriâ, justissimâ, utilissimâ, necessariâque summè, abductus. Et qui omnium aliarum rerum, etiam meritò obliviscendarum, es memor; Dei solius es immemor: cùm tamen probè scias, ejus te sine gravissimo peccandi periculo, quin & ipsius peccati reatu, oblivisci non posse.

10. Pete à Deo, ut nunquam te ita ullis rebus, curisve immersum esse sinat, quominus illum tibi Præsentem esse cogites. Quod si quando secus evenerit, nō sinat tamen ideo vias tuas inquinari, sed potiùs, ut cor tuum, benigno ipsius instinctu, ad sese revocatum, te coram Deo præsente statuat.

11. Denique propone nunquam à corde memoriam præsentis tibi Dei deponere: sed magis curare meminisse, & attendere; quomodo, Deus quidem tibi coram adsit ut Dominus, tu verò coram illo sis, ut devotissimus, & ad omne opus Dei velocissimus servulus.

PRAXIS.

DEUS qui propter nos, in nobis, & nobiscum manere delectaris; & nos, tum Præsentiâ, tum memoriâ tui vivificas, quæsumus, libera Corda nostra, ab oblivione Præsentiæ tuæ, ut tui semper Præsentis memoriam retinentes; nunquam ad peccandum, semper ad tibi placendum declinemus.

EXERCITIUM III.

Pulcherrimi DEI præsentiæ memoria, facit nos quoq; Pulchros.

1. COgita Deum tibi præsentem, & te vicissim coram illo stare.

2. Hujus Dei semper tibi præsentis, tanta est Majestatis & Perfectionis Pulchritudo: ut de illâ dictum sit; *Speciosior est Sole: & super omnem dispositionem stellarum: luci quoque comparata invenitur prior.* Et rursum: *Oculi ejus multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, in absconditas partes.* (*Sap: 7. 29.* — *Eccl. 23. 28.*)

3. Hic adeo præsens nobis & pulcher Deus, omne quod pulchrum est, sive super Cælum, sive in Cælo, sive sub cælo condidit, atque ornavit; neque sibi quidquam de suâ pulchritudine detraxit. Quemadmodum Sol, qui à tot sæculis, lucem per hoc universum diffundit, nihil tamen hactenus de sui luminis abundantiâ deperdidit.

4. Hanc Dei pulchritudinem, quantò quis sæpius intuetur, tantò plus de eâ in sese derivat, & pulchrior quoque efficitur. Quod hujus solius pulchritudinis proprium est: aliæ namque pulchritudines id non habent.

5. Nimirum, pulchritudines aliæ Creatæ, ex Nihilo, & mortuæ sunt, atque ideo steriles: at Divina Pulchritudo vitalis

talis est, Creatrix est, nec potest nisi cõmunicatrix esse sui: imo neque unquam potest videri ab ullo, nisi ab eo, qui suæ communicationis capax sit, ideoque idem illi est videri & communicari, ideo etiam quisquis eam intuetur pulchrescit: & quò quis penitiùs frequentiùsque in eam figit obtutus, eò plus pulchritudinis ad se adtrahit.

6. Si quis curiosus es, hìc esto: hìc curiositas innocens est: sed Oculos Cordis exere. Nam solo corde hæc pulchritudo videtur: solum Cor hac pulchritudine pulchrius redditur. Hoc ergo emũda. Nam beati mundo Corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Videbunt, & pulchrescent: videbunt, & videndo non explebuntur: quia semper nova invenitur, licet Nihil eâ antiquiùs sit.

7. Age gratias Deo: quòd tibi semper præsens esse velit: ut tu ejus pulchritudinem, memoriâ, & mente intuens semper, tu quoque pulcher fias: habeasque ad manum exemplar, cui te conformes, & cujus pulchritudinem mireris, appetas, laudes, imiteris, induas.

8. Confundere: quòd in conspectu tam Pulchri tibi præsentis Dei, tam fædus ipse sis, tam fæda patrare non erubescas, tam imperfecta, & scatentia nævis bona ipsa tua, illo præsente facere sustineas: illique offerre audeas: qui Nihil coinquinatum admittit: & serviri sibi vult corde mundo, atque perfecto.

9. Pete ab hoc Deo, ut Pulchritudine suâ oculos Animæ tuæ purificet: quò possis dignè speculator esse pulchritudinis ejus. Neque solùm eos purificet, verùm etiam sic eos in sui admirationem, amorem, cupiditatemque rapiat, ac in studio sui æternaliter defigat: ut eos tu, etiam volens (quod tamen absit) avertere, avellereque non possis: sed velis nolis, Deum cogites, Deum videas, Deũ toto voluntatis tuæ conatu affectes.

10. Propone constantissime ita vivere, ut in opere tuo quolibet, te ad Pulchritudinem Dei quàm maxime possis, conformes: & sicut *Viæ DEI, viæ pulchræ sunt*, ita & semitæ tuæ (affectûs scilicet atque studia) sint mirabiles, sint desiderabiles, sint quasi lux splendens procedentes, atque crescentes, usque ad perfectum diẽ, Divinæ nimirum pulchritudinis, viarumque illius similitudinem, per puritatis, atque perfectionis ejus imitationem.

11. Propone quoque familiarem tibi reddere Divinæ pulchritudinis cogitationem, memoriam, contemplationem: nulla sit ut dies, nulla hora, (utinam & momentum nullum) quin oculos Cordis tui in eam defigas.

12. O quàm pulchra enim est Essentia Dei, Trinitas atque Unitas, Bonitas, Charitas, Sapientia, Misericordia, Justitia, Potentia, Veritas: & quidquid demum in Deo, imò Deus est, totum Pulchritudo ipsissima est, quam videre Vita est, vita beata, vita æterna, vita, in quâ est omnis vita, & sine quâ nihil est, nulla est omnis vita.

PRAXIS.

O Pulchritudo antiqua semper, & nova semper, DEUS: apprehende, & rape: tene & dulcesce: imple, & posside oculos Animæ meæ & transforma illam in omnem similitudinem tuam. Hæc est enim Vita æterna, & omne bonum; pulchrescere a Speciositate tua, & induere illam sive, quàm completissimo, tibi simillimo, atque etiam simul complacitissimo modo, &c. Nunc ergo Domine, qui pulcher es, & decorus, & omnia tibi conjuncta pulchra facis, & decora, infunde mihi pulchritudinem quam diligis in te, quam cupis in me.

EXERCITIUM IV.

Memoria DEI nobis præsentis, vult, & facit nos Sanctos.

1. COgita DEUM semper, & ubique tibi præsentem, & te quoque coram illo, cujus oculis omnia nuda sunt & aperta, nec est invisibilis ulla Creatura, ullavé Creaturæ conditio, aut operatio, in conspectu ejus.

2. Ille est, qui dicit & imperat omnibus: *Sancti eritis, quoniam & ego Sanctus sum:* (Lev: 11 44) ille est: qui Abrahamo præcepit, & idipsum simul omnibus servis suis indixit: Abraham: *ambula coram me; & esto perfectus.* (Gen: 17 1) Tales nimirum vult esse suos Amicos, qualis ipse est: perfectos sicut ipse perfectus est, innocentes, sicut ipse innocens est, Sanctos sicut ipse Sanctus est. *Sanctificabor (inquit) in eis, qui appropinquant mihi.* (Lev: 10 3)

3. Propterea, etsi omnibus creaturis, potissimùm tamen suis servis, & justis, adest semper præsens: tum ut semper paratum habeant in ipso refugium atque auxilium: tũ ut semper intueatur omnes commotiones ipsorum, conversionesque cordium, & affectionum ipsorum: tum ut se illis in speculum, atque specimen. & regulam exhibeat perfectissimam, ad quã

quidquid

præsens, Deus? Hunc Deum, non facit quidem absolutè præsentem nobis in nobis, memoria nostra; nam sine nostrâ memoratione, aut cogitatione, aut affectione, præsens est in nobis Deus: facit tamen suo modo præsentem nobis, & in nobis Deum, cogitatio, & cognitio nostra: quia ut salutariter nobis præsens Deus sit, hoc facit cogitatio, atque cognitio nostra. Alioqui non plus nobis conferret ejus Præsentia in nobis, quàm brutis, aut saxis proficit, eadem Dei præsentia in ipsis.

2. Fructus Præsentiæ Dei memoriæ, est ipsa memoria & cognitio Dei præsentis. *Hæc est enim* (ait Dominus Jesus) *vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.* Et ipse apud Prophetam Dominus. *In hoc glorietur, qui gloriatur: scire, & nosse me, quia ego sum Dominus.*

Joan: 17. 3.

Jer: 9. 24.

3. Fructus, Præsentiæ Dei memoriæ, est Incentivum Amoris Divini, paratum semper, atque veluti in promptuario reconditum. Sicut enim ex pharetrâ sagittas ad jaculandum, ita amoris Divini jacula, ad evibrandum ex memoriâ Dei præsentis, promere facillimum est. Nam quis non amet Deum, summum utique bonum, habens illum, & videns, sibi, & in se, propter omnia sua bona, Naturæ, Gratiæ, Gloriæque æternæ impertienda præsentem?

4. Fructus, Desiderium Dei. Anima dicitur vivere desideriis, sed si feratur in bona veram vitam conferentia. Tale bonum est solus Deus, & ex eo reliqua. Deum ergo desiderare vita est Animæ. Atqui scire, & habere Deum sibi præsentē, & facit, & implet omne desiderium.

5. Fructus, Æstimatio, exaltatio, laus Dei. Qui Deum præsentem sibi novit, quid primum, quidve aliud agat non habet, nisi ut inæstimabiliter æstimet, atque super omne pretium appretiet Deum: & totus laudem, in laudemque ejus operetur, corde, ore, manu, toto se.

6. Fructus memoriæ Præsentis Dei, pretiū Hominis ipsius, quis enim se Deo plenum sciens, contemnat se? Acceptus homo, (& omnis Creatura) sine Deo, non aliud quàm nihil est; at Deo plenus, unde contemnatur non habet: nisi fortè quantum minùs de Deo habet: & unde pretiosissimus sit, utique ipsum Deum habet.

7. Fructus, Possessio, fruitioque bonorum Dei, & gaudium de illis, Deus enim homini præsens, non nudus, neque vacuus inest, sed omnia bona sua secum infert. Nec infert, ut tantùm ostentet: sed ut ea homini elargiatur etiam universa, si audet homo dilatare se ad capiendum universa. Quod si homo inops bonorum Dei est, habens Deum; ipse sibi imputet. Usque adeo dives est Homo DEO, & ejus Bonis, ut non possit iis privari, nisi se ipse iis privet: quamvis & tunc illa habet in se, sed non sibi, nec usui suo habet.

8. Fructus, Assiduus Dei contuitus. Dei, qui Pulchritudo, qui Dulcedo, qui Serenitas, qui Suavitas est: & eum in quo est talem facit. Nam Deus nec videre quenquam, nec videri à quoquam potest, nisi eum sibi assimilet: quomodo lux, seu videat seu videatur, illuminat.

9. Fructus, Regula, & Norma vivendi, agendique infallibilis, & semper expedita, atque applicata. Ex præsentis enim DEI aspectu, quisque discit, & habet, quid agat, quomodo, quare agat, discit agere propter Deum, & instar Dei, discit ambulare cum Deo, coram Deo, in Deo, ex Deo: discit normam & mensurā omnis actionis, omnis desiderii, omnis pretii: discit gradum, ideamque omnis Virtutis, & in Virtute perfectionis.

10. Fructus, Auxilium Dei ad omnia. Ex DEO namque cùm procedant omnia tanquam ex fonte, quisquis DEUM habet; omnem & omnium fontem habet: omne auxilium, omne robur, omne levamen, omnem stimulum, omne pretium, omne præmium habet: & non fide, neque spe solâ, neque desiderio aut promisso solo, sed reipsa, & usu, suo proprio, in manibusque suis, si modò scit, & vult, penitus habet. Inde est gloriatio Davidis, gloriationisque etiam causa. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum: & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.* Ita nulla portio hominis destituitur auxilio, quando DEUM in homine præsentem, non destituit hominis recordatio.

Ps: 15. 8.

11. Fructus, Promptus, paratus, proximus, & in manu, ac planè intimus Deus. Adquid enim semper præsens: nisi ut ubique sit in promptu? Audi homo Deum contestantem tibi præsentiam promptitudinemque suam: *Ego Dominus DEUS tuus, apprehendens manum tuam, dicensq; tibi; Ne timeas: ego adjuvi te. Noli timere vermis Iacob: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & Redemptor tuus Sanctus Israel.* Audi & iterum repetentem. *Et erit, antequam clament, Ego exaudiam: adhuc illis loquentibus; Ego audiam.* Orare vult aliquis? habet DEUM in se-

Isaiæ 4. 14.

Is: 85. 24.

metipso quem oret. Consulere vult, opē vult, vitam, sanitatem, refugium, veniam, gratiam, indulgentiam, sapientiam, justitiam, misericordiam, quidquid demum vult; cum omnibus his ad manum habet Deum. *Non enim longè est ab unoquoq; nostrûm:* (ait Paulus:) *in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Eidem etiam cum Ieremiâ dicimus. *Tu autem in nobis Domine: & nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.*

Act: 17. 28.

Jer: 14. 9.

12. Fructus, Unio cum Deo, atque cōjunctio, omnino arcta & inseparabilis: non cogitabitur intimior, non arcta magis, non est aqua intimior spongiæ, non ignis candenti ferro, non lumen aeri, nō anima corpori, quàm Deus homini. Quodsi accedat Unio Dei per gratiam, atque per beatificam gloriam; summa, omnis, completa est. Et quænam felicitas huic comparabitur felicitati: suam si homo felicitatem nôrit?

13. Fructus, Affiduus convictus, conversatio, familiaritas cum Deo, quid tam assiduum, quidvé tam familiare, quàm neque spirare sine Deo, neque ictum oculi, nec motum digiti, nec mentis cogitatum facere posse, quin simul tecum faciat idipsum DEUS? Neque tamen tecum ô homo, quando tu peccas, peccat Deus: sicut quando claudus claudicat, non tamen Anima ejus claudicat, quamvis sine Animâ ille non claudicat.

14. Fructus, Transitus in affectiones, in mores, in Vitam ipsam Dei. Sanè qui ex Dei Præsentiâ, seu ex Præsentis memoriâ vivit, ille verè potest dicere; *Vivo ego jam non ego, sed vivit in me DEUS.* Vulgò dicitur: qui cum claudo coambulat, claudicare discit: quia nimirum familiaribus mores familiarium adhærescunt: Cur nō etiam: si quis cum Deo vivit, vivere divinè discat? si quis familiariter cum Deo agat, cur non moribus ejus imbuatur, & insuescat? Hoc Deus optabat evenire Abrahamo amico suo: cùm ei præcepit: *Ambula coram me, & esto perfectus:* hoc fecit Deus evenire amico item suo Enoch: qui *ambulavit cum Deo, & non apparuit: quia tulit illum DEUS:* hoc etiam accidit Amico Dei Moysi: cujus facies radiante lumine cornuta videbatur spectantibus, ex frequēti, & longo consortio sermonis Dei.

Gal: 2. 20.

Gen: 7. 1.

Gen: 5. 24.

15. Hi: & plures his sunt (de quibus Exercitio sequenti) fructus exercitii, & memoriæ Præsentiæ Dei. Quos si hactenus non percepisti, tuæ id deputa culpæ, sive ignaviæ, sive inconstantiæ, sive ignorantiæ.

16. Erubesce coram DEO propterea: atque dole, quòd per tuam culpam, tot, tantisque fructibus privatus inveniaris.

17. Propone deinceps resolutissimâ constantiâ, huic te Exercitio totum impendere: exercitiumque hoc omnibus actionibus vitæ, internis, externisque accommodare: ita ut nulla à te suscipiatur agaturvé, quæ non ex memoriâ Præsentiæ Dei, non ex mente, gustuque ejusdem Præsentis profecta, & perfecta sit.

18. Ad extremum, pete à Deo: ut faciat te gustare suavissimos hujus Exercitii fructûs: ut (inquam) faciat te gustare: quoniam dulcis, & rectus, & suavis est Dominus his, qui adhærent illi, memoriâ, intellectu, voluntate: quoniam quicunque requirunt, & reverentur faciem ejus semper, eorum corda vivent in sæculum sæculi.

PRAXIS.

O Scire, ô meminisse, ô Amare DEUM Præsentem! ô ex illius Amore, Dignitate, Honore, Voluntate, Normâ omnia semper agere! ô gustum cordis ejus semper explere! ô coram illo: ô cum illo ambulare? ô in ipso: ô ipsum esse!

EXERCITIUM VII.

De fructibus quos in nobis facit memoria Præsentiæ DEI.

1. Constitue te coram DEO præsentem, vicissimque coram te, imo in te Deum intimè habitantem: Hanc tui constitutionem perfice per recordationem, cogitationem, seu contemplationem, & per affectionem, quantùm prævales ardentem, simulque assiduam.

2. Ad hunc laborem (si tamen revera labor, non potiùs requies est) animent te, tam multi, quàm & magni fructus, quos tibi labor iste fecundissimè parturiet, dūmodò ne ipse impedimentum opponas.

3. Est enim memoria præsentiæ Divinæ, exercitiumque Animæ circa illam, simile illi terræ bonæ, quæ Divino semine suscepto, facit fructum, tricesimum in incipientibus, sexagesimum in proficientibus, centesimum, millesimum, & ampliorem etiam in perfectis.

4. Memoria Præsentiæ Dei, excitat peccatores ad pœnitentiæ fructus dignos faciendos, ad perseverandum in eis, ad evellendas spinas peccatorum, ad tollenda saxa vitiorum, ad edomandas passio-

nes, ad moderandos sensûs, ad odium, & mortificationem sui, ad contemptū mundi, propter timorem Dei.

5. Memoria præsentiæ Dei, promovet justos ad opera Virtutum, ad Misericordiam, ad Charitatem Dei, & proximi: ad imitationem Christi, ad amorem Crucis, ad dominium cupiditatum, ad frenationem desideriorum, ad studium placendi Deo, ad cultum conscientiæ, ad curam puritatis cordis, ad amorem cælestis Patriæ, ad cupiditatem & conquisitionem meritorum, & Gratiæ.

6. Memoria Præsentiæ Dei, inflammat perfectos ad assiduitatem orandi, & cum Deo loquendi, conversandi, familiariter agendi, ad contemplationem Majestatis & Dignitatis ejus, ad redamationem Caritatis ejus, ad Zelum gloriæ ejus, ad Unionem intimam cum Unitate ejus, ad transformationem in Voluntatē ejus: ad imbibendam similitudinem ejus, ad perdendum se in vitā ejus, ad sepeliendum se in beatitudine ejus: ad perfruendum facie Unitatis, atque Trinitatis, Essentiæque illius.

7. Memoria Præsentiæ Dei, facit hominem impeccabilem suo modo: non minùs singulari quàm efficaci: sicut enim in oculis parentum filii, in oculis moderatorum pueri, in manibus directorum, ipsi equorum, aliorumque brutorum pulli, cohibent licentiam, dediscunt ferocitatem, induunt disciplinam: sic, atque certè multò magis, in oculis Præsentis, atque omni reverentiâ dignissimi Dei, facilè omnis dediscitur petulantia: discitur modestia: frenatur effrenatio: abiicitur cupiditatum præcipitatio: omnis autem assumitur & custoditur disciplina. Idque tantò efficaciùs, simul ac suaviùs, atque constantiùs, quantò promptior est Deus (est autem promptissimus) ad confirmandum Gratiæ suæ Auxiliis, eos; qui seriò connituntur per omnia placere, cavent in aliquo displicere Divinis oculis ejus.

8. Beatus Dorotheus, discipulum in spiritu suum Dositheum, Adolescentem nuper in sæculo satis licentiosum, unico memoriæ Præsentis sibi Dei exercitio, non tantùm omni morum exuit licentia, sed etiam adeptione omnis Perfectionis, præcipuis ordinis sui Sanctis in cœlo æquavit: & quidem tantum intra quinquennium vitæ religiosæ, idque valetudine semper infirmâ utentem.

9. Atque ideo hoc etiam est intèr fructus memoriæ Præsentis Dei computandum: quod isto Exercitio, & vix ullo similiter alio, deveniatur facillimo, suavissimo, citatissimo ad omnem in Virtute & Sanctitate perfectionem, consummationemque cursu, & gradu. Neque hoc cuiquam mirum aut incredibile esse debet: sed potiùs debet esse omnino certum. Cætera enim Exercitia spiritûs, anfractibus quibusdam circumducunt animam religiosam piamque ad perfectionem: ad quam etiam, quia tardè ducunt, sæpè non deducunt: morte vitam brevem, viam verò longam abrumpente. At Exercitium memoriæ præsentis Dei, felici, & simul facili, omninoque efficaci compendio, ab imo ad summum perfectionis, fundatè & solidè ducit, atque deducit.

10. Ut enim si calefacere aut ignire velis massam ferri, quidquid alterius industriæ ad id adhibueris, parum quidem in proposito promovebis: atsi ferrū igni grandi admoveris, seu injeceris, inibique constanter tenueris; ferrum quidem ferri naturam non exuet, sed ignis naturam pænè assumet: & omnia quæ nsturæ ignis sunt obtinebit: sic planè, si Virtute ac Sanctitate Animum imbuere, variis industriis conatus fueris; aliquid quidem fortè, etsi tardè, & lento passu facies: at si Memoriam Præsentiæ Dei, constanter, & instanter Animo tuo admoveris; omnibus Virtutibus, hoc est, Divinis ornamentis, sanctitatisque gradibus, tam facilè, quàm & citò, feracissimoque proventu, nec non & solido, atque constanti, adimplebis. Neque enim minùs ad Divinam Præsentiam pertinet, subjecta sua sibi assimilare, & quasi indivinare, quàm est igni naturale, ea quæ sibi injecta habet, ignire.

11. Memoria Præsentiæ Divinæ, facit hominem imperturbabilem: atque ad omnia quæ vel in ipso, vel circa ipsum variè, & quovis etiam turbato, confuso, tumultuario modo aguntur, immotum, ac veluti non sentientem: vel extra supraque omnia elevatum. Est enim Deus, & ejus in homine, seu mente præsentia, atque ejusdem Præsentiæ memoria adinstar Olei: Oleum enim effusum nomen Domini, quod sævas maris æstuationes sedat superinfusum, & omnibus ejus fluctibus supernatat: sic enim etiam Dei præsentis memoria menti humanæ immanens, quoscunque, sive passionum ipsiusmet, sive circumvallantium curarum, negotiorum, turbarumque tumultûs compescit, componitque, & calcari à mente sic facit, ac si esset (uti de facto est) &

supra, & valde remotè, procul extra omnia turbamenta: soli Deo inhærens, & tanquam petræ inviolabili insistens, ideo de hujusmodi dicitur. *Qui confidunt in Domino, sicut Mons Sion.* (Ps: 124. 1.)

12. Hisce fructibus, diligenter, pro eorum magnitudine, atque dignitate æstimatis; Exardesce quam potes famelicissimo eorum desiderio: eorumque cõparandorum quàm resolutissimo, & obfirmatissimo studio: tum quia sine eo haberi nihil potest ejusmodi bonorum Divinorum: tum quia hæc bona adeo sunt singularia, ut in eis conquirendis operæ pretium sit etiam plurimùm conari.

13. Quia verò conatûs humani hic possunt nihil, nisi adsit copiosa, & efficax Gratia Dei, quæ conatus nostros & excitet, & adjuvet, & conservet: istam diffidente, & desperante de te, deque viribus tuis, fiduciâ, & supplicatione, à Deo emendicare semper in usu habe: certus, quia *Dominus dabit Spiritum suum bonum petentibus se.* (Luc: 11. 13.)

14. Admirare, tum profusam liberalitatem Dei, tam prodigè Creaturis suis Præsentiam suam, fructusque ipsius indulgentis: tum supinam, inveteratamq; tuam negligentiam, vel ignorantiam: quâ factum est, ut tu hucusque, vel penitus, vel magnâ ex parte, tam pretiosis fructibus privatus, tamque simul gravibus ob hanc privationem damnis afflictus sis.

15. Exardesce, ad hæc damna reparanda, fructusque hos conquirendos: tantùm insudare postmodum, ad eorum obtentionem statuens; quantùm & superiorum temporum negligentiâ damnisq; doles: & ipsorum fructuum insignis raraque excellentia, merito suo, & judicio tuo exigit.

PRAXIS.

Domine DEUS noster: qui Præsens habitare in nobis, pro tuâ ineffabili Bonitate, non tantùm eligis, sed etiam delectaris: fructusq; hujus Præsentiæ tuæ in nobis liberalissime multiplicas: da nobis copiosum gratiæ tuæ auxilium, ut per ejus opitulationem, & tuâ Præsentiâ digni, & fructibus ejusdem Præsentiæ tuæ pleni esse mereamur.

EXERCITIORUM
PARS IV.
Erga DEUM amandum & reverendum.

EXERCITIUM I.
De Necessitate, Æquitate, Vtilitate, Amoris, ac Reverentiæ erga DEUM.

1. Statue te coram Deo, summo, immenso, infinito per hæc omnia, quæcunque benè cogitari possunt de ipso: te verò vilissimum vermiculum, ejus tamen opus manuum, illi per omnia obligatissimum, quàm condignissimè affici: quod ut prævaleas; desidera, conare, postula, perfice.

2. Inter has Affectiones, quibus præcipuè Hominem (& omnem Creaturam, Rationalem inprimis,) erga Deum condignè affici oportet; omnino, sunt duæ: nimirum Amor & Reverentia. Sive Amor reverens, & Reverentia amans Deũ.

3. Hujus sive duplicis, sive unius ex duabus conflatæ Affectionis erga Deum, in omni Homine (& Creaturâ) est summa Necessitas, summa æquitas, seu obligationis congruitas, summa utilitas.

4. Necessitas amandi & reverendi Deum, tanta nobis incumbit hominibus, quantum incumbit necessariumque est cuilibet nostrûm, Hominem esse. Imò verò, magis, & longè quidem magis, incumbit nobis illud, quàm istud. Ut enĩ Homo sit, vel existat, nihil cogit, neque cogere potest: sed est totum hoc, solius liberæ Voluntatis Dei Creatoris, quem ad Creationem alicujus Creaturæ, nulla simpliciter cogit Necessitas, nisi sola ejus Voluntas: at verò, ut Homo Deum amet, ac revereatur; hoc exigit, atque cogit, ipsa Hominis Essentia, & Existentia: ita ut præstet non esse Hominem, quàm non amari, &non revereri, ab illo Deum: quod Domi-

Dominus JESUS asseruit de Judâ proditore: quia *melius erat ei si natus non fuisset*. (Mat. 26.24)

5. Æquitas & congruitas, atque obligatio amandi à nobis, atque reverendi DEUM, tanta est; ut nullum sit majus & strictiùs obligans debitum, quo quidem possit Homo vel Creatura obstringi Deo; quàm hoc; ut in Amore, & Honore atque Reverentiâ sit apud illam Deus. ab omnibus aliis debitis eximi forsan potest: sed ab onere, debitoque amandi & reverendi, ne quidem per absolutam, omnemque Dei ipsius potentiam, absolvi potest: nisi per solam hominis annihilationem: aliàs, ut existentem in rebus hominem, Deus, à sui amandi, & reverendi honorandique debito absolvat, debet priùs negare seipsum, tam sibi, quàm Homini. dedet negare se esse id quod est: nempe Deum; & summum, & perfectum Bonum: & debet Homini negare, eum à se esse, à se jugiter dependere, sibique omnis sui Esse debitorē esse; quæ omnia impossibilia, ac Deo repugnantia sunt.

6. Utilitas, simulque Honestas, ac Jucunditas amandi, & reverendi, honorandique Deum, hæc ipsa una, prima, sola, summa est: quia nihil utilius, nihil dignius, honestius, delectabiliusque agere potest Homo; (& quævis Creatura) quā circa Deum suum occupari, cum eo agere, cum eo esse, illi esse, illi affici. Hoc verò totum fit non aliter, nisi amando, honorando, reverendo illum, amanterque, ac reverenter tractando cum illo. Omnia alia quæ cum Deo, vel circa Deū, vel propter Deum facimus, si non facimus amanter, & reverenter; non tantùm utilia, honestavè non sunt, sed potiùs inepta, insipida, inhonesta, inutilia sunt; potiùs indigna homine, magisque etiam Deo; eidem injuriosa, conrumeliosa, & ipsum dehonorantia, atque contemptifica sunt.

7. Atque hæc quæ dicta, licet paucis, sunt; manifestè declarant, hominem, prout nihil connaturalius, æquius, honestius, utiliusque agere, quàm cum Deum amat, honorat, reveretur: ita contra nihil magis contra Naturam, & suam, & Dei facere, nunquam iniquiorem, probrosiorem, damnosiorem sibi, ac etiam Deo esse, quàm dum Deo amorem, reverentiam, honoremque derogat, & quiddam aliud magis quàm Deum diligit, atque veneratur.

8. Inde est, & hoc sibi vult magnum illud, summumque in Lege Dei mandatum, in omnis Naturæ & Essentiæ Creaturæ (rationalis præcipuè) visceribus medullisque sculptum, & indelebiliter exaratum. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto Corde tuo, & ex totâ Animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ, & ex totâ mente tuâ, & ex totâ virtute tuâ, & ex omnibus viribus tuis: eruntque verba hæc in Corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostiis domus tuæ.* (Deut: 6. 8.) Quâ adeo diligenti præcepti hujus intimatione, declarare utique Deus voluit, & necessitatem, & æquitatem, & utilitatem, honestatemque istius affectionis, quam Deo Creaturæ omnes imprimisque homô debet.

9. Nec aliud sibi vult illa Pauli, Paulo dignissima Vox. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, etsi habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; & si distribuero in Cibos pauperum omnem substantiam meam; & si tradidero Corpus meum ita ut ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil sum: nihil mihi prodest:* (1. Cor. 13. 1.) quæ dicta; pariter Reverentiæ Dei competunt.

10. Nihil enim potest esse in Divinis oculis pretiosum, & ad præmium conducens homini apud Deum, nisi quod fit cū Amore & reverentiâ Dei perfectum: & versâ vice: quidquid Amore ac reverentiâ Dei condiveris, id acceptissimum Deo, id mercede dignissimū coram ipso.

11. Quare ex omnibus quæ homini debent esse certissima & notissima in intellectu, & commendatissima in Affectu, & frequentatissima in effectu: hæc sunt duo; Amare, & Revereri, seu Honorare Deum, ex omnibus, totisque viribus substantiæ suæ, omnibus quoque momentis (quantum hæc vita patitur) vitæ, & existentiæ, & operationis suæ: ut credat pro certo, se eo momento non vixisse, quo Deum non amavit, vel non honoravit. Credat etiam pro certo, omnem tam actionem quam passionem seu mutatione suā se planè perdidisse, & minimùm, otiositatis reum esse, quam Divino Amore, amorivè, reverentiâ item, & reverentiæ, honorique non sacravit.

PRAXIS.

DOmine DEUS meus: tu cognovisti, atq; de Nihilo per tuam omnipotentem Bonitatem eduxisti, efformastique omnem Substantiam meam. Tu creasti, & dedisti mihi totum me, ut essem tibi in servum amantem, & reverentem, honorantemque te.

que te. Impressisti tanquam indelebile signaculum, debitum istud Amoris, ac Venerationis tui, universæ substantiæ meæ. Inde est quod non vivo si non amo te: inde est quod mors mihi est non revereri te: imo hoc mihi est omni morte pejus, non amare, non revereri te. Ergo Domine DEUS meus: diligo, & diligam te, revereor, & reverebor te, ex toto corde meo, ex omnibus viribus meis: ex omni substantiâ meâ; & nunc, & in æternum, & in sæculum sæculi.

EXERCITIUM II.

De Fontibus Amoris, & Reverentiæ DEI.

1. Statue te coram DEO, super omnia summa summo: super omnia Entia Essentialissimo: super omnia perfectissima perfectissimo: te verò, super omnia contemptibilia contemptibilissimum.

2. Metire DEUM in excelsum sursum, te autem in profundum deorsum: ibi enim sunt inexhausti, atque planè abyssales fontes amandi, reverendique Deum super omnia: humiliandi & vilificandi teipsum infra omnia, factâ comparatione horum inter se per omnia.

3. Metiri seipsum Homo (& omnis Creatura) & potest, & debet modis duobus. Primò secundùm quod est ex ipso se: secundò, secundùm quod est etiam ex Deo: Si homo se metitur secundùm quod ex semetipso est: videt se ex se Nihil merum esse, nihil posse, nihil habere, nihil agere, nihil mereri boni, quod vel tantillum bonum sit: sed purum suum, essentialeque patrimonium esse, Nihilum, & ex Nihilo manantem omnis generis defectum: & specialiter, omne peccatum: inde verò omnis supplicii reatum atque debitum. Quare si rectè homo de se, Deusque, & quisquis alius de ipso judicet; judicare debet se esse abyssalem quandã abyssum miseriæ, abjectionis, ac perditionis, & ruinæ in omne malum.

4. Si homo metitur seipsum secundùm quod ex Deo Creatore, conservatore, benefactore est; Est quidem Homo sic spectatus aliquid, & habet bona aliqua, & quidem quoad hominem magna satis, & eximia; omnia tamen humanis miseriis ex Nihilo ejus emanantibus intimè permista, fragilia, limitata, inquinata, amissibilia, aliena, hominem non tam ornantia, quam onerantia, debitoremque inexsolubilem Deo constituentia: denique adeo exilia, & minuta; ut Deo, ejusque summitati collata, sint planè nulla, & instar nihili: juxta illud prophetæ; *Universa Substantia mea tanquam nihilum ante te.* (*Ps. 38. 6.*)

5. Hæc duo: Si in se permetiatur Homo, &, si horum duorum ratione se Deo comparet homo; infinitum, immensum, abyssale quoddam Chaos, inter se & Deum advertet homo: & Deum quidem æstimandi amandi, exaltandi, honorandi, reverendi, nullum finem, nullum modum inveniet: se verò ipsum contemnendi, conculcandi, exinaniendi, odiendi, nihilificandi, & Deo subdendi, de se diffidendi, se accusandi, & exercendi, nullum terminum, nullum limitem, reperiet.

6. Hic est ille Spiritus atque Sensus apud Isaiam, & apud Joannem, Seraphinorum, & Animalium Sanctorum, ante thronum Dei stantium, atque volantium, ora sua atque etiam pedes suos velantium, & sine requie nocturnâ diurnâque clamantium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Omnipotens.* (*Is. 6. 3. Apoc. 4. Luc. 1. 48.*) Hic est etiam Spiritus Pretiosissimæ Dei Matris Mariæ, nihil aliud nisi Magnificentiam, Magnificationemque Dei, suum verò Ancillatum, & Humilitatem, seu Vilitatem, occinere scientis: quasi aliud nihil spirare sciret, ac posset, nisi summam Dei æstimationem ac reverentiam, suam verò extremam Vilificationem, & Nihilificationem. Hic etiam est spiritus omnium Dei Sanctorũ, qui coram Deo suo aliter ambulare nunquam sciverunt, nisi hisce pedibus duobus: consideratione & confessione scilicet vilitatis suæ propriæ, Divinæ autem summitatis & excellentiæ: & utriusque inter se collatione: quâ institutâ, impossibile est non erumpere in Amorem cum Reverentiâ Dei, & abjectionem despectionemque sui.

7. Sic ergo si metiatur se Homo, & cõparet Deo; reperiet fontem, contemptionis, & humiliationis sui coram Deo; & simul Appretiationis, amorisque, & Reverentiæ Dei debitæ Deo. Ab hoc pleniùs elucescet ex mensurâ Dei factâ (ut initio dictum) in excelsum sursùm, cujus sit hic initium aliquod, cætera in aliis Exercitiis erunt prosequenda.

8. DEUS ergo, etiamsi revera sicut est una & simplicissima & infinita atque immensa sibimet ab ipso se Essentia; sic etiam una, & simplicissima, & immensa, infinitaque bonitas; & quævis alia pariter perfectio; tamen duobus modis à nobis cogitari potest Bonus. Primò quidem sibimetipsi: alio verò nobis Creaturis. Priore modo Deus est ita sibi bonus, ut non

ut non possit non esse bonus, sed Naturâ, & Essentiâ suâ est bonus, & infinitè, interminatéque bonus, nec potest aut minùs, aut magis esse bonus, sed est omnipossibiliter bonus. Posteriore modo Deus est bonus Voluntariè, ac libere: siquidem ex purâ Voluntatis suæ beneplacentiâ, & creat nos, & conservat, & omnia confert nobis: ita ut omni momento, & omni instanti possit eadem omnia auferre nobis.

9. Priore modo impossibile est, ut Deus bonus non sit sibi, ita pro ut defacto est, & est ab æterno, eritque in æternum, omni necessitatione essentiæ suæ. Posteriore modo, possibile est DEUM bonum nō esse nobis: quia & potuit, & fuit, & esse potest semper, nullam bonitatem suam communicans nobis. Et non potest quidem Deus carere potestate benefaciendi nobis, quandocunq; ejus Voluntati placuerit: potest tamen carere tàm affectu quàm effectu benefaciendi nobis: sicut caret erga Creaturas possibiles quidem, at nunquam à se creandas.

10. Ex dictis cognosce: quod propter utramque suam Bonitatem Deus amabilis, & amandus; honorabilis, honorandusque sit: & quòd sese Deus propter utramque Bonitatem amet ac exaltet: quia prior dat illi ipsum se: & omnia quæ ille est, atque habet: posterior autē est emanatio prioris, non quidem in Deum ipsum: nihil enim accedit Deo ex nostri Creatione, vel existentiâ, nisi quædam accidentalis gloria, quia videt, cuncta quæ fecit esse valde bona.

11. Agnosce quoque ex dictis: quòd propter eandem utramque Bonitatem, amabilis & amandus sit, reverendusque, ac honorandus à nobis, tam necessariâ (imò & magis) obligatione, quàm ipsi sumus necessarii nobis. Nos enim nostro esse privari possum⁹, at obligatione amandi reverendique Deum, stante nostro Esse, privari non possumus.

12. Agnosce insuper ex dictis, quòd etiamsi Deus defacto non esset (& per impossibile esse non posset) Creator, Conseevator, Gubernator, Dominus, Rex, Benefactor, Pater, Judex, Remunerator, Salvator, & nullum omnino bonum nostrum: tamen Deus, propter unam, solamque Bonitatem quâ sibi de semetipso bonus est, & amatur, & amaretur: & revera, ab æterno à semetipso amatus est superessentiali dilectione: & à nobis quoque, si existeremus, & quoniam existimus, amandus, honorandusque esset: atque est omnino, super omnia, supremâ effusissimâque dilectione charitatis. Propter suam enim immensam excellentiam, & infinitam infinitè perfectionem atque summitatem, dignus, & supersuperque dignus est, omni Amore, omni honore, omni reverentiâ, omni Cultu, & veneratione, omni laude & exaltatione, omni obedientiâ & subjectione. Quò enim quid est excellentius in se, & in bono; eo quoque dignius est, ut ab omnibus & agnoscatur tale, & juxta hoc deferatur ei totum hoc; quod ejus excellentiæ dignitatique competere ratione ipsâ magistrâ judicatur. Hoc autem nulla ratione, nullâque affectione fit convenientiùs, quam Charitate, & Reverentiâ, atque appretiatione. Istis enim affectionibus præstamus, id est, volumus, optamus, gaudemus esse alicui quàm optimè, hoc est, esse illi eo modo, quo dignus est, ut ei sit. Nulla enim potest justior reperiri ratio, ob quam alicui benè esse velimus, quàm hæc; quia dignus est, ut ei benè sit, beneque esse ei velimus.

13. Cùm ergo DEUS, sit, & ipsum Esse sit, & sit proinde summa Essentia: summa Existentia, summa Vita, summa Ratio, summa Salus, summa Justitia, summa Sapientia, summa Potentia, summa Sanctitas, summa Veritas, summa Bonitas, summa Misericordia, summa Charitas, summa Pulchritudo, summa Dulcedo, summa Magnitudo, summa Simplicitas, summa Identitas, summa Incorruptibilitas, summa Immensitas, summa Immortalitas, summa Immutabilitas, summa Infinitudo, summa Virtus, summa Opulentia, summa Communicabilitas, summa Unitas, summa Beatitudo, summa Æternitas, summa Omnia, summum Unum, summa Omnis summitas, summa omnis Puritas, sūma omnis Actualitas; hæc omnia, & infinities infinita alia, cùm sit Essentialiter, identicè, & actu summo Deus: evidenter sequitur, summam quoque, & infinities infinitè summam, deberi illi, tàm à semetipso, quàm à quocunque alio, Charitatem, æstimationem, reverentiam, benevolentiam, exaltationem, honorem.

14. Sequitur quoque evidenter, Deum ex semetipso talem, debere sibi, & quemvis alium debere illi, summum & infinities infinitè summum gaudium, exultationemque & congratulationem, de tantis ejus, quæ est, quæque sibi ex semetipso est, bonis, perfectionibus, & perfectionum plenitudinibus, atque essentialiter summis summitatibus.

15. Sequitur denique, Deum, quoniam talis est, & id est, quod est, talisque qualis est; debere sibi, & à quocunque alio deberi illi, summum, & infinitum desiderium, atque studium, impendendi, atque promptissimè, & totalissime, semperque profundendi, omnes vires, omnes opes, omnem etiam Vitam, & omne Esse suum, ad Dei glorificationem, & exaltationem, ad omnis ejus Perfectionis summitatem, atque summam plenitudinem manifestandam, prædicandam, honorandam, colendam. Idque, etiamsi Deus, nihil esset ulli alteri, præterquam id sibi, esset soli, ac uni, hoc, quod est; nempe Deus.

16. Age igitur ô Homo: admetire altè, simul & profundè, tum quantus sit Deus, tum quantus tu ad Deum: tū quantus Deus ad seipsum: tum quantus sit Deus amator suiipsius: tum quantus tu Amator, & Honorator ejus; & cùm in amore, & honore, reverentiâque Dei æquaveris Deum, tunc satis scias à te amari, & honorari Deum: quod si judicas esse (sicut revera est) impossibile: ergo quantumcunque potes eviscera, & exhauri te totum in amorem, & reverentiam Dei, & intelligas; quia semper *supervalebit adhuc*: & non poteris unquam, vix ad initium operis hujus pervenire.

Eccl: 43. 32.

PRAXIS.

Domine: Hoc est lex filiorum Adæ, insculpta à te cordibus illorum: ut quantò quis abjectior in se, cum sublimiore aliquo excellentioreque congreditur, tantò illum honorificentiùs, reverentiùsq; tractet, tantò pluris æstimet, atque appretiet. Nihil est rursùm, mihi, magis autem Tibi, Te nobilius, perfectius, excellentius: ideo hæc est lex mihi à te æternâ lege fixa, ut tibi tanto majoris reverentiæ ac submissionis debitor, & exhibitor sim, in omni tam vitæ, quàm operationis meæ momento; quantò tu summus magis, perfectus magis, suprà omnem possibilem cogitatu excellentiam, excellens magis. Non attendo Domine nunc ad hoc, quòd sis omnia bona nostra nobis: & quòd absq; tuâ inexhaustâ & gratuitâ bonitate nihil possit boni esse in nobis: sed hoc solum, & unum præcipuè attendo: quia tibi es, tu solus, ex te solo, totum id quod es: omne bonum, omne perfectum, omne summum, quod summe, & supersummè es. Ideo Domine nihilominus omnis possibilis, & super possibilis, agnosco, & statuo me tibi debitorem esse Amoris, honoris, reverentiæ, exaltationis, obsequii, & subjectionis, & laudis, & glorificationis. Et quia hoc quantumcunque est, ad tuam immensam summitatem, nihil est; & ipso nihilo abjectius est; propterea Domine, Te ipsum tibi, à te ipso, Te, amandum, exaltandumque remitto, ac resigno. Atque hunc Amorem tuum, quo tu amas te, ipso te, ego amo, & gaudeo, & gratulor Tibi: offero quoque & effundo in te, non solum tanquam tuum, sed etiam tanquam meum, te, ut sit meus, mihi indulgente illum. Amas enim Tu, Domine, amare te, non tantum pro te, sed etiam pro quocunq; Corde, amante, optante, gaudente amare te, & amari à Te, ipso Te.

EXERCITIUM III.

De Reverentiâ DEI propter ejus Dignitatem.

1. Statue te coram Deo infinitæ Dignitatis & immensæ Majestatis: ante cujus thronum millia milliū assistunt, & decies centena millia ministrant Angelorum. Ministrant autem, cum summâ, & super, superque summâ, tum dilectione, tum exultatione, tum reverentiâ, tum submissione.

2. Quia enim faciem Dei semper vident, & gloriam Majestatis ejus assiduò limpidissimè contemplantur: & ejus excellentiam, supra omnia, etiam possibilia Creata, infinities excedere, vident; propterea ex sua quidem Creatâ conditione intra sese quasi tabescunt, & evanescunt in Nihilum sui: ex Divinâ verò super omnes dignitates cogitabiles digniore Dignitate, ad immensam quandam devolvuntur, absorbenturque æstimationem, pretium, admirationem, venerationem, atque profundissimo horrore sacram reverentiam.

3. Apprehende & tu, prout melius, metire prout excelsius, scrutare prout profundius prævales; Dei dignitatem; & ex eâ dimensione, condignam quantùm potes elice, ac edisce, ejusdem reverentiam: quam illi omnibus Vitæ momentis, omnibus actionum tuarum atomis, omnibus conatûs & capacitatis tuæ instantibus, exhibeas: ut quantùm ex te, ac per te, totum, & semper, quam reverentissimè, atque condignissimè, exaltetur Dignissimus omni exaltatione, & reverentiâ Deus.

4. Affirmare de Deo; quòd sit dignus, aut dignissimus, non admodum multum est: in veritate enim Deus, neque omnino dignus. neque dignissimus, neque immensæ dignitatis est; sed est ipsa Essentialis, supereissentialisque Dignitas: est Essentia Dignitatis, est meracissima, purissima,

rissima, ipsissima, ipseque Deus dignitas: est alia, & altior, est à nullo Creato intellectu investigabilis Dignitas: est talis Dignitas, cui omnis à quocunque Creato, & possibili intellectu efficta, & assignata dignitas, non est ullo modo dignitas: sed indigna Deo vilitas, atque indignitas.

5. Deus, sicut omnia quæ in se est, aut habet, idem ipse est: ita & Dignitas ejus, ille ipse est: neque est aliquid ab ipso: si tamen nostro modo Divina concipiendi, cogitemus loquamurque de Deo, & ejus Dignitate, Dignitas Dei omnium Attributorum - Perfectionumque illius cogitanda, & dicenda erit Perfectissima, atque Excellentissima. Sicut enim ex luce & ex omnibus attributis ejus splendor emicat, estque ex omnibus lucis bonis, unus ipse lucidissimus. Ita ex universis Dei excellentiis, tanquam splendor colligitur, resultatque Dignitas Dei. Et cum Excellentiarum Dei nullus sit finis, tam in numero, quàm in perfectione illarum: nullus pariter erit finis, nullus modus, nulla mensura Dignitatis, Majestatisque Dei, ex illâ omnium Excellentiarum summitate resultantis.

6. Imò verò illud etiam de Divinâ Dignitate rectè, atque meritò affirmandum est: quòd Dignitas Dei, sit veluti basis, & radix universorum Dei bonorum, tàm quo ad se quàm quoad excellentiam omnem illarum: illa etiam est, quæ à Deo removet, repellitque omnem penitus imperfectionem.

7. Cur enim hoc vel illud agnoscimus & affirmamus de Deo perfectionis genus? Cur in ipso quoque perfectionis genere, infinities infinitam summitatem excellentiamque prædicamus? Nonne hæc unica nobis est affirmandi ratio: quia hanc, & talem perfectionem, in tantâ excellentiæ immensitate, inesse dignum, non inesse indignum Deo est? Et rursum: cur hanc illamve imperfectionem à Deo submovemus: nonne ideo solùm, quia illâ inesse Deo indignum, abesse verò à Deo dignum est? Dignitas ergo est, & Basis, & Mensura immensissima omnis Perfectionis, & Excellentiæ in Deo: quæ proinde non potest abesse, & nonnisi summa inesse Deo.

8. Ergo Deus, etiamsi totus sibi est inæstimabiliter pretiosissimus: atque pretiosissimè inæstimabilis: neque atomus Dei vilior est toto Deo: neque totus Deus, grandioris est pretii atomo suo: tamen si indagare & assignare volumus in Deo, aliquid quod ex Deo pretiosissimũ est Deo: hoc erit, & esse debebit, una, & sola Dignitas Dei.

9. Quod si apud Deum ea est Dignitatis ejus conditio, quantò magis esse debet apud nos; (qui sumus omnes, vermiculi unius per terram reptantis adinstar;) immensè abyssalis Divinæ dignitatis reputatio, appretiatio, veneratio seu reverentia? Si Deus quidquid facit, primariò & principaliter, & absolutè & totaliter, ad suæ Dignitatis, Majestatisque exaltationem, & glorificationem facit: & facit eo modo, eaque accuratione, quã in suâ Sapientiâ judicat exaltandæ Dignitati suæ competentissimam: quid nos vilitates vilissimas, in Divinæ Dignitatis reverentiam, & honorem non oportet facere? imò, quid oportet non facere? quantùm non, attentionis, & circumspectionis, & conatûs, & eviscerationis effundere, ad tractandum dignè Deum: ad tractandum dignè Divina: ad tractandum dignè cum Deo, dignè coram Deo?

10. Nihil attinet immorari in enarrando quomodo Deus dignitatem suam honoret in omnium, & in singularum, in maximarum, & in minimarum rerum procreatione, & procuratione: quomodo gloriæ suæ exaltandæ non minùs attendat in Creatione pulvisculi, quàm in Creatione Cæli: non minùs in creatione Culicis quàm in creatione Angeli: quomodo non minùs exactè laboravit Sapientia & Potentia Dei, in providendis omnibus necessariis ad Esse & operari uni formicæ, quàm in exhibendis omnibus homini necessariis ad Esse vivere, agereque hominis. Et hoc solùm propter magnam gloriam suam ubique exhibendam, & extollendam.

11. In hoc est super omnia attendendus Dei circa suam Dignitatem sensus, atque Zelus, sanè plusquam admirabilis. 1. Quòd Deus omnes bonas, & sibi placitas omnis Creaturæ operationes metiatur & æstimet, ex solius Dignitatis suæ in eis æstimatione. Si moveas digitum in Dei gloriam, & dignè Deo; æstimat hoc, acceptat, præmio cælestis gloriæ reputat dignum, rependitque Deus: ædifices cælum, fundes terram, mortuum resuscites ad vitam, te ipsum morti exponas, si in hoc Dei dignitatis exaltationem non quæras; Nihil omnia sunt apud Deum talia.

12. Ecce in omnibus peccatis Creaturæ, nihil displicet Deo, nisi vel neglectus, vel contemptus, aut quævis injuria Dignita-

gnitatis Divinæ. Ecce item in omnibus pænitentiæ fructibus ac operibus, in omnium Virtutum, etiam ipsius Charitatis, Contritionis, Religionis actibus, nihil acceptum est Deo, nisi æstimatio, exaltatio, reparatio, dilectio, veneratio, reverentiaque Dignitatis Divinæ. Summa causarum omnium ob quas DEUS homo factus est: ob quas aut egit, aut sustinuit, quidquid in mortali vitâ egit, aut sustinuit, non est alia, nisi reparatio condigna violatæ Dignitatis, ac Majestatis Divinæ. Summa item constitutæ Beatitudinis æternæ à Deo pro rationali Creaturâ, non est alia, nisi exaltatio quàm condignissima Dei, ejusque Dignitatis à Creaturâ. Summa æternorum in inferno, tam Damni, quàm Sensûs suppliciorum, non est alia, nisi audax, & indigna, & irreparata oblæsio, violatioque Dignitatis Divinæ, per scelera, per inobedientiam, per irreverentiam impiæ, ingratæq; CreatæVoluntatis. Summa denique causarum omnis indulgentiæ, remissionisque omnium peccatorum, & peccatis debitorum suppliciorum, à Deo institutæ, est una, sola, sincera, legitima (esto fuerit, vel solùm momentanea) æstimatio ac reparatio, reverentia, exaltatioque Dignitatis Divinæ.

13. Habent peccatores istius Veritatis clementissimæ obsidem ipsiusmet Dei sententiam: ait enim: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate suâ.* (Ezech: 33. 22) Impietas autem hæc est: Deum, & ejus Voluntatem, dignitatemque contemnere, & transgredi: Converti verò ab impietate, est læsionem, & indignam tractationem Voluntatis Divinæ, delere, deflere, retractare: & dignis deinceps modis habere, amare, venerari, revereri.

14. Si quid ergo circa Deum congruè, & in bonitate sentire, sapere, & agere volumus: hoc præ omnibus procuremus: ut Deum, ejusque Dignitatem, ardentissimâ, & super, superque summâ appretiatione æstimemus, ac simul profundissimâ, intimissimâ, summè summâ reverentiâ, atque submissione, in omnibus vitæ, actionumque momentis, revereamur, & prosequamur, omniaque & digna, & dignè Domino Deo nostro, & cogitemus, & amemus, & loquamur, & operemur.

PRAXIS.

DEUS, cujus celsitudo Dignitatis omnem excedit eminentiam, quam tu solus & condignè possides, & amas, & honoras, eandemque à nobis condignissime tractarI, & jubes, & gaudes, & retribuis: huic Ego me totum devoveo: eamqne tàm meo, qnàm omnium Creaturarum nomine, in omni momento Vitæ, existentiæque meæ, cordialiter, profundissimè, atque prout ex gratiâ potero abyssalissimè colere, amare, revereri, desidero, & simul æternali firmitate statuo. Tu Domine propter Amorem tuum tuæ Dignitatis: imbue & adimple me reverentiâ illius tibi debita, mihi possibili, tibi placitâ, mihi desiderabili. Nolo Domine, ullum, etiam momentaneum actum alicujus irreverentiæ tuæ, in me unquam reperiri: volo autem, & desidero, atq; statuo, in omni etiam instanti vitæ meæ, Reverentiâ dignâ Te colere, & venerari: Volo etiam omni possibili mihi gratiosissimo tibi modo, Reverentiam, Cultum, Amorem, pretiumque Dignitatis tuæ, semper, & ubique, & in omnibus Creaturis plantare, propagare, confirmare, zelare, ad gustum Voluntatis tuæ, ad exaltationem immensissimæ, & inæstimabilissimæ Dignitatis ac Majestatis tuæ.

EXERCITIUM IV.

De Reverentiâ DEI propter ejus Sanctitatem.

1. STatue te coram Deo, immensæ, incomprehensæque Sanctitatis, atque puritatis: coram quo, tàm omnia, quàm te, decet, seu necesse est, sanctum esse, sanctè agere, omnique puritate nitere, ac demum reverentissimè in omni tuo & motu, & actu, & affectu erga illum te habere.

2. Sanctis enim non tantùm personis, sed etiam rebus debetur propriè reverentia: adeo ut Deus præceperit de vasis suo cultui servientibus. *Lavamini, Mundi estote, qui fertis vasa Domini.* Unde hoc magis incomparabiliter inesse debet omnibus cum Deo, Sanctorum Sanctissimo, tractantibus, atque versantibus. Nemo autem non tractat, nemo non versatur cum ipso (etiam nesciens, aut nolens) cùm omnia sint ejùs sicut Deitate, ita & Sanctitate plenissima.

3. Sanctitas est ipsa Charitas. Charitas autē est affectio Sancta. Affectio verò sancta nulla esse potest, nisi adhæreat quam maximè ei, quod est Sanctissimum: scilicet Deo, ejusque legi ac Rationi æternæ: quæ adhæsio ad Deum, ejusque Voluntatem, seu æternam legem, primâque rationem, cum maximè in Deo resideat, imò ipsemet identicè Deus sit; Deus enim seipsum sicuti summè novit solus, sic eti-

sic etiam summè se amat solus: adhæretque sibi, semper, & per omnia solus. Propterea etiam ipse est Sanctus, ipse Sanctorum Sanctus, ipse immensa Sanctitas est.

4. Ille est fons Sanctitatis & origo, ipse Regula, & Norma. Ipse dator, & auctor, & infusor sanctitatis: ipse idem finis omnis Sanctitatis, & sanctæ operationis: Nihil enim est Sanctum nisi quod illum respicit, quod ad illum ducit, quod illi inhæret amore, subjectione, religione, æstimatione, similitudine, puritate.

5. In quo, quantò aliqua mens Creata propior, & Charitate adjunctior Deo, ejusque Sanctitati similior est; tantò & Sanctior est: quantò autem quæpiam Anima ab eo disjunctior est, tantò & sanctitatis minùs, impuritatis plus habet. Nihil enim est puriùs Deo: proinde adjungi illi, purificari est: recedere autem & abesse ab illo, est à puritate abesse: & in impuris versari, volutarique. Quantò autem quæ inferiora, tantò & impuriora sunt, ideo in inferioribus hærere inquinari est: lutum tangere, luto est maculari: & qui tangit picem, maculatur ab eâ: & ad Carnem affici carnalis impuritas est. Ad superna autem, ad sublimia, ad Divina affici, adhærere, adjungi; est trahere, & imbibere puritatem, atque sanctitatem: quoniam puritas, & sanctitas, Charitas quoque & Deus est.

6. Itaque quisquis Sanctus esse vult, purus etiam esse velit: quisquis purus esse vult, ardeat Charitate Dei: ardens Charitate Dei, necessariò & purus, & sanctus efficitur; quia fontali, & originali, & immensæ puritati, sanctitatique cohæret: & conjungitur. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificet se, sicut & ille sanctus est.

6. Propter hoc, amatores hujus mundi, nec sancti, nec puri esse possunt: quoniam quidquid in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, & hæc est universitas impuritatis. Contrà verò, amatores Dei, & Charitatis, atque Puritatis & Sanctitatis ejus, carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis ejus, mundus eis Crucifixus est, & ipsi mundo: omnia hujus mundi lucra arbitrantur ut stercora: & nesciunt gloriari nisi in Cruce & Humilitate Christi: sic enim Christus eos edecet, dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis Corde.* [Matt. 11.29]

8. Ita ergo Deus noster Sanctus, & ipsa substantialis Sanctitas est: & nos quoque Sanctos esse, coram se, à suâ sanctitate vult, quin & facit. Ita retrahit & extrahit nos ab omni inquinamento carnis, & mundi, & spiritûs omnis nequam. Ita totum Mundum istum visibilem, multoque magis illum Invisibilē, replet Sanctitate suâ; ita ut quod olim de uno tēplo Dei, hoc semper de isto Universo creato dici potuerit, & potest semper; *Sanctum est templum tuum Domine, mirabile in æquitate*: [Ps. 64. 5.] ut propter hoc, in omni loco, anguloque Mundi sic deceat, sic inquam debeant homines conversari, atque se, coram, & cum, & in Deo, ubique præsente suâ sanctitate gerere, sicut in augustissimo quopiam templo.

9. Cum verò Anima cujuslibet hominis, specialissimum sit Divinitatis, divinæque Sanctitatis templum: imagine Sāctissimæ Trinitatis exornatum, Sanguine autem JESU Christi purificatum, & in majorem, quàm est hujus totius Mūdi; amplitudinem, capacitatemque, Dei Spiritu efformatum: augustiusque factum, ac Divino amori, cultui, venerationi, laudi consecratum: viderit quælibet Animā, tanto honore à Deo suo dignata, quanto vicissim illa honore & amore, & reverentiâ Deum inhabitatorem suum adeo Sanctum, colere, & prosequi, & exaltare debeat?

10. Deus certè, sicut ipse Originalis, purissimaque Sanctitas est in se, & ex se, ita etiam omnes, qui ad eam accedunt, (omnes autem accedunt) summâ puritate nitere, summâ sanctitate fulgere, summâ Charitate sibi adnecti: summâ cum reverentiâ coram se, & secum versari, desiderat, jubet, atque gaudet. Quoniam Sanctitas, & Magnificentia, Puritas, & Reverentia, Opus ejus.

PRAXIS.

DEUS, qui Sanctitatis omnis Dominus, & auctor & fons, & regula, & finis es, cui nihil placet non sanctum, nihil displicet Sanctum: & qui ad Sanctitatem, sanctificationemque nostram, Unigenitum Filium tuum, tuam scilicet Substantialem Sanctitatem, Humanitati nostræ Hypostaticè adglutinasti, in eodemque nobis omnem Sanctitatis fontem perenniter constituisti: Huic ego tuæ inæstimabili Sanctitudini, æternam laudem, & dilectionem, & adhæsionem, & venerationem, & reverentiam, pro me, & pro omni simul Creaturâ exhibeo: & exhibere æternaliter volo, atque propono. Volo Domine, ut omne momentum vitæ meæ, omnis motus substantiæ meæ, aliud sit nihil, aliud spiret nihil, aliud sonet nihil: nisi Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth: plena

est omnis terra gloriâ tuâ. Tu Domine qui nos Sanctos esse vis: sicut & ipse Sanctus es, Sanctum in me opus omne inspira, ut cogitem: compelle ut faciam: suade ut diligam te: confirma me, ut teneam te: custodi me, ne perdam te. Duc me, ut perveniam ad te: da mihi te, ut possideam te, & in æternum perfruar te.

EXERCITIUM V.

De Reverentiâ DEI, propter ejus Omnipotentiam, & Dominium.

1. Statue te coram DEO, immensæ, Omnipotentisque Potentiæ, atque Dominii: cujus Voluntati, & potestati nemo potest resistere: *cui subest cum voluerit omnia posse:* & qui Dominus Universorum est: & cui non tantùm rationalia, sed irrationalia etiam & inanimata: nec ista solùm, sed etiam possibilia obediunt: & denique ipsum Nihil subjicitur: & juxta Voluntatem ejus prodit ad Esse: & tamdiu durat, quamdiu ipse vult, & volendo facit illud esse.

Sap: 12. 18.

2. Quomodo ergo & te, ô Homo; nõ oportet totum esse factum, totum fingi, totum subjici paratum, ad eandem Potentiam, Dominationemque DEI?

3. Grande, ac planè intolerandum absurdum est, ut Nihil, & quod penitùs non est, Dei tamen subsit potestati: & fiat hoc quod Deus illud fieri jubet: Homo autem, ratione, & libertate præditus, & à Deo factus, dependensque totus, non tamen subsit, nec subesse velit ejusdem Potentiæ, Voluntatique totus.

4. Quàm Deus potens sit, ipsum Omnipotentiæ nomen indicat. Qui enim, omnia dicit, nihil excludit. Ergo DEUS omnia potest, & *non est apud illum impossibile omne verbum.* Omnia potest, etiam ex nihilo. Omnia potest solus, & absque auxiliatore. Omnia potest, sine ullo labore, solo nutu, & voluntate suâ. Omnia potest, absque ullâ morâ temporis, in quocunque instanti. Omnia potest, non tantùm semel, sed quoties, & quanto numero vult.

Luc. 1. 37.

5. Itaque potest, tales Mundos, infinitos numero facere: potest etiam alios perfectiores isto, infinitè infinitos creare: potest infinitos Angelos, Angelorumque ordines, perfectiores, & perfectiores aliis alios producere: potest infinita Regna, Imperia, Urbes, Arces, infinitos Auri, argenti, gemmarum, omniumque opum thesauros multiplicare. Potest (uno verbo) omnia possibilia: quæ Homines, aut Angeli concipere possunt, vel non possunt: coram Dei tamen Sapientia esse illa non repugnat, & Ars ideaque illorum, in Mente Dei residet.

6. Potest etiam omnia Deus hoc modo: quia omnia, etiamque possibilia sunt, ipsâ hanc possibilitatem suam, à Dei potentiâ accipiunt. Omnia enim ex se nihil sunt, & ad summum solam non repugnantiam ad essendum productione Divinâ habent: sed quod verè possibilia sunt, à Dei potentiâ tanquam radicali causâ habent.

7. Potest etiam omnia Deus hoc modo: quia & potest omnia in Esse conservare: & sine hoc ejus posse, nihil, ne quidem ad momentum durare potest: & omnia quocunque assignato momento, in nihilum primævum redigere potest: neque ullam remoram habere ab ullâ re potest.

8. Hæc Omnipotentia Dei, facit Deũ Dominum omnium; Dominum summum, Dominum absolutum, Dominum solum, Dominum æternum, Dominum omnium locorum, temporum, sæculorum, personarum, rerum, jurium, legum, potestatum, proprietatum: Dominum ad Esse, & ad non esse: Dominum Vitæ & Mortis. Dominum reatus & meriti. Dominum supplicii & præmii: Dominum Indulgentiæ & Vindictæ: Dominum omnis usus, omnium rerum, ad quodcunque illi placet.

9. Inde armat omnem Creaturam contra insensatos, imperat ventis, & mari, & obediunt ei: armavit bonos Angelos cõtra Apostatas: induxit aquas immensi maris super eos qui in diluvio perierunt: pluit sulphur & ignem super Pentapolim: quadraginta annis pluit Manna, cibum Angelorum hominibus. Immanibus plagis contrivit Ægyptum. Virgæ Moisis dedit virtutem faciendi prodigia in Mari rubro, producendi fluvios de petra: tubis sacerdotalibus, & voce populi evertit muros Jerichuntinos. Nihil attinet omnia (sunt enim innumera) ineffabilia opera potentiæ atque Dominationis Divinæ recensere.

10. At ex his perparce perstrictis, agnoscere debet omnis rationalis Creatura, & in specie Homo, qualiter de Deo Domino suo sentire, qualiter illi affici debeat. Tanta Dei Dominatio atque Omnipotentia, facit hominem; Dei, absolutum & omnis conditionis servum, subditumque: facit & jubet timere Deum

Domi-

Dominum suum valde: facit in solius Dei adjutorio habitare confidenter: facit honorare, adorare, audire, revereri Deum Dominum suum valdevaldè: facit humiliari sub potenti manu Dei.

11. Facit denique, & jubet confiteri Domino. *Domine, Rex, Omnipotens: in tuâ ditione cuncta sunt posita: & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur; Dominus omnium Tu es.* (Esth. 13. 9.)

12. Audite hæc Homines: audite sermones istos Domini Dei vestri. Ecce enim timorem suum docet vos: Dominus vester, & Sanctus Israel: Vos ergo non timebitis me, *qui posui arenam terminos maris?* (Jer. 5. 22.) ita ut nec arena tam mollis, & exigua, cedat tam vastæ moli ingruentis maris: nec tam furens æstus aquarum maris, audeat arenæ pulvisculos transilire minutissimos, à Dei potentiâ sibi objectos.

13. Et tu homo audebis stare, & contendere judicio cum Deo? Homo, vide quæso, quis tu es, qui respondeas Deo? vide quis tu es, qui in judicio contendas cum Deo? vide quis tu es, qui cùm non possis respondere Deo unum pro mille, præsumas te responsurum mille, pro uno.

14. Vilis vermicule: putide homuncio, canis mortue: audi: & totis membris, potentiisque edisce vocem Domini tui docentis, ac dicentis. *Dico Vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus; & post hæc, non amplius habent quid faciant. Ostendam vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit: potestatem habet mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* (Luc. 12. 5.)

15. Qui legit intelligat: & qui habet aures audiendi audiat. Coram adeò Magno, coram adeò absoluto, coram adeò omnipotente, coram tam immensæ Potestatis Domino; audet vilis vermiculus, fœda ranuncula, canis mortuus, abjectissimus homuncio, sese jactare, atq; ostentare superbè, iniquè, propudiosè, stultè, irreverenter, irreligiosè, blasphemè? Neque timet conspectum, neque veretur auditum, neque honorat præsentiam, nec reveretur Majestatem Domini omnipotentis? *Si ego, (ait hic Dominus) Si ego Pater, ubi est honor meus? & si ego Dominus, ubi est Timor meus!* (Malac. 1. 6.) & iterum ait; *Vos ergo non timebitis me: qui posui arenam terminos Maris?* (Jer. 5. 22.) tam furiosæ & immanis vastitatis Elementum, mollissimâ arenâ circumdedi & coërcui: *& edixi illi, huc usque procedes: & hic confringes tumentes fluctus tuos:* (Job. 38. 11.) Homulus autem vanitate & fragilitate quavis fragilior, & vanus magis: audet crepare & obstrepere Voluntatibus, & Mandatis Domini: aut faciem non revereri Omnipotentis?

16. Et miramur manum furoris ejus à nobis non averti; à cujus Vultu nunquã auferuntur iniquitates nostræ? Timete Dominum homines, mortales, fragiles, levi flatu dissipandi: & date illi honorem: quoniam Deus, magnus Dominus: & Omnipotens Nomen illi: à facie ejus turbantur abyssi, *respicit terram, & facit eam tremere: tangit montes & fumigant.* (Ps. 103. 32.)

PRAXIS.

Omnipotens, tremende, adorande, æterne, Domine universorum, Domine Dominator, solus, & summus, & insuperabilis dominationis atque Majestatis. Sub te curvantur qui portant orbem: tibi universa debent timorem, & servitutem: tuâ cuncta sentiunt Voluntatem & Potestatem; etiamsi non animata sed tamen subjecta sunt: te adorant & reverentur omnia: quia factor omnium es. Sola infelix Creatura rationalis, cui maximè competit te Dominum agnoscere, & tibi libenter, gaudenterq; servire; & ecce à sæculo confregit jugum, rupit vincula, dixit, non serviam: denique, non novi Dominum: Non est Deus. Prô! insaniam! quam ipsi lapides deridet: & eam tamen ructant ii etiam, qui linguâ confitentur se nosse Deum, factis autem negant. At ò Domine, tu es DEUS noster: ò DEUS, tu es Dominus noster: te confitetur, te amat, te adorat, te reveretur, te exaltat, te timet, tibi curvatur & subditur tota substantia mea, tam pro ipsâ se, quàm pro universâ Creaturâ tuâ. Tibi Domino: tibi Regi sæculorum, immortali, invisibili, omnipotenti, æterno, soli Deo, honor, & gloria, à me, toto me: & à totâ Creaturâ tuâ: in sæcula sæculorum.

EXERCITIUM VI.

De Reverentiâ DEI, quia Sapiens, Rex, Pater, Judex.

1. STatue te coram DEO Sapiente, Sapientissimo, Sapientiâ primâ, omniscîâ, summâ, quam nihil latet, quæ scrutatur etiam profunda Dei, quæ considerat, & conspicit omnes vias hominum, & cordium ipsorum in abscondita partes.

2. Inter primas Sapientiæ consummatæ dotes, est hæc: ut cui illa inest, eum faciat omnibus venerandum, admirabilem & honorandum: quomodo omnis terra cupiebat videre vultum Salomonis, (3. Reg: 10. 24.) & audi-

& audire Sapientiam ejus: & cùm hoc fructu potita fuisset Regina Saba, non remanebat in eâ ultra spiritus.

3. Et quid est Sapientia Salomonis, aut omnium hominum, aut etiam omnium Angelorum, ad Sapientiam Dei, cujus Sapientiæ non est numerus? Quod est pulvisculus unus ad molem terræ: quod umbra ad lucem solis, quod acies talpæ ad universum Mundi lumen.

Eccl. 16. 18

4. *Ecce* (ait Sapiens) *cælum & cæli cælorum, abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt: in conspectu Dei commovebuntur, montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa DEUS, tremore concutientur.* Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt cognita: sic & post perfectum respicit omnia.

5. Si respicit omnia, & respicit penitissimè, & respicit Oculus ille tam magnus, quàm magnus est Deus; & respicit tam intimè, quàm intimè ac infinitè penetrante acumine mentis Divinæ; & respicit omni loco, omni tempore, omni circumstantiâ, omni latitudine: quàm reverenter ergo nos cum eo, & coram eo, versari semper oportet: quàm cautas, quàm sanctas, quàm puras, quàm rectè constitutas, quàm per omnia Deo dignas esse decet, coram ipso nostras, omnes, & singulas actiones, commotiones, intentiones, affectiones, intus, & extrà, qui est scrutans, investigans, dilucidè contemplans corda, & renes: sine ullâ dubietate, sine perplexitate, sed cum plenâ, atque plenissima Veritate.

6. Jam verò Deus est Rex, & omnium potestates, atque iura regnorum habens, omnemque Principatum tenens, tam factorum, quàm possibilium: tam visibilium, quàm invisibilium, tam præsentium, quàm futurorum, tam materialium & corruptibilium, quàm immaterialiũ & incorruptibilium; tam quæ sub cælo, quàm quæ super cælos sunt; tam rationalium & liberorum, quàm brutorum, & sensûs expertium, tam naturalium, quàm supernaturalium. Rex Regum, Rex sæculorũ, Rex omnium finium universi.

7. In ejus Regis Regno, potestate, servitio, obsequio esse, vivere, morari, agere, ab eo conspici, & gubernari, ab eo dependere in omni momento, Nonne opus est talem, hoc est, omnem, & maximè rationalem Creaturam, ita agere, & stare, & morari, ut dignum, & æquum est, tanto Rege, tantique Principis Majestate, autoritate, potentiâ, reverentia. Exemplum sint Seraphini coram Deo, sic stantes ut volarent: sic volantes ut starent: sic ante conspectum, ut & faciem & pedes velarent: à laude, & proclamatione assiduâ, Sanctus, Sanctus, Sanctus, nunquam cessarent. Sic decet omnẽ Rationalem Creaturam adstare semper Deo, & Regi suo: ut nullus metus eius sit, nisi qui Dei Sanctitatem, & Regis Majestatem, spiret.

8. Ecce autem Deus noster. Pater etiam noster est. Pater (inquam) nostrûm omnium. Pater summus. Pater piissimus. Pater per omnia, dans nobis esse, vivere, motum, inspirationem, durationem, sensum, intellectum, & voluntatem, disciplinam, & scientiam, legem quoque vitæ; corpori animam, Animæ gratiam, Gratiæ beatitudinem æternam.

9. Iste est Pater noster, Pater spirituum, & universæ carnis. Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis. *Pater ex quo omnis paternitas, & quæ in cælo, & quæ in terrâ, & quæ in ipso, & quæ in nobis est.* Pater noster, faciens nos filios sibi, fratres autem nobis: uniens nos admirabili vinculo pacis in idipsum, castigans etiã in *Virga filiorum* errores nostros, ut non excidamus ab ejus hereditate: Denique Pater noster est: omne Patris officium gerens, & complens circa nos: nec in ullo deficiens usque ad novissimum momentum æternæ salutis nostræ: omnem providentiam suam servans super nos, ita manifestam; ut neque passerculum sinat absque suo nutu *cadere in terram*: ut etiam minuta quævis terræ, aquarum, aeris, animalcula ipse pascat: ut etiam quodlibet fænum agri ipse vestiat: quamlibet pluviæ & roris guttam ipse descendere jubeat super terram. Denique ipse *pluit super Iustos, pariter & super injustos, facitque Solem suum oriri super bonos, & malos.*

Eph. 3.

Matt. 10.

Matt. 5.

10. Iste ergo Pater noster, verè Pater, & verè Deus; dicit omni Creaturæ: Si ego Pater: ubi est Amor meus? ubi est Honor meus? ubi est Timor meus? ubi est reverentia, obsequium, & cultus meus? Itane? *filios enutrivi, & exaltavi: illi autem spreverunt me, ablegârunt me, & calce abjecerunt mandata mea, dixerunt lapidi, & auro, carni & sanguini, ventri & gulæ, voluntati ac dæmonio, tu pater noster es?*

Is. 1. 2.

11. Heu! ita est: quotidie hoc faciunt homines. Non agnoscunt Patrem, qui fecit eos, qui pascit eos, qui servat, & extollit eos, qui corripit, & ad se attrahit eos. sed abeunt magis vagi post desideria sua, unusquisque in viam cordis sui pravi.

12. Et

12. Et quousque sic, gravi corde filii hominum? Tandem ergo filii amate Patrem: honorate eum qui fecit nos: date gloriam & reverentiam ei: qui vos & genuit, & omnes pietates, ac voluntates misericordiasque suas, mirificavit in vobis.

13. Præter hæc omnia, est etiam Deus noster Judex. *Iudex justus. & rectus. Iudex justitias ipsas judicans. Iudex finium terræ. Iudex excelsos judicans. Iudex fortis, & patiens, & lõganimis.* Judex justum & impium, pusillũ & magnum, pauperem & divitem, humilem & superbum dijudicans. Judex non in muneribus, neque in acceptione personarum, neque in timore ullius judicans: sed omnes vitæ ejus Æquitas: & in universâ terrâ judicia ejus.

14. Est autem Domino Deo nostro Judicium triplex. Unum Universale in fine mundi: eò quòd *statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate.* (Act. 17. 31.) Alterum Particulare in fine Vitæ cujusque nostrûm: in quo reposcet ab unoquoque rationem omnium quæcunque gessit, etiam de omni verbo otioso: tunc *uniuscujusq; opus ignis probabit* in probationem auri, vel in combustionem stipulæ. (1. Cor. 3. 13.) Tertium est: Judicium Dei quotidianum, & potiùs perpetuum: quod Deus cum uniuscujusque corde, conscientiâque exercet: scrutans, & arguens illum, & ponens faciem illius coram se semper: vigilans assiduò ad laudem, & benedictionem, retributionemque boni operis, ad reprehensionem verò, & pœnam mali.

15. In omnibus his, Iudici Deo nostro, debemus nos viles homines, timorem, & honorem, & gloriam, & reverentiam: at maximè assiduam oportet nos dare eam illi, secundùm postremum judicium ejus: quo assiduè vigilat super nos: gressus nostros dinumerans, & cogitatus attendens, atque discernens.

16. Istud judicium Dei, & ita judicé, judicantemque Deum, si quis non agnoscit: cæcus; si quis non reveretur; lapis: si quis non audit, aut non timet; effrons, & durus corde, ac insensatus est.

PRAXIS.

DEUS, cuius Sapientiæ infinitus est thesaurus, qui Rex Regum, jura omnium Regnorum in manu tuâ tenes: Es etiam Universæ Creaturæ Pater: ac demum Iudex omnium, non tantum personarum, sed etiam actionum, cogitationumque inspector, discretor, remuneratorq; justus. Te tota substantia mea, talem & agnoscit: & confitetur, & veneratur, & reveretur. Quis enim tuam Sapientiam non admiretur? quis non magnificet Regnum tuum, & te Regem suum? quis te Patrem non amet? non honoret? Quis judicem te non vereatur, non veneretur? Quis ad Majestatem tuam omnem, timore tremore, & reverentia non concutiatur? ô Domine! ô DEUS! Tibi omnis Amor, tibi omnis gloria, tibi omnis subjectio, tibi omnis benedictio, tibi omnis timor, & reverentiâ à me, & ab omni me, cum tuâ Creaturâ, per secula, & in sæcula omnia.

EXERCITIUM VII.

De Reverentiâ DEI propter Hominis vilitatem, Virtutisque præstantiam.

1. Statue te coram Deo Deorum, coram Domino Dominorum, coram Regé Regum, coram summo Patre, coram supremo Judice.

2. Et statue Nihilum, te de Nihilo factum, & creatum, te servum & mancipium & jumentum creatoris: te vermem terræ vilissimum: te ad omnia mala in præceps ruentem: te abjectione ipsa abjectiorem: te stultissimum virorum: te damnationis æternæ reum: te Deo rebellem: te nequam & prodigum filium: te servum pigrum, & malum: te operarium iniquitatis: te sponsam adulteram: te inferni pabulum, te cubile dæmoniorum: te peccatorum sentinam: te odium Dei.

3. Statue te coram Deo, immensæ Majestatis, & Gloriæ Domino. Coram Sapientissimo, Omnipotentissimo, Immortali, Æterno, Altissimo. Statue te in Essentiâ, & Entitate tuâ, quia de nihilo; ideo vilissimum, in corpore fragilem, fœdum, miserum, ex luto & fæce compactum, in Animâ corpori adstrictum ac immersum: ejusque servum, in Intellectu cæcum, dubium, erroneum, stultum, in memoriâ fluxum, labilem, obliviosum. In Voluntate malignum, perversum, ad bona tardũ, ad mala præcipitem, & in eis obstinatum. In concupiscentiâ absurdum, effrenem, spurcum, ipsi tibi, & omni recto, honestoque repugnantem.

4. Statue te coram Deo, Sancto Sanctorum, Sanctissimo, Sanctitatis atque Puritatis Oceano. Cujus oculi, infinitè sunt mundiores super Solem, & super omnem Lucem: qui omnem aversatur iniquitatem, & ad malitiam respicere non potest. Cujus voluntas, justitia est, lex est, vi-

est, vita, & veritas est. In domo ejus gloria, & beatitudinis divitiæ: Dignitas & Magnificentia, & Sanctimonia in conspectu ejus.

5. Coram hoc Deo statue te, meram, & puram, & inexhaustam, & immedicabilem impuritatem, indignitatem, utilitatem, inutilitatem, infirmitatem, ægritudinem, malitiam, malignitatem, ingratitudinem, odibilitatem, temeritatem, stultitiam, defluxum perennem in perditionem æternam, non solùm quia Nihil es, verùm etiam quia quidquid à Deo es, nihilominus, ex Nihilo es.

6. Statue te coram Deo fonte omnis Bonitatis, Miserationis, Liberalitatis, Munificentiæ, Charitatis, Opitulationis, Auxilii, Refugii, Clementiæ, Indulgentiæ, Veniæ, Protectionis, Salutis, Redẽptionis, Reconciliationis, Gratiæ, Medicinæ, Beatitudinis, Gloriæ ac Vitæ æternæ.

7. Et statue te totum omni bono vacuum, omnisque bonitatis indigum, & mendicum, Miserum, Nudum, Miserabilem, Perditum, Morbidum, Captivum, Debitorem, Reum, Inexcusabilem, à solâ, & purâ Dei Miseratione, Charitate, atque Gratiâ, viam, & spem, & modum salutis habentem: de cætero juxta nullã comparationis rationem, nisi juxta vilificationem, & despectionem, subjectionéque Deo componendum: ut Creatura Creatori: ut vile mancipium, Domino: ut extrema subjectionis portio, Deo: ut jumentum Possessori: ut operarius Patrifamilias: ut ovicula Pastori: ut infirmus Medico: ut debitor Creditori: ut Mendicus diviti: ut reus Judici: ut malus Filius Patri: ut discolus discipulus Magistro: ut figmentum figulo: ut sponsa nequam, constanter amanti Nobili Sponso. denique ut per omnia inutilem, imparem, ingratum, indignum, miserum, Charitate, & Miseratione, insuperabili invictoque Deo.

8. Hæc attende in Deo Domino: & hæc in te postremorum postremo: & cùm videas Deum te nullatenus egere, te illi per omnia indignum, inutilemque: Deum sine te esse: te sine Deo permanere nõ posse; ex te, Deo nihil bonæ frugis: in te, bona omnia bona ex Dei manu dimanare: indignum tè, super quem oculos suos ponat Deus: te extra oculos Providentiæ Dei, nec ad momentum permanere posse. Tandem quâ te præditum esse oporteat in Deum dilectione, pietate, submissione, obedientiâ, veneratione, reverentiâ, æstimatione, religione, devotione, gratitudine, observantiâ, timore, diligentiâ, cognosce: atque ut reipsâ in his omnibus summus, & per omnia erga Deum dignus existas; toto virium tuarum conatu satage, atque perfice.

9. O homines, ô lutea vasa, ô ipsâ fragilitate fragiliores & vanitate vaniores, & vilitate viliores: & inutilitate inutiliores: discite: quàm dignè Deo agere, coram Deo, atque cum Deo vos oporteat? discite: quantâ corporis demissione, quantâ Animi reverentiâ, in conspectu, & præsentiâ Dei, (extra quam nunquam estis, nunquam esse potestis, cui etiam plus quàm ipsi Vitæ vestræ debetis) vivere vos, morari, versari, operari, stare, necesse sit?

10. O Reverentia Dei! reverentia debita Deo! quàm inexcussæ, ineluctabilisque necessitatis es! ô quam vix in aliquo usu tui Creaturis es? Vivimus, movemur, & sumus in Deo: moramur, agimus, cuncta coram, & cum presente, cooperante, & omnem nostrum motum movente Deo: & quotus quisque actus noster dignus, aut dignè Deo! Propudor! Loquitur Homo homini, vermis vermi, par pari, & circumspicit qui loquitur, & se, & cui loquitur: & attendit ad decorum suum, & alterius: & cavet, ne quid inurbanè, ne quid ruditer, ne quid suâ alteriusvè persona, indignè, ne quid incomptè, ne quid præposterè, aut indecens admittat. At verò agentibus nobis cum Deo, coram Deo, in Deo, propter Deum, præsente, & judice Deo: nihil nobis curæ horum, quis agat, cum quo agat, coram quo agat, quomodo agat? Et quid est quæso indignum, seu Creatore seu Creaturâ; si ita inconsultè, inconditè, irreverenterque cum Creatore agere, indecens & indignum non est?

11. Unus defectus Reverentiæ debitæ à nobis Deo, in agendo cum Deo, & coram Deo, causa est omnium sterilitatum: quas filii Dei, filii Ecclesiæ, & totâ penè Ecclesia ordinariè perpetitur à Deo. *Petitis, petitis, & non accipitis, quia malè* (ruditer, indignè, irreverenter) *petitis.* Iac. 4.

12. Nulla est religio religiosa, nulla pietas pia, nulla devota devotio, nulla glorificans gloria, nullus honor honorans, nullum opus bonum, bonum: nisi quod internâ & externâ, intimâ & cordiali reverentiâ conditum peragitur, & exhibetur Deo.

13. Omnia quæ faciunt homines, quamvis Deo faciunt, tamen ingrata Deo sunt, Ange-

Angelis, Sanctisque despecta: dæmonibus ridicula, agentibus ipsis infructuosa fiunt, quæcunque absque condignâ Reverentiâ Dei in agendo fiunt.

14. Reverentia Dei in agendo, collegium Virtutum & affectionum, Deo dignarum, debitarumque à nobis, est.

15. Absentia Reverentiæ Dei ab animo, & ab actione, est effectus, & signum, vel exulantis, vel languentis Fidei, Spei, Charitatis, Timoris, Devotionis, Religionis, & penitus omnis erga Deum dignæ affectionis. Quidquid offers, si absque dignâ reverentiâ offers, non tantùm non placet, non tantùm non placat, verùm etiam offendit.

16. Quid multa? ipsius cælestis beatitudinis atque Vitæ, Corona est, Reverentia Dei summa, & summè Deo digna.

PRAXIS.

Da nobis Domine DEUS noster, intimam in cordibus nostris, perpetuamque Reverentiam tui: quia Deus es, quia super omnia Dignus, Dominus, Omnipotens, Sapiens, Rex, Pater, Iudex: ut nos vilissimorum vilissimi: coram te, digne te, cum omni debitâ tibi reverentiâ, tam in hac, quàm in futurâ Vitâ, coram te, dante Te, stare valeamus, consuescamus, gaudeamus.

EXERCITIORUM

PARS V.

Erga DEUM ex toto corde diligendum.

EXERCITIUM I.

DEVS Amandus est, quia præ omnibus Amabilis est.

1. STatuè te coram Domino DEO tuo: eumque tibi Mandantem audi: *Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, ex tota mente tuâ, & ex totâ Animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* (Deut. 6. 5.)

2. In hoc præcepto duo potissimum homini demonstrat Deus. Unũ est, quantum sit Bonum, quantumque pretium Amoris: summum nimirum, & supra quod in suo genere, majus est nullum. Nisi enim tale esset: non juberet Deus illud sibi impendi: & præsertim, cum tantâ integritate impendi, ut nec minimam particulam sibi ex eo detrahi velit: sed omnino totum, integrumque velit, præcipiat, exigat; injuriam suam & contemptum reputans, si quis vel minutum, vel ad instans unum amoris sui, aliorsum cõvertat, quàm ad ipsum, non propter ipsũ: jam enim hoc esset, non ex toto corde, neque ex totâ Animâ, aut mente, aut fortitudine Deum amare.

3. Alterum, quod demonstrat Deus per hoc præceptum, est: quantum bonum sit Deus, & quantum pretium ejus. Summũ nimirum, & ita summum, ut nullum ei sit adæquandum, multoque minùs præferendum. Uno verbo: tantum ac tale, quod ab homine (ac idem dic de omni Creaturâ rationali) unum, ac solum, ac semper sit diligendum ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, ex totis viribus; nempe super omnia. Nisi esset Deus bonus, & super omnia bona bonus, & omnium bonorum bonum, & solum istiusmodi ac tale bonum; non deberet amari ex toto corde, & ex totâ animâ, totâque mente, ac totâ fortitudine: sed posset, imò & deberet, dividi amor illius, sicut & divisa ac diminuta esset bonitas illius. Nunc autem, absit ita Deum esse, absit cogitare talem esse, in quo desit aliquid ad plenũ Bonum esse, extra quem, & sine quo, aut supra quem, contingat aliquid bonum esse.

4. *Nemo bonus nisi solus DEUS:* dixit ipse Dei Filius, idemque summus in bonitate Deus: qui cùm sit æterna Sapientia; noscebat utique, quantâ plenitudine Bonus, quantâ Bonitate plenus esset Deus: tum consequenter, quantùm ob hanc bonitatis plenitudinem amabilis, atque amandus esset Deus: scilicet ex toto Corde, ex totâ Animâ, ex totâ mente, ex totâ fortitudine, omnibusque Viribus. (Luc. 18. 19.)

5. Magna res est Amor: pretiosa res est Amor: cautè ac prudenter servanda atque dispensanda res est Amor! quin

imò neque diſpenſanda, neque partienda res eſt Amor: ſed integra ſervanda, offerenda, impendenda Deo res eſt Amor. Deus enim totum illum, ſuum eſſe! & ſibi ſoli atque uni impenſum eſſe; vult, jubet, exigit: & ingentes omni Amatori minatur miſerias, ſi vel ad momentum, vel tantillum Amoris minutum, ad quempiam alium à Deo conuertat amandum, prę‑ter quam ad ipſum, vel (quod idem eſt) propter ipſum.

6. Amabilis enim eſt Deus, & amabilis ſummè, & omnimodè: ſicut eſt bonus & ſummè, & omnimodè. Abſorbens in ſe, & continens intrà ſe, imò & exiſtens ipſe omnimodum bonum. Amabilis eſt Deitas? habet illam plenè & perfectè & eſſentialiter Deus. Amabilis eſt Subſtantia? habet illam plenè Deus. Amabilis eſt Vita? habet illam plenè Deᵒ. Amabilis eſt Sapientia? habet illam plenè Deus. Amabilis eſt Pulchritudo, Majeſtas, Juſtitia, Miſericordia, Sanctitas, Imméſitas, Æternitas, Immortalitas, Dulcedo, Beatitudo, Veritas? omnia hæc habet, omnia hæc eſt, perfectiſſimè, pleniſſimè, eſſentialiſſimè Deus: ac propter hoc amabilis, & amandus eſt ſũmè, & eſſentialiſſimè, unus ac ſolus, æternaliterque Deus.

8: Bonum & Amor, adamantino nexu ſibi colligata ſunt. Bonum eſt, quod amant & appetunt omnia. Amor eſt qui amat bona omnia. Bonum & Amor, ita ad ſeſe tendunt, ut Amor, ſi bonum non amet, injurioſus & iniquus in illud ſit. Bonum quoque ſi ſe Amori non probet, id eſt, non communicet; indignum quoque Amore, & malum, aut inutile Amori ſit. Ita eſt Amor appetens boni, ut non poteſ ferri niſi in bonum: idque ſive in Verum, ſive ſaltem putatum ſit: Atque hìc eſt cautelâ amori neceſſaria permaxima: ut ſciat quid boni amet, ut ſciat reprobare fictum falſumque bonum, eligere autem & amplecti verum & ſincerum Bonum. Fictum & falſum bonum eſt, omnis Creatura: niſi Deus in illâ agnoſcatur, & propter illum ametur. Verum, & ſincerum bonum eſt Deus: & quidquid in Deo, propter Deum, ſecundùm Deum, & ex Deo eſt, atque ut tale amatur. Itaque, nemo bonus niſi ſolus Deus, & id in quo eſt Deus, & quod ex Deo eſt. Nullus etiam eſt Amor, amoris nomine dignus, niſi qui Deum ſolum ſuper omnia, & cætera propter Deum diligit omnia. Qui autem non diligit Deum: aut diligit non Deum, & propter non Deum, hic non eſt Amor: ſed eſt veſana, & prava cupiditas: eſt mera inſania. quæ pretioſum balſamum in Paradyſum & in Cor Divinum convertendum, divertit in ſterquilinium, in cloacam, & infernum. Facit autem hoc eo diſpendio; quod & quantum eſt; amiſſo Deo, lucrari dæmonem: perditâ ſalute, conſequi perditionem: ejuratâ beatitudine, hæreditare maledictionem.

9. Ille autem Amor verus, & ſuo nomine dignus eſt qui ad ſuum, ex quo emanat, revertitur Principium: & qui ad ſuum, ad quod ſemper debet tendere, pergit centrum. Principium enim & Centrum amoris Deus eſt. Pondus meum, amor meus. Centrum & locus meus, Deus meus. illuc ferri debeo, quocunque amore tendo. Amore enim feror, quocunque feror: ſi modò ad Principium meum feror. Principium enim Amoris boni (& ſolus Amor bonus, ſolus Amor Dei, verus amor eſt;) ſolus Deus eſt ſicut & ſolus Deus principium, & fons, & eſſe, & centrum, boni amandi eſt. Quamobrẽ, neque poteſt, neque debet, alıorſum Amor tendere niſi ad Deum, aut propter Deum: quia nihil amabile, nihil amandum, poſſibile eſt Amori reperire, niſi Deum & quod in ſe habet, repræſentatque Deum.

10. Ergo Creatura, ergo homo, ergo Anima mea, recognoſce Amorem tuum: purga illum, dirige illum: & non ſine ad vilitatem, malitiamque creaturarum decurrere: ibique inquinari, & ſordeſcere illum, teque ſimul propter illum: ſed converte illum ad puritatis fontem, ad quietis centrum, ad ſanctitatis integritatiſque principium, ad ſolidum & omne Bonum, ad omnis Amabilitatis, originalem plenitudinem. Ubi Amor tuus propriam obtinebit ſedem, infinitum nanciſcetur paſtum, immenſum poſſidebit Regnum, omnis boni bonum hereditabit Deum.

11. Dole, & defle, & quantùm vales impedi, infelicitatem, & inſaniam hominum, & omnium rationalium Creaturarum, quæ pro eo, quod debuerant, quodque debeant diligere Dominum Deum ſuum, ex toto corde ſuo, ex totâ Animâ ſuâ, ex totâ mente ſuâ, ex totis viribus ſuis; prodigunt, & perdunt amorem ſuum: & diligunt Mundum non mundi Cõditorem: diligunt Carnem, non ſpirituum Spiritum Sanctum Deum, diligunt dæmonem Dei inimicum, non Deum ſuper omnia benedictum: diligunt maledictionem

onem pessimam, pro benedictione æterna.

12. O homines! quos Deus ad amandùm se, ad perennandum secum, ad fruendum omni bono suo, id est, semetipso, fecit: quid peccavit in vos hic amator vestri Deus: quia ex proposito, ex destinato, ex conspiratione veluti communi, & publico unanimique consensu, toti, & omnes, conversi estis, cum vestro amore in pravum, ad consectandum omne id; quod nostis Deo exosum: ad Deum vestrum ex toto corde, ex totâ Animâ, ex totâ mente, ex totâ fortitudine vestrâ negligendum, odiendum, contemnendum?

13. Hæccine reddis Domino Dèo tuo, popule stulte, & insipiens: qui fecit te, qui creavit te, qui redemit te, qui possedit, & possidere in æternum, propter bonum tuum, neque enim propter suum) concupiscit te, quærit te, expectat te, & converti te desiderat ad se?

PRAXIS.

O Amabilis: ô Amande: ô superamabilis: ô super, superque solus atq; Unus amande DEUS: qui pro omni bonitate tuâ, quæ est ipse Tu, & pro omnibus bonis tuis, quæ fecisti, nos & accipere, & habere à te; non aliud exigis, non aliud expectas, non aliud desideras, quàm ut diligamus te, ex toto Corde, ex totâ Animâ, ex totâ mente, ex totâ fortitudine nostrâ. Prô: quam tenuis, & exilis res est apud nos amor noster! quem tamen tu DEUS, sapiens non minus, quàm bonus, unum & solùm exigis, atque imperas nobis, pro universis bonis, quæ partim in te tibi servas, partim ex liberalitate tuâ & jam deposuisti in nobis, & adhuc deposita recondis nobis. O Amor vilissime, & pretiosissime. Vilissime ex conditione meâ; pretiosissime ex æstimatione Divina. Usquequo Anima obluctaberis Deo! & amorem, qui tibi quidem verè constat nihili, at Domino DEO tuo constat non nihili, sed super omnia, quæ à te habere vult, & potest, constitit, & constat summi: usquequo (inquam) avara es, & denegas illum Deo: impendis autem (quis credat te sic insanire!) mundo, carni, diabolo? impendis cupiditatibus, & concupiscentiis tuis malis, vanis, fœdis, etiam temetipsâ indignis? ô tandem resipisce, & purga amorem tuum, atque pretiosam Deo aquam, currentem in cloacam, converte in hortum. Ama DEUM; solum, summè, & summum bonum: ama DEUM summè amabilem: ama DEUM solum summè amandum. Amabilis & amande DEUS: Age, age; tolle amorem meum totum à me, & converte ad Te, accende, & rape, flagra, & dulcesce, jam amem te, rapiar in Te.

EXERCITIUM II

Amandus est DEVS: quia ipse Amat se.

1. STatue te coram Domino DEO tuo: & illum hæc tibi mandantem audi. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, ex tota mente tua, ex tota Virtute tua.*

2. In hujus Mandati omnium maximi, atque primi, omnium justissimi atque gravissimi, omnium suavissimi atque facillimi, omnium dignissimi, honestissimi, atque fructuosissimi, observatione; præit tibi Deus exemplo suo proprio.

3. Etsi enim Legislatores, ac præsertim supremi, qualis est Deus, soluti legibus sunt; hac tamen lege, de Diligendo Deo, ne ipse quidem Deus solvi vult, aut solvi potest, aut solutus est. Sed solus ille maximè & essentialissimè diligit se ex toto Corde suo, ex totâ sua Divinitate, ex totâ virtute, & ex omnibus viribus suis: diligit verò se non tanquam ob præceptum, ab alio quopiam à se, sibi latum, sed ob Essentiam naturamque suam ad amandum se existentem, amoremque sui à se Essentialiter exigentem.

4. Amat autem se Deus Amore complacentiæ, benevolentiæ, amicitiæ. Amat enim se propter se, quia sibi est per omnia & essentialiter bonus, essentialiter Amicus, essentialiter, omni bono omni amabilitate tàm plenus quàm dignus. Amat se Deus, quia Amor est, & amor sui; & amat sibi, quidquid est sibi, & quidquid est sibi, est amore suo, suique, sibi.

5. Amat se Deus, Amore appretiativo, & æstimativo sui super omnia: quoniam est pretiosus, dignus, æstimandus super omnia. Est sibi suum pretium, sua dignitas, sua æstimabilitas: pretium immensum, dignitas infinita, æstimabilitas inæstimabilis, bonum essentiale, & Essentia essentialiter Bona.

6. Amat seipsum Deus Amore, non qui sit aliud quid à se, aut qui aliundè adveniat sibi, aut quem aliquando erga se, intra se, & à se non habuerit: sed amat se amore æterno, amore suo proprio, sibi cũ suâ Entitate à se proveniente: amat se Amore non tantùm suo, sed Amore qui non est aliud à se, sed est idem ipse, idem qui ipse: ita ut sit Deus, ipse Amor, & Amor, ipse Deus.

7. Amat se DEUS, quia nec potest negare, nec potest velle posse, negare sibi

Amorem sui; perinde ac non potest negare seipsum, Essentiamque suam sibi. Si possit Deus non amare se, posset quoque, id quod Essentiale est, non esse; propterea amat se Deus tam ab æterno, quàm in æternum: sicut est Deus tàm ab æterno quàm in æternum. Amat se Deus amore Voluntario, & simul necessario. Voluntario; quia Voluntate suá vult sibi amorem, & delectatur illo, & delectabiliter dat & vult illum sibi. Non autem ita Voluntario, quasi possit negare illum sibi, vel cessare ab illo dando sibi. Necessario autem amore amat se, quia Natura & Essentia est illi, ejusque Voluntati, amare essentialier se: & velle, ac dare Amorem suum sibi.

8. Amat se Deus Amore non tantùm naturali, sed etiam Personali: ita ut Amor Dei non solùm sit Deo Natura, sed etiam Persona. Deus enim Pater, amans Deum Filium, & Deus Filius amans Deum Patrem, hoc communi amore sui, producunt & spirant tanquam unus Spirator Spiritum Sanctum, Amatricem sui Personam, Amatorem sui Amorem, qui est vocaturque Spiritus Sanctus, Charitas Patris & Filii, Vinculum Trinitatis; dulcedo Deitatis: Amor Deus.

9. Amat se Deus: & amando Rectus est, Justus est, Moderatus est, Rectus est: quia hæc ipsa summa est rectitudo Dei, Amare seipsum: Nihil est enim aliud quod amet extra se ipsum, nisi propter seipsum, super omnia tamen seipsum: quia nihil est, nihilque esse potest amabile illi, nisi in quo invenit, & quantũ in eo invenit seipsum: invenit autem quia inibi deponit, & servat semetipsum. propter eundem semetipsum. Est etiam Justus amando se Deus: quia cùm sit summe bonus, & ipsa Bonitas; bonitati autem omni jure debetur Amor; iniquus esset Deus in bonitatem suam, si non ex æquo amaret illam. Amat ergo Bonitatem suam, seipsum, & est justus: quia reddit sibi quod debet sibi. Denique est Moderatus Deus in Amore sui: quia tantum se amat, quantum se Bonum, & Amabilem habet atque novit. Est verò infinitè in infinitum bonus & amabilis; ideo ad mensuram se suam amat, quando se infinitè in infinitum amat.

10. Ex hoc autem etiam Deus semper occupatur, & nunquam otiosus est: quia amando se, prout dignus est Amare se; adæquatè occupatus est, amore sui: beatum faciendo se. Beatum autem esse, est summè, est verè, est dignè, est adæquatè occupatum esse. Atque taliter occupatum esse, est Deo nostro essentiale: est ab Amore sui emanans: Deo dignissimum & proprissimum esse.

11. Hanc ergo habes causam ô homo diligendi Deum tuum: quia agnoscis diligentem semeripsum Deum tuum. Agnoscere debes Deum tuum, esse summũ & totũ Bonũ suum, propterea que summè amabilem, & amandum: debes propter hoc, totis affectibus desideriorũ tuorum, Deo tuo desiderare, parem amabilitati atque Bonitati ejus amorem: quem cùm impossibile tibi sit, vel in ipso te, vel in Creaturis omnibus simul junctis reperire; (quo uno defectu suo, & tu, & omnes Creaturæ deberent juste contabescere) & videas officium hoc Amoris, Deo impendi ab ipsomet Deo: impendi autem, omni plusquam possibili ac desiderabili, Divino enim, & Deo digno, atque adæquato modo; Deumque essentiali & æterno amore Beatum reddi; quid hic aliud, & tu, & omnis creatura, facias, sentias, conerisque quàm ut grctuleris Deo hunc talem Amorem ejus: congaudeas immensè bono amabilique Deo, ob immensum pariter infinitumque Essentialiter Amorem ejus. Ames Amorem hunc Divinum, tam Deo dignum, Deo parem, cum ipsoque Deo eundem & unum. Ames denique ipsum Deum, tanto & tali Amore sese amantem, & sibi pro te, & pro Creaturá omni, vicem officiumque Amoris plenissimè impendentem. Nihil enim Creatura, vel sibi, vel aliis, vel ipsi Deo, debet, & potest optare aliud, quàm ut sive in maximo, sive in minimo, bene, & digne fit Deo: hac autem aliter non fit: nisi cum dignè habetur, colitur, amatur Deus: id autem ipsum tunc solùm fit, quando seipsum, seipso amat, exaltatque DEUS.

PRAXIS.

DEVS, qui solus es perfectus, plenus, dignus, & par tibi, tuus Amator: debuerat quidem esse mea, & Creaturarum omnium mecum affectatio, situti erat & obligatio, amare Te, condigne Te: sed hoc, non est ulla ex nobis sufficiens, præstare digne te: deberetque hæc esse una æterni mæroris & tabescentiæ causa in nobis coram Te; sed hoc solatii habent Animæ nostræ: quia agnoscimus, quoniam Amor tuus, par, essentialis, idemque tecum, explet abundanter omnia debita, omnia vota, omnia studia nostra, amando te, per omnia digne te. Ideo, te, diligentem te, digne te, Amore tuo digno te, amamus, & gaudemus, & glorificamus. Ideo etiã & Amorem istum tuum, tanquam condignum Amatorem

maiorem tui diligimus, exaltamus, magnificamus. Sis Domine benedictus, & beatus in isto Amore tui: & propter illum elargire quoque nobis ipsum illum, ut diligamus te per illum: quia & tibi nihil placet in nobis, & nihil debetur tibi à nobis aliud, quàm ut toto corde, totâ Animâ, totâ mente, totis viribus diligaris à nobis. Qui es benedictus DEUS in sæcula.

EXERCITIUM III.

Amandus est DEUS: quia & ipse Amat nos.

1. STatue te coram Domino Deo tuo, & audi illum tibi præcipientem: *Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, ex totâ Animâ tuâ, ex totâ mente tuâ, & ex totâ virtute, ac fortitudine tuâ.*

2. Ad hujus Legis, Deo quidem dignissimæ, atque debitissimæ, tibi verò, & omni homini, suavissimæ, nec non fructuosissimæ, ac saluberrimæ, observantiam; & amandam, & curandam, exequendamque; præivit, præitque semper, præiturus etiam in æternùm Deus: exemplis suis, & numero plurimis, & sumptu gravissimis, & imitatione tuâ, omniumque hominum dignissimis.

3. Amor omnis, at maximè Divinus, tam quo diligit, quàm quo diligitur Deus, operosus est: si enim operosus non est, amor non est: sed quò major & ardentior est, eò se per grandiora opera distendit, ac ostendit: ideoque certiùs, an sit, & quantus sit, cognosci non nisi ex operibus consuevit: quoniam opera ipsius, sunt speculum, sunt specimen, sunt mensura, sunt fructus, & opes ipsius, sunt gloria, & commendatio ipsius.

4. Et Dei quidem Amoris, magna opera sunt: sicut & ipse tam Deus, quàm Amor ejus magnus est. Si rectè advertis o homo; Amor Divinus quo te ille amavit, & amat, est ejusmodi; ut te amet ex toto Corde suo, ex totâ Animâ seu Deitate suâ, ex totâ mente, & ex totâ virtute suâ.

5. An non ita te dilexit: qui te ad imaginem & similitudinem suam facit? Si nosti quid sit; quàm speciosus, quàm perfectus, in omni bonitate, & pulchritudine suâ sit Deus; scies, quàm magnum bonum tibi contulerit. Quando tibi imaginem suam indidit: teque similem sibi fecit Deus: quando ad Imaginem suam te fecit; hoc ipso ad Amandum te à se, ad curandum, ad ditandum, ad protegendum, A ad conservandum, ad salvandum, beatumque faciendum te fecit: quasi ad instar unigeniti sui fecit te: qui per hoc unigenitus est ejus, quia est verissima Imago ejus. Tanti est ô homo Deo, Imago in te ejus: ut ejus in te, à te inductam peccati labem, unigeniti sui sanguine, atque morte, non dubitaverit sibi esse emaculandam. Et hinc æstima: quanti æstimet Deus Imaginem in te suam: qui tanquam vile aut nihilum aliquid, contemnis & deturpas illam.

6. An non ex toto corde divino suo dilexit te Deus, qui ut te perditum inveniret, ut te convulneratum sanaret, ut te B mortuum vivificaret, ut te confractum solidaret, ut te cæcum illuminaret, ut te captivum liberaret, ut te servum redimeret, ut te miserum beatificaret, ut te sibi exosum sibi reconciliaret, ut te omni bono gratiæ destitutum suâ gratiâ ditaret, filiumque ac hæredem suum redderet; Filium suum Unicum tibi donavit: & in hos omnes usus impendi, expendique fecit: & cum illo omnia sua bona tibi erogavit? Tibi inquam, tibi homini vili, & inutili, tibi indigno & ingrato: tibi inimico, & tam odienti quàm exoso: tibi neglectori & contemptori: tibi iræ C filio, & diaboli mancipio: tibi exuli à cælo, & inferni pabulo: tibi denique in malitiâ tuâ obstinato, insepulto, insordidato: cani ad vomitum, porco ad volutabrum luti reducto, & reverso: in omnē æternitatem ad sempiternam combustionem destinato, atque damnato.

7. An non ex toto Corde suo Divino amavit te Deus, qui post Unigenitum suum, insuper quoque misit & dedit tibi Spiritum suum Sanctum, per quem diffudit in Corde tuo Charitatem suam, cujus templum fecit te: per quem, & per cujus dona Sanctificavit te.

D 8. An non ex toto Corde suo Divino amavit, & amat te Deus, qui in præmium, in Vitam æternam, in possessionem & hæreditatem, in fruitionem, atque beatitudinem sempiternam, non ullum aliud, quodcunque posset facere, tibive exhibere bonum; sed semetipsum tibi exhibet, offert, donatque: ita ut sicut ipse sibi est omnis felicitatis atque beatitudinis fons, origo, & immensitas: sic etiam tibi eundem seipsum tibi designet, ac attribuat in Bonum sempiternum? *Ego (inquiens) ero Merces tua magna nimis.*

9. Videsné Homo, quomodo ex toto corde, ex totâ Deitate, ex totis viribus visceribusque suis amat te Deus? quæ-

nam

nam alia in Deo viscera reperis, quænam ab illo alia: requiris, & ut te insuper illis diligat concupiscis? Non aliis visceribus, non alio Corde, non aliâ Deitate semetipsum amat, & implet, & beatificat Deus: & sufficit sibi, sic se amare in æternum: tibi autem homini, (ah cui homini!) non sufficit ita amari à Deo: Neque enim vel sic amatus, tuum amorem dignaris impendere Deo: tanquam scilicet inuenturus sis aliquid præ Deo, dignius Amore tuo.

10. Ac vtinam ô Homo saperes, & intelligeres, & pervideres, illa vilissimarum vilitatum vilissima, illas nugas nugarum nugacissimas, illas turpitudinum turpitudines turpissimas, illas stultitiarum stultitias stultissimas, illas malitiarum malitias malitiosissimas, illas ingratitudinum ingratitudines ingratissimas, illas minimarum minutiarum minutissimas: propter quarum amorem, studium, vsum, oblectationem, occupationem, homo imprudentissimus, atque scelestissimus impediri se finit, facit, gaudet; ab amando, potiundo, fruendo, hereditando illo bono, illo bonorum bono; illo summo bono, illo ultimo bono: Domino scilicet Deo suo!

11. Ehem Homines? quousque pueri, quousque stulti, quousque nihil dignum homine, quousque nihil justũ Deo, sed tantum vana, tantùm mala, tantùm fæda, tantùm caduca, tantùm pereuntia atque perdentia, tantum exosa & ingrata Deo, tantùm æternam dæmonis tyrannidem damnationisque ejus Societatem cogitabunt laborabunt, suo æterno exitio, infernaliumque malorum lucro mercabuntur?

12. Boues ad herbam camporum creati sunt: Lupi ad carnes: Cervi ad serpentes: Canes ad prædam: Corvi ad Cadauer: Porci ad siliquas: alia omnia Animalia, ad sua condita sunt cibaria: & amant illa, norunt, appetunt illa, vivunt & oblectantur, pinguescunt de illis. Homo autem conditus ad æterna, ad superna, ad casta, ad pudica ad honesta, ad rationi consona ad virtutum propria, ad cælestia, ad Christiana, ad Sancta, ad Diuina, ad ipsum Deum; horum nihil cogitat, nihil amat, nihil cupit, nihil curat, nihil quærit: imò omnia hæc cum ipso etiam Deo, ejusque dilectione, & voluntate, & promissis, & præmiis, aspernatur, præterit, contemnit. Malunt fieri sicut equus & mulus: sicut canis & lupus, sicut corvus & porcus, sicut Sathan & Diabolus quorum Deus non est memor amplius.

13. O non sic homines non sic: non sic impii non sic: non sic stulti, & insipientes, egentesque corde: sed tandem, tandem desinite sapere ut parvuli, loqui ut parvuli, ambulare ut parvuli, ludere ut parvuli: evacuate ea quæ sunt parvuli, & incipite, & pergite, & peragite, & perseverate sapere, amare, operari quæ sunt Virorum pervenientium ad mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, & in augmentum ædificationis vestri in Charitate: quâ diligatis Deum, quoniam ille prior dilexit, & diligit nos.

PRAXIS.

O Dulcis Charitas DEUS: qui etiam dum adhuc inimici tui essemus, amasti tamen nos in plenitudine Amoris tui: & universam substantiam Deitatis tuæ impendisti nobis; infunde quæsumus nobis, notitiam, & gustum, istius dilectionis tuæ: & aufer à nobis neglectum, contemptumque viscerosæ emanantis bonitatis super nos tuæ. Dedisti nobis Domine Amorem tuum, quo ab usque aeterno amas nos: da etiam quæsumus illum Amorem tuum quo in æternum usque amemus Te. O Domine: amemus te per te, in te, & pro te. Regna tu in nobis Amatus noster, sicut regnas etiam Amator noster: ut Amans nos, ameris quoque à nobis, diffundente Spiritu tuo Sancto Charitatem tuam in cordibus nostris, Amen.

EXERCITIUM IV.

Ex quibus libris Amor in DEUM discendus est?

1. STatue te coram Domino DEO tuo: eumque tibi præcipientem audi. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, ex tota mente tua, ex tota fortitudine tua.* Deut: 6

2. Hanc legem, quia Deus observari vult ab omnibus, semper, exactissime, æque, in magnis, ac in parvis rebus, occasionibusque: ideo descripsit, describiq; etiam fecit eandem in libris quibusdam multis, magnisque: characteribus etiam valde expressis: eos exposuit omnium oculis: omnibus dedit accessum ad eos dedit etiam omnibus scientiam legendi in eis, & intelligendi omnia quæ in eis scripta sunt: ita ut nemo sit penitus, qui ignorantiam legis hujus, ubique tam vulgatæ & promulgatæ prætendere possit.

3. Filiis Israël præceperat per Moysem DEUS, ut Decalogum, descriptum, ad fimbrias vestium, ad volas manuum, seu ad extrema Manticarum, ad infima pileorum frontem legentium, alligatum, & ob oculos eorum ad omnem motum volitantem, suique memoriam, & observantiam refricantem, circumferrent. De Lege Charitatis erga se majorem diligentiam fecit Deus, in infinitis tabulis, paginis, libris, descripsit, & omnium oculis admovit, omnium intellectibus insculpsit, in omnium voluntatibus, affectibus, memoriisque impressit eam.

4. Fatigabant Davidem Sanctum, nescio qui, sed valde multi, hâc unâ quæstione, dicentes: *Quis ostendit nobis Bona?* Intelligebant, vel certè intelligere debebant per ista Bona, Charitatem, seu Dilectionem Dei, & legem de illâ à Deo latam. Hæc enim Dilectio, & simul lex de de illâ, non est aliquod tantùm bonum, sed est prorsus omnia Bona: quorum quæsito respondit Propheta. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Quæsitorum, & quæstionum talium plenus est Mundus, plenæ omnes ætates Mundi: omnibus autem his respondit, & satisfecit David, frustrà nimirùm moveri hanc quæstionem, cùm signatum sit super omnes lumen vultûs Divini: in quo lumine, atque etiam in ipso vultu Dei, legere quilibet potest, imò nemo legere non potest, Legem de dilectione Dei ex toto corde, ex cujus Legis lectione, magis autem ex observatione, impossibile est non dari, non nasci, non abundare lætitiam cordis, legem observantis.

Ps. 4. 7.

Ps. 138. 6.

5. Sed accedendum est ad Libros, sive malis dicere Bibliothecas relegendas, revolvendasque: in quibus lex, de diligendo ex toto Corde, & Animâ, & mente & fortitudine totâ Deo, est descripta digito Dei.

6. Ecce autem; Primus liber, qui ita exaratus in manus cuique venit, est ipse sibi Homo quilibet. Parvus liber iste videtur, sed revera magnus est: & incredibiliter magna scientia dilectionis Dei ex toto corde, descripta est in eo: *Mirabilis facta est scientia tua ex me:* (ajebat David) *exaltata est, & non potero ad eam.* In veritate namque, tantum est in unoquoque nostrum nobis, quin & alijs, de Diligendo à nobis Deo scriptum à naturâ ipsâ, vel magis à Creatore Naturæ nostræ; ut ad terminum legendi perveniri non possit, nisi hoc modo, ut sciamus in toto libro isto, id est, in totis nobis, hanc unicam esse clausulam scriptam; *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto Corde tuo.* Vide Personam tuam, vide Animam, vide Caput, vide Intellectum, Voluntatem, Memoriam, Judicium, Ingenium, Liberum arbitrium, Mentem, & Animum. Vide potentias, passiones, appetitusque Animæ. Vide corporis symmetriam, juncturam, mutuum obsequium, idemque tam varium, partes singulas, earumque officium. Vide formam cujusque, robur, sanitatem, molem, usum, capacitatem, perpetuitatem. In corpore humano, ultra sexcentos musculos reperire est, singuli habent decem fines ac usus; atque ita soli musculi sex millia finium habent. In eodem corpore sunt ossa plura ducentis, singula horum habent scopos ultra quadraginta: unde omnium ossium scopi sunt octo millibus plures: & tamen hæ partes corporis videntur esse rudes: in quibus tamen tam est in bonum hominis exactus artifex Deus. Qui longè est exactior in Animâ, & potentiis ejus. Quid de supernaturalibus dicam infinitis rerum excelentiis? de remissione peccatorum, & pœnarum temporalium, æternarum, spiritualium: de justificatione, de filiatione Dei adoptivâ, de gratiâ sanctificante, auxiliante, de meritis, & valore operum nostrorum ad vitam æternam, de beatitudinis æternæ promissione, adeptione, fruitione, de Virtutibus incipientium, proficientium, perfectorum: de gradibus perfectorum, de Sacramentis, Sacrificio, Ecclesiâ, Donis Sancti Spiritûs, & universim de toto Christo, ejusque Oeconomiâ, totâ in salutem hominum æternam dispositâ, dispensatâque. Hæc omnia in homine inculcant & inclamant homini: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo:* id enim unicum exigit ab Homine, hominis factor, & benefactor Deus: quod paulò distinctius indicavit, qui dixit, ab omnibus omnino rebus, homini inclamari istas tres voces; Accipe, Redde, Fuge: nimirum. Accipe beneficium, Redde debitum, Fuge supplicium. Accipe beneficium dilectionis divinæ erga te. Redde debitum dilectionis tuæ erga Deum. Fuge supplicium non redditæ dilectionis Deo debitæ abs te. Quæ ipsa supplicii comminatio, beneficium est exigens debitum Dilectionis Dei ab homine. Deus enim non ideo condidit minaturvè infernum, ut mittat, sed potiùs, ut non mittat ad infernum: potiùs (inquit) ut omnes fugiant infernum, & Deus nullum habeat, quem mittat ad infernum: reddentibus omnino

Deo dilectionis ex Corde toto debitum. quid enim habet homo quod non acceperit? si autem accepit, quidni dilectionem, gratiarum actionem, & laudationem ei debeat, eique reddat, à quo universa quæ habet, unà cum semetipso accepit?

7. Alius Liber totus pariter dilectione Dei, & præcepto de illâ, toto Corde, totâque Animâ, & Mente, & Virtute impendendâ scriptus, & exaratus, est Universus iste Mundus: cum omnibus quibus est à Deo impletus, ordinatusque, ac in usum & obsequium hominum destinatus. De hoc libro dixit Propheta Moyses: *Vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: dixit de eodem libro alius: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbū, & nox nocti indicat scientiam.* Innumera & obvia sunt ejusmodi Sacræ etiam Scripturæ de hoc libro, & scriptis in eo Dei laudandi, amandique præceptis. Solummodo necessaria est diligens & perspicax libri hujus lectitatio: quot enim Creaturæ sunt in eo, tot sunt paginæ. Legebat ille, qui dicebat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est Nomen tuum in universâ terrâ. Elevata est Magnificentia tua super cælos. Elevaverunt flumina Domine vocem suam. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Legebat & ille qui dicebat. *Vide Arcum (nubium) & benedic eum qui fecit illum*: quod hic de unius Iridis aspectabili decore mandat; istud de omnis Creaturæ aspectu meritò faciendum. Vides cælum: benedic eum qui fecit illud. Vides solem, lunam, stellas; benedic eum qui fecit hæc. Vides Aërem & Volucres ejus. Aquam & pisces ejus: benedic eum qui ista fecit. Et sic videns omnes Creaturas, oculis mentis invisibiles, oculis carnis visibiles, benedic eum qui fecit illas: & ex toto corde tuo dilige eum: quoniam propter te, & propter usum tuum, tā corporalem quàm spiritualem fecit illas. Ergo & hinc etiam, Accipe beneficium muneris: redde debitum dilectionis: fuge supplicium non impensæ servitutis atque Amoris.

Gen. 1. 31. *Ps. 18. 1.* *Ps. 8. 2.* *Ps. 92. 4.* *Eccl. 43. 12.*

8. Tertius Liber de dilectione Dei, Deo à nobis debitâ exaratus, est Liber Sacræ Scripturæ: quæ non est ab humano sensu reperta; sed Spiritu Sancto Dei inspirati, Dei homines, eam exarârunt, & hominibus legendam tradiderunt. In hoc igitur Divino libro: hoc unum præ omnibus legatur, & discatur, & opere exerceatur: ut Deus cognoscatur, diligatur, honoretur. Nulla pagina, nulla periodus, nullus apex Divinæ scripturæ caret hac omni utilitate. Est enim Sacra Scriptura, Sermo Dei, Verbum veritatis, Lux mentium, Legis æternæ promulgatio, Cibus cordium, Animarum præservans, conservans, sanans Medicina. Inflammatio frigidorum, Stimulus tardantium, Manuductor ad Deum, Instructio ignorantium, Dux errantium, Lac humilium, Frenum præsumentium, Absorptio superborum. Est plana simplicibus, inaccessa præfidentibus, Impertransibile Mare, Originem & ordinem explicans Naturæ, Secretaria spiritûs & gratiæ, Enarratio Magnalium Dei, Modesti sensûs, & purgati cordis Magistra, Cordis quoq; emundatio, Inflatæ mentis conformitas, Arrogantiæ cæcatrix, Liber totius Mundi Magisterio major, Thesaurus sensuum, Mysteriorum scaturigo, Magistra Virtutum & veræ scientiæ, Clavis Cæli, Filiorum Dei gloria, Impiorum flagellum, Electorum & reproborum discriminatrix, Doctrix disciplinæ Dei, Speculum omnium Animorum, Correctrix vitiorum, Norma vivendi, Lucerna Dei lucens in Caliginoso loco, Explanatrix Sanctitatis, & justitiæ, Præteritorum, præsentium, futurorum historia, Alveare Voluntatis Dei, Mellificium Divini Timoris, Depositum Sapientiæ arcanorum, beneficiorum, promissorum, decretorum. Terra Charitatis aurum inexhaustâ copiâ ministrans, & aurum terræ hujus optimum est. Index salutis, perfectionis, beatitudinisque æternæ. Lydius lapis omnis scientiæ & conscientiæ. Hæc, & alia innumera sunt Sacræ Scripturæ bona, & hi illius indeficientes thesauri atque fructus: sed Universum illius ingenium, officium, propositum, atque beneficium est, prædicare Deum, exaltare gloriam ejus: Voluntatem enarrare: servitium, & obedientiam, venerationemque persuadere: Timorem, pietatem, dilectionem super omnia, & ex toto corde exigere. Librum ergo Sacræ Scripturæ, & sermones Domini Dei nostri pariter, & jugiter omnes audiamus. *DEUM time, & Mandatum ejus observa. Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, & ex totâ Animâ tuâ. Hoc est enim omnis homo*: & sine hoc nihil est omnis homo.

Eccl. 12. Deut. 6.

9. Quartus Liber Dilectionis Deo à nobis debitæ, ex totisque Cordis & Animæ viribus exhibendæ, scientiâ atque præcepto exaratus, est DEUS Homo, Christus IESUS, & hic Crucifixus. Hic est Li-

est Liber Vitæ. Hic liber est scriptus intus Divinitate, foris Humanitate. Hujus libri legendi desiderio; *flebat multum Ioannes: eò quod nemo esset dignus aperire, neque aspicere illum, & solvere septem signacula ejus.* Quis enim solveret 1. Decretum de redimendo homine per ipsum in Personâ DEUM! 2. Quis solveret Figurarum, Prophetiarumque obscuritatem, & dilationem? 3. Quis solveret desponsatæ Viro, in Matrem DEI electionem? 4. Quis solveret conceptionem Hominis Dei, ex homine Virgine de Spiritu Sancto? 5. Quis solveret DEUM Hominē infantem, in stabulo, & præsepio, totâ vitâ pauperem, humilem, contemptum? 6. Quis solveret persecutionem Dei, Passionem, Crucifixionem inter latrones? 7. Quis solveret Mortē & sepulturam Redemptoris & Salvatoris Agni? Hæc omnia sigilla aperuit, librumque solvit Leo de Tribu Juda: JESUS in resurrectione suâ, Mortem, peccatum, infernum, diabolum, & damnationem hominum, vincens, atque triumphans. Hunc librū unum, solumque lectitabat assiduò Paulus, unde & dicebat: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos nisi IESVM, & hunc Crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, Dei autem electis Virtutem & Sapientiam.* Ad hunc librum legendum una tantùm est Clavis Dilectionis: legere scilicet, & cognoscere dilectionem, amare & æstimare dilectionèm, reddere & retribuere dilectionem. Hâc clavi usus est ipse Dominus: dixit enim: *Majorem hac dilectionem habet nemo, quàm ut Animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hanc clavem idem Dominus Nicodemo ostendit. *Sic enim DEVS dilexit Mūdum, ut Filium suum unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum,* JESUS ergo totus, maxime verò Crucifixus, est Liber, in quo tota Charitas descripta est: Hunc legit qui diligit: & contrà, qui diligit, hunc legit. Legit librum, & scientiam ejus devoravit, & *factum est in ore ejus quasi mel dulce*: Nihil enim dulcius Charitate: venter autem ejus amaricatur: zelo & dolore, quia Amor non amatur: quia Deus, qui nos ex toto Corde suo, totâque mente, & virtute suâ (quæ omnia Christus est) dilexit, non diligitur: quia liber totus amore nostri scriptus, non legitur, non relegitur, non capiti quasi corona circumdatur: non per singulos passûs pronuntiatur. Ideo egemus Charitate; (& nulla est egestas gravior, nocentiorque, Charitatis egestate:) quia librum istum JESU Christi Crucifixi non legimus: si hunc lectitaremus, utique in dilectione JESU maneremus: & Voluntatem ejus faceremus: & Pater ejus diligeret nos, & cum illo, atque cum Spiritu Sancto, veniret ad nos, & mansionē faceret apud nos. Totis ergo animorum medullis, totis præcordiorum affectibus, Librum JESU Christi Crucifixi legamus, relegamus, diu, noctuque meditemur: & illum super omnia, unà cum ejus Deo Patre, Spirituque Sancto, ex toto Corde, totâ Animâ, Mente, atque Virtute diligamus. Aliàs qui non amat Dominum JESUM, anathema: Maran Atha.

(Apoc. 5. 5. — 1. Cor. 2. 2. — Io. 15. 13. — Io. 3. 16. — Ezech. 3. 3.)

11. Quintus liber, exaratus, & præcepto Dilectionis, DEO debitæ, à nobisque ex toto Corde exhibendæ semper, est ipsemet DEUS: *DEUS enim Charitas est, & qui manet in Charitate in DEO manet*: ille autem in Charitate reverà manet, qui ex toto Corde, & ex totâ Animâ, ac Mente, & Virtute Deum semper amat. Ut verò id quis strenuè, & libenter, constanter, fructuoseque exequatur, opus est, ut multus, ne dicam totus sit in lectione hujus libri qui DEUS est: & in cognitione, ac pervestigatione, ac scientiâ Dei: seu, quid DEUS est. Ignoti enim (ut vulgò dicitur) nulla cupido: sic & DEUS nisi cognoscatur, & consideratione legatur, atque discatur, diligi à nobis non potest: eam ob rem, prima & suprema dilectionis, & quæ ex dilectione DEI manat, omnis virtutis, atque perfectionis regula, est Scientia, & Cognitio Dei, fidesque in ipsum, aut certè (quod Cæli proprium est) visio illius. Quæ cognitio DEI, quò perfectior est, eò magis ducit & adducit ad DEI amorem, omnemque dignum Deo affectum: & in eo radicat mentem: immobiliter quidem in Beatis, in mortalibus verò plus minùs constanter, pro firmiore, aut infirmiore nostrâ de Deo scientiâ: propterea Dominus noster afferebat; *Hæc est vita Æterna, ut cognoscant* (homines) *te DEVM verum, & quem misisti IESVM Christum.* Paulus etiam sæpissime orat, & optat Christi fidelibus, ut crescant in scientiâ Dei, in cognitione veritatis, in Scientiâ supereminētis Christi Charitatis. Ista enim Notitia, excitat in nostro Animo Amorem & æstimationem Dei: Amor excitat studium Justitiæ, sanctitudinis, & rectitudinis, jubetque, ac facit ea, quæ DEO placita sunt facere semper. Eadem Dei notitia, hunc affectum quem excitavit in nobis, servat, auget, perficit. Unde ideo; est certa & absoluta omnis nostræ coram Deo rectitudinis, & perfectionis regula, nec non æternæ

(1. Io: 4. — Io: 17. 3.)

ternæ salutis consummatio. Sed non loquor hic de notitiâ Dei ac Divinorum, merè speculativâ, nec ultra cognitionem procedente: hæc enim parùm prodest: sæpè multùm obest: quoniam scientia inflat: loquor ergo de tali notitiâ Dei & bonorum illius, quæ ex sese pullulat in affectionem; hoc est: ex quâ mens assurgit in admirationem, appretiationem, dilectionem, benedictionem, gratiarum-actionem, subjectionem, venerationem, timorem, imitationem, conversationem, collocutionem, laudationem, desiderium, famem, unionem, & fruitionem Dei: descendit verò eadem mens ex hâc ipsâ notitiâ Dei, in notitiam sui, in diffidentiam, in humilem de se sensum, in abjectionem sui ad Deum, & ad omnes propter Deum: in contemptum mundi, in amorem patientiæ, in odium & fugam peccati, &c.

12. Talem Dei notitiam qui negligunt, in iis nihil esse bonæ & sanctæ mentis affectionisque omnino certum est: & utinam hoc infinitis exemplis, etiam inter ipsos Christianos non sit comprobatissimum. Unde enim adeo redundant scelera? unde mores Dei Voluntati & doctrinæ Christi per omnia contrarii? unde tanta raritas veræ Virtutis, atque bonæ operationis? unde tanta crassities, incapacitas, stupor, ad spiritualia, ad supernaturalia ad æterna, ad Divina? unde tantus contemptus, ac oblivio sacrorum, & omnium ad Dei venerationem, Voluntatis, præceptorumvè Dei executionem, nec non ad salutis æternæ studium concernentium, præteritio, omissio, dilatio, illusio? Ut magis gentiles, quàm Christiani esse videantur.

13. Nimirùm hodie apud Christianos, nihil Dei cognitione, memoriâ, præsentiâque neglectius. Nihil etiam apud eosdem tædiosius, & ingratius, quàm Divina cogitare, meditari, legere, loqui, iis affici: sed acsi talia agere, esset otiosorum, aut ineptorum, aut nihil sapientium, ita in his tempus ponere, esse illud perdere, putant: qui alioqui in terrenis, in carnalibus, in spurcitiis, ac fæditatibus, infiniti, sagacissimi, & infatigabiles sunt. Nimirum sicut *nosse Deum* (verba sunt Spiritus Sancti) *consummata justitia est*, & sicut scire Iustitiam ac Virtutem Dei, radix est immortalitatis: ita contrario modo, ignorare Deum, consummata iniquitas est: & non nosse Iustitiam ac Virtutem Dei, radix est æternæ damnationis. Omnis enim peccans, ignorans est: & ante omnia abjicit à se circumspectionem Dei: & quasi dicit corde; Non est DEUS: aut nescio Dominum: non obedio, non intendo sermonibus, & præceptis ejus. Sicut è contrario, omnis qui benè agit amat lucem, & venit ad illam, Deum providet in cõspectu suo semper, ejusque timor & lex, & amor ante oculos ejus est omni tempore: & curat cupitque esse juxtà cor Dei, faciens omnes Voluntates ejus semper.

Sap: 15. 3.

14. Omni ergo tempore, & ab omni homine lectitandus est hic Liber Deitatis: & per hoc in Dei cognitione, ex hac in dilectione, æstimatione, honore, laude, reverentiâ, subjectione, imitatione, Unione proficiendum.

15. Et quia infinitus, immensus, ipsaque Abyssus Essentiæ, DEUS est, infinita sunt in eo, quæ legi in libro ejus Deitatis possint: sed ad hæc quis idoneus, in hac præsertim vitâ? in aliquot ergo classibus disponi, & disposita legi considerari, ex eisque Amor Dei addisci, & ipsa Deitatis bona possunt.

16. In Primâ classe, sint, & legantur ea, quæ Deum & ejus Esse constituunt: ut Divinitas ipsa, seu DEUS. Ens à se. Est qui est. Unitas, seu Unus DEUS. Trinitas personarum in Unâ numero Essentiâ, Processiones Personarum. Patris à nullo: Filii à Patre nascentis ab æterno & consubstantialis: Spiritûs Sancti à Patre Filioque procedentis, utrique consubstantialis.

17. In secundâ classe sint & legantur perfectiones Dei, quæ sunt quidem in re ipsa, idem quod Essentia Dei, ad nostrum tamen captum cogitantur, & ad amandũ, imitandum, honorandumque proponuntur, tanquam distinctæ & plures. Harum aliæ sunt quæ primariò Deum respiciunt: aliæ verò quibus Deus Creaturas respicit. Priores sunt: Vita Dei, Veritas, Charitas, Sapientia, Omnipotentia, Bonitas, Perfectio, Sanctitas, Dignitas, Pulchritudo, Suavitas. Posteriores sunt, Potestas & Dominium absolutum Creaturarum, Providentia, Gubernatio & Conservatio: & in his Electio, Prædestinatio, Reprobatio, Veritas, Benignitas, Beneficentia, Iustitia, Ira, Misericordia, Clemẽtia, Patientia sive Sustinentia, Charitas, Finis ultimus, Summum Bonum, Vita & Beatitudo æterna.

18. In tertia classe sint, & legantur perfectiones quasi communes, tàm Essentiæ, quàm ejus attributis, modò enumeratis: tales sunt: Æternitas tam ab ante, quàm in post, Infinitudo, Simplicitas, Immu-

Immutabilitas, Incomprehensibilitas, Immensitas, ubique Præsentia.

19. Hæc pro modulo cuique homini sunt recogitanda: ita ut ex recogitatione enascatur, Dei æstimatio, pretium, honor, amor, desiderium, laus, reverentia, subjectio, exaltatio, gratiarum actio.

20. Hæc etiam populis, pro captu, per partes, sæpè intimanda: ut sciant omnes Deum esse: & quis, ac qualis, & quantus sit noscant: quod scilicet sit Creator omnium, exinde Dominus, Rex, Pater, Benefactor, Medicus, Salvator, Iudex, Remunerator: ex quo omnia: cujus sunt omnia: cui homines quidquid sunt debent: cui obedire, subdi per omnia tenentur: cui amorem ex toto Corde, & Animâ, & Virtute semper rependere obligantur: aliaque his similia: quæ Deo homines ob suam ad illum conditionem, & ob Dei ad ipsos, & super ipsos Dominium, beneficentiamque tenentur præstare. Revera enim, quia ista & similia, homines de Domino DEO suo non edocentur; ideo immanis est inter eos inscitia: & Dei, & dominatus beneficentiæque ejus, & obligationum, debitorumque ab hominibus DEO negligentia: exindeque multiplicatissima Dei offensa, & salutis eorum certissima, & frequentissima discrimina.

21. Sextus Liber, ex quo Lex amoris Dei super omnia legenda & discenda est, Conscientia cujusque est. Hic liber suus cuique est: hic liber in Iudicio cujusq; relegetur: hic liber nunc dum vita superest crebrò revidendus, & lectitandus est: videndumque in eo, quid desit ad Charitatem Dei super omnia, & ad dilectionem ex toto Corde? quid sit in eo quod censuram oculi judiciique divini mereatur? Vide ergo ô homo in Libro Conscientiæ tuæ; 1. Admissa à te mala, Corde, ore, opere. 2. Omissa à te bona, pariter Corde, ore, opere. 3. Facta à te bona quidem, sed imperfectè, negligenter, & ingratè divino gustui. 4. Accepta bona & beneficia obsequiaque Naturalia, à Deo, à teipso, qui tibi beneficium Dei es, à Creaturis omnibus. 5. Accepta bona & obsequia supernaturalia à Deo, à Christo, ab Angelis, à Dei Matre, à Sanctis, ab Ecclesiâ. 6. Obligationes exinde natas in te erga Deum, amoris, gratitudinis, laudis, venerationis, &c. Plura de hoc conscientiæ libro legendo, videantur in parte de Contritione.

22. Septimus Liber docens nos dilectionem Dei super omnia, est sui nihili: de cujus cognitione etiam actum est, parte propria: unde hic nihil addendum videtur.

23. Octavus Liber est amori Dei super omnia in nobis fundando utilis est, Liber Cæli & Beatitudinis æternæ: qui liber sufficienter, quantum ad præsens, traditus est parte sua propriâ.

PRAXIS.

Da nobis Domine DEUS noster, lumen gratiæ tuæ sanctæ in intellectu: ejusdem efficaciam in affectu: denique ejusdem perseverantiam finalem, in omni tibi placentis boni inceptu, ut præceptum Dilectionis tibi à nobis debitæ, & ex nostri ipsorum, & ex totius Universi, & ex Divinæ Scripturæ, & ex IESU Christi DEI-Hominis pro nobis facti, passi & in Cruce mortui, & ex tuæ quoque Divinæ Majestatis, nec non in nos bonitatis charitatis, profusionisque, cognitione, ediscentes; toti, & omnes, & semper, in omni tibi placitâ Virtute proficiamus, ac potissimum Te Dominum DEUM nostrum, omnis Boni nostri fontem, omnisq; Charitatis sedem, ac centrum, super omnia, ex toto Corde, ex tota Animâ, ex tota Mente, ex totâ virtute, efficaciter, ardenter, constanterque diligere condiscamus, & consuescamus.

EXERCITIUM V.

Quæ sit Excellentia Amoris nostri in DEUM?

1. Statue te coram Domino DEO tuo, eumque tibi mandantem, ac dicentem audi. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, ex tota mente tua, ex tota Virtute tua.* (Deut: 6. 5.)

2. Maximum præceptum: quia & maximæ rei præceptum est. Quid enim majus Deo: qui diligi jubetur? quid majus dilectione, quæ impendi Deo jubetur? quid denique majus eâ re, eoque negotio, ad quod peragendum totum cor, tota anima, tota mens, tota virtus, fortitudoque hominis exigitur, & exhauritur?

3. Non potest esse parva & vilis res Dilectio: quam Deus (bonus utique & prudens æstimator) tam vult; ut nihil aliud, sine illâ & præ illâ velit: tam vult; ut totam absolutè velit: & sibi, & soli sibi, & semper soli sibi integrè velit, & ab omnibus velit.

4. Quid autem tantoperè placeat Deo in Amore nostro? Est inprimis illemet ipse qui Amatur: quia scilicet ipsiusmet in eo Natura & Essentia, & Dignitas Di-

vina, non tantùm honoratur amore, sed etiam dignè honoratur: neque id solùm, sed etiam ipsiusmet Dei erga semetipsum Amor, imitatione, impari quidem, quoniam Creatâ, suppari tamen, quia totali, & non divisâ affectione amatur.

5. Aliud verò, ob quod Deus, adeo se amari ex toto Corde & Animâ, vult, ac jubet, & gaudet; est ipsa Natura Amoris, sive amorosæ affectionis: quæ in ordine creato, est omnium præstantissima, DEOque sola dignissima. Nullus enim excogitari potest affectus mentis Creatæ, quo DEUS ab illa coli digniùs debeat, & possit, quàm est Amoris. Omnes alii affectus nostri, & actus ad Deum, faciunt nos aliquid Dei, v. g. Credentes in Deum, aut de Deo, aut Deo: Sperantes item in Deo, & à Deo, obedientes mandatis Dei: & similia; quæ tamen absque dilectione impensa Deo, non placent coram Deo: nec nos faciunt placitos illi: at Amor Dei, & placet Deo, & facit nos bonos, placitosque Deo: facit amicos, & gratiosos, filios, sponsas, possessores, fruitores, beatos Deo, insuper quâ potis nostra est, Beatum facit ipsum Deum. Est enim quædam beatitudo Dei, amari à suâ creaturâ, ad quod & ab ipso condita est; ideo cùm quærimus sitne aliquis Bonus? non quærimus quid credat? aut quid speret? aut quid agat? sed quid amet.

6. In Divinis, Pater & Filius per hoc maximè, viscerosissimè, suavissimeque secum occupantur; seseque mutuo perfruuntur; quia sese mutuò amant: & ita amant, ut hic Amor sit eis substantialiter Personalis: sitque Spiritus Sanctus, tertia Trinitatis Persona: cujus rei ad instar, Mens quoque creata per hoc maximè visceraliter in Deum se effert, atque infert, Deoque fruitur, quia illum amantem se vicissim redamat: in eumque immigrat, non personaliter, aut substantialiter, affectione tamen & Unione Caritatis illius, quæ *diffunditur per Spiritum Sanctum in cordibus*: & eo modo, quo, qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo.

7. Habet etiam Amor Dei cum Spiritu Sancto similitudinem in hoc; quia Spiritus Sanctus, quoniam procedit ut Amor, procedit etiam in ratione primi doni: estque primum Donum, & ratio donorum omnium, quæ Deus dat: non enim ea dat nisi per Spiritum Sanctum, per quem multa & varia dona dividuntur membris Christi, seu mentibus nostris: juxta illud. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem* (1. Cor. 12.)

A *Spiritus*. Sic & Amor noster in Deum: quatenus nobis à Deo advenit, primus omnium donorum advenit: Deus enim ideo aliquid dat, quia bonum ei vult, cui dat: bene autem alicui velle, est illum amare: ante omne ergo donum, est amor volens bonum ei, cui datur donum. Idem Amor noster in Deum, quatenus a nobis in Deum tendit, primus est omnium obsequiorum nostrorum quæ offerimus Deo: si ea offerimus ideo, quia volumus placitum Dei; quod est bonum Dei: si enim aliter illa facimus; non obsequia, sed offensas facimus: nec placitum, sed displicitum Dei facimus. Proin-
B de etiam Amor noster in Deum, primus est omnium nostrarum Voluntatum, & affectionum in Deum: sine quo nullus alius affectus noster placet Deo: & ipse est radix omnium cæterorum affectuum Virtuosorum, & placitorum Deo.

8. Unde qui Amorem Dei in se non habet, frustra & in vanum cætera omnia habet: si tamen habet, & non magis videtur sibi habere: at falsò: frustra etiam & in vanum operatur quidquid operatur; si tamen operatur: quomodo enim cadaver sine Animâ nihil operatur; (aut certe solum fœtorem & horrorem opera-
C tur: ita Anima sine Charitate nihil operatur, quod Deo placeat, salutique proficiat: Quod graphicè valde, Paulus inculcat fidelibus, quanquam parum ejus inculcationem, attendentibus. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, si tradidero omnem substantiam meam in cibos pauperum, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* (1. Cor. 13.) Hæc Apostoli verba certè seria, & efficacia, ita homines Christiani non attendunt, ut passim totam vitam suam, in statu peccati mortalis, mortuum in spiritu
D cadaver, fœtentibus & putrescentibus Animabus suis transigant, per quod assequuntur, ut quoniam extra Dei gratiam & charitatem vivunt, & operantur, frustra coram Deo vivant, & sine ullo salutis merito operentur. E contra interim Iusti, sive in Gratia & Amore Dei viventes, atque ex amore operantes, ex omnibus operibus suis fructum salutis sunt consequentes.

9. Eam ob rem, Christianus quisque nihil magis amare, & æstimare in suâ vitâ curareque debet; quàm ut omni vitæ præsentis suæ momento, in Gratiâ & Charitate sit: in eaque, & ex eâ operetur: ac demum ut in eâ singulis quoad fas mo-

mentis

mentis proficiat, & succrescat: Nihil autem æquè abhorrere ac defugere debet, quàm ut ne unquam vel ad Momentum à Charitate gratiaque excidat: proficiendivè in eâ, ullam occasionem prætermittat: revera enim, nisi status damnationis involvat statum peccati, & extra gratiam charitatemque; magis est abhorrendus faciendusque, status peccati, quàm status inferni. Neque ipse Deus damnatos idcirco odit quia in inferno sunt: sed sed ideo quia sine Amore Dei, & in statu peccati, inferno digni sunt.

10. Amor, & Caritas in Deum, sanctitas vera, & propriâ perfectio sanctitatis est: recta voluntas, ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus aversa, Deo inseparabiliter unita, igne Spiritus Sancti à quo est, & ad quem refertur incensa, omnis inquinamenti extranea, corrumpi & mutari nisi in melius, sive in perfectiorem sui gradum nescia, superior omnibus quæ carnaliter diliguntur, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, & præsentiæ studiosa. In omnibus semper invicta; Omnium bonarum actionum summa, Radix, medulla, vertex, Regina Virtutum, Salus morum, finis cælestium præceptorum, Mors criminum, Vita bonorum operum & Virtutum, Virtus & robur pugnantium, Palma victorum, Anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum. Hæc in peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat, fructuosa in pænitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus fidelibus: Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium servit, ex quâ quidquid est boni operis vivit, sub quâ obedientiâ crescit, per quam Patientia vincit, propter quam Devotio religiosa carnis blandimenta contemnit. Sine quâ nullus Deo placuit, cum quâ nec potuit aliquis peccare, nec poterit.

11. Ex his intellige vim Charitatis. Ipsa enim est virtus quam nemo vincit: hujus ignem, nulli fluctus seculi, nulla flumina tentationis extinguunt. De hac dictum est; *fortis est ut Mors dilectio.* Quomodo enim quando Mors venit, resisti ei non potest, quibuslibet artibus & medicamentis occurras, violentiam mortis vitare non potes, quia mortalis natus es; sic contrà violentiam Charitatis, Mundus nihil potest: sed quomodo mors ad auferendam vitam violentissima est; sic Charitas violentissima est ad salvandam Animam.

12. Diligenter ergo, quisquis te Hominem, & Creaturam Dei cognoscis, audi, & exequere magnum Mandatum Dei dicentis, ac jubentis. Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, ex totâ Animâ tuâ, ex totâ mente tuâ, & ex totâ Virtute tuâ. Qui sic diligit, legem implevit, & ampliùs nihil debet: plenitudo enim legis est dilectio: & omne mandatum de se solâ dilectione est, omniaque præcepta in radice dilectionis, unum sunt, atque si hoc unum fiat, sufficit.

PRAXIS.

Omnipotens, sempiterne, idemque Charitatis largitor DEUS: da nobis Fidei, Spei, Charitatis, augmentum: & qui Charitatis dona, per gratiam Spiritus Sancti tuorum fidelium cordibus infundis, da cordibus nostris inviolabilem tuæ Charitatis affectum, & greßus nostros in semitis tuæ dilectionis perfice, ut Te totâ Virtute diligamus, & ea quæ tibi placita sunt, totâ semper dilectione perficiamus. Per Dominum nostrum, &c.

EXERCITIUM VI.

Quod Amor DEI gravia alleviet, levia aggravet: & aliena, sua faciat.

1. Statue te coram Domino DEO tuo: eumque tibi præcipientem audi. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto Corde tuo, ex totâ Animâ tuâ, ex totâ Mente tuâ, & ex totâ Virtute tuâ.* Deut. 6. 5.

2. Magnum & mirabile Mandatum: in hac præsertim aggravatione: quia ex toto Corde, ex totâ Animâ, ex totâ Mente, ex totâ Fortitudine impleri jubetur. Non habet hanc in se conditionem præceptum de fide, de spe, de timore, de humilitate, de obedientiâ, de justitiâ, prudentiâ, temperantiâ, fortitudine, misericordiâ: sola Charitas, & dilectio Dei, cum hoc onere præcipitur; ut ex toto Corde, & ex totâ Animâ, Mente & Virtute impleatur.

3. Quis hominum potest metiri totum Cor suum, totamque Animam, & mentem, & virtutem suam; ut vel sciat, vel affirmet, vel securus sit, se ex toto Corde, Animâque totâ diligere, & nihil vel deficere,

cere, vel excedere in diligendo? Confessus est aliquando David (& quis secundùm Cor Dei sicut David?) & dixit: *Confitebor tibi Domine in toto Corde meo*: verùm tamen excepto sermone Uriæ. Ezechias quoque confessus est Domino dicens: *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in Corde perfecto: & quod placitum est coram te, fecerim*; Nihilominus in jactantiâ divitiarum coram Babyloniis displicuit Domino: sic scilicet dilectio Dei ex toto Corde arduum quiddam est.

Ps. 9. 2.

4. Reg. 20. 3.

4. Attamen ista aggravatio & arduitas adeo est admirandæ Naturæ; ut dum aggravat alleviet, & tantò quidem alleviet magis, quantò aggravat magis: propter quod Ioannes Apostolus non dubitavit de mandatis Dei dicere: Hæc est enim Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: quod si à nobis fiat, mandata ejus gravia non sunt; levia enim illa facit Charitas Dei. Ad quam etiam normam ipsemet Dominus, admonens nos tollere jugum ejus super nos, addit: *jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Mat. 11. 30

5. Quod Domini pronunciatum, inde plus habet admirationis, quia videtur aliis ejusdem pronunciatis repugnans. Cùm enim idem Dominus noster seriò affirmat; *Nolite putare quia veni solvere legem: non veni solvere sed adimplere. Audistis quia dictum est antiquis. Non occides: ego autem dico vobis: Nolite trasci omnino: dictum est antiquis: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Hæc aliaque à Domino nostro denuntiata, non videntur esse jugum suave & onus leve.

Mat. 5. 17.

6. Verùmtamen stat verbum Veritatis, quia Onus præceptorum ejus leve est, & jugum Mandatorum ejus suave est. Leve, & suave est amantibus & Charitate ferventibus: grave & acerbum est frigidis, & negligentibus. Cuicunque præcepta Domini gravia sunt, in veritate noverit, quia non est Charitas Patris in eo: & in dilectione pusillus valde est: si tamen in eâ est: at ubi abundavit Charitas, levis & suavis facta est omnis gravitas & difficultas. Qua de re audi Apostolum abundè testantem. *Quis* (ait) *nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque Mors, neque Vita, neque Angeli, neque Principatûs, neque Virtutes, neque Instantia, neque futura, neque Fortitudo, neque Altitudo, neque Profundum, neque Creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro.*

Rom. 8. 35.

7. En quantas gravitates, quantasque amaritudines contemnit, & ridet Apostolus; abundante, & urgente Charitate Dei! scilicet prout Alæ volucrem ita gravant ut sublevent, ab infimis terræ attollant; sicut rotæ currui, sicut armamenta navi, sic oneri sunt, ut prosint motui; ita Charitas, facit omnia nobis commodiora, gratiora, & insuper desiderabiliora: quæ sine Charitatis ac spiritûs unctione fuissent onerosa, dura, & tristia. Ergo præceptum de Deo à nobis ex toto Corde, & Animâ diligendo, totalitate suâ, & universalitate usque adeò non gravat nos, ut etiam, si ad ejus mensuram, nescientem mensuram, in illo proficiamus progrediamurque; omnia nobis alleviet, ac deliniat, in dulcedinemque & delitias convertat.

8. Porrò interim hæc eadem Charitas, quæ (ut vidimus,) omnia etiam gravissima facit levia: eadem (inquam,) omnia etiam alioqui levissima, facit & gravia, & grandia: idque coram ipso Deo, æquissimo Charitatis ponderatore, ac æstimatore, ac deniq; remuneratore. Quid viliùs ac levius *duobus minutis*, quæ pauper vidua in gazophylacium misit? & tamen teste ac judice Christo, plus omnibus largè mittentibus misit, quia nempe majore præ omnibus in Deum liberalitate ac dilectione misit. Dare potum calicem aquæ frigidæ sitienti: certè non grandis operæ beneficium est, & tamen judice Deo, *si in nomine justi fiat, mercedem justi à Deo reportat.* Quid multa? Charitas est, & summum, & omne pretium, omnisque valor, omne meritum, cui debetur præmium omne nostrum.

9. Subi Martyrium ita ut ardeas: expende omnem substantiam in egenos, ita ut ipse egeas: sit verò à Charitate extraneus, nihil es, nihil tibi prodest: Moveto manum, vel pedem imperante Charitate, Deo places: in gratiâ, in charitate, in omni virtute, in merito, in præmio æterno apud Deum crescis. Ita mirabile est ingenium Dilectionis Dei. Si magna & gravia imperaverit tibi ad agendum perferendumvè Deum, dilectio tua quò grandior & auctior erit, eò leviora tibi reddet universa: Si verò quælibet etiam levissima & minima, Deo cum dilectione multâ obtuleris; maximi coram Deo æstimatore, ponderis, & præmii meritoria perficies.

10. Aman-

10. Amandus est ergo DEUS nobis: juxta Voluntatem ejus, ex toto Corde nostro, ex totâ Animâ, ex totâ Mente, ex totâ Virtute: & per hoc, quidquid onerosum in viâ DEI nobis obtigerit, sive nuditas paupertatis, sive mortificatio carnis, sive abnegatio propriæ Voluntatis ac honoris; sive amor inimicorum, sive cōdonatio injuriarum, sive tolerantia contemptuum, sive ereptio bonorum, sive incursus calamitatum, sive conflictatio morborum ac dolorum, sive instantia mortis, sive violentia Martyrii, sive ingratitudo, & malorum pro bonis retributio, sive detractio malevolorum, sive livor invidentiæ, sive persecutio propter justitiam, sive odium gratuitum: quidquid denique hujusmodi; quo exerceri Charitas Dei potest, totum leve & momentaneum, fiet: & inter gaudia, atque delitias, & lucra computabitur.

11. Aliàs autem quidquid ex Amoris ejusdem in Deum redundantiâ à nobis profectum & peractum fuerit; sive magnum, sive parvum illud erit; coram Deo nonnisi magnnm, nonnisi pretiosum, nonnisi immenso pondere gloriæ dignū, nonnisi æternitatis bonis remunerandum erit. Amore, cuncta nostra cogitata, dicta, facta intenta, d esiderata, in Aurum cæleste gemmasque convertente, & in divinos thesauros recondente.

12. Quâ quidem efficacitate Amoris nostri in Deum, uti nobis licet, non ad nostra tantùm, & à nobis profecta opera appretiandâ: verùm etiam ad aliena: ita ut quidquid quæcunque Creatura facit, nostro, id totum, in Deum amore, nostrū fiat: nobis ad meritum proficiat: amore nostro coram Deo pretiosum & remunerabile nobis evadat. Admirandâ prorsus Amoris virtute: adeo, ut sive alius quis suo labore operevè ditescat apud Deum, sive non; sive otiosum ei sit, sive etiam malignum opus ejus; Certâ nihilominus nostri Amoris in Deum ratione ac virtute, quantum ex nobis, Deo proficiat ad gloriam: nobis verò ad gratiam, & ad gloriam: sic *prosperitas stultorum perdit stultos*, labor impiorum perit impiis: at justo, & amatori Dei, Deum in illâ prosperitate laudanti, proximumque amanti, & laborem, quantum ex amore suo, in Deum referenti, & prosperitas in salutem transit, & labor in æternitatis præmium abit.

Prov. 1. 32.

PRAXIS.

O Divinum Charitatis bonum! quàm inenarrabilis est virtus tua: quàm ineffabile pretium tuum! quàm inæstimabilis apud ipsum etiam Deum æstimatio & remuneratio tua! Domine, fons omnis boni, sed inprimis Amoris erga te nostri: immitte nobis hunc ignem tuum, ut vero tui Amore semper ardescentes, non solum omnia nostra, verum & omnium Creaturarum opera in Amorem tuum convertamus: per omnia, & in omnibus te amemus: omnem Creaturam, quantum ex nobis est, in amatricem, imò in Amorem tuum convertamus.

A

EXERCITIUM VII.

B

De Amoris DEI perfectâ plenitudine.

1. STatue te coram Domino DEO tuo, eumque tibi mandantem audi. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, ex tota mente tua, ex tota Virtute tua.*

Deut: 6. 5.

2. Isto præcepto tam exaggerato, Deus non tantùm se diligi jubet, verùm etiam plenâ & perfectâ dilectione se diligi, & insuper istam ipsam sui Dilectionem diligi vult. Tanti nimirum est Deo, dilectio in se nostra, ut non tantùm diligi illâ, sed etiam perfectam illam esse, & præterea, unà secum ipsam quoque diligi velit.

C

3. Quod ad perfectionem Charitatis Amorisque nostri in Deum attinet, Inprimis Deus talem vult esse nostrum erga se amorem; ut non solùm ab illo absit penitùs omne quod ei est directè inimicum, ut est peccatum mortale quodvis, etiam unicum: (cum hoc enim Amor Dei nullus, qui Charitatis & Amicitiæ sit, consistit, sicut lux cum tenebris, aut Vita cū Morte;) verùm etiam, ut à Corde, atq; amore hominis in Deum, exulet; quàm maximè hac in vitâ fieri potest; omne illud quod impedit, ne noster affectus totus ad Deum tendat, in eumque dirigatur: & totus, illi incommutabiliter, nisi in melius, tanquam incommutabili quoque bono inhæreat.

D

4. Illud prius, nempe excludere noxam mortalem, essentiale est omni Charitati, etiam incipientium: & est de necessitate salutis æternæ: hoc verò posterius, potest abesse ab amore & Charitate incipientium, imò & à proficientium, sed ad Amorem perfectorum, necessarium est: ab his enim, si respondere volunt statui suæ Charitatis atque gradui, oportet omnem affectum ad mundi, & carnis com-

moda, quæ mentem visco suo retinent, & ad Deum liberis dilectionis alis evolare prohibent; exulare, atque penitus exesse. Neque hoc adhuc satis ad integritatem, seu perfectionem charitatis, carere scilicet impedimentis, remorisque, ac infrigidantibus ardorem illius: sed præterea indiget omnium Virtutum perfecto valde usu, aliisque adjumentis ad tendendum in Deum: inhærendumque illi jugiter: ac denique indiget hâc ipsâ, semper habituali, frequentissimâ autem actuali inhæsione, immansione, adjunctione, & unione per Charitatis affectum: ut verè pro statu hujus vitæ, diligatur Deus ex toto Corde, ex totâ Animâ, & Mente, & Virtute.

5. Impedientia cursum & ardorem Charitatis Dei, sunt in cupiditatibus nostris sita: quas Joannes ad tria capita revocavit: ad concupiscentiam oculorum, ad concupiscentiam carnis, ad superbiam vitæ: harum prima est cupiditas & amor externorum bonorum, à Domino spinis comparatorum; qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem diaboli, & desideria multa nociva, quæ mergunt hominem in interitum: ideo facilius est camelum ingredi per foramen acûs; quàm divitem, re, & maximè cupiditate, in regnum cælorũ intrare. Altera est cupiditas & amor, carnis, & sanguinis, voluptatum quoque & commoditatum carnalium, etiam alias licitarum: quæ quoniam hominem valde à statu mentis dejiciunt, debet eas Anima perfectæ Charitatis cupida, resecare à se, ut cogitet quæ Domini sunt, sitque sancta & corpore quod vivificat, & spiritu quo vivificatur. Tertia denique est cupiditas, amorque sui ipsius, propriæ item Voluntatis ac libertatis, item judicii & honoris: quæ ad superbiam vitæ spectant: quorũ amotionem ab Animâ suæ sequelæ cupidâ, Dominus sæpè præscribit. *Qui vult venire post me: abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, qui de cælo descendi, *non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, *Patris*, cujus Voluntatem facere semper, *meus cibus est*. Non etiam veni ministrari sed ministrare, & dare animam meam pro multis.

Luc. 9. 23.

6. Ad hæc quoque Charitatis Dei impedimenta pertinent: (quamquam ferè in supradictis continentur) Vita, seu pravæ consuetudines peccandi, induci à frequentatis peccandi actibus solitæ, manentes in Animâ, etiam post deleta pænitendo, ipsa actualia peccata. Item passionũ

A Animæ, Amoris potissimùm, desiderii, timoris, ac iræ, odii, ac tristitiæ vacuitas: & ut vocare solemus, immortificatio: quibus Anima nostra, non secus ac Mare ventis, turbulenter, agitatur: omnisque illius pax, & sapientia devoratur. Huc accedunt frequentes lapsus in peccata, venialia quidem, peccata tamen: præsertim si deliberata, & contempta, à conscientiâ incurrantur. Insuper curarum etiam bonarum multitudo, mentisque in illas effusio, & vehemens applicatio. Ideo namque monet Sapiens. *Ne sint in multis actus tui, & qui minoratur actu, sapiens*.

Eccl. 31.

B 7. Ista Charitatis perfectæ impedimenta, Deo infirmitatem nostram adjuvante, impugnantur primò, deinde expugnantur constantiâ abnegationis internæ, & Virtutum omnium exercitatione. Monente per Prophetam Domino; *Ecce constitute hodie super gentes, & super regna* peccatorum, vitiorum, passionum, cupiditatumque, *ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, arbores fructiferas Virtutum, & domos æternarum mansionum, in fundamento fidei, ac spei, *superædificando aurum, argentum, & lapides pretiosos*, perfectæ, & elaboratæ Charitatis.

Ier. 1. 10.

1. Cor. 3.

C Estque hoc unum ex adjumentis perfecti in Deum Amoris: nimirum usus abnegationis, & mortificationis, quâ internæ, quâ externæ perpetuus: sed discretus. Sunt verò alia etiam adjumenta, & nutrimenta, ornamentaque ejusdem Amoris, à quo vicissim illa succum, & vitam, valorem, decoremque accipiunt: talia sunt jugis oratio, & meditatio, contemplatioque Dei, & perfectionum, beneficiorumque illius: Vera, interna, humilitas cordis, plenaque de semetipso diffidentia: Resignatio in omne Dei placitum, conformitasque cum ejus Voluntate: Usus Sacramentorum, & in eis participatio, u-

D nioque meritorum Christi: Amor quoque, & sitibunda imitatio passi pro nobis Domini nostri ejusque Matris & Electorũ: Studium efficax & assiduum cordis mundandi, & ornandi, atque ditandi à Virtutum perfectis operibus, & à familiaritate cum præsente Deo: Super omnia verò Zelus, & sitis, & procuratio generosa Gloriæ Dei, salutisque ac perfectionis Animarum: quo cibo par est famelicissimum Amorem nostrum in Deum, jugiter pasci, confortari, consolari, irritari.

8. Charitas] enim vera, illa demùm, talis est; quâ & Deus diligitur super omnia ac propter semetipsum; (*nam causa diligen-*

Bernard.

diligendi Deum, DEUS est, & modus sine modo diligere.) & tam ipsemet homo, quàm omnis proximus ejus: amicus, sive inimicus, omnisque alia Creatura in Deo, & propter Deum; sive secundùm Deum.

9. Neque enim ulla Creatura amabilis aut amanda est, aut esse potest, nisi quatenus à Deo, & aliquid Dei est: deque bonitate, ac perfectione ejus participat. Et quia omnis aliquomodo participat, idcirco omnis aliquomodo amabilis, amandaque est: idcirco, etiam inimici quanti quanti illi sunt, diligendi sunt: quia semper aliquid Dei, sunt: semper Dei participatio, semper Dei filii, & nostri fratres sub uno Patre Deo sunt.

10. Extra Deum verò, & quatenus sine Deo, vel contra Deum aliqua Creatura est, eatenus diligenda non est: nam vel nihil est, vel malum quid est: quorũ utrumque amari indignum est.

11. Si verò aliquid amatur, non propter, nec secundùm Deum; jam eo ipso Deus non ex toto corde diligitur, quoniã aliquid diligitur, quod nõ in Deo, nec propter Deũ, ac non ex dilectione Dei diligitur. Sicut etiam quando aliquid in Deo diligendum non diligitur; etiam tunc ex toto Corde Deus non diligitur: quoniam in aliquo, in quo Deus est, & consequenter inibi amore dignus est, nequaquam tamen diligitur. Ex quo manifestũ est: ad dilectionem Dei ex toto Corde, totaque Animâ, totâ Mente & Virtute, pertinere etiam Dilectionem tam sui, quã proximi cujuscunque, quàm omnis Creaturæ, quatenus est, & quia est aliquanta participatio Dei.

12. Præter ista quæ dicta sunt, ad perfectionem Amoris Dei pertinet quoque Amor ipsius Amoris, atque Charitatis: tum quia Deus Charitas est: & qui amat Charitatem, Deum amat, qui non amat Charitatem, Deum non amat: tum quia revera non habet ille Charitatem, qui Charitatis non habet amorem: ille autẽ non habere convincitur, qui illam propter quamlibet causam, occasionemvè, perdere, lædere, prostituere convincitur.

13. Et quid tam inter homines, inter Christianos, inter Charitatem atque fraternitatem, Christi sanguine sancitã profitentes, quid (inquam) adeo frequens, frequentatumque, quàm vulnera Charitatis? An verò inter hæc conservetur integra, tam Dilectio Dei ex toto Corde, quàm dilectio proximi sicut sui propter Deum; judex esto, tam Veritas, quàm Charitas Dei.

PRAXIS.

Domine DEUS, qui indeficiens thesaurus Charitatis, & ipsa Charitas es; tu es qui doces eam: per Spiritum tuum Sanctum, diffundens, & radicari nec non crescere faciens illam in cordibus nostris: quæsumus amove à nobis omnia quæ sunt huic bono adversa: insere autem quæ illi sunt amica: ut cum tuæ Charitatis gratiâ, Te super omnia, nos verò, & proximos nostros omnes sicut ipsos nos, propter te, omnesque Creaturas in te, ac demum ipsam Charitatem, dignè te, diligamus.

EXERCITIORUM
PARS VI.
Erga Æternam Sapientiam propter nos Incarnatam.

EXERCITIUM I.
Per Indivinationem in ipsam.

1. RΕcognosces DEUM propter tuã, & totius Humani generis salutem incarnatum esse.

2. Impendes te totum, cum omnibus viribus, partibus, actionibus, passionibus tuis, totali Charitate, huic Incarnato Deo, in eumque te plenissimè transformara gesties.

3. Ad hoc enim ille Homo factus est, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes: Divinæque suæ Naturæ consortes redderet.

Ps. 83. 3. 4. Facies ergo; ut cum Psalmistâ *Cor tuum, & caro tua, exultent*, & transformentur *in DEUM vivum*: facies; ut tota caro tua, tota Anima tua, totus tu, tota capacitas, tota obedientialitas, tota possibilitas tua in Deum transeat; ita ut sibi plenè, & planè perdita, possit ex Veritate dicere; *vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*. Gal. 2. 20.

5. Vivat assiduitate cogitationis & memoriæ: vivat puritate intellectionis ac sapientiæ, vivat flagrantiâ charitatis & affectionis, vivat denudatione creati desiderii & spei: vivat puritate cordis & corporis: vivat simplicitate unionis, & unitate spiritûs, vivat edomatione sensûs, & nullitate effrenatioris concupiscentiæ, vivat oblivione & sepulturâ sui in Deo; vivat imagine & effigie Christi Crucifixi, vivat vitâ Dei & Deificatione.

6. Ad ista ut idoneus fias; efficiet Amor JESU Christi, Dei-hominis, practicus & expressivus, atque sigillativus, per quem efficieris alter quasi Christus: alter paupertatis nuditate, alter castitatis puritate, alter obedientiæ subjectione, alter mentis humilitate & exinanitione, alter cordis mansuetudine, alter crucis mortificatione, alter gloriæ Dei zelo, alter heroicâ Charitate, alter terrenorum contemptu, alter Virtutum exemplaritate, alter intentionis simplicitate, sublimitate, unitate, alter adglutinatione ad Deum, ad ejusque Voluntatem cõformitate & identitate. Sic enim affici, Deificari est. Et qui sic adhæret Deo, unus spiritus est cum ipso.

7. Et talis fuit Vita universa Domini nostri IESU Christi, talis omnis Actio, talis professio, tale institutum, & decursus à primo vitæ instanti, usque ad ultimum terminum vivendi.

8. Confer tuam professionem cum ejus professione, numquid non eadem est? confer professionis executionem cum ejus executione, numquid eadẽ est? Heu! in quanta regionis dissimilitudine vita tua disjuncta est ab ejus Vitâ? Et quamdiu sic erit? quando indues Dominum IESVM Christum? quando totus in te, & ex te eminebit IESVS Christus: & hic Crucifixus?

9. Exeas tandem à creaturis, exeas à te ipso, defice & peri tibimetipsi: ingredere ad interiora IESV: nihil attingens, nihil retinens, nihil agens, quod vel te, vel creaturam redoleat: sed hoc solum, quod aut Deum ad te, aut te, aliosque per te, ad Deum ducat.

PRAXIS.

Sapientia Æterna, increata, pro nobis autem incarnata, atq; Humanitatis nostræ vilitate vestita: quid obsecro retribuam tibi DEO Redemptori, & tanto Amatori meo: tantoq; profusori tui, pro dilectione, pro salute, pro professione mei? Scio equidem me nec ad unicum atomum Dignationis tuæ, propter me susceptæ, adæquandum, sufficere: attamen etiam scio, nihil posse æque tibi optabile fieri à me propter te; quàm ut per omnia dediscam à me, totus verò per omnia superinduam Te, fiamq; alter Tu. O incarnata Sapientia Domine IESV, da quod jubes, & jube quod vis. Induisti carnem meam, ut me induas Deitatem tuam; factus es particeps Humanitatis meæ, ut me faceres Divinæ tuæ naturæ consortem; Da quod jubes, & jube quod vis. Induitionem Tui à me mihi jubes: transformationem mei in te jubes: da quod jubes, & jube quod vis: da quod jubes, & fiam quod vis: fiam alter Tu, fiam totus Tu. Vivam ego jam non ego, sed vivas in me Tu: qui es cum Patre & Spiritu Sancto unus in Trinitate DEVS benedictus in sæcula.

EXERCITIUM II.

Erga Sapientiam Incarnatam, per Exercitationem Virtutum.

1. Recognosces: propter tuam, & totius humani generis salutem, incarnatam esse Æternam Sapientiam.

2. Confiteberis tuam in Deum incarnatum Fidem: prout illam Sancta Catholica Christi Ecclesia profitetur, & tradit.

3. Excitabis, & profiteberis tuam in eum spem, & fiduciam: præsertim quoad remissionem peccatorum, tam quantùm ad culpam, quã quantùm ad pænam æternam, temporalemque: item quoad assecutionem vitæ æternæ, per merita, & mortem illius: item quoad filiationem & Hereditatem Dei: item quoad vitam nostram spiritualem in Christo, tanquam palmitum in Vite: item quoad meritorum nostrorum, in unione cum meritis Christi factorum, valorem, & condignitatem ad Vitam beatitudinemque æternã, ex condigno, & justitiâ.

4. Effundes tuam in eundem Incarnatum Deum Charitatem, ejusque super omnia, super Vitam tuam, super totum Te appretiationem. Diligens, & complectens, æstimansque illum ex toto Corde tuo, ex totâ Animâ tuâ, ex totâ Mente, Viribus, fortitudine tua.

5. Agnosces, quin & simul exeres, exercebisque tuam in eum, & propter eũ Obli-

Obligationem Obedientiæ, Imitationis, Venerationis, Gratitudinis, Zelationis, Subjectionis, humiliationis, desiderii, comprehensionis, communicationis, & fruitionis.

6. Atque totum hoc ages, & agere propones, hoc intuitu, ae motivo, quia ipse est Deus, & Caput, & Rex, & Dominus, & Heres, & Bonum omne nostrum, & Homo propter nos, & Redemptor, Salvator noster, Misericordia, Justitia, Sanctificatio, Beatitudo, & Vita æterna nostra.

7. Est idem Via, Veritas, & Vita: est Pastor Ovium, est Ostium, est Ovile, est Pascuum, est Pax nostra. Est Sacerdos, & Hostia, & Altare. Est Exemplum, est Lex, est Lux, est Magister, & Legifer noster. Denique Merces, & Corona, & Præmium, Præmiatorque, & Discretor, ac Iudex Meritorum, Braviumque certaminum nostrorum.

8. Hæc tibi commendent Deum pro te incarnatum, omniaque ista tibi factum. Hisce condigna age, condignè illum tracta, obligationes tuas per omnia, cumulatè etiam, explere contende: ut inveniaris in tempore suo, hoc est, in hora judicii ejus, dignus stare coram ipso: ut quemadmodum Sponsus gaudet super Sponsam: sic gaudeat super te Deus tuus; & tu vicissim gaudeas gaudens in sponso tuo, Dominoque Deo tuo.

PRAXIS.

Sapientia Increata, pro nobis autem Incarnatâ: Christe IESU: credo in te, & de te, ea omnia, quæ tu, & quia tu, per Ecclesiam tuam revelas de te. Spero in te, & expecto à te, ea omnia, quæ tu, & quia tu promittis, & quia promeruisti nobis tuâ in nos Charitate, & pro nobis passione, atq; Crucis Morte. Amo te, & super omnia æstimo te, sicut dignus es: & quia dignus es, & sicut ego debeo, debereque volo, & gaudeo, propter Dignitatem tuam Divinam, propter Dignationem tuam Humanam. Propter quæ etiam, te audire, tibi subdi, tibi obedire, te ducem, & Exemplar sequi: tecum, & propter te pati, humiliari, contemni, peto, appeto, propono. Tibi laudes, & gratias omnimodas ago. Te denique in Vitâ, & Morte, & in Æternitate perfrui concupisco.

EXERCITIUM III.

Erga Sapien: Incarn: per Subjectionem omnium ad ipsam.

1. Recognosces Deum propter tuam, totiusque Humani generis salutem Incarnatum esse.

2. Subdes te huic Deo pro te Incarnato, tum quà ille Deus, tum quà Homo est: secundùm utramque enim Naturam Dominus est omnium, & Rex Universorum, propter quod in femore suo habet Scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Naturâ enim est Dominus, & Rex, sicut Naturâ Dei Filius, & Deus.

3. Cui etiam propterea omnes res, naturâ suâ subditæ, & subjectæ sunt: & curvatur illi omne genu, sive cælestium, sive terrestrium, sive infernorum: neque se potest quisquam subducere, à subjectione ad potestatem, & dominationem voluntatis ejus.

4. Propter quod etiam istam subjectionem ad Incarnatum Deum, facies non tuo solùm quasi particulari, & personali, verùm etiam omnium Hominum, & Angelorum, & Creaturarum Nomine, obligatione, conatu, affectu, solicitudine, corde, substantia, atque viribus universis.

5. Confitendo cum omni ingenuitate, tam te, quàm omnem Creaturam, debere subjectionem istam omnimodam, absolutamque huic Homini Deo, Non solùm propter eminentiam Divinitatis ejus, nec solùm propter naturalem innatamque omni Creaturæ, respectu Dei, subjectionis, & servitutis obligationem, sed etiam propter Humanitatis ipsius per Hypostaticam ad Personam Verbi, Filiique Dei, assumptæ dignitatem: atque etiam propter meritum ipsius, in susceptis pro nobis in assumptâ Humanitate laboribus, acquisitum, atque Patri æterno perquam humillimè, submississimèque oblatum.

6. Per hunc tuum præsentem subjectionis ad Incarnatam Sapientiam Actum: intendes, atque satages supplere, omnem quarumcunque Creaturarum subjectionis ad illam defectum.

7. Ideoque in tali actu exercendo, occupaberis quàm frequentissimè, siquidè nequeas assidue; occupaberis quàm plenissimè, absque ullâ diminutione; occupaberis quàm constantissimè, absque animi delassatione; occupaberis quàm devotissimè, cum possibili cordis latitudine, atque jucunditate: occupaberis quà liberalissimè & gratuitissimè, absque ullo ad privatum tuum commodum, sed purè ad solam tuam, creaturarumque obligationem, & ad unicam Dei-Hominis Dignitatem respectu.

PRAXIS.

Sapientia Increata propter nos autem incarnata, Christe IESV, subdo me Majestati tuæ, tam quà

DEUS: quàm quâ Homo es. Subdo autem, non meo tantùm, sed etiam omnium hominum, & Angelorum, & Creaturarum nomine, obligatione, affectu, corde, fervore, substantiâ, plenitudite. Omnes enim debemus tibi hanc subjectionem nostri omnimodam. Non tantùm quia DEUS noster es: nec tantùm quia opus manuum tuarum, & naturalia mancipia tua sumus omnes, sed etiam quia Humanitate ad Personam Dei Filii assumptâ, Homo DEUS es: & hanc subjectionem nostri ad te, per opera, labores, passionem, mortem tuam in Humanitate, pro nostrâ salute, proque DEI Patris æterni Gloriâ susceptam, promeritus es.

EXERCITIUM IV.

Erga Sap: Incarn: per Exinanitionem nostrî coram ipsâ.

1. RΕcognosces Deum, propter tuam, omniumque Hominum salutem incarnatum esse.

2. Coram ejus Divinâ præsentiâ & Majestate effundes, & exinanies totam tuam substantiam, potentiam, plenitudinem, efficaciam, virtutem.

3. Assumes ad hoc opus in Societatem, omnes Incarnatæ Sapientiæ speciales Amatores: eorumque omnes, substantias, personas, potentias, efficacias, capacitates.

4. Hanc Æternæ Incarnatæ Sapientiæ Societatem constituunt, inprimis quidem & primariò ipse DEUS-Homo Christus JESUS: deinde Divina ejus Mater Virgo MARIA: tum Supremus Seraphim in Amorem Sapientiæ Æternæ destinatò conditus: qui Sanctus Michaël esse creditur: tum universus Seraphinorum atque Cherubinorum Chorus: tum Petrus, Paulus, Andreas, Ioannes, Apostoli, universusque eorum cætus: S. Ioannes Baptista, SS. Joachim, Anna, Ioseph, Martha, Magdalena, Lazarus, Susanna, Iohanna, Simeon justus, Anna Phanuelis, Zacharias, Elizabeth, cæteraque Sancta Christi cognatio: item Discipuli Domini, post hos Sancti plerique ardentissimi Dei Hominis Amatores: in quibus videntur eminere, S. Athanasius, Cyrillus Alex: Franciscus Seraphicus, Bonaventura, Ignatius Martyr: Ignatius Confessor, Laurentius Iustin: Henricus Suso: Gertrudis, Mechtildis, Catharina Martyr: & Senensis, & Adorna, &c.

5. Hujus totius Societatis Incarnatæ Sapientiæ, atque Seraphicæ, substantiam atque plenitudinem omnem, effundes coram Incarnati Dei Majestate: in ejus honorem, amorem, ardorem, æstimationem, exaltationemque: sicut effudisti tuam: cum omni profusione & Exinanitione.

6. Id verò hoc fine, ac intento, ut per hanc effusionem, atque exinanitionem vestri impleatur, suppleatur & super superque impleatur, utcunque effusio, & exinanitio Verbi æterni: propter nos in Incarnatione plusquam exinaniti.

7. Ut nimirum, quod fas est, quàm valde DEUS Homo, humiliavit, & exinanivit semetipsum in nostræ humanitatis vilitate: tam valde, tamque altè fit per omnes Amatores suos, quin & per omnes Creaturas suas, amatus, exaltatus, appretiatus, dignificatus, & quasi expletus, instauratus, accumulatusque, ac saginatus.

PRAXIS.

SApientia Increata, pro nobis autem Incarnata, Christe IESU: in conspectu, Majestatis tuæ Divinæ, propter nostram salutem Incarnatione exinanitæ, effundo & exinanio totam meam, totam omnium Amatorum tuorum substantiam, potentiam, efficaciam, plenitudinem: & cum istis omnibus Amatoribus tuis, per istam nostri propter Te, & in Te profusionem, atque exinanitionem, suppleantur, & expleantur, quantum nostræ parvitatis fas est, omnes tuæ propter nos exinanitiones, atque humiliationes: utque tantum, quoad conatus nostros pusillos, exalteris, & magnificeris à nobis, & in nobis, quantum humiliatus, & minoratus es Tu maximus in nobis, & pro nobis.

EXERCITIUM V.

Erga Sap: Incarnatam per ejus ad nos appropriationem.

1. RΕcognosces DEUM pro tuâ, omniumque hominum salute incarnatum esse.

2. Colliges in unum veluti cumulum, acervumque hujus incarnati Dei universam substantiam, inchoando ab Æternitate & Majestate Divinitatis eius, & Originis ex Deo Patre. Deinde ab instanti conceptionis eius ex purissimis Mariæ Virginis Matris eius sanguinibus. Omnia deinde puncta consequentis vitæ illius congregabis: puta Vitam, & Moram in utero, Natalem in Mundum, Vitam in eodem, labores, fatigationes, prædicationes, passiones, indigentias, miserias, miracula, beneficia, contradictiones, persecutiones, invidias, contemptus, odia, digna-

dignationes, indignitates, dolores, vulnera, cruciatus, probra, blasphemias, crucis mortem, sepulturam.

3. Adjunges hic Descensum ad inferos, Victoriam diaboli, inferni, peccati, mortisque: eliberationem captivorũ Patrum, Resurrectionem ex mortuis, confirmationem discipulorum, institutionem Ecclesiæ, Ascensum in Cælos, Spiritûs Sancti missionem, Regimen præsens Ecclesiæ, adventum ad judicium extremum, Regnum cum Sanctis æternum, Traditionem ejusdem Regni Æterno Patri, cum subjectione suâ ad ipsum.

4. Præterea congregabis omnia ejusdem Incarnati Verbi Merita, Gratias, Excellentias, Privilegia, Dona, Virtutes, operationes, eminentias, qualitates, remunerationes, glorificationes, denique omnes conditiones, atque circumstantias ad ipsum quoquomodo attinentes.

5. Ista omnia, sic accumulata, & collecta, assumes tibi cum summâ veneratione, æstimatione, cupiditate eorum: assumes deliberatè, voluntariè, devotè, in pretiosissimum unicum, solum thesaurum tuum, cordisque tui: in possessionem, in hereditatem, in proprietatem, in opulentiam, in ornatum, in Delitias, in Munimen, in Solatium, in Refrigerium, in Refugium, in Gloriationem, in præmium, in beatitudinem.

6. Omnes alias Creaturas à te, à corde, ab amore tuo, procul, & penitùs amandabis, excludes, perireque tibi, & curæ, & amori, & omni affectui, propter incarnatum Verbum constantissimè facies, & neque timori, neque amori earum apud te locum relinques.

7. In prædicto solius IESU tui thesauro acquiesces: illo desideria, voraque tua explebis: in illo solo tibi complacebis, congaudebisque: eius te prædictis possessionibus ditabis: vestibus eius atque insignibus indues: dignationibus eius adornabis. In ipsum te transformabis, & quasi alter ille ipse fies: in ipso te sepelies, in ipso peribis tibi, atque disperibis, in ipsum Deificaberis atque indivinaberis.

PRAXIS.

Sapientia Increata, pro nobis autem incarnata, Christe IESU, omnem substantiam tuam Divinam ex Patre: omnemq; humanam ex Matre, omnia quoq; momenta Vitæ tuæ Theandricæ, rebus omnibus pretiosiora, tum ea, quæ ab Æterno vixisti cum Patre, tum ea quæ ex tempore vivere cæpisti perrexistiq; conceptus & genitus ex Matre, tum etiam ea, quæ ab instanti resurrectionis ex mortuis vivis, & vives totâ æternitate; Omnes quoq; divitias tuas sive ex Divinitate, sive ex quovis alio fonte in te promanantes, & existentes: Omnes etiam actiones, virtutes, gratias, doctrinas, veritates, passiones, miserias, dignationes, indignitates, probra, vulnera, contemptûs, egestates, dolores, mortem: Omnia quoq; merita, dona, præmia, posteriores glorias, privilegia, exempla, exaltationes, glorificationes, recompensationes, ac remunerationes tuas: & quidquid tandem Tu es, quidquid in Te est, quidquid à Te gestum toleratumque, quid Tibi debitum, te dignum, & condignum est: totum hoc, quantumquantum est, & quidem solum atq; unum: amandatis, ablegatisque omnibus aliis creaturis, à me, meoque corde, quatenus eæ elongant, & elongantur à te; deligo, assumo, accepto mihi in unicum, in solum, in solidum cordis mei thesaurum, in possessionem, in hereditatem, in opulentiam, sufficientiam, abundantiam, ornatum, gloriam, pretium, præmium, mercedem, coronam, beatitudinem, atq; in beatificam aternitatem, æternaturamque Beatificationem. Te solo & uno, mi DEUS meus IESV contentus sum, plene, abundanter, superabundantissime. Te solum induo, in Te amores, desideria, vota mea omnia transfero, transfundo, transplanto, irradico, transflammo. In Te me trasmuto, transformo, in Te demergo, in Te sepelio, in Te perdo, in Te annihilo, in Te Deifico, & indivino: ut nusquam sim amore extra te: totus autem in uno & solo Te: imò totus unus, & solus Tu, per omnem Æternitatem, quâ Æternus es Tu.

EXERCITIUM VI.

Erga Sapientiam Incarnatam, per Æstimationem sumptuum illius pro nobis.

1. Recognosces Deum pro tuâ omniumque salute Incarnatum esse.

2. Ruminabis, & expendes apud Te hanc Dei propter te resolutionem, atque impensam: sanè sumptuosissimam: quam tui causa profudit, in descensu usque in virginis uterum, in conceptione ex eius sanguine: in Natali, in Vitâ pauperrimâ, contemptissimâ, asperrimâ; in passione acerbissimâ, in morte probrosissimâ; Quod totum Apostolus uno verbo vocavit; *Exinanitionem*.

3. Attendes, & advertes ad te ipsum: quomodo nunquam fuisti, nunquam es, nunquam esse potes, dignus hac Dei tui adeo sumptuosâ, adeo prorsus incogitabili, insperatâ, inoptatâ, immani deniq; resolutione, profusione, exinanitione.

Atten-

Attendes, inquam, quomodo non es dignus, propter parvitatem, imò nihilitudinem, propter abiectionem, propter inutilitatem, propter iniquitatem, propter miseriam, propter fragilitatem, propter mendicitatem, propter ingratitudinem, propter incorrigibilitatem, propter recidivationem, propter obstinationem in malo, tuam.

4. Tu enim, talis, dignus sis, fuerisvé, non dico tantâ, tamque immensâ, & inæstimabili, sed vel infinities quamvis minori Dei tui super te effusione, & propter te inanissimum exinanitione? Si vel scintillam tuæ vilitatis indignitatisque, & si vicissim atomum Divinæ Dignitatis, nec non propter te Dignationis, exinanitionisque cognoveris comparaverisqué; impossibile est te non ipsâ profunditate profundiùs deprimi.

5. Super omnia attendes & expendes; quomodo non tantùm indignus, sed etiã omnibus oppositis modis extremè dignus & fueris & sis, propter ingratissimam malitiosissimamque ingratitudinem, sterilitatem, malorum pro bonis, pessimorum pro optimis retributionem, inque retribuendo fæcunditatem; adeo ut certasse, certareque videaris cum profusione nimiâ beneficentiæ Dei super te: per continuam effusionem ingratitudinis tuæ cõtra Deum.

6. Stupore magno stupesces; quòd tantus Deus pro te tantillo, & undiquè indignissimo, miserrimo, ingratissimo, exosissimo, tantos sumptûs profudit, ac etiamnum profundit.

7. Abominaberis te ipsum, & excuties à te procul omnem ingratitudinem tuam.

8. E contrà verò æstimabis, & appretiabis te, etiam coram ipso te; propter tantam tui apud Deum ab ipsomet Deo æstimationem, atque appretiationem; neque tibi ampliùs vilis eris; quandoquidem sapientissimus, atque adeo ipsa vera Sapientia DEVS, tanto te pretio dignum æstimavit. Ex hoc jam agnosce Dignitatem tuam: quoniam divinæ consors factus es naturæ: & ideo in veterem vilitatem degeneri deinceps conversatione cave redire: sed intelligens à quo, & quanti æstimatus es: etiam, quem, & qualem te esse vivendo deceat; omnia quæ sunt Deo digna sectare.

9. Accendas te, & convestias, imò & commutes totum, in dilectionem, in æstimationem, in exaltationem, in desiderium, in usum efficacem, condignumque tantorum sumptuum pro te profusorum, & in te effusorum: qui non alii, neque minores sunt, quam ipse Amator profusorque, ipse, inquam, pro te Incarnatus DEUS.

10. Ergo applica te, & adfige, atque adglutina huic tuo Amatori, huic Amori tuo, sicut lactens ad ubera, sicut Hirudo ad sanguinem, sicut spongia ad aquam, sicut flamma ad stipulam: cum omni simplicitate, sinceritate, securitate, amorositate, fiduciâ, acquiescentiâ, projectione, immersione, æternalitate.

PRAXIS.

Sapientia Increata, propter nos autem Incarnata Christe IESV. Oh! quantùm impendisti, quantum profudisti totius Substantiæ tuæ pro me! Pro me inquam: qui minimâ gratiâ tuâ, fui semper indignus: & nunc etiam insuper illius existo ingratus. O mi IESU quàm insuperabilis est Bonitatis tuæ super me immensitas! quæ cohiberi nequit à sui supra me profusione, etiam istâ perenni meâ ingratitudine, atque indignitate: sed usque modo manat, & promanat super me. O abominabilis ingratitudo mea! quousq; mecum eris? quousq; non facesses procul, & procul à me? quousq; Amatori, quousq; Amori meo IESU, molesta & onerosa eris? Recede à me, & excede ô pestis, ô virus Boni mei universi, excede in æternum. O Anima mea; ab IESU sic dilecta: saltem nunc, & ex nunc, ardesce Amore Amatoris, Amorisq; hujus tui: adfige te, adglutina, adcresce huic tuæ mamillæ, huic Matri, undiq; lac miserationum, atq; gratiarum, beneficiorum & amorum, efficacissimorum & incessabilium, super te jugiter, perenniterq; scaturienti: atq; profusione profusissimâ profundenti.

EXERCITIUM VII.

Erga Sapientiam Incarnatam per Gratiarum actionem pro Gratuito illius in nos Amore.

1. Recognosces DEUM pro tuâ, omniumque Hominum salute incarnatum esse.

2. Incarnatum autem sine ullius sui commodi intuitu: sed purè gratis, ex amore atque commiseratione tui, & simul aliorum omnium Hominum.

3. Non enim eum pellexerunt aut pertraxerunt ad hoc ulla merita, ullæ dignitates, ullæ excellentiæ, ullæ singularitates tuæ, aut aliquorum aliorum.

4. Quin imò retrahebant illum infinitæ, certò, certissimoque prævisæ, & perspectæ

spectæ indignitates, & ingratitudines, sterilitates, morositates, malitiæque, tam tuæ, quàm omnium reliquorum hominum. Quibus non obstantibus, ad incarnationis suæ omnem Dignationem descendere non abhorruit.

5. Reddes, tuo, omniumque hominum nomine, grates quàm gratiosissimas, huic tuo Amatori, pro hac Dilectione, atque commiseratione.

6. Ex hoc ipso gratitudinis gratiarũque actionis affectu, totam tuam, quin etiam omnium hominum, imò & universarum singularumque Creaturarum, Vitam, Actionem, Entitatem, atque Substantiam, destinabis, exercebis, offeres: æternaliter, ad omnem quàm gratissimum Gustum, huic eidem Deo: pro te, & pro omnibus Hominibus Incarnato.

7. Petes ab eodem, per istam eius Charitatem Dignationemque misericordissimã, atque gratiosissimã, ut te aliquando, imò quàm primum, atque statim, juxtà beneplacitum cordis sui, extrahat ab omni admixtione Creaturæ, ab omni Amore tuo proprio, ab omni proprietate, libertate, propensione, quiete, pondere sensualitatis, & concupiscentiæ, usque ad omnem denudationem affectùs.

8. Introducat autem te, in Se, atque simul Se in te, ut tu in illo, & illo, & per illum vivas, vicissimque ille in te, & te vivat: juxta illam normam Apostolicam: [Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus:] transmutando te in suum Spiritum, & in indolem naturamque cælestem. Imbuendo te moribus suis, amore suo, omnibusque studiis propensionibus, votis, ac interioribus suis. Faciendo quoque te mãcipium atque Sponsum Voluntatis suæ, pabulum Charitatis suæ, objectum subjectumque ac materiam occupationis, operationis, delectationisque suæ, perennis, & æternæ.

PRAXIS.

Sapientia Increata pro nobis autem incarnata IESV Christe. Incarnata verò ex puro Amore, & gratuitâ miseratione super me perditũ, sine ullâ tuâ commoditate ac necessitate: sine ullo meo, omniumve nostrûm merito, aut dignitate. Ago tibi gratias meo, & omnium hominum nomine, me itẽ ipso toto, omnibusque, & singulis hominibus: pro hac incomprehensibili, & incompensabili, & gratuitissimâ Charitate, atque miseratione super nos tuâ. Et per eam ipsam: mendico à te, toto me, totoque universo: ut me, vel nunc statim, vel quando Tibi melius placitum fuerit, eliberes, atq; extrahas, ab omnibus Creaturis, & affectionibus creatis: inprimis verò à me ipso, & ab amore mei, à libertate, à propensione, à fiduciâ, à proprietate, à gustu, à quiete, à sensualitatis pondere, à concupiscentiarum illecebra, ab omni deniq; fæce, & nidore creato: ut nullatenus ad ullam creaturam, aut ad meipsum, propter meipsum incliner, sed liberatus & expurgatus ad purum, ab omni fermento proprii, creatique amoris, in Te totaliter, plenè, intimè transferar, & transeam, & transfermenter, interiora tua subintrem, & superinduam, in spiritum tuum transubstantier, moribus tuis, indoleque tuâ imbuar, amore tuo transflammer, vitâ, præsentiâ, gratiâ, efficaciâ tuâ, penetrer, & transradier, fiamq; mancipium, & Sponsus Voluntatu tuæ, occupatio cordis tui, subjectum operationis tuæ, cibus & pastus Animæ Deitatisq; tuæ in Æternum.

EXERCITIORUM
PARS VII.
Erga JESUM Christum pro nobis Passum.

EXERCITIUM I.

Qualis propter nos JESUS factus: tales nos propter illum fiamus.

1. STatue tibi ob oculos Cordis, JESUM Passum, lividum, sanguinolentum, convulneratum, concisum vulnere super vulnus, de Cruce pendulum, mortuum.

2. Intuere & inspice illum diligenter totum: ex omnibus circumstantiis, Personæ, Naturarum, Dignitatis, Innocentiæ, Sanctitatis, Sapientiæ, Omnipotentiæ, Bonitatis, Charitatis; Ex Paupertate quoque, contemptu, humiliatione, maledictis, calumniis, tormentis, vulneribus, doloribus, morte: Ex Virtutibus, Amoris Dei & nostri, Puritatis, Castitatis, Obedientiæ, Mansuetudinis, Patientiæ, Modestiæ, Affabilitatis, Benignitatis, Prudentiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Temperantiæ, Fortitudinis. In Patrem reverentiæ, in voluntatem Dei resignationis, Veritatis, Zeli gloriæ Dei, & salutis nostræ, &c. Ex officiis quoque Sūmi Sacerdotis, atque Pontificis, Regis, Legislatoris, Patris, Pastoris, Magistri, Ducis seu Imperatoris, Medici, Sponsi, Advocati, Pacificatoris, Hostium nostrorum debellatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, Iudicis, Salvatoris nostri.

3. Recordare illum talem esse propter te: hoc est, propter salutem tuam, propter peccata tua, propter Amorem tui, quo amat te, & quo amari vult, ac debet, à te: denique propter exemplum tibi ad imitationem dandum: ait enim; *Exemplum dedi vobis*, &c. *Christus Passus est, vobis relinquens exemplum*, &c.

1. Pet. 2. 22.

4. Cogita, atque delibera, & decerne: Quo ille dignus sit? quid tu illi debeas? quomodo velis ei retribuere gratiam pro gratiâ? quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? quid dabimus Homini isti, per quem omnibus boni repleti, omnibus malis miseriisque erepti sumus? &c.

5. Non potes aliter, nec meliùs, nec gratiùs, nec condigniùs, quàm Amorem Amore rependendo: Amore autem, quâ efficacissimo, inflammatissimo, generosissimo, robustissimo, constantissimo, insatiabilissimo. Et præterea, imitatione quàm accuratissimâ, quàm devotissimâ, quàm plenissimâ, vestigiorum, exemplorumque illius.

6. Constitue itaque & propone, vivacissimis, resolutissimis, capacissimis, & irrevocabilibus omnino propositis, totum te in hoc conferre, atque convertere: per omnem vitam tuam, perque omnes actiones, internas, externasque tuas: ut ad vivū exprimas in te, JESUM, transformerisque, & prorsus transeas in ipsum: reddasque te Christiformem, ac planè alterum ipsum: tam in Corpore, quàm in Corde, Animoque tuo: tam in desideriis, quàm in factis, studiisque tuis, ut tu vivas in Christo, & vivat in te Christus: regnet, ac triumphet, emineatque in te Christus.

7. Christus autem ille Pauper & non habens ubi caput suum reclinet. Christus ille, contemptus, & opprobriis saturatus. Christus ille, afflictissimus & dolentissimus, Vir dolorum, & sciens infirmitatem. Christus ille, patiens, & patientiâ miseriisque, ac ærumnis satiatus. Christus ille, Humilis Corde. Christus ille obediens usque ad Mortem Crucis. Christus ille, non quærens gloriam suam, sed Patris. Christus ille, cujus Cibus fuit, ut faceret Voluntatem ejus, qui misit illum. Christus ille, Benedictus in gloria Patris, sed pro nobis factus Maledictum. Christus ille, Sapientia, Iustitia, Sanctitas, Veritas; sed propter nos stultus, insanus, dæmonium habens, in furoré versus, homo non à Deo, sed blasphemus, sed seducens turbas. Christus ille Bonus Pastor, qui non solum Verbo veritatis, & vitæ, non solùm Carne & sanguine suo pascit nos, sed etiam Animam suam posuit, & ponit, pro nobis, ut oves ejus Vitam habeant, & abundantiùs habeant.

8. Talis Christus formetur in te, talis in vi-

in virum perfectum crescat in te, in mensuram ætatis plenitudinis suæ: talis vivat in te, & tu non vivas in te, sed vivas in eo: ut jam ultrà non vivas tibi, sed vivas ei, qui pro te mortuus est: ut absit tibi in ullo aliquo gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi: per quem tibi mundus Crucifixus sit, & tu quoque mundo. Talem Christum prædica: Vitâ, & Verbo: & pro tali Legatione fungere, tanquam Deo exhortante per te, & omnibus pœnitentiam annunciante, ut reconcilientur Deo. Talis Christi, Charitas urgeat te, ut non possis non loqui, & non prædicare *Christum Crucifixum, Judæis scandalum, gentibus stultitiam,* [Cor. 1. 23.] falsis fratribus neglectum & vilitatem, ipsis autem Electis, Dei Virtutem, & Sapientiam, & Veritatem, & Vitam æternam. Talem Christum indue, ut exspoliatus veterem hominem, novum indutus vivas, ac incedas: *exhibeasq; te in omnibus exemplum bonorum operum, per arma justitiæ, à dextris, & à sinistris; per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam; per prospera & adversa.* [Cor. 6. 8] Talem Christum indue, qui pro omnibus mortuus est, etiam inimicis: ut tu quoque libenter sustineas impendi, & superimpendi pro Animabus redemptis morte Christi: exoptesque Charitate nòn fictâ, sed sincerâ, anathema esse à Christo, pro fratribus tuis in Christo: ut te uno, & solo, & toto obstruatur porta infernalis, ne ullus ampliùs Christi sanguine redemptus, descendat in æternam corruptionem, & combustionem.

9. Pete gratiam istam à Christo, per vulnera Corporis, visceraque Charitatis ipsius Christi, ut in talem transtormeris Christum, efficaciter, ardenter, innocenter, constanter, libenter, mansuetè, propter amorem, ex amore, in amore, cum amore, denique ipso Amore.

PRAXIS.

JESU in tormentis posite, atque in congeriem omnium dolorum traducte, ex omni decore Divinitatis, & Humanitatis exute, in abyssis miseriarum, calamitatum, & indignitatum, propter me demerse, atque sepulte. Ecquid tandem retribuam tibi, tanto, talique amatori? qui me amasti Charitate, & immensitate: ego autem non possũ ad reddendum sufficere, nisi cum amoris pauperculi modicissimâ, & plane guttali admensione. O mi robustissime Amator IESV! compensa tibi Amorem omnem in me tuum, ita quidem sicut potes, scis, & vis, at specialiter per viam hanc: ut facias me quàm simillimum Tibi: ut Crucis tuæ omnis, quam copiosissimâ participatione digneris: ut in me nihil permittas, aut sustineas, quod communicatione, societateque Dolorum, Contemptuum, Dignationum, Exinanitionumque tuarum non sit conditum, non imbutum, non plane repletum, fermentatumque, sed omnia sint mihi Cruciformia, & ego totus sim alter, Tu Christus Crucifixus.

EXERCITIUM II.
Quàm nos Christo Passo dissimiles simus.

1. Statue tibi ob oculos seu mentis seu Corporis passum JESUM.

2. Intuere illum quam accuratissimè in hoc ejus statu, in quo *à plantâ pedis, ad usq; verticem capitis non est in eo sanitas.* [Is. 1. 6.]

3. Quem ille subire dignatus est pro te, tum ne talis tu esses, imò longè in deteriore; quia in iræ Dei, & damnationis æternæ: tum ut in statu salutis, ac vitæ, beatitudinisque æternæ esses, à quo æternaliter, cum impossibilitate, & desperatione recuperandi, tuâ iniquitate excideras: reducereris autem ad eum Misericordiâ, & Charitate Dei, Meritis, & Passione, atque Crucis Morte Redemptoris, Observatione Doctrinæ, & imitatione Morum, Virtutumque Salvatoris.

4. Animadverte, quàm tu sis huic tuo Redemptori & Salvatori, & pro Charitate, Meritisque ingratus: & Doctrinæ, Morumque, ac Virtutum exemplis per omnia dissimilis.

5. Imò, & quam totis viribus tuis, perpetuisque conatibus, atque industriis tuis, hanc dissimilitudinem consecteris, similitudinem autem defugias: planè ac si in hoc sita sit universa Christiana professio, aut perfectio; quàm maximè, longissimè, à Christo Passo, Humili, Mansueto, Paupere, contempto, fatigato, crucifixo, exinanito, innocente recedere.

6. Christus namque in hâc vitâ mortali vivens, perpetuò crucem suam bajulavit: passionisque suæ amarissimum calicem bibit: at nos etiam nomen, etiã umbram, etiam guttam passionis Crucis, calicisque horremus, & abominamur. Christus, hujus mundi & substantiam, & jactantiam, & voluptatem penitùs penitùsque respuit: nos toti, & cuncti, concupiscentiâ Carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ, famescimus, exedimur, absumimur. Christus angustam semitam, & arctam portam, quæ ad Vi-

tam ducit, & inivit ipse, & ineundam edixit: Nos tamen lata porta, quæ ad perditionem ducit, delectat, detinet, & in præcipitium damnationis devolvit.

7. Leges Christi, & Sapientiæ Dei æternæ Incarnatæque, in quibus est Salus, & Vita, & beatitudo; nobis mera sunt deliramenta, & stultitiæ: Christo, Spiritûs paupertas, Beatitudo est: nobis abominatio cordis est. Christo, beati sũt qui lugent, nobis lugere, & deflere peccata, miseria est. Christo, beati sunt qui esuriunt, & sitiunt Justitiam; nos Justitia, & Sanctitas, & perfectio Christiana minimè delectat, delectat autem licentia vitæ, solicitudines divitiarum, gloriosæ ab invicem consectatio, proximos quoslibet negligendi, aut injuriis afficiendi nequitia: Denique Christo contraire, Vita nostra est.

8. Erubesce, quòd tam longè absis ab istâ JESU similitudine. Erubesce quòd tam horrescas illi assimilari, quod tantis ejus ærumnis, malitiâ tuâ, & perditione, malitiam secuturâ, causam dederis: quòd tam parvos, & raros, fructûs colligas ex tantis ejus laboribus, sumptibus, sudoribus: quòd tantis ejus beneficiis & amoribus tam ingratum te exhibeas: quod tanta tamque indigna mala pro tantis bonis & donis retribuas.

9. Excitabis, & exiges ab ipso te alacritatem, & generositatem, cordialem ad patiendum, ad desiderium & famem patiendi, ad gustum in tribulationibus, in humiliationibus, in ignominiis, in doloribus pro Domino, & cum Domino, in Corpore, in Animâ, in personâ tuâ, aut etiam tuorum, in bonis externis, internisque, naturalibus, spiritualibus, in honore, famâ, dignitate, officio, in libertate, in delectatione, in consolatione, in omnibus omnino circumstantiis, in omni mensurâ, in omni consecutione & clausulâ: & quidquid demum visum fuerit Deo, reputans pro summè singulari, eximiâque Gratiâ, si te dignum judicaverit, ut patiaris, & humilieris, &, in passionibus, humiliationibusque sepeliaris: pro nomine quidem, neque tamen quasi pro nomine suo, sed quasi pro vilitatis & iniquitatis tuæ commerito.

PRAXIS.

JESU in Doloribus posite, atque in Calamitatibus planè propter me demerse & defixe. Heu me! qualis Tu es propter me, & quàm ego dissimilis tibi in hoc statu tuo? quàm potiùs præ erubescendâ mollitie meâ horreo, & erubesco, & fugio esse similis tibi, vel in modico: licet hic ærumnosus status, omni jure est mihi debitissimus, quippe qui incomprehensibiliter sum vilis, & peccator, & omnis supplicii reus. O mi unice Amator, & Benefactor JESV, largire mihi, Passionis tuæ, cujus quidem præ omnibus aliis peccatoribus ego maxima sum causa, fructum hunc præcipuè, ut fiam Tibi quàm simillimus, in passionibus, in afflictionibus, in contemptibus, in paupertate, in doloribus, in opprobriis, in Cruce, in Morte. O mi JESV: sustenta, corrobora, vires, & animos adde: perseverantiam, & efficaciam largire, huic misello, patiendi tecum & pro te desiderio: & fac me dignũ, habere consortium, & gustum, & famem Crucis tuæ.

EXERCITIUM III.

Quid JESVS Passus loquatur, ad nos?

1. STatue tibi ob oculos Cordis, JESUM Passum, & undique ærumnis circumeatum; juxta illud Propheticum: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* (Ps: 68.)

2. Intuere illum accuratè in hoc statu positum, non habentem speciem, neque decorem, sed totum quasi leprosum, novissimumque virorum, & percussum à Deo, atque humiliatum propter Te.

3. Aures si habes audiendi; arrige: ad audiendam vocem sermonum hujus Prophetæ atque Concionatoris: (Patris, Magistri, Medici, Domini, Benefactoris, Amici, Legislatoris, Sponsi, &c.) ad te non tam Ore, aut Verbis, quàm Vulneribus & Doloribus, sanguineisque guttis, & lachrymis perorantis. Dicit ergo tibi.

1. Ego sum pastor ille bonus, qui animam meam posui pro te.

2. Majorem Charitatem habet nemo: quàm ut Animam suam ponat pro Amicis suis: ego autem posui pro inimicis, pro, ingratis, pro inutilibus, pro vilissimis quorum unus, & primus es tu.

3. O vos omnes, qui transitis per viâ præsentis vitæ, attendite, & videte, si est Amor, sicut Amor meus: & si est Dolor sicut Dolor meus: si est sumptus, sicut sumptus meus?

4. Ecce quomodo dilexi te? Vide quanti mihi constes? attende quanto labore sudatum est, ut exiret à te rubigo tua, & egressa non est.

5. Quis sum ego? & Tu quis es? quid ego egi ac pertuli pro te? & tu quid pro me?

me? imò, quod tu non egisti, atque etiam pertulisti, protulistique contra me?

6. Quid debui (potui) ultra facere vineæ meæ, & non feci? Lapides collegi ex ea, sepem circumdedi ei, fodi in ea torcular, plantavi vitem electam: ædificavi in ea turrim; locavi eam agricolis, omnem palmitem non ferentem fructum præcidi, & purgavi: ut fructum plus afferret: expectavi triennio, & triennio, ut faceret uvas, fecit autem labruscas, fecit etiam spinas: & uva ejus uva fellis, botri amarissimi: fel draconum vinum ejus.

7. Si in viridi Ligno me, hæc fecerunt peccata tua: in te arido quid fiet?

8. Quo ultra argumento comprobabo tibi, ô homo, Amorem meum erga te, & solicitudinem meam pro te? Quibus pretiis emam à te, ut diligas me? quibus laboribus, aut meritis emerebor apud te obsequium, fidelitatem, sinceritatem, constantiam? quibus Armis aut Machinis expugnabo Cor tuum, ut subjiciam mihi, ut convertam ad me, ut adhærescere faciam illud mihi?

9. O quousque dissolveris filia Vaga, insipiens Anima? quousque fodies tibi Cisternas dissipatas, non valentes continere, neque exhibere aquas salutis, sed tantùm aquas salsas, & amaras valde?

10. O Anima dilecta, & electa, de millibus una: Cur deseris me, & recedis à me, & vadis post amatores multos? & certè illi non sunt Amatores, sed illusores, sed inimici, sed proditores, sed despoliatores, sed vulneratores, sed interfectores tui. Quid invenisti in me Deo, Redemptore, Patre, Medico, & Sponso tuo, iniquitatis; ut displiceam tibi, & post tergum tuum abjicias me? quid verò bonitatis, & salutis, & amoris invenisti in Æmulis, & Adversariis meis, magis autem in hostibus & mactatoribus, devoratoribusque tuis, ut præponas eos mihi, & vadas post eos ad indubitatam perditionem!

11. Quousque facies me pendere in Cruce, non Judæorum sed scelerum tuorum? quousque configes me, quousque flagellabis, quousque spinis coronabis, quousque blasphemabis, quousque Barabbæ postpones me, quousque dabis in escam meam fel, & in siti meâ potabis me aceto? quousque iterum iterumque crucifiges tibi ipsi me, & ostentui habebis me? quousque inimici mei os suum aperient super me, & amarissimas amaritudines improperabunt mihi, quia plus illos dilexisti quàm me: & quia ampliùs ab illis emeruisti æternam mortem, quam æternam vitam à me?

12. Ad vos ô Pastores Ovium mearũ isti sunt sermones mei: Os meum patet ad vos: & cor meum vulneratum atque dilatatum est. Emi mihi Animas non auro, neque argento, neque corruptibilibus, sed pretioso sanguine meo, quo totus rubeo, sed lethalibus vulneribus quibus concisus sum & emorior. Has vobis curandas, pascendas, commisi: has vos in curam vestram suscepistis, harum lacte vescimini, harum lanâ operimini, harum salute ego non gaudeo, sed earum perditione improperat mihi diabolus, & saginatur ac repletur infernus: Vos ergo effugietis Iudicium meum, cùm venero ad requirendum de manibus vestris sanguinem pretiosarum mihi Animarum? Ah! quomodo vos effugietis qui tantam neglexeritis salutem!

4. Potes & ultima septem Christi verba, huic ipsi negotio, id est, sermoni ad nos Dominico accommodare.

1. Exorat Christus suis Crucifixoribus Patrem: & te non exorabit, ut benignum & amantem te exhibeas erga fratrem?

2. Commendat Matrem Joanni, & Joannem Matri: commendat & tibi eandẽ Matrem suam: tum ipsissimam Genitricem: tum eam quæ tua in spiritu Mater est communitatem. Et accepistinè utrãque in propria?

3. Latroni Paradysi consortium promittit Christus, & largitur: quæ sors nulli etiam discipulorum à Domino contigit: nimirum publicani & meretrices, & peccatores, & latrones præcedunt ad Regnum Dei, filii autem regni ejiciuntur foras. Nempe non sublimitas status, sed virtutis in statu sublimitas, & fervor in studio placendi Deo: placet Deo.

4. Consubstantialis, & coæternus Patri Filius, subtractam suæ Humanitati ad horam protectionis partem lamentatur: Nos etiam ridentes, jocantesque effugimus, & effugamus à nobis Deum nostrũ: cogimusque ipsum, ut vel nolens derelinquat nos.

5. Sitire se protestatur IESUS: & Calicem quidem aquæ frigidæ: sed magis infinities salutem nostram, amorem nostrum, ardorem & constantiam nostram, fructum gloriæ suæ & salutis Animarum; Et quis, quotusque est, qui expleat sitim Domini?

6. Consummatum esse suum laborem,

Amorem, Dolorem, Opus suum, Dominus asserit pro nobis: cùm nos pro Deo ne quidem inchoaverimus.

7. Non soli Patri suo commendat in manus Dominus JESUS Spiritum suum: etiam cuilibet Fidelium suorum cõmendat eundem. Neque satis est illi, quòd in manibus Patris æterni sit: vult etiam illum in nostris Cordibus, Amoribus, Manibus, Operibus esse, manereque, non tantùm viventem ac securum, sed etiam vegetum, etiam succrescentem, etiam superadultum usque ad mensuram ætatis plenitudinis Christi. Spiritum Christi, qui non habet: hic non est ejus.

5. Hos, similesque sermones Passi & Crucifixi IESU audiens, deliberabis, judicabisque tecum ipse, quid te respondere ad hæc Domini dicta par sit: respondebisque statim, & quidem magis affectibus, quàm vocibus, Corde potiùs quàm ore, opere & effectu, potius copioso, quàm sterili affectu.

PRAXIS.

JESU in doloribus demerse, atq; in Virum & Regem ærumnarum transformate, & non tam vulneribus concise, quàm totus unum quoddam immane vulnus facte; Heu! quàm ista vulnera, tormentaque tua clamant ad me! heu! quomodo vim faciunt cordi meo clamore suo! Audio Domine, audio, ac plane etiam video, manibusque ipsis palpo, quid tu justissime requiras à me: & quomodo nullam excusationem, præter ignaviam meam, habeo coram Te. En Domine, en Cor meum, en Voluntas, & Intellectus, & Memoria. En Amor, & Libertas, & Honor. En Corpus, & Anima, & Vita, cum omnibus partibus, potentiis, sensibus, actibusque suis. En tota substantia mea, cum totâ capacitate suâ, tibi parata, tibi subdita, tibi reddita, tibi donata, oblata, & devota. O Domine, da quod jubes: & jube quod vis. Amorem jubes? da quod jubes, & jube quod vis. Pati jubes? contemni jubes, laborare iubes, subdi iubes, condonare iubes, condemnari iubes, mori iubes? da quod jubes, & iube quod vis. Portio mea, Voluntas tua, & portio tua Voluntas mea: portio mea Sanguis tuus, portio tua sanguis meus: portio mea Dignitas tua: portio tua dignitas mea: portio mea Substantia tua: portio tua substantia mea, in æternum.

EXERCITIUM IV.
JESVS Passus, Aquæ Medicæ, in ablutionem, & sanitatem.

1. STatue tibi ob oculos JESUM Passum.

2. Inspice illũ diligenter in hoc ejus admirabiliter miserabili statu, esse velut Balneas, & Medicas aquas: in ablutionem & sanationem omnium morbidorum.

3. Considera hoc balneum: tibi quoque, unà cum Mundo universo, præparatum & instructum, ac te ad illud invitari. Invitant voces illæ; *Omnes sitientes venite ad Aquas.* (Is. 55.) Et, *erit fons patens domui Israël ad ablutionem peccatoris & menstruatæ.* (Zach.) Et, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã* vos cibo meo, potu meo, mendicatione meâ. (Matt.) Et adhuc; *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis Spiritum novum, & vivetis.* (Ezech. 36.)

4. In hoc balneo te demerge: atque in his thermalibus fontibus; sudore, sanguine, lachrymis, laboribus, tormentis, opprobriis, contemptibus, egestate, morte, meritis, & gratiis IESU Christi exũdantibus: ac propter te manantibus.

5. Lavare in his aquis tanquam immundus: calefias tanquam tepidus: cõforteris tanquam debilis: ditescas tanquam egenus: saneris tanquam morbidus: sanctificeris tanquam profanus: nobiliteris tanquam vilis: excoquaris tanquam sordibus immistus: pretium & põdus acquiras, tanquam pretii & valoris nullius: coram omnium, at inprimis coram Divinis oculis.

6. Habet quidẽ Ecclesia Christi multiplex balneum: in quo filiorum ejus Corda & Animæ abluantur, sanentur, sublimentur. 1. Est enim Balneum Pœnitentiæ tam Virtutis, quam Sacramenti: quod plane huic ablutioni sanationique Animarum contritarum corde, institutum est. 2. Est etiam Balneum Charitatis in Deum atque proximum, quâ dimittimus, ut etiam dimmittatur nobis. 3. Est quoque balneum communicationis dolorum atque passionum Christi, propter Christum. 4. Est etiam Balneum Iustitiæ, tribulationis, & castigationis Divinæ Paternæ, quo in Virgâ filiorum corripimur, erudimur, emundamur. 5. Est insuper Balneum Gratiæ & miserationis Divinæ, pro quo ille supplicabat, qui dicebat Deo; *amplius lava me ab iniquitate meâ.* (Ps. 50.) Et; *lavabis me, & super nivem dealbabor.* Et; *Miserere mei Deus secundum magnã Misericordiam tuam.* 6. Est quoque Balneum Misericordiæ & Eleemosynæ: quæ sicut aqua ignem, ita extinguit peccatum: unde Dominus ait: *Quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* (Luc. 11.)

7. Ad ista verò omnia balnea, accedit, & accedere debet balneum pretiosissimi Sanguinis, Mortis, & meritorum IESU Christi: qui est Agnus Dei, qui peccata mundi tollit, abluit, emundat.

8. Omnium prædictorum balneorum usum fac tibi familiarem & frequentem: at balnei Sanguinis, Meritorumq; IESU Christi, fac usum tibi omnino familiarissimum, ac non tantùm quotidianum, verùm assiduum, atque adeo continuum, ita ut nulla sit actio, nulla passio, nulla commotio tua interior, exteriorve, quàm nō sanguini Christi intingas, meritis ejusdem unias, & appreties: & coram Deo acceptissimam reddas.

9. Quod ipsum factitare proderit, & Christo, ejusque Patri æterno placebit: cùm aliorum quoque omnium, quos in Charitate Christi diligis, (debes autem, omnes, & singulos proximos, etiam inimicos, ingratos, inutiles, ignotos,) specialiter tamen speciali ratione in Christo tuorum, personis, actionibus, necessitatibus, &c.

PRAXIS.

JESU in Cruciatibus immerse, & propter me, lachrymis, sanguine, doloribus, sudore, vulneribus, ignominiis, morte, meritis, gratiâque redundans. O quàm pretiosum lavacrum! ô quàm copiosum & plenissimum salutaris meditationis balneum præparasti Animæ meæ! Immergo & abluo me totum in eo, cum omnibus cogitationibus, locutionibus, actionibus, passionibus, occupationibus, negotiis, officiis, necessitatibus, curis, propositis, desideriis, intentionibus, difficultatibus, partibus, potentiis, substantiis meis: præsento me, ac reddo, sic universaliter, & totaliter ablutum oculis tuis Divinis. Hoc Balneum tuum, est solatium meum, est refugium meum, est salus mea, est pretium meum. Hic abluo maculas meas, hic calefacio frigus meum, hic conforto infirmitatem meam, hic suppleo omnes defectûs, egestatesq; meas, neque meas tantùm, sed etiam omnium meorum in te: omnium etiam proximorum meorum: quos omnes una mecum in balneis, fontibusque tuis istis æternaliter immergo, &c.

EXERCITIUM V.

JESUS Passus quantus Inimicorum Amator?

1. Statue tibi ob oculos Cordis JESUM Passum.

2. Diligenter intuere statum hunc ejus, qualem in Passione & subiit, & sustinuit.

A

3. Peculiari intuitu dispice Amorem ejus erga inimicos, erga persecutores, erga contemptores, erga ingratos, erga crucifixores. Etenim pro his moritur à quibus moritur: pro his fundit sanguinem, qui ipsum ejus fundunt sanguinem: patitur pro te etiam, qui passionis ejus causam dedisti, & qui eum Crucifixisti, qui ejus Crucifixionem sæpiùs & sæpiùs repetiisti: qui sanguinem & mortem ejus repetitò millies conculcasti: ita ut tibi incumbat justissimè affirmare de te, quod Paulus affirmavit de se. [Venit Dominus IESUS peccatores salvare, quorum ego primus sum.] An non potes tu cum Paulo, de hoc infelici primatu contendere?

B — 1. Tim: 1. 15

4. Accede ad hoc amorosum, & erga proprios Crucifixores, hostesque Capitales, eosdemque simul inutilissimos, atque vilissimos, adeo mite, benignū, mansuetum, profusum, prodigumque Cor: atque ex eo abundanter hauriendo, inebria te Amore cordiali inimicorum, ingratorum, contemnentium, oblocutorū, persecutorumque tuorum quorumcunque, & qualiumcunque.

C

5. Exardesce Amore sincero inimicorum, & quorumcunque adversariorum: & consuesce amare illos exemplo Christi Domini, ex corde pleno, & ex Charitate non fictâ.

6. Maximè verò propterea, quia hic ipse IESUS, Dominus, Deusque tuus, hos ipsos inimicos tuos, Charitate perpetuâ dilexit, sanguineque suo pretioso, & amarâ crucis morte redemit: istamque omnem illorum in te malitiam, immenso dato pretio, tam apud æternum suum Patrem, quàm apud te ipsum, jam plusquàm abundè compensavit: utque tibi etiam ad Vitam æternam prodesset, commeruit.

D

7. Ama igitur illos, tanquam redemptos, & pretium sanguinis atque mortis Christi: obliviscere: imò ne sentias quidem injurias omnes tuas: pro quibus jā pretium adeo pretiosum & copiosum ab JESU persolutum recepisti: quin & quotidie recipis. Condona illis, sicut & Christus: quia & Christus donavit tibi: & quidem infinities plura, grandioraque debita; & donationis hujus necdum est finis: quod tute ipse fateris, quando assiduè precaris, *dimitte nobis debita nostra.* Si irasceris, si ulcisceris, si ultionem desideras, vel expectas, si aversum animum

Mat: 6. 12.

in corde foves; totum hoc in IESUM redundat Passum: aversione tuâ, ultione, irâ, odio, amaritie cordis tui, pretium quod tibi IESUS jam persolvit contemnis: & minimè tibi gratum, aut æquum ostendis.

8. Unius ejusdemque debiti nemo duplicem exigit solutionem: debitum inimici apud te tui, jam tibi persolvit Dominus: ut quid ergo tu illam exigis per vindictam, per iram, per odium, per mali pro malo redditionem?

9. Jam verò attende ad illud: Inimicus, contemptor, malefactor, detractor, calumniator, damnificator, tuus, talis licet sit, est nihilominus idem Dei Patris cælestis, sicut & tu Filius: est Christi Dei-Hominis sicut & tu frater: est tuus in Christi sanguine (quo & tu, & inimicus tuus redempti, & regenerati in Dei filios estis,) consanguineus & germanus. Dum tu inimicum malè perire aut perdere vis, optas, satagis, gaudes; vide quid agis? Nonne Deo Patri filiū, Christo fratrem, tibi consanguineum, atque fratrem in Christo, perire vis? Et quâ fronte, quâ fiduciâ, ad Dei misericordiam, ad Christi gratiam, attollere animam tuam, exposcereque debitis tuis veniam, expectare, promittereque tibi salutem præsumis? ô Caim: quid respondebis Domino quærenti; *Ubi est Abel frater tuus?* (Gen: 4. 9.)

10. Dispice: quàm pridem in hac Christi Passi inimicorum Amatoris scholâ commoreris: quàm pridem, & quàm sæpè hanc de Amore inimicorum lectionem prælegi, explicarique tibi, à Christo, Passo pro inimicis, audias: & eandem in libro Sacratissimæ Humanitatis ejus, cruentis vulnerum characteribus scriptam, imò sculptam relegas: quàm verò parum hactenus in hac Amandi inimicos, Christi Passi scholâ, & in hac supereminentis Charitatis ejus scientiâ profeceris: quàm contraria huic doctrinæ sapias, sentias, cogites, loquaris, facias?

11. Nunc ergo statim incipe, condiscere hanc linguam, atque Christi Passi sapientiam: ac si, vel olim, vel in præsenti, ab aliquo offensus es, vel te aversum Animo sentis, dona totum Christo Passo, & propter Christum inimicis tuis omnibus, & singulis: sciens tibi non solùm ad plenum jus & æquum, sed etiam ex superefluentiâ, pro omnibus debitis à Christo Passo esse satisfactum.

PRAXIS.

JESU in doloribus, & ærumnis, pro me demerse, atq; pro tuis inimicis, & crucifixoribus, ex tuâ ineffabili Charitate patiens, iramque Patris tui æterni, justissimam ab eis avertens, ac veniam eisdem impetrans, mihi verò luculentissimum, efficacissimumq; exemplum, ac magisterium Amandi Inimicos exhibens, atque hanc dilectionem, & injuriarum condonationem, atque oblivionem, nec non in beneficentiâ pro malefactis sepultionem, apud me redimens, atq; satisfaciens; Omnibus Domine, omnibus, undecunque mihi adversariis, inimicis, ingratis, molestis, contrariis, detractoribus, malefactoribus, censoribus, contemptoribus, illusoribus, dimitto, & condono: & vincere mala eorum in bono, bonoq; pro malis reponere volo ac statuo: ex corde, perfecte, propter te, in perpetuum. Volo illos & amo tanquam meos, magis autem tuos, in sanguinis tui pretiosi communione germanos, atque filios, unoque mecum pretio pretiosissimo redemptos, ablutos, sanctificatos, regeneratos. O mi IESU inimicorum Amator, & in eorundem dilectione noster instructor: da mihi in hac doctrinâ tuâ, tandem tandem, semper magis ac magis proficere: ut per omnia efficiar tuus discipulus, & frater, & filius, inimicorum propter te, amator sincerus: neque ullius, inter eos, & inter amicos, quantum ad Amorem eorum, discriminis positor æternus.

EXERCITIUM VI.

JESVS Passus, quantus DEI Patris, ejusq; Gloriæ, & Voluntatis Amator?

1. Statue ob oculos Cordis tui IESUM passum.

2. Ejus hunc lachrymabilem luctuosumque statum, quàm accuratissime, penitissimeque introspicies.

3. Ex hoc ejus statu, atque ex hac miserabili specie conjicies, imò dispicies, Amorem ipsius erga suum Patrem æternum: nec non pro gloriâ illius zelum, & denique ad ejusdem Voluntatis omnia mandata, atque placita subjectissimam promptitudinem, promptissimamq; subjectionem.

4. In omnibus Creaturis nullam invenies, quæ majore in Deum æstuaverit, & æstuet Charitate quàm IESUS. Cujus rei evidentissimum specimen habes: in eius Incarnatione, Vitâ, Passione, ac Morte. Neminem invenies, qui pro Dei gloriâ plura, & grandiora egerit, atque

atque pertulerit, qui ejus Honorem majoribus impensis, gravioribus laboribus, robustioribus & constantioribus studiis, magnificentioribus & illustrioribus exẽplis operibusque procuraverit, promoverit, promeruerit, stabiliveritque, quã IESVS: quorum omnium] in totâ quidem Vitâ, inque omnibus momentis Vitæ, at potissimum in morte luculentissima elucent specimina, atque exempla.

5. Neminem invenies, cui Deus graviora, durioraque, ac omnibus difficultatum, arduitatumque generibus exaggeratiora proposuerit, ac imposuerit mãdata: quivè magis fuerit servus, ac mancipium per omnia Divinæ Voluntatis, & quo illa magis abusa sit, in omni genere vilium, abiectorum, difficilium, Heroicorum, indignorum eius personâ operũ, & obsequiorum: qui eam magis promptè, exactè, in omni puncto, in omni horâ, in omni apice sit executus; qui eandem studiosiùs verbo, & opere, exemplo, & dispendio proprio, jacturaque bonorum omnium, omni magnitudine majorum commendaverit, atque prædicaverit hominibus: qui sese eidem arctiùs adstinxerit, ac in eam, eiusque arbitrium & possessionem, totaliùs, pleniusque transfuderit, quàm idem Dominus IESUS, cujus totius rei absolutissimum paradigma habes, in omni quidem eius Vitâ & vitæ actu, sed potissimùm in ipsius Passione ac Morte.

6. Hanc arctissimam sui ad Voluntatem Divinam adjunctionem, expressit perquam mirabiliter, Dominus IESVS, illis verbis suis; (*Meus cibus est, ut faciam Voluntatem ejus, qui misit me Patris, qui in cælis est*) Cibo vivimus: cibus in substantiam aliti, seu comedentis, transit, & suas ei inserit proprietates. Christus ergo Voluntate Dei passus, cibatus, nutritus, saginatus; & illa fuit substantia ejus: ac eius qualitates, Christi fuêre qualitates, ac proprietates: adeoque totus Christus ipsissima Voluntas Dei fuit. Tu hinc disce: quâ obstinatione, seu obfirmatione Dei voluntati adhærescere te oporteat?

4. 34.

7. Tale aliud Exemplar nec habebis, nec dabitur tibi ib æternum. Unum tale in Monte Calvario, super Crucem, expansum, & affixum est. In hoc Exemplar, non tantùm Cor, & Oculos, sed etiam substantiæ Corporis, & Animæ vires defigere, implantare, & inserere te oportet. In hoc Exemplar, quò se quis perfectius transformat, illudque in sese elaborat, eò est Patri æterno charior & propior, quia & IESU Passo similior.

8. Huic Exemplari, quisquis difformis est, hic Deo ingratus est, quia secundùm Cor Dei non est: nec ullas qualitates habere potest, quibus Deo gratus reddi possit, sed necesse est, ut abjectus à Deo sit.

9. Jam igitur, inspice, te quidem uno oculo, exemplar autem istud altero, teq; cum illo compara. An scilicet sic ames Deum, quomodo illum amavit IESUS? An sic ardeas Zelo gloriæ Dei, quomodo arsit IESUS? an sic unitus, & transformatus sis in Voluntatem Dei, sicque omnino sis eius mancipium redditus, quomodo fuit, & propter tuum quidem exẽplum fuit, IESUS?

10. Recordare illius Dominici dicti: quando quærens, quæ esset Mater sua, quivè fratres & sorores suæ, extendens manum in discipulos suos dixit: *Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicunq; enim fecerint voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quo asserto Domini, plane ignoro, an quidquam magnificentiùs unquam, & uspiam, in omnibus scripturis Sacris, de servis Dei enunciatum sit. Quid enim magnificentiùs adpromittatur servis Christi, quàm quòd possint esse, non tantùm sorores, non tantùm fratres, sed etiam Matres Christi? Et tamen veritatis æternæ verbum non potest non esse verum: sed quotquot sunt factores & operatores Divinæ Voluntatis, tot omnino sorores, & fratres Christi sunt: quotquot autem etiam prædicando voluntatem Dei aliis quoque annuntiant; illosque factores Divinæ voluntatis reddere student; tot quasi Matres ac Genitrices Christi per prædicationem fiunt.

Luc: 8. 19.

11. Intuens itaque, tantum IESU passi, erga Patris sui æterni voluntatem, amoris studium; tantum gloriæ illius zelum; tantam eorum, qui Dei voluntatibus, sive exequendo, sive alios ad cognitionem, amorem, executionemque illius trahendo, devotissimè inserviunt, exaltationem, atque cum ipsâ Dei Matre comparationem; intuens etiam tuam propriam eâ in re incomparabilem, inexcusabilemque ab JESU Passo dissimilitudinem; ex toto corde tuo, tepiditatem, & ignaviam tuam confiteberis: eam omni prorsus conatu radicitùs exues, totum autem te, ad faciendas, & ad prædicandas Dei tui voluntates transferes, atque transfundes: ut faciendò quidem illas, frater ac soror; prædicando

autem easdem, Mater Christi evadas.

PRAXIS.

JESU pro me in doloribus posite, mihique, in Te Passo, tuæ in Patrem tuum æternum Charitatis, tui pro illius gloriâ zeli, tuæ ad ipsius dignissimam voluntatem subjectionis & adglutinationis exemplar præbens: confiteor, cum rubore quidem faciei meæ, meam supinam, & inveteratam in tui imitatione socordiam. Ecce nihilominus totus sum in virtute gratiæ tuæ, totus prostratus jaceo ad pedes misericordiæ tuæ, postulans & mendicans totâ egestate meâ, ut facias me germanum, & verum tuæ erga tuum Patrem Charitatis filium: ut facias me pabulum Zeli, ignemque insatiabilem in promotione Honoris Divini: ut denique facias me æternale mancipium, voluntariumque jumentum, sanctissimæ, ac laudabilissimæ Voluntatis Divinæ, sempiternæ Dominæ ac Sponsæ meæ.

EXERCITIUM VII.
JESUS Passus, nobis bona omnia.

1. STatue tibi ob oculos JESUM Passum.

2. Intuere illum, in hoc doloroso, simulque fructuoso per omnia statu, quàm accuratissimè.

3. Intuere illum: ut nubem roridam, ex omnibus corporis sui sacratissimi membris, partibusque, sanguineo rore stillantem, ac diffluentem. Hic ros, ros lucis est, ros dilectionis, ros salutis, ros vitæ ac beatitudinis æternæ. Utinam hoc rore madescat undique Anima tua. En ille ipse loquitur tibi: *Aperi mihi Soror mea Sponsa, aperi mihi. Caput enim meum plenum est rore: & cincinni mei guttis noctium.* (Cant. 5. 6.) Ergo surge, de lectulo pigritiæ, surge de loco oscitationis, surge de nido languoris, surge de laqueo periculosæ conversationis, surge de domo vanæ negotiationis &c.

4. Intuere illum: velut mamillam universi, tot papillas in se, quod vulnera hiantia habentem, & lac sanguinis sui, inter infantulos, lactentesque suos fideles profundentem. Accipe, & arripe hasce papillas divinas: & ex eis totam interiorem IESU substantiam exsuge, atque ebibe: ut transeas totus in totum IESUM: (A) eiusque mores, affectûs, studia, perfectionem, & consummationem, tam gratiæ, quàm gloriæ æternæ, in te innasci facias.

5. Intuere illum: velut monile pretiosissimum, ex selectissimis quibusque gemmis unionibusque, artifice Charitatis manu elaboratum, atque Animabus Sponsis exornandis destinatum, imò propositum, oblatum, expansumque in Cruce. Si es fidelis Sponsa IESU, si amans, si Charitate flagrans, si tuam paupertatem agnoscens, assume istud monile, eoque caput, frontem, collum, pectus, aures, manus Animæ tuæ, dignè Sponso tuo eodem IESU exorna. Placebis sine dubio (B) eius oculis, omnemque gratiam coram illo invenies, semperque eris coram eo pacem reperiens.

7. Intuere illum: veluti scutum impenetrabile, contra omnes adversitates tuas elaboratum, contra iram divinã, contra inimicas infernales potestates, contra timores, & persecutiones humanas, contra tuam propriam concupiscentiam, fragilitatem, malitiam. Hoc scuto protectus, salvaberis.

7. Intuere illum: velut Cor, & Animam, & Vitam Ecclesiæ, omnisque fidelis Animæ: quâ Animâ, totum Corpus (C) Ecclesiæ, omneque illius membrum vivificatur, vegetatur, ac regitur: & sine quâ Animâ, totum Ecclesiæ Corpus cadaver est inanime, & informe, soli sterilitati, soli maledictioni idoneum. Sit ergo passus IESUS, eiusque Mors, tibi Vita, sit Anima, sit salus, sit omnis vegetatio, vitalitas, robur, soliditas, usque in beatam æternitatem.

PRAXIS.

JESU dolentissime, & nos Passionis tuæ vigore salvans; esto quæso, mihi aridissimæ terræ ros irrigans, esto mamilla me lactentem lactans, esto (D) *monile, atque vestimentum pretiosum, nudum me, pauperemque vestiens, & ornans. Esto scutum me undique circumdans: Esto Cor, & Anima mea, me vivificans, & æternæ vitæ participem faciens: in quâ ego, Te, cum omnibus redemptis tuis exaltem, & magnificem, unâ cum æterno tuo DEO Patre, & Spiritu Sancto, per omnia sæcula, sæculorum, Amen.*

EXER-

EXERCITIORUM
PARS VIII.
Erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

EXERCITIUM I.

Christus, in Eucharistiâ omnium bonorum Thesaurus.

1. STatue te præsentem Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, atque in eo verè, realiterque præsentem JESUM Christum agnosce, confitere, venerare.

2. Cogita hîc omnes Thesauros, & Officinas bonorum, beneficiorumque Christi, tibi esse expositas, atque ad hauriendum quantùm voles, & præsumes, elocatas.

3. Circui, & perlustra officinas istas, atque thesauros. Hîc est Divinitas tota, hîc Humanitas integra: hîc merita omnia, hîc Gratiæ, hîc Dona, hîc Exempla, hîc Doctrinæ, hîc Virtutes, hîc Auxilia, hîc Amoris excessivi, & indefessi miracula: hîc Dignationes, hîc Sanitates, hîc intercessiones, hîc protectiones, hîc omnia bonorum, divitiarum, beatitudinumque cælestium genera, copiæque inexhaustæ.

4. Necessitatem, nuditatem, mendicitatemque tuam omnimodam dispice: infirmitates, morbositates, vulnera, ulcera, vincula, pericula, stultitias, cæcitates, laqueos, vilitates, ignorantias, peccata, pronitates ad labendum, & pereundum, totiusque miseriæ omnimodum statum agnosce.

5. Sume cum omni fiduciâ humili, cumque humilitate fiduciali, omnibus miseriis, necessitatibusque tuis subsidia, quàm copiosissima, ex Sanctissimo isto Sacramento, tanquam ex Gazophylacio, aut ex nundinis, meritoriisque tabernis omni bonorum mercium genere refertissimis. Tibi imputans, ac inter damna reponens, quidquid non hauseris, aut si quid minus hauseris. Ad hoc enim tibi exposita habes, ut tibi liceat haurire, etiam soli, ac uni omnia.

6. Et noli metuere, ne fortè bona ista, hauriente te deficiant: tu potiùs metue, & cave, ne hauriendo deficias. Nam iste Thesaurus est maris instar, quod neque effluendo minuitur, neque influendo redundat: deficiunt qui ex eo hauriunt: mare autem semper est mare. Sic etiam Solem milleni, & millies, infinitiesque milleni oculi respiciunt, eiusque lumen hauriunt: & ipsi luce pleni sunt, & Sol de suo lumine nihil perdit. Idem in aëre quo spiramus jugiter videre est.

7. Advoca igitur undique omnes Orexes: cupiditates, fames, avaritias, & eas totas ad hanc seu mercaturam, seu prædam converte. Rape mortis medicinam omnimodam: rape nuditati vestem multiplicem: rape merita, dona, gratias: rape beneficia, rape virtutes, rape dignationes, rape sanguinem, Corpus, Animam, Divinitatem, Personam, rape Charitatem Dei, dilectionem proximi, etiam inimici, rape humilitatem, puritatem, patientiam, mansuetudinem, paupertatem, rape donum Sapientiæ, orationis, contemplationis, fiduciæ, mortificationis, abnegationis, mundi contemptûs, veniæ peccatorum.

8. Noli ab hoc mercatu recedere nisi planè emas quæ voles, nisi planè cupiditates, ac necessitates omnes exsaties, atque expleas. Solâ hîc cupiditate, & sincerâ bonorum Dei avaritiâ emuntur omnia, tolluntur omnia, obtinentur omnia. DEUS enim nullius boni nostri à nobis indigus est. Sola eum desideria nostra satiant, explent, & ditant: quantùm amas, quantùm desideras, quantùm famescis, tantum capis, tantum obtines, tantum habes.

PRAXIS.

O Tremendum, ô augustissimum, ô verè Divinum Sacramentum, in quo sunt omnes thesauri bonorum: universaq; substantiæ Domini mei IESV Christi plenitudo reposita propter me, seposita autem mihi. O quantum hîc remedium, quantum subsidium, ineffabilibus, atque innumerabili-

bus miseriis, & necessitatibus meis reperio! Adeste quæso, adeste, ubiubi estis omnes cupiditates, atque avaritiæ, & mihi nunc famulemini, ad hauriendas ex hisce ditissimis officinis, apothecis, gazophylaciisque; omnes necessitatum mearum sufficientias, & abundantias. Ah? quam ego cæcus! quã ego piger hactenus fui, qui in tantâ bonorum affluentiâ miser fui! inter tam para a remedia morbidus: inter tantas opes egenus exstiti! ò jam aude anime, jam quantum potes tantum aude: quin quantum audes, tantum habes. Dilatare, ampliare, distendere in omnes partes, in omnes capacitates, atque vastitates, te converte. O Cor meum, jam cape, & hauri, jam rapinas age, & exsatia te: jam egestates tuas exple, & exsatura. Hæc enim est Voluntas Boni IESV: hæc est hora tua: hæc est occasio & dies bona: hic avaritias omnes exercere, hic accelerare, hic prædari, hic spolia detrahere licet, modo libeat; quantum enim libet, tantum licet.

EXERCITIUM II.

Christus in SS. Sacr: colendus, quomodo à Dei Matre cultus.

1. STatue te coram SS. Eucharistiæ Sacramento, atque in eo IESUM Christum DEUM Hominem realiter præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Ad id pleniùs, digniusque præstandum ascisce tibi in auxilium, & in exemplum Pretiosissimam Dei Hominis genitricem, ut quo affectu illa (fidei, spei, charitatis, devotionis, reverentiæ, gratitudinis, teneritudinis, &c.) Deum in carne præsentem coluit, eodem quoque tu, tam in substantiâ, eundem Deum, in eadem carne realiter, esto invisibiliter præsentem colas.

3. Coluit Pretiosissima Parens IESUM in suis visceribus, manentem, coluit ex se genitum, in præsepio reclinatum, in ulnis & sinu suo positum, ad ubera pendentem; coluit secum ad annum ætatis trigesimum manentem, sibique subditum, coluit docentem, miracula patrantem, in Sacramento Eucharistiæ sese includentem, & offerentem: coluit patientem, in cruce pendentem, mortuum, in sepulchro positum, à morte redivivum: coluit in dexterâ Patris super cælos considentem: coluit in Sacrificio altaris per manus discipulorum immolatum: coluit in Sacramento Eucharistiæ illum recipiens: coluit in horâ suæ in cælum Assũptionis sibi occurrentem, seque super Angelorum choros exaltantem: colit nunc etiam in cælis secum regnantem, & in terris sese nostro ministerio super altare sacrificantem, nobisque in cibum, & potum, & viaticum sese exhibentem, atque etiam inter nos Sacramentaliter habitantem.

4. Hos omnes Pretiosissimæ Parentis cultûs edisce tu, & exhibere IESV Christo in Sacratissimo Sacramento consuesce: in omnibus enim his circumstantiis, suo modo IESVS tuus, sese tibi communicat: tantò etiam familiariùs, simpliciùs, dignantiùs, quantò & tu à puritate, ab excellentiâ, à devotione, à prærogativis Matris Dei distas remotiùs: & ipse Dominus IESVS in sua tibi per hoc Sacramentum, sacrificiumque sui communicatione, gerit se humiliùs, atque submissiùs.

5. Institue comparationem Dignationum Christi, erga Matrem, & erga Te. Conceptus à Matre semel: conceptus à te millies: latuit in Matris viscere novem mensibus: latitat in tuis visceribus ab omnibus tui Sacerdotii annis. Lactavit illa genitum ex se: te lactat ille genitus: illa eum pavit, ille te pascit. Mater habuit subditum IESVM: habes & tu obedientem longe promptius, & mirabilius. Mater Filium manibus gestabat: tractas & tu eundem manibus tuis. Osculabatur illa filium, tu illum, etiam manducas. Iosepho illa, Simeoni seni, Annæ prophetissæ, & aliis paucis IESUM tractandum dabat: tu eundem, (fructum etiam consecrationis, tanquam generationis tuæ) aliis, & tractandum, & adorandum, & manducandum præbes, atque offers. Maria Mater filium IESVM solâ Voluntate Patri ad redemptionem Mundi obtulit; tu verò reali, patriâ, Divinâ, seu Patris æterni (penè dixerim) potestate, ipsi æterno Patri immolas: Christi etiam ipsius sese immolantis personam sustines: quod Matri aliquando licuisse, non legimus.

6. Ergo exardesce maternis affectuum ignibus: maternis quoque Virturũ actibus, IESVM in Eucharistiâ venerare.

PRAXIS.

IESV, in Sacratissimo, Augustissimoq; Sacramento præsens, assumo mihi ad amorem, ad venerationem, ad exultationem tui, Pretiosissimæ Parentis tuæ affectus omnes, & singulos. O si eos adæquare imitando possem: & omnes illos, ipsius instar erga te profundere! fateor certe mi IESV, me Tibi, etiam majorum in te affectuum esse debitorem,

torem, quàm Sacratissima tua Mater fuit: quippe maioribus me dignatus es, dignaruḿq; per misericordiam tuam dignationibus, atque miserationibus. O Mater, tu mihi concede lumen intellectûs tui: concede mihi flammas voluntatis tuæ, ut respondeam profusissimus Filii tui super me misericordiis.

EXERCITIUM III.

Christus in Euchar: colendus ad Exemplar Angelorum.

1. STatue te coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: & in eo IESVM Christum DEVM Hominem realiter præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Ad hoc digniùs præstandum, assume tibi omnes Sanctorum Angelorum Ordines in auxilium, atque in Exemplū. Stupent enim Sancti omnes, atque etiam sanctè invident mortalibus, tam mirificam Dei-Hominis dignationem, quàm ille vilissimis, ac ingratissimis vermiculis, in Sacramento Altaris exhibet. Et hoc nomine lubentiùs, frequentiùsque terras visitant, inter nos morantur, nos custodiunt, fovent, æstimant. Vnde Angeli Sacerdotum frequenter sacrificantium, aliorumque frequenter communicantium, custodes; habent hoc inter speciales suas prærogativas, consolationesque. quòd per occasionem, quas custodiunt animarum, crebriùs, & quidem de vicino, & quasi suo quodam jure, Sanctissimum Sacramentum, spectare, habere, venerari, tanquam in thalamis, in cubiculis, in vasculis, in ferculis possint, quod Angeli alii non perinde possunt.

3. Ergo Angeli, semper vident faciem Patris: tu autem & vides per fidem non minùs visione certam, esto non claram: & manducas per realem sumptionem: & immolas per veram in Personâ Christi oblationem.

4. ARCHANGELI, nunciârunt Christi Incarnationem, Nativitatem, Resurrectionem, Ascensionem, Reditum ad Iudicium: Tu illum Incarnari, Nasci, Mori, Resurgere, Ascendere, ad ruinam peccatorum, ad resurrectionem virtutum venire, facis ad te, ad alios, & facis toties, quoties libet.

5. VIRTUTES, operantur mira pro Dei gloriâ, & nostrâ in eum veneratione promovendâ, confirmandâque: quanta miracula non operatur Sacerdos, dum Sacrificat, dum Sacramentum conficit, dum Sacramentum sumit! Nulla cælestis Virtus, ac nequidem simul omnes sufficiunt, ad unum Eucharistici Sacramenti, Sacrificiiq; miraculum patrandum. Cessent Virtutum miracula: quod misellus homo manducet DEUM suum; hoc miraculorum miraculum est: quòd ver o eū præsentem in Sacramento faciat, & habeat; hoc nulli Virtutum concessum est.

6. PRINCIPATUS, sunt capita Servorum stantium coram Domino semper, sunt imagines originationis Divinæ, sunt legumlatores, atque Decretores justitiæ: Confer hæc cum Sacerdotali Principatu. Sacerdos est origo, & Pater Dei: legem fert legum fonti: in hoc servit Deo, colitque Deum, quòd imperet Deo: quòd formet Deum: quod Sacrificium suum faciat Deum: quid tale vel per umbram cælestibus competit Principatibus? Et hi qui Sacramentum sumunt; principium omnis boni, omnis meriti, omnis gratiæ, omnis justitiæ, omnis beatitudinis, atque gloriæ sumunt. Est enim Eucharistia, sedes legum omnium, Magisterium charitatis, Obedientiæ primatus, Vertex imperii, Nutrimentum æternitatis, Resurrectionis (id est secundæ ac indebitæ alias originis) pignus, semen vitæ æternæ, gustus beatitudinis. His bonis, Principatus Angelici esto non egeant, attamen ex hoc tali fonte principioque illa non habent.

7. POTESTATES, Ministri sunt omnipotentiæ Dei, bajulique illius; Mōstrantes Deum posse omnia, etiam illa quæ non vult. Equidem ambigo; an Sacerdotalem Potestatem repræsentent Potestates Angelicæ: sed repræsentent; nō tamen eam in potestate ad exercendum habent: at Sacerdotes habent. Qui verò Sacramentum hoc manducant; quid aliud quàm miracula, & excessum, & abyssum Omnipotentiæ Dei manducant? Cibus Eucharisticus omnium possibilium in hoc magnitudinem vincit, quia, quod in possibilibus tantùm esse potest, hoc in Eucharistiâ, etiam reipsâ, & actu ipso est.

8. DOMINATIONES, servant suum absolutum Dominium Deo; at quibus Eucharistia concredita est ad manducandum, ad habendum, ad conficiendum, ad immolandum; hi, & asserunt quidem Dominium Deo, sed etiam asserunt & exercent Dominium in DEUM: serviunt quidem DEO, sed dominando DEO: quod nulli ex Dominationibus licet.

9. Throni, sedes sunt æquitatis Divinæ: rectitudinis domicilia, justitiæ specula, scrinia Decretorum. Eucharistia nostra, ô mortales! quid est, si hoc non est? quid inquam est, si Thronus non est, ad æqualitatem deducens Deum & Hominem, nec non jura utriusque, hoc exigentibus Christi meritis, in Eucharistiâ depositis, in Sacrificio repræsentatis, imò innovatis, & in manducante collocatis. Unde prodeunt decreta Divina in salutem, placita in vitam, statuta in gratiam, in amicitiam, in possessionem, in beatitudinem sempiternam. Quid verè? an non etiam Eucharisticum Thronum manifestat illud, quod Paulus, & indicat, & admonet: Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo manducet: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini, &c.

10. Cherubini, Lux sunt Dei, sapientiæq; illius imagines. Nôrunt quid, & quis sit Deus. Qui Eucharistiam tractant, conficiunt, sumunt, habent, Cherubini sunt: & plusquam Cherubini. In lumine vident lumen: Gustant, & manducant, & bibunt, & vident, quàm suavis est Dominus, quàm multa dulcedo abscondita sit in Manna novo. Gustum Dei habent, & quidem ad salutem, amicti sunt limine sicut vestimento, saginati Cibo Sapientiæ salutaris tanquam nutrimento. Cherubini ex naturæ dono sapientes sunt, fruentes autem Eucharistiâ ex manducatione Dei Sacramentali, Sapientiam hauriunt: illis fons natura: his Gratia: & admirabilis quidem & ineffabilis, & plusquam Cherubica Gratia.

11. Seraphini, sic ideo dicti sunt, quia non tam ardere Charitate, quam ipse Ardor Charitatis esse videntur; hoc tantò veriùs, quantò & mirabiliùs in eos quadrat, quibus Eucharistia, & Sacrificium, & Cibus est. Deus enim noster, ignis est, & Charitas est: qui ergo vescitur Deo, isto utique igne, & Charitate vescitur: quidni ergo Seraphim efficiatur? Seraphini creantur ad Amorem: qui autem Eucharistiam sumunt, saginantur Amore: illis Ardor Natura, his cibus; utrisque ergo substantia: ambigas quibus felicior: illis quidem securior, istis mirabilior. Ergo ardendum, ergo ignescendum, ergo conflagrandum est omnibus, quicunque de Dei æterni igne consumente, de Charitate flammescente nutriuntur. O mî Deus (liceat sic, ad modum nostri esse, loqui;) tu tantùm visione tui, Seraphinos tuos pascis, & ardent Charitate tuâ, transeuntque in flammeos ardores: nos ipsâ ignis tui Divini medullâ, ipso flore incendii tui, ipsâ substantiâ Charitatis tuæ pascis, nutris, infarcis, saginas; &, heu! necdum ardemus, nec dum in ignem transimus! Imò, ipso (pro pudor, & dolor, & miraculum frigoris!) adhuc, inquam, ipso gelu rigidiores sumus: ipsoque frigore plùs frigemus. Libet hoc insuper considerandû addere; Seraphini amant Deum, tanquam factorē suum: Sacrificantes amant tanquam parentes prolem; nunquid non connaturaliter? Numquid Seraphinis hoc modo licitum? O vivax flamma, Deus meus, ô vorax ignis Charitas æterna, tandem evince me, tandem absume me, tamen transflamma me, ut ardeam, vel omnibus Seraphinis plùs, unus, ac solus, cum omnibus tamen, & non unus, nec solus.

PRAXIS.

Jesu in Sanctissimo Sacramento præsens, Cibus noster, potusq; Salutaris, gloriæ pignus futuræ, gratiæ plenus præsentis: Te ego omnium Angelorum, Archangelorum, Virtutū, Potestatum, Principatuum, Dominationum, Thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum, affectu, spiritu, viribus, amo, adoro, veneror, exalto, &c. Quoniam exaltasti me super omnes Spiritûs, super omnes Choros Angelorum, per tui Sanctissimi Sacramenti Sacrificiique ministerium, usum, & fructum.

EXERCITIUM IV.

Christus in Euchar: colendus ad Exemplar SS. omnium.

1. Statue te coram Sanctissimo Altaris Sacramento: ac in eo DEUM Hominem verè realiterque præsentem, agnosce, confitere, venerare.

2. Intuere illum in Sanctissimo Sacramento, quasi Monarcham Monarcharum, Regemque Regum, super solium excelsum, & elevatum, cujus Majestate admirabili repletur terra universa, cui *millia millium ministrant, & decies centena millia assistunt*: coram quo 24. *seniores assurgentes procidunt in facies suas*, & Coronas capitibus suis detractas, supponunt pedibus ejus: & *turba magna ex omnibus gentibus, & tribubus* collecta, *quam dinumerare nemo potest*, ei sese reverentissimè submittit, canens ei laudes in sæcula sæculorum.

Dan: 7. Apoc: 7.

3. Audi.

3. Audi hunc universum Sanctorum cœtum, ex lege Naturæ, Scriptâ, Gratiæ, ac demum Gloriæ collectum: succlamantem die ac nocte coram Sanctissimo Sacramento, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloriâ ejus.

4. Immisce te huic turbæ, cœtibusque ac Choris Sanctorum: nunc quidem his, nunc verò illis: atque quod ab eis videris fieri, & tu fac: cum adorantibus adora, cum procidentibus procide, cum stupescentibus stupesce, cum agentibus gratias, gratias age, cum admirantibus admirare, cum exultantibus exulta, cum exaltantibus exalta, cum amantibus ama, cum ardescentibus ardesce, cum liquescentibus liquesce, cum fruentibus fruere, cum jubilantibus jubila, cum dilaudantibus dilauda, cum silentibus præ veneratione & majestatis sacro horrore, sile tu quoque & contremisce: cum canentibus cane, atque repete: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS noster, qui est, & qui erat, & occisus est: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus omnipotens. Gaudeamus, exultemus, & demus gloriam ei: quoniam magnificatus est vehementer in Sacramentali præsentiâ, in Eucharisticâ Majestate, in Sacrificiali dignatione.

5. Sit tibi hoc spectaculum atque consortium Sanctorum, veluti clibanus incensus, in quo ardescas Seraphicis ardoribus, & amoribus erga Sanctissimum Sacramentum: sit tibi veluti Gymnasium, in quo ab omnium Sanctorum exemplari, & vivo practicoque magisterio discas, & consuescas, exercere omnis generis affectus erga Dignissimum Sacramentum: sit tibi veluti Theatrum, in quo imitatione, ac etiam associatione Sanctorum, dignos Deo, in throno Sacramentali residente, actûs, affectûs, spiritûs, profectûs, conatûsque exhibeas: si non assiduè, at frequentatissimè, & infatigabiliter, atque quantùm prævaleas incessabiliter. Est tibi Theatrum Mundus, spectator DEUS, exemplar & comitatus, omnis Sanctorum cœtus.

PRAXIS.

JESV in Sanctißimo Altaris Sacramento præsens, atque in eo tanquam in excelso Majestatis tuæ Throno residens, excelsus, & elevatus, omniumque Sanctorum tuorum gloriâ circumdatus. Te cum omnibus illis atq; singulis laudo, magnifico, adoro, veneror, admiror, amo, exalto, glorifico, insuperq; etiam desidero, percipio, sumo, & manduco. In conspectu, & comitatu Sanctorum tuorum omnium, omnia ossa mea, & omnis capacitas spiritus, substantiæq; meæ, & totus ego, tibi laudes, & gratiarum actiones occino, dicens, ac repetens, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.

EXERCITIUM V.

Christus in Euchar: triumphandus, veluti amore vinctus.

1. STatue te coram Sanctissimo Altaris Sacramento: & in eo IESUM Christum DEUM Hominem, verè realiterque, præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Intuere illum in Eucharisticis speciebus conclusum, tanquam Captivum, Vinctum, Catenatum, & Triumphatum. Captivavit enim illum 1. Amor nostri. 2. Humilitas, & Dignatio DEO digna. 3. Obedientia, alligata ad vocem, nutumque Hominis consecrantis. 4. Captivavit illum unio Hypostatica, Humanitatem Divinitati, & hanc illi adglutinans, & veluti incarcerans, certè incarnans, & Deum Hominem constituens. 5. Captivavit illum Sacrificii admirabilis ineffabile Mysterium. 6. Captivavit Sacramenti Eucharistici immensa Dignatio. 7. Captivavit stupenda, & nulli præter homines mortales, etiam nec ipsis Angelis, concessa in cibum & potum exhibitio atque traditio. 8. Captivavit denique hæc specierum Sacramentalium limitatio, atque ad earum durationem, præsentiamque alligata præsentia.

3. Totis viribus Spiritûs tui exulta, non secus ac solent exultare victores captâ prædâ: exulta inquam, de hoc catenato, captivato, vinctoque DEO IESU tuo: atque etiam tuæ illi Charitatis, dilectionis, inhæsionis, immersionis, laudis, insultationis, complexionis, comprehensionis, manducationis, invisceraionis vincula inijce.

4. Noli insipienter misereri captivi hujus, neque sortem hanc ejus miserare: Etenim hæc captivitas illi millies est gratior, & optatior, quàm cælestis Gloriæ libertas: ambit illam, cupit illam, mercatur illam, emendicat illam: famescit, & languet sine illâ: & quasi miser esset, aut futurus esset sine illâ, sic tabescit sine illâ.

5. Proinde non ei parcat oculus tuus, sed potiùs aggrava compedes ejus, adjice ca-

ce catenas illi, vincula multiplica, circumduc captivum, age catenatum in triumphum. Sic spectari amat IESUS, nec ulla illi in hoc mundo, in hac Ecclesiâ, in Animabus justis, pompa gratior, nulla ad mentem magis.

6. Congaude ergo: & tibi quidem, quod istum vinctum insignem habeas: & illi simul, quod in hæc vincula Charitatis, Dignationisque suæ devenerit. Crede quòd illum nec pæniteat, nec tædeat sortis hujus, quam sponte delegit, & voluntariè diligit. Præfert hunc statum etiam cælesti: dummodò non desint, qui triumphent illum, qui captivum teneant, diligant, visitent, quique captivo vincula etiam adjiciant.

7. Hæc igitur sit una cura tua, huic vincto adesse: ad hunc eius speciosum carcerem excubare: nova, & nova, alia, & alia vincula injicere: novas & novas ex eo prædas agere: alios & alios ex eo triumphos Charitatis ducere: aliis & aliis eum carceribus includere. Nunc quidem in Sacrificio immolando, nunc in Sacramento, realiter sacramentaliterque manducando, nunc spiritualiter eundem in fame dilectionis, ad viscera devotionis adtrahendo, & admittendo: nunc eum revisendo latentem: salutando conclusum: adeundo, adorando, morantem, & expectantem: nunc cum illo, corde, & spiritu, nunc etiam corpore, & oculis versando: nunc eum manibus tractando, nunc aliis spectaculum faciendo, in cibumvè porrigendo.

8. Cave, ne fatigeris in hac occupatione: vide excutias omnem ignaviam: attende, ne te effugiat negligentem hæc præda, ne tanta felicitatis occasio elabatur. Captivus hic, fervore tenetur: assiduitate conversationis ligatur: si remittis elabitur: imò fortè jam elapsus est.

PRAXIS.

IESU, in salvifico atque sacratissimo Altaris Sacramento præsens: Te ego hîc captivum, & agnosco, & gaudeo, & teneo, non secus quàm gaudere solent victores captâ prædâ. O nobilis sanè præda! ô insignis certè vinctus! ô fortis omnino Animarum prædator IESUS! Captus est Amore nostri: vinculis Charitatis nostræ, pedicis dignationis suæ, catenis obedientiæ propriæ. Ligatus est compedibus specierum, captus est retibus amantium Animarum, conclusus est in carceres viscerum & cordium, tenetur in altaribus intrà conditoria templorum, piixidum, atque ferculorum. O Anima mea, Exulta, & gaude tibi de vincto isto: excuba ad carceres ejus: aggrava & accumula vincula illius: adjice compedes illi, exterat pes tuus limen habitationis eius: spolia illum, & thesauros ejus diripe: imò etiam ut tutiùs habeas prædam istam, in visceribus imis cordis corporisq; reconde: denique his omnibus adjice illud, ut te cum illo cōstringas, & iisdem cum eo vinculis communices: sis tu captiva illius, vincta, incarcerata, illius: illeque vicissim tuus. Pulchrum, & rarum certamen, spectaculumque, ac vix aliud Divinis oculis gratius: quando Anima vinctum tenet IESUM, & Animam vinctam tenet IESUS. Gloriosa conditio triumphare de IESU, triumphari ab IESU: triumphare de Animâ, triumphari ab Animâ IESUM. Hos triumphos mutuos age, & exhibe Cælis, ô Anima, &c.

EXERCITIUM VI.
Christus in Eucharistiâ, tanquam in Cælo Empyreo.

1. STatue te coram Sanctissimo Altaris Sacramento: & in eo IESUM Christum DEUM Hominem, verè, realiterque præsentem, agnosce, confitere, venerare.

2. Aspice illum, in Eucharisticis speciebus commorantem, tanquam in Empyreo Cælo, tanquam in Cælo Cælorum, tanquā in Divinæ suæ Beatitudinis quodam seu compendio, seu simulachro, seu profluvio, excessuque. Tenebras revera posuit latibulum suum Deus in hoc Sacramento. Fruitur etiam Deus in hoc arcano, seipso: non tantùm secundùm Divinitatem suam totam, plenitudinemque Divinam, verùm etiam secundùm universam Humanitatem assumptam: cui etiam hîc quoddam esse Divinum communicat: ut etiam quoad corpoream substantiam, indivisibiliter sit totus ubique, & totus, in qualibet specierum parte. Hic est ille multipliciter unus, & uniter (seu salvâ unitate) multiplex. Hic est Deus non tantùm speculum, sed etiam ferculum, ac poculum voluntarium, in quo sumitur ab justis prout ipse vult. In cælo, ducit Sanctos ad vitæ fontes aquarum, hîc in Eucharistiâ ipse fons Vitæ venit ad ora & corda justorum. Ibi dicit, *comedite Amici, & bibite, & inebriamini charissimi*: hîc dicit, *accipite, & manducate: qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Ibi pascit electos visione, hîc manducatione: Ibi Sanctos nunc pascit solâ Divinitate, hîc etiam Humanitate: nam carne & sanguine, meritis & gratiâ: adeò ut quod

Cant. 5.

Sancti

Sancti ex Deitate tantùm, hoc justi ex Humanitate etiam consequantur: scilicet Vitam æternam. Ibi Beati, securi sunt de possessione Dei æternali, hîc justi, ex vi quidem, & naturâ manducationis, quâ Deum sumunt in Sacramento, eo modo, & in eo statu, atque gradu habendi Deum habent: ut eum nec securiùs habere, nec eo intimiùs, secretiùsque frui, nec eum pleniùs possidere, nec absolutiùs comprehendere, quoad substantiam ipsam rei valeant. Nam quo intimiùs abdant recondantque Deum, quàm in ima viscera corporis, & cordis? quàm translati in eius substantiam? quàm cum eo tanquam cera cum aliâ cerâ liquefacta commixti?

3. Admirare, æstima, frequenta, gratulare, hoc Cælum Dei tui & Deo tuo. Revera enim tale est, quod Angeli, quod Beati invident; quod Ecclesia triumphans militanti gratulatur; quo militans triumphanti comparatur: in quo Deus, novo, & miro modo beatificatur: alio scilicet quàm in seipso, alio quam in Beatis, alio quàm in Hypostaticâ unione: Sacramentali nimirum cum Animabus unitione: in quâ cibus, manducantem se, convertit in se, & simul tamen ad omne id, ad quod dignè manducans vult, sese, meliùs quàm manna, convertens.

4. Adi frequenter hoc Cælum: & Deum in hoc Cælo visita: saluta, contemplare, lauda, cum illo morare, colloquere, consulta, conclude: si non potes omnino, & semper corporali præsentiâ, saltem Animi recordatione, & cordis desiderio, atque reverentiâ.

5. Quoties ad locum reconditæ Eucharistiæ accedis, vel visitaturus, vel sacrificaturus, vel communicaturus, ipsimet tibi, vel aliis; taliter accede; ut videaris accedere ad Deitatis sedem, ad locum deliciarum Dei, ad spectaculum consortiumque deliciantis IESU.

6. Exprime in te, quoad licebit, affectûs Beatorum, ut quos illi in Empyreo cælo, hos tu in cælo isto Eucharistico exerceas: iisque ardeas in Deum præsentem tibi, in Sacramento, potissimum à te suscepto, recenterque adhuc in te moranti. 1. Beati in Cælo suo toti sunt in Deum defixi, transformati, deificati: talis & tu in hoc Eucharistico cælo fac evadas, & fias. 2. Beati flagrant Charitate Dei, summi Boni in se, & sibi: ardescas & tu instar Seraphini: cibus enim quo pasceris, ignis est. 3. Beati in seipsis stupent, & quasi extra se positi admirantes hærent in contemplatione Plenitudinis immensæ, & immensitatis plenissimæ Divinæ: fias & tu extra te, præ admiratione plenitudinis Eucharisticæ, in tantum compendium redactæ. 4. Beati securitatem suam non capiunt, eam licet habentes: & tu coram Deo positus, magis etiam Deo pastus, securus quiesce, in requie adeo opulenta. 5. Beatis gaudium est super uno justo ad cælum venientē: ne dubita & tu, gaudium te facere Beatis, te ad Eucharistiam sive salutandam, & adorandam, sive manducandam, sive aliis communicandam, sive in Sacrificio immolandam accedentē. 6. Beati immensâ lætitiâ gestiunt, & gratulationibus diffunduntur, quando numerum Beatorum in cælo crescere vident: & tūc dicunt Animæ illi; ô beata quæ credidisti: vel: Ave Anima, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in Animabus: Consimiliter etiam iidem Beati, videntes Animam justam, Sanctissimo sese Sacramento sive spiritualiter tantùm, sive sacramentaliter simul saginantem, ei adgratulantur. 7. Animam Beatam tota Sanctissima Trinitas amplectitur, intra, absorbet, beatitudine replet, deificat, Animâ vicissim totâ se Deum hauriente, atque dicente, *magnificat Anima mea Dominum*; Pari ratione, Animam Sacramento Eucharistico pastam, vel præsentem, eadem Sanctissima Trinitas, quin & Christi Humanitas amplectitur, & ingreditur, sanctificat, & gratiâ, meritisque replet, de eâ sibi gratulatur, in eâ sibi complacet, coram Beatis de eâ gloriatur, eam Beatorum curæ, protectioni, amori, favoribusque commendat, ostendens sibi gratum, si specialiter à Sanctis foveatur: Inspirat illi fiduciam, Animositatem, modestiam, familiaritatem, reverentiam, charitatem cordialem, & Seraphicam, totamque suo Spiritu replet: Neque Anima, si sapit, officio deest: sed tota quanta quanta est, ingeminat, magnificat, repetit; *Benedictus Dominus*: insonat; *ego autem gaudens gaudebo, & exultabo in DEO IESV meo, quia fecit mihi magna, &c.*

Luc: 1. 46.

Habac: 3. 18.

7. Ad talem Animæ statum, cultu, & fructu Sanctissimi Sacramenti, ut perveniäs adlabora.

PRAXIS.

IESV, qui in Sanctissimo Sacramento, super terram nostram, cælum tibi gratiosum, deliciosum, gloriosumq; constituis; Gratulor tibi cælum hoc, nobis adeo inclinatum: Gratulor & cælo huic te adeo vicinum. O si tecum mi IESV in cælo isto, si

non semper & assiduò, at sæpè, at creberrimè, at studiosissimè morari, & perennare liceat. O beatum, ô dulce, ô Admirabile Cælum Eucharisticum! ô cæna magna, quæ omnibus electis sufficis: quæ totam militantem Ecclesiam reficis! O utinam convivis tuis associer! non est, aut, vix est, quod invideant justi Beatis in cælis, qui hic etiam adeò lautis saginantur epulis, in Eucharisticis cænis,&c.

EXERCITIUM VII.

Christus in Eucharistiâ ut Artifex peritissimus.

1. Statuè te coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: & in eo IESVM Christum DEVM Hominem realiter præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Cogita hic Dominum IESUM esse, ac residere tanquam omniscium Artificē, operatoremque: cupidum, paratumque ex quacunque materiâ, seu massâ, efficere opera, seu *vasa* perfecta, consummata, & omni usui apta *in honorem*. *Rom. 9. 21.*

3. Habes ejus rei luculenta Scripturæ testimonia. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Ipse operatur in nobis, & velle, & perficere pro bonâ suâ voluntate. Sine me nihil potestis facere. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* reficiam si lassi, reficiam si mali facti, reficiam si corrupti, reficiam si infecti, reficiam si imperfecti estis. Atque has ille voces specialiter in Sacramento Eucharistiæ usurpat: quia hujus operationis potissimùm gratiâ, inibi mansionem suam locat. *Io: 1. 2. Philip. 2. 11. Io: 15. 5. Matt. 11. 28.*

4. Cogita ergo, (te, tuos etiam omnes, quin & creaturas quaslibet) esse materiam, massamque planè rudem, informem, nulli usui, nulli operi idoneam, quantùm ex se; sed penitùs indigentem, operæ, & industriæ alienæ (neque ullius alterius præterquam Christi IESU) ad hoc; ut in qualemcunque usum aptetur, accommodeturque.

5. Et sunt quidem complures Artifices, ac operarii, qui se facilè obtrudunt ad operandum, & efficiendum aliquid ex te, & in te: qualis est Caro, Mundus, Diabolus, Amor tuus proprius, concupiscentia mala abstrahens, & illiciens, consuetudo mala, Exemplum pravum: hi tamen, esto se vocent artifices, minimè ij sunt, sed potiùs destructores, & corruptores operum, bene aliàs à manu Dei

A elaboratorum: prout videre est in experimento tam multæ materiæ, quam improbi isti illusores, non in aliquos bonos usus aptificant, sed inferni tantum pabulum, & *vasa in contumeliam* faciunt. *Rom:*

6. Deliberatione opus non est multâ, in cujusnam operarii manus te tradere debeas elaborandum? illud delibera, in quod, & quale opus, in quem etiam usum velis à Christo artifice conformari? vel si hæc deliberatio tibi implexa videtur (uti fermè satis est) remitte illam hujus ipsius Sapientissimi Artificis Voluntati. Projice te in manus ejus, exactissimè omnia operantis Scientiæ, ac Voluntatis:

B & roga, ut ex te, veluti ex informissimâ massâ, artifice suâ dexterâ, effingat, ac elaboret opus, & vas in honorem suum: simulque illud statim, ipse Artifex adhibeat ad illum eundem honoris sui usum, salutis verò tuæ fructum.

7. Si te Artifex tuus conformare volet in vas humiliationis, ac humilitatis, non tantùm sub manu suæ Divinæ Voluntatis, sed etiam sub manu omnis creaturæ, esto contentissimus usu isto, propter amorem Artificis tui, qui Amore tui humiliavit seipsum, & ad formam servi, & ad formam mortui super crucem, &

C ad formam cibi in Sacramento.

8. Si te Artifex tuus elaborare volet in vas Patientiæ, & Crucifixi, & omnimodè afflicti, tribulati, stultificati, amplectere conditionem propter Artificis tui similitudinem, qui pro te factus est victima crucis, & Patientiâ saginatus est.

9. Si te Artifex tuus efformaverit in vas dilectionis, sui, & suorum propter se, ama hunc usum, & totâ capacitate in eum convertere: teque superimpende Amori, & fatigationi, & exinanitioni, ad Exemplar Artificis tui, quod tibi proposuit in toto quidem se, at singularissi-

D mè in Sacratissimo Dilectionis suæ Regno, ac Mari, nempe in Sacramento.

10. Accede quàm creberrimè ad Artificem hunc: eique te ad omnem complacitam ipsi efformationem exhibe: sed exhibe te ipsâ, non solâ voce, aut sterili mente. Ah quoties, & quàm pridem, in artificis hujus manibus versaris, & necdum tamen in opus eo dignum, ei simile, placitumque efformatus es! Nunquid Artificis vitio? Non utique: at tuâ distortâ, rebelli, & ad omnem Christi formam continendam ineptâ, inconstantique voluntate.

11. Denique paciscere, & exhibe, Artifici paratam, atque etiam copiosam, cō-

dignam-

dignamque pro elaboratione tui mercedem: Obedientiæ, ac facilitatis, Exaltationis, Laudis, Gratiarum actionis, Dilectionis, Visitationis, Venerationis, Imitationis, Susceptionis, Tractationis, Perseverantiæ.

PRAXIS.

O Artificũ Solertissime, ac Sapientissime IESV, qui ut salutem nostram, Gloriam verò tuam opereris; in Sanctissimo Sacramento nobiscum præsens manere, atque nostras Animas, Corda, Mentes, Voluntatesque, tibi in materiam industriæ, operationisque tuæ, seligere dignatus es; Ecce ego aliquantula informissimæ massæ portio, tuis manibus me subdo, & objicio: ut facias in me, de me, omne tibi placitum vas, ad omnem Voluntatis tuæ usum, exemplarisque tui normam, & ad tui cordis gustum. Sunt quidem alii Artifices, qui se mihi efformando obtrudunt: sed quæso Domine, ne ego sub ullius eorum redigar potestate. Tu solus fac de me id omne; quod sapientissimæ Arti tuæ placuerit. Ego autem conformatus abs te, & tibi, totum me impendam, ac superimpendam, in mercedem Gloriæ tuæ, Voluntatique tuæ, cum auxilio robustissimæ Gratiæ tuæ.

EXERCITIUM VIII.

Christus in Eucharistiâ Rex ditissimus, Medicusq; optimus.

1. STatue te coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: in eoque JESUM Christum DEUM Hominem præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Cogita hîc Dominum JESUM residere tanquam locupletissimum quendã, ac omnimodis divitiis vallatum Principem, eundemque simul Sapientissimum, ac Peritissimum, piissimumque Medicum, nec non in id unum semper intentum, ut amantium se, venientiumque ad se indigentias, ac infirmitates omnes, munificentiâ, & pietate suâ aboleat, egestates ditet, invaletudines morbosque sanet.

3. Attende ad Divitis hujus munificentissimi voces, quas ille ad omnes loquitur, invitans eos ad se, & ad utendum suâ munificentiâ ac pietate advocans. Nunc enim ait; *Venite ad me qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Nunc verò: *Ego diligentes me diligo; & qui de manè vigilaverit ad me, inveniet me. Mecum sunt divitiæ, & gloriâ, & opes superbæ, & justitia. Melior est fructus meus auro, & lapide ppetioso. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* (Prov: 8.18.)

4. Consimili candore prædicat suam ad medendum promptitudinem ipse, & ejus scriptura. Ipse ait. *Ego veniam & sanabo eum.* (Luc: 7. 7.) De eo dicitur. *Omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam. Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit. Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad IESVM: at ille singulis manus imponens curabat eos.* (Luc: 4. 40.) Denique ipse est, qui ad omnes ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

5. Jam tu esto vir videns paupertatẽ tuam, agnoscens & confitens infirmitatem tuam: quoniam non habitat in te, nec in domo tuâ bonum, sed universa Vanitas, mendicitas, infirmitas, cæcitas, stultitia, præcipitatio, malitia, peccatũ, & denique infinitum inexhaustumque Nihil: Totus es nudus, totus miserabilis, totus malignus, totus morbidus, & ulceribus plusquam ullus Lazarus plenissimus. Insuper captivus es, tum peccati, tum Diaboli, tum malæ tuæ Voluntatis, atque consuetudinis: pabulum etiam utriusque mortis, & inferni inferioris, filius iræ, à DEO refuga, & rejectus: hereditas, & heres perditionis æternæ: Ideoque totus vilis, indignus, abjectus in perditione sepultus.

6. Neque tu solus, aut unus talis, sed universa quoque cognatio tua: universa scilicet generatio humana, nec ad latum unguem à tuæ sortis participatione abscedit. Filii mortis sunt omnes, omnes peccaverunt, omnes reputati sunt in vasa testea, vasa contumeliæ: quasi nihilum, & inane.

7. Ergo ini consilium, coge concilium: quære inopiæ tuæ subsidium, infirmitatibus medicinam, periculis auxilium. Vade, & tu, & Universitas hominũ pergat tecum, ad Divitis IESU magnã Domum, expone tuam propriam, & communem egestatem, revela infirmitatẽ, ostende vulnera & ulcera, confitere malitiam, mendica, exposce, efflagita, à ditissimo liberalitatem, & à piissimo sanitatem.

8. Extende manus ad sumendum, ad hauriendum, ad accipiendum quidquid voles, quidquid usibus tuis profuturum, vel ipse tu senties, vel quod magis ipse judicabit. Dives IESUS, idemque liberalis, dives & pius in omnes, *cujus dona sunt sine pœnitentiâ* apud ipsum, *qui sanat omnes infirmitates, & contritiones tuas in misericordiâ, & coronat in miserationibus, qui omni petenti* (Rom: II. 29; Ps. 102. 3.; Iob: 1. 5.)

tenti se dat, & affluenter dat, nec improperat: Tantummodo accede, sume, & gratus esto.

9. Frequenta, & festina accessum ad Divitem IESUM: neque moram facias accurrere ad fores magni medici IESU: procrastinatione tempus ne perdideris, potiùs illud redime, *& quodcunque potest manus tua operari, instanter operare:* ne fortè pertranseat Iesus benefaciendo & ditando omnem pauperem, & sanando omnem languidum: à te autem transeat subtristis, & subiratus, eò quod non potuisset, negligenter agente te, virtutes ullas facere in te.

Eccl. 9. 10.

10. Amat amari Iesus, sitit sitiri, cupit desiderari: & veluti prægnans beneficentiis laborat, cùm benefacere, ac misereri, hominum socordiâ non sinitur. Sicut fons arescit & perit dum non emanat, abscondens aquas suas à non haurientibus, sic beneficum Iesu ingenium, dum beneficia sua quò effundat non habet, quodammodo sterilescit: non in se quidem ipso, in hominibus tamen: à quibus aufertur Regnum Dei, & misericordia ejus, datur autem genti facienti fructûs ejus.

11. Ama ergo ditari ab IESU: & certò certius tibi persuade, nihil te gratiùs, nihil ad palatum, gustumque diviti Iesu facturum esse magis, quàm si avidissimè, frequentissimè, ac si prævales assiduè, inque singula momenta, ad eum in Sacramento adieris: divitias, & sanitates, de thesauris, & apothecis ejus, tibi, tuis omnibus, totique humano generi haurire curaveris.

12. Recordare quid iste Iesus imperaverit olim servo suo: nunc quidem dicens; *exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Iterum verò; *Exi in vias,* ait, *& sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea,* ut dimanet munificentia mea. Ita ille desiderat, ut omnes fruantur bonis ejus, repleanturque abundantia ejus.

Luc. 1[illegible]

13. Hoc ergo fac, vel unus cum omnibus, vel solus licet, attamen pro omnibus. Plenus est mundus mendicis, plenus languidis; Tu, vel solus, plenus es infinitâ mendicitatum & egestatum, infirmitatum, & calamitatum, cæcitatum, & iniquitatum plebe: imple itaque hâc pauperum turbâ domum Ditissimi, atque Piissimi Iesu, imple etiam hanc turbam opulentiâ bonitatis, & pietatis Iesu.

PRAXIS.

Rex divitiarum, & sanitatum IESV, qui instar fontis, ideo redundas bonis tuis, ut tu & repleas paupertatem, & sanes infirmitatem omnẽ, omnium ad te venientium. Horum ego unus sum, at non solus sum, sed universi hominum populi mecum, tales quoque sunt. Ergò accedimus ad te, totâ mendicitate, totâq; morbositate nostrâ: quantaquanta est, illam ponimus coram te, & illi subsidium mendicamus, à tuâ in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nobis expositâ Charitate. Miserere nostri ô Dives, ô Pie IESV: miserere ô divitiarum, sanitatumq; omnium DEVS IESV: reple paupertatem, & inanitatem nostram, sana infirmitatem, & miseriam nostram omnem: ut omnes, omnium nostrûm dies inveniantur pleni, & firmi de te, pleni & firmi coram te. pleni & firmi propter te, pleni & firmi ipso Te.

EXER-

EXERCITIORUM PARS IX.

Erga Christum Judicem omnium.

EXERCITIUM I.

Christus D. Judex, placandus oratione crebra humili.

Act. 10. 42. 1. C*Hristus constitutus est Iudex vivorum, & mortuorum: cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.*

2. Cor. 5. 10. 2. *Oportet ergo te manifestari ante tribunal ejus: ut recipias prout gessisti in corpore sive bonum sive malum.*

Job. 9. 3. 3. Huic judici DEO, neque tu, neque ullus *respondere poterit unum pro mille* sibi ab eo objiciendis: neque ullomodo in conspectu ejus, & apud Regulam æquitatis ejus, justificandis.

4. Dicet ille quidem Homini: Stemus simul, ut judicemur: narra si quid habes, ut justificeris: cæterum frustra est cum illo judicio contendere, qui etiam *justitias judicat: qui in Angelis etiam reperit pravitatem, coram quo neque stellæ mundæ sunt: & omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ.* (Job. 4. 18. Isa. 64. 6.)

5. Quid ergo faciet homo in peccatis conceptus, & natus, & adultus totus, inveteratusque in sua iniquitate, in cujus vitâ neque momentum reperias innoxium.

6. Quod fecit Sanctus Job. Cujus illa est confessio: *DEUS cujus iræ nemo potest resistere, & sub quo curvantur qui portant orbem: quantus ergo sum ego: ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? qui, etiam si habuero aliquid justum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor.* Et, si impius fuero, væ mihi est: & si justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseriâ. (Job. 9. 13.)

Ps. 37. 2. 7. Hoc faciendum quod fecit & David, cujus est illa oratio: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me. Domine non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

8. Hoc factitatum à tantis Sanctis, atque factitandum esse à nobis peccatoribus, mirabitur nemo; quicunque cogitaverit, quòd *horrendum sit incidere in manus Dei viventis, & judicantis:* quòd stare ante judicem Deum, eique manifestari, ac reddere rationem omnium, singulorumque (Hebr. 10. 31.) A vitæ actæ momentorum, usque ad facta, usque ad dicta, usque ad cogitata otiosa, usque etiam ad omissiones bonorum, usque ad imperfectiones rectè factorum, usque ad occasiones & inspirationes benè agendorum, nec actorum, sit humanæ virtuti prorsus intolerabile: sed oporteat Divinâ vi roborari naturam infirmã, ne magnitudine formidinis extabescat.

9. Vultum certè judicaturi Christi usque adeo Job pertimescebat videre, ut præeligeret in inferno potiùs demergi, neque extrà illum comparere, donec judicantis furor Dei pertransiret: eamque demersionem, adeo licet horribilem, pro- B tectionem sui censeret.

10. Consuesce ergo Anima mea quotidie, imò quantùm fas est, assiduè, deprecari judicem tuum: & mitigare furorem vultûs ejus, precibus, reverentiâ, timore, humilitate, sedulitate, obsecrationum, & obtestationum instantiâ plenissimis.

PRAXIS.

D*Omine IESV Christe, Fili DEI vivi: pone Passionem, crucem, mortem tuam, inter judicium tuum: & Animam meam nunc, & in* C *horâ mortis meæ: & mihi largiri digneris gratiam & misericordiam, vivis & defunctis requiem & veniam: Ecclesiæ tuæ pacem & concordiam: nobis peccatoribus Vitam & gloriam sempiternam. Qui vivis, & regnas, &c.*

EXERCITIUM II.

Christus D. Judex placandus muneribus.

1. C*Hristus constitutus est IUDEX vivorum, & mortuorum: cui omnes Prophetæ te-* D *stimonium perhibent.* Act. 10. 42.

2. Hic cum ad judicandum sive in Vitæ tuæ, sive in mundi totius fine advenerit, placandi sui nullum tempus, nullum spatium nullum modum dabit.

3. Nunc ergo dum hujus tam Vitæ, quàm Mundi tempus decurrit, placandi

illius, & consilium ineundum, & studium exercendum est.

4. Jacob Patriarcha, occursurum sibi fratrem Esau offensum & armatum, formidans: hoc consilium suscepit; *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt: & postea videbo illum.* Major natu frater noster Christus, idemque Iudex omnium, occurret sine dubio nobis in articulo mortis, & in fine mundi, nec aliter quàm offensus & iratus, & omni eum militiâ cæli comitante. Præoccupandus est ergo, & placandus muneribus, adventus, atque occursus ejus. (Gen. 32. 20)

5. Non est autem parcendum, seu parcè agendum cum fratre isto, natu maximo, atque dignissimo: sed ad pecorum greges, etiam filii, etiam uxores, etiam dilecta omnia addenda sunt: *talibus enim hostiis promeretur DEVS,* & frater noster, eis redditur placatus, omniumque offensarum obliviscitur. (Hebr. 13. 16)

6. Idem Iacob senex, expediens filios suos repetito in Ægyptum, ubi dominabatur Vir (Ioseph) parum beneuolus, ut videbatur, fratribus suis, sic eos alloquutus est. *Si sic necesse est, facite quod vultis. Sumite de optimis terræ fructibus in Vasis vestris, & deferte Viro munera: sed & fratrem vestrum minorem tollite, & ite ad Virum. DEVS autem meus omnipotens, faciat vobis eum placabilem.* Sic faciat omnis anima, sic faciat Anima mea: & omnibus diebus vitæ suæ, satagat placabilem sibi facere Dominum IESUM Christum Iudicem, *venturum judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.* (Gen. 43. 11)

7. Hæc quoque fuit prudentia Abigail Matronæ, uxoris Nabal: quæ sentiens merito offensum, & ad vindictam festinum Davidem, provocatum aspero responso stulti Viri sui: festinavit occurreer illi cum opportunis muneribus, sapientissimâque oratione, & supplicatione eum delinivit, atque placavit: adeo ut David ipse delectatus fuerit placatione illius valde opportunâ, dixeritque ad illam. *Benedictus Dominus DEVS Israel, qui misit te hodie in occursum meum: & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem: & ulciscerer me manu meâ.* (1. Reg. 25. 32.)

8. Sic & Dominus noster IESUS Christus, antequam veniat hora Iudicii ejus, gaudet occurri sibi, obsistique furori iræ suæ, & poni murum, ac saltem sepem, ne mucro ejus ad usque internecionem desæviat in impios. Quoniam non gaudet Dominus super impiorum perditione, sed ut magis convertantur à viis suis, & vivant in misericordiâ ejus.

A 9. Offerenda sunt igitur Domino munera placationis: quibus ille libenter placatur, & parcit iræ suæ. Ejusmodi est Munus Cordis contriti atque humiliati; Munus Sacramentalis pænitentiæ, atque fructuum eâ dignorum: Munus Eleemosynarum, quibus redimuntur peccata, & extinguitur ignis vindictæ Dei, paratus in exterminium: Munus etiam afflictionis externæ per jejunia, castigationes, vigilias. Super omnia verò ista, Munus Sacrosancti Sacrificii: Munus quoque Zeli Animarum, & extractionis earum à peccatis, & à potestate dæmonum. Munus denique condonationis injuriarum acceptarum; dilectionis inimicorum, & beneficentiæ exhibitæ, cumulatæque super caput malefactorum, & malè nobis affectorum. B

10. Istiusmodi munera nunquam excidant de manibus tuis, si cupis nec apparere in conspectu Domini, atque judicis tui, vacuus; nec obtinendæ apud judicem veniæ inopportunus; manet enim sententia Domini; *Dimittite, & dimittetur vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos. Vt sitis filii Patris vestri, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Vide infra Exerc: 4. &c. (Mat.) C

PRAXIS.

FAc nos quæsumus Domine IESV Christe, Iudex vivorum & mortuorum future, judicium tuum prævenire muneribus tibi gratis: ut eorum exhibitione opportunâ placatus, misericordiæ tuæ potius, in vitâ, & morte, patrocinus sublevemur, quam suppliciis æternis deputemur. Qui vivis, &c.

EXERCITIUM III.
Christus Judex placandus Judicio nostri prævio.

D

1. *DOminus noster IESVS Christus constitutus est à DEO, Iudex vivorum, & mortuorum: cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.* (Act. 10.)

2. Hic, ut placatus in horâ judicii nostri à nobis inveniatur, imò ut etiam in nobis non inveniat quod judicet, placandus, aut potiùs præoccupandus est à nobis, nostri ipsorum dijudicatione prævia.

3. Consilium hoc & modum placandi Iudicem nostrum, disertè tradidit Apostolus Domini dicens; *Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur.* (1. Cor. 11. 31.)

4. Hoc

4. Hoc Consilio usi sunt passim sancti cum optimo successu: Usus est Beatus Iob: cujus sunt illa verba. *Quis mihi tribuat, ut cognoscam, & inveniam DEVM, & veniam usq; ad solium ejus? ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus, ut sciam verba quæ mihi respondeat: & intelligam, quid loquatur mihi.* Quibus verbis Sanctus Vir, & optat & statuit, sese judicare coram DEO in hac vitâ, ne in morte, vel post mortem judicetur à DEO: & præterea modum praximque hujus Iudicii, à nobis, de nobis faciendi, suggerit: & insuper fructum, sive affectum hujus prævii judicii sui subindicat, illum ipsum; quem supra Paulus indicavit: de quo fructu idẽ Job alibi sic affirmat: *Iudicare coram DEO: & expecta eum:* ut scilicet te absolvat, quoniam non punit, neque judicat DEus bis in idipsum: neque *consurget tribulatio duplex à Domino.*

[Margin: 23. 3. — 25. 14. — ...um: 1. 9]

5. David quoque hunc sui judicandi modum usumque & ipse habuit, & nobis proposuit, & fructum simul commendavit. *Feci judicium, & justitiam Domine: non tradas me calumniantibus me:* & alibi. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti iniquitatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Idem facit in psalmo illo suæ pænitentiæ pleno, cùm sic orat. *Miserere mei DEVS, secundùm magnam misericordiam tuam,* &c. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, &c.*

[Margin: 118. 121. — Psal. 50.]

6. Similibus exemplis abundat Sacra Scriptura, potissimùm in Prophetis: sed ille etiam Evangelicus publicanus, norma esse potest hujus tum judicii, tum accusationis sui coram DEO, tum obtentionis veniæ à DEO.

[Margin: 18. 13.]

7. Sit ergo tibi inter familiaria, & statа, & feria exercitia, praxis hujus judicii tui ipsius, quo Iudicium Divinum, tecum ab eo alioqui faciendum, ita prævenias; ut simul etiam præpedias, atque aboleas. Hac vel simili methodo.

8. Reduc 1. Teipsum ad te totũ quantus quantus es: & adduc ad tribunal Dei veluti judicantis, aut judicium tui apparantis, sive expectantis. 2. Produc teipsum in medium coram Deo, & coram Universâ militiâ Sanctorum ejus. 3. Cogitatio & memoria tua, recenseat, & accuset, seu objectet tibi omnia peccata tua. 4. Conscientia tua veluti convicta, fateatur facta omnino esse. 5. Suffundatur pudore vultus tuus, & confusio cooperiat faciem tuam. 6. Declinent præ verecundiâ in terram fixi oculi, instar Publicani. 7. Ratio præstet officium judicis, te ad pænam promeritam damnans. 8. Timor erit compedum instar. 9. Dolor, & Detestatio veluti carnifex: cor, & voluntatem cruciabit, & conteret. 10. Lachrymæ, gemitus, tunsiones pectoris, genuflexiones, incurvationes, manuum extensiones, ac elevationes, sint pro sanguine. 11. Proposita efficacia, & firma satisfaciendi, sint loco executionis, ac emendationis, suo tempore, & absque dilatione præstandæ. 12. His peractis; sententiam tuam, à te contra te latam DEO per manus Angeli tui custodis offeres. 13. Interim misericordiam, & indulgentiam ab eo postulabis. 14. Et ad eam efficaciùs obtinendam, exercebis aliqua opera pia, quibus venia ex Ecclesiæ thesauro adjuncta sit. 15. Allegabis, & aliquos titulos, ob quos tui misereri, tibique parcere Dominus debeat, &c.

9. Poteris hoc prævium Iudicium tui, sic quoque instituere: ut statuens te coram Iudice Christo Domino, in Solio judicii residente, tanquam Salomone Rege sapientissimo, ac justissimo, audias ab eo enumerationem, atque etiam discussionem omnium tuorum cogitatuum, dictorum, commissorum, seu operum, omissionum, imperfectionum: Tunc advertes evidenter, quia nullus pænè, aut planè actus tuus, est mundus à sorde: & quia quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ tuæ: ceciderunt quasi folium universæ: & iniquitates tuæ quasi ventus abstulerunt te, neque stare coram judice filio Hominis sinunt: tunc etiam advertes, qualis de te proferri debeat à judice justissimo sententia, & simul quæ te maneat pro omnibus pæna. Hìc etiam intelliges quomodo, etsi tibi innocens videaris, revera tamen innocens non sis: quomodo etsi tibi nihil (fortè) conscius sis, in hoc tamen justificatus non sis, quando qui te judicat Dominus est: cujus oculi, super solem, multò lucidiores sunt, considerantes vias hominum in abscondіtas partes: tunc etiam oculis tuis videbis, quomodo ostendet tibi DEUS Iudex, *quantas habeas iniquitates & pecata:* & quod ne momentum quidem vitæ tuæ immune sit à sorde: & quòd sicut in sacculo adnumeratas habeat DEUS iniquitates, immunditiasque tuas. Hìc demũ circumspicies, quid te oporteat in præsenti statu, & vitâ facere? quàm non altum sapere, sed timere: quàm oblivisci prate-

[Margin: Iob. 13. 23.]

præteritorum, & quæ retro sunt, extendi verò ad ea quæ sunt priora: quomodo oporteat te æmulari Charismata meliora: quomodo dicere, & facere oporteat te il ud Davidicum, *ego dixi; nunc cœpi*: quomodo eiusdem Davidis spiritu & conatu, vocifereris in auribus DEI; *Peccavi Domine: peccavi Domine, & malum coram te feci: parce peccatis meis, & dimitte universa delicta mea.* Si hoc qualecunque ac imaginarium tantùm judicium DEI de te factum, coangustabit te: quid putas faciet illud verum, illud in re ipsâ peractum: sed imaginarii judicii experientia devota, salutem, & pœnitentiam operatur: illud autem reale & verum, æternæ damnationis initium, imò & damnatione ipsâ gravius est.

Ps. 76. 11.

10. Ergo dum tempus habemus operemur opera salutis: reducamus nobis DEUM judicem crebrò in memoriam; ponamus, nunc quidem nostrum de nobis judicium coram ipso: nunc verò nos ipsos coram judicio ejus: aliquando ille nostrum de nobis contra nos judicium decretumque audiat: aliquando autem nos illius de nobis judicium exposcamus, audiamus, pertractemus. Verè enim dictum est, a Magno Gregorio. *Sæpè meliùs scrutamur conscientiam nostram orando, quàm inquirendo.*

PRAXIS.

Peccavi DEUS meus, & Pater meus: in cœlum, & coram te. Peccavi tibi soli, & malum coram te feci. Peccavi contra Te DEUM trinum & unum. Contra te Patrem æternum, qui me de nihilo creasti. Contra te Fili DEI, qui me sanguine tuo redemisti: contra te Sanctiss. Spiritus, qui me in Baptismo sanctificasti. Contra te Sanctissima Trinitas, quæ mihi tuam imaginem impressisti, & tibi in me habitaculum delegisti. Peccavi DEUS meus contra tuam dignitatem, ob quam infinitè amandus, æstimandus, appretiandusq; fuisti. Peccavi contra tuam Bonitatem, quâ te impendisti ad mihi benè jugiter faciendum. Peccavi contra tuam Charitatem, quâ me gratis dilexisti. Peccavi contra tuam Misericordiam, quâ mihi piissime, peccatorum millies millena millia, remisisti. Peccavi contra omnipotentiam tuam, quâ me juvando, mihi cooperaris in omnibus quæ facio. Peccavi contra Perfectiones tuas, eas conculcando, ut meam sequerer, & implerem perversam Voluntatem. Peccavi contra Te DEUM meum, Patrem meum, Regem meum, conditorem, ac Dominum meum, Pastorem & Rectorem meum, Magistrum meum, Protectorem, Benefactorem, Redemptorem meum: omne, summum, ultimum Bonum meum. Peccavi contra beneficia tua, quæ mihi summo Amore contulisti. Et hoc nomine; peccavi etiam in Cælum, quod me illuminat, in terram quæ me sustinet, & alit, in omnes creaturas, quæ mihi jubente Te serviunt: in Sanctos Angelos, qui me custodiunt: in Proximos meos, qui mecum communionem Naturæ atq; Gratiæ habent: in Corpus, & Animam meam, quæ à te DEO meo condita, & mihi in usum donata sunt. Peccavi in ipsum lumen Rationis, atq; Fidei, cui rebellis fui. Peccavi in Gratiam tuam, quam impedivi, destruxi, perdidi: in Spiritûs Sancti dona, quæ abjeci, in Virtutes, quas delevi, aut inquinavi. Et in his tibi DEO meo Soli peccavi: quia istæ injuriæ, Tuæ sunt injuriæ, Neque solùm contra te peccavi, sed etiam coram te, ô Domine DEUS meus. Peccavi coram tuâ Sapientiâ, quæ me aspiciebat. Coram Charitate, quæ mihi indulgebat. Coram liberalitate, quæ me ditabat: coram ipsâ omnipotentia, quæ me, ut Prima Causa, in peccaminosis operibus (non tamen in peccatis) adjuvabat: quo factum est, ut non tantum contra te, non solùm coram te, sed etiam ipso Te peccaverim, & ipsum Te in peccatis laborare fecerim. O me cæcitate ipsâ magis cæcum: atque ipsâ perversitate magis perversum: qui non attendi contra quem, coram quo, & per quem peccabam! O DEUS, ô Pater æterne, jam non sum dignus vocari filius tuus: non sum ipso Nomine Hominis, ipso esse, quod habeo dignus: siquidem peccavi in te, qui illud mihi dedisti. Mallem, DEUS meus, mallem & malo, millies non esse, quàm te offendisse quam te vel unico peccato amplius offendere. Parce Domine, & dimitte quod feci: contra te, & coram te, ut elucescat infinita bonitas, & inexhausta misericordia tua, tot tantarum injuriarum millia condonando, & me à tantâ miseriâ liberando. Parce Domine servo, propter quē non pepercisti Filio. Parce ingrato, cui propter me Filius factus est gratiosus & gratus. Accepta pœnam, & mortem, quam luit Filius, pro abolendâ eâ, quam ego merueram, & in æternum luiturus eram, tam vilis, quàm nequam servus tuus. Tunc ego te DEUS meus in æternum laudabo, & misericordias tuas in æternum cantabo, &c.

EXERCITIUM IV.

Christus Iudex placandus neminem judicando, censurando, condemnando.

1. DOminus noster IESUS Christus: constitutus est à DEO judex vivorum, & mortuorum; cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.

Act. 10.

2. Omnes ergo nos manifestari oportet ante tribunal Christi: ut reddamus rationem

tionem ei de omni cogitatu, & facto, & verbo otioso, quodcunque locuti fuerimus in hâc vitâ: & ut recipiat unusquisque à Christo, prout gessit in proprio Corpore, sive bonum, sive malum.

3. Contra hoc Iudicium Christi decretorium, ac finale, non est Consilium, non Sapientia, non fortitudo, non scientia, non dignitas, non majestas, non fraus, nó dolus, non fuga, non latebra, non ullum Privilegium aut substitutio, aut exceptio, aut condonatio. Sed omnis status, omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, omnis dignitas, magnus atque pusillus quisque, comparebit in propriâ suâ personâ: & unusquisque proprium suum onus portabit, uniuscujusque liber vitæ atque conscientiæ cum omnibus arcanis arcanissimis, in luce & Oculis Dei, & Angelorum, & Hominum & Dæmonum erit: omniumque censuram subibit, nullâ sese abscondente actionum circumstantiâ, & conditione, nullâ non subeunte æquissimam, exactissimamque ponderationem.

4. Propterea illud tempus Iudicii vocatur à Prophetis, Dies Iræ, Dies calamitatis, dies miseriæ. Dies amara valde, dies furoris Domini. Dies vindictæ, in quâ omnis fortis tribulabitur, & omnis sapientia devorabitur, & omnis superbia confundetur, & omnia abscondita revelabuntur.

5. His tamen omnibus ita se habentibus, reliquit piissima Bonitas atque Misericordia Dei, Creaturis suis, hoc est, misellis hominibus, vias, & modos, quibus non solùm lenire, ac mitigare (quod satis superque multum & magnum esset) rigidissimam exactionem Iudicii Divini: sive illius; quod singulariter cum singulis in Articulo mortis peragit Christus: sive illius; quod universaliter cum omnibus, simul tamen cum singulis, in fine Mundi peraget idem Dominus, & Deus Homo IESUS: verùm etiam præoccupare, atque illud excludere, & efficaciam ei præripere, aditumque, & jus adimere liceat.

6. Quod non inventum, neque pium aliquod Meditamentum hominum, sed ipsiusmet Dei-Hominis, ipsiusmet Veritatis; ipsiusmet Iudicis assertum, & promissum est. Ipse enim Iudex, & ipsa simul Veritas est, ille, qui tam affirmatè dicit: *Nolite judicare: & non judicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini: In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Et in quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.*

Luc. 6. 38.

Luc. 6. 38.

7. Quid his clariùs, quid affirmatiùs, quid optabiliùs, Iudicium illud, extremè decretorium subituris, dici potuit? Quod nisi ipsa Veritas, & simul Iudex diceret, vix fidem inveniret, vix invenire deberet. Et tamen qui hæc dicit, Veritas Iudex est.

8. Duo ergo patent nobis Iudicis placandi, imo & judicii evitandi Modi, ac Viæ. 1. Neminem Iudicare. 2. Neminem condemnare. Hæc qui facit, à Iudicio Christi, ipso stipulatore Christo, exceptus, atque exemptus est.

9. En quanta facilitas, quàm in Manibus cujusque nostrûm posita est facultas declinandi, evadendique Divinum Iudicium! Si humana temeritas, nolit, vel oblivisci, vel contemnere hanc facilitatem, atque facultatem. Iudex est ipse, qui affirmat, & promittit omni neminem Iudicanti, neminemque Condemnanti, immunitatem à suo Iudicio. Et credit hoc, confiteturque Veritatis Iudicis dictum ac promissum, negligit tamen, & contemnit, & insuper, ac sus deque habet, humana ingratitudo, atque temeritas.

10. Quid vobis faciat ultra, aut ampliùs, Clementia Divina ô Mortales! Tantine vobis est rigor ille rigorosissimus Iudicii Divini, ut pluris vobis, & vestræ libidini sit, Iudicare proximum, censurare, condemnare, & ob id intolerabile Iudicium subire, quàm abstinendo ab aliorum Iudiciis ac Censuris, & interea à vestro coram Christi Iudicio immunes evadere, atque salutis æternæ possessionem pænè gratuitò adire?

11. Aut ergo negate, atque non credite Verbum Iudicis Veritatis, promittentis non judicantibus alios, non Iudicium suum: aut si ita lubet; in alios usurpare judicium iniquum, lubeat etiam subire judicium Dei, sine Misericordiâ severissimum.

PRAXIS.

Domine IESV Christe, Iudex Vivorum & Mortuorum à DEO Patre constitute, qui ad declinandum quantumvis indeclinabile Iudicium tuum, facilem, apertamque viam nobis reliquisti, & ostendisti; si nimirum neminem proximorum nostrorum, inique judicare, censurare, & condemnare præsumamus. Da quæsumus nobis per gratiam, misericordiamque tuam, ita benigno, & mansueto corde, animoque semper abundare; ut proximorum nostrorum, neminem in suâ Vitâ, in factis, moribus, intentionibus, ullisque aliis circumstantiis, dijudicare, atq; multò minus condemnare, ad aliosvé proximos traducere audeamus.

EXERCITIUM V.

Christus Judex placandus Debitorum Condonatione.

Act. 10. 42.

DOminus noster IESVS Christus constitutus est à DEO Iudex vivorum & Mortuorum: cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.

2. Proinde, quicunque Hominum, sese, aut viventibus, aut mortuis accenset, idem ut se judicandis à Domino JESU Christo accenseat necesse est.

3. Excipit tamen Divina Iudicis Christi benignitas ab isto censu nonnullos, quos, nisi nolint ipsi, immunes esse, ac fore, à sui severitate, periculositateque Iudicii pronuntiat.

4. Hujus pronuntiationis tenor, tam familiaris, quàm graphicus, explicatusque est Domino nostro: ut ferè vix aliud quidquam suorum documentorum, præceptorumque, crebriùs, diligentiùs, efficaciùsque fidelibus suis suadere, edicere, præcipere studuerit.

5. Probaturus Dominus, non se venisse, ut solveret legem, sed potiùs ut perficeret, atque impleret; demonstravit hoc variis exemplis, præceptisque, & Consiliis constitutis: ac in his etiam dixit, atque dixit hunc in Modum; *Audistis; quia dictum est; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis; Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus, ac calumniantibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Hîc Dominus, inimicorum dilectioni atque injuriarum condonationi promittit sortem filiorum DEI. Optando utique Privilegio, atque præmio: iis congruo; qui indolem Patris cælestis referunt, Facientis solem suum oriri super bonos & malos, &c.

Mat. 5. 44.

6. Rursum autem eidem amori inimicorum, atque condonationi debitorum, seu injuriarum, offensarumque, idem Dominus noster promittit vicissim dandam à DEO remissionem peccatorum. Sic enim nos precari DEUM pro obtinendâ ab ipso veniâ peccatorum, seu debitorum nostrorum jubet; *Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* & addit mox; *Si enim dimiseritis hominibus: peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Grande prorsus etiam hoc privilegium, atque præmium condonationis offensarum, atque dilectionis inimicorum: ut

Mat. 6. 14.

A pote à cujus vel præsentiâ, vel absentiâ in nobis, dependere velit Pater noster cælestis, remissionem, vel retentionem peccatorum nostrorum.

7. Sed addit adhuc Dominus aliquid; quo remissionem injuriarum, & vindictæ oblivionem, inimicorumque dilectionẽ, non minùs, quàm per supradicta, nobis commendat. Cùm enim dixisset, *nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini:* statim subjecit; *Dimittite & dimittemini: date & dabitur vobis:* quod idem est, ac dicere; Dimittite hominibus, & dimittemini à Deo: date

B veniam hominibus, & dabitur vobis venia à Deo: *eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis:* quin imò *mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

Luc. 6.

8. Ex his omnibus clarè sequitur; condonationem offensarum, depositionẽ vindictarum, dilectionem inimicorum, atque persecutorum, esse præsentissimum efficacissimumque medium emolliendi severissimum judicium, quinimo & evadendi illud ipsum, atque placabilem, & benignũ reddendi etiam judicem ipsum Christum. Impossibile est enim non stare firmam ejus promissionem; *Dimittite.*

C *& dimittemini.*

9. Quicunque ergo judicem Christũ, ejusque judicii severitatem timemus: ac sanè omnes meritò, ac etiam plusquam meritò timere debemus: (*in multis enim offendimus,* & judicem nostrum exasperavimus *omnes*:) apprehendamus hanc Domini judicisque ipsius sententiam. Dimittamus ex corde debitoribus nostris debita eorum singula atque omnia: ut etiam judex noster dimittat nobis debita nostra, pariter singula & omnia: ut possimus fidenter iudici nostro dicere; Fecimus Domine quod jussisti, fac & tu

Iac. 3.

D quod ex pietate tuâ promisisti.

PRAXIS.

DOmine IESV Christe, judex vivorum atque mortuorum in futuro, pacis autem, & charitatis amator, & custos in præsenti: da omnibus inimicis nostris, pro quibus tuam deprecamur clementiam, & quibus omnem propter te condonamus ex cordibus nostris offensam, pacem, charitatemque veram: & tam illis, quàm nobis, cunctorum remissionem tribue peccatorum: nosque ab eorum insidiis potenter eripe: & in tui formidabilis judicii die, nostri misericordissimâ tuâ pietate miserere. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. DEVS &c.

EXER-

EXERCITIUM VI.

Christus Iudex placandus voluntariâ expiatione peccatorum.

A

DOminus noster IESUS *Christus constitutus est à DEO, judex vivorum & mortuorum, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.* (Act. 10. 42.)

2. In hoc judicio suo Dominus ac Judex noster, reddet unicuique secundùm opera sua, quæ gessit in corpore isto: seu in hujus vitæ mortalis decursu.

3. In hujus judicii die tribulabitur omnis fortis: omnis *oculus superbus humiliabitur, omne consilium* à sapiente recedet, & omnis gloria gloriosi *viri erit quasi stercus*, & omnis cythara, & tibia, & canticum voluptatis vertetur in luctum, & mærorem, & tristitiam. *Tunc quantum quisq; glorificavit se in deliciis*, tantum dabunt ei tormentum & luctum. Sed super ista omnia, horribilis erit tum, vultus unus Iudicis Dei, atque inenarrabilis intolerabilisque forma, & rigor examinis, ac judicii eius. (Is. 17. 28. Mat. 2. 62. Apoc. 18. 7.)

B

4. Tunc omnis pax, & spes, & fiducia, & consolatio, recedet ab impiis quibuscunque: tunc clamabunt *montibus, cadite super nos, & collibus operite nos*: si quomodo effugiant à facie iræ Agni. Tunc *justus vix salvabitur*: vix opera plena, opera salutis, opera approbationis invenientur in eo: *impius autem & peccator ubi quæso erunt, aut ubi parebunt?* Tunc Judex atque simul vindex Deus justitias judicabit: & *colabit justos, sicut colari solet aurum: scrutabitur in lucernis etiam Hierusalem*: & quid cum Babylone fiet? (Luc. 23. 30. 1. Pet. 4. 18. Mal. 3. 2.)

C

5. Et quid multa? *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, Dei omnia cernentis, Dei omnia scrutantis, Dei ex omnibus rationem exigentis, Dei omnia dijudicantis, Dei extremum super omnia, singulaque Decretum ferentis, atque statuentis. Decretum quod nunquam immutabitur, decretum cui nemo reiragabitur, decretum cujus executrix erit justitia æternùm vindicans. (Hebr. 10. 31.)

D

6. Et estnè aliquod homini misero hac in Vitâ (nam in futurâ est nullum) vel subsidium, vel solatium? Est utique: neque enim Deus, noster, cujus natura bonitas, & qui non gaudet super perditione nostrâ: reliquit nos absque misericordiâ suâ, dummodo illa apud homines non sit in neglectu, & non corrumpatur cordis illorum duritiâ, & impœnitentiâ.

7. Verbo; *Faciamus fructus dignos pœnitentiæ*, & voluntariâ corporum animorumque nostrorum castigatione nostras iniquitates cohibeamus, restringamusque: ut simul etiam iram venturam judicis nostri restinguamus, & punitione punitionem prævertamus. DEVS enim noster nô punit bis in idipsû, & non prodit ab illo duplex vindicta, aut tribulatio. Quare quidquid ille invenerit à nobis in nobis discussum, dijudicatum, reprehensum, condemnatum, castigatum, punitumque: super hoc non ampliùs adducet vindictam suam, neque consurget ab eo *duplex tribulatio.* (Luc. 3. 8. Nah. 1. 9.)

8. Ita suadebat olim Deus per Prophetas: suadet nunc quoque per servos suos: ut nimirum omnes ubique pænitentiam agant, & à superventurâ irâ fugiant: & convertantur ad Dominum DEUM suum, à viis suis pessimis, in jeiuniis, & vigiliis, & planctu: in amaritudine, in cinere, in cilicio, & sacco: in lachrymis, & fletu, & contrito, atque humiliato corde: in patientiâ, in castitate, in sobrietate, & orationibus, atque postulationibus, in gemitu, & clamore cordis, & prostratione atque humiliatione multâ coram Deo.

9. Sic faciebat David: qui lachrymas suas faciebat sibi panem diebus, atque noctibus, qui potum suum cum fletû miscebat: *cujus genua infirmata sunt ab jejunio*: qui *cinerem tanquam panem manducabat*: qui *singulas per noctes lachrymis suis rigavit & lavit lectum suum.* (Ps. 108. 24. Ps. 101. 10. Psal. 6. 7.)

10. Sic faciebat & Paulus: cuius illa ēst de semetipso confessio, simul autem & nostra ex ipso instructio: ait ergo; *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui enim judicat me, Dominus est. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno nô quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Sic, universim loquendo, fecere omnes quotquot seriò salvi esse voluerunt: qui ex hac vitâ quoad prævalebant, exire sine omni obligatione tam culpæ quàm pœnæ coram Deo suo, ad judicium eiusdem migrare studuerunt. (1. Cor. 4. 4.)

11. Itidem & nos; quicunque salvari, & judicium misericors, atque mitius sustinere post mortem volumus, *Mortificationem Domini nostri IESV Christi, tam in corporibus*, quàm in Animabus nostris jugiter *circumferamus.* Sive tribulamur à Deo ipso ita volente; sive à creatura quacunque, Deo permittente; omnia sustinea- (2. Cor. 4. 10.)

ſtineamus: non tantùm patienter, & æquanimiter, ſed etiam hilariter, atque gaudenter. Subeamus inſuper ipſi voluntarias afflictiones tum corporis & membrorum, tum Animæ & concupiſcentiarum atque paſſionum ejus: ut mortificatos nos inveniens Iudex noſter, non inveniat in nobis quod vindicet, ac puniat; inveniat autem quod condonet, atq; coronet; ſiquidem *patientia* & *pœnitentia opus perfectum habet*: eſtque edictum Domini; ut *in patientiâ noſtrâ poſſideamus Animas noſtras*.

Iac. 1. 4.
Luc. 21. 19.

PRAXIS.

DOmine IESV Chriſte, juſte ac ſupreme Iudex, omnisq; ultionis Domine, te ego minimus ſervorum, at maximus debitorum, reorumq; tuorum; ſervus; oro, atq; obſecro, ut facias mihi donum piiſſimæ remiſſionis, ante diem ſtrictiſſimæ rationis. Propter hoc enim, & caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo animam meam, mortifico membra mea quæ ſunt ſuper terram, & animam meam in manibus meis ſemper cuſtodio, ſubjicio etiam me paternis flagellis tuis, & non minus mala quã bona, gratanter ſuſcipio de manibus tuis, ut hic ad plenum caſtigentur, expienturq; peccata mea, caſtificeturque cor meum, & nihil inveniat in me Vindex ira tua, quod jure ſeveritatis ſuæ puniat: inveniat verò miſericordiſſima Bonitas tua, quod clementer abſtergat, & liberaliter remuneret. Placet Domine, placet hic uri, hic ſecari, hic expiari, hic emundari, ut ibi parcas, in æternum abſolvas, in æternum ſalves.

EXERCITIUM VII.

Chriſtus Judex placandus Miſericordiâ.

1. DOminus noſter IESVS *Chriſtus*, *conſtitutus eſt à DEO Iudex vivorum, & Mortuorum: cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.*

Act. 10. 42.

2. Perhibuit quoque idem Teſtimonium & ipſe ſibi, quando hoſtibus ſuis diſerte affirmavit: *Verum tamen, dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris Virtutis DEI, & venientem in nubibus cæli.* Atque iterum diſcipulis ſuis ait; *Filius hominis venturus eſt in gloriâ Patris ſui, cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.*

Mat. 26. 64
Mat. 16. 27

3. Eundem Iudicem Chriſtum prædicavit & indicavit Iudæis Joannes Baptiſta, dicens illis de Chriſto, hæc inter alia: *Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt: cujus non ſum dignus calceamenta portare: cujus ventilabrum in Manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.*

Mat. 3. 11.
Luc. 3. 16.

4. Hujus Iudicis, & Animi & Iudicii rigor, ſpecialiſſime mitigatur, quin & evitatur, Miſericordiæ, & Eleemoſynæ operibus. De quo cùm paſſim ſcripturæ ſacræ atteſtantur, tum verò ab ipſiusmet Iudicis Ore hoc aſſertum habemus valde luculenter. Sic enim ait; *Cum autem venerit Filius hominis in Maieſtate ſuâ, & omnes Angeli cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ad eum omnes gentes. Et ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis. Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum, à conſtitutione Mundi. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare &c. Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex his minimis fratribus meis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt; Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare. &c. Amen dico vobis, quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.*

Mat. 25.

5. Hic Dominus Imaginem Iudicii ſui planè expoſuit omnibus intuendam: expoſuit etiam Iudicii formam, & decurſum: expoſuit inſuper & ejus clauſulam: ſed quod maxime attendendum eſt, expoſuit cauſam Miſericordis & Implacabilis Iudicii ſui, videlicet, exercita, vel neglecta, in egenos opera Miſericordiæ. Et indicavit veriſſime dictum eſſe illud ſuum; *Verùm tamen, quod ſupereſt, date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Itéq; illud; *Iudicium ſine miſericordiâ ei, qui non fecerit miſericordiam.*

Luc. 11.

6. Ne quis autem Pauperes Chriſti Voluntarios, quos Religioſos dicimus putet excluſos eſſe ab hac fortuna Miſericordium à Domino indicata: ſciendum eſt, non tantùm excluſos non eſſe, ſed in tantùm ſecuros eſſe de benignitate Iudicis Chriſti erga ſe: ut etiam ſupra omnem ſortem, futuri ſint aſſeſſores Iudicis, atq; ſimul cum eo reliquorum futuros eſſe Judices. Sic enim ipſe Dominus, tum affirmavit, tum promiſit, dicens his, qui propter ſe omnibus relictis, ipſum ſecuti fuerant; *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit Filius Hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, ſuper ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Quis ſatis æſtimet hanc

Mat. 19.

met hanc felicitatem Pauperum Christi: qui in Iudicio Christi, non solùm ipsi de seipsis securi, verùm etiam Assessores Iudicantis & aliorum reliquorum Iudices sunt futuri?

7. At hoc si cui arduum videtur, relinquere scilicet omnia propter Christũ, & sic nudatum omnibus sequi Christum; apprehendat saltem misericordiam, & exerceat opera ejus quantùm potest: ut veniat super eum illa Dominica beatitudo; *Beati Misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Et illa etiam Davidica: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

[Marginal notes: ...at. 5. 7. / ...s. 40. 2.]

PRAXIS.

Domine IESV Christe: qui de Cælis ad terram de sinu Patris, misericordiâ deducente descendisti, & Sanguinem tuum pretiosum, in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: nobisq; per amorem, ac frequentationem operum Misericordiæ, in Nomine tuo exercitorum, accessum ad Misericordiam tuam patere fecisti; & insuper omnibus his, qui relictis suis omnibus, te pauperem pauperes secuti essent, consessum tecum in Iudicio tuo promisisti; te humiliter deprecamur, ut in die Iudicii tui, ad dexteram tuam audire mereamur, venite Benedicti: Qui vivis, &c.

LITANIA
Seu
CORONA
Ad Christum D. Judicem placandum.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe Iudex audi nos. Christe Iudex exaudi nos.
Pater Iudicis nostri DEUS. *Miserere.*
Fili Iudex mundi DEUS.
Spiritus sancte Iudicis nostri, DEUS.
Sancta Trinitas, in Christo Iudex Mundi, unus DEUS.
IESU Iudex vivorum & mortuorum.
IESU constitute à DEO judex omnium.
IESU in quo statuit DEUS judicare mundum.
IESU venture ad Iudicium nostrum in nubibus cæli.
IESU venture ad Iudicium cum virtute, & potestate.
IESU venture ad Iudicium cum Angelis sanctis.

A IESU venture ad Iudicium cum gloriâ, & Majestate.
IESU qui resuscitare Iudicandos, mittes Angelos cum tubâ.
IESU ad cujus judicium congregabuntur omnes gentes. *Miserere nobis.*
IESU ad cujus tribunal omnes nos manifestari oportet.
IESU à cujus judicantis facie, fugiet terra, & cælum.
IESU à cujus vultu, impii volent montibus & collibus obrui.
IESU qui in tuo judicio, separabis Oves, ab Hædis.
B IESU cui ad Iudicium venienti, Electorum electi, rapientur obviam in Aëra.
IESU cui judicanti assidebunt judicantes, qui propter te omnia reliquerunt.
IESU qui in tuo Iudicio manifestabis consilia cordium.
IESU qui in Iudicio tuo illuminabis abscondita tenebrarum.
IESU cui omne Iudicium dedit Pater.
IESU cui judici, de omni verbo otioso reddent homines rationem.
IESU qui accepto tempore justitias judicabis. *Miserere nobis.*
IESU qui scrutaberis in lucernis judicii tui, etiam Ierusalem.
C IESU quem Iudicem videbunt illi, qui te confixerunt.
IESU qui in judicio tuo reddes omnibus prout quisque gessit.
IESU qui judicium recipies, ideo, quia causa tua velut impii judicata est.
IESV in cujus judicio, justus vix salvabitur, impius autem ubi parebit?
IESV qui in judicio electis dices: Venite benedicti.
IESV qui in judicio reprobis dices: Discedite maledicti.
IESV qui spiritu oris tui, interficies impios morte secundâ.
D IESV qui contra impios armabis omnem creaturam.
IESV pro quo pugnabit omnis creatura contra insensatos.
IESV qui claudes abyssum inferni cum damnatis.
IESV qui electos tuos introduces in cælum.
IESV qui Patri tuo trades Regnum, & illi subjectus eris cum Beatis omnibus in perpetuas æternitates.
In die Iudicii tui: Parce nobis IESU.
In die Iudicii tui: Libera nos IESU.
In die judicii: Miserere nobis IESU.
Christe Iudex audi nos, Christe Iudex exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster, Ave Maria.
Domine non intres in judicium cum servo tuo.
Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
Domine exaudi orationem meam:
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum:
Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine IESV Christe, Fili Dei vivi, cui omne judicium dedit Pater in manus: ut sis Iudex vivorum & mortuorum, & discretor meritorum, & distributor tam præmiorum, quàm suppliciorum: secundum hoc, quod quisq; gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Ie ego vilissimus vermiculus, & hominum postremus, supplex oro: tuam ut misericordiam mihi nunquam clausam esse velis, sed antequam Iudicii mei apud te hora adveniat, tribuas mihi plenam indulgentiam, omnium tam culpæ, quam pœnæ obligationum: propter omnium Sanctorum tuorum, & propter pretiosissimæ Parentis tuæ intercessiones ac merita; propterq; tuam amarissimam Passionem, Crucem, & Mortem pro me, à te toleratam. Vt sic in horâ judicii, te placatum, benignum, misericordemque experiens, consortio electorum tuorum aggregatus, tecum ingrediar ad possidendum Beatitudinis regnum æternum. In quo Tu, cum Patre, & Spiritu Sancto, vivis, & regnas, in Trinitate DEVS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

EXERCITIORUM
PARS X.
Erga DEI Matrem Virginem MARIAM.

EXERCITIUM I.
De P. Parentis cum DEO arctissimâ conjunctione.

1. Statue te coram Pretiosissimâ Parente Virgine MARIA.

2. Expende, quàm arctis sit vinculis illigata affinitatis, & consanguinitatis, cum divinissimâ Trinitate. Est enim Filia Patris æterni: est Mater Filii DEI: est Sponsa Spiritus Sancti: est templum Sanctissimæ Trinitatis.

3. Est Filia Patris æterni; non solùm communi creaturis, aut iustis ratione, neque omnino per solam Adoptionem: sed aliquâ aliâ sublimiori, & intimiori, magisque coniunctivâ, & connexivâ unione, ac filiatione. Sicut enim iuxta legis naturalis placitum, Puella, quæ nupsit filio, filia est Patris ipsius, arctiori vinculo quàm Adoptionis: Ita Beata Virgo, quæ & Mater, & Sponsa Christi Filii Dei est, erit Filia æterni Patris, arctiore, & altiore quàm Adoptivæ vinculo, & quidem non uno, sed (ut patet) saltem duplicato: primò quidem desponsationis; cùm B. Virgo sit Sponsa vera Christi, & omnium Sponsarum prima, & princeps: ob quod vocatur ab eodem Sponso, *Vera Columba, formosa*: quâ desponsatione effecta est Humanitas Christi: Verbique cũ cum Naturâ Humanâ alia desponsatio, per UnionemHypostaticam. Altero vinculo est Maria, Dei Patris Filia, vinculo scilicet Maternitatis Dei; quia enim Maria, Mater esse debuit filii Dei, ideo etiã esse debuit, & reipsâ fuit Filia Patris æterni, ut connaturaliùs ex eâ nasceretur DEUS Homo Christus, Deiq; idem Filius. Propter quod Maria apud DEUM in æternis eius cogitationibus nunquam comparuit, nisi cum respectu ad Dei filium, seu ad Dei Maternitatem: ita ut quo primùm instanti (in suâ Æternitate) DEUS Mariam cogitavit, cogitaverit simul futuram illam Matrem Filii sui: quam, hoc futuram, cogitare non potuit; nisi simul & Filium suum cogitaret: foreque decerneret eius Filium, ut ita congrue, imò condignè Dei filius, ex Dei filiâ nasceretur: Ita tamen; ut ista filiatio Filiæ Dei Mariæ, sicut debuit desinere in Filii Dei Maternitatem, sic etiam ex eadem promanaret. Quo etiam ex fonte, Maria soror vocatur Verbi, ab ipso Verbo: *Veni (ait) in hortum Soror mea Sponsa &* (Cant. 5.) *Soror nostra parva est, & ubera non habet: quid facie-*

faciemus ei? Accedit, quod Maria specialissimâ ratione nata sit ex mente Patris æterni, teste Nazianzeno: nimirum ob singulariter magnam Mariæ cum Verbo Dei Filio, & eius Patre similitudinem. Etenim Verbum ab intellectu Patris productum, ipsamet Maria in suo utero progenuit, veraque eius Mater est, sicut DEVS est verus eiusdem Pater. Qui sicut totum Filium suum generat solus, sic Maria Mater, eundem illum Dei Filium genuit sola. Atque propter hanc suam cũ Patre æterno similitudinem, vocatur, & est, Maria Patris æterni, & mentis eius Filia.

4. Est MARIA Mater Filii Dei, ob notam ex fide nostrâ rationem. MARIÆ enim dixit Angelus; *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* [..c. 1. 31.] & ; *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* [Joan. 1.] Nimirum DEus Pater ob suam infinitam super nos homines misericordiam, & ob suam item immensam in Virginem MARIAM charitatem, Filium suum, quem tam unicum, quam dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem sibi habuit: non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit, ex rei veritate, esse B. MARIÆ unicum, & dilectissimum, & naturalem Filium. Neque verò ita, ut duo essent, unus videlicet Dei Filius, & alius Filius Sanctæ MARIÆ; sed unus, & idem ipse, qui Filius Dei est in unâ Personâ, etiam esset Filius Sanctæ MARIÆ. Quis hæc audiens, non obstupescat?

5. Est MARIA Sponsa Spiritus Sancti: non ideo solùm, quia Spiritus sanctus, MARIÆ, tàm corpore quàm Animâ per omnem eius vitam usus est, tanquam organo suo: ita ut nulla motio à MARIA fieret, quæ non etiam à Spiritûs sancti motione fieret. Movebat Spiritus sanctus eius linguam, ut cum loqueretur, in verbo non laberetur. Per eius oculos aspiciebat, per eius Aures audiebat, mentem regebat, omnes voluntatis affectûs gubernabat, ita ut etiam minimæ cogitationes, verba, decreta, motiones, actus, sensationes omnes, Spiritus sancti instinctu perficerentur: Neque etiam ideo solùm, quia Spiritus sanctus in Deiparam effudit explevitque sitim suam: quam ille habet infinitam ad communicandum se: Explevit autem, quando per immensam MARIÆ capacitatem, flumen illud sancti Spiritûs vastissimum, rapidissimumque excurrit, atque protensum est: ad eum proportionaliter modum, quo Deus Pater in Filium veluti extenditur: & Pater, Filiusque, in Spiritum sanctum dilatantur: sic enim etiam Spiritus sanctus in MARIAM quasi extenditur (utitur verbo Extensionis B. Ildephonsus) & dilatatur: Estque per hoc MARIA Spiritus sancti requies, est ipsius sitis sedatio, est ejus affectûs expletio; dum in eam ille immensos donorum suorum latices, pleno effudit alveo. Multò magis MARIA Sponsa sancti Spiritûs est, diciturve: communi tantùm illo modo, quo omnes iustorum per gratiam sanctificantem (quâ ornare animas omnes proprium est sancto Spiritui) animæ, sanctificantur ac despósantur. Est igitur MARIA Sponsa Spiritûs sancti, suo quodam proprio, specialique titulo: quem acquisivit, illo consensu, coram Angelo nunciante sibi superventionem sancti Spiritûs, exhibito, atque expresso. Consensus enim ille quasi coniugalis fuit, quo Beata Virgo, non in Animam solùm suam, verùm etiam in corpus suum consensit, iusque sponsale dedit superventuro in se, & obumbraturo sibi Spiritui sancto: unde extunc Spiritus sanctus Sponsus MARIÆ factus est, non tantùm quia (ut supra dixi) incomparabili gratiâ ipsam replevit, sed etiam quia illi obumbravit, illamque texit, ac viri vices substituens, ex purissimo eius Sanguine, atque substantiâ, Christi corpus efformavit, eamque divinâ suâ virtute fæcundavit, & gravidavit. Ob quod sola MARIA est (ait Aug.) quæ meruit Mater & Sponsa vocari. Ipsa sola est, in quâ (ut ait Anselmus) Spiritus Dei, ipse Amor omnipotentis Patris, & Filii, ipse per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur, ipse inquam corporaliter (ut bene dicam) venit in eam, singularique Gratiâ præ omnibus, quæ creata sunt, sive in Cælo, sive in terrâ, in ipsâ requievit: & Reginam, & Imperatricem, Cæli, & terræ, fecit Sponsam suam.

Ex his collige, ô Amatrix MARIÆ Anima, quàm arctis sit colligata cum Deo vinculis, quàm intimis associata & devincta iuribus. Atque exinde tibi licebit in omnes affectionum piissimarum, devotionumque erga illam erumpere, atque efferri pietates.

PRAXIS.

Ave pretiosissima Filia Patris æterni, ave pretiosissima Mater Filii DEI. Ave pretiosissima Sponsa

Sponsa Spiritûs Sancti. Per hanc tuam cum Deo tuo affinitatem, quam ego tibi, totius substantiæ meæ viribus, atque affectibus gratulor: effice me, & colloca, & irradica in gratiâ, & amore Sanctissimæ Trinitatis, &c.

EXERCITIUM II.

De P. Parente nostrâ, Dominâ, Matre, Herede, Hereditate, Sponsa.

1. STatuè te in conspectu Pretiosissimæ Parentis VIRGINIS MARIÆ.

2. Expendes: quòd sit Domina & Regina totius universi & omnium creaturarum: Creaturas autem omnes & singulas esse illius subditas, eiusque Mancipia. Quia enim Filius eius, est verus DEUS, & ideo absolutus rerum Dominus, omniaque ei subiecta naturaliter sũt: inde consequenter, Mater huius Dei, ac Domini omnium, est etiam naturaliter omnium Domina, & omnia sunt eius Mancipia.

3. Expendes: quòd sit Mater omnium Hominum: Et in specie Electorum, amatorumque, seu Dilectorum suorum. Mater enim cum sit Dei: est etiam Mater fratrum eius omnium. Cùm verò etiã sit Mater, & inventrix Gratiæ, ac Misericordiæ, est etiam consequenter Mater filiorũ Gratiæ, ac miserationis. Eo ipso pariens illos Deo in filios, quo illos ad gratiam Dei deducit, & Amicos Dei constituit, in eoque statu illos conservat, quantùm in ipsâ est.

4. Expendes: quòd sit Heres rerum omnium, & quidem naturalis, perinde ut est Mater Dei naturalis. Qui cùm sit Heres omnium, inde fit quoque omnium Heres, & omnia sunt eius possessio, atque hereditas. Omnia siquidem quæ Filius habet, Mater quoque similiter habet, ac possidet.

5. Expendes: quòd sit Hereditas, thesaurus, & divitiæ totius quidem Humani generis, at specialiter omnium diligentium, & honorantium illam singulariùs. Cùm enim ipsa sit Filii sui, Dei verò nostri, hereditas, & possessio, juxta illam ipsiusmet vocem, *Dominus possedit me ab initio viarum suarum*; (Prov: 8. 22.) Hic autem Deus, & a Patre æterno nobis donatus est, & ipse sese nobis donavit, heredesque suos, & coheredes simul omnium bonorum suorum nos fecit: Matrem quoque suam nobis in Hereditatem, & possessionem largitus est. Adde, quòd cum MARIA sit Innocentiæ, ac Iustitiæ primævæ, nobis à nostris primis parentibus perditæ, sola in se conservatrix, & heres, idcirco ad nostram hereditatem ipsa pertinet tantùm, in quantùm illa Innocentia & Iustitia Originalis, nostra hereditas esse (ni perdita fuisset) debuit, & in quantùm nobis, ac pro nobis in MARIA relicta, atque conservata mansit, & manet.

6. Expendes: quòd MARIA sit, Sponsa, omnium illius speciali Amoris privilegio, ac teneritudine, cultuque Innocentiæ, ac puritatis, nec non morum eius imitatione excellentium. Cùm enim MARIA tota sit æmulatrix Christi, in omnibus iis, quæcunque Creaturæ servire possunt, eius dotes, atque excellentiæ, Christus autem desponsavit sibi omnes nos per Incarnationem, cuius desponsationis præcipuus administer, & operator (post Spiritum Sanctum) fuit MARIA, ut quæ de suâ substantiâ, deque suo purissimo Sanguine, Materiam præbuit, Humanitatemque Verbo uniendam imò unitam in utero concepit, & ad unionem illam, plusquam admirabilem (quia Hypostaticam) realiter, & verè, instrumentaliter concurrit: desponsationemque illius, ex se conceptæ Humanitatis, ac in ea, seu mediante illâ, totius Humanæ naturæ perfecit; per quod etiam ipsa tunc MARIA, specialissimo tam jure, quàm gradu, supra omnem modum summo (uno duntaxat desponsationis gradu, quo Humanitas Christi, Verbo est desponsata, excepto, Christi Filii Dei, atque etiam sui, Sponsa facta est. Exeunc ergo, & ex hoc fonte, atque Exemplo Christi sui filii, amat, imò ambit ipsa quoque Hominibus desponsari, ut per hanc desponsationem, & sese Hominibus, & Homines vicissim sibi adæquet, quàm potest adæquatissimè, adstringatque quàm adstrictissimè. Quæ adæquatio, atque adstrictio, non nisi per Amoris affectum fieri potest. Per Amoris autem non quamcunque speciem, seu formam, seu gradum, sed per solum sponsalem, desponsatoriumque. Hic enim solus, proprie, & summè adæquativus, atque adstrictivus est, imò & unitivus ac identificativus est eorum inter se, quos connectit. Unde dicitur de desponsatione corporeâ: quòd sint *duo in carne unâ*: & ; (Mat.) *Ergo jam non sunt duo, sed una caro.* De spirituali verò Animarum Dei & Hominis desponsatione, affirmat Apostolus; (1. Cor) *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Et ad istam unionem, identitatemve

temvè Spiritûs Dei nobiscum, nostrì cum Deo; tota Natura, vis, energiaque Amoris tendit, indesinenterque adnititur. Accedit: quod hæc spiritualis amorosa desponsatio, sicut est castissima, ita nihilominus & fœcundissima: ad hoc ordinata, ut ex eâ oriatur proles, tum excellentissimarum virtutum, tum conversionis, perfectionisque animarum, tum (quod in idem revolvitur) efformationis, parturitionis, educationisque Christi, sive in nobis, sive in aliis per nos: dicente Apostolo: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: & donec occurratis in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Cujusmodi parturitio, & educatio Christi in nobis, non tantùm non est probrosa Sacratissimæ Dei nostri Matri, verùm est etiam ambitiosissima, & summè, unicèque expetita: adeo ut nullum habeat ista Mater, post Dei, singularem ex suo Sanguine, Spiritusque Sancti Virtutis obumbratione maternitatem compactam; nullam, inquam, habeat gratiorem, appetibilioremque maternitatis fœcunditatem: Christique, Dei, ac sui Filii generationem, quàm eam, quæ fit Charitate desponsatoriâ, & Animas Deo maritante: cui desponsationi, atque sponsalitio contractui, ambitiosissimè Maria inhiat, eoque super omnia alia vel officia sua circa nos, vel obsequia nostra erga se delectatur, & occupatur: tantumque ejus studio, atque exercitio capitur, ut Sponsa nostra fieri, nosque in Sponsos adsciscere, & sponsali à nobis affectu coli, non solùm non refugiat, aut dedignetur, verùm etiam exambiat, & delectetur. Omnia fieri amans, gloriosumque sibi ducens: dummodo suæ Charitativæ maternitatis ministerio, atque repetito exercitio, formetur Christus ejus filius in nobis, atque gignatur spirituali gemine ex nobis.

Gal: 4. 19.

Eph. 4. 19.

7. Accipies pretiosissimam hanc Dei parentem, tibi in Dominam & Heram: dabis autem te illi in servum, mancipium, & jumentum: accipies illam tibi in Heredem, & illi te in Hereditatem trades. Accipies illam tibi in Hereditatem, & te illi in Heredem dabis. Accipies denique illam tibi in Sponsam, & te illi in Sponsum offeres, ac dévovebis. Colesque illam omnibus tuis studiis, viribus, moribus, & operibus, tanquam veram tuam Dominam, Matrem, Heredem, Hereditatem, & Sponsam.

PRAXIS.

Pretiosissima DEI Hominis Parens MARIA: in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, & in conspectu dilectissimi Filii tui, Domini mei IESV Christi; Trado me tibi in perpetuum mancipium, tanquam absolutæ meæ Dominæ. Trado me tibi in Filium, tanquam dilectissimæ Matri. Trado me tibi in Hereditatem, tanquam pleni juris Heredi. Trado me tibi in Heredem, tanquam optatissimæ Hereditati. Trado me tibi in Sponsum, tanquam desideratissimæ, speciosissimæ, & amabilissimæ Sponsæ. Tu mihi sis Domina, tu Mater, tu Heres, tu Hereditas, tu Sponsa, & fac me tibi dignum te, dignum Amore tui, dignum amore tuo æterno, in æternum.

EXERCITIUM III.

De P. Parentis per Dei Maternitatem exaltatione, &c.

1. Statue te coram P. Parente Virgine MARIA.

2. Expende: quantùm illam exaltaverit, & ditaverit, & honoraverit Deus, assumendo illam sibi in Matrem?

3. Dedit se illi in Filium: & per hoc potestatem atque omne jus contulit ei super se, fundatum atque radicatum immobiliter: quia ex ratione principiationis suæ ab illâ deductum. Quod impossibile est, & non sequi, & non durare, quamdiu durat & stat, quòd MARIÆ Filius ex eâ conceptus, factus & natus, sit Deus: & MARIA est vera, propria, Naturalis Dei genitrix.

4. Per hoc etiam; quia DEUS dedit se MARIÆ in Filium: contulit ei plenum in se Dominium, regnativam potestatem, Hereditationemque sui absolutam: ita ut fas fuerit MARIÆ, Filium DEUM, ex se genitum, tanquam mancipium habere: imo & in Mancipium vendere, si ita necessitas exegisset. Proles namque naturaliter servitium debet Parentibus, & hi, jus regnativum habent in prolem, & sunt eius heredes tanquam possessionis suæ propriæ, & in vitæ suæ, libertatisvè subsidium, possunt prolis vitâ & libertate uti. Et poteitne aliquid ampliùs ad ad istam MARIÆ exaltationem addi, aut etiam excogitari? O verè Domine IESU, *beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti!*

Luc: 11. 27.

5. Per hoc etiam; quia Deus se Filium MARIÆ fecit, contulit illi, ditavitque illam ampliùs, quam ditasset, si illi omne

Creaturam, etiam possibilem, in possessionem, & divitias donasset: Unus enim ac solus, ac nudus Deus, major, pretiosior, locupletior, & ad locupletandum eum à quo possideretur, (maximè si Maternè & generatoriè possideretur,) aptior, & amplior est: quàm omnes Creaturæ simul possessæ, & hereditatæ.

6. Per hoc etiam; plus contulit Mariæ Matri suæ, Deus Filius: quàm ulli; imò, quam omnibus simul Creaturis contulit, aut conferre possit: propter eandē modo dictam causam; quia scilicet unicus, solusque Deus, est omnibus rebus reliquis major, pretiosiorque: unde quando se unicum Mariæ dedit, præsertim in Filium, plus ei dedit, quàm ulli creaturæ, aut etiam simul omni dedit, dareve potuit.

7. Per hoc etiam, quòd MARIAM in suam Matrem accepit, fecit eam suam Causam, suumque Principium, & Existentiæ suæ Theandricæ originem, ac fontem. Conceptus enim ex eâ, sive de ejus substantia: formatusque ex eâ, & simul ab eâ, natus quoque, & in mundum editus, genitusque est ex ipsâ: deinde etiam lactatus & nutritus, & ad incrementum congruum perductus ab ipsâ: ob quod, plus ab unâ, solâque suâ genitrice Mariâ accepit, & plus ab ea, ex eâque habet substantiæ, quæque substantiam consequuntur, quàm ab ullâ creaturâ. Ob quod etiam, nulli creaturæ ampliùs debet DEUS Homo, quam uni Mariæ Matri suæ. Neque ab ullâ creaturâ quidquam pretiosius, ac se dignius accepit, quàm à Matre suâ Maria. Accepit enim se totum, Deum scilicet ac Hominem: quo in Christo nihil est pretiosius; accepit autem generatoriè, quo in Mariâ nihil est item pretiosius atque dignius: Itaque Christus, quâ DEVS & Verbum, est ex Patre modo generatorio: quâ Deus Homo est, non est ex Patre modo generatorio. Idem Christus de Spiritu quidem Sancto conceptus est DEus Homo, sed non ex substantiâ Sancti Spiritûs, neque modo generatorio: at verò ex Mariæ Virginis utero, sanguine, & substantiâ, genitus, conceptus, factus est DEUS Homo, generatorio modo, & tanquam verus Filius.

8. Ergo in unâ solâque Virgine Mariâ, plus est ex Deo, quàm in ullâ, & omni simul creaturâ: Itemque ex unâ, solâque Virgine Maria, plus est in Deo, quàm ex ullâ, simulque omni creaturâ, & longè in immensum excellentius est, & Maria Dei, & Deus Mariæ; quam ulla creatura, Dei est, & quàm ullius Creaturæ DEUS est.

9. Ideo totâ substantiâ tuâ: omnibusque viribus tuis atque visceribus cordis & corporis, æstimabis, exaltabis, appretiabis, & glorificabis, amabisque pretiosissimam hanc Dei Matrem, atque Virginem, super omes res, quæcunque infra Deum sunt: gratulaberis ue eidem P. Parenti hanc tantam Dei profusionem super eam, hanc tantam exaltationem ejus à Deo, per Deum, & ex ipso Deo.

PRAXIS.

Pretiosissima DEI mei Mater MARIA: te ego totis viribus, & visceribus, substantiæ, capacitatisque meæ, diligo, cunctisq; rebus plus æstimo, quæcunque DEVS non sunt: sed Te uni, solique secundam DEO, uno solo minorem DEO, agnosco, & confiteor, & veneror. Etenim in solâ te plus Dei est: & ex solâ te, plus in DEO est, quàm ex omnibus; quàm in omnibus Creaturis. Propter quod, meritò charissima, & pretiosissima, & es ipsi DEO, & es pretiosior, amabilior, inæstimabiliorq; omnibus simul creaturis.

EXERCITIUM IV.

De P. Parente, naturali DEI sicut Matre, ita & Amatrice.

1. Statue te coram pretiosissimâ Parente Virgine Maria.

2. Expende eam esse veram, naturalemque DEI Hominis Christi JESU Matrem.

3. Expendes, per hoc eam naturale jus habere ad Amorem, amicitiamque Dei: hoc est: ad diligendum Deum, & ad diligendum à Deo. Naturali quippe jure, & naturæ ductu amat, amareque debet Deum, ut potè filium: & amatur vicissim naturæ debito, atque exigentia à DEO, tanquam à Filio.

4. Amat quidem, & amare debet naturaliter etiam omnis Dei Creatura DEUM: amaturque item à suo Creatore. Nam Deus nihil odit eorum, quæ ipse fecit: est tamen infinitum discrimen, inter eam naturalitatem, quâ creaturâ obligatur ad Deum Creatorem amandum, quâque à Deo amatur: & inter eam naturalitatem, quâ Deum Maria diligit, & à Deo diligitur. Illa siquidem naturalitas Creaturarum ad Deum amandum, est tantùm modò servilis, manans ex eo, quia

quia Creatura, creata est à Deo, & accepit ab ipso, tum ipsam se, suumque esse, tum reliqua bona ad hoc consequentia: propter quod tenetur debito amandi, colendi, honorandi, obediendi, serviendique in omnibus DEO, ut authori, factori, benefactori, Dominoque suo absoluto. At verò naturalitas, quâ MARIA stringitur, duciturque ad amandum DEUM: est naturalitas Principiationis, Originis, Maternitatis, & Maternæ, generatoriæque causationis, ac productionis, quâ MARIA DEUM filium genuit, eiq; esse, de suâ substantiâ, ut Mater Filio Deo dedit. Qualis naturalitas ad Deum amandum in nullâ penitus est Creaturâ. Et idem est dicendum de naturalitate quâ Creaturas amat Deus, quâque amat Mariam. Creaturas enim amat Deus, ut Conditor opera sua, ut effectûs omnipotentiæ suæ, ut participationes aliquantulas bonitatis suæ. Omnis enim factor, & auctor amat opera sua: maximè, quando Dei perfecta sunt opera. At verò DEUS Mariam amat, ut Filius Matrem, ut proles Genitricem, ut opus Auctricem suam: qui fons amoris supremus est inter omnes amoris origines, & obligationes. Quare uni & soli MARIÆ dicit DEUS: Mater mea es tu: & una, solaque Maria, ex Creaturis, dicit DEO: Filius meus es tu.

5. Quamvis autem, MARIÆ in DEUM filium, amor sit naturalis, quippe ex fonte Maternitatis connaturaliter fluens: idē nihilominus amor, est etiam supernaturalis: (nisi dicere libeat, quòd in suâ naturalitate, sit quovis alio creato supernaturali amore in Deum, eo ipso excellentior, quòd naturalior) sicut etiam Maternitas ejus, est ita naturalis, ut sit nihilominus supernaturalis: supra omnem enim naturam est, quòd MARIA sit Mater DEI, licet naturalissima sit Mater, & verè naturalissimâ Humanitatem Filii Dei, ex sanguine, ac substantiâ suâ, maternâ operatione, cooperante Sancto Spiritu, concepit, formavit, genuit, educavit, enutrivit, consequenterque amavit, & complexa est.

6. Ex hoc tanto, tamque admirabili jure amandi Deum, & amandi à Deo, habet quoque Maria, jus quoddam sibi peculiare, atque proprium, quod sicut ipsa DEUM amat, amaturq; ab eo, ita alios etiā, potissimùm amatores, cultores, clientesque suos, jure suo deducit ad amandum Deum, & ad amandum à Deo: ad collocandum eos in gratiâ, in amicitiâ, & familiaritate, atque unione Dei: neque ad collocandum solùm, sed etiam ad conservandum, ad confirmandum, ad excellendum in eâ.

7. Quia enim maternitas Dei, fons est in MARIA, naturalis amoris DIVINI, quo, & amat illa DEUM, & amatur à DEO: & amoris erga DEum magna portio est, dare operam omnem, ut etiam ab aliis ametur Deus: inde est, quòd ad amorem MARIÆ maternum erga DEUM, pertineat, à MARIA deduci alios quoque, ac in his nominatim speciales amatores suos, ad amandum Deum, manendumque, & perseverandum, cum insigni incremento in amore, & amicitiâ, & gratiâ Dei.

8. Pari ratione: quoniam Deus, ut filius, naturaliter amat MARIAM Matrem suam; pertinet ad hunc ejus, in ipsam amorem, facere: ut etiam ab aliis quàm plurimis, quàm impensissimè ametur, & colatur: inde est, quòd DEUS plurimis inspiret, & veluti ingeneret, invisceretque amorem erga MARIAM: eosque in ejus amore, affectu, & cultu, mirificè, atque omnino magnificè constituat, conservet, atque confirmet: opulentosque ac prædivites faciat.

9. Inde quoque est: quòd Maximum sit signum prædestinationis ad vitam, non rarò etiam Confirmationis in gratiâ Divinâ: Medium quoque salutis, quin & excellentis sanctitatis, donorumque Divinorum ubertatis; MARIÆ Matri Dei, esse singulariter devotum, ejusdem Amoris, & Honoris, atque Imitationis, ardenter studiosum.

10. Inde quoque est: quòd Amatores, Clientesque MARIÆ, in cælo peculiari quâdam veluti Laureolâ, hoc nomine donentur, insignesque inter cæteros Beatos sint: quia eximiè insignes fuerunt in hac Vita; in Dilectione, & veneratione, imitationeque Dei Matris MARIÆ.

11. Et hoc est illud: quod Ecclesia, optima sensûs Divini in Scripturis interpres, de Mariâ dictum (post Æternam Sapientiam) affirmat. *In his omnibus requiem quæsivi, & in Hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in Electis meis mitte radices, & in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, & in Civitate sanctâ similiter requievi, & in Hierusalem potestas mea: & radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ Spei. In me gratia omnis Viæ & veri-* *Eccl. 24. 16.*

& veritatis: in me omnis Spes Vitæ, & Virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & Hereditas mea super mel, & favum. Qui audit me non confundetur: & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me: vitam æternam habebunt. Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio Veritatis. Non finit, hoc loco, fusiori accommodatione declarare; quomodo hæc MARIÆ Dei Matri, ejusque erga suos Amatores; & Clientes, effectui, & curæ, ad amussim, etiam ex mente Ecclesiæ serviant: Non (inquam) finit præsens scribendi modus: sed ea facillimè quisque proposito applicare, atque ex illis fructum, succumque devotissimæ in Dei Matrem, tum dilectionis, tum pietatis, ac devotionis haurire poterit.

12. Interea, cum unusquisque nostrûm, nec possit, nec debeat quidquam ardentiùs desiderare, quàm Gratiam, Amorem, Amicitiam, familiaritatem, unionemque Divinam, radicatam, confirmatam, opulentam, æternam: in quâ ad collocandum nos, MARIA, Matris potitur jure, & Maternâ gaudet autoritate: superest, ut totis desideriorum, viscerumq; suorum viribus, ac præcordiis, quisque nostrûm supplicet huic Pretiosissimæ Matri Gratiæ, Amicitiæque Dei arbitræ, atque thesaurariæ, ut isto suo Iure nobiscū utatur: introducatque in nos Amorem, Amicitiam, Gratiam, familiaritatem, unionemque Dei Filii sui, ac nos in eâ fundet, radicet, confirmet, opulentetque usque ad Mortem: quin & post Mortem, usque ad ipsam, & per ipsam æternitatem. Ut non solùm nunquam excidamus à Gratiâ, & à charitate Dei, verùm etiam in dies, horas, & momenta singula, ampliùs, ampliùsque in eâ crescamus, ac ditescamus, per gravissimam intercessionem, atque adeo potestatem, hujus Pretiosissimæ Parentis nostræ, fundatricisque in statu ac possessione amicitiæ Divinæ.

PRAXIS.

Pretiosissima Mater DEI mei, Domina mea, Virgo MARIA; Tu, sicut ipsa es verissima DEI Mater, sic etiam verissimum ac Naturale jus habes ad Amorem, ad Gratiam, Amicitiamque DEI. Tu Claves portas à Corde Divino. Tu præsides thesauris Amicitiæ, & Gratiæ DEI. Tu quem vis Amicum DEI constituis, ejusq; Gratiâ adimples, & ditas, & in Amore Divino fundas, confirmasque. O Mater, & Patrona mea: utere hoc jure mecum, & super me, & super omnes tuos in me, meosq; in te. Introduc nos ad Amorem, Amicitiamq; Filii tui, DEI nostri: Funda & confirma: stabili, & radica nos in gratiâ, & familiaritate ipsius, ut ab eâ nunquam excidamus, imò in eâ semper ampliùs, ampliusque proficiamus, perficiamur, confirmemur, solidemurq; ad Mortem, & in Morte, & in omnem æternitatem.

EXERCITIUM V.

Quòd P. Parens sit omnium Creaturarum eminentissima.

1. Statue te coram Pretiosissimâ DEI Parente Virgine MARIA.

2. Expende: quòd MARIA sit Mater Dei Altissimi, ac per hoc super omnes, simul sumptas, etiam possibiles, puras Creaturas, dignissima, exaltatissima, eminentissima.

3. MARIA enim quoniam Mater Dei est: facta per hoc est ille mons, ab Isaiâ decantatus; *Erit in novissimis diebus, præparatus Mons Domûs Domini in vertice Montium.* (Mich. 4.) Mons enim Beatissima Virgo & Mater MARIA fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. Mons, & quidem præ omnibus sublimis fuit Maria: quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes etiam Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit. Mons fuit MARIA, & quidem supra verticem Montium, quia præcellentissimæ dignitatis suæ merito, eius altitudo suprà omnes Sanctos refulsit. Mons fuit MARIA, omnibus creatis montibus, seu Dignitatibus altior: quia ubi cæteræ Dignitates summitatem suam tenuerunt: ibi Mariæ prima, & ima fundamenta per singularitatem Gratiæ facta esse noscuntur: dicente alio Propheta; *Fundamenta ejus in montibus Sanctis.* Denique Mons fuit omnibus montibus, id est, omnium Creaturarum generibus altior MARIA: quia maternitatis Divinæ prærogativâ, omnibus omnino creaturis accessum ad se, & ad æqualitatem suam penitùs spem omnem præclusit; suamque super illas potestatem extulit, ac firmavit.

4. Igitur propter hanc Altitudinem, debetur MARIÆ, ab omni Creaturâ, & Generatione, omnis supremus, qui in Creaturam puram cadat honor, laus omnis, omnis etiam appretiatio, reverentia, dilectio, & subjectio: tanquam illi, quæ est Mater conditoris, & Domini omnium rerum:

rerum: estque proinde etiam ipsa Heres, Domina, & Regina omnium istorum Dei Filii sui bonorum. Pertinent siquidem omnia bona filiorum ad Parentes eorum: nec quidquam acquirunt sibi Filii, quod simul juri parentum eo ipso non accedat: præsertim; si quid à Naturâ filii obtineant: quando MARIÆ Virginis Filius, Dominus IESVS Christus, DEVS Homo, ex ipsâ suâ Naturâ, & ab Unione Hypostaticâ, absolutum rerum omnium Regnum, Dominiumque sortitus est. Inde enim hoc ipsum Dominium, atque Regnum, Matri ejus MARIÆ accessit Cur enim Parentes & Filii una censentur Caro, & non tam pars ejusdem, quàm prorsus eadem substantia; & cur bona dignitatesque Naturales parentum, sunt etiam filiorum; si non bona, dignitates, Dominia, & Regna filiorum, cadunt etiam, naturaliter sub sortem parentum?

5. Sicut ergo Dei Filius, idemque MARIÆ Virginis Matris proles, naturâ suâ, & præest, & eminet omnibus Creaturis, quantumlibet sublimibus, atque etiam supernaturalibus; ita quoque eodem Filii sui jure, MARIA est omnium Creaturarum, naturalium, supernaturaliumque, & superior, & præeminentior, & præses, & Domina, Idque ab ipso primo Conceptionis suæ instanti, quo ipsa in hunc mundum concepta est. Etsi enim nonnisi propter Divinam Maternitatem, hæc tam sublimis Altitudinis, Dominiique in res omnes prærogativa illi advenit: quia tamen Iustitia Originalis illi in Conceptione statim collata fuit, & fuit per respectum, & propter honorem Divinæ Maternitatis, ad quam jam tunc (imò ab Æterno) Electa, præparata, prædestinataque fuit, juxta illud ipsiusmet de se Virginis verba; *Ab æterno ordinata sum*, (quæ ex Hebr: sic sonant;) *ab æterno inaugurata sum princeps*: Ideo jam tunc etiam statim Domina fuit omnium: & eminuit super omnia opera Dei, superque universa bona Filii sui.

Prov. 8. 23.

6. Ex hoc fonte promanavit, quòd MARIA, post Christum, fuerit secundò primus finis, scopusque Deo universæ Creationis. Quòd una solaque MARIA, dignior, & pretiosior fuerit coram Deo omnibus universim Creaturis. Quòd ad Vnius, soliusque MARIÆ conditionem, atque in esse suo consummationem, plus bonorum, donorumque, & (si fas dicere) Sapientiæ, bonitatis, potentiæ, Sanctitatis, Perfectionisque suæ sumptuum Deus profudit, quàm in omnes residuas Creaturas. Inde quoque est, quod uni, solique MARIÆ, plus creaturæ honoris, subjectionis, servitii, & dilectionis debent; quam vel ipsæ sibi, vel aliis aliæ mutuo: debentque justè, ac meritò velle, ac esse paratæ, (si ita res exigat,) ob unam, solamque MARIAM Dei Matrem conservandam, emori: aut interire: siquidem benè redimeretur salus solius MARIÆ, morte totius Creaturarum populi. Quoniam majus esset damnum toti Mundo, ex unius MARIÆ jacturâ, quàm ex totius Mundi interitu.

7. Hinc agnosce: majori jure, obligatione, condignitate, debere (Te v. g.) honorare, diligere, exaltare, zelare, unâ, solamque hanc Dei Matrem: majoresque vires, conatus, sumptûsque, in ejus cultum, & venerationem impendere, quàm in totius, cujuscunque, etiam simul sumptæ, puræ creaturæ.

8. Hac mensurâ, metire tuum erga Parentem hanc Pretiosissimam affectum dilectionis, venerationis, honorificationis, pietatis, zelationis. Et vide, quàm procul absis ab hujus mensuræ exæquatione! vide, quàm profuso, prodigoque in honorem, & amorem hujus Dei Matris esse debeas animo: vide, quàm magnificus ejus in corde tuo, & per tuam Curam, & & in alienis cordibus, operibusque, debeat esse, hujus Virginis Amor, ac veneratio, atque exaltatio?

9. Emineat apud te in amore: in pietate, in honore, & in veneratione: ita, sicut revera eminet ipsa in Dignitate, in excellentiâ, in pretiositate, in Potestate. Eminet illa potestate, atque Dominio super omnes ac singulos Angelos: satagas & tu eminere in affectu dilectionis, & venerationis erga illam, super omnes, singulosque Angelos. Eminet illa in potestate atque Dominio super omnes, singulosque homines: satagas & tu eminere in pietate, & honore, amorisque teneritudine, & vehementiâ erga illam, super omnes, & singulos homines. Eminet illa, potestate, & Dominio super omnes, singulasque Creaturas rationis expertes: satagas & tu, non solùm eminere, sed etiam vicem, officiumque, in cultu, amore, & subjectione ad MARIAM, implere, ac superimplere, omnium, singularumq; Creaturarum irrationalium. Eminet MARIA potestate, & Dominio, terroreque sui, super omnes dæmones, de quibus omnibus, cum, in Triumphatore Filio triumphavit, omnium capita in primo suæ Immaculatissimæ Conceptionis momento, vi-

to, victore Calcaneo contrivit, & conquassavit: satagas & tu, officio, obsequioque, quo, debent quidem, at indignissimi sunt, amoris & appretiationis defungi dæmones, illorum vice, erga victoriosissimam, Triumphatricissimamque Virginem excellere: in tantùm eam super omnia draconum infernalium Capita superponendo, ac superexaltando, in quantùm prædigna est, tam Dei Mater extolli, exaltarique, quàm digni deprimi, ac deijci.

PRAXIS.

Pretiosissima DEI Mater MARIA: in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, nec non Filii tui, IESV Christi, Redemptoris nostri, confiteor, tantam esse tuam, super omnes creaturas, eminentiam, potentiam, atq; dignitatem, ut uni tantùm DEO secunda, soloq; illo minor sis: utq; ad tui unius, soliusque, in esse, & honore conservationem, ac propugnationem, meritò omnis creatura, suum esse, suam integritatem, suum honorem, impendere possit, atq; debeat. Tu enim una sola pretiosior, ac dignior, eminentiorque es, præ omnibus creaturis coram DEO. In tuo, MARIA, nomine, flectitur omne genu Angelorum: omne genu hominum: omne genu creaturarum irrationalium, omne genu dæmonum. Eapropter & ego, vilissima quamvis portio creaturæ Filii tui, tuo amori, appretiationi, honori, integritati, exaltationi, totam substantiam meam, totas vires, totos conatus, omnem dignitatem, omnem sufficientiam meam, etiam omnis reliquæ creaturæ, totiusq; universæ ad me impersonatione auctam, communicatam, associatamque consecro: atque illi propagando, propugnando, tam in maximo, quàm in minimo adaugendo, dedico, devoveoque; solus, unusque: sed omnium creaturarum impersonatione auctus, omnium earum vicem, officium, debitum, conatum, desiderium, voluntatisq; affectum explendo, & etiam evincendo, evincereque, ac supergredi, adversum Te, intendendo: propter amorem tui, propter amorem Filii tui, DEI mei, IESV Christi.

EXERCITIUM VI.

Quòd per P. Parentem, maximè DEVS magnificetur.

1. Statue te coram pretiosissimâ DEI Parente & Virgine MARIA.

2. Expende: quòd in MARIA, & ex Maria elucescat maximè Divina Magnitudo, Perfectio, Plenitudo: quodque ab eâ, plus quàm ab omnibus reliquis creaturis simul sumptis magnificetur.

3. Qua de causa P. Parens, cùm esset præ omnibus humillima; etiam præ omnibus hunc titulum usurpavit: & hanc sibi occupationē potissimam semper adscivit: ut sese quidem semper, quàm intimissimè exinaniret, ac infra omnes creaturas, imò & propè infra ipsum nihilum humiliaret: Deum autem suum, quàm viscerosissimè magnificaret: hoc est, magnum non solùm ostenderet, verùm etiam conatu suo redderet, plus, quam omnes simul collectæ creaturæ, etiam possibiles hoc faciunt, aut facere possunt.

4. Quia enim, ad hoc unicum omnes à DEO creaturæ conditæ sunt, ut per eas magnalia Dei, hoc est, magnitudo ejus, & perfectiones ejus, cognoscerentur, juxta illud Psalmi; *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*: quod ipsum affirmari potest, imò debet, de omnibus reliquis creaturis, tanquam & ipsis gloriam Dei enarrantibus, sicut universaliter dixit Apostolus; *Invisibilia DEI à creaturâ mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas*: inde necessariò sequitur, ut quantò aliqua est creatura nobilior, atque perfectior, tantò plus in eâ magnitudinis & excellentiæ Divinæ eluceat, & ex eâ cognoscatur: quomodo plus cognoscitur Magnificentia Dei ex Homine, quàm ex lapide: ex Angelo plusquam ex Homine; ex Angelo superiore quàm ex Angelo inferiore: quia ex perfectiori effectu aut opere, perfectiùs causa, seu artifex cognoscitur.

Ps: 18. Rom. 1.

5. Et quia constat, ex omnibus puris creaturis, nullam à Deo esse conditam perfectiorem, & omni donorum genere sublimiùs ornatiorem, quàm Dei Matrem MARIAM: inde quoque constare debet, plus in unâ, & ex una Maria, Dei essentiam, dignitatem, perfectionem, omnesq; alias magnitudines elucescere, ampliùsque ex illâ unâ ac solâ cognosci, quàm ex omnibus, etiam simul collectis creaturis.

6. Si particulatim considerare lubet; in Deo nostro, maximè magna est Trinitas Personarum in unitate essentiæ, deinde Sapientia, Potentia, Charitas, Misericordia, Bonitas, & Iustitia: atqui indubium est, neque in ullâ particulari creatâ, neque in omnibus simul, hæc supra dicta Dei bona, plus elucescere, neque per ullam manifestari, quàm in unâ, & ex unâ solâ Dei Matre, ac Virgine Maria: Igitur evidens est, a solâ Maria excellentiùs Deum magnificari, & ex solius MA-

RIÆ cognitione ampliùs magnitudi-
nem Dei cognosci, quàm ex ullis etiam
simul omnibus creaturis.

7. Advertere autem & expendere li-
cet: cogitari posse, dupliciter magnifi-
cationem Dei posse fieri. Primò quidem
in se, hoc est in ipso DEO, ita ut DEUS,
vel in suâ Essentiâ, ac Entitate, vel in suâ
aliquâ perfectione major fiat, quàm fuit.
Et hic modus, DEUM, in ipso se, magni-
ficandi; absurdus est etiam cogitatu. Ab-
surdum est enim DEUM in seipso, quo-
cunque modo maiorem fieri posse, non
tantùm à creaturis, sed etiam à semetipso.
Cùm DEUS, quidquid est, id ab æterno
sit: actus purus, omnis expers potentia-
litatis, possibilitatis, mutationis, augmẽ-
ti, imminutionis: ut pote ens à se, illi-
mitatum in essentiâ, & entitate, & quâ-
cunque perfectione. Quâ de re, sicut nul-
lum dubium esse debet, sic neque pluri-
bus agere opus est.

8. Est alius magnificandi DEUM mo-
dus, in nobis nimirum, seu in creaturis,
à creaturis, coram creaturis. Hoc modo,
DEus magnificari in nobis, & à nobis,
seu per nos, non tantùm potest, sed etiam
debet: in eoque labore omnis nostra sa-
lus, perfectio, & beatitudo, sita est: ut
omni vitæ & actionis nostræ cujusque
momento, expleamus illud Davidicum;
Et exaltetur DEVS salutis meæ: itemque illud (17. 47.)
ejusdem; *Magnificate Dominum mecum, &* (33. 4.)
exaltemus nomen eius in idipsum.

9. Iste magnificandi DEUM modus,
in nobis, vel à nobis, sive fiat à DEO, si-
ve fiat à nobis, unus, & idem est: quia
quidquid nos in hoc genere, vel opere
facimus, ex Deo, & ex eius munere faci-
mus: unde necesse est, ut in unum idem-
que recidat, sive à se Deus, sive à nobis
Deus, magnificetur in nobis.

10. Hoc porrò trifariam fieri, & po-
test, & debet, & solet. 1. Quando De-
us ampliùs & ampliùs cognoscitur, ex,
aut in, aliquâ creaturâ, operevè creatu-
ræ, seu opere creatoris per creaturam, aut
in creaturâ. 2. Quando creatura ratio-
nalis, v. g. Homo, in suâ Animâ facit De-
um majorem, & majorem, id est, quando
Animam suam reddit Deo magis ac ma-
gis similem: perfectiusque, ac perfectiùs
facit in eâ elucescere Dei, perfectionum-
que, ac Virtutum, & Sanctitatis ejus ima-
ginem. 3. Quando Creatura in aliis,
quoque Creaturis (capacibus, seu ratio-
nalibus) Deum, eiusque notitiam, ac
sanctitatis, perfectionisque similitudinẽ,
labore suo, cum auxilio Divino, facit am-
plius, & amplius, perfectiusque, ac per-
fectiùs florere, crescere, exundare: co-
gnitione, dilectione, gratiarum actione,
prædicatione, denique Sanctissimæ Dei
voluntatis per omnia executione, atque
imitatione.

11. Hic magnificandi Deum modus
in solâ unâque Dei Matre MARIA plus
enituit, plus ab eâ solâ, unâque exerci-
tus est, & exercetur perenniter, plus quo-
que per illam solam, & unam, à Deo exer-
citus est, quàm per ullam, quàm per o-
mnem simul collectim sumptam creatu-
ram. Plus enim in illâ sola perfectionũ,
quia & entitatis suæ reposuit, per illam-
que nobis manifestavit, quàm in ullâ,
quàm per ullam creaturam; prout supra
dictum est. Plus etiam illa sola Divinæ
in se Sanctitatis, & Gratiæ, Virtutum, ac
Perfectionum, in suam Animam collegit,
congessitque, nobiliusque, ac perfectiùs
Imaginem Dei, in suâ Animâ resplendere
fecit, quàm ullæ etiam simul omnes crea-
turæ. Propter quod illi justissime dici-
tur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias;* (Prov: 31. 29)
sed tu supergressa es universas. Plus etiam
una ac sola MARIA, circa augmen-
tandam in Angelis, & (maximè) Homi-
nibus, Dei gloriam, cognitionem, dile-
ctionem, fruitionem, ac possessionem, la-
boris, & operæ, charitatis, & curæ ora-
tionum & meritorum, substantiæ deniq;
contulit, & confert; quam ullæ, simulq;
omnes creaturæ: quare illa meritò dicit.
Magnificat Anima mea Dominum.

12. Ergo magnitudo Dei, glorificatio-
que, & exaltatio illius, relucet in MARIA
plenissime: tum quia fecit se ex illa, &
ex ejus substantiâ, qui fecit illam: &
novem mensibus requievit in taberna-
culo uteri ejus: tum quia illa fuit omni-
bus modis, numerisq; absolutissima Ima-
go Dei, maximarumque perfectionum
ejus: ita ut eâ solâ cognitâ ampliùs per-
fectiusque cognoscatur Deus, quàm co-
gnitis omnibus reliquis creaturis: tum
quia sola MARIA ad operationem, execu-
tionemque salutis humanæ, ad Beatifica-
tionem quoque omnis rationalis creatu-
ræ, ad conversionem, & reconciliatio-
nem cum Deo peccatorum, ad justificati-
onem electorum, ad solatium & elibera-
tionem ex purgatorio Animarum, ad Dei
à Creaturâ suâ beatificam possessionem,
atque glorificationem, plus contulit, &
confert jugiter, quàm ullæ Creaturæ: tũ
denique, quia dum nos, vel amamus, e-
xaltamusque MARIAM, vel pro eâ, in eâq;
Deum exaltamus, vel pro collatis in illam

à Deo ineffabilibus, ſoloque Deo inferioribus, ac ſolâ Dei Matre dignis, Deiq; maternitati congruis gratiis, Deo gratias agimus: vel virtutem eius quamcunque amando imitamur, imitandove amamus: vel gloriam eius, cultum, venerationem, amorem, notitiam, imitationem in alios propagamus, vel ejus laboribus, obſequiis, compaſſionibus, cæteriſque erga ſuum Filium in hâc vitâ obitis miniſteriis, honorem habemus: vel gloriæ ipſius, poteſtatique, ac majeſtati, quâ ſuper omnes in cælo, & terrâ, præeminet, adgaudemus, & applaudimus: vel ad illam, perque illam, ad Deum, in neceſſitatibus noſtris, externis, internisvè, temporalibus, aut æternis confugimus, opemque ejus expoſcimus: dum inquam hæc erga MARIAM, unam, & ſolam, obſequia peragimus; plus Deum exaltamus, & magnificamus: quàm cùm ſimilibus officiis, erga quoſcunque alios, aut erga omnes ſimul electos, proximosvè noſtros defungimur.

13. Sicut MARIA amando Deum, ſola, & una, amore ſuo Deum exaltavit magnificavitque, plus quàm omnes reliquæ creaturæ ſimul, univerſis amoribus ſuis, Deum & amant, & exaltant; Ita & nos, ſi ſolam, & unam MARIAM, inque unâ, & ſolâ MARIA, Deum amamus; plus hoc ſolo Amore ſolius Mariæ, Deum diligimus, & magnificamus; quàm ſi eundem omnium ſimul ſanctorum, creaturarumvè amoribus amemus. Sicut Maria, ſuâ unius erga Deum, ac propter Deum humilitate, plus extulit, magnificavitque Deum, quàm creaturæ omnes, omnibus ſuis propter Deum, & coram Deo humilitatibus: ita nos humilitatem ſolius Mariæ amando, & imitando, illamque Deo propter Mariam, & per Mariam exhibendo, ampliùs Deum exaltamus, magnificamusque: & cor tam ejus, quàm Matris eius exhibitione talis humilitatis exhilaramus: quàm ſi omnium reliquarum creaturarum humilitates amaremus, æmularemur, Deoque exhiberemus. Atque idem eſto judicium de reliquarum Mariæ virtutum, & in ſe, & ergà Deum amplitudine, & à nobis amore, & æmulatione, divinoque guſtui exhibitione.

14. Ex his ſatis ediſcere poſſumus: quantùm Deo pro Maria, unâ licèt, ſolaque debemus: quantùm in ejus unius, ſoliusque cognitione, amore, imitatione, occupari, proficere, conquieſcere debemus: quantùm eius unius ſoliusque laudibus incumbere, in agendas gratias effundi; quantùm illam, & propter ejus coram Deo excellentiam, & propter Dei per ſeipſam, & ab ipsa magnificationem, amare, exultare, gratulari, complacere, complectique, merito tenemur: quantùm denique in illâ; ſpei, fiduciæ, ſecuritatisque noſtræ, poſt Filium ejus Deũ, collocare, & inconcuſse tenere debemus.

PRAXIS.

O Magnificatrix, & ipſiſſima Magnificentia DEI MARIA: cujus magnificatione, ſive quâ ille te, ſive quâ tu illum, ſive quâ te in illo nos, ſive quâ in te nos ipſum magnificamus, plus, & amplius, & dignius, ille magnificatur, quàm magnificatione quacunq; quarumcunq; reliquarum creaturarum. Gratulor, gratulor, gratulor tibi, toto me, totam iſtam Dei in te, tuam in Deo magnificationem, atq; magnificentiam. Deſidero, ſimulq; à Te, & à DEO per Te, ſubmiſſiſſime, reverentiſſime, & anhelosiſſime peto: ut me quam perfectiſsimâ Tui, & per Te Dei, adimpleas cognitione, dilectione, æſtimatione, exaltatione, imitatione, fruitione. Da mihi: ut ad inſtar Tui, ego etiam (cum omnibus his quos ego in te, quos tu in me, qui me ratione tui, qui Te ratione mei, ſingulariter appretiare gaudent, aut unquam gaudebunt) ſemper, ubique, toto me; fiam tua, fiam Dei, magnificatio: atque magnificentia. Magnificem te, & Deum, magnificatione omnium Creaturarum. Magnificem te, & Deum, Filium tuum magnificatione quâ te Deus Filius ut Matrem, & quâ tu Deum Filium tuum, ut Mater magnificas. Magnificem te, & Deum, magnificatione quâ te Sanctiſſima Trinitas unus Deus magnificat: & quâ tu viciſſim Sanctiſſimam Trinitatem, unum Deum, magnificas, ut ſemper tuo ſpiritu, tibi, & tecum cantem; Magnificat Anima mea Dominum.

EXERCITIUM VII.

Quòd DEUS plus amet ſolam Mariam, quàm totam Eccleſiam, rerumq; univerſitatem, ſeclusâ MARIA.

1. Statue te coram pretioſiſſimâ Parente MARIA.

2. Expende: plus à Deo ſolam, unamque Mariam diligi, quàm totam vel Eccleſiam, vel etiam creaturam, ſecluſâ ex ejus numero ipsâ Virgine Matre MARIA.

1. Quia majori eam donavit, ornavitque gratiæ ſanctificantis abundantiâ, quâ omnes ſimul collectos Angelos, atque homi-

homines. Creaturæ expertes rationis hic locum non habent, ob incapacitatem suam.

2. Quia eidem Virgini Mariæ præstantiùs, singulariùs, pleniùs sese communicavit Deus, quàm omnibus simul sumptis creaturis. Etenim ei communicavit præter dona gratiæ, etiam substantiã, entitatem, Personamque suam divinam: & quidem in Filiationem, seu in Filium: faciens se concipi in ejus utero, ex ejus selecto sanguine, habitans intra eius intemerata viscera novem mensibus, omnibusque eius maternis obsequiis, tam ante Nativitatem, quàm post eandem, fotus, nutritus, lactatus, educatus. Ex quo, Maria, insigne & nulli creaturæ communicabile Nomen hereditavit. Cui enim Angelorum, aut Hominum dicit Deus, Mater mea es Tu: aut quæ creatura dicit Deo: Filius meus es Tu. Ego genui Te.

3. Quia ejusdem Mariæ Virginis redemptio primùm, & primariè, præcipuèque, ac plus, magisque dispósita, ac intenta à Deo fuit, quam omnium reliquorum simul sumptorum hominum. Estque MARIA principalis, & major fructus Redemptionis Christi, quam totum genus humanum: ac, si alterutrius tantùm Redemptio Christo fuisset proposita curanda: vel scilicet solius Mariæ sine cæteris hominibus, vel cæterorum hominum tantùm absque Maria; prælegisset Christus solam Mariam redimere: cæteros autem homines negligere. Propter quod Maria, est princeps redemptionis, & redemptorum à Christo, tanquam à Filio; & eadem plus ex Christi Filii sui meritis, gratiæ, donorumque hausit, quàm reliqui omnes simul homines, ac etiam Angeli. Imò verò Maria est, per quam Redemptionis fructus in cæteros homines dispensatur, atque distribuitur. Quod quidem majoris erga Mariam solam amoris est signum.

4. Quia scilicet, quidquid Deus toti Ecclesiæ suæ dare disposuit, totum id in Mariam plenariè deposuit: atque contulit: ut totius, omnisque boni plenitudo, & quidquid spei, quidquid gratiæ, quidquid salutis, quidquid beatitudinis est in Ecclesiâ totâ, ejusque filiis universis, totum id redundet, defluatque à Maria, & per Mariam.

5. Ob quod etiam Deus, plus cupit, & amat, ab Ecclesiâ universâ amari, coli, invocari, unam, solamque Mariam, quàm reliquos omnes Angelos, Homines que sanctos, gratiosiùsque, & efficaciùs ad se per illam recurri, quàm per omnes reliquos & Angelos, & Homines. Sicut idem Deus universas aquas collegit in mare, indeque aquæ per universam terram dispertiuntur, & omni humore necessario, abundantiùs recreantur, ac fæcundantur, rursusque ad mare refleunt: juxta illud Scripturæ; *omnia flumina ex mari exeunt, & in mare redeunt, & mare non redundat*: quod symbolico sensu, verissimè de Maria Dei Matre dicitur. Eccl: 1.7.

6. Quia cùm Dominus noster Redemptor, giganteis suis passibus decurreret, expansisque Charitatis suæ velis, per Oceanum suæ Passionis, ad consummandum cursum, ineundumque portum nostræ per mortem in cruce redemptionis, jam jam inveneretur; tumque & inimicos, ac blasphemos excusaret; & latronem de cruce ad Paradysum, primitias fructuum Patri suo ablegaret: & consummato calice passionis, extremam etiam mortis fæcem ebibiturus esset; stitit tamen rapidissimum illum omnem Charitatis suæ in Redemptionem, & reconciliationẽ humani generis cum Deo, cursum: eumque tantisper interrupit, atque agere intermisit: ideo solùm, ut Mariæ Matri ultimum filialis pietatis suæ officium persolveret: ejusque curam Ioanni discipulo traderet: atque suum filialem affectum, in ipsum, gratiâ Mariæ transfunderet, dicens: *Ecce Mater tua*: & Matri: *Ecce filius tuus*. Io: 19.27. In quo suo opere majus fecit miraculum Dominus, majoremque violentiam suæ Redemptoriæ, salutemque nostram operari Charitati acceleranti, intulit: quàm est illata vis cælorum cursui, tunc quando sol contrà Gabaa, & Luna, contrà Aialon decurrere, prohibiti sunt; aut quando decem lineis, seu gradibus jam decursis, retrogredi idem sol jussus est. Iosue 10.12 4.Reg. 20.9

7. Quia in nullâ Creaturâ, neque etiam Universâ simul, tantum (ut sic dicam) Majestatis suæ condignitatis, tantũ Cordi suo delectationis, tantum Amori suo redamationis, tantum Divitiis suis Opulentiæ immensæ augmenti, tantum Operibus suis requiei, tantum thesauris suis securitatis, reperit, obtinuitque Deus; quantùm in unâ solâque Virgine Matre suâ Mariâ. Rectissimè & justissimè dicebat Maria, habens jam intra viscera sua Sapientiam Æternam Incarnatam: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ*. Sap. 7.11. Itemque illud meritissimè, beatificanti se Elizabethæ reposuit: *Magnificat Anima mea Dominum*: Luc: 1.46.

minum: quia fecit mihi Magna, qui Potens est, &c. Verùm etiam Verbum Incarnatum suo pariter modo dicere potuit, posteaquam à Virgine Verbum Caro factum est; Venerunt mihi omnia bona pariter cum Matre Virgine: & Magnificat Anima mea Matrem meam, quia fecit mihi magna: ex quo à Spiritu superventa; & Virtute Altissimi obumbrata est. Ex Mariâ enim Virgine, accepit Carnem suam, totamque Humanitatem, atque adeo etiam Unionem Hypostaticam; quia etsi totus non est de Virgine, sicut neque totus est de Deo; Totus tamen sicut Dei, ita & Virginis est Christus. Accepit ergo ex Mariâ se Deum Hominem, se Filium Dei, se Filium Hominis: accepit ex eâ, & ab eâ purissimam, & (ut quidam Sanctorum audet) Verbi spirantem particulam: accepit de Homine Humanitatem, de Virgine Virginitatem, de Matre sine Patre, filiationem: Prodijt de Mundâ Mundus, de Immaculatâ immaculatus, de Regia stirpe accepit Regium genus, de genere Sacerdotali, stirpem Sacerdotalem Aâronicam; de Humillimâ natus est humillimus, de Pauperrimâ Pauperculus, de Obediente obedientissimus de Ancillâ servus, de gratiâ plenâ, gratiâ plenus, imò Gratiæ plenitudo, de Victrice Victor, de Gloriosâ triumphatrice triumphator gloriosus, & omnis Gloriæ Rex. Denique de Terribili sicut Castrorum acies Ordinata, fortissimus armatus David prodijt: *tanquam tenerrimus ligni vermiculus, qui infinitos prostravit, interfecitque impetu uno.* (2. Reg. 23.) Ergo meritò Deus unam solamque Mariam, in amore suo, præfert toti Ecclesiæ separatæ à Mariâ: omnibusque Creaturis, simul licet acceptis, à Mariâ autem sejunctis.

8. Porrò DEUS, Mariæ Filius, triplici Amore amat Mariam Matrem suam. Excepto enim amore illo universali, quo Deus diligit omnia opera suarum manuum, tanquam suæ bonitatis effecta, tanquam perfectionis suæ imagines, & imitationes, quo etiam Amore diligit Deus, Mariæ Filius eandem: præter hoc diligit eam;

1. Amore naturali, tanquam Filius Matrem, dilexit & diligit eam: cujus non solùm Consanguineus, sed etiam ipse Sanguis est: habetque fundamentum amandi, naturalem Originem substantialem: quod fundamentum immobile, & immutabile cum sit; inducit etiam amorem, atque amicitiam ejusmodi: & præsertim in Christo erga Matrem: (sicuti etiam in Matre erga Christum: quia Christus solius dumtaxat Mariæ filius fuit, sine Patre temporali, unde necesse non habuit partiri amorem suum Filialem, sed totum soli Matri, impendit: sicut & solam illâ, Originem sui esse Theandrici habuit. Accessit ad hunc amorem Filij erga Matrem conciliandum, fovendum, augendumque admirabilis, & planè ineffabilis similitudo Matris illius cum Filio, Filiique vicissim cum Matre: in corporis, morumque compositione, suavitate, gratiositate, pulchritudine, decoro, & cælesti quadam specie, ac elegantiâ: sicut de Filio isto Mariæ dixit David verissime; *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (Ps. 44.); ita idipsum de hac Beatissimâ Matre, plenissimâ veritate dici meritò potuit: ut pote, cujus ad instar Filius formatus fuerat, ejusque Speciositatem in se transtulerat. Addi etiam potest, imò debet: quòd inter hunc Filium atque ejus Matrem, fuit semper suavissimus convictus, affectuosissima mutuorum obsequiorum, & officiorum communicatio, atque concertatio: quæ mirificè Amoré filii excitans, Matrem super omnes Creaturas amare faciebat. Neque faciebat solùm, sed etiam facit, facietque in æternum. Siquidem eædem amandi causæ permansuræ sunt in æternum.

2. Amavit Christus Deus Matrem suam amore item Naturali acquisito, qui ad naturalem illum innatum accessit. Nam sic Dominus noster inter nos vivens, amavit (prout Euangelio teste scimus) hoc acquisito amore, Joannem, Magdalenam, Martham, Lazarum, Adolescentem illum quem ad sui sequelam invitavit; amavit discipulos suos; quomodo non infinities impensiùs Amore flagravit erga suam Matrem, cujus (ut alia fomenta, jam superiùs memorata præteream) à primâ sui Conceptione, usque ad Vitæ finem quidem, sed per annos triginta integros convictu, cohabitatione, comitatu, obsequiisque quotidianis, imò perpetuis usus est: Et cujus superamabili conversatione, conspectuque omnem molestiam (quam ex aliorum hominum, omnium sanè, qui tunc vivebant, at maximè ex Vicinorum, populorumque suorum, rudi, morosо, exoso, indignitatumque, ac ingratitudinum pleno, convictu, conspectu, cæteroque commercio hauriebat, eâque mirum in modum, sanctissimus illius Animus cruciabatur) abstergebat, & alleviabat.

3. Amavit Dominus IESUS, DEUS Homo Matrem suam Amore supernatura-

li, eoq;

li, eoque ita elevato, ita ardenti, ita appretiativo; ita summo, & pleno, ut non solùm omnium Creaturarum amorem in eo evinceret, sed solo suo amore, quo Patrem æternum, & quo semetipsum Hominem DEUM amabat, minorem eum haberet. De cætero, nulla Creata mens amoris illius, Filii Dei in Matrem vehementiam, eminentiamque capere, nulla æstimare, nulla cogitare idonea est. Sed solus illum Dei Filius habere erga Matrem potuit, sola illum Mater DEI MARIA, à Filio erga se habere digna fuit, & est, eritque per omnes æternitates. Ob quod meritò illi Pater suus David congratulans in spiritu occinuit; Diligit Dominus Portas Sion, super omnia Tabernacula Jacob. Cujus illa ipsa satis conscia, atque ideo cum Gratiarum actione, gratulabunda, adgaudensque, sibi etiam occinit; *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

4. Verè igitur, & indubitatè DEUS plus amat unam, solamque MARIAM Matrem suam, quàm aut totam Ecclesiam, aut quàm omnem penitùs Creaturam collectim, sed à solâ Maria seorsim, sumptam.

5. Ob quod meritò etiam, omnis tam Angelorum, quàm Hominum Ecclesia, eandem Mariam Dei Matrem plus amat, plus veneratur, plus exaltat, quàm ullam aliam rem, aut quàm sese totam: per amorem & venerationem, & exaltationem, unius solius Dei amore, veneratione, exaltationeque inferiorem, ac minorem, utpote quæ sit solo minor Deo, ac uni secunda Deo.

6. Ob hoc etiam, eadem universa Dei Ecclesia, eandem Dei sui Matrem, tanto amore, & cultu, ac laude dignam putat, ut se ejus amori, & cultui, & laudi, omnino imparem judicet. Ob hoc enim illam ita & alloquitur, & precatur; *dignare me, laudare* (amare, venerari,) *te Virgo sacrata.* Quo precandi modo, hoc utique testatur universa Dei Ecclesia, tantam esse, supra totam se Matris Dei elevationem, exaltationemque Dignitatis, atque laudabilitatis; ut omni suâ capacitate, & contentione, nec sit, nec esse possit condigna ad ejus adæquatam exaltationem, atque laudationem: sed debeat ipsa Dei Mater condescendere in hoc, suæque Celsitudinis verticem dignanter inclinare, licentiamque Ecclesiæ aliquatenus indulgere, quâ præsumat conari aliquid in laudem Virginis Sacratæ, Matrisque Dei electæ, & Deo super superque dilectæ.

7. O verè stupendam MARIÆ sublimitatem, & quodammodo de Divinæ sublimitatis eminentiâ participem. Sicut enim Dei nostri tanta est Dignitatis, Majestatis, Magnitudinisque eminentia, ut ad ejus laudes, & amores, ac superexaltationes, tam impar sit, quàm obligata: tam indigna, quàm obstricta: tam inidonea quàm debitrix; omnis Creata, quantumcunque sublimetur possibilitas: sed sit Divinæ Dignationis miraculum, quòd se à suis Creaturis cognosci, amari, laudari, obsequiisque coli sinat: Ita & Mater Dei & Virgo sacrata MARIA, sic est in suâ Maternali Dignitate super omnem Ecclesiam, superque omnem Creaturarum universitatem, ut eam amari, coli, laudarique, deputandum sit ipsius Mariæ dignationi, atque beneficæ indulgentiæ: possitque accommodari Mariæ illud, quod de Deo principaliter dictum est; *Glorificantes DEI Matrem quantumcunque potueritis, supervalebit enim adhuc: & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes, exaltate illam, quantùm potestis. Major est enim omni laude.* (Eccl: 42. 33)

Sive ergo amare, sive colere, sive laudare, sive invocare, sive concupiscere, sive appretiare, sive imitari, sive prædicare voles Mariam, quisquis voles: agnosce, & reputa illam sublimiorem omnibus, ad amandum colendum, laudandum, &c. conatibus, propositis, debitisque tuis: ac ideo illam quocunque obsequio prosequuturus, tuo, totiusque Ecclesiæ, quin & universæ creaturæ nomine, devotus, & humiliatus præmitte; Dignare me, laudare te, Mater Dei, & Virgo, super omnes Deo dilecta, super omnes Deo sacrata, super omnes Deo digna.

PRAXIS.

PRetiosissima, atque super omnes creaturas dilecta DEO, DEI Mater, ac Virgo Sacrata MARIA: agnosco, & confiteor, me, omnemque DEI Ecclesiam, quin & creaturam Dei universam, non tantùm imparem, sed etiam indignam amare, laudare, honorare te: propterea & meo, & totius Ecclesiæ, & universæ Creaturæ Nomine, & debito, & affectu, & spiritu, conatuque devotissimo, supplex clamo ad te; Dignare me, laudare te, exaltare te, honorificare te, omnibus, tibi licet imparibus, debitis tamen atque placitis obsequiis demereri Te; laudibusque, & obsequiis tuis impendi: atque immori. propter Te, propterque Filium tuum, DEUM meum, omniumque nostrûm, ô Virgo sacrata, ô Virgo Mater electa, ô Virgo & Mater DEI, Amen.

EXERCITIORUM
PARS IX.
Erga Sanctos Angelos.

EXERCITIUM I.

De Naturâ, Gratiâ, Gloriâ, Studiis, Operibusq; SS. Angelorum.

1. STatue te coram Sanctis Angelis, eorumque Ordinibus universis, quos novem Sacra Scriptura memorat, & Ecclesia Christiana Catholica veneratur. Sunt autem, Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatûs, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubini, Seraphini.

2. Expende eorum Naturam, Gratiam, Gloriam, Opera, & occupationes, seu ministeria, numerum denique.

3. Natura SS. Angelorum omnium est, esse Creaturas omnis Materiæ, materialisque concretionis, compositionis, ac ideo etiam corruptionis expertes. Sunt naturâ suæ conditionis, puri Spiritûs, puræque Substantiæ, ac Mentes, Intelligentiæque, seu intellectuales, & intelligentes, omnia, per suam ipsorum substantiam, aut etiam per concreatas inditasq; sibi ab authore naturæ rerum cognoscibilium species, juxta cujusque ordinis in naturâ gradû perfectiorem, & ipsas quoque perfectiores, atque ideo pauciores, & simpliciores. Sunt naturæ repletæ Sapientiâ, Scientiâ, Prudentiâ, Iustitiâ, ac rectitudine, Potentiâ, & fortitudine, subtilitate, ac pernicitate velocissimæ, quibus materiale nihil obsistat; uno verbo, omni naturali perfectione ornatuq; præcellentes.

4. Gratia, seu Sanctitas Angelorum est naturali cujusque perfectioni admensa: esto supernaturalis sit, & infusa, concreata tamen: in quâ etsi ab initio confirmati non fuerant; ubi primùm tamen Pro honore, & obedientiâ Dei, contra Luciferum stetêre, & fidelitatem, subjectionemque suam Deo debitam probavêre, mox in Gratiâ & sanctitate, amicitiâque divinâ æternùm confirmati, ac beatificâ Gloriâ, fruitioneque Dei intuitivâ potiti sunt. Est ergo Gratia Angelorum, Sanctitatis, & Justitiæ, & Amicitiæ Dei supernaturalis plenitudine, perfecto, & adæquato naturæ suæ modo, donatos, ornatos, repletos, atque in hoc confirmatos esse. Itaque Angeli Sancti, pro suo quisque gradu, excellunt cognitione Dei supernaturali, excellunt notitiâ omnis suæ erga Deum obligationis: excellunt submissione, humilitate, reverentiâ, obedientiâ, exaltatione, laude, devotione erga Deum; excellunt studio, & affectu, & conatu, effectuque, maximæ, visceroſissimæ, incessabilis, infatigabilis, insatiabilisque exaltationis, & glorificationis Dei, & jubilationis, admirationisque, super omni, omnem eorum captum superexcedente Majestate, Dignitate, Perfectione Dei. Super omnia verò excellunt, amore, dilectione, æstimatione; superlatione, charitate, charitatisque consummatione erga Deum.

5. Gloria Angelorum Sanctorum est esse primogenitos Beatitudinis consummatæ, primitias vitæ æternæ: Primos adoptionis Dei filios, primosque domesticos, ac Cives Dei, & civitatis cælestis, primos fructus beatæ æternitatis, possessionis, fruitionis, visionis, hereditationisque Divinæ. Illi sunt Astra prima, seu Matutina Deum laudantia: & jubilantes coram eo filii: nescientes cessationem, ac silentium glorificationis, atque laudis, sed resonantes, repetentesque semper, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus noster.

6. Ministeria, exercitia, operationesque SS. Angelorum sunt Beatos esse Deo, hoc est: 1. Deum beatificè & intuitivè revelatâ facie ad faciem videre, eodemque beatificè frui, gaudere, glorificari, eundemque glorificare, ac possidere, laudare, ac supersuperque exaltare. 2. Deum Hominem Christum IESUM scire, exaltare, amare, venerari, & de eo exultare, illi ministrare, eum adorare, ejus gloriæ cooperari, ac merita in fructum hominum deducere, fidem, legem, virtutes, Sacramenta, potissimum Eucharistiæ, Ecclesiamque illius protegere, ac propagare.

gare. 3. Pretiosissimam Verbi Incarnati, seu Dei Hominis, Matrem Virginem, colere, magnificare, exaltare, eidemque obsequi, & congaudere. 4. Omnes qui ex hominibus sunt electi, & specialiter qui jam beati sunt, fraternè, & tenerrimè amare, eos ad salutem deducere, media providere, & offerre, impedimenta verò subducere, aut ne in eis cadant confirmare, conservareque. 5. Omnes homines per hanc mortalem vitam custodire, in omnibus viis eorum, salutis eorum bonum ex Dei nutu procurare, & promovere, potestates dæmoniacas refrenare. 6. De Gloriâ ac Beatitudine, tam suâ, quàm hominum exultare, congratulari, Deumque exaltare, & gratias agere. 7. Partibus universi tam supernis, quàm inferioribus, Regnis item, populis, & Regibus, & Urbibus, aliisque locis, ac ministeriis in bonum universi totius, ac specialiter, hominum, specialissimè electorum, gubernandis invigilare, & præesse. 8. Animas purgatorii revisere, solari, earum auxilia sedulò procurare, deferre, ac tandem purgatas eximere pœnis, cælo inferere, Deo, Christoque præsentare, ac suis quamque Beatitudinis sedibus reddere. 9. Agonizantibus hîc hominibus adesse, & migrantibus è Corpore coram Deo judice assistere: accusantiumq; dæmonum rabiem coërcere. 10. Diabolicas vires, nequitias, tentationes compescere, atque contundere.

7. Numerus Angelorum innumerabilis, ac soli Deo cognitus est: omnium materialium sublunarium numerum excedens, atque vincens. Teste Domino nostro Iesu Christo, numerus Angelorum ad numerum Hominum est, sicut 99. ad unû: In numero Angelorum illud est mirabile valde, & numero rerû materialium contrarium: In rebus enim materialibus sublunaribus, quò sunt res perfectiores naturâ, eò sunt fermè rariores & pauciores: quò autem viliores, eò magis multiplicatæ: at in Angelis creditur oppositum esse: quo inferiores sunt eo pauciores numero: qui tamen sunt Angeli superiores, eò sunt numero plures. Itaque Seraphinorum multitudo major est quam Cherubinorum, imò fortè quàm reliquorum omnium ordinum Angelicorum. Decebat nimirum Dei potentiam, pari passu cum Bonitate & Perfectione in Angelis sanctis procedere: & hos numero plures condere, quos perfectiores, & ad perfectiora majestatis suæ obsequia liberalissimè condidisset. Nullum verò est Ange-

A licorum Spirituum munus sublimius, quã esse substantias in Amorem Dei creatas: quod proprium est Seraphinorum, unde etiam nomen sortiuntur.

8. Gratulare Sanctis Angelis, bona Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, gratulare Ministeria, & opera eorum: ad communionem eorum adspira: Officia, & studia etiam, tibi pro posse appropria; maximeque familiaria & assidua tibi facere contende: usque dum eis etiam loco cõjunctus eorum numerum adaugeas in Beatitudine.

PRAXIS.

B *Pater Spirituum, & conditor Angelorum Deus. Tu initio Creaturæ, Spiritus incorporeos, immortales, omnibusq; Naturæ intellectualis dotibus, ac bonis præditos condidisti: eosdem simul, juxtà naturæ cujusque perfectionem, etiam Sanctificantis, Gratiæ, Virtutumq; congruarum, ornamentis coram te sublimasti: ac posteaquam eos Tibi fideles in Obedientiâ & Honore amoreque tuo cognovisses, ad Beatificam tui Visionem, fruitionem, possessionemque, eosdem evexisti. Te nos homuli viles, pro hac tuæ bonitatis in Sanctos adeo munificâ profusione glorificamus, exaltamus, atque gratiarum actione omnimodâ prosequimur: simul verò omnibus hisce Sanctis Angelis tuis, beatissimã omni* C *ex parte conditionem gratulamur, & adgaudemus: per eorundem piissimam apud Te pro nobis intercessionem, fiducialiter abs te postulantes, ut nos servulos tuos, primum quidem in hac mortali, miserâ vitâ, deinde verò in illâ beatissimi Regni tui gloriâ, Angelis tuis sociare, adæquare, eorum nos officiis, & studiis, & ministeriis, tum juvari, tum exerceri incessabiliter, infatigabiliter, & amplius, ampliusq; semper inhærere concedas, jubeas, & facias. Da nobis Domine, te hic per fidem, & Sapientiam cognoscere: In Cælo autem tui beatifica Visione perfrui. Da nobis DEUM Hominem, IESUM Christum, Filium tuum Dominum nostrum agnoscere, credere, prædicare, exaltare, de eo exul-* D *tare, ejus gloriæ quàm efficacissimè cooperari, ac deservire. Da nobis Pretiosissimam DEI Matrem Virginem incessabili pietate ac devotione Magnificare, &c.*

EXERCITIUM II.

De Sanctis Angelis, Archangelis, Virtutibus.

1. Statue te coram omnibus & singulis Angelicorum Spirituum Ordinibus: qui cùm sint veluti quædam imagines Dei vivaque, ac præstantia Exemplaria, altissimas Dei perfectiones repræsen-

tantia, ex eorum cognitione, atque consideratione, ad ipsorum etiam cultum ac venerationem te excita.

2. Præsertim; quia fratres nostri, & quidem Natu, seu Creatione majores, atque priores nobis sunt, omnes quoque (dicente Apostolo) administratorii spiritûs, missi in Ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis: unde & Mandatum habent de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. De quâ re inferiùs considerabitur.

3. Nunc unius Hierarchiæ, seu trium Ordinum Angelicorũ expende proprietates atque perfectiones, per quas Deus in eis elucet: & ipsi Deum effigurant.

Angeli: sunt ideæ & Exemplaria ac Imagines, piissimæ illius quæ in Deo est benignitatis, ac benignissimæ pietatis: quia Deus Creaturas suas, maximè rationales, fovet, protegit, defensat, sustentat, condescendit, ad se pellicit, apud se detinet, libenter, & amabilissimè, ut in justis, atque peccatoribus hominibus præcipuè dilucescit.

Quodsi pios, mites, benignosque homines intueri, suavissimum est: quid tandem est suavitatis, spectare, & convivere tot ipsius Dei (ut sic dicam) Pietatibus, Benignitatibusque, quot sunt Spiritûs in Ordine Angelorum? Et; si tanta est in uno Angelo, (quantam quidem quilibet nostrorum in suo Angelo Custode experitur) Pietas, quæ fidem, & captum hominis excedit, quanta est tandem in Deo ipso, cujus Pietatem, Benignitatemque, Angeli omnes & singuli, aliter, aliterque repræsentant: vix tamen aliquotam ejus partẽ repræsentant: sed infinitum adhuc superest repræsentandum.

Disce & tu, per Animam tuam, moresque tuos, repræsentare Pietatem Dei: imitando in eâ Angelos: assumendo tibi pro ideâ pietatem Angeli tui custodis in te: Postquam tuâ in alios proximos tuos benignitate, (erga inferiores, æquales, superiores) Angeli benignitatem expresseris; tunc atomum divinæ benignitatis, pietatisque fueris assecutus.

O Deus, qui Angelos Sanctos condidisti, & eos supereffluentiâ Pietatis, Benignitatisque tuæ adimplesti, benedicant Te omnes Angeli tui, & benedicta sit Pietas tua in æternùm.

Archangeli: sunt Imagines augustissimæ majestatis, authoritatis, gravitatisque Divinæ: quâ Deus omnia cum authoritate, & plane potestatem plenissimam habens, operatur. Sunt Archangeli quasi major quidam Dei Senatus: altioresque & intimiores Secretarii, ad graviora negotia deputari soliti.

Quodsi augustum quiddam eminet in uno gravi Senatore, vel in uno Senatorio consessu: quid putamus elucere majestatis, in illo Archangelico Senatu, quorum quilibet repræsentat majestatem, authoritatem Dei gravissimam, gravissimè, atque augustissimè?

Ac si tanta est in uno Archangelo Majestas, quanta putas est in omnibus? quãta porrò in ipso Deo, cujus Majestatis vix aliquotam partem omnes Archangeli repræsentant?

Apprehende prout condignissimè potes, Dei admirandam majestatem: ut eam ubique reverearis, in omni opere tuo, quàm profundissimè: sed maxime quando assistis Deo in Oratione, aut Missæ Sacrificio: aut quando cum his qui vicem Dei gerunt tractas.

O Deus, coram quo Sancti Archangeli adstant, cum ineffabili reverentiâ semper: benedictus sis in eis: & benedicant te omnes illi, & benedicta sit universa majestas, gravitas, authoritasque tua in æternùm.

Virtutes: sunt imagines Virtutis efficacitatisque, nec non excessivitatis Dei, mirabilium, & extraordinariorum operum, effectuumque, operatricis: omnem non solùm naturalis, sed etiam supernaturalis communis ordinis modum excedere, ac immutare prævalentis. Elucescit enim in Virtutibus, vis illa Dei eminens, ac supereminens, qua potest Deus omnia, quæ nobis miracula sunt, efficere facillime, & solo voluntatis suæ nutu. Itaque Virtutes repræsentant Dei virtutem miraculorum opificem.

Quodsi miracula miramur non tantum Divina, sed etiam humana, naturæ scilicet, vel artis; quantus est stupor, tot illos Artifices Divinos videre, tot Divinæ artificiositatis, & quidem miraculosæ imagines, & specula intueri, ad hoc à Divinâ Sapientiâ, & Virtute condita, ut ingeniosa, mira, stupenda, supernaturalia, miraculosaque opera, & efficiant, & divinam horum operatricem vim, virtutemque repræsentent?

Quis enarrabit ingenia illa, Artes, operaque Virtutum istarum? ac, si tanta est in unico hujus ordinis Spiritu vis, ad opera stupenda patranda; si tanta in omnibus; quanta est in ipso Oceano, fontalique, & abyssali mari Virtutum Deo?

Consuesce, considerare opera Dei, & expavescere, & Virtuti Divinæ non detrahere, nec diffidere: consuesce potiùs in spem contra spem fidere, & heroica opera, cum minimè per te potes, per Deum aggredi, deque Deo præsumendo dicere: *In DEO faciemus Virtutem*: etenim *omnia possũ in eo, qui me confortat: & ipse ad nihilum rediget inimicos nostros.*

(Ps. 59. 14. Philip. 4. 13. Ps. 107. 14.)

O Spiritûs potentes Virtute, ad faciendum Dei verbum, benedicite Deum, quia ille Dominus Virtutum est. Et Tu Domine Virtutum, sis benedictus in Virtutibus tuis in æternùm.

EXERCITIUM III.

De SS. Principatibus, Potestatibus, Dominationibus.

1. STatue te coram secundâ Sanctorum Angelorum Hierarchiâ, quâ continentur Principatus, Potestates, ac Dominationes: in eisque dispice, quæ, & quantæ Dei perfectiones repræsententur.

PRINCIPATUS: sunt Imagines originationis Divinæ: quâ Deus est Principium, omnis Entitatis, rerumque omnium origo: consequenter, est omnium rerum Primus, & Princeps. Igitur Sancti Principatus seipsis repræsentant hanc Dei perfectionem.

Quodsi unius aut alterius rei miramur principia; scrutamurque avidissimè causas primas; quàm erit admirabile, tot Principatus, tot Principes, tot principationes videre: è quibus singulis, omnibusque, ille Dei principatus, unus quidem, ac idem, sed alio, atque alio modo repræsentatur, ita ut omnium sit natura, & conatus, ostendere seipso, Deum esse Principium, & Principem rerum omniũ: Alpha, & Omega: idque alio, & alio quodam ostendendi modo. Quæ res est omnino admirationis ineffabilis: sicuti etiam illa ratio, quâ Deus est omnium rerum Principium, est omnino inexhausta, & nullatenus explicanda: nullatenus à tot licet Principatibus plenè repræsentanda.

Si unum aliquod rei cujuspiam Principium nosse, tam magnum, & ambitiosum est apud homines, etiam sapientes; ut hæc cognitio ad Sapientiam potissimùm pertinere putetur: quantũ erit tot Principia, tot Principatûs, tot Principiandi rationes, quibus unus, idemque Deus, dat rebus omnibus esse, & vires, & indolem omnem, & principium omnium est, videre, penetrare, cum eisdemque versari?

A

Disce in Vita tuâ, & in actionibus tuis, non humi repere, sed per Principia, primasque Virtutes gubernari, in iis cõquiescere, & assuefac te Adoratorio, & Latreutico cultui Dei tui, qui illi à te, & ab omni Creaturâ, hoc uno maximè nomine debetur, quia est Principium omnium, & dat omnibus Esse, & Vitam: & dat ille solus, ille unus, dat continuè, & constanter, & nemo alius, & non improperat: ideoque est Summus Princeps, absolutus Dominus, supremus Dominator: & illi debet flecti omne genu, illi debet subjici omnis Creatura, in omnibus, & semper: etiamsi, & omnia, & Vitam, & Esse totum, ejus Voluntati, Gloriæ, amori; subjectioni impendi debeat. Hic enim est unus, & summus honor Creaturæ, impendi cum toto suo Esse, Creatori Deo, ejusque Voluntati, & Cultui, atque Honori.

B

O Princeps Principatuum Domine DEUS: sis benedictus in Principatibus tuis in æternùm: & fac nos ad Te originem, Principiumque nostrum, redire: & in Te manere immobiliter, teque venerari, & adorare, infatigabiliter, ac incessabiliter, toto nostro, quantumquantum sumus; (totum enim a te, & ex Te sumus, (Esse in æternùm.

C

POTESTATES: sunt Imagines omnipotentiæ Dei ad omnia, non solùm facta, aut futura, sed etiam possibilia sese extendentis. Potestates ergo Sanctæ, suo Esse repræsentant Deum omnia posse, non tantùm quæ facta, aut futura sunt, sed etiam quæ nunquam fient, possibilia tamen sunt.

Si tam jucundum est spectare factas res naturales, & materiales, in eo numero, pondere, varietate, nexu, ordine, mensurâ, propagatione, operatione; quæ utique sunt veluti fæces, & sedimenta creaturarum nobiliorum, fæculentiaque, & sentina magni hujus Dolii, id est Mundi; quæ in hoc ejus fundo subsedit; in centro nimirum Terræ; suntque minima portio rerum possibilium; Quid erit spectare vivas, defæcatas, purissimasque Potestates, seu Imagines Potentiæ Dei, etiam ad Possibilia terminatæ; seu (si eas condere placeret) terminandæ; & in eis etiam quodammodo spectare ipsas res possibiles, earumque varietatem, & opulentiam infinitam? Infinitos nimirum Mundos, sive huic nostro similes, sive etiam planè ab hoc diversos & dissimiles: Infinitos

D

finitos Cælos, Soles, Stellas, infinita numero maria, infinitas terras, & terræ opes: & incolas sive rationales, sive rationis egenas. Quæ omnia condere, tam est, imò magis est in Potestate Dei, quàm est nobis de earum possibilitate cogitare.

Quodsi Divina Potestas, in hisce Spiritibus tanta elucet; quanta ergo erit illa in semetipsâ: cujus unicum vix granum, repræsentant omnes hujus Ordinis Spiritûs, sed adhuc supersunt infinitæ omnipotentiæ abyssi irrepræsentatæ.

Stude tu quoque, Potentiam Potestatemque Dei repræsentare: & quidem tuâ infirmitate: quæ quantò est major in te, tantò aptior est ad Dei potentiam ostendendam: modò illam Deo subjicias quàm plenissimâ resignatione, in manus Potentiæ ejus. Nam quantò tu infirmus, ineptus, despicabilis, erroneus, cæcus, malus, magis es; tantò plus campi habet Potestas Divina, ad sese in te, & per te, ostentandam, si quid per te efficere dignata fuerit: dignabitur autem; si tua superbia, diffidentia, infidelitas, negligentia, non impedierit.

O Deus, qui Potestatum habes Potestatem: sis benedictus in Potestatibus tuis, & in infirmitatibus nostris in æternùm.

Dominationes: sunt Imagines absoluti Dominii Dei, eminentis, alti, independentis, irrefragabilis, ac irresistibilis, seu cui nemo resistere, quodque nemo exuere, aut excutere potest: Imò, quo est omnium Dominus naturaliter, & essentialiter. Itaque Deus, tanquam Dominus condidit sibi Dominationes: quæ Deum esse Dominatorem, absolutumque Dominum clamant, non voce, sed entitate, ac esse: clamant ergo tot diversis modis, quot ipsi Spiritûs numero in hoc ordine sunt.

Quodsi unius Domini, hujus Mundi, formidanda est Dominatio; quis stupor, & quàm sacer est ille horror, augustaque majestas, tot Dominos, imò tot Dominationes videre; spectare tot modis unam eandemque Dei Dominationem, per singulos, aliter tamen à singulis, repræsentatam? Dominationem verò non unius terræ anguli, non ita limitatam, ut hìc videmus, sed totius rerum, etiam possibilium, universitatis, eamque absolutam, illimitatam, omnimodam.

Et quamvis in horum Spirituum singulis tantopere elucet Dominium Dei, in omnibus tamen vix minutissima portio ejus, prout in se est elucet: sed infinitum adhuc superest, ad quod Spiritus illi demonstrandum non pertingunt, neque pertingerent unquam, licet infinities plures, pluresque ad eam demonstrandam conderentur. Et audent tamen (prô audaciam!) despicatissimi vermiculi, Dæmones atque Homines, in Deum omnis Dominii Dominum, usque adeo impotenter, & impudenter irruere!

Potes & tu Dominationis Divinæ esse Imago: si nulli rei creatæ, metu, vel spe, vel amore, subsis: si tu tibi domineris, Deo autem subjiciaris: si omnia tua sint: & tu in nullius, præter quam Dei, & propter Deum, redigaris potestatem: si omnia cooperentur tibi in bonum: hoc est, in glorificationem, & subjectionem Dei: Si Deus tibi sit solus, & omnia: omnia autem in omnibus: & in ipso Deo nihil timeas, nisi hoc, ne illum minùs, quàm par est, vel timeas, vel diligas. Tunc vere similis Dominationibus, imò & unus ex Dominationibus eris.

O Dominationum Rex, & Dominator DEUS, sis benedictus in tuis, & à tuis Dominationibus in æternùm.

EXERCITIUM IV.

De SS. Thronis, Cherubinis, Seraphinis.

1. Statue te coram tertiâ Sanctorum Angelorum Hierarchiâ, continente in se Thronos, Cherubinos, Seraphinos: in eisque dispice, quæ, quales, & quantæ Divinæ perfectiones elucescant?

Throni: sunt Imagines Iustitiæ, æquitatisque Dei: quam ob rem illi Spiritus Throni appellantur: quod repræsentent suâ Entitate, & Naturâ, Judicia, Decretaque Dei, esse rectissima, esse æquissima, esse inevitabilia, esse immutabilia. Ita ut illos spiritûs videre; sit videre Iustitiam Dei, unam quidem, ac eandem in se, sed tamen diversimode, in tot exemplaribus repræsentatam, quot sunt in hoc Ordine Spiritus.

Si ergo Homines aspectu Iudicis, Iudicum, Iudiciique concutiuntur, & cohorrescunt, dum pro Tribunali jus dicentes, decretaque ferentes, homines alioqui sibi similes intuentur; quid quæso est, videre illos tot Iudices, tot vivos Thronos Dei judicantis, tot repræsentatores inscrutabilium, terribilium, æquissimorum judiciorum Dei? Quid est videre Deum, in tot speculis, tam diversis, tam mirè potestatem suam judiciariam demon-

monstrantem, & in magnitudine, ac specie æquitatis suæ, super Thronos residentem?

Quodsi in uno horum Spirituum tanta se prodit rectitudo, & inscrutabilitas Justitiæ Dei: quanta in omnibus? quanta demùm in ipso Deo, cujus Essentia Justitia est?

Attende ad hanc Justitiam Dei, & ad tot imagines ejus: concurrere saluberrimo timore altissimorum, occultissimorum, & tamen justissimorum Dei judiciorum super te, & super omnem Creaturam, præsertim rationalem: indue quoque Justitiam Dei, & ejus rectitudinem, & eam in tuis moribus, negotiis, officiis, sententiis, sermonibus, exerce: ut justitia quoque tua, per modum cujusdam Throni, repræsentet æquitatem Iustitiæ Dei: libertatem etiam, & inflexibilitatem, ab affectu, & respectu, à timore, à spe, ab amore, ab odio, sed sit Iustitia tua sicut Throni, sicut Montes Dei.

O Deus, omnis justitiæ æquitatis Rex: judicans justitias: sis benedictus in Thronis justitiæ tuæ, in æternùm.

Cherubini: sunt Imagines Sapientiæ Dei, repræsentantes seipsis, Divinæ cognitionis, ac scientiæ omnimodam plenitudinem, omnium Veritatum comprehensionem, omnium abditorum, occultorumve perscrutationem, intimamque cognoscibilium omnium, in omnes partes intelligentiam & penetrationem: quam habet Deus consummatissimè de rebus omnibus existentibus, in quavis differentiâ temporis: & de possibilibus omnibus in quavis conditione & suppositione.

Itaque Cherubini, sunt quasi intellectûs Divini: quibus Deus non tantùm multa novit, aut docet, aut sapit, sed etiam se omnia comprehensivè intelligere manifestat. Etsi enim Cherubini suo intellectu, nec Deum, nec scientiam eius comprehendunt, aut exhauriunt: hoc tamen ostendunt Naturâ suâ, quod talis sit Deus, qui omnia novit, & plenissimè intueatur, & comprehendat, cognitioneque cognoscibilitatem omnem exhauriat, & omnia nuda, apertaque oculis suis habeat.

Si ergo Sapientissimorum Doctorum consessus, si unus etiam homo Doctus, tantam cæteris hominibus ciet admirationem, laudem, delectationem: quid tandem est videre illos Doctores Divinos, imò plenitudines illas Scientiæ, & Doctrinæ Dei, quas ipsa Dei Sapientia ad Normam sui condidit, suas Imagines fecit, substantialemque intellectum, & intellectualem substantiam impressit, Deo doctos fecit, & in cælesti illa Academiâ, ac omnes, & summos Sapientiæ gradûs promovit, Sapientes, Doctoresque pronuntiavit, imò creavit?

Ac si in uno Cherubino tantum Sapientiæ & omniscientiæ Divinæ elucet, & quid tandem elucet, aut potiùs residet, ejusdem Sapientiæ in omnibus Cherubinis? ac denique quid elucet, quid residet, quid inest, in ipsomet Deo, cujus Essentia, & Esse, est Sapientiam ipsam esse?

O quanta illa Sapiendi infinitudo! ad quam, non hi solùm, qui jam creati sunt, sed neque qui creabiles sunt Cherubini, cum omnibus Creaturis, quæ & ipsæ suis modulis repræsentativæ sunt Sapientiæ Dei, ullâ ex parte, repræsentatione adæquandam, sufficere possunt. Et si enim omnes & singuli Cherubini ita Sapientes sint, ut quasi Sapientiæ Dei dici possint: quia tamen, quilibet eorum aliter, atque aliter diversimode Sapientiam unicam Dei efformat; per hoc, non se sapientias, sed guttas Sapientiæ Dei esse omnes & singuli testantur.

Nemo Sapiens, nisi qui se nihil esse omnino, & sui & multò magis Dei respectu esse, plenissime sciverit, ac prædicaverit. Hanc si de te scientiam sciveris, & Sapientiam sapueris, Cherubinorum Sapientiam non desiderabis. Hæc est enim consummata Sapientia, nosse nihilum suum, nosse Dei Totum.

O DEUS qui sedes super Cherubim; & solus lux eorum es, illosque te Sapientes facis; Benedictus sis in eis, & ab eis, in æternùm.

Seraphini: sunt Imagines Charitatis Dei: repræsentant enim, quantùm Creaturæ fas est, quomodo seipsum Deus, & omnia alia in se, ac propter se, ac ipso se amet. Itaque Seraphini sunt Amores Dei creati: tot modis Deum ignitissimè amantes, ardentesque, quot ipsi sunt. Substantia enim eorum Amor est Dei: eo quidem sensu, quo Bernardus 5. de Consideratione, non dubitavit dicere: Seraphini non habent unde ament, sed sunt id quo amant Deum, sic enim conditi sunt, ut sint amans substantia, & Amor substantialis.

Jam ergo, si hominum Deum amantium conspectu, convictu, consortio, amicitiâque satiari non possumus, & si nos beatos, visis illis, vel auditis, vel semel in

vitâ, putamus: quis explicet, aut excogitet, qualis sit sensus, spectare, immisceri, adsociari, exæquari Spiritibus illis qui aliud sunt nihil, quam Amatores, imò, Amores Dei? quorum esse, vivere, intelligere, velle, agere, moveri, pati, mutari, & quidlibet operari, est Deum amare? qui toti sunt ignes, toti flammæ, toti clibani, toti carbones, toti incendia, igne illo Dei, igne illo qui est Deus, igne illo Charitatis Dei, ardentia, æstuantia, redundantia?

Atque si unus Seraphim tanto Deum amat incendio, vel potiùs, tantum est Amoris Divini incendium, ut omnes creatos ignes in unum conglobatos, mole, gradu, sphærâque superet: quantum incendium Amoris erunt omnes Seraphini simul? & quantum erit incendium suæ Charitatis Deus ipse? erit nempe Deus, & est, quoniam Deus Charitas est.

Morare, habita, aut saltem versare frequenter in hac Scholâ Seraphinorum amantium Deum, vel potiùs Amorum Dei: & ignesce totus quantus es ab incendiis istis, fiasque Carbo ignitus, igneus, ignis totus. Ah! quàm frigidum te esse oportet, qui à tot, tantisque ignibus, flammam æstumque non concipis? Supplica Dei Voluntati, sive Charitati, ut quemadmodum sibi condidit Seraphinos, hoc est, Charitates ac Amores, quibus se ex mente suâ, ad suam satietatem in Creaturis amet, ac deamet, & supersuperque amet; Sic te quoque talem faciat, ut se per Te, ad suam satietatem, & ex voluntate suâ, & ad gustûs sui exsaturationem amet, deamet, supersuperque amet: sis illi Seraphinus in terrâ, sicut Seraphini sunt illi in cælo. Non est tua minor, quàm illorum ad istud opus officiumque obligatio: cur ergo non sit tanta quanta & illorum erga Deum Dilectio?

O DEUS, Charitatis æternæ ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, semper ferves & nunquam tepescis: cui frigidi sunt ipsi Seraphini, ad amandum Te, dignè Te: accende & me, ut amem Te totus, & ardeam te totus. Sisque Benedictus in Seraphinis, & à me inter Seraphinos, in æternùm.

EXECITIUM V.

De Sanctis Angelis Custodibus nostris.

1. Statue te coram Angelis Custodibus tuis: quorum aliqui, (unus minimùm) personaliter tibi uni, per Bonitatem Dei, deputati sunt: aliqui autem per quandam communicationem, redundantiamque operæ suæ, tibi quoque invigilant: suâque opera & Charitate tibi prosunt, vel ratione officii tui, aut loci, habitaculique, aut cætûs, & congregationis, communitatisque tuæ, curam tui gerunt.

2. Expende curam illorum circa te, tam universalem, tam particularem, tam assiduam, tam constantem, tam patientem, tam infatigabilem, tam fidelem, tam humilem, tam minutam, tam charitativam. Nulli parentes, nulli nutritores, aut nutrices, nulli pædagogi aut magistri, nulli amici & familiares, nulli famuli, subditi, servi, & mancipia, nulla etiam jumenta, tam diligenter, tam demissè, tam exactè, tam benevolè, tam perenniter, tam vigilanter, tam plene, cum tot molestiarum, morositatum, protervitatum, petulantiarum, discolositatum, contemptionum, neglectuum, ingratitudinum, malitiarumque devoratione serviverunt, ulli ex hominibus homines: quàm tibi (& omnibus nobis) Angeli custodes serviunt, à puncto ortus tui in Mundum, vel deputationis suæ ad custodiam, ministeriumque tuum.

3. Homines, quòd aliis hominibus ministrent, habent causas rei varias. Naturalem affectionem, commodi spe, mercedem, necessitatem, honorem, fortunæ & status conditionem: Naturæ deputatione; ministrant: nec semper, nec in omnibus, neque enim possunt, vel honestè, vel commode. Ministrant ijs, quibus sunt naturâ vel similes, vel conditione subjecti: at Angeli non sic. Naturæ enim sunt suprà nos longè præstantioris, dignioris, perfectiorisque. Nullâ suâ utilitate, aut spe: nullo metu coacti, nullo honore, sæpè nec solatio ex nobis ullo, passim verò multâ nauseâ, gravamine, ingratitudine, offensionis materiâ. Serviunt autem nobis in omnibus omnino viis nostris: hoc est, in omnibus actibus, studiis, desideriis, conatibusque nostris, quantumcunque sæpè sibi ingratis, & exosis, quia improbis, & scelestis, & Dei voluntati contrariis. Serviunt cum omni fide, pietate, diligentiâ, constantiâ, charitate.

4. Huic tantorum Ministrorum obsequio, ac beneficio tanto, tamque multiplici, & ineffabili, adverte quàm indignè respondeant homines, respondeas & tu? quàm retribuas mala pro bonis, ne-

glectum

glectum pro diligentia, contemptum pro dilectione, indigna pro honore, repulsam pro adhæsione, malitiam pro benignitate, improbitatem pro pietate, inobedientiam pro admonitione, morositatem pro suavitate, pertinaciam & obstinationem pro constantiâ, pro assiduitate, pro sedulitate, pro saluberrimâ custodia.

5. Angeli Custodes nos ad Deum trahunt, nos fugimus Deum: illi nos ad bonum invitant, nos illud aversamur: illi nos illuminant, nos sponte cæcutimus, & tenebras ignorantiæ amamus: illi sana consilia inspirant, nos perversa amplectimur: illi arcent à nobis dæmones, nos ultro ad eos accedimus: illi tentationes vel prohibent, vel infringunt, nos eas & advocamus, & exasperamus: illi nos pœnis deterrent, nos in eas voluntarie vadimus: illi cum nostrâ stultitiâ, & malitiâ certant veritate, & pietate, nos stultitiam, & malitiam mordicus opponimus, & tenemus: illi nos à vanis, a terrenis, à noxiis, ad æterna, ad cælestia, ad salutaria provocant, & manu ducunt; nos spretis cælestibus æternisque, immergimur terrenis, bestialibus, & ad infernalem perditionem ducentibus. Illi nostra corda sursum sublevant, nos deorsum ea sponte præcipitamus: nos illi docent, & faciunt calcare basiliscos, leones, & dracones tartareos, at nos draconibus, basiliscisque ac leonibus, ipsisque tartaro nos calcandos, conterendos, devorandosque objicimus, & obtrudimus.

6. Adverte, quæ sit hæc indignitas, improbitasque, in Angelos, & in Angelorum Dominum, qui nobis illos destinavit? Adverte, quanta Dei in nos benignitas, & solicitudo, & amor? Adverte, quid saltem in posterum te facere deceat? quomodo cum Angelis, tuis benefactoribus versari, & agere? Adverte, quàm indignum sit, te unum homuncionem, carne, & brutitate concretum, & spiritu etiám, quamvis rationali, & immortali, attamen valde miserum, & mancum cum tot, tamque nobilibus, tamque beneficis, insuperque Deo æternùm beatis, & perfectis Spiritibus, adeò abjectè, sordidè, contemptim, ingratè, malitiosè, & obstinatè agere? Super omnia hæc adverte, quòd Angeli, sicut sunt missi in Ministerium æternæ tuæ salutis: sic in omni suo circa te studio, soli tuæ saluti æternæ, abs te consequendæ, omnibus melioribus modis studeant. Et nunquid aut tu optare, aut Angeli præstare tibi aliquid majus possunt? quam istam æternam salutem, quàm æterni, summi, boni Dei possessionem?

7. Adverte, & intellige, quantus sit dolor, te unum homuncionem miserrimum, à tot, tam nobilibus, præstantibus, sapientibus, potentibus, fidelibus, gloriosisque Angelis, Custodibus, Præsidibusque, non potuisse satis custodiri, servari, erudiri, emolliri, corrigi, flecti, defendi, ac salvari, & reddi Deo; propter solam spontaneam, vel incuriam, vel proterviam tuam.

8. Adverte, quam indignum sit: malos dæmones, insultare Sanctis Angelis, se nimirum fuisse feliciores, vel sagaciores, vel potentiores, ac vigilantiores, ad te perdendum, quàm Angelos ad te salvandum; plusque te illis obedivisse ad perditionem, quàm Angelis ad salutem, & beatitudinem?

9. Adverte, quanta sit consolatio, delectatio, & gloriatio, Angelis tuis sanctis Custodibus, cùm te sibi, suisque consiliis obsequentem, monitis facilem, ductui morigerum habent: cum te sibi, & Christo, & Deo per omnia similem, Gratiæ Gloriæque æternæ idoneum, virtutibus, perfectione, cæterisque Dei donis ornatum, in operibus bonis exercendis strenuum, constantemque, inimicum omni malo, vident, & habent, ac Deo singulis diebus, horis, momentisque exhibent, & coram cæteris Angelis, Beatisque mutuò gloriantur; demumque in cælestibus sedibus, sibi associatos collocatosque, exultant, & congratulantur?

10. Age jam, & statue tecum, quid te oporteat facere? qualem te deceat Angelis tuis Custodibus temetipsum exhibere? &c.

PRAXIS.

O Angeli Sancti Custodes mei: quàm ego omnibus bonis repletus sum per vos? Si me tradidero vobis in mancipium, & servum, non ero minimâ ex parte condignus Providentiæ vestræ circa me. Sit benedictus DEUS; sit benedicta Pietas ejus, quam vos repræsentatis in vobis erga me, omnibus diebus vitæ meæ. Ignoscite ingratitudini meæ præteritæ, sustinete insipientiam meam, & ad voluntatem vestram deducite voluntatem meam. Vobis ô Sancti Angeli implendum est, quod etiam nobis ab æternâ Veritate dictum est: In Patientiâ vestrâ possidebitis Animas vestras: vestræ scilicet curæ à DEO commissas. Ergo custodite me in Patientiâ, ut tandem repræsentetis, restituatisque me Creatori ac Redemptori meo in lætitiâ.

EXERCITIUM VI.

De Sanctis septem Principibus Angelis.

1. Statue te coram septem Sanctis Angelis Principibus, qui adstant coram Domino Deo semper, de quibus, non tantùm sæpè, sed etiam magnificè loquitur Scriptura Sacra: tanquam de Principibus Spirituum cælestium, atque adeò omnium Creaturarum.

2. Ex septem his Spirituum Beatorum Principibus, trium tantùm nomina expressa & celebria habemus in Canonicâ Scripturâ, scilicet Michaëlis, Gabrielis, Raphaelis: reliquarum quatuor non ité: attamen Urielis nomen habetur 4. *Esdr:* 4. 1. Sealthielis nomen colligitur ex *Genes: 16. 9.* Jehudielis ex *Exodi 23. 20.* Barachielis ex *Genes: 18. 10.*

3. Michaelis nomen explicatur, Quis sicut Deus? Gabrielis, Fortitudo Dei, vel, Fortis Deus. Raphaelis, curatio Dei, medicina Dei, Medicus Deus. Urielis, Lumen, vel Ignis Dei. Sealthielis, Petitio Dei: Iehudielis, Laus, sive, Confessio Dei: Barachielis, Benedictio Dei.

4. Ex his Nominum interpretationibus innotescunt officia & opera horum Spirituum.

Michaelis enim est opus ac officium, Deum exaltare, eiusque Dignitatem, & super omnia excellentiam, profiteri, atque tueri: quod præstitit cum Ecclesiâ Angelicâ semel in cælo, & præstat idipsū assiduè usque ad Iudicii diem cum Ecclesiâ humanâ, cujus etiam ille est præses, in terrâ.

Gabrielis opus, & munus est, omnipotentissimæ fortitudinis Dei opera nunciare, procurare, promovere, uti fecit Danieli, & Beatissimæ Dei Matri.

Raphaelis est munus, Protectorem, salvatorem, medicumque Deum nunciare, vel exhibere, ut in Thobiâ sene, & juniore, & in Sarâ ejus uxore notum est.

Urielis munus est, mortales cognitione Dei illuminare, & amore incendere.

Sealthielis munus est, orare Deum pro hominibus, iisdem spiritum orationis inspirare, & eosdem ad orandum Deum diligenter, frequenterque excitare.

Iehudielis est munus, ad confitendum Domino, laudesque illi deferendas excitare, & gloriam ejus promovere.

Barachielis proprium opus est, benedictiones, beneficiaque nobis apud Deū procurare: & nos pro beneficiis ad benedicendum Deo, agendasque gratias inducere.

5. Horum eorundem, septem Angelorum, officia septem explicantur in Scripturis. 1. Stare coram Deo semper, & in conspectu throni Dei: *Thob: 12. 15.* 2. Esse oculos Dei discurrentes in universam terram: *Zach. 4. 10. Ap. 5. 6.* 3. Tubas habere, iisque canere: *Apoc: 8. 2. 6.* Habere phialas aureas odoramentis plenas: *Apoc: 8. 3.* 5. Habere phialas plenas iracundiæ Dei, easque ex nutu Dei effundere in terram: *Apoc: 15. 6. 8.* & *Apoc: 16. 1.* 6. Gratiam facere, & mittere hominibus: *Apoc: 1. 4.* 7. Esse lampades ardentes ante thronum Dei: *Apoc: 4. 5.* Quibus omnibus designatur officium esse horum Angelorum. 1. Immediatè à Deo ejus voluntatem cognoscere, & eam aliis inferioribus Angelis, rerumque administris nunciare. 2. Potissimùm verò Angelos hominum, & rerum humanarum custodes, de consiliis Dei circa homines informare, resque humanas per Angelos nunciatas, ab iisque veluti exceptas, per se oculis Dei præsentare. 3. Ad hos eosdem Spiritûs septem spectat, potissimam Ecclesiæ Christi in terris curam gerere, eamque tueri, propagare, fovere, erudire, confortare, solari. 4. Spectat ad eosdē, perpetuum cum diabolicis spiritibus, omnibus quidem, at maximè, cum septem eorum, seu ordinibus, seu principibus (qui in hoc Mundo, & in Ecclesiâ, præcipuè salutem hominum, & Dei, Christique gloriam, & omnem Virtutem, omniaque Spiritûs sancti Dona, omnēm Dei Voluntatem, Consilia, & præcepta, omnia salutis auxilia in Sacramentis, & Sacrificio, & Gratiarum auxiliis sita, oppugnant, & evertere satagunt, per capitalia septem vitia) bellum gerere, omnem nequitiarum istarum vires, artes, tentationes, consilia, retundere, infringere, convellere; Virtutes, cæteraque salutis humanæ auxilia in nobis per se, per Angelos, per homines inferere, & promovere, stabilire: atque ita fractis dæmoniorum viribus, nobis ad cælum, & ad salutem viam patefacerē. 5. Ad hos etiam septem sanctos Principes spectat, Mūdum hunc inferiorem, & nunc principaliter gubernare: & sub Mundi finem, eundem ad judicium extremum, & ad finem, atque innovationem disponere. Ob quam rem iis tubæ, phialæ, tum odoramentorum, seu orationum, tum plagarum & Iræ Dei plenæ, attribuuntur.

6. Ex his collige 1. Quantâ præstent hi Sancti Spiritus, tum Naturæ in se dignitate: tum coram Deo gratiæ, gloriæque excellentiâ, tum in alias quoque Angelicas, & Humanas, & reliquas materiales creaturas potestate ac prærogativâ? Collige 2. Quanta præstent opera in hoc Universo, quanta beneficia conferant hominibus, potissimùm Christi fidelibus, & Ecclesiæ filiis, Deique cultoribus. Collige 3. Quali & quanto tibi sint honore colendi: quanta in eorum patrocinio fiducia collocanda, quantâ devotione, & frequentiâ orationum, & obsequiorum invocandi, & demerendi? Neque enim sine causâ dictum est per Ioannem, toti Ecclesiæ: *Gratia vobis, & pax, ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* (Apoc: 1. 4.) Utique his verbis placuit, eorum excellentiam, beneficentiam, protectionem eximiam circa nos explicari: ac per hoc etiam omnes nos ad eorum amorem, cultum, obsequium, invocationem, & fiduciam provocari.

PRAXIS.

Domine, cui adstat omnis Exercitus Angelorum: & cujus throno adsunt Principes septẽ, qui sunt veluti oculi septem discurrentes in universam terram: trade obsecro universam Ecclesiam tuam, nec non me minimum Ecclesiæ ejusdem filium, in peculiarem curam horum tuorum beatissimorum Principum: qui me, omnesq; illos, quos meos in Te esse scis, & vis: omnes item Ecclesiæ tuæ, tuosq; filios, ab impugnatione capitalium nequitiarum defendant: ad te verò super omnia exaltandum, ad opera Virtutum heroica facienda coram te, ad medelas animarum periclitantium in hoc periculoso mari, ad illustranda, & inflammanda, cæca, & frigida mortalium corda, ad supplicandum tibi, nec unquam ab oratione ad te deficiendum, ad confitendum & sacrificandum tibi Hostiam laudis, ad gratias perpetuas, tibi pro tuis innumeris, & inexhaustis beneficiis agendas promoveant: ac tandem dignos tuo conspectu beatissimo efficiant: & ad suam in assistendo tibi Societatem admittant.

EXERCITIUM VII.
De Sancto Michaele Archangelo.

1. Statue te in conspectu Sancti Michaelis, omnium Sanctorum Angelorum Principis.

2. Ejus beatissimi, eminentissimique Spiritûs, munera, & in omnem rerum universitatem promerita, itemque excellentias expende & æstima: sunt autem hæc,

1. Post Christum & eius Matrem: in omnibus Creaturis Dei, major nemo surrexit in donis Gratiæ, quam Michael: qui etiam in Naturæ donis, ipso Christo, & ejus Matre major est.

2. Idem S. Michael, non tantùm Angelis, aut Archangelis, sed omnibus omnino omnium Angelicarum Hierarchiarum spiritibus major est; atque maximus & supremus, est in hoc conditus; ut sit supremus Dei, ac in specie, Verbi Incarnati Amator, atque Societatis Seraphicæ Caput, & Fundator post Christum, & B. V. dignitate: ante Christum verò & eius Matrem tempore.

3. Idem, ad hoc specialiter conditus est à Deo: ut sit Amator & Zelator ignitissimus, ferventissimusque Dei, & Dignitatis ejus. Unde is primus exarsit in defensionem, confessionemque Divinæ supereminentiæ: evibrans gladium illum suum, contra invasorem, & Apostatam Luciperum, Quis ut DEUS?

4. Idem S. Michael, totius exercitûs Angelici est Patriarcha: & principalis post Deum, salutis, & perseverantiæ in bono, & tandem beatitudinis ipsorum Author, prædux, & Ecclesiæ totius, ex SS. Angelis constitutæ, caput.

5. Idem S. Michael, primus est Incarnati Verbi, seu Dei Hominis Confessor, ac testis, & Propugnator & Zelator: Primus se Deo Homini (futuro) submisit, & se fore subjectum, Angelosque omnes subiici debere, corde, atque opere, contestatus est.

6. Idem S. Michael, primus electus à Deo est, primusque re ipsâ Luciperi caput contrivit, eumque cũ omnibus Apostatis, asseclis, ita de cælo exterminavit, ut neque locus illius, illorumque, amplius comparuerit in cælo: sed in omnem æternitatẽ, præcluserit, præstruxeritque Lucipero, Luciperianisque omnibus, regressum ad cælum.

7. Idem S. Michael, est Ecclesiæ Christi præses, Dux, defensor, in præmium utique defensi honoris Divini, & propugnatæ Dignationis Verbi æterni, in Incarnatione subeundæ.

8. Idem S. Michael, omnium Sanctorum Angelorum, tam qui individue hominibus custodiendis adsunt, quàm qui generaliùs res hujus Mundi, Cælos, Elementa, Regna, Populos, populorum Principes, Reges, Urbes, rerum species moderan-

derantur ex Dei Voluntate, est moderator, & director Generalis, sub uno summo Imperatore Deo: agens id, ut in omnibus, & ab omnibus perficiatur Dei Voluntas: manifesteturque Gloria Domini, & propagetur cultus ejus, juxtà ordinationem Providentiæ æternæ.

9. Idem S. Michael, Signifer est Ecclesiæ Dei, prout ab ipsâmet, honoris causâ, nuncupatur: Sicut enim primus ille, Angelis suis in Cælo, signum pro Dei Honore, contra rebellem eius invasorem sustulit: ita nunc quoque toti Ecclesiæ Christi, omnibusque Electis ex humano genere, contra eundem illorum Draconem diabolum militantibus, Signum præfert, ducatum præstat, robur addit. Quin etiam temporibus Antichristi, venturus est præliari pro populo Dei, juxta prædictionem Danielis. Denique, in die Iudicii, cùm Dominus noster Iesus Christus ad judicandum procedet, signum Crucis, seu illius veræ in quâ Christus pendens, callidum aspidem superavit, sive ad instar ejus efformatæ, ad postremum de Lucipero triumphum reportandum, præferet Sanctus Michael: in conspectu omnis Creaturæ statuet: & eodem, Diabolum cum Angelis hominibusque affeclis ejus, in *puteum abyssi* præcipitabit, ac depellet: ac tandem eodem Crucis signo prælato; Christum Iudicis jam munere defunctum, electosque illius omnes, ad possidendum beatitudinis æternæ regnum, in Cælum introducet, ad Gloriam Dei sempiternam.

Apoc. 20. v. 2.

10. Idem Sanctus Michael, omnium fidelium, hinc pie, & in Domino, eiusque Gratiâ, & Charitate decedentium, & seu expiatione illius seculi non indigentium, seu etiam illo igne expiatorum, cæloque, ac Beatitudine dignorum, susceptor est, in cælumque deductor. Et universim;

11. Idem Sanctus Michael, omnium in Domino morientium, agoni extremo, egressuique de corpore, & supremæ cum diabolo luctæ præest. Omnium inquam, vel per seipsum, vel per Angelos alios, suâ Voluntate adhibitos: sed eorum qui peculiari curâ in ejus Cultum, & Honorem, Invocationemque in hâc Vitâ incubuêre, per seipsum omnino adest adjutor, confortator, consolator, protector, defensor, ac susceptor.

12. Idem Sanctus Michael, quemadmodum ipse est peculiaris & maximè insignis, tum Divinæ Majestatis ac Dignitatis, tum Verbi Incarnati IESU Christi, ejusque Vitæ, laborum, mortis, Passionisque, nec non Sacrificii, Sacramentique Altaris, & insuper ejus pretiosissimæ Parentis Mariæ Virginis, Amator, Zelator, ita etiam est peculiaris ejusdem Zeli, & Amoris, in Hominibus incensor, propagator, amatorque. Et quod in id studium ardentiùs, excellentiùsque ferri videt, hos etiam tanquàm sibi magis similes, suique Seraphici amoris æmulos, & participes, plus diligit, & fovet, amplioribusque talis amoris ignibus incendit, & societate suâ Seraphicâ, dignos inventos recipit: eorum tam in Vitâ, quàm in Beatitudine specialem, ac veluti propriam curam gerit.

3. Ex his, similibusque Sancti Michaelis prærogativis consideratis, fac, ut in te peculiaris, insignis, assiduusque, amor, & honor, erga Sanctum hunc Principem enascatur, robusteque, & practice in te vivat, ac roboretur: peculiaribus eum in te fovens, & augens exercitiis internis, & externis, orationibus, mortificationibus, venerationibus, obsequiis, affectibus. Ac inprimis zelo Divinæ gloriæ: amore Dei Hominis, ejusdem Matris, cultu Sanctissimi Sacrificii atque Sacramenti Altaris, zelo etiam salutis Animarum, tam hic, quàm in Purgatorio degentium; denique tenero, & ardenti affectu erga omnes Angelorum Sanctorum Ordines, personasque, ac specialiter in ipsummet S. Michaelem.

PRAXIS.

DEUS, qui gloriosissimum Michaelem, omnium Angelicarum Creaturarum Principem, & in Gratiâ, & in Gloriâ, & in Triumphante juxtà ac Militante tuâ Ecclesiâ fecisti: & eum nobis specialem Parentem, Præsidem, Imperatoremque contra omnes Visibiles, & Invisibiles inimicos, pro hac, & alterâ vitâ donasti: commenda me obsecro huic tuo Amatori, Honorisque tui, & Incarnati Verbi, primo, & maximo Zelatori, in peculiarem, paternamque curam: & infunde mihi, quam maximum illius amandi, & honorandi, invocandi, & imitandi, laudandique studium: ut ejus patrocinio adjutus, in Amore Tui Seraphico, zeloque gloriæ tuæ, ardenti, ac incessabili ardescens, dignus inveniar, à quo in numerum Clientum ejus, Seraphicorumque Sociorum cœtum annumerer. O Michael: Princeps gloriosissime, accende me tuo ignito ac Seraphico amore, & cultu DEI: atque Incarnati Verbi IESU Christi, tum etiam ejus Matris Pretiosissimæ, Sanctissimi quoque Sacrificii, & Sacramenti Altaris, necnon Passionis, Crucis, & Mortis Domini. Accende me etiam efficaci, & vero zelo gloriæ Divinæ, salutis quoque Animarum, tam hic, quàm in Purgatorio

torio degentium. Accende quoq; me vivo, & inflammato, ac perseveranti amore, honoreq; tui, & curam mei gere, tam in omni istâ vitâ meâ, quàm in omnibus viis, officiis, studiisq; meis, quàm deniq; in articulo mortis meæ.

ENCOMIA
Sancti Michaelis Angelorum omnium Principis.

SAnctus Michael, Quis ut Deus? Amator Æternæ Sapientiæ. Zelator Honoris Verbi Incarnati. Propugnator Dignitatis Divinæ. Professor humilitatis Creaturæ ad Deum. Primus Divinæ Voluntatis Minister, & Executor. Professus subjectionis ad Dominium Dei. Exemplar Angelorum Sanctorum. Antilucifer, & asseclarum ejus. Dux Divinarum Legionum. Fidelitatis Deo debitæ Magister. Primus Bellator,& Victor bellorum Domini. Pacificator Cæli. Glorificator Dei. Triumphator primus inimicorum DEI. Caput Ecclesiæ Angelicæ. Primitiæ omniumCreaturarum Beatarum. Princeps de primis astantibus coram Throno Dei. Præses Ecclesiæ Dei ex hominibus in utroque Testamento. Rector Angelorum nos in hâc vitâ custodientium. Interfector Antichristi. Vexillifer Crucis JESU Christi Redemptoris nostri. Agonizantium Adjutor & Consolator. Susceptor Animarum Corporibus solutarum. Discretor Meritorum nostrorum in Iudicio Dei. Administrator Purgatorii. Observator abyssi infernalis cum damnatis. Benedictorum à Deo Patre in Beatitudinis regnum introductor. Societatis Seraphicæ primus Socius, atq; Fundator. Angelorum qui servaverunt suum Principatum instructor. Eorum qui non servaverunt eundem, in tartara fulminator. Primus viæ salutis decursor, & Bravii glorificatus possessor.

Oratio ad Sanctum Michaelem.

PRinceps Gloriosissime, Michael Archangele, esto memor nostri, hic, & ubique, semper, precare pro nobis Filium DEI. Sancte Michael Archangele, defende nos in omni cum Dæmone prælio: Ut non pereamus in tremendo Christi Iudicio.

O Michael, Archangelorum gloriosissime, & Amator Æternæ Sapientiæ ignitissime: accende me tuo Seraphico amore, & zelo erga DEUM Hominem IESUM Christum, Redemptorem nostrum: erga Pretiosissimam ejus Parentem: erga Sacrosanctum Sacrificium, atque Sacramentum Altaris. Inflamma me zelo vero, & efficaci Divinæ gloriæ, salutisq; hominum, tam in hâc vitâ, quàm in Purgatorio existentium. Imbue, & imple me vivo, & perseverante Amore, honoreque tuo: & curam mei gere, tam in præsentis vitæ decursu, ac in omnibus actionibus meis, quàm in extremo agone, atq; articulo mortis meæ, quàm denique in decretorio judicio omnium hujus vitæ operum, & meritorum meorum: Amen.

EXER-

EXERCITIORUM
PARS XII.
Erga Sanctos Omnes.

EXERCITIUM I.
Ad quid DEUS Sanctos apud se in Cælo habeat?

STatue te in conspectu Sanctorum, Electorumque Dei omnium, jam cum Deo in Cælo beatificè regnantium.

2. Disquire, & dispice, ad quid voluerit Deus Sanctos secum esse in Cælo? Voluit ad hoc, & fecit hoc: ut in eis, Creaturæ suæ, se, suâque bona Divina, quàm maximè communicaret: communicando autem, sese in Creaturis, & Creaturas in se, ita quàm plenissimè expleret, ut ampliùs illæ expleri non possent, & nec ille posset explere: dicente ipso Domino; *Ego ero merces tua magna nimis.* Et, *Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui:* Et, *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum.*

Gen. 15. 1. Mat. 25. 23. Luc. 6. 38.

3. In hac Vitâ, dabat Deus Sanctis suis, esse, vivere, sentire, moveri, intelligere, & multimodis operari, quantùm ad Naturam: In hac eadem Vitâ dabat iisdem Sanctis Deus, esse Gratiæ, sive, habere Esse Divinum, vivere gratiâ, sentire, moveri, agi gratiâ, & in gratiam, & in opera gratiæ, ac Virtutum supernaturalium, ac perfectionis earum, intelligere quoque, sive agere, & agi vitali vigore meritorum IESU Christi, per rationes æternas, per dona, fructusque Spiritûs Sancti, per dictamina fidei, per Intentiones Spei, per abundantiam, fervorem, constantiam, efficaciamque Charitatis Dei, atque Christi.

4. At verò in Beatâ Vitâ, iisdem Sanctis, Deus dat Esse beatitudinis, dat vivere beatè, dat videre, seu intelligere, & amare beatè, dat sentire, experiri, possidere beatitudinem: dat in beatitudinem moveri, & agi, eamque pati, eâ expleri, satiari, saginarique: & tamen ad eandem semper ac semper, ampliùs ac ampliùs anhelare, aspirare, æstuare, toto pondere ferri, ac tendere, totâ siti, fameque inhiare, totâ capacitate repleri ac satiari, & nihilominus satietate famescere, rursumque fame satiari: dat denique Sanctis in cælo Deus, non solùm beatos esse, sed etiam in beatitudine esse, vivere, habitare, regnare, absorberi ab eâ, possideri ab eâ, transformari, & quasi transessentiari in eam: atque sic esse in æternùm & ultra, & ampliùs: quia dum Deus erit Deus: id verò beatificè, ac intuitivè, & facie ad faciem, Deum intellectu videndo, affectu amando, possidendo, & fruendo, gaudendo & conquiescendo, durando & perennando, securitate felici, felicitate æternâ, æternitate beatâ, beatitudine Divinâ, & ipsius Dei, & ipsomet Deo.

5. O quam bonus est Deus Creaturis suis, & in Creaturas suas! O quantum bonum est, ad tantum Dei bonum (quale est, esse Deo beatum) esse creatum, & destinatum! Super omnia verò: O quam bonum est, esse de electis, esse de adductis, esse de admissis, ad tantum, & in tantum, hoc est, in omne bonum, in bonum super omne bonum, in omne Divinum bonum, in ipsum Deum! O quàm bonum est beatum esse, & ipso quidem Deo beatum esse, & in omnem, ac per omnem æternitatem Deo beatum esse!

6. Gratulare quantùm potes, omnibus, & singulis Sanctis, quos Beatissimus, & omnis beatitudinis Oceanus, omnisq; Beatitudo Deus, fecit, & invenit, dignos se, & elegit ex omni carne, ut ipsos reipsâ faceret beatos ipso se. O sortem verè beatam, quâ Sanctis Dei obtigit, non solùm conditos & vocatos ad Beatitudinem esse, verùm etiam efficaciter, ac re ipsâ, beatitudinis compotes, comprehensores, possessores esse!

7. Age gratias Christo, hujus Sanctorum beatitudinis per merita sua authori; Age gratias Deo, ejusdem ex suâ gratiâ, & ob Christi merita, Sanctis suis largitori.

8. Accendaris & tu, beatitudinis desiderio; sed quia ad eam requisitissima est conditio, Sanctitas hujus Vitæ, sive, consummatio in Virtute perfectionis, ac perfectione Virtutum, potissimumque Charitatis; propterea id unum, id solum,

lum, id toto conatu, toto sumptu, totâ intentione, inexplebiliter age: ut per omnia Sanctè vivas, & Sanctus sis, & simillimus Sanctorum Sancto IESV Christo sis, similis Deo (qui & Sanctus, & Sanctitatis fons, & ipsa Sanctitas est) in Sanctitate sis.

PRAXIS.

Sancte, & Beate DEVS: sanctitudo, & beatitudo ipsa tua, omniumq; Electorum tuorum DEVS, qui Sanctos, & Electos tuos, ad sanctitatem, & beatitudinem creas, eligis, vocas, deducis, & in ipsius possessione finaliter, efficaciterq; collocas: Sis benedictus in æternum, tam ab omnibus hisce Sanctis, ac Beatis tuis, quam à me pauperculorum Sanctitatis candidatorum, atq; utinam etiam tuorum ad beatitudinem electorum uno. O quanta felicitas, quam felix jucunditas, quam jucunda beatitudo, esse cum Deo: videre Deum, vivere de Deo, Beatum esse Deo, videre etiam Sanctos, & esse cum Sanctis, & Sanctum esse! Beatus populus, qui scit Iubilationem: beatus qui possidet beatitudinem: beatus qui Deo suo beatus est: beatus, cujus & possessio Deus est, & qui ipse possessio Dei est, ac æterna est. Gratulor vobis, atq; millies, & millies millies gratulor, ô Sancti, ô Beati, quia sancti, & beati estis Domino Deo vestro. Fiat hoc precibus vestris, fiat meritis Redemptoris nostri Domini IESV Christi, fiat gratiâ Domini & DEI nostri, ut ego quoque, in hâc quidem Vitâ efficiar sicut vos Sanctus: in æternâ vero efficiar quoque sicut vos, DEO beatus, possidens DEVM, & possessus à DEO, possessioq; DEI æterna.

EXERCITIUM II.

De Amore erga Sanctos.

1. STatue te coram Sanctis omnibus cum Deo in Cælo regnantibus.

2. Elice actum Fidei Catholicæ de Sanctis, quòd sint nimirùm Sancti, quòd in cælo cum Deo habitent, quod Deum beatificè videant, eoque possessivè, ac in æternùm fruantur: quòd in Deo juxta statum suum, nos, & nostra cognoscant, (quid enim non vident, qui videntem omnia vident?) curent; pro nobis orent Deum, & suis nos apud Deum meritis, precibusque protegant. Item, quòd Deus, multa, eorum intuitu bona nobis præstet, aliàs non præstiturus, &c.

3. Æstima, & appretia Sanctos Dei, eorumque Dignitatem. Omnes enim magni sunt, quia omnes jam beati, omnes

A Amici, & Domestici, & Cives Dei. *Omnes nimis honorati: nimisq; confortatus principatus eorum.* (Psal. 138. 17) Amat illos, & æstimat, & exaltat, & glorificat Deus in domo suâ æternâ, in æternùm, tanquam fideles, & prudentes seruos, amicos, filios: quin & Sponsas gratiosissimas, electas, & sine maculâ: propter quod Deus ipse *merces eorum magna nimis.* (Genes. 15. 1.) *DEVS facit illos discumbere super mensam suam, & præcinctus transit, atque ministrat eis,* (Lucæ 12. 37) non aliud bonum, quàm omne bonum, nimirum semetipsum. Ideo, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit illud bonum, quod præparavit,* (1. Corint. 2. 9.) atque jã B præbuit *DEVS diligentibus se,* & regnantibus secum, ac possidentibus, & fruentibus se.

4. Ama ergo hos Sanctos, hos Beatos, & Deo quidem ipso Beatos: sunt enim Sancti, & beati, sunt Dei sancti, sunt Dei amici, sunt etiam nostri Amici, os, & caro nostra, fratres & coheredes nostri, quoad bona omnia Gratiæ, atque Gloriæ. Insuper sunt perpetui nostri benefactores, prece, merito, exemplo, volo, protectione, curâ, communione, doctrinâ.

5. Gratulare Sanctis bona ipsorum, & gaude illis, quia tanta, talia, & ista sunt: quia tam multa, tam vera, tam pura, tam C solida, tam æterna: tam in Deum, in ipsos, in omnesque beatos mutuò, in te, in omnem Ecclesiam militantem, atque triumphantem, in totam denique universitatem redundantia.

6. Desidera, & anhela ad bona Sanctorum, ad Societatem eorum, ad statum ipsorum. Hæc est enim voluntas Dei, Sanctificatio nostra, & ad Sanctos ejus associatio nostra.

7. Ora sanctos, ut orent pro te, ut protegant te, adjuvent, & dirigant te, donec te quoque habeant Sanctum, ac Beatum in Deo apud se.

D

PRAXIS.

O DEVS, qui de vivis, & electis lapidibus, æternum majestati tuæ præparas habitaculum: & cui soli cognitus est numerus electorum in æternâ felicitate locandus, & jam locatus; confiteor te esse Sanctorum tuorum, per tuam gratiam, perq; Filii tui Domini nostri merita, glorificatorem: Confiteor etiam, apud te esse mansiones multas Sanctis tuis paratas, & refertas: in quibus habitant, & habitabunt, illi Amici tui, in sæcula sæculorum, laudantes te, summum Bonum suum, summam mercedem suam, summam beatitudinem suam. O Sancti, ô Beati! quàm nimis honorati estis apud DEVM! quàm confortatus est Principatus vester

apud Dominum! Beatus tu Israël in Domino Deo tuo. Sed, ô popule felix, ô gens sancta, ô generatio beata, memento etiam nostri in beneplacito tuo, quoniam benefecit tibi jam DEVS tuus in te. Fratres nostri estis vos: nos autem Os, & Caro vestra: Gaudemus nos de bonis vestris, satagite, & vos pro bonis nostris: gratulamur nos omnia bona vestra, pertineat etiam ad vos sollicitudo pro salute nostrâ.

EXERCITIUM III.

De Sanctorum Veneratione.

1. Statue te in conspectu Sanctorum omnium cum Deo in Cælo regnantium.

2. Agnosce eorum præsentiam, & ubique eam venerare. Etsi enim non sunt ubique per Essentiam suam; per præsentiam tamen, & cognitionem sunt, ubicunque esse velunt, & ubi status eorum, vel finit, vel poscit.

3. Ubique ergo Sanctos tanquam præsentes agnosce, & venerare. Quis enim novit, qui, & quot sunt in eo loco præsentes, atque te, & tua omnia pernoscentes intuentesque, in quo tu manes, & versaris, & operaris?

4. In locis præsertim Sacris, in templis Deo dicatis, in Domibus Religiosis: quid non est ad Sanctos pertinens? quid non est sacratum eorum vestigiis, laboribus, orationibus, meritis, obsequiis in Deum, & pro Deo, pænitentiis, & mortificationibus, in hac vitâ, imaginibus quoque, Reliquiisvè sacris?

5. Quid quòd cùm Sanctis Angelis Custodibus, adsunt etiam nobis Patroni nostri Sancti, quorum Nominibus nominamur, quorum Patrocinio nos commisimus: quorum cultui specialiùs dediti sumus, quorum reliquiæ sacræ penes nos sunt, qui de sanguine, cognatione, atq; affinitate nostrâ sunt, de quibus sive viventibus, sive defunctis jam, singularius meriti sumus, vel etiam qui de nobis rectè, salubriterque meriti sunt: quorum salutis media feliciter fuimus: quosque Deo lucrati sumus: qui similiter nostra salutis media ex providentiâ Divinâ fuerunt.

6. His accenseri possunt Sancti locorum, urbium, populorum, superiorum, Rectorumque nostrorum Patroni; Et ipsi etiam Superiores, Principes; Curatores ue nostri, Sancti, atque jam Deo fruentes, quos res nostras, & cognoscere in Deo, & promovere apud Deum, sedulâ, efficacique operâ, ac interventione, certum est. Si enim impius ille Epulo, pro fratribus suis agebat, ne & ipsi venirent in consortium pænarum suarum, Sancti nostri Charitate Dei beatifica repleti, radicati, & fundati, non hoc assiduatis apud Deum suum agent studiis, Deo per omnia gratissimis, ut nos aggregemur beatissimæ Societati ipsorum?

Lucæ 16.

7. Age gratias Deo pro Sanctis: & pro omnibus bonis in ipsos collatis, & maximè finali, ac ultimâ perseverantiæ gratiâ conclusis, insuperque æterna beatitudine, interminatâque Dei, summi boni, possessione, & fruitione cumulatis.

8. Gratulare Deo bona illa omnia quæ in Sanctos suos effudit. Sunt enim ejus, sunt & ipsi bona: ipsi honorifica, in ipsius glorificationem redundantia, ut pote in fontem, in finem, in centrum eorum. Ipsius etiam per ea Majestas; Bonitas, Perfectio, Charitas, Liberalitas, Miseratio, Iustitia, Sanctitas, Beatitudo, manifestatur. His iisdem ille potissimùm, finaliterque explet, & exsaturat suam Voluntatem, Sapientiam, Potentiam, Veritatem, Providentiam, Virtutem, Dignitatem, Voluntatem, in quantum per Creaturam puram explebilis est. Nec potest Deus magis, sicut suas Creaturas honorare, ita & vicissim à Creaturis suis honorari, laudari, exaltari, amari, quàm beatificâ sui per Creaturas fruitione, atque possessione in æternùm duraturâ. Hoc igitur, tam Sanctis propter Deum, quàm Deo propter Sanctos ejus gratulare.

9. Concupisce quàm plurimos, quamque maximos esse Sanctos, ut ab iis Deus quàm maximè laudetur, honoretur, exalteturque. Nominatim te ipsum, tuæque curæ commissos, cura, ora, stude reddere, quàm maximè Sanctos, & perfectos in præsenti vitâ, dignissimos, & aptissimos beatitudini in futurâ vita: ut & hîc, & in cælo, quàm maximè, per ipsû te, per tuos, per omnes Deo benè sit: Deo honor, amor, exaltatio accrescat.

PRAXIS.

O Sancti DEI: agnosco, & veneror præsentiam vestram: quid enim non videtis, qui videntem omnia, & in eo pariter omnia videtis? quid est absconsum ab oculis vestris, qui in fonte, & speculo rerum omnium habitatis? Quomodo non in omni officio, reverebor, & honorabo vos, qui omnem locum, angulum, officiumq; omne, honoratis,

norastis, & consecrastis, Divinâ laude, obsequio in Deum vestro, oratione, devotione, veneratione, labore, & sudore, omniq; piorum exercitiorum genere, & omnium virtutum exercitio, propter DEVM, ejusq; gloriam, propter vestrum apud DEVM meritum, præmiumque. Domine: sis benedictus in tuis Sanctis, in quibus mirificasti omnes voluntatrs tuas, quos replesti divitiis bonitatis tuæ, per quos explesti, & saginasti gustum, & voluntatem amabilissimi cordis tui. Omnia Sanctorum bona, omnia merita, omnia opera, tua opera sunt dona: tuæ sunt bonitatis, & gratiæ munera. Tu magnificasti in eis Virtutem, & Veritatem tuam, & gloriam tuam: quoniam gloria Virtutis eorum tu es: & coronæ illorum, coronæ tuæ sunt: laudes illorum tuæ laudes sunt: Tu pasceris profectibus, tu ornaris laudibus Sanctorum tuorum. Ita ut tantò magis sis laudabilis, & gloriosus, quantò illi magis sancti, magis te digni, magis Beati apud te, & coram Te; Da nobis Domine, tuorum Sanctorum minimis fratribus, ut in gloriam tuam, per gratiam tuam, per Sanctorum intercessionem, crescamus etiam omnes nos, in omne opus bonum: ut fortitudo nostra sit gaudium tuum, & magnitudo nostra sit incrementum magnitudinis tuæ, atque beatitudo nostra, sit accumulatio beatitudinis tuæ.

EXERCITIUM IV.

De Communicatione cum Sanctis in bonis eorum.

1. STatue te, coram Sanctis jam cum Deo regnantibus, jamque Deo beatis;

2. Communica illorum bonis omnibus, non solùm per Spem futuræ participationis, sed etiam per usum, participationemque præsentis communicationis. Sumus enim invicem membra, sub uno capite Christo, in uno corpore Christi. Membra autem unius corporis, ejusdemque capitis, communia sibi bona habent. Oculus, v. g. non soli sibi videt, sed omnibus membris, totique corpori, pès non soli sibi ambulat, sed toti corpori suo in quo est: & sic deinceps. Atque eodem modo gloria unius alicujus Sancti, est quidem illius, sed non solius, verùm omnium etiam est. Ergo *particeps sum ego omnium timentium te Domine*: omnium glorificantium te, omnium Beatorum dete, omnium viventium apud te, omnium regnantium tecum.

ſ. 8. 63.

3. Multiplex autem potest esse communicatio cum Sanctis in bonis eorum. Sicut enim unius Urbis, aut Regni Cives, multis valde modis secum communicant: ita & nos cum Sanctis, qui sumus *non jam hospites, & advenæ, sed domestici DEI, & Cives Sanctorum*, variè communicamus cum illis. Communicamus fide v. g. quod enim illi vident, nos credimus. Communicamus Spe, quia quod illi possident, nos speramus. Communicamus Charitate, quia quod illi amant, & quo fruuntur, nos desideramus. Communicamus laude, quia quod illi laudant, & nos laudamus. Communicamus termino, quia ubi illi jam sunt, eò nos currimus. Communicamus imitatione, quâ enim illi vitæ ratione assecuti sunt, eadem nos contendimus assequi, summum, & ultimum nostrum bonum. Communicamus denique fruitione Dei, non ita solùm, quia quo illi fruuntur per gloriam, hoc nos fruimur per gratiam, sed etiam ita, quia ista ipsa eorum fruitio Dei per gloriam, nostra quoque est, quia in illis, & per illos, esto necdum per nos, possidemus illam.

Ephes. 2. 19

4. Hic verò communicandi modus ultimus, etsi videtur esse in Sanctis felicior, idem tamen est in nobis utilior. Sanctis enim jam non proficit ad meritum, sive gratiæ, sive gloriæ: nobis autem prodest ad incrementum utriusque: quia Charitas nostra, quâ sanctis volumus, & gratulamur eorum bona; & facit, ut fiant etiam nostra: & crescere facit, in nobis, donata nobis a Deo, etiam ob Sanctorum merita, dona nostra.

5. Neque verò hic tantùm stat utilitas nostra, ex gaudio nostro de Sanctorum gloriâ, & beatitudine: sed porrigit se fœcunditas ista, ut virtutes Sanctorum quibus illi ad gloriam pervenerunt æternam, in nostrum transeant usum: quia exemplo eorum, in iisdem Virtutibus crescimus; dum in iis nos exercemus: quo exercitio proficientes, Sanctis assimilamur in merito, & meriti præmio. Reddimur v. g. Humiles sicut illi fuerunt, Mundo corde sicut illi, Misericordes sicut illi, Patientes sicut illi, &c. & mercedem repositam habemus apud Deum eandem, quam jam perceperunt illi.

6. Exulta de hac sorte tuâ, & nominatim de hoc; quia toties, & tot beatitudinibus eris, imò jam es, beatus, quot beati sunt, & erunt apud Deum: quoniam omnium, & singulorum eorum beatitudo, in tantùm tua est, eritque, in quantùm tu amas illam, gratularis illam, aptũ te reddis ad illam.

7 Exulta etiam; Deum, & tibi, & electis, Sanctisque omnibus, toties, tot, tantisque modis sigillatim esse bonum,

esse liberalem, esse profusum, esse beatificantem, esse glorificanté, quot, & quantis modis, in Sanctos beatitudinem profundis: tuâ tibi particulari, ac personali, esto etiam in omnes exundante, integrâ remanente ex Deo beatitudine.

8. Statue operam dare, ut etiam per tuam Beatitudinem olim habendam, quin & per ejusdem promerendæ strenuam in præsenti curam, nunc quidem primùm in hac, deinde in alterâ illâ vitâ, accrescant omnibus, & singulis Sanctis, gloriæ, coronæ, felicitates, exultationes, beatitudines. Sicut enim omnium illorum beatitudo, tua est suo modo beatitudo: ita quoque tua unius beatitudo, omnium illorum erit beatitudo.

9. Contende ergo crescere, ampliùs, & ampliùs semper: nec unquam desiste proficere in Virtute, in Perfectione, in Sanctitate, in Meritis, in Gratiâ. Semper adde, semper ambula, semper profice, hîc in beatitudinis merito, ibi in ejusdē præmio: ut etiam omnes Sancti Dei, imò & ipsemet Deus, crescant in beatitudine, & gloriâ suâ per te.

PRAXIS.

DEUS qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris; simulq; in Beatorum tuorum Beatitudine Beatus; quin etiam in unius Sancti honore Sanctos omnes honorans, & in unius beatitudine omnes quoque beatiores facis; atq; ita dum uni bonus es, omnibus es bonus, divesq; in omnes, dum in unum es dives: Te laudo in hac magnificentiâ bonitatis tuæ: & eam tibi, & Sanctis tuis, imò & mihi, cum iisdem tuis Sanctis adgratulor. Bonus es Domine; at non tibi soli, verum etiam omnibus Beatis tuis, quos tuâ Bonitate beatos facis. Bonus etiam es beatis, at non solis, sed etiam in eis mihi. Bonus es mihi, at non soli, sed etiam Tibi, & omnibus beatis. Bonus es mihi, quando Tibi ipsi Patri meo, & illis fratribus meis es bonus. Bonus es illis omnibus, quando mihi fratri eorum, es bonus, & in omnibus nobis, tibi quoque ipsi es bonus, quia Pater omnium nostrûm amantissimus es: & quia propter Te, & propter magnam Gloriam, Laudem, Bonitatemq; tuam es omnibus nobis bonus. O sis benedictus Domine, in omni bonitate tuâ. Sint omnes Sancti tui benedicti, in omni bonitate tuâ; Fac & me benedictum, propter eandem bonitatem tuam. Fac me Domine crescere in omni Bonitate, propter te, & propter Sanctos tuos: ut Tu hoc modo sis omnia in omnibus, & omnia in Te bona valde: beata perenniter, felicia tecum, per omnia secula seculorum.

EXECITIUM V.

De fructu DEI ex Sanctis suis.

1. STatue te coram Sanctis, in cælo cū DEO regnantibus, atque Deo beatifice fruentibus.

2. Revoca in memoriam, & in unum veluti cumulum congrega, multiplicia Sanctorum omnium opera, merita, labores, passiones, obsequia, & studia, usque ad defatigationem, ad sanguinem, ad vulnera, ad mortem, ad exinanitionem, variè, constanter, perseveranter obita, propter Amorem, gloriam, exaltationemque Dei, & Manifestationem, Veritatum, Voluntatum, Beneficiorum, Operum, & Perfectionum ejus, inter, & apud Creaturas ejus, scilicet apud Homines ignaros, ingratos, contemptores, neglectores, osores, hostes, persecutores, odium pro dilectione, mortem pro vitâ, cædem, furorem, rabiem, lanienas, excarnificationes, lentissimas, easdemque sævissimas mortes, pro salutis animarum, & beatitudinis, vitæque æternæ iis denuntiatione, atque prædicatione reddentes.

3. Gratulare Deo tales Sanctos, seu, servos fideles, & navos in vineâ illius, & pro gloria illius operarios.

4. Gratulare quoque Sanctis talem materiam, objectum, profectum, successumque, operum, ac laborum suorum: & quidem in æstimatione & remuneratione, extra omne dubium, æquissimâ, simulque maximâ, quia Divinâ, quia beatificâ, quia sempiternâ, nullumque finem unquam habiturâ.

5. Gratias age Sanctis pro omnibus honoribus, laudibus, exaltationibus, cæterisque omnimodis obsequiis, quæ impenderunt Deo, vivendo, laborando, patiendo, moriendo propter Deum, ejusque Gloriam. Quia enim Deus est quiddam tuum, imò est summum, & omne bonum tuum, magisque etiam quàm tu ipse es bonum tuum; (tu enim tibi nihil esses, nihilque esse posset, nisi Deus esset bonum tuum:) est Deus, Deus tuus, Creator, & Factor tuus ex nihilo tuo: est Pater, est Rex, est Dominus, est Possessor, Heres, Amicus, Benefactor, Conservator, Provisor, Amator, Sponsus, Medicus, Protector tuus: uno verbo: est Deus tuus, Deliciæ, & Divitiæ tuæ, & omnia tua: ideo quidquid Sancti quicunque fecerunt Deo tuo, & pro Deo tuo, id totum fe-

tum fecerunt tibi, & pro te, atque propter te. Imò aliquid ampliùs fecerunt, quam si fecissent tibi, vel propter te: quoniam fecerunt Deo, & pro Deo, qui est magis tuus, majusque infinities bonum tuum, quàm es tu.

6. Et quia bonum Dei, minimum etiã, majus, ac melius est, (eo ipso quia Dei est) potius est, ac esse debet tibi; quàm si maxima & infinita bona obvenirent tibi: ideò Sancti benè merentes de Deo, longè melius, ampliusque fecerunt tibi, quàm si maximè, & infinities aliter benefecissent tibi. Adde his, quòd mereri etiam minimum quid de Deo, majus, & appetibilius, appretiabiliusque sit, quàm sit mereri summè, & infinitè, de omnibus simul Creaturis, si in eis non attendatur Deus. Si ergo Sancti, tantopere sunt meriti bene de Deo: jam ex hoc agnosce, quam, & quantam illis gratitudiné, atque gratiarum actionem debeas, hoc nomine bene meriti de Deo?

7. Non est verò putandum: quòd ex eo, quia Sancti quàm optime sunt meriti, de te, v. g. vel de quovis alio ante creato, dum sunt meriti de Deo nostro, qui est summum bonum nostrum, metiri debeas fructum Dei ex Sanctis suis: ista enim mensura, creaturam potiùs videtur respicere quàm Deum, tuusque is magis fructus est quàm Dei: Sed advertendum est, aliquo alio justiore respectu, obsequia sanctorum erga Deum fructuosa esse Deo, Deumque hunc fructum æstimare. Est autem respectus iste: quia, quoniam Deus, sicut omnem creaturam condidit propter se, & propter puram, magnamque (ut canit Ecclesia) gloriam suam: ita ut hic sit unus, ac solus, ultimatusque fructus Dei, quem ille spectat, & exspectat ab omni suâ Creaturâ: ita etiam & à Sanctis suis, hunc unicum fructum, & habere optat, & habet; quia ab eis glorificatur: glorificatur autem in hac quidem mortali vitâ obsequiis meritoriis, ejus honori impensis, per gratiam ipsius; in alterâ autem vitâ, obsequiis ipsorum Sanctorum á Deo præmiativis, atque æternaliter beatificis. Qui posterior modus, est Dei magnificentiâ præ omnibus ejus in Creaturam beneficiis dignissimus; quia summus, quia ultimus, quia consummatissimus: adeò ut ut Deus Creaturam (puta Sanctos) non possit ampliùs glorificare, exaltare, fructuque majore, & obsequiis Deo dignioribus, aut gravioribus, majoribusve afficere: nec ipse à Creaturâ affici. Quia ergo Sancti, Deum; post omnia optimè merita de seipso, in hac mortali vita, ultimatis beatificis obsequiis exaltant, vicissimque à Deo exaltantur: neque possunt aut exaltare illum, aut exaltari ab illo consummatiùs, atque perfectius, & tam ipsis Sanctis, quã ipso Deo dignius: ideo a Sanctis, & ex Sanctis suis, Deus habet, & in æternum quidem habet, fructum ita summum, ut majorem habere non possit: ita perfectũ, & plenum, ut perfectiorem plenioremqᷤ non desideret.

8. Quamvis est etiam alius Sanctorum fructus, quem afferunt Deo: immistus quidem & ille prioribus duobus modis, aliquatenus tamen alius. Sancti enim Dei, per hoc etiam obsequiis suis, & sunt, & fuerunt Deo suo admodùm fructuosi, quia nemo plus (post Deum) toti rerum universitati commodavit, quàm sancti Dei, Deo potissimùm jam beati: tum quia potissimum propter Dei electos stant, atque conservantur, tum quia, potissimùm per electos eosdem ornantur, tum quia potissimùm per electos, debita ab ipsis Deo laus, gloria, obsequentiaque impenditur: tum quia omnis generis, potissimùmque æternæ salutis bona, per electos & effusa sunt, & effunduntur à Deo, in Creaturas: tum denique, quia potissimùm per electos, atque in electis Dei, omnes reliquæ Creaturæ, finem suum, ad quem primariè à Deo conditæ sunt, sortiuntur, & adipiscuntur.

9. Videre hoc licet in unâ solâ Dei Hominis Matre & Virgine MARIA. Unus Noe Patriarcha toti Mundo per diluvium penè abolito, quantum contulit? Quid Abraham, Joseph, Moyses, David? Quid Apostoli, Apostolicique Viri? quorum laboribus Mundus exuit perfidiam, & impietatem usque hodie? Sanctis Angelis Custodibus, & Mundi, & Hominum; Sancto Michaeli Archangelo Principi Cælestium & Terrestrium, ac etiam Inferorum, quantum debet totum hoc universum? At hæc omnis Sanctorum Dei, in universum beneficentia, redundat ab eis in Dei sui gloriam, estqᷤ fructus Dei ex Sanctis suis: & est etiam fructus universi ex Sanctis Dei.

10. Gratulare Sanctis, quòd à Deo sint tanto isto honore dignati, qui honor honorum est maximus; quòd adhibiti, & electi sint, ad hoc genus supremæ exaltationis, & glorificationis ejus: non tantùm per obsequia gratiæ, & sanctitatis, sed etiam per obsequia gloriæ ac sempiternæ beatitudinis, tam per seipsos, quàm per ali-

per alios, ad eundem finem beatissimum per suum ministerium adductos.

11. Appete tu quoque, esse instrumentum Dei, ad laudandum ipsum, esse currus gloriæ Dei ad circumferendam, & enarrandam, ubique gloriam Dei.

12. Offer te Deo, & pete ab ipso adhiberi, atque effunde te, in ejus glorificationem quàm maximam, primùm quidem in ipso te, & intra te, per eximiam Vitæ morumque sanctitatem, ac Christi Sanctorumque imitationem perfectam: tum deinde extra te, ut per te, ubique exaltetur Deus salutis nostræ: ut merearis benè, tum de Deo, tum de Sanctis omnibus Dei, quorũ unica est nunc quoque ista cura: ut sit, à solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini, ex hoc nunc & usque in sæculum.

PRAXIS.

Domine, qui nosti omnium Sanctorum tuorum differentias, & merita, & omnibus eis dispositione gratiarum facis, ut in omnibus, & ab omnibus glorificeris, tantum; quantum ipse vis, & scis, & facis te glorificari ab eis. Gaudeo in conspectu tuo, de hac voluntate, atq; voluptate tuâ, quam ex Sanctorum tuorum habes, in Gloriam tuam operatione: iisdemq; Sanctis gratulor, & congaudeo, & gratias ago, quia totam vitam suam, totam animam, totam fortitudinem, totam mentem, totum cor, totas vires suas effuderunt, in amorem, in laudem, in beatificationem tuam: & propter te, propterq; voluntatem, & gloriam tuam, etiam in cõmoditatem, securitatem, salutemq; æternam, tam hominum singulorum, quàm populorum universorum, quin & singularum specifice, individuèque creaturarum. Utere quoq; me servulo tuo, ad candem exaltationem tuam: ut sicut glorificaris ab omnibus Sanctis, ita & à me creaturarum tuarum licet minima glorificeris: & sicut Sancti tui exaltaverunt te summum bonum, & tuum, & suum, & meum; ita & ego exaltem Te summum bonum tuum, & ipsorum, & etiam meum. ad gloriam nominis tui Sancti, omni maximâ majorem.

EXERCITIUM VI.

De Dominio Sanctorum: & subjectione ad ipsos nostra.

1. Statue te in conspectu Sanctorum omnium cum Deo regnantium in Cælo.

2. Agnosce, & confitere, Sanctos Dei, esse Reges, & Principes, & Dominos, quovis hujus mundi Principe longè majores, potentiores, augustiores, confirmatioresque: propter hoc enim dixit Propheta Deo, de Sanctis ejus; *Mihi autem nimis honorati sunt Amici tui DEUS, nimis confirmatus est principatus eorum.* Omnis enim illorum potestas, & regnum, & dominatio, habet positos fines suos, pulchritudinem pacis æternæ, habet tabernacula fiduciæ inconcussæ ab ullo metu, habet requiem opulentam, & ipsomet Deo beatam.

3. Propter hoc etiam, Dominus noster Iesus Christus, Sanctus Sanctorum, habet in femore suo scriptum, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, suorum scilicet Sanctorum, qui sunt veri, & proprii Reges, atque Dominantes, quibus collati hujus sæculi Reges ac Domini, mancipia sunt veriùs, & penè jumenta vilia, servitutem miserrimam servientia, tam suarum, quàm alienarum, & quidem fermè semper iniquarum cupiditatum, ac necessitatum.

4. His tantis cælestibus Beatisque Regibus, subjice te, atque illorum potestati, & dominio, te totum libens trade: propter Deum imprimis: deinde, & propter ipsorum Dignitatem. Digni enim sunt: & est hæc Voluntas coram Deo. Nam si potestatibus mundi hujus sublimioribus, imò omni Creaturæ, vult, & jubet nos subjectos, subditosque esse Apostolus: quantò magis justum est; nos subdi ex Divinâ Voluntate Sanctis Dei: quibus longè pleniùs, digniùsque omnia subjecta sunt, quàm nobis hîc degentibus: de quibus tamen profitetur, & Deo gratias agens, admiransque, confitetur David: cùm de omni homine dicit; *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, Boves & oves, &c.*

5. Amplectere itaque, Potestatem, Voluntatem, statuta, imperia, consilia, monita, & exempla Sanctorum, tanquam Divina. Cùm enim ipsi sint Divinæ Voluntati sacratissimi, eidemque conjunctissimi, atque ex toto conformatissimi: nihil volunt, nihilque velle possunt, & nihil etiam posse volunt, nisi id solum, quod Deus vult: quodque evidenter sciunt Deum velle. Quare Voluntas eorum Voluntas Dei est: & cùm aliquid nobis vel jubent, vel suadent, vel exemplo præmonstrant, id sine dubio Dei Voluntati conforme, placitumque est.

6. Hæc subjectio ad Sanctos, omnibus fidelibus Christi incumbit: omnes enim Filii Sanctorum sumus, omnes generatio rectorum, & timentium Deum, qui nos Deo per Evangelium genuerunt, & sanctifica-

ædificaverunt. Specialiùs incumbit eadē ad sanctos subjectio, pastoribus, & rectoribus populorum, oviumque Dei: hi enim successores sunt eorum, de quibus dictum est, Sanctæ Ecclesiæ; *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram.* Hi sunt etiam quibus dicitur à B. Paulo: cum vehementi contestatione; *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

(Psal. 44. 17; Act. 20. 28)

7. Specialissimè dixerim, subjectionem ad Sanctos incumbere iis, quos vulgò Religiosos dicimus: sicuti & ipsi specialissimè sunt filii, & generatio Sanctorum, atque Sectatores ipsorum. Quot enim isti habent Fundatores, & Patriarchas Ordinum suorum, quot habent Sanctos de suo Ordine, jam cum Deo regnātes in Cælo, quot majorum suorum, instituta, Regulas, directiones, & præcipuè exempla; tot habent voluntates, præcepta, monita, consilia, tum Dei, tum ipsorum; ad hoc sibi, ab ipsis, Dei Nomine proposita, ut ab ipsis in praxim, & executionem, fideli, & filiali obedientiâ, atque diligentiâ deducantur, utque inchoata per illos, per posteros successoresque compleantur.

8. Trade igitur te Sanctis omnibus in subditū, ac servum; seu filium: & quidquid eos velle, scies, hoc libenter facito, & exactè, & perfectè, & constantèr, sicut illos velle nosti. Quodsi difficile putas explorare Sanctorum Voluntatem; eam per Divinæ Voluntatis, veritatis, fideique regulam, per morum, & vitæ, operumque ipsorum exempla, atque instituta, facilè indagabis: quidquid enim Deus vult, hoc & ipsi volunt, hoc suadent, hoc instituerunt faciendum à suis filiis: in hoc faciendo, iisdem suis prævivère exemplis: hoc ut à suis posteris naviter perficiatur, summis desideriis, unà cum Domino Deo suo exoptant, & expectant.

9. Et hic èst præcipuus, & maximè tum Deo, tum Sanctis desideratus, ac placitus Sanctorum cultus, & ad ipsos subjectionis modus. Sic nimirum vivere, sic agere, quomodo vixerunt, quomodo egerunt, quomodo agendum, & vivendum præscripserunt Sancti: ut placeas Deo, sicut eidem placuerunt Sancti: ut placeas, & assimileris Sanctis, sicut assimilati sunt Deo iidem Sancti.

PRAXIS.

Verè Domine nimis confortatus est Principatus Sanctorum tuorum, constituisti eos Principes super omnem terram, non solùm hanc nostram morientium, verùm & super illam viventium. Cùm ergo Principes sint à te constituti, sine dubio & nos subditi eorum sumus facti, quorum voluntati nos subesse, sancta tua voluntas est. Non est enim alia illorum, alia voluntas tua: sed hoc ipsum semper illi volunt quod te velle sciunt, sicut & tua voluntas, illorum voluntas est, quoniam tu voluntatem timentium te nunquam non vis, nunquam non facis. His itaque ego me subdo: sicut tibi: eorum voluntatem exequi volo sicut tuam: iis placere desidero, atq; statuo, sicut tibi: ex eorum manibus, & institutis, & exemplis, volo cognoscere, & adimplere voluntatem illorum sicut tuam: tuam sicut illorum: ut sic demum Domine fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra. Omnia verò ad Gloriam tuam in Sanctis, & ad Gloriam Sanctorum in te: qui sicut in voluntate illorum tuam nobis voluntatem proponis: sic in nostrâ ad illos subjectione à nobis honoraris.

EXERCITIUM VII.

De Desiderio Societatis Sanctorum.

1. Statue te in conspectu Sanctorum omnium, cum Deo in Cælo, beatissimè & felicissimè regnantium.

2. Accendere famelicissimo desiderio adnumerandi, adjungendique te Sanctis, & participandi cum eis de illorum beatissimâ felicitate.

3. Ad hoc enim tota dispensatio Providentiæ, ad hoc tota Oeconomia Voluntatis Divinæ dirigitur, quâ Deus, & circa te unum, & circa omnem Creaturam rationalem, utitur, occupaturque: ut nimirum Sanctus sis, cum Sanctis sis, videas Sanctos, & vivas cum Sanctis: propterea dicitur nobis voce Apostolicâ; *Accessistis ad Civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem, & Ecclesiam primitivorum: qui conscripti sunt in cælis, & ad multorum millium Angelorum frequentiam.* Et rursus. *Iam non estis (ait nobis) hospites & advenæ: sed estis Cives Sanctorum, & domestici Dei.* Ad hoc, actu si non pervenis; tota Providentiæ Divinæ series, totus Bonitatis Divinæ sumptus, tota omnipotentiæ Dei occupatio circa te, in nihilum, tuo damno, tuo vitio recidit.

(Hæbr. 12. 22. & 23.; Ephes. 2. 19.)

4. Ad hoc sumus unius Patris filii, ad hoc unius Civitatis Cives, ad hoc unius capitis membra, ad hoc unius ædificii lapides vivi, ut ab invicem non disjungamur, neque dissipemur, sed in unum Beati-

Beatitudinis domicilium, Regnum, corpusque coalescamus.

5. Cùm ergo sine te non sit futura plena Societas Sanctorum, sed tot filiis carebit Pater, tot Civibus Civitas, tot mẽbris Caput, tot lapidibus Domus; quot ex hominibus deesse, & excidere à beatitudine contigerit: tu omnimodis Sanctus esse, & omnino cum Sanctis esse desidera: ac insuper omnes alios, quod in te est, esse cum iisdem in beatitudine adlabora.

6. Hunc in finem, crebrò tuam (& aliorum) à Sanctis dissimilitudinem, disjunctionemque (quæ potissimûm disparitate morum fit) agnosce: defle, emenda, abole: omni studio curans, ut sis per omnia moribus Sanctorum similis: assiduo luctu deplorans, quòd eis multùm fueris, & adhuc sis, multùm, & in multis dissimilis.

7. Hunc etiam in finem, sæpè cum Sanctis conversari, & colloqui elabora: Cogitando de Sanctis, mores, & gesta, vitasque eorum recognoscendo, opera illorum imitando, instituta sectando, sancita exæquendo, Virtutes exprimendo, admiranda eorum in eis mirando, & Deum pro eis glorificando: imitanda verò illorum diligenter æmulando, & vitam propriam quotidie adinstar eorum conformando: quotidie quidquid adhuc deest addendo, & adinstar, exemplarque illorum semper ampliùs proficiendo.

8. Hunc etiam in finem, sæpè Sanctos in auxilium tuum, & tuorum, & totius Ecclesiæ Christi invoca: cum omni fiduciâ, honorans in eis Deum, & illos in Deo, per hoc, quia cum Sancti invocantur, Deus ad honorandos Sanctos provocatur: quos ille tunc honorat, quando ad ipsorum à nobis invocationem, & pro nobis Orationem, Misericordiæ suæ dona super nos effundit. Et hæc ipsa Dei super nos miseratio, est Dei maxima glorificatio.

9. Hunc etiam in finem, ardenti, & assiduo tædio afficiaris ad realẽ cum Sanctis in Cælo conjunctionem, & cohabitationem. Sicut enim hoc & Deus, & Sancti summè desiderant, ita congruum est, & te id summè desiderare. Amantium, & Amicorum est simul esse velle semper, frui mutuo conspectu, convictu, colloquio, affectu, amore, super omnia beatitudine semper. Non amant, qui sine se facilè esse possunt.

10. Ambi ergo, anhela cum Sanctis esse, vivere, perennare: concupisce dissolvi, & esse cum Christo, Sanctorũ Sancto, & cum ejus Sanctis. Sæpè te ipsum urge, ut ad illos festines, ut te ad illos quàm maximè paratum, id est, similem facias. Avelle te ipsum, & explica ab omnibus creatis, & hujus vitæ vinculis, ut facilè dissolvi paries iste possit, domusque lutea: ad vocem Domini venire jubentis, necdum satis perfectam, tu jam exeas: tu jam exisse, & ad Sanctorum tabernacula, complexûsque, sine morâ, sine impedimento festinare, atque Ecce venio, Ecce adsum, ingeminare inveniaris.

PRAXIS.

Domine, me expectant justi tui, donec retribuas mihi. Ah! quare necdum est depositio tabernaculi mei parata? quare adhuc in istâ regione mortis, incola est Anima mea? O! quanta est felicitas, videre Sanctos, gaudere de Sanctis, vivere cum Sanctis, cum Sanctis esse, & esse Sanctum! Scio Domine: & dolens recognosco, gemensque confiteor, quia adhuc maneo in magna regione dissimilitudinis à Sanctis tuis. Et quid prodest Domine diu vivere si non succedit sanctius vivere? Domine, da melius, da sanctius, da perfectius vivere, & tunc delectabit vivere: quamvis tunc minimè delectabit vivere, quando ex gratiâ tuâ dederis sanctè, perfectè, cælo, & sanctis, & te, dignè vivere. Quousque ergo differs Domine, quousque non parcis mihi, nec sinis ut glutiam salivam meam desiderii mei, quo cupio cum tuis Sanctis esse, & tibi appropinquare, & te cum illis in sæcula sæculorum laudare? O Sancti! hæc utique est pars vestra, atque mercedis vestræ portio magna, adjungi nos vobis, & conscriptos nos habere vobiscum in gloria Patris. Ergo juvate, ergo trahite, compellite, & cogite, tardantes nos, & luteas hasce domos deserere metuentes. O adeste! parate nos, & corda nostra Domino: facite nos cito plebem perfectam, ut simus parati occurrere illi venienti, respondere vocanti. Dirumpite vincula nostra, quibus hic tenemur: ut digni, & accincti simus adjungi vobis: & sacrificare sacrificium laudis, in illâ Patriâ, jam vestrâ in re, nostrâ autem adhuc in spe: sed spe, quæ non confundit: quia Spes nostra Dominus, Sanctorum principatum tenens, cui gloria in sæcula.

EXER-

EXERCITIORUM
PARS XIII.
Erga Cælestem Beatitudinem.

EXERCITIUM I.

De Cælestis Beatitudinis Magnitudine.

1. STatue te in Cælo præsentem, & intra in locum tabernaculi admirabilis, in Domum Dei, in voce exultationis & confessionis : sonus epulantis cælestem Beatitudinem.

2. Indaga, & exquire magnitudinem cælestis beatitudinis : quam, sicut multa, eaquè magna, ac planè maxima bona constituunt, ita etiam eandem ostendunt.

1. Constituit, atque etiam ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis, absentia & exclusio omnis penitùs mali, & molesti, & metuendi. *Non est enim ibi, neque mors, neque luctus, neq; dolor:* quoniam transeunt hæc omnia ante beatitudinem, & non intrant in eam : siquidem Deus *abstergit omnem lachrymam*, quin & lachrymarum memoriam : nisi in quantùm earum meminisse, confert ipsi Beatitudini.

[margin: ...21.4.] [margin: ...21.4.]

2. Constituit atque ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis, præsentia, & possessio omnis penitùs boni, quodcunque beatitudinem decet. Si quidem Essentia beatitudinis, atque natura, hoc exigit : atque in eo consistit, ut sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Habet ergo status ille omne bonú honestum : est enim honestissimus, & nullâ turpitudine inquinatus : sed per omnia summæ Rationis dictamina decorus : habet quoque status ille omne bonum jucundum, explens, imò & superans omnem sensum Animæ & Corporis beati, mentis & cordis, Intellectûs & Voluntatis, & memoriæ, & imaginationis, gustu jucundissimæ, sanctissimæque simul voluptatis, absque ullo intercursu amaritudinis. Habet etiam status ille beatitudinis omne bonum utile : quatenus habet omne id quodcunque confert ad perfruendum illo statu, absque ullo impedimento : & absque omni eo quod beatitudinis gustui fructuique non conducit. Unde ibi locus merendi non est, tú quia status est, in quo statur, non pergitur ; tum quia in merendo labor esse debet, cujus molestiam beatitudo non admittit.

3. Constituit, atque ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis Deus ipse : quia ille est, qui beatitudine possidetur, & possidendo possidentem beatificat : ille est, quem beati facie ad faciem intuentur, intuendo eundem tenent, tenendo gaudent, gaudendo fruuntur, & beati sunt. Et quia Deo, majus nihil est in omni bono ; ideo etiam beatitudine, quam constituit Deus, ut objectum ejus, majus nihil est : adeo ut nec beatitudo ipsa, quantùm ad hoc suum objectum, esse major possit, perinde ut etiam ipso Deo majus nihil esse potest : & uti Deus ipse major esse nullo modo in semetipso potest. Atq; hoc illud est, quod ipse Deus, datâ fide adpromisit Abrahæ, omnibusque ad ejus fidem pertinentibus, dicens : *Ego ero merces tua magna nimis, &c.* [margin: Genes. 15.1]

4. Constituit, atque ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis, Verbum Incarnatum, DEUS-Homo, Christus Jesus Dominus, Redemptor, Salvator, Glorificator noster. Hic constituit beatitudinem cælestem, & quatenus Deus, & quatenus Homo Deus. Humanitas enim ejus constituit beatitudinem quasi corporalem (sicut Divinitas spiritualem) hominum beatorum, in quibus, quantùm ad corpora, consistit beatitudo præcipuè in Visione Humanitatis Christi Deificatæ, seu Verbo unitæ. Idem Deus homo, ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis, quia propter illam nobis constituendam, promerendam, asserendam, conferendamque, VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis : tantumque laborum, & sumptuum sanguineorum, & lethalium exhausit : quod certè immensam quandã magnitudinem beatitudinis cælestis, argumento plusquam irrefragabili evincit.

5. Constituit & ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis, præsentia Dei Matris : omniumque Beatorum, tam Angelorum, quàm Hominum in Cælo : quorum omnium, & pulchritudo, & multitudo, statusque beatitudinis, & gloriæ,

admirabilem, & prorsùs (nisi ab ipsis beatis) incogitabilem, efficit magnitudinem cælestis beatitudinis. Unius quidē Dei Matris beatifica gloria, tanta est, quanta ex eo conijci potest, quòd post Filium suum Deum hominem, peculiarem, & omnibus beatis, beatorumque choris eminentiorem gloriæ chorum, seu Hierarchiæ ordinem constituat. Cui accedunt omnes reliqui beati, quorum unusquisque refulget sicut Sol, in conspectu tam Dei, quam omnium aliorum Beatorum.

6. Eandem magnitudinem beatitudinis cælestis constituunt & ostendunt maximi Sanctorum omnium labores, ab eis in hac vitâ propter beatitudinem exantlati. Constituunt quidem illam, meritoriè: quia tantorum laborum atque meritorum, & par, & major, (quia ultrà condignum remuneratur suos Deus in cælo) debet esse præmiatio, hoc est, beatitudo: ostendunt autem ejusdem magnitudinem: quia nunquam tanta certamina proposuisset sanctis suis Deus in hac vitâ decertanda, nisi suâ Divina liberalitate summè condigna, & omnibus certaminibus, longè, ac longissimè etiam, majora, assignasset præmia.

7. Constituit atque ostendit magnitudinem cælestis beatitudinis hæc ipsa modò adducta remunerationis magnitudo: cujus mensura, in immensum transcendit merita, laboresque Sanctorum in hâc vitâ: luculenter asserente Apostolo: *momentaneum, & leve tribulationis hujus, quod in præsenti est, immensum supra modum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod ipsum etiam Dominus Iesus attestatus est, cùm dixit; *Mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinus vestros.* Nimirum; *merces vestra copiosa est in Cælo.*

2. Corinth. 4. 17.

Luc. 6. 38.

Matth. 5 12.

7. Constituit & ostendit magnitudinem Cælestis beatitudinis æternitas ejus. Nisi enim beatitudo illa æternitatem sibi conjunctam haberet, de eaque beati nisi certi & securi essent, nec isti verè beati, neque illâ verè beatitudo esset: sed quia æterna est, idcirco verissima, plenissima, & omnium maxima beatitudo est. Talis est: qualis, etsi revera est; qualis tamen sit, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

3. Magnitudinem cælestis beatitudinis adhuc indagare potes, secundùm quadruplicem mensuram Sacræ Scripturæ usitatam, etiam dum de hac ipsa beatitudine sub figurâ Civitatis loquitur: cujus & longitudo, & altitudo, & latitudo, æqualia sunt.

A Altitudo Beatitudinis, est suprema, quæ quidem esse potest. Nam attingit, imò complectitur, ipsummet (quantus quantus est) Deum, ejusque beatitudinem, & quidem sicuti est, & facie ad faciem. Itaque, eo bono, beatos suos, quo & semetipsum, beatificat Deus.

Latitudo Beatitudinis cælestis, in eo est sita: quod comprehendat omne Ens Intellectuale, in quo solo est capacitas beatitudinis veræ, & supremæ. Continet Deum Unitrinum, Deum Incarnatum, Dei Matrem, Angelos puros spiritûs, Homines Spiritu & Corpore constantes. In eo etiam sita est latitudo ejus: quia B comprehendit in se omnem Ecclesiæ Dei gradum, & partem: prout modo dictum est. In eo etiam sita est latitudo beatitudinis cælestis, quia comprehendit, & adæquat, & excedit merita, in remunerando, omnium, & singulorum Beatorum, omnia, & singula etiam minutissima merita: etiam solùm cogitata, solùm animo concepta, & destinata. In eo etiam sita est latitudo ejus: quia in omnes, singulosque beatos, suâ quadam portione diffunditur: ita afficiens singulos, ut simul afficiat omnes: ita verò omnes, ut simul etiam singulos: ita ut unius alicujus C beatitudo, sit suo modo omnium: & omnium beatitudo, sit nihilominus singulorum.

Longitudo cælestis beatitudinis, sita est in comprehensione omnis durationis, quâ durat, durabitque Oeconomia Dei, quæ est Ecclesia ejusdem, ex Angelis & Hominibus constituta. Complectitur enim beatitudo cælestis sæcula omnia ab origine Mundi tam invisibilis, quam visibilis: adjunctâ etiam æternitate, cujus longitudinis non est finis, ac ideo etiam nec beatitudinis erit.

Profunditatem Beatitudinis cælestis, D Sacra scriptura loco citato non commemorat: tum quia in commemoratis ibi à se fundamentis eam fortè supposuit: tū quia fortè in altitudine conclusit, profunditas enim & altitudo, solis terminis differunt, aliàs in eodē consistunt. Possumus tamen dicere, profunditatem beatitudinis cælestis, consistere in eo; quòd secundùm profundissimas, & investigabiles, incomprehensasque, Sapientiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Veritatis, Charitatis, Voluntatisque vias, judicia, & ordinationes atque decreta, procuretur, & conferatur singulis quibusque Beatis. Hîc licet cum Paulo exclamare; *O altitudo divitiarum, Sapientiæ, & Scientiæ Dei: quàm incompre-*

Rom. 11

comprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit? Hoc dum omnes Beati, tum in seipsis, tum in aliis advertunt; in immensas, & simul sacri horroris, simul stupendæ admirationis, exultationisque demerguntur plenissimas jubilationes, exaltationes, gratiarum actiones, congratulationes, laudationes, satietates.

(ise 60. 5.) *Tunc videbis, & affiues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum*, ô quisquis mereberis in sortem devenire Beatorum. Tunc mirabimur, & stupescemus, nos esse beatitudine donatos, qui fuimus millies damnationis æternæ rei: tunc mirabimur salvos, beatosque esse, quorum salus apud nos fuit desperata: tum mirabimur magnos, eximiosque coram Deo sanctos esse, qui nobis gregarii etiam justi non videbantur: tunc mirabimur, a Deo præmiari, minutissima, & vilissima facta, studiaque nostra. Tunc cóprehendemus, quomodo non fuerint condignæ passiones hujus temporis, ad illam gloriam, quæ per beatificationem revelabitur in nobis. Tunc justissime dicemus admirantes, illud filiorum Israel, (od. 16. 15.) *Manhu? Manhu? quid est hoc?* quid hoc est, quod pro micis, minutiis, momentisque laborum nostrorum, pro Dei honore, tanta beatitudinis in nos effundantur à Deo profluvia? Tunc videbimus, fatebimur, & dicemus cum Psalmistâ; (l. 28. 10.) *Dominus diluvium inhabitare facit in Domo suâ*, in cælesti domicilio. in qualibet Anima beatâ. Verè enim non stillicidiis, non torrentibus, non fontibus, non oceanis, sed ipsis diluviis suæ Magnificentiæ, inundabit Deus, omnes & singulos Beatos.

Ergo Magna est, Magna, Magna nimis, cælestis beatitudinis Magnitudo, cui comparari nihil potest; quàm Deo, qui est illa beatitudo, conferri nihil potest.

PRAXIS.

O Israel: quàm Magna, quàm spatiosa, quàm immensa est Domus Dei nostri! Cujus fundamenta Montes Sancti, cujus Altitudo DEUS, cujus Longitudo æternitas, cujus Latitudo immensitas, cujus Profundum incomprehensibilitas? O Israel! quàm ingens est locus habitationis Domini Dei nostri, sive in quo ille habitat solus, soli sibi comprehensus, sive in quem introire facit, & in quo habitare jubet fratres, unius moris secum. O Domus, cujus Magnitudo nescit mensuram, non habet terminum, angustias ignorat, plenitudinem eam solam novit, quâ implet omnes intrantes in Gaudium Domini sui. Sic enim illam implent inhabitantes in ea, ut ipsi magis impleantur ab illâ, & ideo semper plena est, & tamen adhuc locus est intraturis in ipsam. O Ierusalem, Civitas Sancta, & Sanctorum! O Ierusalem Urbs Beata, & Beatorum! O Ierusalem! Civitas gloriosa, & glorificatorum à Deo, & in Deo, & de Deo. Ah! quàm beatus ego ero, si fuerint reliquiæ seminis mei, ad videndam claritatem tuam! cum ingressus portas tuas, confitebor Domino super omnes laudationes ejus: & magnificabitur Anima mea vehementer, valde, nimis, super omnes dies vitæ, meæ, usque in omnes dies beatitudinis æternæ.

EXERCITIUM II.

De Cælestis Beatitudinis Amore, & æstimatione.

1. STatue te in Cælo præsentem, & intra in locum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei, in voce exultationis, & confessionis. Sonus epulantis.

2. Quærere, vel affirmare, an & quòd Beatitudo cælestis amanda æstimandavè sit; perinde videtur supervacaneum: ut esset, quærere; an plumbum debeat deorsum tendere, an oculus luce delectari: an vivens vitam suam amare.

3. Cælestis beatitudo amanda & æstimanda, summè amanda, & summè æstimanda est.

1. Quia est Bona; imò Bonum super omne bonum; continens omne bonum. Bonum autem, est amabile, appetibile, æstimabile: & quò aliquid est magis vel majus bonum, eò est magis amandum æstimandumque. Esse autem Beatitudinem cælestem summum bonum; jam superiùs, visum est.

2. Accedit; quod Beatitudo cælestis, est bona, & bonum inprimis quidem Dei: & Deo: est bona nobis & bonum nostrum: est bona nostris, bonumque nostrorum, amicorum, atque fratrum: quorum bonum, non minùs quàm nostrum, Dei autem, etiam plus quàm aut proprium, aut omnium nostrûm delectare nos debet, & de facto in cælo delectat: summè ergo æstimanda est Beatitudo.

3. Adde, quod cælestè Beatitudinem, Deus, summus, optimusque rerum æstimator, omnisque æstimationis regula: summè æstimavit, & æstimat, & æstimabit omnino semper, idque summâ, & æstimandi æquissimâ ratione. Eâ nimirùm, quâ & semetipsum æstimat, æstimareque

 debet:

debet: quandoquidem inde beatus est ipse, unde & nos beatos reddit, videlicet ex semetipso. Quis autem dubitat, deberi à se summopere amari æstimarique, id, quod Deus summopere amat, ac æstimat: id inquam; quo Beatus est, quo nos beatos facit, quo ipse, & sua, & nostrâ beatitudo est?

4. Jam si attendimus, quanti amata & æstimata sit à Sapientiâ Æterna, Verbo Incarnato, Deo nostro IESU Christo cælestis beatitudo; nemo certe, nisi planè insipientiæ filius, dubitabit, summè amandam, summeque æstimandam esse cælestem Beatitudinem. Attendamus & æstimemus, si possumus, labores, & sumptûs, Domini nostri IESU Christi, quos ille impendit in beatitudinem cælestem acquirendam, conferendamque nobis. & ex horum inæstimabili æstimatione, æstimemus pretium beatitudinis, æstimemus, & decernamus, quàm summi æstimanda, amandaque à nobis sit:

5. Huc facit, quòd tam inæstimabiles Christi Domini impensæ, cælesti Beatitudine solâ, sint digne recompensatæ à Deo Patre: Christusque hac solá recompensatione impensarum suarum, laborumque, atque adeò ipsius amarissimæ, insimulque pretiosissimæ mortis, contentus esse voluit: Manifestum ergo est, beatitudinem hanc, summè, & super summè æstimabilem, æstimandamque esse.

6. Id quod etiam idem Dominus noster verbis suis commendavit sæpiùs. Ut v. g. cùm dixit, in hoc, super omnia *gaudendum* esse suis discipulis, *quod Nomina eorum scripta essent in Cœlo*: quòd scilicet ad fruendum cælesti beatitudine essent delecti. (Luc: 10. 20.) Item: *quid prodest homini si universum mundum lucretur: se autem ipsum perdat, animæque suæ detrimentum patiatur*, excidendo à possessione cælestis beatitudinis? (Matth. 16. 25.) Item: *Hæc oportuit Christum pati, & ita introire in Gloriam suam*: (Luc: 24. 26.) Mereri scilicet, & sibi (esto aliunde suam, & sibi debitam) & nobis, beatitudinem cælestem. Si ergo Dominus Beatitudinem cælestem jam alioqui ex unione Hypostaticâ suam, nihilominùs Passionis, atque mortis suæ impensâ quærendam, emendamque sibi putavit; quanti ea æstimanda erit, & quantis impensis à nobis æstimanda, procurandaque à nobis?

7. Atque hoc est, quòd Sancti omnes tanto amore flagraverint cælestis Beatitudinis, tantique illam æstimaverint, ut nullis sibi impensis laborum, dolorum, cruciatuum, damnorum, vitæ, famæ, mortisque, parcendum propter ejus affecutionem putaverint: imò omnem jacturam universi mundi pro illâ, & præ illâ, nihil aut etiam lucrum omnino esse censuerint. *Itaque secti sunt, lapidati sunt, &c.* (Hebr. 11.) Itaque. *sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita illi desiderabant ad DEUM fontem vivum, &c.* (Psal. 41. & 3.) aspicientes in remunerationem.

8. Æstimanda quoque, & amanda omni amore est Beatitudo cælestis, ex eo capite, quia est Christi merces: non solùm in eo sensu quia est Christo bona; (ut supra attigi) nec solùm præcise ex eo, quia illam nobis meruit: verùm etiam ex eo, quia illam nobis ipse confert, tanquam Caput membris, tanquam pater filiis, tanquam heres coheredibus, tanquam major natu frater natu minoribus, tanquam amicus amicis, tanquam imperator militibus, tanquam Dominus fidelibus servis, tanquam Sponsus Sponsis, tanquam supremus vineæ Dei procurator, operariis. Proinde quisquis Christum amat, eique optime vult, amare, & æstimare, quàm maxime debet cælestem Beatitudinem, tanquam eam, quæ est súmum, & singulare præmium, & recompensatio laborum omnium Christi.

9. Super omnia vero amanda, & æstimanda, est cælestis beatitudo à nobis, quia illa est summum ultimumque bonum Dei nostri, quod illè potest & vult habere, & quod habet à nobis. Non potest enim quidquam amplius, quidquam melius, sive creatura rationalis, reddere, præstareque Deo, sive Deus eidem conferre ac exhibere, sive ab eadem percipere, quam possessionem, fruitionemque Beatificam, quâ & Creaturis Deus ultimatè fruitur, & ipsæ creaturæ Deo quoque ultimate, tanquam summo bono suo, & plenissime à se possesso, fruuntur. Quocirca amare æstimareque Beatitudinem cælestem, idem est, quod amare, & æstimare Deum, ejusque possessionem, & fruitionem. Quodsi quis dicat, se Deum amare, beatitudinem verò non item: is perinde dicet, ac si diceret; Amo Deum; sed summe, sed perfectissime non amo, neque amare cupio. Perfectissime enim amare, est beatificè amare, est beatificè Deum habere, Deo frui, Beatum esse.

10. Atque ut omnia in summam, redigantur, ob quæ, cælestis beatitudo, amanda, & æstimanda est, quàm maxime. Amandus, æstimandus est talis status, in quo sunt omnia digna æstimatione & amore; ita ut nihil ei desit in omni bono, in omni gratiâ, in omni desiderabili: qui status ha-

tus habeatur, possideaturque, pleno jure, plena securitate, in omnem æternitatem. Ejusmodi status est, cælestis Beatitudinis: & alius nullus præter ipsum.

PRAXIS.

O Amare, ô Ire, ô sibi perire, ô ad DEM pervenire! ô possidere DEUM! ô frui DEO! ô gaudere de DEO! ô hereditare DEUM! ô hereditari à DEO, in æternum. Sicut lætantium, sicut gaudentium, sicut exultantium, sicut jubilantium, sicut triumphantium, sicut beatorum omnium habitatio est in te ô Domus, ô Civitas, ô Congregatio, ô Ecclesia Sanctorum! Et quis digne amabit, quis digne æstimabit, quis digne appretiabit, quis digne laudabit, te, ô patria, ô possessio, ô hereditas justorum, & regnantium, & requiescentium, & securorum. O quàm jucundus, quàm speciosus, quàm laudabilis populus, qui scit illam jubilationem, illam possessionem, illam pacem, illam laudationem, illam exultationem, illam securitatem, illam requiem! O homines, qui dicitis Deo; indica mihi, ubi pascas, ubi cubes, ubi habites in meridie? Venite, & videte: Venite, & amate, videte, & æstimate; quàm magna est Domus Dei, & quàm ingens locus habitationis ejus! Videte quomodo populus DEI sedeat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulentâ! Opulentâ omni bono, opulentâ ipso DEO, opulentâ possessione, & fruitione ipsius DEI, omniumque bonorum ejus in æternum. O amare, ô æstimare, ô ire, ô pervenire, ô possidere!

EXERCITIUM III.

De Cælestis Beatitudinis Desiderio.

1. STatue te in cælo præsentem, & intra in illum locum tabernaculi admirabilis: usque ad Domum Dei: in voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.

2. Revoca in memoriam cælestis Beatitudinis magnitudinem, ejusdemque Amorem, ac pretium inæstimabile in animo exsuscita, atque in desiderium ejus, omni magno majus, omni ardente ardentius inardesce.

3. Quid enim prodest amare, aut æstimare cælestem Beatitudinem, si non audeas, si non consuescas eandem desiderare, & ardenter quidem, atque adeo ardentissime desiderare? Sic ergo ametur Beatitudo, ut etiam desideretur, sic æstimetur, ut simul etiam concupiscatur.

4. Desideranda ergo est cælestis Beatitudo.

1. Quia ideo præparata est: ideo magna nimis præparata, proposita, promissa est, ut ametur, & amando desideretur. Sicut enim scienti bonum & non facienti, sic amanti bonum, & non concupiscenti illud, peccatum est illi.

2. Desideranda est Beatitudo cælestis: quia pro magnitudine desiderii datur: ut ergo multùm accipias, multùm, & valde desidera.

2. Desideranda est: quia desiderando ad eam itur: non movetur Anima pedibus, sed affectibus: gressus ejus, desideria ejus. Valde ergo, & assiduo desidera, ut magnis passibus pervenias, & apprehendas. *Sic currite* (monet Paulus) *ut comprehendatis.* — *1. Corinth. 9. 24.*

4. Desideranda est: quia desiderium ejus, est stimulus ad conquisitionem ejus. Non habebis illam, nisi sedulò conquisiveris, nisi infatigabiliter laboraveris: nō laborabis, nisi te desideria indefessa stimulaverint: si ergo desideras habere, desidera & laborare. Nam ad magna præmia, non pervenitur, nisi per magnos labores: qui tamen præmiis comparati, parvi, & pauci, & leves sunt semper: illi crede qui de se testatur; *Videte quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.* — *Eccl. 51. 35.*

5. Desideranda est: quia ideo ostenditur, & promittitur, & laudatur, ut quā cupidissimè desideretur: tanquam si pretium ejus, sit, quàm maximum desiderium ejus.

5. Desideranda est: quia ideo differtur, ut eam habiturus, desiderando capacior reddatur. Angustum est vasculum cordis nostri: Beatitudo autem non habet magnitudinis modum: dilatare itaque desideriis tuis, semper, semperque majoribus, vastioribus, ardentioribus: ut habeas unde capias: quanquam non tu capies illam, sed, illa magis capiet te: dicente Domino: *serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Sicut piscis desiderat aquam: sed non ipse capit illam, verùm illa comprehendit ipsum. — *Matt. 25. 21*

7. Desideranda est: quia dum illa desideratur, omnia desiderabilia, & desideranda simul desiderantur. Deus, & omnia bona ejus: Christus & omnis gloria ejus: Sanctorum cohabitatio, & omnis felicitas ejus. Hæc desiderantur, dū cælestis beatitudo desideratur, prout etiam hæc habentur, dum illa habetur: desiderantur autem hæc, non solum nobis, sed simul Deo, Christo, & omnibus Sanctis.

8. Desideranda est cœlestis beatitudo:

quia sicut non desiderare illam, argumētum est miserrimè affectæ Animæ, terrenisque, & carnalibus immersæ, ac propterea Deo ingratissimæ, atque ad beatitudinem prorsus ineptæ: ita è contrario, ardentissimè beatitudinē desiderare, indubitatum indicium est, Animæ a Carne, & sensibus, sensibilibusque separatæ, ac ideo tum Deo quàm gratissimæ, tum Dei, eiusque bonorum quàm capacissimæ, & perquàm dignissimæ.

9. Desideranda est: quia illam infiniti & ignorant, & contemnunt, & desiderare atque procurare negligunt: non absque summæ ingratitudinis reatu in Deum, & in Christum ejus: cum summâ atque extremâ, irremediabilique animarum suarum pernicie. Ut ergo confundantur, tanti boni ignorantes, contemptores, neglectores; ut eorum ruinæ impleantur; ut gustus Dei, atque Christi eius contentetur; atque nuptiæ ejus, & domus ejus plenitudine convivarum expleatur; nos oportet festinare, nos desiderare, ad illam requiem, ad illam domum, ad illam cænam, ad illas nuptias. Currite ergo, currite fratres: non enim soli Angeli, sed & ipse Angelorum nos Creator expectat. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena domus, adhuc expectantur, per quos nuptiæ impleantur. Denique, nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni, ite ergo ad exitus viarum.

10. Desideranda est, cælestis beatitudo: quis enim peregrinus non festinat ad Patriam? quis exul ad regionem suam? quis navigans ad portum? quis operarius ad mercedem? quis miles ad stipendia? quis captivus ad libertatem? Quæ sponsa non suspirat ad Sponsum suum? & sola Anima, non desiderabit Deum suum?

11. Desideranda est: quia cùm hîc, sit locus, & terra exilii, terra doloris, terra ægritudinis, terra periculorum, insidiarum, ærumnarumque: terra sterilitatis & famis: terra duræ servitutis, & perpetui discriminis, terra laqueorum & mortis: quis non desideret ad terram viventium, ad terram lætantium, ad terram triumphantium, ad terram regnantium, ad terram beatorum, & securè quidem, atque æternaliter beatorum: neq; enim aliter beatorum.

PRAXIS.

DEVS meus, vita mea, beatitudo, dulcedo, laus mea sancta, amabilis, & æterna. Quemadmodum desiderat cervus ad vitæ fontes aquarum, sic Anima mea tota sitit ad te Deum, fontem vivum, fontem verum, fontem indeficientem. O æterna Veritas, & vera Charitas, & chara æternitas. Tu es DEUS meus, & omne bonum meum, & una, atq; plena beatitudo mea: Ecce tibi suspiro, omni, & totâ die, ac nocte. DEVS meus, & Decus meum, & Dulcedo mea, magis autem tua. Ecce audivi vocem tuam post me, ut venirem: & vix audivi propter tumultus peccatorum meorum. Et ecce jam venio æstuans, & anhelans ad fontem. O Cælum Cæli! ô pulchra, ô luminosa domus! dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini mei. Tibi suspirat peregrinatio mea, & dico ei, qui fecit te, & me ad te, ut possideat & me in te, quia fecit & me propter te. Tunc in pace inidipsum dormiam, & requiescam, quando absorbebitur mors in vitâ, pugna in victoriâ, miseria in beatitudine, momentum in æternitate. Et tu ô Domine DEVS meus, decus meum, desiderium desiderii mei: quando erit mihi gaudium, quod non datur impiis & ingratis, sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es? O in pace: ô in idipsum obdormiam, & requiescam! Ipsa est Beata Vita: gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est, & non altera. Iu me trahe: & curram post te in odorem unguentorum tuorum: & cantabo tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitûs in hac peregrinatione meâ, & recordans Ierusalem, extento in eam Sursum Corde, Hierusalem, illam patriam meam, Teq; super eam regnatorem, illustratorem, Patrem, Sponsum, tutorem, castas & fortes delicias, & solidum gaudium, & omnia bona ineffabilia, simul omnia, & unum omnia, quia unū, & summum, & verum, & æternum bonū omnia. Obsecro te per Matrem Charitatem, obsecro te, dic mihi: quando veniam ad Te? quando effundam super me Animam meam, in vocem exultationis, & confessionis, soni festivitatem beatam celebrantis? quando erit mihi illud Manè, in quo astabo, & videbo, & fruar te, & semper confitebor tibi? Da mihi te DEVS meus: redde te mihi celsitudo humilitatis meæ, & requies laboris mei. En amo, en desidero, en ardesco: & si parùm, imò, quia valde parùm est, amem validius, & desiderem ardentius. Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi, & amoris, & ardoris, ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexûs, atq; ut confidam in te, purgatus, & eliquatus igne Amoris tui. O! tunc stabo, & solidabor in te, in formâ meâ, Veritate suâ. Nunc autem scio, & confiteor, quia male mihi est sine te, non solùm ex me, sed etiam in ipso me; quoniam omnis copia, quæ tu DEVS meus non es, egestas mihi est. DEVS meus, vera magnitudo mea; quando te fruemur, requies nostra, locus noster, centrum nostrum? Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. O amare! ô ire! ô sibi perire! ô ad DEVM pervenire! Accende me DEVS meus:

meus: accende me, dono igniti amoris, & desiderii tui, ut ferar sursum, ut inardescam, & vadam: ascendam ascensiones in corde, & cantem canticum gradaum. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

EXERCITIUM IV.

De cælestis Beatitudinis per laborem acquisitione.

1. STatue te in Cælo præsentem: & intra in illum *locum tabernaculi admirabilis: usque ad Domum Dei, in voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.*

;41.5.

2. Adverte, cælestem Beatitudinem esse, & purum Dei erga nos Donum; & simul tamen esse mercedem laborum nostrorum atque præmium meritorum. Est Donum, & gratia pura erga nos Dei, partim quia ex purissima sua gratiâ condidit nos, atque direxit, elegit quoque atque deduxit, ad illam tanquam ad summum, ultimumque finem & bonum nostrum: partim quia licet eam apud Deum emereamur, laboribus, meritisque nostris, ipsa tamen illa merita, laboresque, & per auxilia Gratiæ Dei sunt à nobis, & ipsa etiam sunt pura Dei dona: ita ut Deus præmio afficiens merita nostra, coronet in nobis Dona sua. Est nihilominus cælestis beatitudo merces laborum, & præmium meritorum nostrorum: quia Deus, ita statuit eam à nobis obtineri, eaque conditione nobis eam conferre, ut eam laboribus nostris propriis, cum ejus tamen gratiâ elaboratis, acquireremus, emereremurque: & esset nobis à Deo debita, tanquam merces laborum, tanquam præmium meritorum, tanquam Corona certaminum, tanquam stipendium militantium, &c.

3. Hæc Veritas, duas alias nobis ingerit Veritates, tanquam conclusiones. Prima est: Orandum nobis esse jugiter atque humiliter, tam pro auxiliis gratiæ, ad obtinendam beatitudinem efficaciter necessariis, quàm ipsius beatitudinis reali efficacique obtentione. Altera est: Laborandum nobis esse infatigabiliter incessabiliterque pro elaborandâ, emerendaque actualiter & efficaciter beatitudine: ut in nobis impleatur etiam illud, quod in se, & à se Paulus impletum asserit; *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo, reposita est mihi Corona justitiæ quam reddet mihi justus Iudex: non solum autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus.*

Timoth: 4.7.

4. Laborandum ergo est pro cælesti beatitudine obtinendâ.

1. Quia, (ut proximè dictum est) Deo ita ordinare placuit: ut nonnisi per merita, laboresque proprios, cum gratiâ ipsius obitos, ab omnibus adultis & rationis compotibus obtineretur. Quibus laboribus destinata est vita præsens mortalis, ut ea durante, duraret quoque laborum, & sudorum, & certaminum, conatuumque cælesti Beatitudine dignorũ, tempus: hac verò exeunte, æternitas beatitudinis cælestis succederet. Etsi enim illa Beatitudo tanta sit, ut justè pro eius adeptione per omnem æternitatem laborandum sit; Noluit tamen Deus infinitos, ac æternos esse labores, alioqui beatitudo illis æterna succedere nunquam posset. In quo immensa Dei agnoscenda, & amanda est liberalitas: qui labores quidem nostros, finito, eoque brevi termino definierit: laboribus tamen præmia absque ullo termino, solâ æternitate circumscripserit.

2. Laborandum est pro cælesti beatitudine: quia & honestior, & dulcior, & amplior fit cælestis beatitudo, eam obtinentibus; mediantibus laboribus, & sudoribus, atque certaminibus, & victoriis: quàm esset si merè gratis obveniret. Quâ in re, Deus, de suæ bonitatis, atque munificentiæ laude, nonnihil deterere videtur, ut nostræ consulat honestati, atque dulcedini. Mavult enim ipse videri Gloriæ suæ quasi mercator, & venditor, quam nos esse ob gratuitam beatitudinis acceptionem erubescentes.

3. Laborandum est pro cælesti Beatitudine: quia revera est magna, & omni Bono plena nimis: proinde, omni, eodemque summo labore, dignissima, & procuranda. Aliàs non videretur adeo magna, & ampla, si vel nihil, vel aliquid parum agentibus, laborantibusvè nobis obtingeret.

4. Laborandum est pro cælesti beatitudine: quia Dominus noster IESUS Christus, pro ea, & sibi, & nobis obtinendâ laboravit, passusq; est dura omnia, usque ad ipsam Crucis mortem. Si ergo Dominus Gloriæ, voluit suam sibi gloriam adeò sumptuosè conquirere: quid nos oportet impendere, ut eandem, minimè nobis debitam valeamus obtinere? Ac; si Dominus idem noster eandem nobis emere, emererique voluit pretiosi sui sanguinis (post alios labores, sumptûsq; suos) impendio: quantò magis nos ipsos cõvenit, eandem nobis sumptu laborum, dolo-

dolorum, certaminumque acquirere? Quoniam hi ipsi nostri quanticunque essent sumptûs, ad eam acquirendam essent prorsus impares, nisi merita Domini nostri, meritis, laboribus, aliisque sumptibus nostris, hoc obtinuissent, & contulissent; ut cælesti beatitudini emendæ, emerendæque sufficere possent.

5. Laborandum est pro cælesti beatitudine: quia omnes Sancti pro ejus acquisitione laborârunt: Et laborârunt quidem tam multùm, tam strenue, tam violenter, tam infatigabiliter, ut non dubitaverit Dominus noster, eorum conatibus, studiisque violentiam quandam attribuere, atque per eam cælum expugnatum, ac vi raptum esse ab eis dicere. *A diebus (inquit) Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud.* Cui non dissimile est dictum ejusdem Domini; *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint, (atque etiam fecerint) omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Matth: 11. 12.

Matt: 5. 10. & 11. 12.

6. Laborandum est pro cælesti beatitudine: quia si pro quisquiliis rerum caducarum filii hujus sæculi, tantos sustinere non dubitant labores, sudoresque, quin & detrimenta, pericula, vulnera, & ipsas mortes: quarum tamen & fructus non respondet spei, & vilissimus, brevissimus, quin & saluti Animarum æternæ nocentissimus usus esse solet. Quid nos Dei filios, pro æternæ beatitudinis indubitatâ possessione, laborum exhaurire, sumptuumque ponere oportet? *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Et ibi quidem omnes in stadio currunt, *sed tamen unus tantùm accipit bravium*: hîc autem omnes quotquot currunt, si ad usque mortem currunt, à Domino coronantur. Ergo Filii Dei, & beatitudinis candidati, *Sic currite ut comprehendatis.*

1. Cor: 9. 25

1. Cor: 9. 24

1. Cor: 9. 24.

7. Laborandum est pro cælesti beatitudine: quia pro æternâ damnatione atque perditione infiniti reproborum populi, infinitas ærumnas, easdemque gravissimas, ac vix toleratu possibiles, easdemque æternâ calamitate, plusquã certissimè cumulandas, & concludendas, avidissimis faucibus, & inexpletissimis cupiditatibus exhauriunt. Et pro æternis Dei bonis, cum ipsomet Deo æternùm possidendis, filii lucis, filii Sapientiæ, filii Dei, pigrescent, horrescent, cunctabuntur, dubitabunt, pro duro, & pro gravi reputabunt, momentaneum, & leve tribulationis, & laboris, quod in præsenti est, subire, atque sustinere?

O cælestem beatitudinem, hoc solo infelicem, & parum beatam, quod tanta licet sit, quanta revera est, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, neq; cor hominis apprehendit*, multoque minùs comprehendit; licet etiam ea tanta esse, fide certissimâ sciatur; tamen à plerisque, non infidelibus, sed planè fidelibus, fideliterque cõfitentibus, contemnitur, despicitur, procrastinando luditur, leviculis, ridiculisque operibus quæri potiùs fingitur, quam seriò, & ex animo reipsa quæritur. Viluit scilicet, nobis fidelibus, aliisq; Dei: viluit (inquam) nobis Deus: & gloria, atque beatissima fruitio, æternaque possessio ejus. Neque erubescimus, plus longe laborari à reprobis pro damnatione, quàm à prædestinatis & electis pro æternâ beatitudine.

1. Cor: 2.

PRAXIS.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Certe non otiosis, neque torpescentibus præparata, aut promissa est cælestis domus inhabitatio, atq; beatitudinis æternæ fruitio. Nam egestatem operata est manus remissa: & animæ negligenti, atq; otianti, male erit in novissimis. Contendite intrare per angustam portam: dicit Dominus noster. Negotiamini dum venio. Ite in vineam meam, & operemini: & quod justum fuerit dabo vobis. Ergo Anima laborandum est tibi, ergo vigilandum, ergo negotiandum, ergo in stadio decurrendum; ergo prælio decertandum, ergo in agone colluctandum, ergo in vineâ operandum. Operandum autem non cibum qui cum suis concupiscentiis perit, sed cibum qui permanet in vitam æternam, & quo alaris beatifice in æternum. Ad magna præmia non pervenitur nisi per magnos labores: & nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit. Ergo si te ô Anima delectat magnitudo præmiorum, non te deterreat certamen laborum: sed quidquid potest manus tua, nunc instanter operare: quoniam nec ratio, neq; consilium, neq; sapientia, neq; fortitudo, est apud inferos, quo tu properas. O Domine auge fidem, auge amorem, auge æstimationem, auge desiderium beatitudinis cælestis in me: & simul auge conatum, auge studium, auge robur, auge sapientiam, auge perseverantiam, ad negotiandum, ad laborandum, ad patiendum, ad moriendum pro Vitâ æternâ. Nam si oportuit pati Christum tuum, Dominum meum, & ita intrare in gloriam suam; quid jam me servum, & mancipium per omnia indignissimum, oportet facere?

EXECITIUM V.

De Cælestis Beatitudinis super labores excessu.

1. STatue te in Cælo præsentem, & intra in locum illum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei, in voce exultationis & confessionis, sonus epulantis.

2. Ad declarandam cælestis beatitudinis magnitudinem, ad conciliandum illi Amorem, æstimationem, ad excitandum illius desiderium, & demum ad provocandum pro illius adeptione laborandi studium; facit quàm plurimum: videre; cælestis beatitudinis super omnes labores, superque omnia merita, quæ pro illius acquisitione à Creatura exerceri aut exhiberi possunt, excessum.

3. Testantur illum; tum multa ex suprà dictis, tum specialiter expressa illa affirmatio; *Non sunt condignæ passiones, hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*: qua unicâ assertione Paulus, tum omnem nobis superbiæ, ac de nostris meritis, laboribusque, quanticunque ii sint, præsumptionis nervum incidit: tum beatitudinis cælestis prægrandem quandam magnitudinem exposuit: tum munificentiam, magnificentiamque Dei, in præmiandis Sanctis suis commendavit: tum denique incredibilem quendam hujus præmiationis, seu beatitudinis supra omnia nostra, quæ habere & afferre possumus, merita, excessum, meritorumque cū ipsâ imparitatem atque tenuitatem explicavit. [Rom. 8.18.]

4. Ad hoc ipsum explicandum, facit maximè: ejusdem Apostoli non minus graphice de hoc ipso excessu dictum. Id, quod in præsenti est, *momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* [2 Cor: 4.17 & 18.] [2 Cor: 5.1.]

5. His consona sunt, etiam Domini nostri hac de re pronuntiata, atque promissa: ait enim: Videte quid audiatis. *In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Et alio loco Dominus idem ait: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Multa paucis opponit, multa præmia paucis meritis, paucisque laboribus, promittit: & insuper non gaudii sui in servum, sed servi in gaudium suum, ingressum spondet; aut potiùs exhibet: ostendens excessum redundantiamque gaudii, seu præmii: ut quod non esset solùm excepturus servus, sed quo præterea propter ejus copiam, & supereffluentiam, excipiendus, explendus, & circumfluendus (tanquam piscis mari suo) undique fit. Eundé ipsum Excessum beatitudinis cælestis, supra nostra quævis merita, indicat Dominus illo centuplo. *Omnis*, inquit, *qui reliquerit*, &c. *propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* [Luc: 6.38.] [Matt: 25.21] [Matt: 19.29]

6. Ejusdem Excessûs figuram ac imaginem exhibet: quod Scriptura Sacra narrat, de Salomonis Regis, in Reginam Saba munificentiâ: atque de excessu, quo omnes, Reginæ, sibi factas donationes, longissimè superavit suorum donorum excellentiâ, & multitudine, quæ illi obtulit munere Regio. In ejusdem excessûs figurâ, DEUS filiis Israel pro relictâ Ægypto, in quâ durissimam, & abjectissimam servitutem servierant, dedit *terram lacte & melle manantem.* [Deut: 26.9.]

7. Et nimirum pertinebat hoc ad Magnificentiam, Generosissimamque DEI nostri indolem: non tantum non vinci à Creaturis in liberalitate, atque profusione erga se: sed etiam centies, & millies, & infinities se liberaliorem exhibere illis ipsis illis. In quo advertendum est, aliquid notatu dignum. Nempè quod Creaturæ, Deo, ejusque Voluntati, Amori, & Gloriæ, totas se impendant: & verò etiam superimpendant. DEUS quoque Creaturarum talium saluti, remunerationi, beatitudini, totum quoque se impendit, superimpenditque. Et in hoc videtùr esse quædam paritas, vel magis paritatis umbra, inter nostram in Deum, & Dei in nos liberalitatem, profusionemque: siquidem ex utrâque parte totum impenditur, quod habetur: tota Creatura in merendum benè de Deo, totus Deus in remunerandam Creaturam seipso Deo. Nihilominus quia plusquam abyssale Chaos est inter immensam Excellentiam Dei, & minutissimam, propeque, ac propriè nihilissimam portionem Creaturæ; Nulla ideo est, nulla omnino proportio Creaturæ, cum suis meritis, laboribusve ad Deum, & Dei cum suis præmiis,

miis, remunerationibusque ad Creaturam. Nostra omnia quæ offerimus, mensurantur minuto, & momento: Divina verò, quæ accipimus, mensurantur ipso Deo, ejusque immensitate, & æternitate.

8. Denique labores nostri, excepto, quòd sint Dona & Bona Dei, quid sunt collati cælesti Beatitudini?

1. Omnis labor noster hujus Vitæ pro Deo revera admodum levis est: Neque enim fallax est qui dixit; *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* At beatitudo cælestis est grãdissimis omnibus, sive otiis, sive negotiis, grandior ampliorque. *Merces est magna nimis. Gloriæ pondus est immensum. Gaudium Domini est,* non quod capias tu, sed à quo capiaris & superobruaris tu. Quid grandius quam super omnia bona Domini Dei sui constitui? quàm videre Deum sicuti est? Deum habere, Deum possidere, Deo frui, Deo gaudere, Deum amare, Deo beatum esse, Deum laudare, & superexaltare, in sæcula sæculorum?

Matt. 11.29. & 30.

Genes. 15.1.
2. Cor. 4.17
Matt. 25.21.

2. Omnis labor noster pro Deo, & pro beatitudine cælesti, est brevis, imò brevissimus, atque adeo momentaneus: quia tantùm hujus vitæ: quæ est merus *vapor ad modicum parens*, & morte finitur, ad quã vita nostra omni velocitate velociùs volat: At cælestis beatitudo æterna est: initium habet, finem non habet: quamdiu Deus erit Deus, qui semper est, eritque Deus; aliàs non esset Deus: tamdiu beatus erit Beatus, quia Deo est Beatus: aliàs non esset Beatus.

3. Omnis labor noster, pro Deo, & Cælo, vilis est, si suâ naturâ spectetur suisque momentis expendetur: audiamus Dominum dicentem: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Nunquid sanguinem hircorum potabo?* &c. Deinde; *cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Ipsa mors, seu vitæ in mortem expositio, ipsa sanguinis effusio, atque effusio nostra: quantula, seu quantulæ rei est? in quem usum venit Deo? Nos quidem his nihil possumus facere majus: attamen hoc nostrum maximum, revera coram Deo, & in semetipso, est minimum, vilissimum, inutilissimum, planeque nihilum. Affectio Amoris nostri in Deum, pretiosissima & dignissima est omniũ affectionum: hæc tamen ipsa tam nihil est, quàm nos ipsi sumus nihil: neque affectio nihili, potest esse aliud nisi nihil: esto totum universum, omnisque populus creaturarum, toto se in hanc affectionem transeat: unde nec aliud quidquam Deo confert, nisi nudum nihil, At Cælestis Beatitudo, quæ nobis pro laboribus nostris rependitur, ipsa sibi ad omnem magnitudinem pretii, & æstimationis sufficit: nec ei quidquam addi potest, si Beatitudo est. Pretiũ ejus, omnia bona: & totus Deus: & æternitas possessionis, fruitionisque ejus. Quis autem potest esse major, & melior, & alius usus Dei, quàm esse Beatum Deo ipso? Certè Deus hunc unum & solum, & summum, & omnem usum habet sui, quòd sit Beatus seipso.

Isaiæ 1.11.
Ps. 49.13.
Luc. 17.10

4. Omnis labor noster pro cælesti Beatitudine, & pro Deo, unius tantùm, aut alterius generis est. Impares enim sumus pluribus: ac multò minùs pares omnibus. Possumus quidem desiderare labores quàm plurimos, sed desiderare tantùm: ultra desideria vix à nobis itur: imò ipsa desideria sua nemo nostrûm satis assequitur, & argumentum est, esse perexigua: si nostræ assecutioni seu executioni sint paria. At Beatitudo Cælestis, omnis generis habet in se præmia, habet flumina, habet fontes, habet ipsum mare præmiorum, cum æternitate. Est status omnium bonorum accumulatione perfectus. Si quod boni genus in Beatitudine Cælesti non est, illud Beatitudine Cælesti indignum est, proinde nec bonum est, ac ideo meritò in eã non est. Denique; A sæculo non est auditum, neque aures perceperunt; oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Occurristi lætanti, & facienti Iustitiam: canit Evangelista Propheticus, ex eoque Apostolus.

PRAXIS.

ITa est Domine: ita est: quia tu DEUS noster vincis, & excedis omnia. Vincis non solum scientiam, non solum potentiam, non solum dignitatem, non solum dilectionem, non solum bonitatem nostram, sed etiam merita nostra, laboresq; nostros. Revera Domine, non sunt condignæ passiones omnes nostræ præsentis temporis ad illam gloriam, ad illũ honorem, quo tu coronas nos pervenientes ad te. Quod oculus non vidit, quod nec auris audivit, quod nec in cor hominis ascendit, hoc tu Domine præparasti iis, qui diligunt te. Superas merita, excedis vota, supergrederis desideria: vincis cogitationes, transcendis capacitates nostras; quantum tuã Divinã magnificentiã dignum est, tantùm circa nos beatitudine explendos, superexplendosq; facis. Ergo nemo nostrûm, dicat: multum amavi, plurimum laboravi, magna passus sum, multa sunt merita mea. Nihil enim condignum est his, quæ Deus

præpa-

præparavit his, qui diligunt eum. Omnia omnium Sanctorum promerita, ad Bonum quod Cælesti Beatitudine possidetur in æternum, saltem momento unico possidendum, non sunt omnino condigna: & unus aliquis ostendet, aut obtendet, magnitudinem, multitudinemvè meritorum suorum? Absit, absit, ut omni plenitudine plenissimus DEUS, vincatur ab inanitate, & nihilitudine Creaturarum: vinceretur autem, si vel adæquaretur saltem. Scimus: quod Deus noster pronus sit magis ad benignè, quàm ad asperè faciendum: & quod misericordia ejus superexaltat judicium ejus: & quod miserationes ejus sint super omnia reliqua opera ejus. DEUS ergo noster, habuit diluvium iræ suæ magnæ nimis, quo delevit per aquas scelera mundi: habebit diluvium potestatis suæ grandis nimis, quo delebit per ignem, istud consenescens universum; habet diluvium vindictæ suæ finem non habentis, quo de pœnis æternis damnatorum, ascendet fumus tormentorum eorum in secula seculorum: Et non habebit Deus diluvium beatitudinis æternæ, quo super excedat, & superobruat in immensum amplius atque amplius merita & labores electorum suorum? Utique Dominus diluvium inhabitare facit in domo sua, & sedebit, atque regnabit Dominus Rex universæ felicitatis, atq; beatitudinis, cum suis, & in suis Sanctis, in æternum: Vincens eos, triumphans eos, obruens eos, diluvio miserationis, diluvio beatitudinis, diluvio divitiarum, diluvio gaudii, diluvio bonorum suorum, diluvio suæ ipsius Essentiæ atque perfectionum, diluvio possessionis æternæ. Tunc ò beatissima Natio Electorum Dei, tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te plenitudo maris: quando Deus non solùm fluvium pacis beatæ immittet in te: non solùm torrente voluptatis potabit, & inebriabit te, non solum ad vitæ fontes aquarum ducet te, sed etiam diluvio, quo omnem beatitudinis æternitatem, æternamq; beatitudinem, super, superq; implet, te quoq; superimplebit, superobruet, supersepeliet in æternum.

EXERCITIUM VI.

De Tædio ad Cælestem beatitudinem.

1. STatue te in Cælo præsentem, & intra in locum illum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei in voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.

2. Ea est conditio Vitæ nostræ hujus mortalis, ut licet eâ nihil sit miseriùs, tamen nos minimè tædeat illius: adeo vix unum, alterumvè de nobis reperias, qui ex animo dicat; *Tædet animam meam Vitæ meæ*: vel: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multùm incola fuit Anima mea*: sed passim amamus miseri miserias nostras miserrimas.

Iob. 10. 1. Ps. 119. 5.

3. E contrà, ea est beatæ Vitæ, quoad nos hîc viventes ratio, ut quamvis reverà sit eâ nihil melius, ac optabilius, & felicius, nobis tamen vulgò fit in magnâ oblivione, & neglectu. Si quando de eâ nobis venit in mentem, venit tanquam de re nihil ad nos attinente, tanquam de re nihili, tanquam de bono, quod perinde sit perdere, atque habere. Curam ejus in postremis, minimisque ducimus, in longum, atque in extremum differimus. Desiderare, ad illam tædere, anhelare, festinare, ridiculum, superfluum, illiberale, & minimè ad præsens spectans videtur.

4. At ea res multam Deo nostro bilem in nos excitat, iramque ciet: ut clementissimus alioqui Deus denunciare cogatur; Dico vobis: quia *nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Nimirum: quia novit DEUS, quantum bonum sit cælestis beatitudo à se hominibus præparata; novit etiam quanta sit hominum in ejus neglectu ingratitudo, quanta perversitas, quantus stupor, atque damnificatio, demumque damnatio. Inde in corde Divino dolor, inde ira, inde indignatio, inde perpetuis, novisque semper miseriis, amaram nobis reddere satagit præsentis temporis vitam: ut mala quæ nos in præsenti affligunt, tædiosam & exosam nobis hanc vitam reddant, nosque de alterâ feliciore cogitare, & ad eam contendere compellant.

Luc. 14. 24.

5. Anhelandum ergo, & tædio (ut sic loquar) emarcescendum est ex hac vitâ ad illam aliam, per expectationem beatæ illius tam spei, quàm rei, ac adventûs gloriæ magni Dei.

1. Quia in hâc vitâ miserrimi sumus, velimus nolimus: & quidem non tantùm omnes omnino, sed etiam ii vel maximè, qui aut sibi, aut vulgo videntur miseri minimè, felices maximè. Hi enim, si benè, ac intimè, sortem suam (quam putant felicem) introspiciant, sine ullo dubio invenient plenissimam esse molestiarum, curarum, indigentiarum, laborum, periculorum, invidentiarum, inconstantiarum, mutationum: uno verbo dicam, ærumnarum & calamitatum: quibus illi, qui vulgò miseri sunt, videnturque, reverâ carent; atque ex hac parte, felicibus illis feliciores sunt, atque insuper ad evadendû ex suis miseriis expeditiores.

2. Anhelandum, tædendumque est ex hac vitâ ad Cælestem beatitudinem: quia hæc vita laboris est: illa autem mercedis. Igitur à labore ad requiem, ab opere ad mercedem, à periculis ad securitatem, à bello ad pacem, à molestiis, & ærumnis ad solatia, ab amaritie ad dulcedinem: denique à miseriis ad beatitudinem aspirandum, anhelandum, tædendum est.

3. Hoc tædium exacuere in nobis debet vel maximè: quia dum hîc vivimus; in perpetuo, simulq; multiplici, & quod caput est, evidenti, atque difficili superatu periculo, sumus; excidendi beatitudine illâ: incidendi autem in perditionem extremam, ac æternam. A quo omni periculo, in perpetuum liberat nos Cælestis beatitudinis adeptio. Ergo ad illam totis viribus animi tædendum, tendendumque.

4. Quid quòd Deus noster delectatur hujusmodi tædio nostro ad ipsum? ponitque hoc, inter magni, atque sibi valde placiti Amoris erga se signa, atque exercitia, & pignora. Inde propè est talibus Amatoribus: indulgens eis, solatiaque submittens, & variis gratiæ suæ modis eos in tædio suo fovens, insuperque ad beatitudinem certiùs, ac uberiùs capiendam disponens: ac pro modo, mensurâque tædii ipsius, beatitudinis copiam illis præparans.

5. Ampliùs aliquid dicere licet, & libet. Deus noster tædio afficitur, ex eo; quòd nos adhuc extra illum, extra ejus possessionem, fruitionemque simus, quòdque ad illum hereditandum non sustinemus, accuramusque. Cùm enim plenus sit beatitudine, & prægnans, atque parturiens illam, cum immensitate, ac infinitudine; afficitur tædio: cùm non habet in quos effundat partus beatificationis suæ. In hoc tædio sublevamus Deum nostrum, quando, quàm maximè, quàm anhelosissimè, quàm tædiosissimè, ipsi pro nostra quoque parte, ad ipsum Deum, ad ejusq; beatitudinem suspiramus, beatificationique ab ipso, quàm copiosissime disponimus nos, & aptamus.

6. Tædendum etiam est ad Beatitudinem: ex eo, quia Deo nostro multùm displicet, si nos videat non esse ardentes in desiderio, in tædio, in anhelitu, seu in tædendo, & in anhelando ad ipsum, ipsiusque beatificam fruitionem. Et justa quidem est hæc displicentia: nam non tædere ad Deum, & ad fruendum ipso, est quædam vilificatio Dei, minusque digna, tam ipsius, quàm fruitionis ejus ponderatio, ac æstimatio. Si enim æstimaretur, prout dignum esset æstimari ipsum à nobis, sine dubio totis viribus amaretur, concupisceretur, tædiosissimeque, sine illo hic viveretur, hinc festinaretur ad ejus possessionē, atque fruitionem. Quod qui non facit: minùs diligit.

7. Est etiam illa tædendi ad Beatitudinem cælestem idonea valde causa: quia & Dominus noster Iesus Christus, & Beatissima ejus Mater, universus quoque Beatorum populus, ardentissimè & tædiosissimè (tædio nimirum Charitatis beatificæ afficiente, non conficiente) nos expectant, nosque prospectant, si forte ad augendum ipsorum numerum, ad cumulandam ipsorum gloriam, totis Animorum, Cordiumque viribus, & conatibus, & tædiis, & festinationibus accurramus, ad ipsosque adjungi acceleremus. Quod, si facimus; id quod illis gratissimum est, facimus: sin autem in eodem studio torpescimus; ingratum, indignumque spectaculum ex nobis, Christo Domino, ejusque Sanctis exhibemus.

8. Tendendum est cum tædio ad cælestem Beatitudinem: quia non tædere, neque anhelare ad illâ, signum est, quòd Animus noster adhæreat, immersusque sit carni, & sensui: & his caducis rebus: indicium est, quod *adglutinatus sit in terrâ venter noster*: argumentum est, quòd qui tales sunt, indigni sint nuptiis Agni: & ingrati Deo: quo an possit eis aliquid evenire perniciosius, viderint qui tales sunt. (Ps. 43.)

9. Tædendum denique est ad cælestē Beatitudinem: quia quem tædet ad illam; eundem tædet etiam hujusce mortalis vitæ, tædet illum hic vivere, & periclitari, *concupiscit, & deficit in atria Domini*: dulce illi est cælestia cogitare, pro cælestibus laborare: redditur illi infatigabilis, insatiabilisque animus: redditur omne opus dulce, omne onus leve, omnis mora longa: quamdiu non educitur de custodiâ, & vinculis corporis hujus, conversatio illius assidua est in cælis: pæna illi est vivere, solatium mori. (Ps. 83.)

Ergo anhelandum est, ergo tædendum ad cælestem beatitudinem: ubi est vita sine morte, requies sine tædio, gaudium sine fastidio, beatitudo sine fine, Deus noster, & nobis omnia in æternum.

PRAXIS.

TÆdet animam meam vitæ meæ Domine Deus meus, & vera vita mea, tædet eam hujus vitæ miseræ,

miseræ, periculosæ, peccaminosæ: insidiis hostium, ruinis in peccatum, indignationibus justæ iræ tuæ, obnoxiæ. Tædet Animam meam vitæ hujus, quâ adhuc vivit: & tædet eam, ad illam vitam, quâ necdum vivit. Ah mea vita, vita dulcis, vita jucunda, vita felix, vita beata, quando venies mihi, quando veniam ad te, quando vivam te? O vita vivens cum Deo, vivens ex Deo, vivens in Deo, vivens de Deo, vivens Deo. Tu nos exspectas, tu nos invitas, tu nos desideras: & nos ignoramus te, negligimus te, elongamus nos à te, & tardamus ad te. Bis infeliciter miseri: nam & miseram vitam istam miserè amamus, & illam beatam vitam miseriùs non amamus. Tædet Domine, tædet, aut si nondum tædet, oro tædeat, Animam meam vitæ hujus temporis, ad vitam beatæ æternitatis. O Anima! curre, satage, labora, festina, anhela, concupisce, ardesce ad illam vitam, cui non succedit mors, ad vitam beatam, quæ nescit miseriam: ad vitam, cujus vita DEUS est.

EXERCITIUM VII.

De Cælestis Beatitudinis Gustatione.

1. Statue te in Cælo præsentem: & intra in illum *locum tabernaculi admirabilis: usque ad Domum Dei, in voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.* (Ps. 41. 5.)

2. Beatitudo Cælestis usque adeo ad Gustum facta est, & gustationem sui requirit; ut sine gustu haberi non possit; nt non nisi per gustum haberi possit. Inde illa Sapientis experti monitio: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus:* (33. 9.) oportet ut gustus præcedat, & tum visio succedet, demumque Vita Beata, & æterna possidebitur.

3. Hæc Veritas etiam in hâc vitâ suum locum habet: isteque servandus est ordo festinantibus ad cælestem beatitudinem, ut eam priùs hîc degustent, per eam, quæ hîc possibilis est degustationem.

4. Sed ante omnia, necesse est, præcedat mundatio, & expurgatio palatii nostri, acetoso, & felleo sapore terrenarum, sensualiumque dulcedinum infectissimi. Melle implendus es ô homo: & melle super favum dulciore. Si aceto plenus es, ubi istud cæleste mel pones? Effunde prius acetum: ut securè, ut beatè, melle divino implearis. Desere terram, ut apprehendas cælum: sordescat tibi sensus, ut dulcescat spiritus: perde, & annihila temetipsum, ut Deum possideas. Nam *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* (Matt. 5. 8.) Deum gustabunt, Deum possidebunt, cælestique beatitudine perfruentur.

5. Mundato Cordis palato, ad Gustũ Cæli porrigendum est Cor.

1. Primò quidem Fide: nam hæc est; quâ & purificantur, & acuuntur corda nostra, ad gustandum donum cæleste. Nisi enim Fides credit, mens etiam non capit, multoque minùs cupit, aut gustat. Prima Fides pincernam mentis agit, sine quâ impossibile est placere Deo Animam: placereque Deum Animæ. Exercenda ergo est quàm creberrimè fides cælestis vitæ, atque beatitudinis.

2. Cui spes succedat, non minùs firma & certa, quàm vegeta, & crebra beatitudinis æternæ: quâ Cor nostrum certo certiùs ipsum sibi persuadeat, & persuadendo occinat; *Scio cui credidi: quia satiabor, cùm apparuerit gloria Domini: quam paravit in dulcedine suâ,* mihi pauperculo licet, attamen suo fideli DEUS, qui sicut dignatus est promittere, ita & potens, & certus est præstare, ac reddere, quod promisit. Spero igitur, spero, & hac spe spiro, & suspiro: ipsumque suspirium meum, gustus est meus, dulcis gutturi meo. (2. Tim. 1. 12. Ps. 16. 15. Ps. 67. 11.)

3. Spes non est invida boni sui, trahit secum desiderium amoris, & amorem desiderantem, anhelantemque: imò ipse est manus spei, quâ apprehendit: ipse est os ejus quo gustat: id quod sperat. Nescit enim spes confundere, sicuti & nescit confundi: sed Amores desideriis, desideria Amoribus miscens, atque cumulans, ingreditur in potentias, apprehendit miserationes, tenet promissiones, gustat dulcedines Domini Dei sui, aliquando quidem de longè, sed aliquando etiam de propè: prout *Spiritus, qui scrutatur, etiam profunda Dei,* aperire, & donare dignatur desideranti. (1. Cor. 2. 10.)

4. Post hæc Charitas os suum aperit, gutturque exerit ad gustandum, quod præparavit Deus diligentibus se. Quæ sicut est impatienter patiens, & patienter impatiens, urget corda, acuitque palatos, ad gustandum, ad ruminandum, ad eructandum, illud bonum, illud suave, illud mellifluum, illud cæleste, illud beatificum, illud Divinum, diligentes remunerans, esurientes satians, sitientes inebrians, inanes replens.

5. Os Charitatis suspiratio est: fauces ejus, desiderium ejus: dentes ejus, meditatio est: ventriculus ejus, memoria est: fructus & gustus ejus, contemplatio est; fames ejus, tædium & expectatio ejus, ructus ejus, plenitudo ejus, calor &

lor & digestio ejus; fervor, & ardor, & assiduus profectus ejus: denique ruminatio ejus, est illa repetita, illa innovata, illa irrequieta, illa indeficiens, illa inexplebilis, illa oblivionem nesciens, absentiam non ferens, dilatione tabescens, remoris inardescens, assecutione & experimento increscens, gulositas & ingluvies Charitatis, nunquã dicens, Sufficit: sed semper oggerens Deo, totique Cælo: ades ades: affer affer: amplius amplius, adhuc adhuc.

6. Huic Charitati, & sedandæ, & etiam irritandæ, is, qui bene novit Genium ejus, Spiritus sanctus, cælestem beatitudinem, maximam partem laudat, per eas appellationes, similitudinesque, ac figuras, quæ specialiter ad gustandum pertinent. Hoc sibi vult Manna *Angelorum, seu, Gigantum de Cælo panis*: hoc *Convivium Sapientiæ, Cæna magna, Nuptiæ filii, Regis, Nuptiæ Agni, hoc discubitus cælestis, torrens voluptatis, fructus Arboris Vitæ. Terra lacte & melle manans. Convivium Asueri Regis. Epulum Eucharisticum.*

Ps: 77. 24. & 25. Prover. 9. Luc. 14. 16. Matt. 22. Apoc: 19. 7. Luc. 9. 14. Ps. 35. 9. Apoc: 2. 7. Deut. 6. 3. Esther. 1. Ioann. 13.

7. In hoc Epulo Cælestis beatitudinis, atque Convivio, habet Charitas etiam hujus Vitæ, atque Viæ, licentiam gustandi de Cibis Beatorum: habet Deum, habet Trinitatem Deum, habet unum in Essentiâ, trinum in Personis Deum, habet Essentiam Dei, habet Vitam, habet Sapientiam, Potentiam, Misericordiam, Charitatem, Bonitatem, Justitiam, Æquitatem, Veritatem, Dulcedinem, Pulchritudinem, Immensitatem, Æternitatem, omnem perfectionem. Habet Verbum Incarnatum, habet ejusdem Matrem, habet omnes Cives Cæli, cum omnibus bonis eorum.

4. Hæc nosse, hæc recordari, hæc meditatione recolere, hæc contemplari, hæc amare, hæc desiderare, hæc toto charitatis ardore, totâ fame, totis viribus cõcupiscere, ad hæc tædiosâ festinatione rapi; Hæc inquam, gustare, dixi beatitudinem cælestem, beatitudinem Dei, beatitudinem Sanctorum.

8. *Nunc ergo, surgite, ascendamus ad eos. Vidimus enim terram valde opulentam, & uberem.* Nolite negligere, nolite cessare, Eamus, & possideamus eam. Nullus erit labor. Introibimus ad securos, ad beatos, ad amantes, & expectantes nos. Introibimus in regionem latissimam: *Iudic: 18. 9.* traderque nobis Dominus locum, in quo nullius rei est penuria, eorum quæ gignuntur in terrâ viventium. Tantum modo nolite negligere: nolite cessare.

Iudic. 18. 9. Ibidem.

Dominus Virtutum nobiscum: & gaudet, sititque sitiri à nobis, Deus noster.

PRAXIS.

Domine DEUS *meus, qui me ad imaginem, & similitudinem tuam ex nihilo meo creasti: & cùm ipse me perditum fecißem, rursùm me per sanguinem Filii tui reparasti: ideo vel maximè; ut me beatißimæ Vitæ, atq; gloriæ tuæ, participem omnino redderes, prout ad hanc participationem me ab æterno destinasti, atq; in tempore vocasti, & fidei tuæ certissimo lumine de hâc meâ vocatione me edocuisti, promißionibus quoq; tuis, & Filii tui meritis, spem, & expectationem in me, ejusdem beatæ gloriæ radicasti, atque fundasti: & deniq; Charitatis amorem, ardoremq; in me succendisti, ut per illum, & desiderare, & promereri, & gustare, atque etiam aliquantulum experimentum capere, hujusce beatißimæ Vitæ, & gloriæ poßem: Dignißimæ, Benignißimæq; Majestati, ac Pietati, immortales, immensasque, quantum poßum gratias ago, pro isto omnium beneficiorum erga me tuorum cumulatißimo complemento. Effice Domine in me gustum, tantæ tuæ in me beneficentiæ: hoc est, beatißimæ istius Vitæ, & Gloriæ tuæ. Gustem illam fide vivacißimâ, spe firmißimâ, Charitate ignitißimâ, desideriis ardentißimis, memoriâ vivacißimâ, meditatione frequentißimâ, contemplatione affectuosißimâ, & perpetuosißimâ: tædio ad illam anhelosißimo, suspiratione infatigabilißimâ, expectatione constantißimâ, experimento tali, quale huic vitæ fas est habere maximum. Gustem Domine, Beatitudinis tuæ dulcißimæ abundantiam, sed ad gustum tuum, non vero ad meum: aut si etiam ad meum; attamen etiam ad hunc ipsum, propter suavißimum, plenißimum, delicatißimum, purißimumq; Gustum tuum.*

Psalmus *Anhelantis ad DEUM: eumq; sitientis.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum: ita desiderat Anima mea ad te DEUS. — Psal: 41.

Sitivit Anima mea ad Deum, fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. — Ibidem.

Fuerunt mihi lachrymæ meæ, panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est DEUS *tuus?* — Ibidem.

Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. — Ps: 26.

DEUS DEUS *meus. ad te de luce vigilo.* — Psal. 62.

Sitivit in te Anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea! — Ibidem.

In terrâ desertâ, & inviâ, & inaquosâ: sic in Sancto apparui tibi: ut viderem Virtutem tuam, & Gloriam tuam. — Ibidem.

Expan-

Pſ. 142. 6. Expandi ad te manus meas: Anima mea ſicut terra ſine aqua Tibi.

Pſal. 15. 5. Dominus pars Hereditatis meæ, & Calicis mei. Tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.

Ibidem. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara eſt mihi.

Pſal. 38. 8. Et nunc quæ eſt expectatio mea: nonne Dominus? & Subſtantia mea, apud te eſt.

Pſal. 72. 25. Quid mihi eſt in Cælo? & à te quid volui ſuper terram?

Ibidem. Defecit Caro mea, & Cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Pſ. 141. 6. Clamavi ad Te Domine: dixi: Tu es Spes mea, Portio mea in terra Viventium.

Pſ. 16. 15. Ego autem in Iuſtitiâ apparebo conſpectui Tuo: satiabor cum apparuerit Gloria tua. Gloria Patri, & Filio, &c.

Pſalmus.
Diſſolvi, & Patriam cæleſtem, cupientis.

Pſ. 141. 8. EDuc de cuſtodia Animã meam: me expectant Iuſti: donec retribuas mihi.

Pſal. 19. 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar. Multum incola fuit Anima mea.

Pſal. 25. 8. Domine dilexi decorem Domus tuæ: & locum habitationis Gloriæ tuæ.

Pſal. 26. 4. Unam petii à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in Domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.

Ibidem. Ut videam Voluptatem Domini: & viſitem Templum ejus.

Pſal. 35. 8. Filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt

Ibidem. Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ: & torrente Voluptatis tuæ potabis eos.

Ibidem. Quoniam apud Te eſt fons Vitæ: & in Lumine tuo videbimus lumen.

Pſal. 41. 5. Hæc recordatus ſum: & effudi in me Animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum DEI.

Ibidem. In voce exultationis & confeſſionis: Sonus epulantis.

Pſal. 83. 1. Quàm dilecta tabernacula tua Domine Virtutum: concupiſcit, & deficit Anima mea in atria Domini.

Ibidem. Quia melior eſt dies una in atriis tuis: ſuper millia.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Pſalmus.
Inidipſum.

Pſ. 131. 13. QUoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

Ibidem. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo: quoniam elegi eam.

Pſal. 136. 5. Si oblitus fuero tui Hieruſalem: oblivioni detur dextera mea.

Ibidem. Adhæreat lingua mea faucibus meis: ſi non meminero tui.

Ibidem. Si non propoſuero Hieruſalem, in principio lætitiæ meæ.

Pſal. 121. 1. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

Ibidem. Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis Hieruſalem.

Ibidem. Hieruſalem, quæ ædificatur ut Civitas, cujus participatio ejus in idipſum.

Ibidem. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſrael, ad confitendum Nomini Domini.

Ibidem. Quia illic ſederunt ſedes in judicio: ſedes ſuper domum David.

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem: & abundantia diligentibus Te.

Fiat pax in Virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos & proximos meos: loquebar pacem de te.

Ibidem. Propter domum Domini Dei noſtri: quæſivi Bona tibi.

Gloria Patri, &c.

CONTEMPLATIO
Gloriæ Cæleſtis, ex D. Bernardo.

PEnetrandi ſunt Cæli Sancti, vivi, rationales, qui enarrant gloriam DEI: qui favorabili quadam pietate, noſtris ſe votis libenter inclinant: & ſinuatis ad tactum noſtræ devotionis affectibus, in ſua nos recipiunt viſcera Charitatis, quoties digna ad eos intentione pulſamus. Pulſanti enim aperietur. Licebit itaq; unicuiq; noſtrûm, etiam hoc tempore mortalitatis, cavare ſibi, quacunque parte volet, cavernas ſupernæ maceriæ. Nunc quidem Patriarchas reviſere: nunc verò ſalutare Prophetas: nunc Senatui immiſceri Apoſtolorum: Martyrum admirari triumphos, eorumq; Coronas ſuſpicere purpureis rutilantes floribus: nunc Virginum inſeri Choris, & redolentes liliis cætûs admirari: atq; ad melliſluum novi Cantici ſonum, quantùm prævalet infirmitas, cordis erigere auditum. Stupere etiam pulcherrimos ordines Angelorum & Beatarum mentium ſtatûs, & manſiones, à minimo Angelo, uſq; ad Cherubim & Seraphim, totâ mentis alacritate percurrendo, luſtrare, prout quemq; ſua devotio feret. Poſt hæc autem humiliter proſternere Cor ante Thronum Dei, & Agni: delectatur quippe iſtiuſmodi cavernis DEUS, ex quibus ſibi vox reſonat gratiarumactionis, vox admirationis & laudis, vox gemituum, deſiderii, & petitionis. Felix mens, quæ ſibi in hac maceriâ frequenter cavare ſtuduit. Sic quippe peregrinans Anima, & exulans, ſacris meditationibus, tanquã

cæleſti-

cælestibus pascitur bonis: Dei beneplacitum, & Mysteria Voluntatis ejus inquirit, & agnoscit: penetrat etiam devotione Cælos: ut dicere possit; Hæc requies mea: hic habitabo, quoniam elegi eam. Serm: 62. in C.

Ex D. Gregorio Papa.

QVæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa, supernæ Civitatis, quãta sint gaudia? Angelorum Choris interesse, cum Beatissimis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, in circumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. Hom: 17. in Eu.

Ex Vener: Bedâ.

VErùm super hæc omnia est, consociari Angelorum, & Archangelorum cœtibus. Thronis etiam, & Dominationibus, Principatibus, & Potestatibus, omniumq; cælestium supernarum Virtutum contubernio perfrui: & intueri agmina Sanctorum splendidius syderibus micantia. Patriarcharum fide fulgentia. Prophetarum spe lætantia. Apostolorum, in duodecim tribubus Israel, Orbem judicantia. Martyrum, purpureis Victoriæ Coronis lucentia. Virginum quoq; Choros, candentia serta gestantes, conspicere. Ser: 18. de SS.

Ex S. Cypriano E. M.

COnsiderandum est, Fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo: tanquam hospites, & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos, paradiso restituit, & regno cælesti. Quis non peregre constitutus properaret in Patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter, charos liceret amplecti? Patriam nostrã paradysum computamus: parentes Patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus, & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat: parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copiosa turba desiderat: jam de suâ immortalitate secura, & adhuc de nostrâ salute solicita. Ad horum conspectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cælestium regnorum voluptas, sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? quàm summa, & perpetua felicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis, & passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis, & corporis, continentiæ robore subegerunt. Remunerati misericordes, qui alimentis, & largitionibus pauperum, justitiæ opera fecerunt: qui Dominica præcepta servantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos Fratres dilectissimi, avidâ cupiditate properemus, ut cum his citò esse, ut citò ad Christum venire contingat, optemus. Ex Libro de Mortalitate.

Amor, & Desiderium Cæli.

O Cœlum, toto me, desidero te.
Cœlum Cæli, toto me anhelo ad te.
O Cœlum cælans: toto me festino ad te.
O Domus DEI, quando inhabitabo te?
O Ingens Locus habitationis DEI quando capies me?
O Terra Viventium, quando vivam in te?
O Patria, quando revertar ad te?
O Gaudium Domini mei, quando intrabo in te?
O Civitas DEI, quando Civis tuus ero?
O Ierusalem quæ sursum es Mater nostra, quando videbo & inibo Claritatem tuam?
O Terra promissionis: quando veniam ad te?
O Templum Domini: quando visitabo te?
O Lætantium habitatio: quando lætabor in te?
O Regnum Pacis: quando pacificabor in te?
O Hereditas quando hereditabo te?
O Tabernaculum admirabile: quando ingrediar te?
O Regnum Dei: quando regnabis in me: & regnabo in te?
O Beatorum Sedes: quando & ego sedebo in te?
O Christi & Sanctorum Hereditas: quando possidebo te?
O quæ ædificaris ut Civitas: quando inserar structuræ tuæ?
O Paradisus quando incolam te?
O Portus quando tenebo te?
O Bravium, quando apprehendam te?
O Corona Iustitiæ: quando coronabis me?
O Regio beatitudinis: quando beatificabis me?
O Sion: quando videbo DEVM deorum in te?
O Pulchritudo Pacis: quando exornabis me.
O Tabernaculum fiduciæ: quando in te securus ero?
O Requies opulenta, quando ditabis me?
O Vitæ perennis fons: quando satiabis sitim meam?
O gloria DEI: quando glorificabo te, & glorificabor in te?
O Torrens voluptatis: quando potabis me?
O Civitas Magni Regis quãdo conscribar in te?
O Cœna Magna: quando accumbam ad te?
O Denarius diurnus: quando redderis mihi?
O Fluvius Pacis: quando immitteris in me?
O Diluvium: quando te Dominus inhabitare faciet in me?
O Vitæ fontes aquarum: quando deducar ad vos?
O Vbertas Domus DEI: quando inebriabor abs te?
O Gloria Domini: quando apparebis ad satiandum me?

O Me-

O Meridies: quando pascar, quando cubabo in te? O Terra lacte & melle manans: quando inducar in te? O Possessio æterna: quando adibo te? O Beata æternitas: æterna Beatitudo: quãdo perennabo in Te?

EXERCITIORUM PARS XIV.

Erga Semetipsum & Notitiam sui.

EXERCITIUM I.

De Notitia sui Nihili.

1. Statue te coram te, & ingredere, atque descende usque ad fundum Nihili tui.

2. Abyssus est, quam nec pertransire, nec perscrutari plené in æternùm poteris. Quis enim intelligat Nihil, aut quid sit Nihil: de quo nec cogitari, nec dici, nec sciri, potest Nihil; nisi Nihil.

3. Prô: quanta vilitas, quanta abjectio, quanta miseria est Nihili? Si canis mortuus sis, si putredo, si vermis contritus, si fæx, putor, stercus, si quæcunque & qualiscunque fæditas, turpitudo, ac spurcitia sordium, tabescentiumvè cadaverum, non es adhuc omnino, neque penitus vilis, quia neque penitus Nihil: ac ideo, ista ad vilitatem Nihili, æstimationem habent aliquam, usumque aliquē sui: habent bonitatem Entis, existentis à parte rei: at vero Nihil, prorsus est Nihil: valet, & utile est ad Nihil.

3. Hoc Nihil cum tu sis, & quidem à Naturâ, & ab Essentiâ, & ex temetipso sis; in istudque Nativum tuum Nihilum, velut in centrum toto pondere tendas, ac in illud resolvi exigas, omnique momento in illud recidere idoneus, ac paratus sis; ita quidem, ut non esse idoneus, ac paratus, non possis: nisi te unica, eaque gratuita, ac tibi nullatenus debita Dei omnipotentia, atquè Bonitas, extrà hoc Nihilum, continuato semper conservationis beneficio teneret. Iam statue de te, quod judicium, quis sensus, quanta æstimatio tui, debeatur tibi, & à Deo, & à te ipso, & ab omni alio Ente Creato?

5. Statue apud te cujus amentiæ, & quàm non solùm iniquæ, sed omnino emotæ, nulliusque mentis sit, velle, exigere, expectare, vel minimam æstimationem, laudem, curam, rationemq; tui?

6. Statue apud te, quid, & quis sis verè? quid possis? quid habeas? ad quid idoneus, & utilis sis? quid merearis? quo dignus sis? Utique si te, tuaque attendis, hæc sunt, Nihil: si autem aliena spectas; hæc quoque sunt, ratione tui, Nihil: & acquirunt tibi nihil, quoniam aliena sunt.

7. Ergo in hoc Nidulo tuo, in hoc (inquam) Nihilo tuo, & nihilo tui, jugiter, immobiliter, æternaliter habita: & noveris, & profitearis, *quàm sit tibi curta*, quàm misera, quàm nulla *supellex*.

PRAXIS.

Audite me, audite Creaturæ: Audi me Creator & factor meus: Confessionem simul, & confusionem meam. Confiteor omni Creaturæ, & ipsimet mihi, & ante omnia DEO Creatori meo, quia nihil sum: quia omnis substantia mea, est merum, purumq; nihil ante DEUM, ante meipsum, & ante omne quidquid est Creatum. Nidus meus, nihilum. Patria mea, genealogia mea, genus meum, esse meum, opus meum, posse meum, meritum meum, gloria, gloriatioq; mea, merces & præmium meum, Nihil est: nihil omnino, millies, millies; nihil. Hoc mihi nomen, hæc substantia, hæc possessio, hæc Virtus, hæc energia, hoc totum, solum, unumque, ego nihil, & per omnia, atq; ad omnia nihil: neq; aliud esse possum: neq; capax esse, ut aliquid sim, esse possum. O DEUS meus: qui solus meriti potes universum nihilum meum: tu solus etiam deduc me in cognitionem, & serva me in cognitione, in æstimatione, in confessione, in confusione nihili mei: de cætero, miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam, sicut potes, sicut scis, sicut vis.

EXERCITIUM II.

De Notitiâ suæ Cæcitatis.

1. Statue te coram te: & descende in abyssalem fundum cæcitatis tuæ, igno-

ignorantiæ tuæ, ſtultitiæ tuæ, errabilitatis, erratіvitatisque tuæ.

Pſal: 41. 8. 2. *Abyſſus abyſſum invocat.* Ex nihilo, quid niſi cæcitas omnis emanet? quid niſi privatio & abſentia lucis omnis omnino procedat? Quam eſt mihi eſſentiale nihilum eſſe; tam eſt innatum, & inexpedibile ab eſſe meo, cæcum, imò cæcitatem, eſſe.

3. Cæcus ſum in Divinis, cæcus in creatis, cæcus in alienis, cæcus in meis rebus: cæcus (& maximè quidem) in ipſo me: ſtultus maximè, imprudens maximè, erroneus maximè, dubius maximè, perplexus, ignarus, *neſciens tam introitum quàm exitum meum*, maximè. Meræ ſum tenebræ, pura ubique nox, in omnibus: & ſemper caligo, ſemper inſcitia, ſemper cæcitas. *2. Reg: 3. 25. Pſ: 120. 8.*

4. Si quæro DEUM meum, qui replet omnia ſeipſo, & lux eſt tam omnium, quã ſua: tamen ego cæcus ſum: neque tantùm non invenio Deum, in quo vivo, moveor, & ſum: ſed etiam in regionem diſſimilitudinis aberro ab ipſo, abeo ab ipſo, perdo in ipſum in illo ipſo. Si quæro Creaturam, & hîc cæcus ſum: & hîc in immenſos, ac inextricabiles, ipſoque ſtupore ſtupidiores errores ac ſtultitias abeo, atque aberro. Quanta enim ſtultitia eſt ignorare Deum ſuum, neſcire factorem ſuum, Creaturam putare Creatorem, Creaturam præferre Creatori, Creaturam amare, odiſſe Creatorem, ſervire creaturæ, rebellem eſſe Creatori, ſubiici ſervo, non eſſe Dominum?

5. Jam, heu! quàm cæcus, ac tenebroſus, & mera nox, ipſiſſimaque inſcitia ſum in Divinis, ſive conſiliis, ſive judiciis, ſive voluntatibus! Creaturarum vero, ac in ſpecie Angelorum, Hominumque naturæ, & corda, & mentes, & ſenſûs, & affectûs, & cogitatûs, in quãtis tenebris latent, & quàm procul ſunt à me ſcientiâque meâ! Quid ipſe ego, quàm abditus, & ignotus mihi? Voluntas mea usque adeò cæca mihi, ut quid velim, ne tum quidem ſciam, cùm volo. Intellectus meus, cæcorum cæcus Dux, atque Lux, affectuum appetituumque. Memoriam meam, quid vocem; neſcio: quandoquidem per eam, & in Dei, & in aliarum rerum, & in mei etiam ipſius oblivionem venio. Exciderunt, & occiderunt præterita, latent præſentia, futura autem quis novit? In his quæ naturalia, & quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, infinita eſt cæcitas, & ignoratio. De ſupernaturalibus autem noſſe ſaltem aliquid, abyſſalis nox eſt, & quiddam nocte obſcurius. Quodſi Anima, id eſt, Lumen, quod in me eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? diſcedit Anima à corpore, quid eſt corpus, niſi ſaccus, luto aut ſtercore maceratus, ſaccis ipſis ſtupore par: putredine, fœtore, horrore, inferior: aut veriùs ſuperior.

6. Et tamen, nos dicimus; quia videmus, quia agnoſcimus, quia ſapimus, qui in hoc ipſo quod ſapere eſt, deſipimus: propter quod etiam meritò peccata noſtra manent.

7. Ergo homo ſcito te ſtultum, agnoſcito ignorantem, propterea erroneum, & errantem, & ipſius erroris ignarum. Dic cum ſapiente: Stultiſſimus ſum virorum, & Sapientia non eſt mecum.

PRAXIS.

Confiteor tibi, Domine, Rex Cœli, & terræ, Pater luminum, & fons Sapientiæ, quia ego ſum homo de nihilo formatus, tenebris & cæcitatibus in immenſum immenſis, & abyſſaliter abyſſalibus involutus, immerſus, & infartus. Non recenſeo, quid neſciam Domine; aut in quo cæcutiam: nam neque ad hoc ſciendum ſufficio. Stultus ſum, & ſapere mihi videor: ubi me valdè illuſtratum exiſtimo, ibi tenebris palpabilibus involvor, ſimilis illi cæcorum generi, qui ſe cæcos neſciunt, inſuperque alios cæcutire arbitrantur. Talis ſum Domine, & ubique talis, neque alius eſſe poſſum, ex me: ô Tu, qui Lux es, & omnes neſcis tenebras, & ſine quo omnia tenebræ ſunt: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, quæ me deducat, & adducat usque ad Te: aliàs ego ſtultiſſimus ſum, & Sapientia nulla eſt mecum: ſed puriſſimæ tenebræ, quarum fundum habere poſſum, noſſe non poſſum.

EXERCITIUM III.

De Notitiâ ſuæ Malitiæ.

1. STatue te coram te, & deſcende in abyſſalem profunditatem malitiæ, malignitatisque tuæ.

2. Omnia alia nihili humani attributa tolerabiliora fierent, malitioſitas ſi abeſſet. At heu! nullum apoſtema, nullum carcinoma, tantis purulentiæ venenis ſcaturit, quantis malitiæ profluviis unus Homo redundat.

3. Exhaurias fontes & fluvios: malitiam meam, tuamvè, exhaurire deſperes: maria dividendo imminuuntur, malignitas emanando vires ſumit. Montes in plana deduxeris: ſceleroſitas humana aſſurgit,

surgit, ascenditque semper altiùs. Eructat inexhaustos ignes, Ætna, & Vesuvius, interdum tamen conquiescunt: Una mea malignitas cessationem nescit, neque promittit, neque patitur unquam eructandi malitiæ suæ incendia.

4. Parum est malitiosum, ac malignum esse; minus est malum, & peccantè esse; celare, & negare patrata scelera oportet: oportet peccata peccatis cumulare: oportet excusare & defendere: oportet majoribus minora obruere: oportet de sceleribus gloriari, & in pessimis factis exultare: oportet prædicatione & impudentiâ coronare: oportet peccata sua diligere: oportet dissimulatione, contemptu, desperatione non sentire: oportet insuper alienis gravari: atque dato pretio, vel præmio eadem in suam perniciem, gravamenque, vel emere, vel vendere: oportet in feras ætates eadem propagare, atque ne unquam eorum finis sit providere: oportet artem, disciplinam, magisteriumque peccandi discere, nosse, docere, exercere: oportet denique iniquitatem velut aquam bibere, in Cathedrâ pestilentiæ sedere, & venundari, ut facias malum coram Domino Deo tuo.

5. Neque vero alligatus sum ad unum alterumve solum malitiæ genus, ita, ita, ut ad cætera inhabilis, ineptusque sim: Non ita sanè tenuis est fons malitiæ meæ: sed non est peccatum, quod fecit unus homo, quod non possit facere alter homo: ad omnia aptus, ad omnia paratus, ad omnia præceps, quantùm ex me: nisi quòd Divinæ sit opus miserentis dexteræ, quæ non finit innatum ad omnia scelera pondus sequi, illove vinci, sive illud exequi.

6. Superbia nostra ascendit semper, Avaritia nostra ascendit semper, gulositas nostrâ ascendit semper, luxuria nostra ascendit semper, ira, invidia, acedia, omne scelus ascendit semper: & si in æternùm viveremus, in æternùm peccando progrederemur. Exemplo sunt damnati ad pænas inferni, quorum quemadmodum tormentorum ita & scelerum fumus ascendit in sæcula sæculorum. Exemplo etiam est, atque experimento, quòd ab origine mundi semper homines maligni sunt, & in peccatorum sordibus volutantur, atque etiam voluptuantur.

7. Puer es ætate, sed peccatis senex. Juvenis es annis, sed malitiâ grandævus: adolevisti annis, sed nequitiâ senuisti; grandævus es vitâ, sed sceleribus senectutem supergressus es: & totus licet vivendo fatiscas in mortem, sola tamen scelera, scelerumque vivacitas in te viridis est: & in hoc pares sunt omnes homines, quantùm ex se: in hoc ego par sum omnibus, quantùm ex me.

8. Sed & illud ad malitiositatem meā facit plurimum: quòd non tantùm malus esse, malaque perpetim facere naturâ meâ aptus sim: verùm etiam bonum esse, & bona agere, quin & cogitare, ex me prorsus ineptus, imò verò bona facta corrumpere aptissimus inveniar. *Omne datum optimum, & omne bonum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum: apud quem non est transmutatio, neq; vicissitudinis*, etiam in meliùs (est enim omne & summum bonum) *obumbratio*; omne autem peccatum pessimum, & omne bonum inquinatum, & corruptum, de deorsum est, promanans ex Nihilo, quod est omnis homo: apud quem, in hoc, nulla est, nulla esse potest malitiæ emendatio: neque in bonum, aut in melius ex semetipso commutatio.

Iacob. 1. 17.

PRAXIS.

Domine DEVS meus: scrutator nihili, & unus solusq; cognitor verax ejus: Tu solus planè nosti malitiam perversitatem, eluviemq; inexhaustam peccaminositatis meæ. Dixi Domine, & dico, & dicere volo, quamdiu fuero, Peccavi: & in profundum iniquitatis descendi: infixus sum in abyssali limo peccatorum meorum, & non est substantia. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, non super numerum capillorum capitis mei, neq; super numerum arenæ, quæ est in littore maris, neq; super numerum pulverum terræ, aut guttarum aquæ: sed super numerum omnis Creaturæ. Propter quod Domine, perditio, & infernus, & mors æterna, domus mea, possessio mea, hereditas mea est. Verumtamen tu Domine misericors, & miserator, parce peccatis meis, & dimitte universa debita mea, ut exalteris parcens mihi, & multitudinem malitiæ meæ, vincens multitudine abyssalium miserationum tuarum.

EXERCITIUM IV.
De Notitiâ suæ Infirmitatis.

1. STatue te coram te: & descende in abyssalem profunditatem infirmitatis ac impotentiæ fragilitatisque tuæ.

2. Quomodo enim ad Corpus umbra, sic ad nihilum infirmitas, omnisque impotentia adhæret; si tamen non veriùs dicitur, quòd nihilum, & summa, & omnis infirmitas sit.

3. Quid enim nihilo cogitetur, vel, reperia-

reperiatur infirmiùs? Nullum vitrum, nullæ aranearum telæ, nulla âëre inflata bulla, tam fragilis est; quàm infirmum est id, quod nihilum, aut de nihilo est. Et talis utique est Homo: Homo cujus substantia, essentia, existentia, natura, omnisque conditio, est nulla, & nihil. Bene vocatus est vivens omnis homo, universa vanitas: quasi quidquid uspiam Vanitatis esset, hoc totum in unumquemque hominem coagmentatum sit, ita ut aliæ quidem res creatæ per partem tantùm Vanitatem in sese habeant: at in hominem omnes, omnes, quantæcunque sunt confluxerint: eumque compegerint. In Elementis, & lapidibus, aliisq; inanimatis, est tantùm vanitas vitæ: in animalibus est tantùm vanitas sensûs & motûs: in Angelis est tantùm vanitas intellectûs: homo autem omnis vivens, est ista universa vanitas: revera enim nulla res tam miserè, atque vanè, aut est, aut vivit, aut sentit, aut movetur, aut intelligit, quàm homo. Igitur universa vanitas, est omnis homo vivens.

4. Pariter non absurdè dixit, de Hominis Nihilo, & Vanitate, & fragilitate; qui, quod de omnibus creaturis dictum est, uni specialiter potissimumque soli Homini competere sensit: *Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas.* Non videbatur satis sibi dicturus, si hominem Vanum, aut si etiam Vanitatem, si denique universam Vanitatem dixisset; Magnum aliquid illi videbatur Vanitas esse, ac proinde homini multùm adhuc tribui, si diceretur Vanitas esse: idcirco in ipsis Vanitatibus, Vanitatem, veluti florem, succum, medullamque reperit: ac illam hominem esse dixit: dicere volens; Homo non est Vanitas, sed vanitatum omnium Vanitas: aut, non est nihil, sed ipsa nihili umbra, ipsumve nihili nihil.

Eccl. 1. 2.

5. Si quis dicat, Hominem, nempe semetipsum, esse ægritudinem, infirmitatemque æternam, nullis, ne divinis quidem, viribus, satis sanabilem; verum quidem aliquid de suâ fragilitate dicet, non dicet tamen totum. Non enim videtur pleniùs exprimi, & consummatiùs appellari infirmitas humana, seu potiùs, infirmitas, quæ est homo, quàm si dicatur esse nihil. Nihilo siquidem nulla vis, nullum robur, nullum minutum potentiæ inesse potest. Quisquis ergo nihil est, is non infirmus, sed infirmitas, is non vanus sed ipsa vanitas, imò & Vanitatis Vanitas est.

6. Et nihilominus, nos non erubescimus, & dicere, & credere, potentes, præpotentes, potentissimos, tantùmque nô & omnipotentissimos. O Vanitas vanitatum! parumne tibi est Vanitatem Vanitatum esse, nisi etiam novellam hanc, vanitatis stultissimam vanitatem, à mendacio, & falsitate desumptam, tibi associes?

7. O vos præpotentes, qui neque umbram potentiæ habere potestis a vobis ipsis! O potentissimos, quibus nec ad momentum per se subsistendi potestas inest! Parum dixi, quando negavi inesse; veriùs, & pleniùs dicam; si negavero etiam inesse posse. Quantumcunque creatura, etiam ab ipso Deo firmetur, & potentificetur, adhuc tamen semper, & omni momento impotens erit, ad sui, vel pro unico momento, in suo esse, in suo posse, in suo valere, & præposse conservationem: Non secùs ac aër iste communis, qui licet à tot annorum millibus quotidie Solis lumine plusquam penetretur, penèque lumen ipsum fiat, tamen neque ad momentum lucidus esse potest absque solis præsentiâ & luminis ejus influxu: sed totum ejus lucere, est à Solis beneficio, ex se autem nihil lucis, sed nativas tenebras habet: Sic Homo neque esse, neque posse, neque facere, neque conari, sive in rebus naturæ, sive in functionibus gratiæ, quidquam, vel ad momenti momentum potest de semetipso: sed omnis sufficientia ejus ex Deo est: omnis autem insufficientia, impotentia, fragilitas, infirmitasque ex ipsomet homine est, sicut ex semetipso nihil est.

8. I nunc Homo: jacta vires tuas: gloriare quasi potens: esto *jucundus in potestate tuâ:* aude dicere: *Manus mea excelsa, & non Dominus fecit omnia.* Quid superbis terra & cinis! quid inflaris Vanitas & nihil? *quid habes quod non accepisti?* quid potes quod non ex Deo potes? quod habes meritum, quod non sit donum Dei gratuitum? An non Gratiâ Dei es quidquid es? Nunquid mendax est, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere?* Et rursus. *Perditio tua ex te, tantummodo ex me auxilium tuum?* Hoc ergo age, ô homo, ut nihilum tuum semper coram te sit: ut Gratia Dei in te vacua non sit: ut reddas, quæ sunt Dei Deo, quæ sunt tua, tibi! ut appendas quæ sunt tui nihili, tuo nihilo.

1. Mach. 11. Deut. 32. 27. 1. Cor. 4. Ioan. 15. Osee 13.

PRAXIS.

Domine, Dux omnis, quæcunq; in nobis est, Veritatis; Tibi confiteor universum nihilum meum,

meum, universamq; fragilitatem, & infirmitatem meam: quoniam ipsa est, quam poßideo ex hereditate, atq; fœcunditate nihili mei. Nihil sum Domine, nihil per omnia, nihil ad omnia, nihil in omnibus, nihil post omnia, nihil ex omnibus, nihil pro omnibus, nihil inter omnia, nihil præ omnibus. Tua verò Domine sunt, omnia, quæcunq; sunt: tua est Virtus, tua potentia, tua fortitudo, tua sapientia, tuum consilium, tuum judicium, tuum adjutorium, tua gloria, & laus, & gloriatio, & exaltatio, & gratiarum actio. Et ad meam quidem substantiam pertinet nihil: quod revera ex memetipso sum: nec non universa Vanitas Vanitatum: ac etiam infirmitas: & confusio faciei, & contemptio, & damnatio, atq; perditio: insuperque in damnatione derelictio, & sepultura, & oblivio æterna: Verumtamen tu Domine operi manuum tuarum porriges dextram: & misereberis mei tu qui omnia potes, qui omnia scis, qui omnia bona vis, qui omnia es, qui omnia quæ salutis meæ sunt, largiris. Tibi ergo gloria, mihi autem miseria, sed & miseratio tua, in Æternum.

EXERCITIUM V.

De Notitia suæ Ruinositatis.

1. STatue te, coram te, & descende in abyssalem profunditatem ruinositatis tuæ, tendentiæque præcipitatissimæ in ruinam, in mortem, etiam secundam, in nihilum, in non esse, & in malè esse.

2. Est enim infelicissimæ hominis nihilitati parum: quòd ad omne Bonum sit ex se prorsùs impotentissima: quodq; in Bono stare firmiter, vel ad momentum momenti, sit insufficientissima: habet insuper hoc in Naturâ, Essentiâque suâ; quòd perenniter, & incessabiliter, & invincibiliter, ad ruinam, perditionemq; præcipitatissima sit, & supra omnem modum festinanter tendens, atque ruens.

3. Si molare saxum, aut grandis massa plumbea, aut ingens mons in sublimè efferretur, inibique magnâ quadam Virtute pendens sustineretur: haud dubiè, sive molaris, sive plumbum, sive mons, toto suæ entitatis pondere tenderet, rueretque, quantùm in se, & ex se, in profundum deorsum: tali, atque millies multò majori ponderositate Naturæ, & Essentiæ suæ, humana massa, omni instanti, esto Divinæ omnipotentiæ Virtute sustentata, etiam dum sustentatur, tendit in sui ipsius perditionem, tam physicam, quàm moralem: seu, in non esse, tam Naturæ, quàm moris, aut Gratiæ.

4. Nullum arcu emissum jaculum, nullus globus tormento quovis ejectus, non ipse sol incogitabili quamvis celeritate gyratus, tantâ præcipitatione ad suum festinat terminum: quantâ præcipitationis festinatione ruit humana miseria, omni momento suo, ad desitionem, perditionemque sui. Cursum enim solis quamvis rapidissimum, metimur horis, annis, & seculis: sed humana in desitionem festinatio, ipsis momentis brevior, hoc est, velocior est: neque eget momentorum moris, ut duret, aut non duret.

5. Videatur sibi quomodolibet stare miser Homo, neque solum stare, sed altiùs quoque ascendere, ac sese robustiùs firmare: heu! tum demùm maximè multiplicatâ & adauctâ præcipitatione, ruit in præceps, evolatque in ruinam. Quis robustiùs stare sibi videbatur illo, qui dicebat in abundantiâ suâ; non movebor in æternùm: at ecce ad tantillam amotionem à se manus Divinæ conservatricis, subitò factus est conturbatus, & in præceps, profundumque lapsus. An non robustus sibi stabat, qui dicere non dubitabat in corde suo *in cœlum conscendam, super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altißimo.* (Isaiæ 14. 14 & 15.) Atqui ille gloriosus, ille sublimis, ille Altissimo suppar, ille in solio firmato residens, ac latera Aquilonis preans: tanquam fulgur in tartara decidit, totâ Divinitatis dexterâ percussus: toto sui nihili pondere detractus ad infernũ, ad profundum laci.

6. Sic, sic ruimus, sic ruere paratissimi sumus, sic in ruinam præcipites volamus: nullâ magis, quàm propriæ Naturæ, Essentiæque ineluctabili gravedine, atque ponderatione.

7. Ut quid ergo præsumam, ut quid confidam, ut quid altùm sapiam, aut spirabo? quando ita mihi proprium, ita essentiale, ita necessarium est ruere in præceps ex ipso me; ut Deus, possit quidem ille facere omnipotentis dexteræ, gratiæque suæ Virtute, ne corruam; at verò ne ruam, ne in ruinam festinem, ne in præceps ire toto me adlaborem, hoc, neutiquam toto se, quantusquantus est Deus, totaque omnipotentia ipsius, efficere nõ possit.

8. Ergo homo, *noli altùm sapere, sed time:* (Rom: 11. 20.) & quidem à temetipso solo, quàm maximè time: ex nemine enim alio, nisi ex temetipso tua perditio.

PRAXIS.

Vivit Dominus, & vivit magna Virtus ejus: quia sine Deo, nihil mihi ego sum, nisi dux in præceps, & pondus in malum, manuductor in ruinam, & stimulus ad perditionem. Non est, nec esse ullatenus potest, ullum penitùs auxilium mihi in me, ad quidquam aliud; nisi ad solam, & ad omnem perniciem, desolationem, destructionem, vastitatem, confusionem, annihilationem. Tu Domine solus es DEUS meus: solus virus, & sustentatio mea, solus fortitudo mea, & laus mea. Ex te sum, quidquid sum: in te sum, ubicunq; sum: tibi sum, cuicunq; sum: ex me autem, & ex omni quantâcunq; Creaturâ, omnino sum perditio, omnino ruina, omnino exitium, omnino nihil sum. Ergo Domine DEUS meus, in Te solo sit fiducia, & firmamentum meum, & cornu salutis meæ: in quo omnia firma, sunt infirma: omnia verò infirma sunt firma: quia tu solus omne robur nostrum in infirmitate perficis: & tu solus vocas ea quæ nō sunt, tanquam ea quæ sunt: & tibi soli subest cum volueris posse omnia, non solum per Te omnipotentissimum, sed etiam per me impotentissimum.

EXECITIUM VI.

De Notitia suæ Imperfectionis.

1. STatue te, coram te, & descende in abyssalem imperfectionem defectuositatemque tuam.

2. Et quis mihi porrigat dexteram, quâ deductus subintrem hoc mare, & ad profunda ejus, descendam, & intelligam quid desit mihi perfectionis, aut quid insit mihi imperfectionis?

3. In compendio habebis, ô talium scrutator homo universa: si te nihil esse cognoveris, & si tuum nihilum perscrutatus fueris. Quid enim nihilo imperfectionis non inest? aut quid perfectionis inest, si plane, & verè, prout quidem Homo verissimè, & planissimè, nihil est.

4. Noli ô homo velle conferre te cum Deo, qui cùm sit abyssus perfectionum, abyssalisque perfectio, in nullam comparationem tecum venire potest: ut pote qui tantum distat à te imperfectione, quantum non distaret cælum à terra, vel ortus ab occasu, ne quidem si millies milliesque ampliùs tantum distaret, quantum nunc distat. Quantum distat summū, & omne Ens, à Nihilo, & non ente, tantum abest Deus ab homine: & quantum elongatur absoluta, & cui nihil deest, Perfectio, ab omnimodâ, & cui nihil inest perfectionis, nihilque deest imperfectionis imperfectione; tantum longè est Deus ab homine, tantumque longè est homo à Deo. Injuria est Dei componi cum homine, & superbia est Hominis comparari cum Deo. Deus enim ipse est Deus: Homo autem ipse est homo, est ipsissima imperfectio, ac pura puta nihilitudo.

5. Veniat homo in comparationem cū creaturis, & suam cum ipsis collationem instituat: & nullam inveniet, quâ se imperfectiorem non reperiet, in quâ perfectionem quâ ipse caret non advertet, in quâ perfectionem, cui ipsius perfectio non cedat non agnoscet. Prætermittamus Angelicos Spiritûs immortales, immateriales, omni naturæ gradu altiores, perfectioresque ac prorsûs perfectissimos: quibus si comparare se homo præsumat, tam stultus, quam injurius existat.

6. Ergo ad creaturas cæteras comparetur homo, & omnibus illis inferior, imperfectiorque apparebit quia & revera existet, homo. Scio, Divino edictum esse oraculo, quia Deus omnia subjecit sub pedibus hominis: sed hæc subjectio, argumentum est humanæ imperfectionis, quæ eguerit tantâ creaturarum subjectione: quâ si caruisset, nihil miserabilius, imperfectiusq; homine remansisset. Subjicitur creatura homini, quia sic mandavit Deus: & non subjicitur homo Deo: quod ut facere addisceret, omnem creaturam dedit illi in Magistrum, omni creaturæ dedit illum in Discipulum Deus. O miserum, ô infeliciter imperfectum hominem! qui jumentorum, atque brutorum, truncorum, atque lapidum, magisterio eguit, neque tamen vel ex eo hactenus profecit, ut Deo se subjici, subjicereque sciret, ac vellet.

7. Percurramus cætera vel tenuiter. Nunquid homo purus est ut Cæli? Num lucet ut sydera? Num fertur super aëra, sicut nubes fæcundantes terram, & ab æstu Solis inumbrantes? Num sicut Sol illuminat, & vegetat omnia? Num sicut volucres cæli volitat, aut sicut pisces maris aquarum profunda inhabitat? Prò pudor! muscæ & culices quolibet volant, homo terræ adfixus desidet. Quid multa in hac brevitate loquar? Omnia suæ Naturæ, conservationique opportuna, adnata etiam habent: vilissimæ bestiolæ, plantulæ, herbulæ, atque adeo omnes creaturæ: solius hominis in censum hunc rerum educti, natura vel oblita, vel negligens, vel inimica planeque noverca videtur fuisse, ac etiamnum esse: ita totus alienæ opis eget, ita totus imperfe-

perfectus, & omnibus imperfectior est.

8. O nos perfectos Homines! qui toties perditi essemus, quoties creaturæ innumeræ nostri subsidii causâ disperdi debent: ita ut creaturarum perditio, nostræ sit innumerabilis & miserabilis imperfectionis suppletio: sitq; perfectior (quia utilior) creatura periens, quàm homo vivens, quippè qui non viveret, nisi cadaveribus creaturarum viveret.

9. Prætereamus hìc obsequium sanè tam multiplex, quàm vile, imò & sordidum, sæpè etiam periculosum, quod homo creaturis impendere debet, ut earum obsequio suis miseriis subveniat.

10. Oportet etiam præterire, ac obiter tantum perstringere illud imperfectum nostrum, tam luctuosum, quàm probrosum in omni genere moris atque Virtutis: de quo satis sit cum Veritate Dei pronunciare; *Omnes Iustitiæ nostræ* (coram Deo) *tanquam pannus menstruatæ.* Et tamen talis licet sit homo, audet superbus, audet contemptor in ipsum etiam Deum, esse Homo. Et Deus, qui est super omnia, videt, dissimulat, miseratur hæc omnia. Quoniam *imperfectum nostrum vident oculi ejus*, & in *libro* nihilominus suo omnes nos ceribit in salutem nostram, ut exaltetur Parcens nobis.

Isaiæ 64. 6.

Ps. 138. 16.

PRAXIS.

Domine, agnosco, & confiteor, & non abscondo ab oculis tuis, paritérq; ab omnis creaturæ, & à meis, omne imperfectum meum. Tantum est Domine imperfectum meum, quanta est Divina perfectio tua, qui solus, & unus, & totus, & semper, & ex ipso te es, omnimoda, & abyssalis perfectio tua. Dicam hoc quoque, licet vix supersit quod ampliùs dicam; Ex omnibus creaturis tuis nullam esse, cui quidem ego in perfectione meâ non concedam. Habent enim saxa, habent gramina, habent viles vermiculi in quo præcellunt, & præcedunt, & ego assequi non possum. Ipsa postremò, si quæ est perfectio mea, & non est nisi ex beneficentiâ tuâ usq; adeo imperfecta esse convincitur, ut magis imperfectio esse quàm perfectio demonstretur: si præsertim ad tuum Divinum judicium quo etiam justitiæ judicantur, adducantur. Ne ergo Domine tradas me animo irreverenti, & infrunito: ne sinas me ingredi vias superbiæ, & ingratitudinis: non me permittas subintrare semitas præsumentium de se, & gloriantium in Virtute quasi suâ: cùm revera sunt nudi, & cœci, & pauperes, & miserabiles in omnibus operibus suis. Sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipias, & conserves me semper coram Te: cui semper placuit simplicium, & humilium deprecatio: quomodo miseretur pater filiorum suorum, ita & mei miserere tu: qui recordaris figmentum meum, & quia putredo, & vermis, & pulvis, & nihil sum.

EXERCITIUM VII.

De Notitiâ suæ Paupertatis.

1. Statue te coram te, & descende in abyssalem tuam nuditatem, mendicitatem, atque omnium rerum egestatem.

2. Ad hanc cognoscendam sufficeret quidem nosse proprium nihil: illud enim est omnis paupertatis fons: imò illud est ipsa pauperies, absolutaque nuditas. Quid enim nudius, quid pauperius nihilo? Sed interim separetur hæc pauperies à præsenti consideratione: illa autem sola in oculis sit, quæ remansit in nobis, etiam postquam ex nihilo conditi, & aliquid effecti, atque etiam in Homines constituti à creatore nostro, omniumque largitore Deo sumus.

3. Sumus ergo creati, atque de abyssis nihili educti: educti autem non in quâcunque extremi ordinis creaturam, sed in rationalium, intelligentium, liberarum, sui, & sibi dominantium ordinem sepositi: Homines sumus facti, minorati paulò minùs ab Angelis, gloriâ etiam & honore coronati, insuper præpositi bestiis terræ, piscibus maris, volatilibus cœli: Destinati etiam regnis cœlestibus, atque beatitudini æternæ, fruitionique Divinæ: Ad quod, præter maxima, plurimaque gratiarum auxiliantium sanctificantiumque dona, facti sumus in Christo, Deo Homine participes & consortes Divinæ naturæ, atque etiam Personæ: cujus pretiosis meritis, sanguine, & morte facti sumus Filii & heredes Dei, coheredes autem Christi, ut jam non servi, sed Amici, sed Fratres, sed Filii Dei nominemur, & simus.

4. Quid nobis ad tam sublimem sortem evectis fortunatius? quid ditiùs nobis, cumulatis tantis thesaurorum Divinæ Gratiæ abyssis? Sed videamus nihilominùs in istis divitiis paupertatem nostram.

1. Primùm quidem ex eo, & in eo, quia hisce omnibus egebamus, & extremè quidem egebamus, neque habere ista, nisi ex merissimo Dei dono (nam ex nullo merito nostro) poteramus. Nullâ ad id obtinendum dignitate, nullo utilitatis alicujus, vel possibilis, obtentu suffulciebamur. Quin imò ab horum bonorum partici-

participatione arcebamur: tum nihili nostri vilitate, tum innatâ nostrî inutilitate, tum originalis culpæ, atque cum Deo, Domino nostro capitalis inimicitiæ calculo.

2. Deinde tantis jam donis licet dignati, quantùm nihilominùs ijs omnibus, & per indignissima omnia, ingrati extitimus? quoties hisce ipsis, plerisque certè illorum, iisdemque pretiosissimis, ac summè necessariis, attamen, ita nostris sceleribus exigentibus, spoliati nudatique sumus?

3. Præterea, quantis in periculis per singula momenta degimus, ut à tantis bonis excidamus? faciente, atque procurante id, assiduâ fraudulentissimorum hostium malignitate ac invidentiâ. Hostes nostri tot diaboli spiritûs, tot mundi creaturæ, tot nostrorum sensuum, appetituum, concupiscentiarum, desideriorumq; effrenitates, tot cæcitates, stultitiæ, erroresque intellectûs, tot malitiæ Voluntatis, tot vertumnosæ à bono in malum, à malo in pejus mutabilitates, tot occasionum ad ruinam, in quibus, tanquam in mari pisces, fluitamus, & ubique impingimus, illecebrosæ viscositates, tot denique naturæ nostræ totius, ineluctabiles ad malum, & perditionem declinationes, ac pondera. Qui omnes inimici nostri, simul & semel, & assiduò, per vitam planè universam, veluti conspiratione factâ, nobis insidiantur subdolè, & vim inferunt manifestè.

4. Accedit ad ista: quod, ut desint hæc omnia, nos in ruinam impellentia, ut etiam nos simus quàm cautissimi, & circumspectissimi, adhuc tamen ista, Dei nostri propria sunt, & nullatenus nostra: adhuc iis possumus exui ex absolutâ Dei potestate, ac Voluntate: adhuc nescimus an in his omnibus perseveraturi simus usque in finem; in quibus perseverantia non cadit sub meritum nostrum: & scimus etiam ipsorum Angelorum plurimis, quamvis in ipso cælo jam positis, fuisse negatum: adhuc ista omnia tantillû nobis virium non conferunt ad standum in eis, jam veluti virtute nostrâ, sine Dei auxiliis, vel ad unicum momenti momentum.

5. Insuper, nos istis omnibus, quæ à Deo habemus, nunquam ex æquo, nunquam dignè respondemus, sed ubique fere mutili, & manci, ac sæpè etiam fraudulenti, furacesque invenimur: per quod nobis ad privationem, subtractionemque eorum viam sternimus, & ad perniciem portam patefacimus.

A 6. Adde: quòd horum Dei in nos beneficiorum, esto pretiosissimorum, plurimorumque de suo genere: tanta tamen sit in nobis revera tenuitas in suâ entitate, si ad alia sibi in eodem genere similia, aliis collata conferantur; ut nonnisi tenuissima & prorsus exilissima, peneque nulla existimanda sint: salvâ nihilominus nostra erga Deum pro ipsis gratitudine. Exempli gratia. *Omnes gentes* coram Deo, dicuntur à Sacrâ Scripturâ, *esse quasi non sint*: totum quoque universum esse dicitur, *quasi gutta roris antelucani*, quæ præ suâ exilitate aciem oculorum penè effugit: quod si ita est, quantula jam est portio sive Gentium, sive Universi coram Deo; ac per hoc etiam coram ipso se, unus aliquis homuncio? Vita hominis, ad omnium viventium vitam collata, quantula est portio Vitæ? Robur hominis ad omnia alia robusta comparatum, quantula roboris est particula? par esto, de omnibus quæ in uno homine sunt bonis, donisque judicium.

Isaiæ 40. 17.

Sap: 11. 23.

B

7. Sed scilicet in gratiæ donis & coram Deo magni sumus. De quâ re, par præcedenti facta comparatio, facile exilitatem ostendet. Unius hominis Gratia, quàm fortè apud Deum habet, collata gratiis omnium coram Deo gratiosorum, quantula erit portio illarum?

C

8. Et quis novit nostrùm, Odio an Amore dignus sit Divino? cùm nemo penè sit, qui non sciat se revera odio dignû: revera amore indignum esse: quando etiam de propitiato peccato non licet esse sine metu.

9. Quis novit se esse prædestinatorum & electorum, potiùs quàm reprobatorum unum?

10. Quis scit, quantis, & quibus in occasionibus, locis, temporibus, circumstantiis, sibi ad lapsum pateat ostium: & D sæpè aperitur ex minimis, *ut Davidi* ab uno ictu oculi adulterium obvenit: sæpè aperitur ferè ex nullis: quando ipse sibi homo dux est in ruinam: sæpè etiam aperitur, ex in speciem bonis, quoniam pravum est cor hominis: uti Petrum humilitas putata, & reverentia erga Christum pedes lavantem, penè à parte cum Christo exclusit in æternùm: sæpè etiam ipsæ Gratiæ, transeunt in occasiones peccandi, & pereundi: quoniam peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum.

2. Reg: 11.

Rom: 7. 13.

11. Quàm multi hominum habent unum Dei bonum, & millena non habent: alii

alii contrà, millena licet habent, unum non habent, sine quo millena nihil prosunt, sæpè etiam obsunt.

12. Quanto zelo amici Job, defenderunt æquitatem, & justitiam Dei! & tamen *non sunt locuti rectum coram DEO*, quamvis pro Deo. Multi nimirum Zelum Dei habent: sed non secundùm scientiam, quia zeli scientiam non habent.

13. Quàm multi gratiis à Deo ditantur, at in aliorum potiùs, quàm in suum ipsorum bonum! Gaudebant Christi discipuli, *quòd dæmonia eis subijcerentur*: prædicant alii coram ipso Christo, quòd in nomine ejus multas Virtutes facerent: at justus Iudex respondet, se illos non nisi operarios iniquitatis nosse: ideoque à se in ignem jubet facessere. Apostolis autem non ex dæmonum ejectatione, sed ex nominum suorum in cælo descriptione gaudendum esse edicit. Paulus ille par omnibus etiam suprà modum Apostolis, clamat se absque Charitate nihil, nihil penitùs esse: esto loquatur linguis hominum & Angelorum: esto habeat omnem scientiã, esto Fide montes transferat: esto distribuat omnem substantiam suam in cibos pauperum: esto tradat corpus suum ita ut ardeat. En quanta nostra, in divitiis etiam Gratiarum, residet tamen in nobis pauperies atque nuditas!

14. Quid verò, quòd quantò magis crescunt nobis dona, tantò magìs rationes etiam increscunt debitaque donorum? Quid *quòd cui plus datum est, plus requiretur* ab eo? quid quòd potentes potenter tormenta patiuntur? quid quòd dona Dei, debita sunt nostra; & quo majoribus pluribusvè ditamur, eò magis debitis oneramur, & pauperiores non solùm ostendimur, sed etiam reddimur? An non enim quò quis plura debet, si neminimorum solvendo est, tantò pauperior miseriorque invenitur? Ergo divitiæ nostræ, pauperies nostra sunt, tantò major & onerosior, quanto illæ majores, & ad reddendum difficiliores.

15. Quid autem est, aut quis credat, quòd etiam pro iis quæ non accepimus, debitores constituimur; Si enim illa accepissemus, in malum nostrum accepissemus, at quia non accepimus, ideo non periimus: quia verò non periimus, nunquid non debitores constituti sumus? Usque adeò, omnem in partem, aliud nihil quàm miseri, quàm egentes, quàm mendiculi, quàm obæratissimi, quàm nudissimi, quàm ipsum nihil, nihilumque sumus: adeo ut pauperies nostra, nihilumque, ne sublevari quidem aliter possit, nisi ut magis pauper, magis nudum, magis miserabile, magis denique nihil fiat.

5. Et tamen est homo; *qui dicit in corde suo, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Deus autem, & ejus Veritas ad illum loquitur; *Et ego dico tibi: quia tu es pauper, & nudus, & cæcus, & miser, & miserabilis: suadeo tibi emere à me aurum ignitum ut locuples fias.* Hoc judicium est Veritatis, hoc Consilium Sapientiæ. Judicium quidem; quia omnis qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit tanquam mendax, & in quo Veritas non est: quâ judice, omnis qui se exaltat, & divitem jactat, humiliatur, & in paupertatem nihilumque redigitur. Consiliũ autem: quia qui ditari reverà vult, oportet ut pauper sit, & agnoscat, confiteaturque paupertatem suam. Non est enim certior ditescendi ratio, quàm omnium se egentem scire, fateri, omniaque à Deo emendicare. Sicuti nulla certior ad egestatem deveniendi, in illáque pereundi methodus est, quam ignorare, vel dissimulare, vel erubescere, vel negare paupertatem veram, jactare autem opulentiam falsam. Atque ista est infelicissima omnium in hominibus pauperies: ut pote, quàm nõ jam solum naturæ nihilum gignit, sed etiam malitia atque stultitia superbiæ inducit.

Apoc: 3. 17. & 18.

P R A X I S.

Scio Domine docente te, & confiteor largiente gratiâ tuâ, quoniam illi solùm qui se cognoscunt pauperes & confitentur Tibi paupertatem suam, ditantur à Te: qui autem se divites existimant, cùm reverà sint paupertate ipsâ pauperiores, à tuæ bonitatis, & misericordiæ divitiis, inveniuntur exclusi: Confiteor ergo tibi Domine DEVS meus paupertatem meam, ut sit tibi gloria tua tota. Nihil aliud sum, nisi universa Vanitas, umbra mortis, & abyssus quædam tenebrosa, & terra inanis, & vacua, quæ sine benedictione tuâ nihil germinat, nisi nuditatem, confusionem, peccatum, & mortem. Si quid boni unquam habui, à te habui, & tuum erat. Si quando steti per te steti: si autem aliquando cecidi per me cecidi: & sic semper in luto jacuissem, nisi me tu erexisses, & postquam erexisti me, semper cecidissem rursum, nisi tu me sustinuisses. Sic semper Gratia tua, atq; misericordia tua Domine, prævenit me: liberans me ab omnibus malis, præcidens etiã ante me laqueos, tollens occasiones, & causas. Quod nisi tu fecisses, ego omnia peccata mundi commisissem. Tibi ergo laus, tibi gloria tibi honor, tibi gratiarũ actio: mihi autem paupertas, & miseria, & confusio faciei, in sæcula sæculorum, Amen.

EXERCITIORUM
PARS XV.
De Contritione.

EXERCITIUM I.
De Substantiâ Contritionis, & Motivis ad eam.

1. STatue te ô homo coram Deo: Te inquam talem; qualis in veritate es: coramque Deo qualis in veritate est: & post quam Te, Deumque circumspexeris, profitere cum Beato Job. Verè scio quod ita sit: & quod non justificabitur homo compositus Deo.

2. Compositio enim hominis cũ Deo, atque prout se in se uterque habent, ad invicem comparatio; ad multas quidem salutiferas cognitiones & operationes homini prodest: sed nominatim ad Contritionem Cordis veram, & ad genuinum pro suis peccatis Dolorem conducit, proficitque: imò necessaria omnino est quâ maximè.

3. Nam cùm substantia Contritionis, Dolorisque perfecti in hoc posita sit, ut ab omni (mortali præcipuè) peccato, sive (quod idem est) ab omni eo; quod Sanctissimæ Dei Voluntati quoquomodo contrarium est, aversus, convertaris ad Deum, & ad omnem ejus Voluntatem subordineris; ita amanter, & ita in Amore Dei firmiter, constanterque, ut te, tuamque Voluntatem quasi inconvertibilem reddas, ad volendum deinceps unquam peccare. Quod quia hactenus non fecisti; ideo ejus te stultitiæ, ac malitiæ pænitebit: ut pote qui per hoc Divinæ Sanctitati, Dignitati, Bonitati, Charitati, Voluntatique, ac legi repugnaveris, repugnando injuriam, & despectum, injustissimamque violationem feceris: Licet tu ipse esses & vilissimus in oculis Dei, & omni jure subjectionis obligatissimus Deo: plus quàm cogitare tu possis, aut creatura possit: Deus autem fuerit & sit infinities infinitè, omni Perfectione plenissimus: ideoque & omni Amore, honore, subjectionè ad se tuâ dignissimus: proptereaque jam ex nunc à te his omnibus ex toto corde tuo cumulatissimè repletus, atque contentatus.

4. Ex collatione abjectionis & nequitiæ tuæ, cum Dignitate, Amabilitate, Perfectioneque Divinâ, consurgere debet in Animâ peccatrice, pudor, & timor, qualis est sponsæ nequam, & adulteræ, ab optimo sponso in adulterio deprehensæ: & postea veneratio, amor, & æstimatio, & fides, ad tam bonum, dignum, amabilem, misericordemque Spõsum Deum, à se quidem tam indignè, & injuriosè tractatum: ipsum vero erga sponsam tam benignum, patientem, mansuetum, beneficum: atque ex his tandem pænitudo, & dolor consurgat amarus & amorosus, & cordialis, visceralisque: eò quòd tam vilis homo, tam bonum Deum: (tam graviter, frequenter, malitiose &c.) læseris, contempserisque: exurgat præterea execratio tuæ malitiæ, & audaciæ, & superbiæ, quâ sis ausus tanta committere, tu ipsâ vilitate vilior, in Deum dignitate substantiali dignissimum. Consurgat etiã cupiditas, & optatio ardens, ne unquam quidquam tale abs te perpetratum esset, quale perpetratum abs te hactenus in talem Deum.

5. Quia vero, quod factum est infectũ fieri nequit, consurgat in corde tuo, detestativum & vehemens desiderium propositumque, ut quod adeo indignè, & injuriosè factum est, retractetur sincerè, & plenè: compenseturque quàm adæquatissimè juri, & honori Divino: per studia, actusque contrarios Amoris, Honoris, subjectionis, justitiæ, devotionis, cæterosque hujusmodi.

6. Consurgat denique voluntas, & studium constans & resolutum, absolutumque, in æternùm tam non redeundi ad eadem indigna, aut ad alia quælibet; quàm occasiones omnes ipsas devitandi, seu repellendi, quàm etiam ab omni cum peccato, vel tentatione, titillationeque peccati colludendi: sed potiùs ab eâ abhorrendi, atque resiliendi; in omni verò occasione & commoditate, Dignitatem, ac Bonitatem Divinam exaltandi, amandi, gloriam promovendi, honorem, legemque tuendi, & servandi, etiamsi quæcunque humana mala, damna, ærumnæ,

mnæ, periculaque, etiam mors ipsa propter Deum essent incurrenda & perferenda.

7. Et hæc est vera, & plena Contritio. Quæ est unicum efficax, at præsens (quâtum ex parte nostrâ cum Dei gratiâ fieri pro peccatorum expiatione, abolitioneque potest: nam Sacramenta, Sacrificia, Christi merita, & Gratia Divina ex parte Dei se habent) medium, remediumq; ad remissionem peccatorum nostrorum. Cujus si vel minimus habeatur ab homine gradus, sufficiens est, cum Dei gratiâ & Christi meritis, intrà instans unicum, delere, & abolere peccata omnia ex Animâ peccatrice: perinde atque Charitatis perfectæ Actus, id ipsum in Animâ præstare solet.

8. Ex jam dictis patet, duo esse intima motiva ad Contritionem veram & perfectam. Primò quidem summam bonitatem, Dignitatemque Dei, quæ debuerat à nobis semper ante hac, & debet deinceps, summè, superque omnia creata, æstimari, amari, honorari, cum omni ad ejus nutum subjectione. Secundò verò, indignitas, & malitia, nostra infinita, & infinite à Deo remota: quæ tamen, talis licet, ausa sit contrà Deum, summum Bonum, & summum Dignum: sese erigere, eumque contemptim, ac injuriosè tractare.

9. Ex horum duorum motivorum collatione, & in corde Animæ veluti conflictu, elucescit hinc malitia, enormitas, indignitasque peccatoris, & ejus peccati: inde autem exoritur mox Dolor amans, & amor dolens, cordis viscera exedens, & quasi in pulverem conterens: eò quod Deus tam summè Bonus, summèque Dignus, & summè amabilis, & pretiosus, ac beneficus, à tam vilissimâ vilitate Creaturæ suæ, adeo indignè, adeo malitiosè, injuriosèque habitus, & tractatus, hoc est, contemptus, conculcatusque sit.

10. Maximè, quando ad alias immensas infinitæ Dei bonitatis, ac beneficentiæ in Hominem indignissimum, inutilissimum, ingratissimumque profusiones, accessit, & superexcessit Beneficium Incarnationis unigeniti Dei, ejusmodi Vita, ejusmodi Passio, ejusmodi Mors: propter salutem, redemptionem, sanctificationem, glorificationem hominis suscepta. Iste enim Bonitatis Divinæ versûs Hominem excessus, vel leviter animadversus, immensum in Corde peccatoris, excitare Dolorem de peccatis, & simul amorem Divinæ Bonitatis, potentissimus est.

Propterea istorum duorum Motivorum, Humanæ scilicet Vilitatis ac malitiæ, Divinæ autem Dignitatis & beneficentiæ collatio, ampliùs facienda erit etiam in sequentibus Exercitiis, ut certior, & copiosior, efficaciorque fructus contritionis de peccatis colligatur.

PRAXIS.

Et simul series, apparatusq; Actuum Contritionis.

DEUS, Domine DEUS, Dignissime DEUS, amabilissime, beneficentissime: ipsaq; essentialis Bonitas, & Amor, & Sanctitas, & Sapientia, & Omnipotentia, & plenitudo Perfectionis DEUS. Iustus meus, Iudex meus, Pater meus, DEUS meus, & odiens, & vindicans, & condonans peccata, sanansq; contritiones nostras.

2. Reminiscor, recognosco, & confiteor coram Te, omnes, & singulas iniquitates meas: quibus unquam displicui tibi: & Voluntati, Sanctitati, Dignitati, Bonitati, Charitati tuæ.

3. Displicent mihi, Domine: displicent, & super superq; displicent, singula, & omnia peccata mea: quia ex se mala, & perversa: quia tibi displicita, & à te prohibita, quia irâ & vindictâ tuâ digna: quia supremæ Tuæ Majestati, amabilissimæ Bonitati, honorandissimæ Sapientiæ, Potentiæ, Iustitiæ, ac Voluntati injuriosa: quia innumera.

4. O utinam! utinam ea nunquam, nunquam, nunquam commisissem! Non Corde, non ore, non opere, non omissione, non ullâ prorsùs iniquitatis ratione!

5. Totis viribus cordis, & mentis, & Animæ, & universæ substantiæ meæ, totius quoque Universi: nec non omnibus atomis ejus, etiam universalitatis, ac mihi adunitis: doleo, doleo, superdoleo, de omnibus, & singulis peccatis meis.

6. Odio perfecto, quo DEUS illa odit, odi & ego: odisseq; volo, & constituo in æternum.

7. Abominor, detestor, execror illa ex animo.

8. Erubesco, & confundor de illis: & coram quidem omni Creaturâ: sed maximè corã offenso à me, Te tam Bono DEO: tam Digno DEO: tam Amabili DEO.

9. Tædet me illorum: &, heu quando eliberabor ab eis!

10. Fastidio, & nauseo illa, tanquam canem mortuum, & putidum.

11. Horreo illa, & contremisco totus ad memoriam illorum.

12. Ejuro, & abjuro illa: & recedo ab eis in æternum.

13. Omnem meum, & affectum, & propensionem, & inclinationem, qualiscunq; Voluntatis, & assuetu-

assuetudinis meæ, ita ab eis averto, & avello, ut cupiam, statuamque, & quà possum faciam; quasi impossibile mihi esse reverti, sive etiam inclinari, ad illa, & ad quævis alia.

14. Desidero illa, & emendare, & emundare; & jam nunc emundo, in Balneo sanguinis, & Meritorum Christi.

15. Cupio, propono, & decerno firmiter, expiare illa quàm plenissimè, quoad culpam, & quoad pœnam omnem, & specialiter quoad spiritualem, & damni.

16. Propono, & statuo illa Sacramentaliter confiteri.

17. Propono etiam, & statuo constanter, plenam eorum fugam, vigilantemq́; devitationem.

18. Deniq́; spero, & peto omnium, atq́; singulorum, plenam, perfectamque, à te misericordissimo, atq́; indulgentissimo DDO meo condonationem.

19. Propter Bonitatem tuam, propter IESV Christi Domini mei Mortem, propter Pretiosissimæ DEI Matris, omniumq́; Electorum tuorum intercessiones ac merita.

20. Ad purum, summum, plenum Divini Cordis tui gustum. Amen.

EXERCITIUM II.

De Contritione, ex DEI & Hominis Peccantis collatione.

1. STatue te Homo, qualis in veritate es, coram DEO qualis ille in veritate est: vilissimam omnium vilitatum vilitatem, coram Deo, omnium Bonitatum essentialiter plenissimâ Bonitate: & postquam te in tuis, Deum in suis, circumspexeris dotibus: profitens dic: *Verè scio, quòd ita sit: & quod non justificabitur homo compositus Deo.* (Iob: 9. 2.)

2. Cognosce itaque te, & statue coram te talem, qualis es tibi ex te ipso! seclusis, & semotis à te his omnibus quæ sunt ex Deo, & ex dono Bonitatis ejus in te. Atque sic, dispice tuam Essentiam, existentiam, sufficientiam, opulentiam, potentiam, decorem, dignitatem, opera, merita: utique invenies omnium horum in te, ex te, nihil esse: sed horum loco, in te non ens, nihilque purissimum, & abyssale, & informe: invenies te, ex te nihil esse, non esse, non existere: ad nihil rei, aut boni sufficere, nihil posse, nihil mereri: invenies esse te meram omnis boni carentiam, incapacitatemque: omnis autem miseriæ, malitiæ, egestatis, turpitudinis, insufficientiæ, indignitatis, vanitatis, contemptibilitatisque fæ- A cem, sentinam, cloacam, sedimentum, abyssum. Ecce tu talis ex te es, ô Homo: & quidquid aliud immiserabilius, & execrabilius cogitare potes.

3. Cogita quoque Deum, & vide qualis est ille ex seipso. Et ecce invenies illum tibi extremè dissimilem, ac summè oppositum: invenies illum esse Summam, & omnem, & essentialem essentiam, existentiam, perfectionem; perfectionis omnis, sibi soli cogitabilis, à nullâ creaturâ vestigabilis, plenitudinem abyssalem, ipsissimamque essentialem abyssum, & abyssalem Essentiam Bonitatis, Sapientiæ, Omnipotentiæ, Dignitatis, Veritatis, Vitæ, Opulentiæ, Sanctitatis, Rectitudinis, Pulchritudinis, Beneficentiæ, Charitatis, Beatitudinis. Invenies illũ, fontem infinitum Iustitiæ & æquitatis, Misericordiæ & pietatis, Gloriæ & Majestatis, Regem regum, Dominum dominantium, omnium authorem, omnium possessorem, absolutum principem & monarcham, & hæc omnia ex ipso se, immensè, infinitè, incomprehensè, immutabiliter, abæternè, & æternè. B

4. Duabus hisce cogitationibus, de Te, & de Deo, adjunge tertiam, quâ recorderis, te talem, in Deum talem, peccasse; hoc est, injuriosa quæque, contemptifica, hostilia, impia, rebellia, perpetrasse, voluntariè, scienter, deliberatè, malignè, crebrò. C

5. Ac demum dijudica: an duo illa, tu scilicet is qui es, cum Deo item qui est is qui est, debuerint inter se, sic confligere, sic concurrere, sic sese gerere: ut tu quidem, res omnino nihili, nullius meriti, valoris, atque frugis: in Deum adeo per omnia immensæ supra te dignitatis, sic impingeres, sic ejus dignitatem deprimeres, sic voluntatem contemneres, sic jus omne Sanctitatis, Bonitatis, Excellentiæ perfringeres? Non fuerit Deus iste, tuus Amator, Author, Conservator, Benefactor, Dominus, Rex: non fueris tu Creatura, servus, mancipium omni jure illius, fueris tantùm hoc quod es, nihil, & nihil: DEUS autem DEUS: nonnè omni amore, pretio, honore, cultu, reverentiâ, obsequio, quàm dignissimè constantissimèque coli & tractari abs te dignissimus erat? D

6. Quod quia non tantum à te factum non est, sed etiam per omnes malitiæ gradus contrarium injuriosissimè perpetratum est; cogita & judica, & decerne ipse tu: quâ mensurâ te timere, erubescere, dolere, lugere, detestari temeti-

psum

ipsum oporteat: ad quam satisfactionis & justitiæ, & vindictæ de ipso te sumendæ, Deoque læso exhibendæ, te conari oporteat? quodsi ad æqualem mensuram assurgere non potes, nam revera ne ad minimam portionem potes: saltem conare ad id quod potes: & geme, quòd ampliùs, & ad æquum, justumque non potes, & demum ad miserationem Dei, ad Iesu Christi sanguinis, & mortis (in Sacramentis) merita & gratiam, supplex, & fidens recurre ut possis.

7. Rursum autem attende ad teipsum: quis, & qualis es tu, etiam cum his donis, quæ à Deo accepisti: atque, & sic te cum Deo confer. Confer essentiam tuam, entitatem, existentiamque tuam Essentiæ, Entitati, Existentiæ Dei: tuam personā Personæ Dei, tuam Animam Spiritui Dei: tuum intellectum intellectui Divino: tuam Voluntatem & libertatem cum Voluntate & libertate Dei: tuam Sapientiam, Potentiam, cum Sapientiâ & potentiâ Dei: tuam bonitatem, vitam, æternitatem, cum bonitate, vitâ, immortalitate, æternitateque Dei: tuam magnitudinem, cum immensitate Dei: tuam Perfectionem, Sanctitatem, Justitiam, Puritatem, cùm Perfectione, Sanctitate, Iustitiâ, Puritate Dei, &c. & cognosce quā hæc inter se distent: quàm nulla finiti ad infinitum proportio & comparatio? Atque factâ hac collatione, cognitâ istâ incomparabili comparatione, dijudica jam, & decerne: debuerisne tu, adeo etiam in donis Dei à Deo tibi donatis, vilis, & imperfectus, & planè nullus, repugnare Deo, pugnare cum Deo, sic infinitis excessibus Perfectiore per omnia? Dijudica, & decerne: fueritne fas; te, Deo, Cor tuum, Cordi Divino, Voluntatem tuam Voluntati Divinæ, Oculum tuum Oculo Dei, tuas manus, manibus Dei, &c. &c. repugnare: & in offensam injuriamque ipsius operari? Si pulex unus, si canis mortuus unus, te contemnere voluisset, quantâ, indignitatem hanc indignatione metireris? & ista tamen habent similitudinem, & partem tecum: quia Creaturæ, & Entia sunt pariter tecum. Tu autem quis, & quid es ad Deum? & quid ac quale, quantumque est à te contemni, & lædi Deum? quâ mensurâ doloris, pudoris, metûs, confusionis, luctûs, detestationis, odii, deprecationis, tibi, deflendum, atque emaculandum, & satisfaciendum est, ut exæques, aliquomodo pænitendo offensum Deum? Atqui ad hoc lachrymarum Oceani nulli, nulla tēporum sæcula sufficiunt.

PRAXIS.

Sive Actus Contritionis.

Dignissime DEUS, summum Ens, summum Bonum, & summe summa omnia. Te ego amo, æstimo, appretio, exalto, super omnia. Dignissimus enim, nobilissimus, amabilissimus es: nec ulla res tibi in pretio conferri, compararive potest aut debet.

Feci multa mala, indigna, injuriosa, coram te, & contra te Deum, Dominum, Summum, & omne Bonum meum: quæ tuam Bonitatem, Dignitatem, Charitatem, Voluntatem violarunt, suntq; tibi odiosissima: Feci autem ego vilitatum vilissima vilitas, ego malitiarum malitiosissima malitiâ, ego odiosissima odiositatum odiositas: ego ingratissima ingratitudinum ingratitudo: ego indignissimus omnium indignorum indignus: ego omnium damnandorum damnandissimus damnandus; ego omnium perditorum, perditissimus perditus.

Quapropter, idem ego, nunc omnia, & singula peccata mea cognosco, confiteor, retracto, detestor, odi, execror, doleo, de illis erubesco, & amarissimo tædio conficior, & tabesco.

Doleo de omnibus tam universim quam sigillatim: propter Bonitatem, Dignitatem, Charitatemq; tuam Divinam: propter vilitatem, malitiam, ingratitudinem meam execrandam: doleo autem totâ Cordis mei amaritudine & pœnitentiâ, & secundùm omnem malitiæ peccatorum rationē, quam in se, ac in oculis tuis Divinis includunt: doleo quoq; secundum justissimum beneplacitum Sanctissimæ tuæ Voluntatis.

Nolo, sive commissa jam, sive alia quæcunq; commissibilia, ulla unquam deinceps committere: quin volo, & propono omnes, quod in me erit, parvas occasiones, illa committendi vitare: tentationibusque ad illa resistere: opem præstante mihi efficaci Misericordiâ & Gratiâ Divinâ.

Volo ista, quæ peccavi, & quorum conscientiam habeo, confiteri plenè, sincere, humiliter, dolenter, cum pudore, atq; retractatione, & emendationis proposito.

Peto per odium quod adversum omne peccatum in tuo Divino corde residet per omnem Sanctitatem Voluntatis tuæ, per IESV Christi Redemptoris nostri Sanguinem, Passionem, Mortem: ut mihi omnes iniquitates meas condones: sicut ego, teste, & dante te, propter te, debitoribus meis omnia debita sua condono.

Statuo omnem satisfactionem, sive injungendā, sive injunctam, sive spontaneam, perfectè, cum augmento, quàm primùm adimplere: nec non omnibus quibus forte debeo plene satisfacere.

Tu Domine, misericordiarum Pater, & veniæ largitor, miserere mei, & dimitte universa debita mea.

Per IESUM Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit, & regnat.

EXERCITIUM III.

De Contritione, ex Dei Hominisq; Comparatione.

1. STatue te Homo qualis revera es, coram Deo; qualis & ille in veritate est. Te talem; qui ex te ipso nihil es: quidquid autem es ex Deo solo es, at coram Deo tali, qui ex seipso est, quidquid est: omne autem Bonum infinitum, & illimitatum est: tibi autem omne id, est & confert, quidquid es, & habes.

2. Postquam te in tuis, Deumque in suis dotibus circumspexeris, dic cum Beato Job; *Vere scio quod ita sit: & quod non justificabitur Homo, compositus DEO.* (Iob: 9. 2.)

3. Adhuc ergo, attende ad te ipsum, quis, & qualis es, etiam cum donis Dei quæ tibi largitus est: & talem te cum Deo confer: quod ut melius præstes; duo hæc cognosce: Primùm, quod quidquid à Deo es, & habes; id ita es, & habes, ut sine perenni, & per singula momenta a Deo repetitâ, imò continuatâ collatione, seu conservatione Dei, nihil tui esse, donique Divini, tu tibi conservare possis: sed subductâ ista conservatione Dei à te, tu statim, & omnia, & ipsum te, amissurus, & in nihilum tuum abiturus sis. Itaque nullum momentum durationis tuæ est, nullum esse potest, in quo tu, te totum deintegro, à Deo non accipias conservante, sive semper, & assiduò te tibi donante. Alterum, quòd quidquid à Deo es, & habes entitatis, & aliorum cum eâ donorum, tu nec te ipso, nec ullâ parte entitatis tuæ, neque ullâ potentiâ tuâ, ullo modo uti, sive agere aliquid possis, nisi simul Deus tanquam prima causa, & primum agens, tecum agat, tibi cooperetur, tuamque potentiam quamcunque, in actum tecum educat. Ita, non potes manum movere huc aut illuc, nisi tecum moveat manum Deus: non potes per oculum videre, nisi tibi ad videndum per eum cooperetur Deus: nô potes per intellectum aliquid cognoscere, nisi actum cognoscendi per tuum intellectum tecum eliciat Deus: non potes voluntate tuâ liberâ quidquam velle, nisi cum ipsâ tuâ voluntate efficiat liberum velle Deus.

4. Malitias tamen tuas, vel animi, voluntatisque tuæ liberæ, non facit, nec elicit tecum, vel cum tuâ malitiâ Deus: sicut anima in claudicante pede nô claudicat: esto pes sine animâ non claudicet: & esto Anima ad Motum claudicantis pedis concurrat, & cooperetur. Malitia enim moralis, defectus est non Dei, seu Causæ primæ: sed voluntatis creatæ: sicut claudicatio, defectus est non Animæ, seu locomotivæ potentiæ, sed pedis ambulantis, seu claudicantis. Quomodo autem pes claudus, Animam claudicare nec scientem nec valentem ex se, cogit tamen, & quasi facit claudicare secum: sine quâ facere non potest suum motum claudum: ita & tu homo, Deum, peccati, & malitiæ omnis incapacem ex se, cogis tamen, & facis quasi peccare tecum, sine cujus concursu non potes perficere actum, cui tu pravitate voluntatis tuæ inseris peccatum. Hinc illa Dei de peccatore querela; *Laborare me fecisti in peccatis tuis:* (Isaiæ 43.24) & illa Prophetæ pro Deo; *Laborare fecistis Dominum in sermonibus* (blasphemis) *vestris.* (Malach. 2. 17.)

5. Jam adverte ô homo, si quid sensûs habes, fueritne vel fitne dignum, ut tu, teipsum, & potentias viresque tuas, & actus potentiarum tuarum, à Deo tibi datarum, convertas in offensam, contemptumque Dei: ut cogeres quantum ex te, faceresque Deum tecum, & cum potentiis tuis, cum actibus, & usu potentiarum tuarum, laborare in peccatis tuis, cooperari ad offensas & injurias suas proprias? Et fecisti tamen hoc tu toties, quoties ad peccata tua, Deum tecum côcurrere fecisti: qui quamvis nunquam peccaverit: attamen tu, actum tuum, ad quem cooperari fecisti Deum tecum, malitiâ tuâ infecisti: & concursui Divino quantùm ex se purissimo, quantùm ex te iniquitatem apposuisti.

6. Et potesnè nequiorem nequitiam, injuriosamvè magis injuriam, ampliùs despectivum despectum, quem irroges Deo excogitare, quam hic est, quo Deo tuo abusus es contra ipsum Deum? Et est scelus immane, tuâ quam à Deo accepisti sapientiâ, potentiâ, voluntate, memoriâ, Animâ, abuti ad offensam Dei: abuti autem ipsâ Divinâ, Sapientiâ, Potentiâ, Voluntate, Bonitate, contra ipsum Deum; & facere quantùm ex te, ut his suis Bonis contra seipsum uteretur Deus: sufficisne cogitare, & capere, & æstimare quantæ hoc sit malitiæ, quantæ in Deum injuriæ?

7. Homo: non tè pigeat huic collationi inhærere, huic considerationi, particulatim

culatim etiam immorari. Non te pigeat vestigare, quibus hanc malitiæ tuæ absurditatem, in Deumque injuriositatem ac indignitatem lachrymis defleas, doloribus aboleas, detestationibus abstergas, confusionibus, amaritudinibus, satisfactionibus, deprecationibus, emendationibus, emundationibusque, ex tuo Corde, magis autem ex Corde Divino expunras, eradas, & usque ad remissionem, usque ad gratiam, dilectionem, sanctificationem, filiationemque Dei deducas.

Ier: 2. 21. 8. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculatus es in iniquitate tuâ coram me*, dicit Dominus Deus: Sed enim etsi tu commisisti, unde justissime & abjici, & damnari, & in damnatione usque ad oblivionem æternam sepeliri debes, tamen Deus cujus natura Bonitas, non amisit unde salvare solet: *quoniam apud* Psal: 129. 7 *ipsum misericordia: & copiosa*, atque inexhausta *apud ipsum redemptio*: tantummodò revertere, pœnitentiam age, & dignos fructûs pænitentiæ, atque *prima opera fac*.

PRAXIS.

Ostende mihi Domine DEVS meus, ostende mihi, quantas habeo iniquitates & peccata? ostende mihi, usquequo progreßæ sunt & excreverunt injuriæ & offensiones adversum te meæ? super capillos capitis mei, super numerum arenæ maris, super pulverem terræ, & super guttas aquæ maris multitudo est malitiæ meæ: agnosco & confiteor. Verumtamen totum hoc, nihil quasi est, ad hoc: quia quanto Tu Domine DEVS meus, & fuisti, & es beneficentior in me; tantò ego vilissimus homuncio, maleficentior & fui, & sum coram te, adversum te. Dedisti me mihi, ô DEVS, totum quantusquantus sum: & dedisti toties; quoties abs te in Esse toto meo, integrè conservatus sum: omnibus autē ac singulis momentis existentiæ meæ, conservatus, atq́; denuò, & denuò mihi donatus sum. Insuper Domine, obligasti & alligasti mihi, Essentiam, Sapientiam, Potentiam, Bonitatem, Immensitatem, Charitatem, Vitam tuam: ita ut neque Esse, neque permanere, neque vivere, neque agere quidquam per me poßem, nisi in omni actione & commotione meâ, coadjutricem, cooperatricemque semper haberem præsentißimam Essentiam, Sapientiam, Potentiam omnemq́; substantiam tuam. Ego autem quid feci? nihil probrosius, nihil enormius poßum dicere, quàm dicere, peccavi: quid verò feci, quando peccavi? Heu! quando peccavi; pugnavit malitia mea, cum Bonitate tuâ: quidquid effudit Bonitas tua in me, totum corrupit malitia mea contra te. Ecce enim quia peccavi; corrupi naturam: corrupi corpus, corrupi animam: corrupi omnem corporis partem, omnem potentiam animæ: omnemq́; tam corporis quàm animæ actionem. Corrupi omnem Creaturam à te mihi in usum, ministerium, usq́; ad destructionem ejus indultam. Corrupi præterea, omne Gratiæ tuæ donum, omne unigeniti tui meritum, corrupi insuper ipsum etiam tuum Vnigenitum, per, & propter peccata mea, à me, peccando Crucifixum. Et quid amplius, sceleratiusve à me factum peccando dicam? Dicam, & confitebor, non forte sceleratius, sed tamen aliud forte frequentatius: & nescio an non ausu horribilius. Ergo insuper corrupi Teipsum, ô DEVS, & corrupi omnem Perfectionem tuam. Quid enim in te est Perfectionis, in quod ego non peccaverim? Peccavi in Te, peccavi coram te, peccavi contra Te, peccavi intra te, peccavi per ipsū te, ac ipso Te. Feci Te, quantum ex me fuit, (nam tu ex Te peccati incapax es,) feci inquam Te peccatorem: & quidem toties, quoties Eßentiam, Præsentiam, Sapientiam, Potentiam tuam, ad omnia infanda, & probrosa, tibi inimica & injuriosa, tui contemptiva, ac quovis modo scelerata mea, tanquam causam primam, mecum, mihiq́; cooperari, meâ malitiosâ voluntate adegi: atque Te, contra Te, mecum in peccatis meis laborare feci. Et quid potui ultrà peccati committere quod non commisi? qui usq́; ad Tui destructionem (quantum ex me) malignando perveni? Vnum est tantum Domine, quod in Te malitia mea non vicit: & hæc est ipsa Bonitas, Miseratio, Patientiaq́; tua: quæ major est quàm omnis malitia mea. Hanc nunc & semper amo mi DEVS, hanc super superq́; amo: hanc à me læsam, contemptamq́; unquam, nunc doleo: doleo dolore omni, dolore omnium qui unquam doluerunt, quòd te offendissent, dolore Incarnati Verbi IESV Christi, quo peccata nostra doluit, & delevit. Tu Bonitas parce: Cor contritum ne despice, sed illud largire, & usq́; amplius ac amplius illud auge, conserva, & in mortis meæ instanti consumma: illudq́; jam nunc pro illo, & demum in illo puncto, perfice & suscipe.

EXERCITIUM IV.

De Contritione, ex collatione Hominis cum Deo Incarnato.

1. STatue te ô Homo coram Incarnato pro te Deo; & statue partim talem qualis es ex te: partim qualis es etiam ex Dei beneficio: atque te talem, Deo humanâ naturâ induto, & utriusque prædictæ tuæ conditionis participi, confer.

2. Est enim factus Creatura qualis es tu: per quod factus est, Ens imperfectissimum: & nihil, ac non ens, atque ipsa imper-

imperfectio, & miseria, & ejusdem perennis fons: & quidem de se oppositum Deo, abjunctumque extremè à Deo.

3. Est autem hoc factus Deus, in suâ propriâ Personâ, tui causa, gratis, post tot tua demerita, ex merâ miseratione, & amore tui, ac voluntate impensissimâ tibi quàm maximè benè faciendi, ac te ab omnibus, iisque æternis malis eruendi. At verò tu, hæc sciens, credens, confitens, & scilicet amans, ac æstimans de Deo tuo: nihilominus nihil omisisti nequitiæ, sceleris, injuriæ, contumeliæ, rebellionis, contemptûs, impietatisque, quod non Incarnato pro te Deo, sciens, volens, millies milliesque refuderis.

4. Age jam, & conclude, num decuerit te, scientem, credentem, æstimantem de tui erga te Amore Dei, tam nihilominus indigne, improbè, sceleste, cum eodem Deo te gerere, prout gessisti?

5. Jam verò attende: hunc ipsum Incarnatum Deum factum pro te talem: pro tuis (inquam) peccatis, ne tu ea pecces, & ne postquam peccasses, æterna pro illis supplicia subires. Et nunquid abstinuisti à peccando, & non magis ingratissimè scelestus, Deum pro te Incarnatum Crucifixisti peccando! Et fuitne diguum sic cum Incarnato, & Passo, Mortuoque pro te Deo sic agere, sic (inquã) per omnem substantiam, potentiam, capacitatemque tuam, voluntariè, malitiosè peccata in Deum, injurias, contemptusque, multiplicare? Dijudica: an & quantùm erubescere, quantùm dolore, & præ dolore tabescere, ringi, rugire debeas?

6. Adhuc verò attendere perge: iste Deus pro te Incarnatus, quid pro tuorum peccatorum abolitione, ex puro tui Amore sustinuerit: Tu verò quid eidem rependeris? ille passus est Dolorem, Contemptum, Laborem, Pauperiem, Ingratitudinem, Odia, Persecutionem, Vulnera, Calumnias, Crucem, & Mortem Crucis: non alio motivo, quàm tuæ dilectionis, ac studio æternæ tuæ salutis. Tu antem quid? confer, si potes absque confusione, & lachrymis, absque dolore & stupore, scelestam tuam ingratitudinem, cum tanto, tam profuso, tam prodigo sui in te, amatore?

7. Adhuc attende ad hunc Deum Incarnatum pro te: quando propter peccata tua, sacrificavit veluti Hostiam holocausti semetipsum sibi ipsi Deo: idque partim in Altari Crucis, sacrificatione cruentâ, probrosâ, doloriferâ, mortiferâ, & sui annihilativâ: partim in alio Altari oblatione incruenta: Et discerne: quid te oportuerit Deo isti tuo, talia pro te perpeti dignato, rependere ex debito, & merito: tu autem quid defacto rependeris gravissimarum injuriarum: infandorum contemptuum, exosissimarum ingratitudinum?

8. Attende præterea ô Homo, ad hunc ipsum Deum Incarnatum: quoniam pro te adhuc quotidie, in tot per Orbem locis, templis, altaribus, sacrificiis, offertur, & immolatur: cum tot tantisque suis indignitatibus, humiliationibusque: cum tot Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Charitatis suæ prodigiis, & profusionibus: quotidie item pro te Sacramentorum præsertim Eucharistiæ & Pænitentiæ thesauros apertos & profusos, in iisq; omnes Meritorum suorum inexhaustas divitias exhibet: & hoc ideo tantum, ut peccata tua sive impediat ne committas. Tu verò homo, quàm te egregie gratum Deo tuo exhibes? Ah! Hæccinè reddis Deo: ô nequam serve, o ingrate homo; Non te pudet omnibus possibilibus pudoribus, cum Dei pro te talia dignati subire, beneficentiis; pugnare tuis perpetuis maleficentiis?

P R A X I S.

HEi mihi! quid faciam! Ecce vox sanguinis fratris mei Abel clamat ad me de terrâ. Ipse est Sanguis Incarnati, Passi, Immolati, Crucifixi, Mortui pro me DEI. Ille mihi clamat: Respice in me: & vide opus tuum quod operatus es. Hæc fecisti mihi, mihi Incarnato pro te: mihi Amore tui crucifixo pro te. Aspice Caput hoc meum spinis perforatum: aspice Vultum sputis, alapis, livore deformem: aspice Corpus vulnere super vulnus concisum: aspice manus, pedesq; clavis saucios: aspice totum me in patibulo Crucis distentum. Talem me tua fecerunt peccata: pro quibus quia tu noluisti modico ad pænitentiam salutemq; rubore, erubescere, fecisti me livore, vulneribus sanguine meo rubescere. Ergo vel jam nunc erubesce ingratus esse. O Incarnate pro me DEUS: ô Zelosissime, & profusissime Amator, & Dux, & Pater Animæ, salutisq; meæ: induo, & superinduo sicut diploide faciem meam confusione peccatorum meorum: Peccavi Domine, scelera multiplicavi, abjeci legem tuam, excussi jugum tuum, oblitus sum te Patrem meum: irrisi te Dominum meum, contempsi te Deum meum: sed Bonitas tua misit frenum in effrene os meum: & diro spectaculo amaræ Passionis tuæ effodit immite pectus meum. Sto itaq; ante Te confusus, & pudore plenus: quia Incarnationis, & Passionis, & Crucis, & Mortis tuæ humilitas,

atque

atque Charitas, pudor meus est. Pudet: ah pudet, sceleribus meis deduxisse ad Crucis, Mortem, Incarnatum pro me DEUM: sed super omnia pudet perseverare in peccatis: & renovare iniquitates, & ingratum inveniri tantæ Charitati, Incarnati DEI. Quis infernus puniat satis Animam talem: quæ Incarnatum, Passum, Crucifixum, Mortuum, pro suis peccatis expiandis, pro salute suâ æternâ acquirendâ videns Filium, unigenitum DEI, audeat tamen, & pergat contemnere pretium sanguinis, & mortis, pro se impensum ab unigenito Filio DEI, &c.

EXERCITIUM V.

De Contritione ex Cæli, & Inferni æstimatione.

1. STatue te in Cæli, & coram omni cælestium Hierarchiarum ordine, gloriâ, Societate, Beatitudine; & quamvis neque oculus vidit, neque auris audivit, nec in Cor hominis ullius ascendit, illa felicitatis, bonorumque omnium redundantia, quam præparavit Deus diligentibus se: tu tamen quantùm prævales æstima, & appretia, & appete illam tibi: sciens te quoque ad possessionem & fruitionem illius à Deo conditum esse.

2. Est Beatitudo cælestis sita in hoc; quòd Creatura rationalis, Angelus, sive Homo, Deum sicuti est, clarè videat, possideat, teneat, hereditet, fruatur illo, gaudeat de illo; beatificè, & incessabiliter, inexplebiliterque amet illum; atque illo Beatus fit in æternùm.

3. Hoc illud est gaudium Domini, in quod Deus servos bonos, & fideles, intrare jubet, & facit. Hæc illa multa, copiosa, superaffluens, magna nimis merces quam semetipsum futurum, daturumque Sanctis suis promittit, & exhibet Deus. Huic accedit Visio Dei Hominis JESU Christi: itemque Pretiosissimæ Dei Matris, & omnium Angelorum, Hominumque æterna Societas.

4. Hoc Bonum, quod est Summum omnium Bonorum Bonum: amittit Homo, per peccatum: reddens se illius incapacem, ac prorsus, quantùm ex se, & ex suâ voluntariâ malitiâ, indignum in æternum.

5. Quomodo enim dignus sit Deo aliquando, qui contempsit Deum? quomodo possideat Deum, qui abjecit Deum? quomodo videat intuitivè Deum, qui totum Intellectum seu Oculũ mentis avertit à Deo? quomodo fruatur Deo, & ejus beatitudine, qui elegit, & dilexit maledictionem? quomodo sit cum Christo Salvatore suo, qui illum postposuit diabolo? quomodo perveniat ad Vitam æternam, qui sibi ultro adscivit Mortem æternam? quomodo Dei Matris, & Sanctorum Societate gaudeat, qui servitutẽ, & societatem dæmonum omnium illis præposuit?

6. Justè ergo peccator privatur omni Cælesti bono, qui iniquè sese spontè devovit omni Infernali malo. Iuste etiam in Æternum Bonis privatur cælestibus, qui se in æternum objecit, & vendidit malis, & ardoribus sempiternis. Infinitus Deus, tam in se, quàm in omni suâ Perfectione despectus, & læsus, non potuit nisi infinita injuriâ, & contumeliâ affici; ac propter ea etiam non potuit, neque potest, peccator nisi infinitâ punitione, & perditione castigari.

7. O peccator! nonnè plusquam dignum est, te infinitâ quadam contritione, pænitentiâque cordis damnum tuum tam magnum, tam æternum, deflere, dolere, compensandum conari: præsertim ideo: quia istud ipsum damnum sponte subiisse, in maximam vergat injuriam, contemptionemque Dei: quam ipsam etiam unam & solam, si esset talis, nullæ possunt exsolvere æternitates pœnarum inferni.

8. Et amissio quidem Beatitudinis cælestis sicut satis æstimari nequit, ita condignâ satisfactione, extrà Dei misericordiam, & Merita Christi nequit etiam cõpensari.

9. Vide jam & expende inferni mala: quæ peccatori ex omni rigore Iustitiæ, inferri, infligique æternaliter debent, De illis certè meritò dici quoque potest. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis ascenderunt, quæ præparavit justus Deus odientibus, & contemnentibus se. Nihil enim Infernus est, nisi Vindicatio justa, contemptuum, injuriarum, abusuumque illorum omnium, quos Deus in se; & in suis Perfectionibus, atque beneficentiis, ac legibus, voluntatibusque, à peccatore toties pertulit, quoties ille peccavit.

10. Itaque per inferni pœnas, de peccatore ulciscitur se Deus quantus est. Ulciscitur Dignitas Dei quanta est. Sapientia Dei quanta est. Omnipotentia Dei, quanta est. Sanctitas Dei, quanta est. Misericordia, Charitas, Bonitas Dei, quanta est. Iustitia Dei quanta est. Æternitas, Immensitasque Dei quanta est,

Vita, Veritas, Beatitudoque Dei quanta quanta est. Et cùm hæc, omniaque alia in Deo infinita, immensa, æterna sint; Deusque ipse sint; Nullis pœnarum magnitudinibus, intensionibus, extensionibus, multitudinibus, æternitatibusque digne castigari possunt. Maximè cùm sint in subjecto (putâ homine, aut Creaturâ) exiguo, misero, vilissimo: quantò enim homo peccans vilior, tantò Dei qui summus est, offensa enormior: tantò etiam castigatio debet juste esse acerbior: ita ut sit exequatio indignitatis quæ est in peccatore, dignitatis quæ est in Deo: injuriæ Deo irrogatæ à peccatore, & supplicii inflicti per Dei justitiam peccatori. Adeo ut atténto rigore justitiæ, tam omnibus simul, quàm singulis separatim peccatis, debiti sint infiniti inferni, infinitæque pœnæ numero, intensione, extensione, æternitate. Sed quia hoc fieri non potest in Creaturâ propter infirmitatem, in Deo propter bonitatem: ideo Deus, peccatori infinitos inferos, & infinitas inferorum pœnas, alioqui ei debitas, remittit: & infra condignum, ac debitum, omnem peccatorem castigat.

11. At hoc nihilominus non obstante; habitabis infelix peccator *in igne iræ Dei devorante*, & in *ardoribus*, furoribus ejus *sempiternis*: tam malus eris, quàm bonus est Deus: tam odiet te Deus, quàm sibi amabilis est, & se amat Deus: tam eris Deo vilis & contemptus, quàm sibi & dignus & pretiosus Deus: tam eris iniquus, impius, reprobus, stultus, exosus, perversus, infelix, maledictus: quàm æquus, justus, rectus, sapiens, amabilis, felix, beatus, benedictus Deus: talem mortem, perditionemque perferes omni malo cōsummatsm, qualem vitam vivit Deus æternam, omni bono, & beatitudine completam. Et quis hæc satis expendat?

Isaiæ 33. 14.

12. Totus Deus vacabit ad pœnas tuas ô peccator: & vacabit cum totâ capacitate immensæ Essentiæ, Perfectionisque suæ: & vacabit per omnem æternitatem suam: *usque ad inferni novissima*: usquedum compleat, *inebrietq; sagittas* furoris justissimi sui in te. Computa, vires tuas peccator, num poteris sustinere irruentes super te Montes Vindictæ Dei?

Deut. 32. 22
Deut. 32. 42.

13. Cogita, ô peccator: quid tandem mali tibi erit, quando Deus cum omni sapientiâ, potentiâ, providentiâ, justitiâ, etiam cum Bonitate, ac Misericordiâ, ac æternitate, immensitateque suâ, ad hoc solum circa te occupabitur, & laborabit, ut puniat te? Ah! quàm Sapientes erunt illæ pœnæ, quàm potentes, quàm veræ, quàm justæ, quàm acutæ, quàm immensæ, quàm æternæ! quas ipsa Sapientia, Omnipotentia, Veritas, Iustitia, Bonitas, Immensitas, Æternitas, assignabunt, infligent, exigent, metientur, servabunt! per quas ipsa se Charitas, ipsa pietas, ipsa clementia, ipsa misericordia, contempta, conculcataque à peccatore, ulciscetur, & vindicabit de peccatore: tantum, quantùm læsa est, tantum quantùm quævis earum immensa in suâ Dignitate est.

14. Ex his ô peccator cognosce, conclude: fueritne, sitne etiam deinceps consultum, & condignum, te peccasse, aut peccare in Deum: & peccato, peccandoque, totum hunc, quantusquantus est, tibi lucrari infernum?

PRAXIS.

Domine, Tu es Cæli pro justis: Inferni pro impiis fabricator. Tu à constitutione mundi, benedictis tuis Regnum possidendum assignasti: reprobis autem, atq; maledictis, operariis iniquitatis, ignem æternum, cum diabolo, & angelis ejus præparasti. Ego vero me, & ab justis, ac benedictis tuis segregavi: & inter maledictorum gregem sceleslâ voluntate meâ connumeravi. Tantum enim in Te totum, quantusquantus es Deus, peccavi, ut nihil penitus mihi reliquerim spei, vel auxilii, unde vel ab Inferno erui, vel Cælo adseri possim. Irata est, & infesta mihi, merito meo pessimo, tota Deitas tua: irata est Sanctitas, irata Sapientia, irata Omnipotentia, irata Bonitas, Charitas, Misericordia tua: irata est Iustitia, Rectitudo, Veritas, Dignitas, Voluntas tua: totus Domine Tu Pater, Verbum, Spiritus Sanctus iratus es mihi, quia ego totus injuriosus, contemptor, exosus, rebellis, impius tibi. Heu me Domine quid faciam? Non est auxilium, non est effugium mihi in me, nec in ullâ penitus Creaturâ. Ad Te solum Domine, respicit spiritus animæ meæ, sed & hinc repellit me conscientia infinitorum peccatorum, quæ commisi non solum tota Vitâ meâ, verum etiam totâ substantiâ meâ: commisi autem in Te, & simul in omnem plenitudinem immensarum Perfectionum Substantiæ tuæ. Peccavi tibi ô Trinitas Vnitasq; DEUS: peccavi tibi ô Charitas, ô Misericordia, ô Pietas: peccavi tibi ô Veritas, ô Sapientia, ô Potentia: peccavi tibi ô Dignitas, ô Gloria, ô Æternitas: peccavi in totum te ô Deus, in te ô Deus meus: in te ô Deus Dominus, Pater, Iudex meus. Quò igitur convertam me, sic exclusus à te? Curram nihilominus ad Te: & tibi ecce nunc supplex, gemens, dolens, tremens, adrepo, & advolvor Domine, deprecorq; Deitatem tuam: deprecor Bonitatem, deprecor Charitatem, deprecor Misericordiam, deprecor Potentiam, Iustitiamq; tuam. Deprecor autem Te

tem Te totus ego, toto me: deprecor toto Corpore, & omnibus partibus ejus, totâ Animâ, & omnibus potentiis ejus: totâ personâ, & omnibus actionibus, ac paßionibus ejus: deprecor & omnibus sensibus meis tam internis quàm externis. deprecor totâ latitudine, & capacitate meâ: deprecor omnibus atomis meis, & momentis durationis meæ. Sicut peccavi omnibus his, ita plango, & doleo; & detestor, & retracto, & erubesco, & deprecor etiã omnibus his; totam plenitudinem Divinitatis tuæ. Non deprecor Domine amißionem Cæli, non deprecor supplicium inferni: sed deprecor offensam tuã, nec ardere metuo, sed peccaße doleo: nec me contristat damnum meum, sed afficit, affligitq; injuria tua, & iniquitas mea. Caream licet in æternum cælo; ardeam licet in igne æterno; levius hoc mihi, quàm unica offensa tua, quàm quævis ira tua Domine. Averte solùm faciem tuam à peccatis meis, & iniquitates meas omnes dele, & redde mihi lætitiam salutaris tui: atq; ista sufficit consolatio Animæ meæ.

EXERCITIUM VI.

De quotidiano Animæ purgatorio.

1. STatue te coram purissimis, serenissimisque DEI oculis, qui non solùm ipsi Mundi sunt, ne videant malum: verùm etiam Mundos corde requirunt, ut ab eis Deus videri possit. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: & quoniam talium est regnum cælorum*, in quod *nihil coinquinatum intrare* potest.

Habac. 1. 13
Matt. 5. 8.
Apoc: 7. 25.

2. Quamvis autem dum in hoc mortalis Vitæ pulvere gradimur, à sorde penitùs emundati esse perpetim nõ possumus: plûs minùs tamen, & quandoque ad tempus aliquantum, penitùs esse possumus. Quin etiam ex hac Vitâ ad illam, sine ullâ culpæ & pœnæ obligatione demigrare emundati possumus: dummodò hoc congruis mediis, atque diligentiis procurare non negligamus.

Harum diligentiarum una Universalis, alias in se complectens est: habere constitutum Purgatorium Voluntarium: in quod quotidie, semel saltem (aliàs enim sæpiùs licet) descendes: in eoque iniquitates tuas omnes ablues, expurgabis, expiabisque, castigatione tum spirituali & internâ, tum corporali & externâ.

Spirituales, animæque castigationes, seu Disciplinæ esse possunt: partim secundùm Viam Purgativam. 1. Agnitio & confessio coram Deo peccatorum suorum. 2. Contritio & Dolor intimus pro iisdem. 3. Confusio animæ de negligentiâ suâ in vivendo, & ejusdem extimulatio ad vigilantiam super se, & super operandum quàm perfectissimè. 4. Institutio universalis cujusdam luctûs, & defletionis universarum miseriarum suarum coram Deo: & per universas vires, partes, potentiasque totius substantiæ suæ. 5. Imitatio & æmulatio eorum qui verè pænituerunt & multùm pro suis peccatis: tales fuêre, Adam & Eva, David, Manasses, Magdalena, Petrus, Publicanus, Prodigus filius: super omnes autem Dominus IESUS Christus, qui pro nostris (nam sua non habuit) peccatis, totâ vitâ, maximè autem in passione pænitentiam egit.

Partim secundùm Viã illuminativam, & in specie per viam humiliationis Animæ. 1. Ex miseriis Corporis sui, in quo habitat ut in carcere, ut in limo, ut cum inimico pestilentissimo. 2. Ex propriâ suâ vilitate, ineptitudine, infirmitate, mutabilitate, pauperie, cæcitate, difficultate ad bona, præcipiti cursu ad mala. 3. Ex innumerabilibus peccatis actu commissis, & committi facillimis: ex habitibus malis, ac vitiosis, ex passionibus immortificatis, sensibus & moribus incompositis. 4. Ex paucitate, & parvitate Virtutum, meritorum, perfectionumque, tum ex facilitate corrumpendi eas omnes. 5. Ex miserabili conditione illius, eâque variâ: talis est perpetua instantia mortis seu emigrationis ex corpore, in statu, loco, tempore, modo valde incerto: talis etiam conditio judicii (particularis) in morte subeundi severissimi: talis est expectatio pænæ saltem purgatorii: talis quoque est perpetua salutis incertitudo; perpetuus metus, periculumque à Gratiâ Dei excidendi: talis quoque est incertitudo remissionis peccatorum, certitudo autem commissionis eorum. Unde ferè semper homo scit se odio dignum & Amore indignum.

Partim secundùm Viam Unitivam, seu Charitatis: ut est: 1. Abstrahere Animam totam ab omni Creaturâ, & eam totaliter ad Deum convertere, unire, adglutinare Deo. 2. Inflammare Animam, purâ, ardenti, inextinguibili (pro hâc vitâ) dilectione, ex toto corde, totâ animâ, totis viribus. *Fortis est ut mors dilectio.* Et: *Quis nos separabit à Charitate DEI &c.* 3. Resignare Animam plenè, & absolutè in omnem Dei voluntatem bonam, beneplacentem, perfectam. 4. Reddere & consignare Deo omnia bona sua, bona

Cant. 8. 6
Rom. 8. 35

Naturæ, Fortunæ & Gratiæ: omnia Merita, omnes Virtutes, omnes perfectiones, omnes omnino res, ei adscribendo, pedibus substernendo, & planè dispositioni relinquendo. 5. Emendicare omnia & singula à Deo: & ab ejus Paternâ, suavique Providentiâ expectare: ac omnem cogitatum in ipsum jactare. 6. Abluere animam in balneo, aliquando Iudicii, aliquando Misericordiæ Dei, & in Sanguine Iesu Christi. Idque potissimùm in frequenti, diligenti, perfectoque Sacramentorum, Eucharistiæ, Pænitentiæque, tum Sanctissimi Sacrificii, atque Indulgentiarum sacrarum diligenti & crebro usu. His diligentiis accedere possunt: Eleemosynæ Spirituales variæ, orando pro peccatoribus ut convertantur, ad fidem, ad gratiam, ad fructûs pænitentiæ dignos: pro justis, ut in gratiâ crescant, perseverent in finem: pro defunctis, ut à pænis liberentur.

His accedere potest, imò debet: Dilectio inimicorum, condonatio injuriarum, beneficentia & oratio pro malefactoribus, & debitoribus nostris: omnisque vindictæ, & invidiæ fuga.

Accedit etiam his diligentiis: Neminem judicare, neminem condemnare: præterquam semetipsum: at in omni judicio proximi, semper sequi mitiorem partem, & omnia benignè interpretari, Divinoque judicio cuncta relinquere. Scriptum est enim. *Nolite judicare, non judicabimini: In quacunque mensurâ metiemini, eadem remetientur vobis.* (Luc: 6.37. Marc: 4. 24)

Corporales peccatorum expiationes: vulgò sunt notæ: quas partitur Ecclesia, in Orationes, Iejunia, Eleemosynas: comprehendendo sub his, omnia genera affligendi corporis in Ecclesiâ Christi, recepta & laudata: & Sanctis usurpata: quibus discretionem adjungi oportet, nè fortè quis Zelum Dei habeat, non secundùm scientiam: ac ne persequendo in se hostem, interficiat Civem: quocirca talia securè suscipientur conscio Animæ moderatore.

Juxta prædicta; quotidianum Animæ & conscientiæ purgatorium, cordisque lavacrum, esto in usu quotidiano: adjuncto semper, sanguinis. mortisque ac meritorum Iesu Christi Balneo; Indulgentiarum thesauro: & Pretiosissimæ Dei Matris, Sanctorumque communione, ac intercessionum Patrocinio.

A

PRAXIS.

Et simul Contritionis Actus.

Sanctissima Trinitas, DEUS meus. Detestor ex purissimo Amore tui, æstimationeque inæstimabilis Dignitatis tuæ: omnia, & singula peccata mea: imperfectionesque quascunque tu vides in Animâ meâ. Doleo quod per hæc omnia tibi benignissimo Domino, dilectissimo Patri, dignissimo Deo displicuerim. Confundor de meâ spirituali nuditate atque pauperie coram Te: præsertim cum tantâ Gratiæ tuæ, nutricis meæ præsidia, ad vincendam ignaviam meam, ad proficiendum in Spiritu, & lege tuâ, semper ad manum habuerim. B *Erubesco coram Cælo, & terrâ, quòd tam infidelis tibi DEO meo, fuerim: quòd IESU Christo Redemptori meo tam ingratus, Spiritui Sancto tam rebellis, Sanctis omnibus tam displicens, Animabus Purgatorii tam sterilis, Proximis viventibus tam inutilis, imò & ob mala exempla tam scandalosus. Peto omnium, & singulorum, à Te ô Sanctissima Trinitas DEUS meus, veniam, & condonationem: propter IESU Christi sanguinem, propter Pret: Parentis merita, propter Sanctorum omnium intercessionem. Peto præterea Gratiam tuam efficacem, ad me deinceps emendandum, ad omnes imperfectiones evitandum, ad omnes perfectiones in operibus vitæ meæ adhibendum.* C *Propono, te Deo meo teste, & dante, firmissimè, non tantùm emendationem, ac emundationem, sed etiam omnis tibi placitæ consummationis, sanctitatisque consectationem: ad gustum quàm plenissimum, tuæ Sanctissimæ, atque Dignissimæ Voluntatis.*

EXERCITIUM VII.

De Contritione, ex DEI Patris, Benefactoris, Domini, Iudicisque consideratione.

D 1. Statue te coram DEO, ut Patre tuo, filium: ut coram Benefactore ingratum, ut coram Domino malum servũ, ut coram Iudice supremo, ac justissimo, maximè reum. Ex his habebis quod erubescas, & quod timeas, ac demum & quod doleas.

2. Audi Bernardum & sequere: ista expendentem hoc modo. Cogita Deum factorem, cogita benefactorem, cogita Patrem, cogita Dominum. Ad omnia reus es, plange per singula. Ad primum & ultimum respondeat timor tuus: ad duo media, pudor.

3. Pater sanè non metuitur, cùm Pater sit. Patris enim est misereri & parcere, & si percu-

si percutit, Virgâ, non baculo percutit: & cùm percusserit, sanat. Paterna vox est; *Ego percutiam, & ego sanabo*. Non est proinde quod à Patre formides, qui etsi quandoque ferit ut emendet, nunquã tamen ut vindicet:

Deut. 32. 39.

3. At verò cogitantem quòd Patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi quod terreat. *Voluntarie enim genuit me Verbo veritatis*. Deinde etiam non pepercit Unigenito, pro sic genito. Ita ipse quidem exhibuit se Patrem mihi: sed non ego vicissim me illi filium.

Iacob. 1. 18.

5. Quânam fronte attollo jam oculos, ad vultum Patris tam boni tam malus filius? pudet tanto Patri vixisse degenerem. Exitus aquarũ deducite oculi mei: Operiat confusio faciem meam, vultum meum pudor suffundat, occupetque caligo. Prô pudor! quem fructum habui, in quibus nunc erubesco? Si in carne seminavi; de carne non metam nisi corruptionem; si in Mundo; & hic transit, & concupiscentia ejus. Quid? Caduca, vana, & prope nulla, quorum finis mors est, infelix & insanus præterre non erubui, æterni Patris amori, & honori. Cõfundor audire, *si ego Pater: ubi est Honor meus?*

Malac. 1. 6.

6. Sed, etsi Pater non esset, obrueret me Beneficiis: instaurat adversùm me testes: (ut alia innumera taceam;) hujus Corporis victum: & usum Temporis hujus. Et super omnia: Sanguinem Dilecti Filii clamantem de terrâ. Pudet ingratitudinis: quanquam ad confusionis cumulum, arguit etiam reddidisse mala pro bonis: & odium pro Dilectione.

7. Minimè quidem mihi à Benefactore, sicut nec à Patre timendum: verus quippe benefactor est, *dans affluenter, & non improperans*: & beneficia sua mihi dedit, non vendidit: denique sine pænitentiâ sunt dona ejus. At quanto de illo benigniùs, tantò de me indigniùs sentire cogar.

Iac. 1. 5.

8. Erubesce ergo nihilominus: & dole Anima mea: quoniam etsi illum non repetere, & nõ improperare decet; Nos tamen omnino dedecet ingratos, & immemores exstitisse. Heu! quid vel nunc *retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Psal. 115. 12.

9. Quodsi segnior fortè suas partes minùs exequitur Pudor: Timor sanè excitetur in adjutorium: excitetur, ut excitet. Sepone parum pia vocabula Benefactoris & Patris: atque ad austeriora converte te. Nempe qui legitur *Pater Misericordiarum, & Deus totius consolationis*; legitur etiam *Deus, ultionum Dominus*: legitur *DEVS Iudex, justus, & fortis*: legitur *terribilis in consiliis super filios hominum*: legitur *DEVS Zelans*. Quod Pater, quod Beneficus est; tibi est: quòd Dominus, & Creator, & Iudex; sibi. Qui ergo quod tuum est, tibi defendit ac servat: putas & pro se aliquando non zelabit? putas sui non requiret Principatûs honorem? Requiret a redempto servitium: honorem, & gloriam ab eo, quem plasmavit. Esto dissimulet Pater, ignoscat Beneficus: sed nõ Creator, non Dominus, & Iudex: & qui parcit filio, non parcet figmento, non parcet servo nequam.

2. Cor. 1. 3
Psal. 93. 1.
Psal. 7. 12.
Psal. 65. 5.
Exod. 20. 5.

10. Pensa: cujus sit formidinis & horroris, tuum, & omnium contempsisse Factorem: offendisse Dominum Majestatis? Majestatis est timeri: Domini est timeri. & maximè hujus Majestatis, hujusque Domini. Nam si reum Regiæ Majestatis quamvis humanæ, humanis legibus, plecti capite sancitum est: quis finis contemnentium Divinam Omnipotentiam erit? *tangit montes & fumigant*: & tam tremendam majestatem audet irritare vilis vermiculus, uno levi flatu mox dispergendus, nec recolligendus?

Ps. 103. 32.

11. Ille, ille timendus est: *qui postquã occiderit Corpus, habet potestatem & Animam mittere in gehennam*. Paveo gehennam: paveo Iudicis vultum: ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab irâ potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione Elementorum, à tempestate validâ, à voce Archangeli, à verbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & sulphur, & spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores.

Matt. 10. 28.

12. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium: & manuum pedumque dura vincula, & pondus Catenarum prementium, stringentium, urentium, nec tamen consumentium? Heu me Mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis, & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibum ignis. Hæc Ber: 16. *serm: in Cant.*

Ierem. 9. 1.

PRAXIS.

Est in ipsis B. Bernardi verbis: vel sit hæc alia.

SAnctissima Trinitas, unus DEUS: Tibi, uni, soli, semper, à Te, à me, ab omnibus & singulis Creaturis, summa laus, exaltatio, Gloria: omnibus autem Creaturis, à te, tua benedictio, gratia, indulgentia, miseratio, venia. Mihi vero à te, & simul tecum ab omni Creaturâ, omnis abjectio, detestatio, ira, furor, damnatio, reprobatio, perditio, & in perditione derelictio, oblivio, & sepultura æterna.

Quia enim ego Tibi soli peccavi nimis in vitâ mea, & malum supra omnes coram te feci: idcirco nulla mihi à te debetur Venia, gratia, miseratio, benedictio: sed potiùs omnis tuus furor, ira, odiũ, execratio, damnatio, & perditio. Idcirco infernus domus mea est, possessio mea, hereditas mea est, & ego inferni incola, possessor, & heres sum.

Idcirco, etiam omnes damnatos, reprobos, præscitosq; ex Inferno facessere, ac mihi locum meum cedese jubeo: quia præ me omnes illi innoxii sunt: & præ omnibus illis, mihi uni, & soli infernus debetur: & ego unus, solusque, iniquitatibus meis infernum impleo: unus ac solus inferni pœnas pœnis meis exhaurio: & adhuc inferno dignus sum alio, atque alio.

Idcixco, etiam infra omnes luciperos, asmodeos, beelzebubosq infra Cainos, Iudas, Annas, Caiphas, Pilatosq; descendo, ac me demergo. Omnibus enim superbis, ego magis superbus: omnibus avaris, ego magis avarus: omnibus intemperantibus, iracundis, invidis, ego magis intemperans, fœdus, iracundus, invidus: omnibus ad obsequium Divinum, & in obsequio Divino tepidis, ego tepidus, & negligens magis: omnibus ingratis, abjectis, inutilibus, malignis, ego magis ingratus, abjectus, inutilis, malitiosus. Quantò enim in me uno & solo præ omnibus abundavit gratia, & miseratio, ac Divinæ pietatis vigilantia ac beneficentia; tantò in me uno, & solo, præ omnibus excessit in Deum ingratitudo, malitia, contemptio, & effrenis rebellio.

At enim quamvis ego infelix commisi multa valde nimis: unde me tu justissime DEUS damnare, & abjicere in æternum, non solum potes, sed etiam cogente justitiâ debes: quia tamen tu, misericordiarum Pater, non amisisti, unde misericordissimè salvare, & potes, & soles; propterea Ego de profundissimis abyssis miseriarum mearum clamo ad Te: Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate meâ: & à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam cognosco, atq; confiteor. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.

Istud in me peccatumq; meis displicet quàm maximè: quia Tibi soli peccavi, & malum coram te Deo meo feci. Vivere tibi soli debueram: & ecce tibi soli peccavi. Amare, & æstimare super omnia te solum debueram: at ego tibi soli peccavi, tuæ soli Sanctissimæ Voluntati obedire debebam: at ego tibi soli peccavi

Abscondebam, celabam, negabam, dissimulabam, justificabam peccata mea: sed malum coram te feci: in manibus tuis positus eram, & potentiæ tuæ illigatus, justitiæq; tuæ mancipatus, & tamen malum coram te feci.

Tu solus cum esses DEUS meus; ego tibi soli, creatura tua, servus tuus, mancipium tuum, redemptus tuus, peccavi, & malum coram te, contra te, majestatemq; tuam feci.

De hoc omni tibi noto, & exoso malo meo, Domine: toto me doleo, propter Bonitatem, Charitatem, Dignitatem tuam: doleo, & detestor, & execror, & odi, & erubesco, & tædio afficior, e juro omnia peccata mea: & omnem voluntatem meam avello ab eis. Emundo illa, in balneo sanguinis & meritorum IESU Christi: in balneo doloris & amoris mei erga Te: in balneo justitiæ & miserationis tuæ. In quâ etiam emendo, & expio omne debitum meum, tam culpæ, quàm pœnæ: & perficio, atq; compleo omnem imperfectissimam perfectionem meam: ad plenum, & omnem gustum tuum, Amen.

EXER-

EXERCITIORUM PARS XVI.

De Morte.

EXERCITIUM I.

De Mortis, Naturâ, Conditionibus, Effectis.

1. CONstitue te in statu moribundi, ac in vicino, seu proximo morituri: executurique jam in seipso, decretum mortis: de quo Paulus disertè pronuntiat; *Statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem Iudicium.* (Hebr. 9. 27.)

2. Considera: naturam mortis, seu mortem, esse privationem Vitæ, excessum Animæ de corpore, sive, desinere animam informare, ac vivificare corpus. Item, dissolutionem ejus Compositi, ac Personæ, quæ est, homo, ex animâ & corpore compositus: qui enim mortuus est, jam non est amplius Homo, nec persona ejus; esto Anima & Corpus supersint, at sejuncta. Atque ex hoc capite, mors naturaliter timetur: quia morienti Esse suum aufert: quod ab omnibus, præ omnibus diligitur.

3. Considera conditiones mortis: harum; Prima est certitudo, & infallibilitas, seu inevitabilis necessitas: quàm enim quis nostrûm Homo est, tam mortalis est, & mortis necessitati subjacet: cò quod ex contrariis, inter se pugnantibus, ac mutuò sese corrumpentibus, consequenter compositum de se destruentibus, compositi & compacti sumus. Huc accedit pœna mortis cuique nostrûm propter peccatum debita, & decreta: *Morte morieris.* (3. Reg. 14. 44.)

Secunda incertitudo & fallibilitas mortis: de quâ Dominus crebrò admonet: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam: quia nescitis quâ hora Dominus vester venturus sit,* ad auferendam à te Animam tuam, & *villicationem tuam,* & reposcendam abs te rationem tuam. (Matth. 24. 42. Luc. 16. 2.) Accedit ad hæc: quia nec tempus, nec locus, neque genus mortis cuiquam certum est: omni enim tempore mori possumus, omni etiam loco, & genere mortis omni: quæ omnia experimento innumero comperta sunt.

Tertia conditio: quia velocissimè advenit: quàm citò effugit tempus, & cum tempore evolat vita nostra nobis, tam citò advolat mors nobis: Nihil enim est aliud nostrum vivere quàm continuum emori: sicut nihil est aliud Lucernæ ardere ac lucere, quam continuatum absumi, & disperire. Inde monitum nobis datur; *Mors non tardat.* (Eccl. 14. 12) Potest sisti motus cælorum, & cursus temporis: at vitæ nostræ excursus; & mortis accursus sisti non potest.

Quarta conditio mortis est: Incertitudo modi & sortis ejus: quis enim sibi potest polliceri se moriturum morte v.g. Iustorum? Morte sanctorum Dei, pretiosâ côram Deo! & non morte impiorum pessimâ? quis non salvasset Iudam, Apostolum videns? quis non perdidisset Latronem, latrocinantem cernens? Cadunt columnæ Cæli, & confringuntur: contra, quidam ex inferno inferiori eruuntur.

Quinta conditio mortis est: quia in hac solâ vitâ negotium mortis percurari, & transigi potest: ubi ad mortem venitur, janua clauditur: & dies mercatûs elabitur: nec licet emere quæ saluti æternæ serviant. Unde nobis dicitur: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* (Galat. 6. 10) Et iterum: *Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis.* (2. Cor. 6. 2)

Sexta & ultima mortis conditio est incorrigibilitas: in morte certè bis non datur errare: semel tantùm moriendum, semel experiendum, semel tractandum, & ultimò negotium mortis est: ideo ante mortem benè & seriò, & tempestivè præcogitandum, prævidendum, præexperiendum est, quomodo velim, quomodo debeam mori? In horâ mortis, mori discere, & non errare optare, ac sperare; grandis insania, periculosus valde saltus est.

4. Considera effectûs mortis. Primus est ablatio & ereptio omnium rerum quascunque habuit, amavitvé homo. Probat id experientia omnium hactenus mortuorum: affirmat & scriptura dicens; *Homo cum interierit non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.* (Psal. 48. 18) Neq; id mirû: imò impossibile aliter fieri: propterea, quia;

Secundus effectus mortis est, Hominem homini, id est, sibi ipsi eripere: quid nō eripiat ex rebus ejus mors homini, cùm ipsum hominem eripiat homini?

Tertius effectus mortis: reseratio, seu inchoatio Æternitatis, & quidem vel felicis ac beatæ, vel infelicis ac miseræ. Sicuti enim cursus vitæ nostræ præsentis, ratioque vivendi in præsenti, à nobis ducta, est quædam vel textura, vel ædificatio æternitatis, beatæ quidem Vitâ bonâ; Miseræ autem vitâ malâ; sic finis hujus Vitæ, clavis est Æternitatis, & reseratio vel hujus, vel illius. Vita benè usque ad finem ducta, seram & ostium Æternitatis infelicis non reserat: sed neque Vita mala, malè conclusa, januam æternitatis beatæ apta est, aut potest aperire.

Galat. 6. 10. 5. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Præmittamus vitam bonam, bonæ morti, beatæ æternitatis portam nobis aperturæ: error in morte, errorum error est: irremediabilis, incorrigibilis, indeflebilis error: abyssus errorum omnium miserabilium, sed maximè ex eo, quia æternorum. Omnes alii hujus vitæ errores, in hâc vitâ utcunque corrigi possunt. at error in morte error æternus est: ac ideo neque in hoc, neque in futuro seculo, corrigi potest. Hæc igitur cardinalis prudentia est; Per bonam, & sanctam vitam præsentem, venienti morti errorum omnium obserare januam.

PRAXIS.

Sive Oratio pro Vitâ bonâ, & sancta Morte.

DEUS, sub cujus nutibus vitæ nostræ præsentis momenta decurrunt: suscipe preces humiliter ad te clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, juxta sanctissimam Voluntatem tuam, in abundantia bonorum operum, auxiliante gratia tua semper decurramus: ejus verò decursum, sancto, & pleno, & tibi placito fine, per Filii tui, & Matris ejus, Electorumq; tuorum merita, & per misericordiam tuam concludamus.

EXERCITIUM II.

De vario, & de optimo genere Mortis.

1. Constitue te in statu moribundi, morientisque, saltem in proximo, & certo: tanquam ejus, qui responsum mortis acceperis tam à Deo, quàm à Medico, quàm ab Amico: quàm à te ipso, jam in naturæ viribus deficiente, morboque urgente.

2. Adverte, varia esse mortis genera. Est enim mors naturalis, seu corporis: cùm vitâ, seu Animâ privatur: & huic; tum ex naturâ nostra corruptibili, tum ex pœnâ peccato inflicta subjacemus. Et hæc mors, neque mala, neque bona est moraliter: naturæ tamen malum est. hæc enim appetit conservari in Esse, ista autem tollit esse.

3. Est mors Animæ, quæ & spiritualis vocatur: & hæc semper tantùm moralis. Nam Anima cùm sit purus Spiritus, immortalis est Physicè, & incorruptibilis naturâ suâ. At Morali morte Anima variè moritur. 1. Est enim Animæ nostræ Mors quædam optanda, & curanda: atque augenda, & defendenda in nobis à nobis; de cujusmodi morte Paulus intelligendus est; cùm ait; *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* (Coloss. 3. 3) Hac morte morimur in Baptismo: ubi in Christo morimur, imò & sepelimur, mundanis, & carnalibus desideriis, atque cōcupiscentiis: dæmonis quoque servituti & peccatorum tyrannidi. Hanc mortem Dominus Iesus vocat abnegationem sui: Perditionem animæ. *Qui (ait) vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.* (Matt. 16. 24) Et; *qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam.* (Ioan. 12. 25) Et; *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* (Ibidem.) Hæc mors etiam mortificatio ab Apostolo vocatur: *Mortificate (ait) membra vestra, quæ sunt super terram.* (Coloss. 3. 5) Et; *si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, si autem secundùm carnem vixeritis, moriemini.* (Rom. 8. 13) Et; *Mortificationem IESV Christi in corpore vestro circumferentes.* (2. Cor. 4. 10) Insuper hæc mors vocatur Crucifixio, Crucis bajulatio: hinc dicit Paulus *Christo confixus sum Cruci.* (Galat. 2. 19) Et; *mihi mundus crucifixus & ego mundo.* (Et 6. 14.) Et Dominus; *Qui non venit post me, & non bajulat crucem suam, non est me dignus.* (Luc. 14. 27) 2. Alia mors Animæ nostræ est mala, formidanda, cavenda omni studio, & diligentiâ. Hæc est mors peccati: de quâ dictum; *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* (Ezech. 18. 20) Omne enim peccatum mortale, animam occidit, pellens ab eâ spiritum Vitæ: gratiam scilicet Dei, & ipsum Deum: & reddit Animam cadaver spirituale, tot mortibus necatū, quot peccatis mortalibus gravatum; reddit odiosam Deo Animam sive hominem. *Odio enim est Deo impius, & impietas ejus.* (Sap. 14. 9.)

3. Est

3. Est prӕterea mors, alia partialis, ut quando Homo tantùm secundùm partem sui aliquam moritur, v. g. tantùm corpore, aut tantùm Animâ: & alia est mors totalis, ut quando totus homo, tam scilicet corpore, quàm Animâ moritur: quod fit, cùm quis in statu peccati mortalis existens quoad Animam, moritur etiam corpore: talem enim mortem excipit;

4. Alia mors omni morte pejor, mors secunda, mors ӕterna. Mors perpetuӕ damnationis: de quâ morte dictum, *mors peccatorum pessima.* *Psal. 33. 22.*

5. Huic morti opponitur Mors illa, de quâ David: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus:* & Joannes; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos.* *Psal. 115. 15.* *Apoc. 14. 13.* Hӕc mors Justorum est: qui in gratiâ Dei hâc ex vitâ recedunt: hi vitam meliorem, quia beatam, quia ӕternam ingrediuntur, & possident, per mortem.

6. Hӕc mors justorum, habet tres gradus seu classes morientium. 1. Quidam enim justi moriuntur in solo statu, sive habitu Gratiӕ, atque Charitatis Dei: quod quidem Bonum est, & necessarium, atque mortis bonӕ, & justorum omnino substantiale: saltem enim tali morte debent mori, qui bonâ morte volunt mori. 2. Quidam moriuntur in actuali Charitate Dei, sive in actuali exercitio actûs charitatis in Deum super omnia dilectû. Quia actus Charitatis Dei, ita quandoq; perfectus, & excellens est; (curandum est morienti ut sit:) ut cum qualibet peccandi voluntate (etiam venialiter) habeat quandam incópossibilitatem. Cùm quali Amoris in Deum actu mori paucorum justorum est. Est enim ferè tantùm purgatissimarum, atque tali actui amoris benè insuefactarum Animarum.

3. Quidam denique moriuntur non solùm in Charitate habituali, aut actuali: sed etiam à Charitate, atque ex Charitate amoreque actuali: ita ut moriantur quasi à vulnere excessivӕ Charitatis, vehementiâque amoris affectivi in Deum: de quali amore Sponsa dixit: *Vulnerata Charitate ego sum.* & illud: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo:* & Psalmista David: *Defecit caro mea, & cor meum in Deum vivum:* *Cant. 2. 5.* *Cant. 8. 6.* *Psal. 72. 26.* neque id mirum, cùm *fortis sit ut mors,* atque etiam morte fortior *dilectio.* Hujusmodi mortuis auctarium insigne est, evolare ex hac vitâ, rectâ, in Cӕlum, sine sensu purgatorii. Atq; hӕc etiam mors paucorum est: Nisi quia Domini manus non est abbreviata, ac nostris modulis minimè mensuranda.

7. Adhunc tamen modum, seu gradum mortis adspirandum est omnibus Perfectionis ac Sanctitatis studium professis: quodsi ad eum minus pertingant: ad secundum saltem curent pertingere: ut scilicet moriantur in actuali Charitate Dei sui: & quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, sic illi desiderent ad Deum: sitiatque Anima eorum ad Deum fontem vivum: *O quando veniam: & apparebo!* *Psal. 41.*

8. Sicut enim Professores Perfectionis, non decet vitam agere tantùm in Charitate habituali, cùm id omnino omnibus incumbat: quibuscunque denunciatum est; *Si vis ad vitam ingredi serva mandata;* *Matt. 19. 17.* Verùm incumbit eis vivere in magnâ Charitate, in magnis, multis, assiduisque meritis, & semper actibus Charitatis, vel à Charitate ardenti imperatis fervere; amoremque Dei in se magis ac magis, continuo, quoad licet, exercitio succendere; ita etiam non debet esse illis satis, mori in Charitate habituali: sed curare debent, ut in actuali, eaque fervente excedant: & ab articulo mortis inveniantur, rapianturque, & prӕoccupentur: ut si fieri potest, cum Amoris actum, in quo ultimo à morte inventi sunt, vivi, non finiant in hac, & cum hac vitâ: sed continuent, deferantque illum in alteram, eumque inibi perficiant pro ӕternitate, & per ӕternitatem.

PRAXIS.

DEUS, sub cujus nutibus Vitӕ nostrӕ prӕsentis momenta decurrunt: suscipe preces ad te humiliter clamantium; ut hanc quidem mortalem vitam omnem, secundum voluntatis tuӕ sanctissimӕ beneplacitum, semper in abundantiâ bonorum operum, auxiliante Gratiâ tuâ decurramus: ejus verò decursum, sancto, pleno, ac tibi placito fine, per Unigeniti tui, & Matris ejus, Electorumque omnium merita, & per misericordiam tuam concludamus.

EXERCITIUM III.

De Mortis bonӕ desiderio frequentando.

1. CONstitue te in statu moribundi, & tanquam in proximo morituri: & simul in affectu illius, qui gemebat, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multum incola fuit anima mea:* *Ps. 119. 5.* & illius qui anhela-

bat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Phil. 1. 23.

2. Mortem bonam desiderant omnes, etiam ille, eique similes, qui dicebat: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* sed hoc desiderium passim est in hominibus sterile, & inefficax: quia ad consecutionem desideratæ mortis bonæ, media apta non adhibent. Non enim diligunt, neque exercent vitam bonam: quæ tamen est unicum, & omnino necessarium huic fini assequendo medium.

Num. 23. 10.

3. Sunt verò alii, qui ita Mortem bonam exoptant; ut simul vitam bonam strenuè consectentur; & ea quæ sunt morti bonæ consequendæ idonea, avidè, & providè conquirant: iidem tamen mortem ipsam, & nomen, mentionemque, ac memoriam mortis abhorrent, cõtristantur, aut etiam indignantur, illato de morte vel uno verbo. Hi sunt similes illis, qui navigant mare, & licet pericula ejus patiantur pænè quotidiana: portum tamen, & excensum refugiunt.

4. His talibus prætermissis, in persuasis, atque certis habendum est: Esse quãdam, nec mediocrem perfectionem, cupere mori; fuitque hic affectus Sanctis ferè omnibus usitatus: & est signum impensè Deum amantis Animæ, Velle mori: cupere dissolvi, desiderare liberationem è carcere, seu corpore mortis hujus: sicut è contrà redolet Animam affixam corpori, aut mundo: aut saltem ipsi præsenti Vitæ: nec satis pericula ejus sentientem quotidiana, plus æquo horrere mortem: vitamque hanc amare: neque cupere aut evolare in libertatem filiorum Dei, educi de custodiâ hac multis compedibus Animam vinciente, quin & multis sordibus inquinante, aut ad fruitionem Sanctissimæ Trinitatis quàm primũ, finaliter & beatificè pervenire.

5. Sit etiam persuasum atque certum: cupere dissolvi, & esse cum Christo: esse unum ex singularibus mediis, præparationibusque ad mortem, redolereque optabilem salutis æternæ securitatem: quã Deus indulget iis, qui ei fideliter, & naviter servire, eique placere, ac secundùm Cor ejus Divinum esse semper studuerunt. Ejusmodi est illa indulgentissima invitatio Divina ad Animam; *Surge, propera Amica mea: columba mea, formosa mea, & veni:* & iterum; *Surge amica mea, speciosa mea, & veni:* & rursus; *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni.* Quidni ergo desideret, festinet, anhelet Anima: ad ita blandè, instanterque invitantem, & evocantem Deum?

Cant. 4. 10.

A

6. Assuescendum ergo est talibus desideriis, & impensè quidem: quam ad assuetudinem, proderit expendere, atque usurpare familiariter sequentia motiva desideriorum talium.

1. Opto mori: quia mortalis sum naturâ mea: & Dei creatoris mei sic factus sum Voluntate, fiat ergo Voluntas ejus.

2. Opto mori in testimonium, & protestationem, tum supremæ potestatis, dominiique in me Divini: tum totalis meæ, rerumque etiam omnium, & singularum, à Deo dependentiæ: tum fragilitatis, vilitatis, corruptibilitatisque meæ: pulvis enim sum, & in pulverem reverti me necessum est. Sicuti ergo vitam vivendo, professus sum Deum authorem dominumque Vitæ: sic mortem obeundo, confitebor Deum esse arbitrum definitoremque mortis meæ.

B

3. Opto mori: ut primi originalis peccati pœnam, etiam mihi ab justo Deo meritò inflictam, exolvam morte, tandemque illud finaliter expiem: deletum quidem illud est in Sacro Baptismate: pœna tamen mortis luenda remansit.

4. Opto mori: ut ex statu peccabilitatis, funditus emergam: transeamque in eum statum in quo peccare ampliùs non possim, neque per malitiam, neque per infirmitatem, neque per subreptionem. Et sim extra periculum omne, violandi, vel in minimo, Dignitatem, Majestatem, Sãctitatem, Bonitatem, Charitatem, Voluntatemque Dei mei, excidendique à Gratiâ ejus: sed sim securus de Amore, & Amicitiâ ejus in æternum. Nihil enim amantes Deum Animas gravat justiùs, aut ampliùs, in hoc mortali corpore, quàm quod, dum in eo degunt, Deum in omni momento offendere possint: & interdum, saltem ex obreptione offendant: ab ejus Amore vel excidant, vel tepescant, vel cessent, ob quod incommodum, periculumque perpetuum, meritò fastiditur hæc vitâ, & anhelatur ad aliam: Non impatientiâ molestiarum, & ærumnarum, sed metu impotentis ad peccatum potentiæ, & desiderio perfectissimè, continuèque amandi Deum, in statu alterius vitæ: & illi tanquam summo, & ultimo bono æternaliter inhærendi.

C

D

5. Opto mori: ut meâ morte, mortem Jesu Christi, Domini mei, quâ me ille ab æternâ morte redemit, honorem, imiter, eique mortuo, & ipse mortuus assimiler. Sicut enim maxima Domini nostri dignatio in eo fuit, quia sese usque ad mortui statum demisit: ita maximè à nobis mors

bis mors ejus honoranda est. Magis autem honorari non potest, quàm mortem vicissim pro illo, mortisque illius honore, ac imitatione subeundo.

6. Opto mori: ut sequar exemplum Pretiosissimæ Dei Matris MARIÆ, Dominæ meæ: quæ carens alioqui moriendi debito, mori tamen voluit & ipsa: ut suâ morte mortem Filii sui honoraret; quare sicut illâ suâ morte mortem Filii sui honoravit, sic & à nobis decet mortem ipsius honorari morte nostrâ.

7. Opto mori: & anhelosissimo quidem desiderio opto: ut per mortem meam, sive in articulo ejus, omnes Dei mei Voluntates, omnia IESU Christi desideria, atque intenta, circa me, impleantur absolutissimè: & ultimatè in me, & morte tanquam sigillo consignentur.

8. Opto mori: ut quàm primum, definitus mihi à Deo, propter IESU Christi Merita, gratiarum, & donorum gradus, in me ex iisdem Christi Redemptoris mei meritis adimpleatur, consummeturque. Maximè, cùm fiat sæpe, ut Deus, in ipso transitu, & articulo mortis, impleat in Sanctorum suorum Animabus, ea omnia, quæ brevi vitæ usu, mortisque ad præparatione, præfinitæ illorum consummationi defuerunt: sicq; in illo brevi puncto, expleantur in eis, & ab eis, tempora multa.

9. Opto mori: ut ultimi & summi finis, bonique assecutio suprema, ac ultimata, quam à Creaturâ suâ, & habere potest, & intendit Deus etiam in me, & à me, initium executionemque habere tandem incipiat. Et hæc non est alia, nisi beatifica Dei exaltatio, glorificatio, possessio, fruitio.

10. Opto mori: ut per mortem meam, augeam, & exequar mercedem Christo à Patre ex Iustitiâ debitam: quæ finaliter consistit in Glorificatione Patris, per beatificationem æternam à se Redemptorum.

11. Opto mori: ut practicè, ac reipsâ subjiciam me juri, quod Dominus meus IESUS, ex naturâ, & ex merito habet, in omnes vivos mortuosque, in omnes ad judicium ejus morte devenientes.

12. Opto mori: ut etiam subdam me juri Pretiosissimæ Dei Matris: quod illa habet sibi à Filio concessum, in ultimum Agonem, in Mortis instans, omnium quidem, at specialiter in suorum amatorum & clientum:

13. Opto mori: ut primo quoque tēpore, salvo tamen per omnia gustu Voluntatis Dei, per actum, & medium mortis, voluntariè deliberatè à me acceptatum, (esto aliàs naturâ mihi debitum) ultimatè, & completè, Deo me subjiciam, Deo obediam, ad Deum perveniam, Deum adorem, Deum assequar, videam, cōfitear, possideam, teneam, fruar: ut item moriens, complete id quod Deo placuerit merear: merendique spatium moriendo concludam. Morte enim obitâ, jam non licebit crescere, aut proficere.

14. Opto mori: ex desiderio, quàm primùm accedendi ad Sanctos, eosque videndi: tum Pretiosissimam Dei Matrem: Verbi quoque Incarnati Sacratissimam Humanitatem: præ omnibus autem Uni Trinam Beatissimi Dei Essentiam; ut mediante morte meâ, tandem tandem, Deo æternaliter, ac beatificè conjungar, in gloriâ consummatâ: ejusque Sanctorum Societate potiar in æternum.

PRAXIS.

Vel fiat ex positis optationibus: vel ex Psalmo Davidis 141. ad hoc propositū valde apto.

Voce meâ ad Dominum clamavi: Voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

2. *Effundo in conspectu ejus Orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.*
3. *In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognovisti semitas meas.*
4. *Considerabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognosceret me.*
5. *Periit fuga à me: & non est qui requirat Animam meam.*
6. *Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium.*
7. *Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me.*
8. *Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi donec retribuas mihi.*

EXERCITIUM IV.

De Morte malorum, justorum, perfectorum.

1. CONstitue te vel in conspectu, vel in statu moribundi: cui dictum sit à DEO; *Dispone domui tuæ: quia morieris tu, & non vives.* (*Isaiæ 38. 1.*)

2. Hæc denuntiatio quibus fiat, solet

esse, vel mali ac impii, vel justi ac boni: vel Sancti ac perfecti; quorum in classe an tu sis? futurus sis? aut esse velis? jam vide.

3. De morte malorum graphicè dictũ est à Spiritu Sancto. *Mors peccatorum pessima.* Et; *O Mors, quàm amara est memoria tua, homini.* Pessima & amarissima est mors impii, tam ante mortem, quàm in morte, quàm post mortem.

1. Ante mortem: ob corporis ægri dolores, impatientias, querimonias, etiam de Deo ipso: quasi authore iniquo, & importuno, ejus infirmitatum. Ob Animi angores, tædia in & ex doloribus: mærores ex amissione omnium mundi bonorum jam jam ingruente: timores ex mortis, & mortem sequentium malorum adventu, non dubio; ob scelerum certam conscientiam, multitudinem, enormitatem, nec non ob dæmonum præsentiam ad extrema urgentium, & rapere ad suam societatem paratorum, uti leonum rugientium paratorum ad escam.

2. In morte etiam mors peccatorum pessima. Videt enim infelix peccator, suprà se quidem cælum æneum, inexorabile: Iudicẽ Deum iratum: Sanctos elongatos, imò infensos. Intrà se conscientiam accusatricem, testem, convictricem. Circa se dæmonum horribilium catervas clamantium: *Euge, Euge: devoravimus eum.* Intrà se, os inferni apertum, & ardores sempiternos, jam paratos, & ascendentes, & in desperationem præcipitantes.

3. Post mortem verò, tum demũ mors peccatorum pessima. Omnia bona Fortunæ in rapinam abeunt: & sæpe ad non suos, sed ad alienos, ad hostes, ad ingratos. Bona corporis ab animâ deserti, nulla remanent: succedit horror, fætor, putor, vermium scaturigo, nausea, & abominatio. Animæ bona, si quæ inveniuntur, ea sunt pauca, imperfecta, manca, infecta, ingrata, mortua, & denique jam hac in vitâ, suâ mercede satis compensata: vitæ, & mercedi æternæ non idonea: porrò mala opera interna & externa, ex omni parte infinita, exosissima, jam Deo judice recognita, & damnationi æternæ addicta: ipsa demum Anima, juri, & unguibus dæmonum, æternisque suppliciis tradita per sententiam; *Discedite à me maledicti.*

4. Hæc mors; numquid placet tibi? eritnè tua huic similis? facisnè, & quomodo facis, ne sit similis? & quando facies, aut facere incipies, ut sit planè dissimilis? ô, quamdiu cras, cras: quare non modò, quare non statim, finis turpitudinis, & impietatis? Ah, quàm nihili, quã vana, quàm fæda, quàm scelesta, quam nulla sunt, quæ te impediunt, à pænitente, & emendatâ vitâ, quæ te detinent in scelestâ, & impænitente vivendi ratione? Deusne deest, aut ejus gratiâ? an tu tibi potiùs, qui Deum, & ejus gratiam negligis, contemnis, abjicis; Et quamdiu sic desipies? Vitamque in melius non mutabis, mortemque meliorem, dum vita super est, tibi non providebis?

4. Mors justorum, per omnia opponitur isti perditorum exitui: de illâ dicit Spiritus Sanctus; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sperant enim Justi in morte suâ;

1. Est enim Justus beatus ante mortem suam: beatus quoad Corpus; quia etsi dolet, & morbos sentit, sensum tamen illum dolorum æquanimiter sustinet, & Deum in eis laudat, nec stultum quid contra Dominum loquitur: unit dolores suos Christi doloribus: offert illos pro suarum noxarum expiatione: condit illos amore Dei, & resignatione plenâ in sanctissimam Dei Voluntatem: facitque ex eis sibi messem meritorum, & exsolvit purgatorium per eos, sive suum, sive Animarum aliarum.

2. Beatus quoque justus ante mortem suam: quoad Animam: quietus enim & etiam gaudens mortem excipit: plenus quiete, pace, solatio, spe: quin & desiderio status melioris, brevi sibi adventuri. Non eum terret conscientia mala, quam pacatam habet, ob pænitentiæ, & virtutum, & alia bona opera. Non dolet de amissione, aut relictione bonorum temporalium: quæ non amavit, & pridem animo dereliquit: rectè iis usus est: & libenter expedit se ab eis tanquam periculosè habitis. Solatur illum, rectè factorum conscientia: non solum emundata: sed etiam ornata, & ditata: ait cum Paulo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi Corona Iustitiæ:* ait & cum Davide; *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* & cum Aug: *Domine feci quod jussisti: da quod promisisti.*

3. Beatus etiam justus in morte. Nam supra se videt placatum Iudicem: bono animo esse jubentem, benignè ad se advocantem. Circa se videt Coronam Sanctorum: Dei Matrem, SS. Angelos, & Patronos: Intra se habet conscientiam mundatam, quietam: sub se infernum conclu-

conclusum, & dæmones procul repulsos, confusosque. Denique excipit sententiam salutis æternæ: & exit de corpore securus Vitæ beatæ.

4. Beatus verò maximè justus post mortem: quia vel triumphans statim in Cælum ducitur, lumine gloriæ, & visione Dei beandus, aut jam reipsâ beatus; vel si ad Purgatorium ei divertendum est; hoc ipsum est ei cum certitudine, & securitate salutis æternæ: & interim est in Dei Charitate: amatque justitiæ ejus satisfieri in se: & aptari se, emundarique, dignè conspectu, & fruitione Dei.

5. Age Homo: nonnè mori justorum morte desiderabile est? Inspice conscientiam tuam præsentem: eritnè mors tua mors justorum? Si addubitas, si formidas: non tu insanis qui hoc negotium tibi dubium esse, volens facis? quam dabis Deo, quam ipsi tibi obtrudes excusationem: sciens tantas te habuisse, & habere opportunitates, gratias auxiliantes, exstimulationes, exempla? Numquid vides, quas in angustias, & anxietates animam tuam deduxerit, deducatque negligentia, tepiditasque vivendi, dilatio emendandi, & in servitio viàque Dei servendi?

Ap. 14. 13

5. Jam de morte justorum, perfectorum ac Sanctorum dicit Spiritus Sanctus; *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Et cur Pretiosa? utique quia admodum cara, admodum rara, admodum Cor Dei lætificans, cælos ornans, beatos omnes exhilarans: pretiosis, atque insignibus gloriæ tam substantialis, quam accidentalis dotibus Animam Sanctam cumulans, & toti Cælo pretiosam reddens, Utramque Ecclesiam Dei, tam Triumphantem, quàm militantem excellenter ædificans, & perficiens. 1. Hæc pretiosa mors: habet omnia bona mortis justorum, sed excellentiùs & copiosiùs, tantò, quantò Sancti per eam morientes, & ipsi excellentiores in vitâ suâ fuerunt, & in suâ morte sunt. Quantùm igitur egregiè Sanctorum vita & mores superant vitam & mores justorum (ut sic dicam) plebeiorum, atque vulgarium, qualium ordinariè plena sunt domicilia Religiosorum: tantùm etiam egregiè Sanctorum, ac Perfectorum mors, superare solet mortem vulgarium, ac de plebe justorum. Et quia talis est conditio statûs Religiosi, attentis eis, quibus supra modum abundat commoditatibus, & auxiliis ad vivendum ex omni parte quàm Sanctissimè, atque perfectissimè; ita ut tantùm vulgariter justum esse, ac justè vivere in Religione, non tantùm laus magna non sit, sed ferme reprehensibile sit; sic etiam attentis iisdem Vitæ Religiosæ, tàm plurimis, quàm singularissimis, efficacissimisque mediis, & subsidiis, mori in Religione morte justorum vulgarium, adeo vulgare, plebeiumque est; ut propemodum, sic emori, Religiosis probrosum sit: necesse autem sit atque obligatorium iis, tam vivere quàm mori, vitâ & morte Sanctorum, vitâ & morte Perfectorum, vitâ & morte pretiosâ in conspectu Domini.

2. Tim. 4.

Ps. 121.

2. Nescit certè homo; (& loquimur de Religiosi statûs homine;) Nescit (inquã) religiosus homo; quæ sit spes vocationis suæ, coram Deo, quâ ad Religionem vocatus est, quisquis putat satis facere se obligationi, & spei vocationis suæ, si tantùm curet de plebe justorum esse: & quasi unum de vulgo justum mori. Hæc vocatio, hæc justorum vita, & mors, omnium prorsus Christianorum est: ad quam, religiosæ vocationis gratiis, & sumptibus, Deo minimè opus est. Ergo ubi abundat Dei gratia, (quomodo reverà abundat, & plusquam abundat Vocationis Religiosæ gratia) ibi etiam abundare omnino debet tàm Vita Religiosorum Sanctitate excellens, quàm mors eorundem in conspectu Domini pretiosa.

3. Hìc verò iam quæritur, inter Perfectionis & Sanctitatis professores, sectatoresque (Religiosos,) ut fidelis quis inveniatur: ut hoc revera sit opere, quod est statûs professione: ut expleat spem vocationis suæ, per exæquationem professionis suæ: ut per quinque Domini talenta superlucretur alia quinque. ut unica *Domini Mna, in eo decem Mnas acquirat*; ut demum dignus sit à Domino audire; *Euge serve bone: esto potestatem habens super decem Civitates.* Hæc utique est pretiosa in conspectu Domini Mors Sanctorum eius.

Luc: 19. 17

4. Ad quam, quid tibi deest, ô Homo Dei: si tu ipse tibi non dees? & numquid curas ne desis? & : ah! quàm parvæ res, quàm magnas impediunt? Viri gloriosi: qui omnia Mundi, Carnis, Diaboli, vincula ruperunt, promissa spreverunt, res & spes conculcaverunt: propter singulare scilicet, excellensque obsequium Dei: unam negligentiam, tepiditatemque, unam dilationem & procrastinationem, unum timorem, seu respectum humanum, unam consuetudinem, affectionemvè, pervincere, non possunt, non audent, nolunt: ut Deo magis placeant quã homi-

hominibus, ut Deo potiùs secundùm Cor & gustum sint quam sibi: ut Deo ampliùs pretiosi in vóta & morte sint, quam despecti, & ridiculi, illusique diabolo, & in vitâ ignavâ atque tepidâ, & in morte anxiâ atque trepidâ.

Ergo quicunque desideramus pretiosam mortem nostram esse in conspectu Domini; amemus, curemus, vivamus vitam eximie sanctam, perfectam, consummatamque in obsequio Domini.

PRAXIS.

DEVS, sub cujus nutibus vitæ nostræ præsentis Momenta decurrunt, suscipe preces humiliter ad te clamantium; ut hanc quidem mortalem Vitam omnem, secundùm Sanctissimæ Voluntatis tuæ beneplacitum, in abundantiâ bonorum operum, adjuvante Gratiâ tuâ semper decurramus: ejus verò decursum, sancto, pleno, pretioso, ac tibi placito fine, per Filii tui, & Matris eius, & Electorum omnium merita, & per misericordiam tuam, concludamus.

EXERCITIUM V.

De Præparationibus ad Sanctam Mortem.

1. COnstitue te in statu moribundi: inque vicino mortem habentis: & quasi tibi dictum sit ab Apostolo; *omnium finis appropinquavit: estote itaque prudentes, & vigilate:* & ab alio; *Confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit;* da seriam operam, ut monitis eorum obsequaris: & juxta monitum Prophetæ: *quoniam finis venit, venit finis:* fac conclusionem.

1. Pet: 4. 7
Iac: 5. 8.
Ezech: 7. 2. 6.

2. Conclusionem facere, ut arbitror, est; sese ad venientem Vitæ finem, hoc est, ad mortem disponere, atque præparare, ne nos imparatos seu mors, seu in morte Dominus reperiat: âtque tanquâ servi nequam, adventum Domini, nec scientis, nec sperantis; partem nostram cum hypocritis ponat.

3. Collige, & selige tibi juxtà statûs tui exigentiam, conclusionis, seu dispositionis, præparationisque tuæ ad mortem praxes: quas exercendo, & frequenter, & diligenter, & constanter, inveniaris, (juxta Domini nostri monitum) idoneus atque dignus stare coram Filio Hominis judicaturo, vel judicante.

4. Suppono, ac proinde & sepono hîc, conclusiones, dispositionesque, alterius generis, puta civilis prudentiæ ac moris, justitialis quoque obligationis: ut est Testamentum condere, debita creditoribus, mercedem operariis, stipendia familiæ, aliena suis Dominis, pia legata in Animæ subsidium, cæteraque usitata ac necessaria ordinare: quæ proposito meo præsenti non serviunt ad tractandum.

5. Conclusiones præparationesque mei propositi præsentis sunt spirituales: interiùs Animam morituri, ad mortem bonam atque sanctam dispositura: si fuerint practicatæ, & mature, usu, & exercitio frequenti, faciles, familiares, connaturalesque redditæ.

1. Prima præparatio, Assuefacere mentem suam, longo, & crebro usu, ad mortem futuram memorandam, amandam, ruminandam, desiderandam, imaginandam. Non quasi aliquid malum & triste, sed tanquam malorum remedium ac finem, portam verò & reserationem bonorum, & quidem æternorum. Non est ferenda puerilis illa, & verè insipida quorundam à mortis mentione, vel cogitatione abhorrescentia: horreant mortem gentiles, infideles, Dei hostes, peccatis infixi, carnales, avari, odium Dei & horrorem futuri seculi propter vehementem ad præsentis vitæ bona adglutinationem habentes: at justi, amici Dei, operibus bonis, & sanctis dediti, facientes Dei voluntatem ex animo, placendi Deo studium, & exercitium, pulchritudinisque internæ æmulationem habentes, ut quid isti mortem horreant? Impiorum mors, meritò ab impiis horretur: est enim ostium illis ad omnem calamitatem, & præcipitium in æternam perditionem. At piorum mors, transitus & transmigratio, est de miseriis ad felicitatem, de periculis ad securitatem, de exilio ad Patriam, de mortalitate ad immortalitatem, de mundo ad cælum, de lachrymarum valle ad beatitudinis regnum, denique à se ad Deum.

2. Procurare omni ratione, diligentiâque conscientiæ & animæ munditiem, dabit fuga omnis peccati obfirmata: etiam tantùm venialis, deliberati tamen, ac voluntarii, ac frequentati: cujus labes in Animâ nullomodo toleretur ex amore munditiei. Sic enim consequetur illud promissum Spiritûs Sancti; *Qui diligit Cordis munditiem, habebit amicum Regem.* Ornatum conscientiæ, dabit Exercitatio Virtutum, & operum eximiorum copia, meritorum quoque Christi Domini communicatio. Divitias verò

Prov: 22. 11.

animæ

animæ dabit Gratæ Dei sanctificantis abundantia. Ad ista autem omnia, & singula, copiosè, facilè, certò conquirenda, & abundanter cumulanda, suprà modum adjuvabit;

3. Præparatio, quæ est; uti crebrò, accuratè, & dignè Sacramentis, tàm Pænitentiæ, quàm Eucharistiæ, quorum etsi primū præcipuè sanat vulnera, & emundat ab inquinamentis conscientiam; posterius ditat, dotat, & saginat Animam divitiis gratiæ, donisque spiritualibus; si tamen utrumque ritè obeatur, & frequentetur; & prius Sacramentum Animam emundando locupletat: & posterius eandem ditando clarificat & emundat: & coram Divinis oculis pulchrescere admodum facit. Si Christi fideles vellent, uti certe possent, agnoscere & æstimare, quàm multa, quàm salutaria, quàm certâ efficaciaque, quàm expedita, & facilia habeant exposita, in horum duorum Sacramentorum frequenti usu bona; non procrastinarent certe, in menses, aut annos differendo usum eorum: sed more veterum, ac primorum Christianorum, in quibus & fides vivebat, & Charitas fervebat, quotidie hisce Sanctissimis Sacramentis uterentur: sed nunc admirandâ nimium, & execrandâ diaboli fraude; homines Christiani, ita finunt, & amant se deludi; ut ex omnibus Christianæ fidei ac pietatis officiis, animarumque suarum auxiliis, nullum minùs curent, nullum minùs æstiment, nullum minùs frequentent, quàm istorum duorū Sacramentorum usum. Et hoc faciunt illi Christiani, qui vel maximè, ex statu animarum suarum, & ex modo vivendi suo, si se vel modicè expendunt, indigent omnino, crebro, ne dicam quotidiano, & insuper repetito, Sacramenti pænitentiæ usu, ac remedio, & lavacro. Quotidie enim peccant, & multa, & gravia, & varia: quorum remedium, Sacramento pœnitentiæ, nullum certius, nullum efficacius, nullum expeditius: & tamen isti malunt sordescere, & tanquam jumenta putrescere in stercoribus iniquitatum suarum, vivaque animarum suarum cadavera, atque dæmonum mancipia, in massis corporum ignavorum circumferre: quā per Saaramentum Pænitentiæ, in lavacro Pretiosissimi Sanguinis Christi ablui, atq; vivificari: & contra quotidianas suas infirmitates, quotidiano pænitētiæ pharmaco sanari & confirmari. Tu quisquis sapis Christiane, facies tibi familiarem, & per hoc simul facilem, efficacemque Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usum: & tuo proprio felici experimento disces, percipiesque, tum munditiem, tum ornatum, tum opulentiam admirabilem, conscientiæ tuæ: multumque egregiam, ac solatii solidi plenissimam dispositionem pro extremo Agone Mortis tuæ.

4. Præparatio: Inducere in Animam, frequentatione multâ, usum & praxim contritionis de peccatis. Contritionis dico, quàm formatissimæ, plenissimæ, & quantum fieri potest exaggeratissimæ, atque cordialissimæ. Hujus exercitationis magnus erit usus sub articulum mortis: quando finaliter cordiali, & cordialiter finali, maximè opus erit omnium peccatorum abolitione. Eam contritionem opus est curare talem fieri, quâ aboleantur ex Anima omnes culpæ, non solùm quoad reatum peccatorum, sed etiam quoad reatum debitumque pœnarum, & in hac & in futurâ vitâ debitarum. Eandem cōtritionem opus est esse talem; ut quantum ex homine est (nam Gratiâ Dei volenti non deest) fit ex vi ejus incompossibilitas quædam in mente cum peccato quovis: avellaturque à peccato quocunque omnis affectus, omnis etiam propensio, ac inclinatio voluntatis ad peccatum: & fiat in animâ, quasi quædam impossibilitas peccandi, cum sic, & in sic aversâ mente, voluntateque à peccato. Hæc impossibilia non sunt cum Dei auxilio: & quamvis diuturna in Animo pro statu hujus vitæ esse non possunt; interdum tamen esse possunt: & ita animā constituere; ut inveniatur coram Deo, sine omni obligatione tam culpæ, quàm pænæ: in quo statu si mori hominem contingat, purgatorio non gustato, abibit rectâ, ad fruendum Deo, in Cælum. Ad hoc verò consequendum, plurimum facit frequens Contritionis exercitatio, & in usum facile deductio, cum Divinâ gratiâ.

5. Præparatio: Insuefacere quoque Animam actibus Virtutum præcipuarum, tam externis, quàm (præcipuè) internis: tum ut Anima talibus actibus, & per hos roboratis habitibus, & ornetur, & ditetur, coram Deo: tum ut eadem Anima in mortis conflictu, dum corporis vires sensusque concident, ipsa tamen, actus virtutum facilè sola elicere, seque contra tentationes tueri, & ad Deum surrigere possit, præterito usu facilitatem præbente. Adsuescat ergo Homo dum sanus est, actibus, FIdei firmæ: à certitudine, dubiis aut dubiorum umbris dimoveri, vel

ad mo-

ad momentum nesciente: non discutiente sensu & ratiunculis quibuscunque articulos fidei ullos; sed revelationi Dei qui nec fallit, nec fallitur; propositioni Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis; inhæreat: tanquam inviolabili, & omnibus inferni portis solidiori Petræ. Adsuescat etiam exercitio spei & fiduciæ in Deum, in ejus Misericordiam, & gratiam, & auxilium, & merita Christi Redemptoris: ut sit in hâc fiduciâ, *sicut Mons Sion*: & solidâ cordis voce dicat cum Paulo: *Scio cui credidi*: & cũ Davide: *In te Domine speravi: non confundar in æternum.* [1. Tim. 1. 12] [Ps. 30. 2.] Adsuescat vel maxime Actibus Charitatis Dei ardentibus, & super omnia Deum æstimantibus, appretiantibus, desiderantibus. Item Dei timori casto, filiali, sponsali, reverentiali: ut & speret in bonitate ac miseratione: & vereatur Iustitiam ac Majestatem: sic speret ut non præsumat: sic timeat, ut non desperet. Præterea adsuescat Humilitati: & sese fundet in cognitione sui nihili, suæ quoad omnia paupertatis, nuditatis, indignitatis, immunditiei, iniquitatis, si absit misericordia Dei, & Gratia Redéptoris Christi: quæ nisi qualiacunque hominis merita, vel opera, sublimet, ac dignificet; omnia sunt *quasi pannus menstruatæ.* [Is. 64. 6] Adsuescat Resignationi plenissimæ in omnem Dei Voluntatem bonam, beneplacentem, & perfectam, & omnia meliora homini providentem. Adsuescat etiam speciali curâ & affectu illis actibus; quibus Prima Veritas Iesus, peculiares & maximè expetibiles moribundis assignavit adpromisitque remunerationes. Ejusmodi Actus sunt: 1. Condonatio injuriarum nobis ab aliis irrogatarum: de quo actu sic Dominus: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum* (in vos;) *dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra.* [Matt. 6. 14] 2. Fuga judicandi & censurandi alios: de quo actu ait Dominus; *Nolite judicare: & non judicabimini* [Mat. 7. 1.] 3. Fuga condemnationis alienorum factorum: ait enim Dominus. *Nolite condemnare & non condemnabimini.* 4. Beneficentia in malefactores: de quâ ita Dominus: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: Orate pro persequentibus & calumniantibus vos: & erit merces vestra multa: & eritis filii Altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos.* [Matt. 5. 44] Hæc Dominus. Et quis Morientium non velit ejusmodi gaudere in morte suâ privilegiis? Viventes ergo hisce Actibus insuescamus: ut eorum mercede in morte potiamur.

6. Præparatio: Postulare à Deo do- A num, gratiamque finalis in bono, & gratiæ statu perseverantiæ, quod Donum purè Donum est, & in meritum non cadit: proinde cum magnâ sui diffidentiâ emendicari à Deo debet frequentissimè. Ex aliâ tamen parte, cùm Perseverantia sit etiam Virtus; constans, & frequens eius propositum, desiderium, exercitiumque illius habendum est. Optimus Perseverandi modus in Gratiâ, in Charitate, in bonis operibus, in sanctitatis, & perfectionis, & boni statûs studio, ille Sancti Pauli; *Renovamini Spiritu mentis vestræ*: & ; *Æmulamini Charismata meliora*: & [Eph. 4. 23.] [1. Cor. 12. 31] ille Augustini; B *Semper adde, semper ambula, semper profice, semper tibi displiceat id quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es.*

7. Præparatio: Vivere perfectè, secundùm status, & vocationis suæ exigentiam: in omnibus, etiam quæ minutæ videnur, obseruantijs. Hæc cura practicè in executionem deducta, omni quidem Christiano in statu morienti, ad sanctam mortem prodest; maximè tamen personis Religiosis, proprio jure, utilitatem, securitatem, jucunditatemque præstat in morte: idque ex eo capite, quia Religiosus, si revera hoc est quod profitetur; certus est: se omnia agere semper, & ex C Dei Voluntate, & juxta illam: unde certus est; etiam se omnia placite Deo agere: accedit, quod Religiosus status, naturâ suâ, est status pœnitentiæ atque obedientiæ & Religionis, seu Devotionis; ob primum; expiat omnes suas obligationes culpæ & pœnæ: ob secundũ & tertium; amplificat merita suorum operum omnium coram Deo: gratiamque & gloriam sibi adauget. Ideo perfectus regularum suarum observator Religiosus, ex hâc vitâ, rectâ ad Cælum migrat.

8. Præparatio: Affici singulariter ad Domini nostri omnem quidem vitam, & D vitæ exempla, sed potissimùm ad Passionem, & Crucem, & Mortem: ejusque tũ meditationi, tum imitationi, tum participationi, affectu rationaliter tenero, & æstimativo vacare. Et singulariter; Agoni Christi in Horto, & per tres horas in Cruce, in instanti mortis, seu egressus ejus Sacratissimæ Animæ de Corpore. Dignum est notatu ac fide, inprimis autem imitatione, quod referente Cæsario, quidam Religiosus impetraverit sibi gratiam ex hâc vitâ migrandi sine purgatorio ad cælum, hac oratione; *Domine IESV per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in Cruce. maximè, quando Anima tua Benedicta egrediebatur de Corpore tuo: miserere Animæ meæ*

mæ meæ in egressu suo. Amen. Ejusdem argumenti, & fructûs est illa oratio; *Domine IESU, instanti mortis tuæ, & instanti mortis Matris tuæ, omniumq́ Electorum tuorum, instans meæ commendo: benedic isti, propter illa.*

9. Præparatio: Tenera & Filiali devotione affici erga Pretiosissimam Dei nostri Matrem. Hæc est enim constituta præses Agonis, & exitûs nostri extremi: propter quod Sancta Ecclesia docet, ac jubet nos Dei Matrem invocare specialiter pro mortis nostræ horâ.

10. Præparatio: Magna ad Sanctos cum Deo regnantes devotio, eorumque veneratio, & invocatio: nominatim S. Michaelis Archangeli, S. Custodis Angeli, Sanctorum specialium Patronorum.

11. Præparatio: Singulariter liberalem & assiduum esse in adjuvandis Animabus purgatorii: de quâ re plura inferiùs.

12. Præparatio: Facere interdum, semel v. g. in mense aut bis, experimentum aliquod mortis, imaginarium quidem, attamen quasi practicum: hæc omnia, vel pleraque faciendo in tali experimento, quæ facta velles in ipsâ reali tuâ morte: & talem mortem imaginariè subeundo: qualem velles reipsâ subire. Bonũ etiam est: quotidie in lectulo ad somnũ componere se tanquam in loculo & ad mortem: ibique, in manus Sanctissimæ Trinitatis Christi Domini, ejusque Matris, suam Animam commendare ac deponere.

13. Præparatio: Quotidianos lapsûs, item quotidianâ satisfactione, expiatione que abolere: & quidem cum fænore quopiam, ut ubi fortè abundaverit delictum, ibidem abundet etiam gratia, & emendatio: quod ita fiet; si unusquisq; defectus, pluribus actibus bonis, inprimis autem contrariis lapsui, fuerit expunctus, aut compensatus.

14. Præparatio: Totum se, vel Animam suam, & cor suum, quotidie à malitiâ lavare, balneo contritionis, Charitatis Dei, & proximi: in specie, amoris inimicorum, & condonationis offensarum, operum misericordiæ, & Eleemosynæ cujuscunque, sed inprimis spiritualis: at peculiariter in balneo sanguinis, mortisque, ac Meritorum Iesu Christi. Nusquam enim efficacius Ægyptii nostri obruuntur, quàm in rubro mari sanguinis Iesu.

15. Præparatio: Quotidie Indulgentias legitimè concessas, ritè lucrari sæpiùs in diem, sive sint eæ plenariæ, sive

A partiales, & minores. Hujus enim avaritia sanctissima & innocentissima est: & magnam in Morte fiduciam præstat: omni proinde operi Vitæ, jungatur usus indulgentiæ.

16. Præparatio: Inexpletâ fame, sitique, desiderare; ac quà licet, procurare; assiduum & semper majus ac majus incrementum divinæ gloriæ: nec non propriæ Animæ, simulque omnium, & singularum Animarum, salutem, atque profectum: consecrando, & donando ad id omnia momenta Vitæ suæ, actionum, passionumque suarum, imò & omnium Creaturarum in unione meritorum Christi

B Domini: ejusque Matris, & Electorum: atque hac methodo faciendo; ut tota vitâ, imò totius vitæ, operumque & passionum momenta, sint coram Deo zelus gloriæ ipsius, & animarum propter ipsum.

17. Præparatio: Curare, atq; facere, ut omnes, & singulæ vitæ nostræ actiones ac mutationes, seu passiones, singulaque momenta earum, sint ex intentione nostrâ, dispositiones cordis & animæ, ad gratias tam actuales, quam habituales: in specie sacramentales, & sacrificiales; & ad ipsa Sacrificia, atque Communiones: sacramentales, si fieri possent; spiritua-

C les verò, quoniam hæ possunt: Imò ut omnia vitæ nostræ actionumque ac passionum momenta, sint nobis Communiones spirituales: sive vota ac desideria Sanctissimæ Eucharistiæ reipsâ recipiendæ: nosque Christo uniendi, pascendi, in eum transformandi: Exẽplo Sanctissimæ Dei nostri Genitricis Mariæ: quam tradunt, & Sacramentaliter creberrimè communicasse: & spirituales communiones nũquam intermisisse.

18. Præparetio: Assuescere, & familiarem sibi reddere, triplicem actum affectumque, homini ad veram internam

D solidamque humilitatem cordis, & ad Deum fidelitatem mentis fundandã, valde utilem: omninoque necessarium. Primus actus & affectus est: cognitâ penitissimè paupertate suâ omnimodâ, omnia & singula, à Deo quotidie, & sæpius emendicare bona: ut pote à quo solo bono cuncta procedunt. Secundus actus & affectus est: eadem omnia bona à Deo accepta, eidem quotidie, aut etiam sæpiùs ex toto restituere: & ut ab eo serventur petere: quandoquidem Dei solius est, omne bonum: & quoniam bonis Dei, malè est apud hominem: qui partim est stultus puer, æstimare bona Dei nesciens: partim est absurdus helluo, bona Dei

prodigere sciens, sed conservare nesciens: partim est sceleratus fur, bona Dei, Deo surripere, sibi illa arrogare, ac de illis superbire, sciens, audens, & solens. Bene ergo, & necessario adsuescet homo, restituere Deo, omnem bonitatem, & bonitatis laudem, & gratiarum actionem; sibi verò reservare suam pauperiem, malitiam, & malitiæ pænam, facieique propriæ confusionem: quæ sola & omnia debentur homini: etiam pro ipsis bonis ac meritis ejus, quatenus quidem ex ipso sunt, & ipsius sunt. Unde homo, tam ipsum se, quàm omnia sua, qualitercunq; bona secum; vilificare, & in suo nihilo, in eiusque vilitate demergere, & sic tam se, quàm illa appretiare debet. Quatenus autem bona, meritaque nostra, à Deo, & ejus gratiâ sunt; eatenus Dei revera sunt: & ei attribui, reddique ex toto debent, cum laude, & gratiarum actione. Et quamvis in eis homo sperare sobriè potest, debet tamen etiam propter illa sibi timere: quia etsi sunt à Deo donata, remanserunt temen hominis coram Deo debita: quorum stricta ratio erit reddenda. Tertius actus & affectus est: Gratiæ Divinæ tam Sanctificantis, quam Auxiliantis (atque in hoc passu huius maximè) tenera, cordialisque æstimatio: eidemque per omnia inhæsio: ita ut ex veritate persuasissimâ, cum Divo Paulo, dicat Homo assiduè: *Gratia Dei sum id quod sum*: & id etiam; (Augustinus addit:) quod non sum; *& gratia eius in me vacua non fuit*. Non est autem vacua, si agnoscitur, amatur, prædicatur, laudatur, esse gratia.

1. Cor. 15. 10

Hisce tribus actibus affectibusq; multùm frequentatis, & in mente, seu corde radicatis; indubiè Homo præclarè, & cum quadam solidâ securitate, disponitur coram Deo, ad benè obeundum mortis negotium: omnem enim locum auferunt, aditumque isti actus affectusque præcludunt superbiæ: quæ maxime insidiatur in morte hominibus, & inprimis quidem justis: proinde hîs actibus affectibusque præmunitos esse morientes oportet.

Has præparationes, utiliter sibi comparabit, quisquis suam mortem coram Deo bonam, & beatam, & pretiosam esse desiderat. Porrò alias præparationes quisque arbitratu suo, juxta statum suum, juxta ductorum spiritualium consilium, juxta morem & praxim justorum, & maximè juxta mentem, & sensum Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ præfiniet: duo hæc cordi habens quæ subjungo. 1. Ut maturè negotium hoc, & ad praxim, executionemque, animum, & laborem applicet: hîc enim revera *quod differtur, aufertur*. 2. Ut in executione non deficiat, neque lassescat, sed obfirmato animo constanter ad mortem perseveret. Omnis enim quæ hîc subibitur fatigatio; optimè compensabitur pretiosæ mortis præmio.

A

PRAXIS.

DEUS, sub cuius nutibus vitæ nostræ præsentis momenta decurrunt: suscipe preces ad te humiliter clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, secundùm Sanctißimæ Voluntatis tuæ beneplacitum, semper in abundantia bonorum operum, auxiliante gratiâ tuâ decurramus: ejus verò decursum, sancto, pleno, ac tibi placito fine, per Filii tui, & Matris ejus, Electorumq; omnium merita: & per misericordiam tuam concludamus.

B

EXERCITIUM VI.

Summarium scrutinij Conscientiæ ante Mortem.

1. Constitue te in statu moribundi, & jam responsum mortis in se habentis, atque *velocem fore sui tabernaculi depositionem* advertentis.

C — 2. Pet. 1.

2. Vide, ut sis unus de prudentibus Virginibus: ut egressus obviam Sponso, inveniaris habens lampadem ornatam, lucentem, ardentemque, & insuper oleo abundanti instructam: atque id tempestivè: ne tum primùm oleum aut mendices, aut emptites, quando Spôsus adveniet: & ad nuptias intrabit; & claudetur janua: & tu cum fatuis audies amarum illud; *Nescio vos*.

Mat: 25.

3. Cogita ergo, & prævide, atque provide nunc: quidnam in articulo Mortis positus, voles à te prævisum, provisum, factumque esse: quænam præcipuè fugisse, & fugasse, ac à te removisse, à quibus purgatus, & immunis, & expeditus esse, in quibus Deo, in quibus proximis tuis, tibi etiam ipsi, munerique tuo, ad plenum satisfecisse, quas Vitæ conscientiæque labes expiasse, balneasse, supplevisse velles?

D

4. Est tibi erratorum ac delictorum numerus, *sicut arena quæ est in littore maris: supergreßæ sunt iniquitates tuæ capillos capitis tui*. Potes, imò debes dicere cum Sanctis, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine; & ab alienis parce servo tuo. Scribis contrà me amaritudines: & opprimere me vis peccatis ado-*

Ps. 37. 5 — Ps. 18. 13 — Iob. 13. 26

tatis adoleſcentiæ meæ. Delicta juventutis, & ignorantias meas ne memineris Domine. Iſti ergo ſic: quorum unum non reprehendit in omni Vitâ ſuâ Cor ſuum: alter teſte Deo, Vir ſecundùm Cor Dei, faciens omnes voluntates ejus. Tibi verò, de te, quis ſenſus? quod conſcientiæ, quod Dei teſtimonium?

5. Intelligisne delicta tua? tuæ Naturæ, Perſonæ, Corporis, Animæ, Intellectûs Voluntatis, Memoriæ, Phantaſiæ, ſenſuum internorum, externorum, concupiſcentiæ, ſenſualitatis, amoris, timoris, deſiderii, iræ, cæterarumque affectionum, omnium corporis membrorum, libertatis, judicii, electionis, ſtultitiæ, ignorantiæ, temeritatis in judicando, ſuſpicando, decernendo, loquendo? ſola *lingua*, quanta *univerſitas iniquitatis eſt?* commiſſiones, omiſſiones, cum alienis complicitates, aliena, ſcandala, vanitates, tepiditates, reſpectus (ut vocant) humani, brutæ affectiones, inconſtantiæ in bono, obſtinationes in malo, dilationes, inconſtantiæ, recidivationes, præparationes ad mala agenda, ponderatio & conatus malitiæ voluntariæ in peccando, numerus ſine numero.

6. Iſta, & his ſimilia omnia, habesnè ſatis perſpecta, diſcuſſa, abolita coram Deo? an reſpondebis ei vel unum pro mille tunc; quando tibi, volenti nolenti, oſtendet *quantas habeas iniquitates!* & quando *arguet te, & ſtatuet te contra faciem tuam?* Et tamen ad ſingula horum reſpondendum eſſe articulus mortis clamabit: nec licebit ad vocem eius obſurdeſcere.

7. Nunc ergo, judicii mortis, atque Dei ſpeculum tibi objice, & inſpice: Nunc ſtatue tibi ſpeculam, coge concilium, ini conſilium pro te, contra te, de ipſo te: & hoc age, atque perfice, ut & longè, & ſæpè ante mortem vivere ſatagas: absque omni (ut hæc vita patitur) obligatioǹe, tam culpæ, quàm pœnæ coram Deo. Omnia pacatæ, felicis, pretioſæ in Domino Mortis, & impedimenta ſubmovere, & adjumenta adhibere ſatage: & conſueſce. Expia maculas omnes: vitia, parvasque conſuetudines ab Animâ tuâ proſcribe, & expia. Voluntariis pœnis, lachrymis, gemitibus, ſuſpiriis, orationibus Sacrificiis, Eccleſiæ & ſpiritualibus, frequentatione Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, Indulgentiis, jejuniis, abſtinentiis, vigiliis, eleemoſynis ſpiritualibus, corporalibue, dolore, luctu, contritione cordis: condonatione, oblivione, compenſatione beneficiariâ injuriarum tibi illatarum: ſincerâ dilectione inimicorum, & malefactorum, & ingratorum, & invidentium, & detrahentium: abſtinentiâ omnimodâ à cenſuratione alienorum morum, factorum, talentorum: Supplementis, ac ſupererogatoriis actionibus, paſſionibus, fervoribus, induſtriis: Unione omnium rerum tuarum, totiusque Tui, ad IESU Chriſti ſanguinem, & mortem: ad pretioſiſſimæ Dei Matris, ad Electorum merita, & interceſſiones, atque Patrocinia: Toleratione Crucis, poſt, & propter Chriſtum: denique ſtatûs tui ſanctâ, plenâ, perfectâ adimpletione: atque in his omnibus conſummatâ per gratiam Dei finali Perſeverantiâ.

P R A X I S.

DEVS, ſub cujus nutibus vitæ noſtræ præſentis momenta decurrunt: ſuſcipe preces ad te humiliter clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, ſecundùm ſanctiſſimæ voluntatis tuæ beneplacitum, in abundantiâ bonorum operum, adjuvante gratiâ tuâ, decurramus: eius verò decurſum; ſancto, & pleno, ac tibi placito fine, per Filii tui, & Matris eius, Electorumq; merita, & per Miſericordiam tuam concludamus.

EXERCITIUM VII.

Refugia, & ſolatia Moribundi.

1. CONſtitue te in ſtatu moribundi: & ab omnibus tàm hominibus, quàm rebus tandem deſerendi: nihil enim te horum in morte comitabitur, ſed neque Gloria tua deſcendet tecum. Opera tantùm tua ſequentur te, cætera quidem nudiſſimum: atque adeò etiam temetipſo ſpoliatum.

2. Quamobrem utere prudentiæ conſilio: & pro diebus usque adeo malis circumſpice, & congrega tibi refugii locũ, & modum: & provide; ne nudus ambules: ſed habeas cuſtodita veſtimenta tua: juxta monitum Spiritûs Sancti.

3. Age rem ſeriò: Mors enim valde ſeria eſt. Mori jocando quidem & ludendo contingit, ſed nequaquam joco, aut ludo id fit: quisquis moritur, ſeriſſimè moritur: quare ex negotiis maximè ſeriis, unum, ac fortè ſolum eſt, mori.

4. Corpori mortuo deponendo, provident paſſim homines, ipſi etiam mortui, ponunt in hoc ſolicitudinem quandoque ambitioſam: meliùs tacerent, ſi

Animabus suis, quærerent, aut pararent, caperentque, refugia: ne fugientes, aut ne potiùs fugatæ a morte, cadant in obscurum.

Refugia Animæ Christianæ, in quibus securissimè, & habitare, & latitare, & requiescere, si modò dignam se facere velit, & sciat, haud dubiè potest: sunt hæc;

Primum latibulum, refugiumque, Animæ à Corpore parantis discessum, est ipsa Sacrosancta Trinitas Unus Deus. Ad eius imaginem factus est Homo; haud ergo dubiè ibi locum habet: neque amat Deus alibi suam esse Imaginem, quàm apud se: cùm ipse dixerit; *Reddite quæ sunt DEI DEO*.

Alterum Refugium, reclinatorium, solatiumque morientis Hominis est, idem Deus: quatenus est ultimus finis Hominis, summumque, & ultimum bonum ejus: cuius quoque Amore, ex abyssis Nihili sui, homo productus est.

Tertium Refugium Moribundi, est Verbum Incarnatum, DEUS Homo: ad quem usum sui, ipsemet invitat; *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & invenietis requiem Animabus vestris.* (Matt. 11.28)

Quartum Refugium Moribundi, est idem Dominus noster Iesus Christus: ejusque vulnera hiantia, & universi labores, dolores, Crux quoque, & mors, ac sepultura ejus. Ibi ille recipit, recondit, fovet, tuetur, solatur, lætificat omnem Animam confugientem. *Columna mea in foraminibus Petræ, in cavernis maceriæ.* (Cant. 2. 14.)

Quintum Refugium Morientis est, Præsentia, signaculum, & Gratiâ Spiritûs Sancti: ab eo enim & inhabitamur, & eundem inhabitamus: ab eo in Sacramentis, potissimùm in Baptismo consignamur: quia & in ipso sepelimur.

Sextum Refugium Morientis, est Dei Voluntas, Providentia, atque Nutrix omnium Gratia: quæ totius quidem Vitæ nostræ, at maximè in extremo decursu suam circa nos curam exerit, & salutis nostræ efficacem diligentiam, per sese, & per Angelos, aliosque administros gerit: & ideo si quando, tunc maximè, *vita in voluntate ejus*: (Ps. 29. 6.) & tunc etiam est campus omnimodæ in Dei Voluntatem, providentiam, gratiamque resignationis: atque toto corde, totâ Animâ, totis viribus ei dicendi, & repetitò repetendi; *Fiat Voluntas tua*. (Matt. 6. 10)

Septimum Refugium Moribundi, est Pretiosissima, Potentissimaque Dei nostri Mater, Patrona morientium, Domina itē, Mater, Heres, Hereditas, & Sponsa amatorum Filii sui, & suorum. Sine dubio paratissimum, & securissimum est receptaculum periclitantium, & portus securus ex procelloso vitæ hujus mari enavigantium.

Octavum Refugium, Ecclesia Triumphans universa: omniumque jam beatorum Societas, atque Civitas: in quam conscripti sumus: & jam non hospites, & advenæ, sed domestici sumus: illuc ergo tam meritò, quàm secure, aspiramus, accedimusque.

Nonum Refugium Morientis, est Ecclesia Militans tota, Dei nostri Christi, dilecta & Sancta, Sponsa: cujus cùm mēbra simus omnes; Communionem eius habemus: & quæ nos Christo Sponso immaculate regeneratos offert; hæc etiam hinc abeuntes libens sanctificatos repræsentat.

Decimum Refugium Morientis est, sua cuiusque, in quâ vixit Communitas: v.g. Religiosi, sua Religio: quam cum inimus, dicere & protestari, & profiteri, vovereque solemus; hæc requies mea: hanc elegi, & hîc habitabo in sæcula: quod & votis firmamus: ut securè dicere possimus, tum semper, tum in articulo mortis, *Domini ego sum*.

Undecimum Refugium morientium, est Agonizans Iesus, & instans mortis eius, Matris eius, & Electorum eius.

Duodecimum Refugium moribundi est, nihilum suum, & omnimoda tam naturæ, quàm Spiritûs egestas, mendicitasque; ex quâ Homo, nihil est, nihil potest, nihilo dignus, (nisi contemptu, odio, & supplicio, & perditione, ac oblivione) penitus est: sed quidquid est, sola solius Dei gratiâ est, omniaque meretur.

Beatus moriens, qui suo nihilo, Christi merito, Dei miseratione circumseptus moritur. Is enim securè *loquitur omnibus inimicis suis in portâ*. (Ps. 126. 5)

5. Hæc Refugia, occupa: & occupare, inhabitareque festina Anima mea: hæc incole semper: ex his egredere nunquam. Egredere potiùs de Mundo: per contemptum eius, & si potes, etiam per votum Paupertatis Christi, amplectendo nuditatem eius. Egredere de carne & sanguine, odio mortificationeq; illius & si potes, etiam voto perpetuæ castitatis propter Christum, sectando puritatem eius. Egredere & à temetipsâ: abnegando plenè teipsam, & voluntatis tuæ libertatem, propter Christum: firmando obedi-

entiæ voto, exemplum eius: qui ne perderet obedientiam, perdidit vitam in morte, morte autem Crucis.

PRAXIS.

DEUS, sub cujus Nutibus, Vitæ nostræ præsentis momenta decurrunt: suscipe preces humiliter ad te clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, secundùm Sanctissimæ Voluntatis tuæ beneplacitum, in abundantia bonorum operum, auxiliante Gratiâ tuâ semper decurramus: eius verò decursum, sancto, pleno, ac tibi placito fine, per Filii tui, & Matris eius, & Electorum omnium merita, & per Misericordiam tuam, concludamus.

EXERCITIORUM
PARS XVII.
Erga Animas in Purgatorio.

EXERCITIUM I.

De Commiseratione super Animas Purgatorii.

1. Statue te coram Purgatorio, Animabus fidelium defunctorum pleno, variisque earum cruciatibus refarto, & miserabilibus lamentis resonante.

2. Ex isto horribilis luctuosique loci conspectu; exsuscita in te vehementem commiserationem super Animas: ad easque quàm studiosissimè juvandas te ipsum provoca. Ad quod juvabunt te sequentes causæ.

1. Quia manus Domini tetigit eas: Manus (inquam) justitiæ rigorosæ, nec per misericordiam vitæ istius, temperatæ. Manus illas, de quibus dicitur; *Horrendum est incidere in manus Dei viventis,* DEI ulciscentis, Dei puram pœnam purâ satispassione exigentis. Ex quibus tamen manibus, tu eliberare potes has Animas, si velis.

Hebr. 10. 31

Ps. 126.

2. Quidni autem velis? cùm connaturale sit homini compati afflictis, non tantùm hominibus, sed etiam brutis. Ac si belluarum vel nostra ipsorum Corpora in calamitate posita cernentes, miseramur instinctu naturæ; quantò magis Animarum; & quidem Sanctarum; in acerbâ earum afflictione misereri naturale erit: & ad subsidium ferendum accingi decebit?

3. Præsertim; cùm Animæ illæ sustineant, maximè, & inæstimabiliter appetitæ sibi rei (Dei nempe summi, & ultimi Boni) damnum, ac privationem. Quod bonum, quantò justiùs, puriùs, ardentiùs, incessabiliusque amant; tantò sine dubio violentiùs dolorosiùsque ab eo arcentur, & eo privantur: ad illiusque fruitionem, & possessionem pervenire, in pœnam delictorum prohibentur.

4. Accedit autem huic Damni pœnæ, sanè in hâc vitâ incogitabili, & quoad suam acerbitatem imperceptibili, alia pœna sensûs & doloris, ab illo igne inflicti: qui in tantùm est in suâ activitate, per omnipotentiam Dei; ut ipsos Spiritûs immateriales adurere, atque excruciare possit, tam veris, quàm miris modis.

5. Auget Animarum calamitatem, quòd in utrisque his, maximè afflictivis pœnis, nullum sibi auxilium, nullum solatium (præter Spem finis aliquando futuri, sæpè tamen, quando is futurus sit ignoti, in pœnam negligenter hic curatæ salutis) omnino per se afferre possint: sed necessarium est illas rigorosam Dei justitiam, satispatiendo adæquare, usque ad novissimum quadrantem: absque ullâ condonatione, diminutione, mitigatione: nisi hoc eis aliena Charitas, & suffragatio, apud Deum obtineat, pœnamque ipsis debitam pro ipsis solvat.

6. Adæquare autem rigorosam Dei justitiam, in illâ præsertim Vitâ, Animæ ibi patienti, nimis valde rigorosum est: sicut ipsa justitia valde quoque nimis exacuta, & à condonatione omni depurata, detersa est: ut proinde etiam Animæ sit nimiùm pœnalis, & dolorosa. Quod totum videtur Dominus voluisse

indicare illo suo exaggerandi futuras pœnas modo; *Ligatis manibus, & pedibus projicite servum inutilem, in tenebras exteriores.* Ut enim qui ita colligati sunt, nullum sibi subsidium ferre possunt, nisi alienâ ope juventur; sic destinati ad illas pœnas, nullum habent apud seipsos subsidium.

Matt. 22. 13

3. Ex his metire si potes, rigorem justitiæ Divinæ: tum rigorem Animarum pœnæ, utrumque fururum, & nullatenus mitigatum; ac demum metire studium tuæ super istas Animas miserationis; quod, & quantum te illis impendere convenit?

4. Atque hoc est, quod in præsenti à te desideratur: hoc inquam est; quod pœnis suis Animæ Purgatorii clamant, & postulant dicentes. *Miseremini mei, &c.*

Iob. 19. 21.

PRAXIS.

Sit Oratio Ecclesiæ. Fidelium DEUS omnium conditor & redemptor, Animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum.

Vel alia: quæ quoties dicitur, Animâ è Purgatorio liberatur.

DEUS qui nobis in Sacrâ Sindone, quâ corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum, â Ioseph involutum fuit: Passionis tuæ vestigia reliquisti: Concede propitius: ut per mortem ac Sepulturam tuam, ad Resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, & regnas cum DEO &c.

EXERCITIUM II.

De Viscerosâ super Animas Purgatorii Commiseratione.

1. Statue te coram Purgatorio, Animabus pleno, pœnis referto, & ejulatibus dolentium resonante.

2. Commoveantur in te viscera piissimæ Charitatis, liberalissimæque miserationis super eas.

3. Miserere illarum tanquam pupillarum orphanarumque: quas deseruit omnis caro, & Sanguis earum, in horâ summæ afflictionis ipsarum.

4. Miserere illarum tanquam infantularum, quibus omnis Materna, & Nutritoria cura; quàm maximè necessaria est; tàm penitus deficit.

5. Miserere illarum vel exulum, vel ut leprosorum expulsorum à facie Patris, Patriæ, Cognatorum, Concivium, omniumque notorum: sed ablegatorum, deportatorumque foras in terram desertam, & inaquosam, terram plenam sulphuris, & salsuginis, terram ad omnia solatia sterilem, ac tantummodo calamitatum, dolorum, pœnarum, ærumnarumque feracem.

6. Miserere illarum: tanquam Oviculárum lanienæ & occisioni, Mortique destinatarum: in suis doloribus, & cruciatibus mansuetissimè gementium: atq; unicâ se, in rigorosæ Dei justitiæ voluntatem, plenissimâ resignatione solantium; & ad hominum piorum hîc viventium, misericordem pietatem respectantium, & anhelantium.

7. Miserere illarum: tanquam pretiosi, & viventis auri, quod in fornace fullonis, hoc est, in rigidissimi judicii Divini, conflatur, liquatur: donec ad purum omnis scoria separetur, & excoquatur ab eo: egrediaturque vas purissimũ, vas auri solidum, vas cælestis civitatis ædificatione dignum.

8. Miserere illarum: tanquam captivatorum, & in vinculis detentorum, derelictorumque: tormentis, & quæstionibus, equuleisque assiduè subjectorum: nec nisi post plenissimè exactam, exhaustamque, suppliciorum decretorum seriem, ab infelici ergastulo eliberandorum.

9. Miserere illarum: tanquam servorum, plus quàm 10. millia talentorum Domino suo debentium: nec unde solvant habentium: ac ideo venundatorum: & in propria pelle debita luendo solventium: nec dimittendorum; *donec solvant universum debitum, usque ad novissimum quadrantem.*

Matt. 5.

10. Miserere earum; tanquam ægrotorum omni genere morbositatis æstuantium, & sub omni dolorum genere fatiscentium: insuperque in omnibus his paralytica tabe torpentium: quâ instar spirantium viventiumque fascium colligati, nullum sibimet auxilium, vel tantillo motu, aut mutatione præbere possunt.

11. Hisce omnibus calamitosorum generibus Animæ purgatorii non modò sũt similes; sed etiam exaggeratissimo excessu miseriores.

12. Ex quo conjice: quàm te viscerosâ Charitate, quamque incessante pietate, profusum, & prodigum in solatia harum Animarũ esse conveniat? & quantæ cruditatis, crudelitatisque, convincantur esse fideles hîc viventes: qui Animarum illarum nullâ, aut vix ullâ, commi-

commiseratione aliquando tanguntur?

PRAXIS.

Oratio Ecclesiæ. *Fidelium DEUS* &c. Vel de Sacrâ Sindone: quæ habetur supra Exerc: I.

DEUS, qui nobis in Sanctâ Sindone quâ Corpus tuum Sacratissimum, de Cruce depositum, à Ioseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem, & sepulturam tuam, ad Resurrectionis gloriam perducamur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate &c.

EXERCITIUM III.

Pœnas purgatorii graviores esse vulgari sensu.

1. STatue te coram Purgatorio Animabus pleno, pœnis referto, ejulatibus earum resonante.

2. Excita in te commiserationem super Animas: studiumque juvandi illas in te exacue: idque tum hoc Purgatorii ipsius intuitu; tum rationibus sequentibus.

1. Animæ enim illæ in Purgatorio positæ, sanctæ sunt: & omnino ab omni culpâ, etiam coram oculis Dei mundæ: obligatione tamen reatuque pœnæ inveniuntur vinctæ: à quo nexu per se ipsas exsolvi nequeunt ullâ industriâ: nisi patiendo satis ad æqualitatem debiti. Eo modo; quo truncus aliquis in igne positus, nullum sibi potest allevamentum ab igneo ardore adferre: sed purè cogitur ardere; nisi quis extrinsecus aquam affundat. Aut eo modo: quo later, olla, vitrum, aurum, tam diu in fornace suâ uritur, & ardet; quamdiu debitè ad artificiis judicium non excoquitur.

2. Debitum verò pœnæ in illâ vitâ longè gravissimum esse solet: graviùs longè quàm à nobis hîc cogitari, ac præsumi solet, vel etiam potest: eò; quòd Divinæ Iustitiæ rigor, longe aliter, nempe, severiùs, culpas in illâ vitâ ponderat, acriorique pœnâ dignas judicat, quâ nos hic pœnas culpis nostris, aliorumve, taxare solemus. Adeo ut levissimæ, nostro sensu maculæ, maximo supplicio expientur in judicantis Dei judicio.

3. Sæpè etiam nostris oculis virtutes videntur, quæ à Deo igne purgatorio expiantur: juxta illud dictum de Deo; *Numquid oculi tibi carnei sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* (Iob. 10. 4.) Ex quo capite sæpè accidit: ut à nobis aliquæ Animæ præsumantur jam beatitudine dudum perfrui cum Deo: quæ interim acerbas defectuum suorum pœnas in purgatorio luunt justitiæ Dei.

4. Cujus rèi causa illa est: quia nullus hominum ordinariè, potest peccati, defectusvè sui, (ac multò minùs alieni) gravitatem, vel levitatem plenè cognoscere, scrutari, taxare: pœnamque illi debitam justè definire: sed hoc solius est Dei: qui intuetur cor, & scrutatur renes, cùm homo nonnisi ea ferè videat, quæ foris patent. Inde fit; ut contra nostrum sensum vulgarem, judicio suo Deus pœnas culpis nostris definiat: inde parvis & brevibus culpis, longæ, & graves in purgatorio irrogantur pœnæ: quod etiam accidit in pœnis hujus vitæ, quas Deus levibus culpis inflixit. Inde jubemur de propitiato quamvis peccato securi non esse. Inde purgatorium longiùs sæpè ferunt, qui hîc pauca peccasse visi sunt.

5. Porrò ex multis & abditis (nostræ aciei) fontibus conditionibusque; Deus ponderat defectûs nostros, nobis parvos. 1. Ex suâ Dignitate, 2. Ex statu nostro. 3. Ex suis in nos beneficiis. 4. Ex suis nobiscum commerciis, seu contractibus in spiritûs familiaritate. 5. Ex specialibus nostris ad Deum debitis, contractis per nos, ob speciales etiam Dei favores in nos. Cui enim plus datum est, plus requiretur ab eo. Majorem observantiam exigit exspectatque Pater à filio, Mater à filia, Sponsus à sponsâ, Dominus ab intimo cubiculario, quàm à culinario servo, à focariâ, à quovis postremæ familiæ uno. 6. Ex scandalo aliorum, seu ex dato malo exemplo, aut bono non dato aliis. 7. Ex voluntario, & advertentiâ, deliberationeque majore: aut minore. 8. Ex affectûs vehementiâ rationalis, vel sensualis. 9. Ex tentationis vehementiâ, vel exiguitate. 10. Ex auxiliorum opportunitate neglectâ. 11. Ex rebellione ad lumen Gratiæ & rationis. 12. Ex habitu peccandi, ac recidivatione. 13. Ex conatu & pondere voluntatis ad peccatum, vel in peccando. 14. Ex diuturnitate moræ in statu peccati. 15. Ex defensione, excusationevè peccati. 16. Ex complicitate in peccato. 17. Ex gratiæ, & amicitiæ Dei pluribus gradibus. 18. Ex tarditate. 19. Ex tepiditate pœnitendi. 20. Ex levitate pœnitentiæ, seu sa-

seu satisfactionis, dolorisque in præsenti pro peccato. 21. Ex lentitudine, & debilitate aversionis voluntatis à peccato, & peccando. 22. Ex destructione gloriæ Dei: bonique Exempli damno per defectus nostros. Hæc, similiaque, peccatorum & defectuum nostrorum adjuncta, nostris æstimationibus impervia sunt: Dei verò oculis plane nuda, & perspecta, faciunt; ut aliud sit Divini judicii pondus in nostrorum defectuum pœnis, & aliud nostrum de iisdem judicium. Faciunt etiam hæc: ut sano judicio attento, non tam parvi sint æstimandæ imperfectiones nostræ à nobis: nec tam levi dolore cordis, aut corporis, expiari posse putandæ. Cur enim non secundùm has omnes rationes doleamus, & defleamus, expiemusque nostros defectûs, secundùm quos videmus eosdem à Deo expendi, & pro eis pœnas exigi, sive in illâ vitâ? Quæ animadversio utinam in Animis etiam perfectorum altè resideat! magis certè vitarentur defectus ordinarii, magis expiarentur, magis per actiones perfectas studiosè supplerentur.

6. Accedit: quòd pœnæ Purgatorii, attentâ ratione, & conditione Purgatorii, nunquam sint tam leves, & molles, quomodo à nobis reputantur hîc: etiam si sint tales quæ apud nos esse leves experimento sciuntur: sed levis hujus vitæ pœna, in purgatorio non potest non esse acerbissima: tùm quia pœnam Damni semper adjunctam habet, cui nihil comparari potest: tum quia pura pœna est, purè crucians, & cruciando sensum nequaquam obtundens, ut solet fieri in hujus vitæ pœnis: sed integram vivacitatem, sentiendique facultatem conservans. Siquidem Anima Corpore nudata, plùs, & acriùs longè patitur, quàm pati solet, aut potest corpore vestita. Neque enim totus & purus cruciatus, ad Animam in corpore sitam & per illud patientem penetrat: sicuti ad ipsam nudam pertingit, tanquam nullatenus in corpore hebetatus. Denique quia nihil adjuncti alicunde solatii habet, pœna purgatorii, prout nostrates pœnæ habent.

7. Adhuc autem gravitas pœnarum purgatorii tam elevata est, & supra captum major, ut nostræ pœnæ iis comparatæ, pictæ sint veris collatæ: ignisque noster frigidus, ac pictus sit, illi flammæ purgatoriæ compositus. Animæ cujusdã experimento edoctæ, apud Cyrillũ verba sunt, quæ sequuntur: & habentur inter opera D. Augustini: *Si omnes, quæ in* *Mundo cogitari possunt pœnæ, minori cruciatui, qui in purgatorio est comparentur, solatia non pœnæ videbuntur. Mallet quilibet viventium, omnibus, quæ hic videntur pœnæ, & tormenta, (si illas experimento nosset) usq; ad mundi finem, simul, sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines, ab Adam, huc usq; sigillatim pertulerunt, quàm uno die, in Purgatorio: minori quæ illic habetur pœnâ torqueri.*

3. Excogita si quid Potes ad pœnarum Purgatorii acerbitatem explicandã, accuratius: quod si nihil præterea, neq; super ea, in cor tuum ascendit; tandem ergo pœnas purgatorii incipe æstimare, & formidare: tandem te miseratio capiat, tot, tamque Sanctarum, & subsidii indigarum, tamque intolerabilibus cruciatibus involutarum Animarum: & simul ad opem illis ferendam; simul ad pœnarum illarum obligationem, abs te ipso, dum hic vivis, avertendam, abolendamque, omni studio accingere.

P R A X I S.

Oratio Ecclesiæ. *Fidelium DEVS* &c. Vel Oratio de S. Sindone: quæ quoties dicitur toties Anima liberatur.

DEUS, qui nobis in Sanctâ Sindone, quâ Corpus tuum Sacratissimum, de Cruce depositum, à Ioseph involutum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti: Concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam, ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEVS, per omnia sæcula, &c.

EXERCITIUM IV.

De Motivis excitantibus ad ferendam opem Animabus Purgatorii.

1. Statue te coram Purgatorio Animabus pleno, pœnis referto, & ejulatibus dolentium resonante.

2. Excita te ad fervens studium satagendi pro Animabus illis: easque quàm diligentissimè & efficacissimè à pœnis illis expediendi.

1. Excitet te ad hoc studium, (præter jam in aliis Exercitiis prædicta) Sanctissimæ Trinitatis desiderium, atque placitum: quo illa optat Animabus purgatorii à nobis subsidium fieri, qui adhuc in hac vitâ degimus, & maximam commoditatem

ditatem ad id præstandum habemus. Nã cùm Animæ illæ sint Deo dilectæ, desiderat vehementer Deus admitti illas ad beatitudinem, ad fruitionem, laudationemque sui: nisi adhuc obsisteret justitia sua. Huic ergo justitiæ satisfieri cùm à nobis commodissimè possit, impensè id Deus vult, summèque illi gratum est. Quoniam justitiæ Dei fieri satis, idem est quod accelerari expletionem desiderii illius Divini, quo Deus fertur ad Animas illas glorificandas, sibique ultimo fini, & Summo Bono æternaliter uniendas: quod Deus non minore, imò longè majore desiderio cupit Animabus præstare, quàm ipsæ sibi præstari desiderant Animæ.

2. Excitet te ad idem studium, Iesu Christi, Domini, Redemptorisque Animarum, voluntas sanè ardentissima. Quid enim Iesus magis cupiat, quàm Animas tanto suo labore, sumptuque, & suæ, & illarum, hîc in Mundo vitæ tempore, quæsitas; tandemtandem completionem salutis, & beatitudinis obtinere? in quo, cùm illas status purgatorii præpediat, ab hoc illas impedimento, per nostram pietatem, satisfactionemque liberari, optatissimum, gratissimumque Christo est. Maximè cum Animæ illæ sint viva Christi Domini membra: eidemque in illo statu, Charitate perfectâ unitæ. Maximè item, cùm beatitudo Animarum, sit ultima merces omnium Christi laborum, passionum, ac meritorum: ideo non potest illis Animabus gratia præstari, vel negari à nobis, quin simul valde immediatè, vel præstetur, vel denegetur ipsi Christo.

3. Excitet te ad eandem pro Animabus Purgatorii solicitudinem, Pretiosissimæ Dei Parentis studium: cujus sicut voluntas coniuncta est cum voluntate Filii; ita neque Honor est separatus: neque studium in juvandas illas Animas dispar: quare sicut summè desiderat Beatissima Mater, finalem Animarum illarum in Deo requiem, per istudque, ultimam Dei à suis Creaturis exaltationem, nec non ultimam etiam Christi sui Filii meritorum mercedem; ita eas à nobis solicitâ pietate juvari, est eidem Matri Virgini gratissimum.

4. Excitet te ad eandem in Animas Purgatorii Charitatem, Angelorum, omnium quidem, qui per Animarum nostrarum beatitudinem, ruinas cælestis suæ Ierusalem instaurari tam gaudent, quàm optant: potissimùm tamen custodum Angelorum studium, in hanc rem est longè maximum. Auxilio enim quod nos præstamus Animabus Purgatorii, acceleratur, completus fructus Custodiæ laborisque ipsorum circa Animas: quod absque dubio Angelis Custodibus est perquam gratum. Maximè quia tunc temporis, & in tali statu positis Animabus, nos auxilio sumus, quando Angelorum, etiam Custodum, circa Animas Purgatorii, vel cessat, vel fermè sterilis fit, quantum ad allevationem pœnarum in eis, diligentia, & industria custodiendi. Tantùm enim juvare possunt Animas, vel nos excitando: vel Deum, ut nos excitet, precando, ad præstandum Animabus per nos subsidium. Quo solo modo Angeli Custodes, & Animas suas, & se ipsos solantur in suâ erga Animas easdem pietate, atque Charitate: quæ & summa in eis est, & valde compassiva, ac proinde nostra pro Animabus cura, valde est illis grata.

5. Excitet te ad idem pro Animabus purgatorii studium, Sanctorum cum Deo regnantium, cupiditas eiusdem in te erga Animas illas studii. Amant enim Sancti illi, Animas hasce plurimùm, & vehementer cupiunt earum secum in beatitudine conjunctionem: sicuti & valde dolent (quo dolere possunt modo) earundem à se adhuc abjunctionem durare: Cuius abjunctionis solutio, & conjunctionis accessio, non potest non esse Beatis jam sanctis, cum augmento accidentalis alicuius gloriæ, in Beatis omnibus, ac præsertim in illis, qui aliquando quapiam ratione magis coniuncti fuerunt, vel sunt, cum Animabus talibus. Quare quando nos de hisce patientibus Animabus benè meremur, & beatitudinem illarum nostrâ Charitate acceleramus: hoc etiam ipso plurimum meremur de ipsis Beatis in Cælo regnantibus.

6. Excitet te ad idem studium, desiderium ipsarum Animarum purgatorii: non illud solum, quo illæ optant à malis pœnarum solvi, & beatitudinis suæ bono potiri: sed illud præcipuè; quo illæ Deum optant propter Deum: & propter eius gustum, atque gloriam de se in Deum redundaturam, optant etiam uniri Deo: eique ultimatum fructum de seipsis reddere: & pro eius circa se Providentiâ, tantâ, tamque efficaci similiter, tam sumptuosâ, tam constanti, tam per suam multiplicem indignitatem, & ingratitudinem morosâ, & molestâ, etiam in ipsâ purgatione per Purgatorium exhibita, gratiarum actionem finalem, beatificeq;

consummatam, exhibere. Ipsum enim Purgari, bonum Animarum est: & nollent illæ impurgatæ ad Cælum, Deique visionem beatificam venire, esto vellet id Deus eis indulgere.

3. Ut ergo, tot, tam Sancta, tam justa, tam magna vota Angelorum, Pretiosissimæ Dei Matris, Domini & Dei, Redemptorisque nostri Iesu Christi, demumque, ac super omnia Sanctissimæ Trinitatis, expleas; accinge te ad ardens, impensum, assiduum, ac liberale studium; ferendi Animabus, prout cum Divinâ gratiâ, secundùm statum tuum prævalebis, auxilium, atque suffragium.

PRAXIS.

Oratio Ecclesiæ. *Fidelium Deus,* &c. Vel de Sancta Sindone: quæ quoties dicitur, toties Anima liberatur.

Apocripha

DEUS qui nobis in Sacrâ Sindone, quâ corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum à Ioseph involutum fuit: Passionis tuæ vestigia reliquisti: Concede propitius: ut per mortem ac Sepulturam tuam, ad Resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, & regnas cum DEO &c.

EXERCITIUM V.
De aliis motivis juvandi Animas purgatorii.

fl. STatue te, coram Purgatorio Animabus pleno, cruciatibus referto, & ejulatibus miserabilibus resonante.

2. Excita te, ad fervens, constansque studium adjuvandi illas Animas, tum isto status earum miserrimi conspectu, tum aliis huc servientibus motivis, atque causis.

1. Excitet te, ad hanc pro Animabus solicitudinem, Sanctæ Matris Ecclesiæ, tum exemplum, tum desiderium. Manifestum est enim: Ecclesiam nunquam oblivisci Animarum illarum: sed omnibus suis ad Deum precibus, etiam suffragia pro defunctorum Animabus adjungere. Manifestum etiam est, id ipsum à filiis suis, pro iisdem Animabus, ut fiat, Ecclesiam velle: & si fiat multùm probare: cedit enim hoc in ipsius Ecclesiæ solatium in hâc vitâ, in præmium autem in alterâ: affert optimum, optatissimumque fructum Sponso suo: & se in Animabus plenè purgatis, exhibet Virginem

A castam, non habentem rugam, neque maculam, fæcundam tamen filiorum, Dei conspectu, & fruitione dignorum. Præterea, Mater Ecclesia, juvando Animas illas, per nos filios suos hic adhuc degentes, exercet vitalem influxum charitatis, ac pietatis, in illa membra, tanquam pia Mater: minimè oblivioni tradens eos, qui à se hinc descendunt: sed eorum curam gerens nihilominus, opemque illis ferens utilem, opportunam, & necessariam.

2. Excitet te ad hoc pro Animabus illis studium, utilitas Animarum illarum optatissima, & opportunissima, in necessitatis extremæ articulo, exhibita beneficentia: quam proinde impossibile est illis non esse gratissimam; Etenim nullum beneficium, majus, opportuniusque possunt recipere Animæ illæ, quàm ut extrahantur de illo lacu miserrimo, utq; solvatur pro ipsis debitum, utque eliberentur de Vinculis, de tenebris, de tormentis: adducantur autem ad summum & interminabile bonum, ad possessionem nimirum, fruitionemque Dei æternam. Cui beneficio, secundùm se spectato, manifestum est nullum in bonitate, & excellentiâ conferri posse.

C 3. Excitet te ad idem studium pro Animabus Purgatorii, tua propria, quæ in te ex hoc studio redundat utilitas. Primò enim hâc pietate, plurimum apud Deum, totamque cælestem curiam mereris. 2. Exerces plurimos actûs Virtutum multarum: Fidei, Spei, Charitatis Dei, & proximi, misericordiæ, & compassionis, justitiæ, gratitudinis, fidelitatis, liberalitatis, aliarumque intercurrentium in ipsis operibus, quæ pro ipsis Animabus fiunt, optimarum actionum. 3. Exerces, & excitas in te, timorem Purgatorii, studiumque, & propositum curandi, ne D & tu ipse aliquando venias in illum locum tormentorum: curam quoque efficacem vivendi, & existendi semper in statu gratiæ: sine quo, tua opera omnia (utpote mortua, ac à mortuo profecta) nihil prodessent Animabus. 4. Excitas, & exerces in te, propositum fugiendi peccata, & malam vitam: agendi pænitentiam: prospiciendi Animæ tuæ de subsidiis, suffragiisque post tuam mortē. 5. Excitas & exerces actu, pænitentiæ ipsa opera: Orationes, Eleemosynas, jejunia, aliasque afflictationes tui. 6. Excitas te ad studium, & exercitia perfectionis, puritatis Animæ, & conscientiæ, mortificationes, & victorias tui, strenu-

osquè

osque actus pro tuâ ipsius salute. 7. Excitas in te, fidem & metum judicii Divini post mortem, eiusque severitatis, & inde ad severam, seriamque morum tuorum, & inspectionem, & correctionem, censuramque accenderis. 8. Factitas opera varia devotionis quibus indulgentias sacras consequaris, in tuum, Animarumque auxilium. 9. Facis tibi obligatas Animas, tum quæ in Cælo jam beatæ sunt: tum has ipsas; quas existentes in pœnis, ab eis liberas: ut suo tempore, potientes beatitudine, tui singularem curam gerant, orando pro te, gratias tibi opportunas à Deo impetrando, & mortem Sanctam, liberumque à purgatorio hinc transitum obtinendo: Media congrua tam pro hac præsenti, quàm pro illâ alterâ vitâ providendo: vel ut à Deo provideantur exposcendo. 10. Mereris; ut pro te mortuo, Deus excitet post modum multos ad orandum, & satisfaciendum, pro te in Purgatorio existente. 11. Mereris etiam; ut pro te mortuo, facta à vivis suffragia, efficaciter, infallibiliterque tibi proficiant, & applicentur à Deo, sicque citò è purgatorio libereris. 12. Mereris etiam; ut Deus in hac vitâ det tibi media, auxiliaque multa, & efficacia, hic vivendi, atque moriendi, sine obligatione culpæ, & pœnæ, ut ita sine purgatorio transeas ad cælum. 13. Excitas ipsas etiam Animas, etiamnum in purgatorio positas, ut pro te vivo, aut mortuo sint solicitæ: ut pro te orent, tuasque necessitates, Deo, speciali curâ commendent, pericula propulsent, gratiam tibi pro Gratiâ jam tunc referentes: facturæ idipsum absque dubio pleniùs jam Deo in cælis fruentes.

3. Ista igitur omnia excitent te, ad singularem, constantemque diligentiam, & liberalitatem, in afferendo Animabus illis Sanctis, sed nec dum Beatis, auxilio.

PRAXIS.

Oratio Ecclesiæ. *Fidelium DEVS* &c. Vel Oratio de S. Sindone: quæ quoties dicitur toties Anima liberatur.

DEUS, qui nobis in Sanctâ Sindone, quâ Corpus tuum Sacratißimum, de Cruce depositum, à Ioseph involutum fuit, paßionis tuæ vestigia reliquisti: Concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam, ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEVS, per omnia sæcula, &c.

EXERCITIUM VI.

De aliis motivis ad juvandas Animas Purgatorii.

1. Statue te coram Purgatorio, Animabus pleno, pœnis earum referto, eiulatibusque earum miserabilibus resonante.

2. Moveat te, ad commiserationem, & ad opem illis ferendam, tum iste illarum lamentabilis, calamitosusque quem animo & fide cernis, locus, statusque, tum sequentes causæ.

1. Moveat te, ad commiserationem super has Animas hoc: quia nulli egeno, vel digniùs, vel fructuosiùs, vel gratiùs, vel faciliùs, vel efficaciùs, vel solidiùs, auxilium, solatiumque præstare potes, quàm Animabus Purgatorii. Animæ enim illæ, sine dubio dignæ sunt auxilio, cùm sint Sanctæ & Deo charæ, in eiusque Gratiâ, & Amicitiâ. Juvantur verò in re summi momenti: nempe, in finali Beatitudinis æternæ, fruitionisque Divinæ assecutione. Appetunt summè juvari, & quidem justissimo appetitu: quid enim justiùs appetatur, quàm Dei æterna possessio, & fruitio? Nulla certe miserabilior egestas, quàm Deo carere: nullæ majores divitiæ, quàm Deum beatificè videre, & possidere. In hoc tali passu, Animæ illæ seipsas juvare non possunt, nisi satispatiendo: quæ est miserrima miserorum conditio: & hæc; ferè in solis Animabus purgatorii reperitur. Sunt etiam Animæ illæ nobis amicissimæ, & affectissimæ, omnisque boni nostri, ac potissimum salutis æternæ nobis cupidissimæ: pollent enim jam tunc perfectâ Charitate, tum Dei, tum proximi: & gnaræ sunt ex proprio experimento, status nostri: quamvis & aliunde illum scire possint, sciantque. Parvo satis labore, sumptu, impendioque juvari à nobis possunt. Et quidem ampliùs, ac efficaciùs longè, quàm suâ perpessione pænarum licet gravissimarum. Quoniam exigua nostra præsentis vitæ satisfactio pro illis oblata, plus illis solatii adfert, quàm magna & diuturna illarum tormenta. Iuvantur præterea infallibiliter, & cum indubitato effectu nostrarum satisfactionum. Denique, non tantùm nullo nostro dispendio juvantur, sed etiam cum magno nostro lucro & bono. Nihil siquidem nobis perit eorum, quæ pro illis impendimus, imò ad nos cum multiplici fœnore

rediens, in sinũ nostrũ convertitur omnis noster sumptus pro eis factus.

2. Moveat te, ad curam pro Animabus purgatorii: quia oblivio, & neglectus earum, præterquam quòd sit Deo, totiq; cælo ingratus, & exosus, Christianaque Charitate planè indignus; insuper arguit in homine neglectore, obliviosoque, magnam inesse socordiam spiritûs, totiusque fidei: arguit dormientem, & sopitam, & in terrenis sepultam Charitatem Dei, & proximi: arguit quoque magnam incuriam rerum æternarum, & futuri sæculi oblivionem, judiciique Divini vilipensionem. Arguit item hæc oblivio Animarum purgatorii, magnum defectum Spei Christianæ, Timoris, Charitatis, itemque Gratitudinis, in benefactores, amicos, socios, familiares, cives: ita ut negligentia ista, arguat propemodum infidelitatem, barbariem, & impietatem. Denique hæc negligentia, arguit parvam etiam propriæ Animæ salutisque curam: parum vivax, & sanum Corporis Christi, & Ecclesiæ membrum: quod scilicet vitam, & vitæ effectum, communicationemque non transmittat ad commembra sua, contrà naturam utique vivi membri, in uno, eodemque corpore siti.

3. Moveat te, ad studium fervens pro Animabus purgatorii hoc etiam; quòd sicut diligens cura pro talibus Animabus plurimas utilitates curanti adfert: ita negligentia plurima damna negligentibus adducit. Ac nominatim, quòd qui hoc modo alios juvare neglexit, negligetur etiam ipse post suam mortem ab aliis: imò si quid pro illo fiet, id justo Dei judicio aliis impendetur: sive his, quibus ille impendere debuerat, sed neglexerat, sive aliquibus aliis juxta Dei placitum. Ignorans enim ignorabitur. Et; *Quâ mensurâ mensi fueritis, etiam remetietur vobis*: dixit Dominus. (Matt. 7. 2.)

4. Moveat te etiam, ad idem pro Animabus purgatorii studium; Odium erroris, & impietatis hæreticæ, odium fraudis diabolicæ per hæreticos negantis, subtrahentisque subsidium pietatis Animarum defunctorum fidelium: odium item negligentiæ multorum frigidorum Catholicorum, qui de Animabus, mortuam planè curam, & fidem habent. Si Hæretici, vel nulli, vel pauciores essent, plures essent qui animarum istarum juvandarum zelo & studio ferverent: nunc quò plures hac peste, impietateque laborant, eò pauciores Animarum pii suffragatores sunt; Cura ergo tu; Zelo fidei, pietatisque Catholicæ accendi: & supplere connitere, vel omnium, vel plurimorum ex Hæreticis infidelitatem, ex Catholicis negligentiam, ex dæmonibus fraudulentiam, invidentiamque, Amore, & Imitatione Sanctorum studiosè pro Animarum auxilio laborantium.

3. Hæc te animent accendantque ad juvandas solicitè, copiosè, constanter, assidueque Animas.

PRAXIS.

Oratio Ecclesiæ. *Fidelium Deus* &c. Vel Oratio de S. Sindone: quæ quoties dicitur; toties Anima liberatur.

DEUS, qui nobis in Sanctâ Sindone quâ Corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum, à Ioseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti, concede propitius, ut per mortem, & sepulturam tuam, ad Resurrectionis gloriam perducamur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate &c.

EXERCITIUM VII.

De Motivis ad juvandas Animas purgatorii, ex statu Sacerdotali, & Religioso.

1. STatue te coram Purgatorio, Animabus pleno, pœnis earum referto, lachrymosis earum planctibus, ejulatibusque resonante.

2. Excita in te studium ad eas juvandas ex tam misero earum statu.

3. Excita præterea hoc studium in te ex tuo statu spirituali, ac inprimis Sacerdotali; ex cuius naturâ, non solum potes, sed etiam debes, curam, & quidem singularem habere animarum Purgatorii. Hic enim status, ad hoc à Deo in Ecclesiá est institutus, ut Corpori Christi, tam reali in Sacrificatione, distributioneque; quàm mystico in eius ad salutem æternam directione, & cum Capite Christo, efficaci, ac finali conjunctione serviat, potissimumque in eo laboret. Inde fit; ut Sacerdotes etiam ad animas Purgatorii juvandas peculiariter ferri teneantur: non solùm quia sunt membra Christi, sed quia membra talia, & in tali statu, in quo, & viva quidem sunt, & opis tamen valde indiga, sed opem sibimet ferre nullam valentia: & in manibus Sacerdotum po-

tissima instrumẽta sunt; quibus illa Christi membra juvari efficacissimè possunt: ut sunt Sacrificia Missæ, Sacramentorum, & usus, & administratio, Orationes Ecclesiæ, & propriæ, Mortificationes, Puritas Vitæ, & Zelus animarum.

4. Excita præterea hoc studium juvandi Animas in te, ex peculiari ratione statûs tui Religiosi: ratione cuius, cùm optima tibi pars ex Divinâ largitate obvenerit, quæ in Ecclesiâ militante habetur, adeo ut optima quæque ex bonis Spiritualibus, ac Divinis, Ecclesiæ communicatis, Religiosorum sint; inde fit, ut maximus, & præcipuus fructus Pietatis, atque Charitatis, non quæ sua sunt, sed quæ Dei, quæ Christi, quæ proximorum, quæ Animarum in purgatorio positarum quærentis, à Religiosis personis ordinibusque expectetur: & desideretur. Quare Animabus Purgatorii maximè tenentur opem ferre Religiosi: quia maximè possunt: possunt autem: quia præcipuis Gratiæ Dei, meritorumque Christi pignoribus, & muneribus abundant: mediisque ac modis circumfluunt.

5. Adde; quòd status Religiosus, cùm sit naturâ status Pœnitentiæ, mortificationis, satisfactionisque omnimodæ, inde fit, ut facillimè, simul & efficacissimè, animabus prodesse possint Religiosi, omni suo opere, dummodo non graventur animabus applicare. Quorum opera, etiam hoc secluso, quòd sint ratione statûs pœnalia, & pœnitentiæ: tamen propter solum statum, & simul Virtutem statui insertam Religionis, cæteris paribus, magis sunt placentia Deo, meritoriaque, ac impertratoria, satisfactoriaque, ac ad juvandas animas purgatorii aptiora, quam alia aliorum hominum opera.

6. Potes præterea, ac debes animabus purgatorii præcipuam opem ferre, ex ratione statûs tui Religiosi, huius in specie, in quo quisque est: cuius naturam, & prærogativas specificas, ad hoc negotium servientes, quisque facile viderit, quisquis se alicuius religionis filium noverit, & amaverit. Ratio statûs Religionis Societatis JESU habet suas in hac parte commoditates à suâ naturâ, ac proinde etiam ad strenuè juvandum animas purgatorii, obligationes suas proprias.

Societas JESU in hunc finem instituta est; ut animas JESU Christo lucretur, & coniungat, & eo nomine omnes labores exhaurit. Oportet ergo, ut hunc suum circa animas hominum laborem, Charitatisque cursum prosequatur, impendatque etiam in Purgatorio: ubi & animæ sunt, & nec dum plenè Christo conjunctæ sunt, & in huius conjunctionis assecutione alienæ opis egent, cùm sibi ipsæ ferre auxilium (nisi patiendo) non possint: ac proinde ibi Charitas Societatis JESU, & filiorum eius locum habet, imò pertingere debet.

Hoc nisi Societas JESU faciat; faciet suam Charitatem imperfectam, & mancam, & quidem in maximè principali quia ultimata, & finali portione Charitatis. Charitas enim nunquam excidit: ideoque, & fide, & spe major, ab Apostolo prædicatur: hæc verò si Animas purgatorii non sequitur; excidit plenè: nec finem habet, (nisi ante finem,) quia animas non deducit usque ad ultimam, summam, finalem, æternamque beatitudinem, & cum Christo Deo suo beatificam conjunctionem.

Hæc finalis Charitas, & in finem Animas etiam purgatorii fovens, Societatem JESU decet ex titulo ipso suo, Nominis scilicet JESU, quod Salvatorem sonat. Salvator autem, proprie, ac ultimate JESUS, non fit, nisi tunc; cùm actualiter, efficaciterque, complete, & ultimate, Animæ salutem ac beatitudinem per JESU Christi merita recipiunt: Deoque fruitivè potiuntur. Ut ergo reipsa efficaciter, finaliterque JESUS, fit JESUS; & Societas JESU complete, juxta nomen suum fit Societas JESU; Animas ex purgatorio, operâ, & studio illius educi, & cum JESU beatificè coniungi oportet. Quod etiamsi omnibus JESU Christi servis, (cuiuscunque conditionis, statûs, & ordinis sint) competit: attamen vel solius Nominis, institutique causâ, speciali quadam ratione Societati JESU, eiusque filiis incumbet. Sic enim verè suo Nomini, atque instituti Fini respondebunt; cùm sui Ducis Nomen realiter facient id esse, quod sonat in se: & cum Merita sui JESU, efficaciter, finaliterque effundent in Animas redemptas, & salvatas Sanguine JESU.

Adhuc autem, cum Societatis JESU primarius finis & unicus scopus sit, semper maiorem Dei gloriam curare; Maior autem Gloria Dei, nullatenus à Creaturâ esse possit, quàm pervenire ad Beatitudinem, & fruitionem Dei æternam; (hæc est enim, sicut maxima merces, ac Gloria, quam Deus facere potest Creaturæ, ita vicissim quam Creatura potest referre Deo: estque hæc sola, cui uni, omnia serviunt opera Dei ad extra;) Igitur Societas JESU, nullo modo efficaciùs fini

vocationis suæ facit satis, quàm quando Animas, efficaciter, ac reipsâ in statu beatitudinis, ultimatè collocandas, ultimatè adaptat. Hoc verò in nullo suo labore præstat certiùs, quàm quando Animas è purgatorio liberat.

Alii enim labores, Animabus viventium impensi, sæpè steriles sunt: sæpè non finaliter efficaces, ac fructuosi: at verò Animabus Purgatorii impensi, nec steriles esse possunt, nec nisi efficaciter finales sunt: cùm hoc unum spectent, sicut & hoc unum restat, in quo Animæ purgatorii adjuvari egent, ac debent; ut Animas à Beatitudine præpeditas, ab impedimentis absolvant, & cælo idoneas reddant, & ad illud transmittant, demumque supremam Deo Gloriam impendant, & impendi æternaliter faciant.

Ob quam etiam causam; Deus magis desiderat Animas purgatorii, in gratiam suam juvari, & citò ad beatitudinem dirigi à nobis; quàm alias, sive justorum, sive peccatorum, in hac vitâ degentium: quia ab illis promptissima est, & certa, & ultimata, seu suprema Deo Gloria: ab his verò non item: cùm præter statum viatorum convertibilem semper, istæ sæpè remoram, obicemque ponunt suæ in Deum, & in se Dei Charitati. Unde peccatorum Animas, etsi velit Deus juvari, quodammodo tamen vult invitus; ut pote sibi, proprio earum malo merito, exosas, & inimicas: Animæ autem purgatorii sunt confirmatæ, & consummatæ in Gratiâ, Charitate, Amicitiâq; Dei: quare ex toto corde suo Deus illas quàm studiosissimè, liberalissimèque adiuvari desiderat, & gaudet.

Hæc igitur te moveant ad redundantiam Charitatis impendendam Animabus Purgatorii.

PRAXIS.

Oratio Ecclesiæ. *Fidelium Deus* &c. Vel Oratio de S. Sindone: quæ quoties dicitur, toties Anima liberatur.

DEUS, qui nobis in Sanctâ Sindone, quâ Corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum à Ioseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius: ut per mortem & sepulturam tuam, ad Resurrectionis gloriam perducamur Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate &c.

ERGA
Animas Purgatorii.
Exempla & Praxis Liberalitatis Christianæ.

FUit olim, & nunc etiam est in Sanctâ Catholica Ecclesiâ, is piorum ardor ad Animas Purgatorii adiuvandas, ut non contenti ordinariis atque solitis Sanctæ Ecclesiæ, ipsas adjuvandi modis, eò liberalitatis erga ipsas, docente, & juvante Deo, processerint; ut exspoliantes semetipsos omnibus suis satisfactionibus coram Deo, eas liberaliter conferrent in Animarum Purgatorii subsidium. Ita factum olim, a S. Gertrude Virgine legitur in libro Insinuationum Divinæ Pietatis, ab ipsámet hac Sanctâ, jussu Divino exarato. Hoc idem liberalitatis opus exercitum, à P. Marcello Mastrillo, ex Societate JESU, non ita pridem in Iaponiâ pro fide Christi Martyrium passo. Eadē liberalitate in Animas purgatorii usum, P. Ignatium Lojolam, Fundatoris Societatis JESU & cognominem, & eidem sanguine, Societatisque instituto junctum, in Paraquariâ Brasiliæ provinciâ laboribus, & vitâ functum; tradunt Annuæ literæ illius Provinciæ. At ulteriùs sese protulit liberalissima pietas in easdem Animas, Patris Hernandi Monsoy ex eadem Societate IESU, uti scribit de eo Pater Ioannes Rho in Histor: Virtutum *l. 1. c. 4. §. 3.* qui non solùm suas satisfactiones, quas vivens habuisset omnes, verùm etiam omnia suffragia quæcunque pro illo, suâ vitâ functo, habenda essent, vivens Deo pro Animabus obtulit: Cupiens, ut ne quidem post mortem suam, Animas Purgatorii non juvaret, modo quo posset.

Novi & ipse eiusmodi in Animas Purgatorii, liberalitate præditos, tum de Societate IESU, tum alios, etiam seculares statu, homines, quorum aliqui jam vitâ functi, aliqui etiamnum supersunt. Quos si quis aliquando, vel ex toto, vel ex parte, imitari volet; hæc ei, quæ subjungitur commodare poterit;

PRAXIS.

Liberalitatis in Animas Purgatorii.

DIgnissima, & Sanctissima Trinitas, unus Deus meus: puro Tui amore, ut Tu exalteris, quantùm per me potes, debes, scis, & vis, & das; quātum etiam

tùm etiam ex Te dignus es; ut IESV Christo merita sua compensentur, ut Pretiosissima Parens Dei MARIA, & tota cælestis curia exhilaretur, ut Animabus Tibi dilectis, sed nondum purgatis, tuoque Beato conspectu necdum dignis, bene sit, ut earum S. Angeli Custodes, cæteriq; Patroni Sancti, fructu curarum suarum, citò, & finaliter gaudeant;

Ego N. totius residuæ mortalis vitæ meæ operationibus, & Passionibus quibuscunque, Animas purgatorii juvare cupiens, & statuens, omnes & singulas Actiones, & Passiones meas, usq; ad mortem, ipsumq; mortis meæ articulum, & opus, Tuæ Divinæ Majestati offero, applico, dono, (voveo,) in omni earum applicabilitate, quâ pro illis applicari, & illis prodesse possunt: Exceptis solùm iis, quæ quia aliis ob alienam potestatem debeo, non est mei arbitrii Animabus illis donare. Ipsam tamen hanc exceptionem, & exceptionis praxim quamlibet, pro iisdem in auxilium offero, secundum gustum tuum, Domine DEVS meus. Nullum omnino fructum actionum, perpessionumve mearum mihi reservans, quicunq; aliquomodo Animabus prodesse possit, coram Te vivorum, & mortuorum Deo.

Præter hoc, Domine, eodem affectu volo, (& voto promitto,) & permitto tibi illa omnia, quæcunq; post meam mortem, miserante te, justè passurus sum in Purgatorio; totum, propter Te, nunc acceptans, & quoad licet mihi, omni meliori modo meritorium, satisfactoriumq; faciens; quantùm possum, & quatenus prodesse Animabus Purgatorii, hoc etiam nunc potest, aut tunc forsan poterit, iisdē Animabus jam nunc dono, & applico.

Insuper offero Tibi Deo meo: omnes totius Ecclesiæ tuæ Sanctæ, omniumq; Tibi Gratorum satisfactiones: quin etiam omnes omnium Creaturarum actiones, atq; passiones, mihi per meam intentionem, quocunq; modo nunc jam appropriatas, & communicatas: & Animabus Purgatorii juxta Sapientiam Tuam prodesse idoneas: atq; nunc jam per me ad hoc applicatas: meas item satisfactiones, nec non omnium Creaturarum quascunq; mutationes, toti Sanctæ Ecclesiæ, ab eius Origine, ad usque finem mundi duraturæ, impersonatas; uniendo omnes tam has, quàm illas quascunque, Domini nostri IESV Christi, omniumq; Electorum meritis, juxta gustum Tuum, Animarumq; illarum indigentiam & utilitatem.

Insuper Domine, Tibi offero promitto, permittoque in subsidium Animarum Purgatorii, totum quodcunq; satisfactorie offertur, & fit, & fiet unquam, à quocunque, & ubicunque: sive in universâ Ecclesiâ, sive in totâ nostra Societate IESV, sive à quacunq; particulari Personâ, sive in quacunq; aliâ Tibi DEO Domino meo notâ placitâque circumstantiâ, pro me vivente: Uniendo totum hoc, quantùm ex me, Sanguini meritisq; IESV Christi, omniumq; Electorum tuorum, juxtà gustum, & ad gustum Tuum.

Insuper, Domine, offero Tibi in Animarum Purgatorii subsidium, totum hoc; quod ego, tam in vitá meâ præsenti, quam post mortem meam, sive in ipso me, sive in quocunq; mei, sciens, nesciens, volens nolens, jam tamen ex nunc pro tunc volens, & libens totaliter, sive in Animâ & bonis eius, sive in corpore, sive in famâ, commendatione, memoriâve mei, sive deniq; in quacunq; aliâ re, concernente, & attingente me, perpessurus sum, usque ad extremum judicii diem: Uniendo jam nunc omnem illam perpessionem Meritis & Passionibus Domini nostri IESV Christi, ad fructum Animarum Purgatorii ampliorem, ad Tuam vero gloriam omni maximâ majorem.

Insuper Domine, omnem si quem apud Te ex dono gratiæ tuæ, ex Christiq; Meritis, pauperculus ego, habeo satisfactionum thesaurum, Tibi totaliter offero, dono, & permitto: ut eum dispenses in Animas Purgatorii, usq; ad exinanitionem, & denudationem mei, quoad omnes satisfactiones meas, meritis, satisfactionibusq; Domini mei IESV Christi unitas. Solas mihi satisfactiones, solaq; Domini mei IESV Christi merita reservando, sine quibus Tibi gratus esse, salutemq; æternam consequi neq; valeo; neq; volo: quæq; adeò infinitæ efficacitatis sunt, ut earum virtus, & valor, nullis ad alios applicatio\uibus, ab ipsis applicantibus (modò aliundè etiam capaces sunt) avocari possit. Reservans etiam mihi satisfactiones, & intercessiones omnium Electorum Dei tanquam fratrum meorum, specialissime autem Pretiosissimæ Parentis MARIÆ, tanquam Hereditatis meæ. Reservans etiam mihi Animarum particularium designationem ad hujus Donationis meæ fructus percipiendos, juxtà voluntatem, aut obligationem meam incidentem, tuæ tamen Divinæ Voluntati subordinatam. Quâ meâ applicatione deficiente; Tu Domine, sive defectum ejus supple: sive juxta tuum beneplacitum, applicationem dispone, & dispensa.

Hæc porro omnia superiùs à me insinuata, & à me Tuæ DEVS meus Majestati, in suffragium Animarum purgatorii oblata; oblata esse volo absq; ullo meo, (quatenus meò) præmio, mihi inde apud Te secuturo: sed in Animas easdem satisfastoriè redundaturo: Præmii loco, illud solum cupiens à Te, ut tu Domine, hanc pauperculam voluntatem meam acceptans, ac benedicens, per illam, in Tuis, & à Tuis Creaturis ampliùs, & ampliùs glorificeris: Ut quàm plurimis Ecclesiæ filiis, gratiam, & spiritum, efficaciter tenerum, compassivum, liberalem, studiosum, constantem, erga Animas purgatorii juvandas, unà mecum largiaris: utq; per meam hanc, quam ex dono tuo concepi voluntatem, & propter Animas depauperationem, Tuæ quidem Gloriæ, Animarum verò beatitudini, aliquid, sive plenitudinis, sive saltem accelerationis accrescat.

Id ita totum Tuæ Divinæ Voluntati, Charitati, Majestati, ac Dignitati voveo, promitto, juro, dono: sanguinisq; IESV Christi Domini nostri, omniumq; Electorum, meritis consigno: Nunquam ut scien-

ut scienter, prudenterque, ac deliberatè, quantùm ad me, sim retractaturus, tam in toto quam in parte, usq; ad mortem: ad quam usque; esse volo, & ero, servus, operarius, mancipium Tuum, propter Animas illas, Animarum autem illarum propter Te. Tibi Deo meo omnis, & semper maior Gloria, in sæcula sæculorum. Et fidelium Animæ per misericordiam Tuam Divinam, requiescant in pace. Amen.

Alia Praxis brevior.

OMnipotens DEUS: Ego N. offero Divinæ Maiestati tuæ, ad Animarum Purgatorii subsidium: omnes Actiones & Paßiones meas, quatenus eæ satufactoriæ sunt, totius vitæ meæ. Offero etiam Tibi, ad idem Animarum subsidium, totum id, quodcunque, à quocunque, tibi offertur, offereturve pro me vivo, vel etiam mortuo, quatenus id quoque satisfactorium aut est, aut erit: jam nunc volens id, Animabus purgatorii prodesse: juxta SS. Voluntatis tuæ beneplacitum, & secundùm majorem tuæ Maiestatis gloriam: Uniendo hæc omnia, hancq; oblationem meam, meritis Domini nostri IESU Christi, & Pretiosißimæ Dei Matris Mariæ, Omniumq; Electorum.

Quantò quis liberalior in Animas Purgatorii, tantò plus sibimet per hoc proficit.

1. Quia hæc liberalitas, liberali, non tantùm nihil coram Deo meriti aut valoris detrahit, sed etiam, tantò maiorem fructum adfert, quantò ipsa est liberalitas maior: quæ nunquam coram Deo esset illi tam fructuosa, si non esset in Animas tam profusa,

2. Hæc enim Liberalitas quò est maior, eò liberaliorem apud Deum meretur gratiam in hac vitâ, & gloriam in alterâ.

3. Hæc eadem Liberalitas erga Animas Purgatorii facit, ut per opera nostra, non solùm non minùs, sed etiam longè ampliùs impetremus à Deo quorumcunque Donorum.

4. Hæc quoque Liberalitas Animabus impensa, non minùs, sed potiùs ampliùs satisfactoria, purgatoriique nostri apud Deum diminutiva est: operaque nostra facit: quam illa essent, si animabus impensa non essent.

5. Hæc quoque Liberalitas in Animas Purgatorii, facit nobis amplissimam in Deo, & coram Deo fiduciam: quòd intuitu liberalitatis huius, vel plurimum, vel etiam totum nobis de reatu pœnarum purgatorii liberalissime detrahet, condonabitque. *Beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Et; *Beati misericordes, quia & ipsi misericordiam consequentur.*

6. Hæc quoque Liberalitas in Animas, non tantùm non est contraria Charitati, quam quisque sibi ipsi debet, sed est potiùs pro istâ Charitate. Sicut enim parcitas, aut negligentia in juvandis illis Animabus, est contra Charitatem, non tantùm illis, sed etiam ipsis nobis debitam: ita è contrâ, liberalitas erga illas, est valde secundùm utramque Charitatem: & specialiter in hoc passu; ut per eam nos ipsi, pro nobis debito purgatorio, multum Deo, eiusque justitiæ satisfaciamus.

7. Nam cùm (juxta dicta) per hanc in Animas liberalitatem, opera nostra coram Deo reddantur, magis & meritoria, & impetratoria, & satisfactoria: sequitur, quòd, cùm aliquis opera sua (præsertim si liberaliter) offert Deo pro Animabus illis, hoc ipso plurimùm serviat Charitati sibimet à se debitæ. Qui autem in hac parte negligens, & parcus est, in suam ipsius Charitatē (maximè quoad Purgatorium sibi leniendum, abolendumvè) injurius est.

8. Beatam Gertrudem cæperat aliquando pænitudo aliqua, suæ talis in Animas Purgatorii liberalitatis: eò quòd sibi videretur nuda comparitura coram Christo, erogatis à se suis omnibus in Animas. Cui Dominus solatium tale dixit; *Mater quæ plures filias habet, singulis adultioribus vesticulas providet: solam autem infantulam habens nudam, suâ propriâ veste contegit, & fovet: Idipsum ego tuæ paupertati nuditatiq; faciam.* ait Dominus.

Alterâ vice eidem S. Virgini, similem Dominus mærorem absterfit, hoc modo: Voluit, ei ab omnibus Sanctorum Ordinibus conferri symbolam meritorum: quæ cum facta esset; incipiente Beatissimâ Deiparâ; apparuit Gertrudis ditissima. Atque hisce modis ostendit Dominus, nihil deperdi de suis bonis, liberalibus eximiè in Animas Purgatorii: quin imò securè, & magno cum fænore accrescere ipsis, plurima coram DEO bona.

EXER-

EXERCITIORUM PARS XVIII.

De Æternitate.

EXERCITIUM I.

Quid sit? quòd sit, quotuplex sit Æternitas?

1. STatue te cum Davide Sancto, cogitante dies antiquos: & annos Æternos in mente habente: hoc est: Memoriâ recolente, intellectu considerante: voluntate deligente, & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter. Nam eadem est tua, quæ & Davidis cum Æternitate causa, eadem conditio, eadem conversandi, ac negotiandi, demumque commanendi necessitas.

3. Transibunt Prophetæ Sancto, transibunt & tibi, & omnibus hominibus anni præsentes: de quibus nihil quisquam nostrûm habet nisi transitum, & elapsum: succedent autem anni nunquam transituri, sed semper mansuri: quia æterni, quia Æternitatis, quia ipsa Æternitas.

4. Quid sit Æternitas; quæres? Si eâ intellectus Creatus caperet; æternitas non esset: habet enim intellectus creatus, maximè humanus, capacitatis suæ in cognoscendo mensuram, & finem: quem Æternitas non habet, nec habere potest: si ergo illam intellectus noster caperet; aut ipse finitus, aut æternitas infinita non esset.

5. Quid tamen est Æternitas? Est duratio semper manens, stans, immobilis, eadem, omnia finiens, ipsa infinita. Ex Tempore discamus æternitatem. Tempus est duratio motus transeuntis ex nô est in Erit: ex Erit, in Est: ex est in Fuit, ex fuit in non est: huic opposita penitus èst Æternitas: nimirum, duratio præsens, perstans, permanens, eadem semper. Non habet futurum: neque post illud, habet præsens: neque post hoc habet præteritum: neque post, habet non est: sed semper totum, & idem, & tantûm est. Quidquid est in tempore, transit cum têpore, & elabitur in non est: nihilq; erit sêper. Quod in æternitate est, semper est, semper erit, nunquâ præterit, nunquâ mutatur: sed quasi inchoans semper, est semper, idem semper. Si enim non semper, aut non idem esset, jam æternum, nô esset: nec in æternitate esset, sed in motu, mutatione, transitu, tempore, & fine esset.

6. Quòd autem in rerum naturâ sit Æternitas: ex eo patet; quia Deus est: qui, si hoc est, quod esse naturâ sua debet, & quod esse concipitur, quando vere, & debitè concipitur; necessariò æternus est, proinde æternitate æternus est, ac proinde Æternitas est. Sicut enim impossibile est Deum non esse; & ita impossibile est Æternitatem non esse.

7. Est igitur Æternitas in rerum naturâ. Est autem duplex. Nam alia est completa, perfecta, & simplex, simpliciterque æternitas: quæ & initium habuit nunquam ullum: neque etiam finem habebit aliquâdo. Talis est Æternitas Dei, quâ Deus æternus est: imò Deus, ipsa est hæc æternitas: & Æternitas hæc, ipse Deus: Principium & finis: principium sine principio, Finis sine fine. Hæc Æternitas soli Deo competit: sicut soli Deo competit, nunquam non fuisse, sed semper essentialiter fuisse: & nunquam non fore: sed semper essentialiter esse, & fore. Alia est æternitas incompleta, dimidiata, participata, creata; quæ aliquando, imò ab æterno non fuit, sed aliquando, post non esse, incipit esse: & nunquam desinet esse de facto: etiamsi de possibili posset desinere esse: si Deus, qui illi dedit Esse, vellet eidem accipere esse, & redigere illam ad ejus pristinû non esse. Hæc Æternitas creaturarum est, & ipsa creata est. Non omnium tamen creaturarum est, sed tantûm Substantiarum immaterialium: quales sunt soli Angeli: & Homines etiam, ex parte Animarum suarum: & quarundam etiam materialium, ut cælorum, &c.

8. Quanquam homines, post ultimam resurrectionem, manet Æternitas etiam quoad corpora: ita ut toti Homines in æternum victuri, & duraturi sint, exulante jam omni corporum corruptione ab eis.

9. Est autē adhuc alia Æternitatis divisio: alia enim est Æternitas beata, & beatificans, atque in beatitudine, omnique felicitate conservans in æternum: alia est æternitas misera, miserum faciens, & in omni calamitate, infelicitate, atque perditione servans, in æternum. Illa prior, Beata Æternitas, subdividi potest in duas: Est enim una completa, & absoluta: quâ Deus solus beatus, & æternus ante omnia secula, & in omnia, perque omnia, ac post omnia secula, fuit, est, eritque beatus. Ista enim æternitas est ipse essentialiter Deus: qui solus habet immortalitatem, solus potens, solus Beatus, solus felix, solus à seipso, ex seipso, seipso, propter seipsum, immensa, infinita, substantialis, essentialis, æterna beatitudo, beatitudinisque possessio. At verò alia Æternitas Beata, est incompleta, & participata, & habens initium, atque ex non beato faciens beatum: at nunquā desinens facere beatum. Ista Æternitas, competit solis Creaturis rationalibus. scilicet Angelis, & Hominibus: & ad hanc creatæ sunt omnes tales creaturæ à Deo: ad hanc eædem omnes, à Deo per omnes circa ipsas operationes, diriguntur; sub conditione unicâ, & solâ hâc, ut eæ Creaturæ, Deo factori suo subdantur, serviantque suâ spontaneâ, liberâque, quam in hunc finem à Deo acceperunt, voluntate: perseverantes in hac ad Deum debitâ, & simul spontaneâ subjectione, dilectione, obedientiâ, laude, & honoratione, usque in finem, tempusque à Deo statutum: quo elapso, accipiant à Deo istam Æternitatem beatam, beatificantē, & in omni beatitudine, illos conservantem: hoc est: Accipiunt à Deo Deum ipsum, videndum, fruendum, possidendum sicuti est: cum omnibus bonis, & præmiis, cumque omni plenitudine, & securitate, de habendis iis, per omnes, perpetuasque Æternitates.

10. Æternitatem miseram, & infelicem, quæ aliàs perditio, & mors secunda (nam mors peccati prima est) ac æterna dicitur, non fecit Deus: neque ab eo est: sed illam impii Angeli, & Homines, à Deo, & ejus Sanctâ, & justâ Voluntate rebellantes ac recedentes, ambabus manibus (ut ait Scriptura) accersiverunt: & cum eâ fœdus pepigerunt nunquam dissolvendum. Etenim quia beatam æternitatem, sibi à Deo pro obedientiâ, & amore, atque subjectione voluntariâ ac devotâ, in præmium assignatam atque promissam, per voluntariam suam inobedientiam, superbiam, rebellionem contra Deum abjecerunt, & se ejus assecutione indignos fecerunt, conjeceruntque semetipsos ultro in eum perditionis, odiique Divini statum, ex quo illis esset impossibile ullis creatis viribus surgere, Deumve sibi reconciliare; inde Beatam quæ illos tanquam præmium summum atque ultimum à Deo expectabat, Æternitatem, amiserunt in æternum accersiverunt autem, atque adeo procuraverunt sibi miseram, infelicemque Æternitatem, in pœnam, & supplicium ultimum & sūmum, & nunquam terminandum, & nullo non miseriæ, calamitatis, doloris, ac perditionis genere æternaliter, & interminabiliter, & immitigabiliter plenissimum.

11. Attende ad hæc, & expende hæc ô homo: & hosce æternos annos in mente semper habeto. Deo, suam æternitatem, æternaturo affectu congratulare: Sanctis tam Angelis quàm Hominibus beatam æternitatem adgaude: tibi ejus cum ipsis Societatem desidera: Miseram verò Æternitatem, & ejus cum dæmonibus, hominibusque damnatis consortium exhorresce: & omnibus viribus effugere, tecum ipse statue: ac Divinæ gratiæ, meritorumque Christi, & Electorum ejus auxilium, humiliter, instanter, incessanterque implora, & efficaciter adhibe.

PRAXIS.

O Æterne: ac totius Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum Æternitatis beatæ aditum, devictâ morte reserasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, intellectu, & voluntate semper habere; ut in tempore sæculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM II.

Aut beata, aut misera Æternitas omnibus subeunda.

1. Statue te socium Davidi Sancto, cogitanti, dies antiquos, & annos æternos in mente habenti, memoriâ retinenti, intellectu perpendenti, & voluntate deligenti.

2. Tu quoque fac similiter. Nec enim quidquam utilius, salubrius, honestius, jucundius, opportunius, & necessariò magis,

magis, totâ ratione, rationalique vitâ, voluere, ac revolvere potes; quàm æternos annos: quàm æternitatem.

3. Hoc enim, & tu, & omnis homo, apud se super omnia certissima certius habere debet: quòd ad æternitatem factus, & ordinatus sit: quæ cum duplex sit; Beata scilicet una: misera verò altera: in harum alterutrâ, necessariò, irrefragabiliter, inevitabiliterque, omni homini demorandum, atque habitandum est.

4. Quidquid ille vult, agat in hac vitâ: utatur bene, abutatur in malum libertate suâ, & hujus temporis bonis: tandem tandem tamen transibunt hæc têporalia omnia: succedent autem his æterna: & æternitas, responsura his quæ homo egerit in corpore, & tempore, sive bona, & Dei voluntati conformia, sive mala, & Sanctissimis Dei legibus dissona: responsura dico, vel ut præmia bonorum meritorum, vel ut supplicia malorum factorum: æternitate admetienda.

5. Ergo in memoriâ, intellectu, ac voluntate tuâ depone, reconde, revolve, assiduò æternitatem, cujus alterutra portio tibi necessariò omnino est obventura: cujus necessariæ obventioni, te necesse est omnino tuamet propriâ voluntate, & voluntatis spontaneâ operatione præparari, atque adaptari: quæ adaptatio, atque præparatio, in hac tantùm, & non in alterâ vitâ, abs te peragenda est: post hanc verò vitam exactam, & elapsâ; jam juxta Vitæ præsentis, adaptationisque, ac operationis eâ qualitatem; æternitas tibi, sive bona, & beata, in operationis bonæ præmium; sive mala, & misera, in operationis malæ supplicium, est indubitanter, ac immutabiliter obventura: atque te suo ineluctabili sinu, complexura, atque conclusura.

6. In æternum ergo, necessariò, ac infallibiliter, aut esse felix, beatusque aut infelix, & per omnia miser, perditusque debebis. In æternum aut hædus, aut agnus; aut piscis malus foras mittendus, aut piscis bonus in vasa seligendus; aut granum in horreum recondendum, aut palea igni inextinguibili comburenda; aut triticum metendum congregandumque, aut zizania in fasciculos colliganda ad comburendum; aut arbor ad Austrum, aut ad Aquilonem lapsa; aut lignum viride, aut lignum aridum; aut palmes fructuosus, aut palmes præcisus, & in ignem missus, ac ardens, futurus es: & tuo quidem proprio arbitrio futurus, atque (ut dixi) in æternum futurus.

A 7. Et quoniam tuo proprio arbitrio alterutrum futurus es: incumbit tibi omnino & inevitabiliter alterutrum eligendum jam nunc: atque ad alterutrius consecutionem, temet operatione voluntatis tuæ disponendum. Qualis est, eritve vita præsens tua, talis est, eritque dispositio tua. Vis ad beatam æternitatem, sive (quòd idem est) ad æternam beatitudinem disponi? velis etiam, & reipsâ præstes, servare mandata, & incede justus semper ante Deum in omnibus mandatis ejus sine querelâ: quodsi non placet tibi incedere per viam mandatorum Dei, sed magis libet sequi & exequi pravitatem cordis tui, & esse operarium iniquitatis; atque ita perseverare, neque per pœnitentiam, fructusque pœnitentiâ dignos ad Deum converti; tunc expectat te decreti Divini contra impios clausula: *Discedite à me operarii iniquitatis:* & *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus:* & tunc discedes cū omnibus impiis in combustionem æternam: Iusti autem cum Christo intrabunt in Vitam æternam. (Mat. 7. 23.)

8. Neque tibi blandiri, aut illudere magis, velis, ex flore ætatis, aut robore valetudinis, aut affluentiâ successuque rerum, aut longioris vitæ spe. Si enim securè istiusmodi conditionibus confidere homines possent; non diceret, nec præmoneret, Christus salutis nostræ fidissimus amicus, & zelator, dicens: *Vigilate, quia nescitis diem, neq; horam, quâ venturus sit Dominus:* & tanquam ille Danielis, *lapillus, Statuæ auro, argento, ære, ferro,* & testa conflatæ, pedem extremum percussurus, & cuncta illa metalla in favillam contriturus, ac dispersurus. Memento illius, qui (enarratore Christo) dicebat Animæ suæ: *Anima habes multa bona, reposita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare:* Dixit autem illi Deus: *Stulte: hac nocte, animā tuam repetent à te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Sic etiam est: qui hisce têporalibus, quasi æternis, æternaturo animo immersus; æterna verè, & æternitati beatæ idonea, necessariaque, aut ignorat, aut negligit, aut insipienter, periculoseque, & ancipiter procurare differt: & in ultimas demum horas, momentaque, æternitatis negotia reservat. Et tamen hominibus, ita desipientibus, plenus, & superplenus est mundus, etiam Christianus. (Mat. 25. 13. Dan: 2. Luc. 12. 19.)

9. O verè *gens absq; consilio, & Sapientia: & sine prudentiâ: utinam saperent, & intelligerent,* (Deut. 32. 29)

rent, ac novißima, æternaque *providerent*, procurarent, & condignis studiis affectarentur!

10. Tu homo vide quid eligas, quid agas, quid conquiras: in quo Vitam, laboresque vitæ præsentis consumas? Aut æternùm Beatè, aut æternùm Miserè esse, omnino te est necesse. Eligere nunc, arbitrii est tui: corrigere electionem; arbitrii nunquam erit tui. Nam in delectu & mercatu Æternitatis, errare bis nemini unquam datur.

PRAXIS.

O Æterne: & totius Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, Æternitatis Beatæ aditum, devictâ morte reserasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, in intellectu, & voluntate semper habere: ut in tempore seculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM III.

De his quæ mensurant Æternitatem.

1. Statue te socium Davidi sancto: dies antiquos cogitanti, & annos æternos in mente habenti, memoriâ recolenti, intellectu perpendenti, & voluntate deligenti.

2. Fac tu quoque similiter: Et tibi enim ad æternitatis portum, post, & per enavigatam istam mortalem vitam, indubiè appellendum est. Sed interest quali appulsu? felici? an naufrago? Ad portum beatæ æternitatis, qui revera portus securus est? an ad portum; magis autem, & reipsâ ad scopulũ, charybdimque miseræ æternitatis, ac æternæ perditionis? Quod extremum Naufragium est.

3. Vide ergo ac circumspice sæpè & diligenter Navigium tuum quo veheris: vide Navarchum: Spiritusne Sanctus, an spiritus nequam, mundus, dæmon, caro? vide remiges tuos: qui sunt affectus & desideria tua. Vide Cynosuram & Acũ nauticam: Gloriane & Voluntas Dei, an propria voluntas & cupiditas sit? eanè quæ Christi Iesu, an quæ tua sunt quæris? Vide armamenta & instrumenta navis tuæ, vide commeatum: vide propugnatores. Vide onera, & merces, quibus navis onusta sit? sintnè omnia æternitati idonea, suffectura, peropportuna, pergrata? Num aurum, argentum, lapides pretiosos, an ligna, fænum, stipulam, devehis? Virtutes, Perfectiones, Opera bona, Merita, Perfecta, Copiosa: an potiùs, peccata, vitia, iniquitates, opera mala, reatus multos, magnos, ingratos; iræ & vindictæ Dei thesauros? Hæc circumspice ô Homo in navigio tuo, & in navigatione tuâ. Sicut & illud; quid adhuc desit, portui æternitatis, & exscensui necessarium? quibus ventis, quibus velis, utaris? quomodo scopulos patentes ac latentes, prædones insidiantes, invasurosque declines? Ad ista, similiaque recognoscenda, vacet tibi, si non assiduò (ac quidni assiduò?) frequenter saltem vita tua: diligentia tua: solicitudo tua. Ne fortè, cùm te securissimè, placidissimè cursum tenere putaveris: tum ab ipsâ malacia maris pericliteris: ne inter scopulos & brevia, inter prædonum manus hæreas, traharisque in prædam æternam.

4. Quid est hoc autem *Æternam?* quã putas longum esse, diuturnũque id, quod est æternum, id quod est Æternitas? Mensura æternitatis est longitudo, latitudo, altitudo, profundum, infinitum, & immensum. Mensura Æternitatis sive Beatæ, sive Miseræ, est Deus, & ejus æternitas: quamdiu enim Deus, erit Deus, tãdiu æternitas æterna erit: omnis enim Æternitas est Dei æterna ætas. Mensura quoque Æternitatis est, initium ubique, medium & finis nusquam: quantumcunque enim pergat æternitas, tantùm inchoata est, medium & finem attinget nũquam. Initium in actu, & re semper habet: medium, & finem in impossibili. Mensura æternitatis est, Semper & Nunquam. Semper esse, nunquam non esse: semper durare, nunquam cessare: semper venire, nunquam abire: semper stare, nunquam præterire. Ita æternitatis beatæ, est semper vivere, nunquam mori: sive; est vivere vitæ, morti mori: è contrà, Æternitatis miseræ, est semper mori: nunquam vivere: sive; est mori vitæ, morti vivere. Itaque unam æternitatem mensurat vita æterna: aliam verò mensurat mors æterna. Si tamen non rectiùs dicetur, quod una Æternitas mensuret vitam, faciatque æternam: alia verò Æternitas mensuret vitam, faciatque æternam: alia verò æternitas mensuret mortem, reddatque æternam: at de modo loquendi parùm est, quando de rei veritate constat.

5. Est verò etiam quædam Æternitatis mensura

mensura magna & mira, sed in sacris literis usitata: nempe, *Ultrà*, sive *Adhuc*: Ut cùm dicitur. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*: sive; & *adhuc*. Quæso quid est, *in æternum, & ultra?* an post æternum, est insuper aliquid ultrà? Nihil quidē post æternum absolute, est ultrà: quia verè æterno non competit unquam post: aut aliquid subsequens se, succedensve sibi tanquam elapso: sed in eo quod dicitur, *in æternum, & ultrà*, vel, *& adhuc*; exaggeratur immanis æterni æternitas; æternitatisque æternum: ut sensus sit: v. g. Dominus Deus regnabit in æternum, ita plenè, & absolutè, ut quidquid unquam cogitaveris, cogitandoque repetieris de Regni ejus æternitate, adhuc supersit cogitandum de regno illius ultrà. Pari ratione, Sancti cum Deo regnabunt in æternum & ultra: quia ita regnabunt æternaliter, & absque fine, ut si per impossibile æternitas regni eorum transiret, adhuc illi regnarent ultrà, & ultrà, & adhuc. Similiter Damnati in inferno, in igne devorante, & ardoribus sempiternis ardebunt, & cruciabuntur in æternum, & ultrà: quia in æternum quidem eorum non præteribit unquam: sed etsi per impossibile transiret, illi tamen ardebunt ultrà, & ultrà, & adhuc: quod ipsū est, in æternum.

Exod. 15. 18.

6. Non est prætereunda Æternitatis mensura, quæ Sancto Prophetæ maximè in usu fuit. *Anni* nimirum *æterni*. Sed queri potest: quomodo Anni sunt æterni, si anni: aut quomodo sunt Anni, si æterni? Omnis annus involvit revolutionem à puncto ad punctum in motu cælorum, seu Solis: quâ peractâ alteram inchoat sol, & hæc est annus alter novus: & non æternus: sed habiturus tertium successorem: quod æterno minimè competit: an harum solarium revolutionum successio erit æterna? at hæc fini mundi repugnat, in quo cessabunt cursus Cælorum & Solis. Quid sunt ergo, & qui sunt anni æterni? Anni æterni, sive, Annus æternus, ipsa est Æternitas: quæ talis est, ut dato anno æterno, vel annis æternis, numeroque infinitis, absorptura sit illa, omnes, ipsa vix dum sui initium auspicatura.

7. Hos annos æternos in mente habebat David: hos annos æternos in mente habent Sancti cum Deo regnantes, & habebunt regnaturi: & exinde securi, ac certi sunt de suâ beatitudine, æternoque regno: & eâ securitate beati sunt, & in sæcula sæculorum Deum laudant. Hos annos æternos habent in mente omnes damnati, & exinde desperant de cessatione, ac fine malorum suorum: præ desperatione autem, in furorem, & rabiem malitiæ traducti, contra seipsos, contra omnia creata, contra perditionis socios, contra ipsum Deum efferantur, furunt, insaniunt, malignantur in æternum: Nēpe in malis maximum est, nullus malorum finis.

8. Hos annos æternos in mente habeto, semper, semper & semper, quisquis vivis hanc adhuc vitam: & omnem operam in eo pone: ut anni tui, qui tibi in hac vitâ fluunt, & effluunt, in illam Beatam Æternitatem influant: & in annos æternos, æternè beatos, teque beatificantes, ab æternitate beatâ transformentur. Væ tibi: si negligente, cæcutiente, procrastinante, insaniente te, anni isti, præsenter tibi elabentes, in illius æternitatis infelicissimæ sinum illapsi fuerint, & in annos æternos, æternè infelices, atque te infelicitantes, ipsâ æternitate commutabuntur.

9. Tunc revera erit Væ tibi, væ millies: væ millies millies: væ in æternum, væ in æternum, & ultrà, & adhuc. Væ in perpetuas æternitates. *Si quis habet aures audiendi, audiat*: Si quis habet mentis, & consilii sani micam; Annos æternos in mente habeat, memoriâ teneat, intellectu perpendat, voluntate deligat.

Marc. 4. 23

PRAXIS.

O *Æterne: & omnis Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ aditum, devictâ morte reserasti; da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate semper habere: ut in tēpore seculi huius, sic omnia temporalia pertranseamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.*

EXERCITIUM IV.

De his quæ mensurat, seu continet Beata æternitas.

1. STatue te Socium Davidi Sancto, dies antiquos cogitanti, & annos æternos in mente habenti, memoriâ revolventi, intellectu consideranti, voluntate seligenti.

2. Tu quoque fac similiter: & tibi enim eadem omnino æternitatis cura incumbit: cui superindormire nec tibi nec ulli

ulli hominum licet: nisi ei, cui perdere bonam, lucrari malam æternitatem libet.

3. Ac certè ista cura Deo inter primas est: ut homines ad Beatam Æternitatem tandem inducat. Pervestiga omnes Dei operationes: & invenies, nullam hâc unâ curâ vacasse. Ab æterno Deus semetipsum suâmet adimplebat tam beatâ æternitate quàm æternâ beatitudine: & poterat tum esse, tum videri, solutus procuratione omnis alienæ tam æternitatis quàm beatitudinis: nihil enim penitus intererat illius, ut etiam aliquis unquam esset æternè beatus, vel beatè æternus. Et tamen ille Deus, soli suæ immensitati, & immensæ Entitati beatificandæ, immensáque per omnem modum beatitudine explendæ ac exsatiandæ satis occupatus, deditus, contentusque, reperit per Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatisque suæ divitias, ab omni æternitate spatium, & modum, quo, & cogitaret, & decerneret hominibus procurare, & elargiri suam æternam beatitudinem, beatamque æternitatem.

4. Et quod apud se ab æterno decrevit, hoc demum in molitione constitutioneque mundi perfecit: in consummatione ejusdem ultimâ consummaturus: dicente Domino nostro Iesu Christo; *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Itaque Deus in universâ mundi molitione, unum præ oculis habuit, beatam æternitatem, rationali creaturæ suæ, Angelicæ atque Humanæ communicandam.

Mat. 25. 34.

5. Sic ergo universa Dei Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, Sanctitatis, Justitiæ, Misericordiæ, Veritatis, Charitatis, in creando gubernando, conservando, justificando, sanctificando, legibus & veritatibus, præceptisque erudiendo, minis & pœnis in officio coercendo, præmiis atque beneficiis excitando, auxiliis Gratiæ suæ etiam supernaturalis suffulciendo, exemplis, etiam suis propriis, aliorumque informando, lapsus & errata creaturarum misericordissimè sustinendo, condonando, abolendo, universa inquam hæc Dei profusio, occupatio, atque (ut sic loquar) exercitatio & impensa; aliud nihil spectavit & adhuc spectat, nihil egit & adhuc agit, nihilque actura est usque ad mundi finem; nisi negotium communicandæ beatæ æternitatis, tam Angelis, quàm Hominibus: specialissimè verò Hominibus.

6. Hoc sibi vult universa Incarnationis Verbi, & Dei Hominis, Oeconomia: A hoc tota series Redemptionis humanæ: hoc universæ Dei hominis in hâc vitâ progressiones, operationes, virtutes; & virtutum exempla, miracula, merita, prædicationes, mandata, consilia, exinanitiones, passiones, dolores, odia, contemptiones, reprobationes: denique mysterium simulque probrum Crucis, & in Cruce Mortis: sepultura post mortem: Descensus ad inferos, Resurrectio ex mortuis, Ascensio: ad Patris æterni dexteram consessus, & abinde Spiritûs Sancti ad Ecclesiam à se hìc institutam missio, ejusdemque Ecclesiæ perennis per omnes gentes humanas propagatio, gubernatio, protectio: cum eademque in B admirabili, ineffabilique Eucharistiæ Sacramento, nec non Sacrificio, ad usque finem mundi cohabitatio, & dignantissima Præsentiæ realis exhibitio.

6. Ecclesia quoque Christi tota, ab origine mundi fundata, deinde per legem propagata & erudita, demumque per Christum, & ejus Gratiam perfecta, quãtaquanta est, quidquid in se habet, à Sponso, & Deo suo Christo communicatorum bonorum, doctrinarum, Sacrificiorum, Sacramentorum, meritorum, potestatis, auctoritatis, infallibilis certitu- C dinis, inexpugnabilis firmitatis, irreprehensibilis sanctitatis; quidquid agit in omnibus ritibus, ordinationibus, observantiis, orationibus, psalmodiis, jejuniis, cordium corporumque asperitatibus, exercitationibusque filiorum suorum in Christum credentium: omnibus his æternitati beatæ suorum militat: per hæc omnia suos ad æternitatem beatam dirigit. a miserâ æternitate arcet, avocat, defensat: Mercibus, sive meritorum, operumque bonorum in Gratiâ Dei, & Unione Christi factorum, divitiis, thesaurisque, beatæ æternitati deservituris, di- D tat, & locupletat, & conservat: & cum his eos à se ex hac vitâ, ad eandem se in alteram vitam, æternitatem scilicet beatam dimittit, deducit, introducit: ibiq; beatè æternaturos, securè mansuros, æternum regnaturos, cum Deo, & Sancto Sponso suo Christo fundat.

8. Ecce sic Deus, & Christus ejus, & universa Ecclesia ejus, & universus mundus tam invisibilis quàm visibilis ejus, per omnia beatæ æternitati ab Hominibus consectandæ, consequendæque deservit. Homines verò ista cura, quo nam modo tangit? Heu! ac si res aliorum, ac si boum, asinorumve ageretur; ac si res de lana caprina, umbrave asinina, & nescio

ſcio quo titivilicio eſſet; ita hoc nihil homines, nihil æternitati creatos tangit, nihil advertit, nihil admordet: tam ſecuri Æternitatem beatã negligunt, ignorant, proſtituunt, deperdunt; acſi ea eſſet omni vilior algâ, omnibus quiſquiliis abjectior. Scilicet plus Dei, & Chriſti ejus, intereſt homines in æternum beatos eſſe, & æternam perditionem evadere, quàm hominum ipſorummet. Scilicet etiam eſt Dei, & Chriſti ejus malum grande nimis, homines à beatâ æternitate excidere, in æternumvè perditos eſſe: hominum autem ſummum bonum eſt, æternum periiſſe, & æternam beatam æternitatem amiſiſſe. O cæcas hominum mentes! ſed his immoratum eſt nunc ſatis. Expendenda ſunt ea, quæ menſurat, ſeu quæ in ſe habet, poſſidentique ſe largitur Æternitas Beata.

9. Horũ Primum, & Primus eſt Deus: totusquantus in Unitate trinus, in Trinitate unus. Beatus, Glorioſus, Omnipotens, Summum bonum: Laudabilis: & is quidem hominis Amicus, amator, amatus, poſſeſſus, & in æternam fruitionem gaudiumque datus.

2. In beatâ æternitate, eſt ipſe Beatus: Vitam, omni ex parte felicem, felicitate Animi corporisque repletiſſimam vivens.

3. Viſio, fruitio, laudatio, tentio, hereditatio, Dei plena, prout eſt Deus in ſe, gaudium de ipſo, & lætitia ſempiterna.

4. Societas, & multitudo Sanctorum, & Beatorum conviventium, collætantium, conregnantium. Incipiendo à Chriſto Domino, & ejus Matre Pretioſiſſima, usque ad omnes Angelos & Homines: quæ Societas tædium non habet: ſolicitudinem, metumque non habet: ſed Deus eſt omnibus omnia & in omnibus omnium: & quiſque ita eſt omnibus ſicut ſibi: ita omnium, ſicut ſus.

5. Merces ac remuneratio omnis boni etiam minimi copioſa, & multa nimis: eaque non alia quàm ipſe Deus, cum omnibus quæ ſunt Dei.

6. Locus beatitudinis: qui eſt ipſamet Dei ſedes, domicilium, regnum, ſanctum, pacatum, ſecurum, beatitudini Divinæ, & omnium Beatorum ejus, planè, & dignè factum: expers omnis incommodi: plenum omni verâ fælicitate.

7. Æternitas ipſa; quæ niſi eſſet, nihil in eá beatum eſſet: nam ipſa expectatio finis, eſſet venenum beatitudinis. Summum enim in bonis bonum eſt, finem bonorum non expectare.

10. Ergo homo, ſi in beatam Æternitatem deveneris, omnia hæc quæ recenſui poſſidebis. Poſſidebis Deũ. Deum ſummè & ſummum bonum, ultimum quoque, & omne bonum: & ſimul poſſidebit te Deus tuus, ut bonum ſuum. Poſſidebis vitam æternam: omne deſiderium captũque tuum bonis ſuis excedentem. Poſſidebis, videbisque Deum ſicuti eſt: & laudabis illum in ſæcula ſæculorum: nec deficies, quia merces tua erit in laudando. Poſſidebis Chriſtum Salvatorem, ejusque Matrem, & omnes Sanctos, eorumquè fruèris, & gaudebis æternâ Societate. Poſſidebis mercedem, aut magis poſſidebit te, merces tua, magna nimis: nec erit mercedis tuæ remunerationisque ullus finis. Poſſidebis & inhabitabis Cælum: locum, & ſedem Majeſtatis Dei, in quo eſt Regnum, quo Deus regnat in Sanctis, & Sancti regnant in Deo: & reſident in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulentâ. Poſſidebis denique poſſidentem viciſſim te beatam æternitatem: cui addi boni nihil poteſt: quia beatitudo eſt: nihil etiam detrahi: quia æternitas eſt.

O homines hanc curam curate: hanc ſolicitudinem ſuſtinete: hoc unum & ſolum agite: ut Deo auxiliatore, Chriſto Duce, Eccleſiâ Sanctâ magiſtrâ, omni creaturâ ſerviente, ad beatam æternitatem profutura, neceſſaria, digna, totis viribus elaboretis: deferatis.

PRAXIS.

O Æterne: & omnis Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ aditum, devictâ morte reſeraſti; da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate ſemper habere: ut in tempore ſeculi hujus, ſic omnia temporalia pertranſeamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona conſequamur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

EXERCITIUM V.

De his quæ menſurantur continenturq; miſerâ Æternitate.

1. STatue te Socium Davidi Sancto, dies antiquos cogitanti, & annos æternos in mente habenti, memoriâ recolenti, intellectu expendenti, voluntate deſignanti, ac deligenti.

2. Fac tu quoque ſimiliter: quoniam hoc ne-

hoc negotium, est negotium omnium negotiosissimum: ita ut si hoc unicum rectè curandum, conficiendumque, pro totâ vitâ tuâ tibi designes; & assumas; satis, superque sis vitam tuam, & occupaturus: & perquam utiliter, perhonestèque impensurus.

3. Stultitia humana, dum quid prægrandi molimine, formicarum instar elaborasset, exegisse monimentum ære perennius, atque æternitati ipsi exæquasse se mussitabat. Insaniunt & hodie sic homines: terram & mare vertunt, propter explendas cupiditates suas: quarum omnium crederes projectionem esse, vel ultrà ipsam æternitatem. Vident cæci suas spes quotidie collabi, nec momento subsistere, se morte abripi, omnesque curas funerari secum: & tamen sunt, qui his succedant non in curas tantùm, verùm & in ipsas insanias: quas ipsas excedere insaniendo nituntur: & inter hæc; ne quidem nomen veræ, & propriæ, & nullis viribus ausibusvé excutiendæ declinandævé Æternitatis admittunt. Unde quotidie innumeris eorum accidit: ut in abyssalem æternitatis miserrimæ nassâ decidant, devolvanturque; nunquam inde extricandi: priùs quàm se, vel passum unum, ad eam admovisse opinarentur. Ignorabant scilicet, aut magis ignorare volebant: sese quocunque modo viverent, quidquid agerent, quidquid molirentur, volentes nolentes, curantes negligentes, scientes ignorantes, æternitati appropinquare: & veluti fluviales aquas in mare invehi, marique absorberi.

4. Quod utinam sentire aliquando vellent homines, atque in eâ cæcitate, vesaniaque, omnium vesanissima sese circumspicere, tempestivè, maturè, seriò, & prorsus ex animi proposito, atque destinatò: dantes, & seponentes sibi; justam, legitimam, & idoneam vitæ portionem: quàm æternitati memorandæ, expendendæ, seligendæ; procurandæ quidem Beatæ, avertendæ autem miseræ consecrent: ac impendant. Utinam sciant, & velint temporalibus vitæ hujus negotiis, & tempori dieique mortis, spatium opportunum, imò necessarium interponere: in eoque curis vitæ, ac negotiis, moderationem, aut melius finem; tempori & negotio mortis prævisionem, provisionemque, ipsi æternitati januam, beatæ quidem aperturam, miseræ autem obstructuram elaborare.

5. Utinam sterilissimis valedicentes cogitationibus, unam æternitatem semper, & ubique, & in omnibus, in corde, in mente, in memoriâ, in manibus, in operibus, in sermonibus, in amore, in timore, in solicitudine, in præmeditatione, in præparatione habere consuescant. Ista est enim genuina Sapientia: scire ad æternitatem intendere, pergere, pervenire: scire inquam, non errare, non dubium hærere, non casui, & fortunæ, tantũ negotium permittere: denique quid in æternitate ambias, quid defugias, scire.

6. Et proximè quidem vidimus bona æternitatis beatæ: nunc prosit videre mala æternitatis miseræ. Horum;

Primum est, damnatus, & perditus quisque: durabit enim infelix, & mensurabitur immensâ æternitate: *desiderabit mortem, sed mors fugiet ab eo*: in morte erit, sed tamen mortuus non erit: quia in morte immortali erit. *Apoc: 9. 6.*

2. Quod miserâ infelicique æternitate mensuratur, seu continetur; est: Societas aliorum damnatorum, tam hominum, quàm dæmonum: hoc est, omnium omnibus pessimis pejorum, ac in malitiâ maledictorum.

3. Vermis quisquis ille, certo certiùs tamen erit: vermis conscientiæ cujusq; propriæ, qui nec unquam morietur, nec unquam à morsu, remorsuque amarissimo cessabit.

4. Dolor cordis ac pœnitentia inutilis, quia sera. Cùm enim vult non potest, utiliter pænitere, qui quando potuit noluit fructus dignos pœnitentiæ facere.

5. Impœnitentia, & obduratio, & obstinatio finalis: quâ nec velle possunt, nec posse volunt averti; à malitiosa in Deum, & in omne bonum voluntate.

6. Combustio ignis inextinguibilis, nunquam tepescens, nunquam remittens, nunquam cessans, semper incipiens, nunquam consumens pabulum suum infelix, ad pænas suas semper vivens, semper integrum, semper vegetum, & sanum.

7. Locus illætabilis, omne triste habens, solaminis nihil admittens. Omni spurcitiarum genere, veluti mundi repurgati sentina, repletissimus.

8. Congeries omnium tormentorum, cruciatuumque, omnibus & singulis sceleribus in uno quoque per omnes potentias peccatrices castigandis, idoneorum. Ibi & tortores æterni, & qui torquentur æterni, & tortura ipsa æterna.

9. Amissio Dei benedicti, Dei Amici, Dei Amantis, Dei summi & ultimi, summè & ultimatè Boni: experimentum verò Dei reprobantis, odientis, vindicantis, nun-

tis, nunquam placandi. *Ignis (ait) accensus est in furore meo, & ardebit usq; ad inferni novißima.* Et iterum; *Discedite à me maledicti in ignem æternum: nec benedicendi à me in æternum.*

10. Æternitas ipsa: & ex eâ surgens desperatio desperatissima de fine malorum: & certitudo certissima de perpetuitate illorum.

8. Istæ sunt miseræ, infelicisque æternitatis opes æternæ: has tibi conquires, æternùm possidendas, quisquis æternitatem istam hereditaveris. Habebis immortalitatem vitæ ad pœnas æternas sufffecturæ. Habebis societatem omnium damnatorum hominum & dæmonum, sub quorum etiam potestate eris in æternum. Habebis vermem conscientiæ æternum. Habebis & pœnitentiam inutilem, & impœnitentiam rabiosam in æternum. Habebis, & patieris cõbustionem æternam. Habebis locum mansionis tuæ æternæ, infernum. Habebis congeriem omniũ cruciatuum, & fumum tormentorum tuorum ascendentem in æternum, & in sæcula sæculorum.

9. Carebis Deo summo & ultimo, incomparabilique bono: ejusque possessione, laude, hereditate, beatitudine: & faciem ejus ad quã videndam creatus eras, non videbis in æternum. Carebis DEI Hominis, Christi, ejusque Matris, atque Sanctorum Angelorum, & Hominum beatâ Societate in æternum. Carebis vitâ & gloriâ & beatitudine omni in æternũ; Carebis omnibus bonis Animæ, dotibusque Corporis gloriosi in æternum. Carebis cælo, domicilio illo Dei, & sanctorum, omnique gloriâ, & ornatu, & pace illius in æternum. Carebis æternitate beatâ: hereditabis autem æternitatem infelicem usque in æternum.

10. Quid horum tibi arrideat, ô homo; nunc dispice, nunc delige, nunc decerne. Semel errasse, æternùm est errasse.

PRAXIS.

O Æterne: & totius Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, Æternitatis Beatæ aditum, devictâ morte reserasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, in intellectu, & voluntate semper habere: ut in tempore sæculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM VI.

Occupationes Beatorum, & Damnatorum in suâ Æternitate.

1. STatue te Socium Davidi Sancto, cogitanti *dies antiquos & annos æternos in mente habenti*: memoriâ recolenti, intellectu considerant, voluntate designanti, & deligenti.

2. Tu quoque fac similiter: Nam revera non est ulla excusatio ulli, similiter non facienti. Ulli dico Christiano, & Dei notitiâ, fideique Christi lumine prædito, & Ecclesiæ Sanctæ filio: qui enim foris, & extra Ecclesiam sunt, de his non libet judicare.

3. Est apud quosdam, nec infacetum, nec insipiens proverbium: ajunt illi: inter Christianos, ad eorum delicta, vel coercenda, vel castiganda, duplici carcere opus esse, aut Sanctæ Inquisitionis, in quem suspecti de fide, ac Hæreseos convicti, conjiciantur: aut mente captorum, sive insanorum. Ajunt enim, sic, argutantes: Christianorum neminem, si revera Christianus sit; delinquere in Deum non posse; nisi aut non sincerè credat, quæ Deus proponit, præcipitque, vel agenda, vel vitanda: aut credẽdo talia; nihilominus ea nõ servare, vel transgredi, pro nihilo ipsi sit. Primum horum est de fide suspectorum: quos proinde carcer Inquisitionis meritò maneat. Alterum est mente emotorum, quibus suum quoque ergastulum debeatur.

4. Esse porrò Christianos peccatores in alterutrâ classe prædictâ; probare satis potest, vel hoc unum: quòd Deus observatoribus mandatorum suorum promittit in præmium vitam æternam: trãsgressoribus autem decernit supplicium æternum. Hoc si Christianus quis credit, & nihilominus mandatis Divinis contraire præsumit, vitæque æternæ præmio renunciat, supplicii æterni reatum subit, ultrò ob exiguum, quia temporale commodum, plus Dei voluntate æstimatum: quis hunc talem, aut non plenè fidelem, aut non mente motum meritò judicabit?

5. Quidquid verò sit de rigore proverbii: quantũ obsecro discedunt Christiani homines, vel à fidei, vel à mentis errore; qui & fide credentes, & ratione scientes, se alterutri æternitati omnino, & inevitabiliter destinatos, & nullo modo in istis temporalibus perennaturos, sed juxta eorum ordinatum, vel præ-

posterum usum, æternitatem beatam, vel miserã assecuturos: passim tamen omnes, sic memoriam omnis æternitatis deponunt, sic temporalibus inhiant, incubant, adglutinantur; quasi aut in his perennaturi, aut cum his ad æternitatem aliquam commigraturi sint.

6. Quid his facias? quid remedii adhibeas? si carceri alicui addicas; necesse erit totum mundum carcerem esse. Ratione, & oratione convincas, & ad saniora consilia inducas? En habent Moysem & Prophetas: imò habent Deum, & Sapientiam, Verbumque ejus, Christum: si hos non audiunt; quem alium audient?

7. His tamen non obstantibus; timendum est, quod Ezechieli Prophetæ comminatus est Deus, nimirum Sanguinem Impii requisiturum se de prophetæ manu, si is non fuerit locutus impio, ut avertatur à viâ suâ impiâ: timendum & illud: quod Paulus sibi metuit; *Væ, (inquiens) mihi, si non Evangelizavero.* Inculcentur ergo Hominibus istorum temporalium bonorum amatoribus, atque propter illa peccantibus, Deum obliviscentibus, ac etiam contemnentibus, bona æterna negligentibus, mala æterna accersentibus: inculcentur (inquam) illæ, quæ sunt Aeternitatis, tum beatæ tum miseræ occupationes: ut nunc discernant, & decernant, eligantque, quibus destinandi sint, & destinari velint per totam æternitatem.

Ezech. 3. 18. *1. Cor. 9. 16.*

8. Et occupationes quidem eorum quibus beata obvenerit æternitas: erunt e.g. istæ.

1. Videre Deum, sicuti est, facie ad faciem, & quæ hîc in ænigmate docebat fides, revelatâ facie contemplari in ipsâ Dei Veritate, atque Entitate.

2. Deum amare Beatificè, incessanter, Possessivè; frui Deo, & gaudere de illo, tenere, & hereditare illum, & inhabitare universa bona ejus: satiarique illis in æternum, & non ad mensuram, sed ad omnem plenitudinem.

3. Laudare Deum quantusquantus est in se, & laudare in amore, sicuti & amare in laude; non satiari laude, quia & laudandi Dei satietas nos est, finis non est, modusque non est.

4. Videre, & obtinere omnes divitias Vitæ Dei, Veritatis Dei, Sapientiæ, Potentiæ, Charitatis, Bonitatis, Iustitiæ, Misericordiæ, Immensitatis, Majestatis, Pulchritudinis, Dulcedinis, Dignitatis, Voluntatis, Aeternitatis, & Beatitudinis. Has divitias scrutari, cognoscere, obtinere, amare, mirari, prædicare, &c.

A

5. Videre Christum Iesum, Deum Hominem, universamque Oeconomiam illius mysteriorum, decretorum, gestorum, officiorum, dignitatum, meritorum, donorum, præmiorum, gloriæ quoque & Potestatis omnis, regni item cum Deo, in Sanctis. Hæc omnia quæcunque Christi sunt clarè nosse, intueri, obtinere: iis pasci, & frui, gaudere, & congaudere: Deum in Christo, & pro Christo, & pro universâ ejus communicatione, potestate, gloriâque prædicare: Christi in se Unum, pariter in omnes, beneficia omnia dilaudare.

B

6. Pretiosissimam Christi Dei Hominis Matrem, omnisque Creaturæ ac inprimis Dei Electæ, Dominam, & Heredem videre: ac diligere viscerosè, ac inexplebiliter: ejus Gratias, prærogativas, glorias, munera, præmia, potestates, in Deum, in Filium, in Electos omnes; officia, obsequia, & profusiones, cernere, mirari, glorificare, gratulari.

7. Sanctos omnes, Angelos & Homines, familiariter, & intimè nosse, ac purâ amicitiâ prosequi: omnium corã Deo statum, gradum, merita, pretia, glorias, præmia videre: Dei circa omnes Providentiam, misericordiam, liberalitatem, judicia, agnoscere, stupescere, demirari, deprædicare: ex omnibus, tanquam ex suis, sibive exhibitis gaudere, gratulari, Deumque exaltare, superque exaltare.

C

8. Ipse sibi unusquisque Beatus erit, infinita occupatio, & occupationis inexhausta materia: dum sese in arcanis Divinæ Voluntatis, Sapientiæ, Charitatis totum intuebitur: qualiter à Deo ab æterno prævisus, ad creandum ex nihilo designatus, ad vitam æternam sine ullis meritis suis Electus, ac prædestinatus: deque totâ serie existentiæ, ac permanentiæ omnibusque mediis, soli Dei Sapientiæ pervestigabilibus, provisus, & instructus, eductus demum in naturam rerum; in his circumstantiis: tam aptâ, tam congruâ, tam efficaci, tam suavi, tam infallibili serie, & conjunctione; ut hoc in Animum hominis ascendere nunquam possit, nisi in Lumine Dei, ejusque Substantiæ beatificè penetratæ, seu perspectæ. Quæ hic materies beatæ jam menti, perspectam clarissimè habere omnẽ structuram suæ salvationis, & ad æternam vitam efficacis, infallibilisque deductionis! Opus revera solius Dei Bonitatis, Sapientiæ, Potentiæ, & Gratiæ: Christi quoque meritorum labor, & præmium: inter tot anfractûs, inter tot scopulos, insidias,

D

ſidias, fraudes, & pericula, inter tot impedimenta, fragilis, inſipientis, depravatæ, rebellis, ingratæ, contumaciſque, toties ac toties, miſeratori ſuo, naturæ. Quis ita cogitando, aut enarrando percurrat? Beatus tamen quoque totâ æternitate decurret, recognoſcet, Domino DEO ſuo confitebitur in laude, & jubilo, per ſæcula ſæculorum.

9. Parem materiam admirationis, perſcrutationis, prædicationis, congratulationis, habebit quilibet Beatus, ex aliis quoque omnibus ſecum Beatis: incipiendo à Chriſto DEO Homine, & ejus Matre: pergendoque per ſeriem Salvationis ſingulorum Angelorum, atque Hominum.

10. Occupatio Beatorum in ſuâ Æternitati erit: intueri infeliciſſimos labores, dolores, calamitateſque ineluctabiles eorum omnium, quos miſera Æternitas ſuo concludet ſinu. Videbit illud diluvium ærumnoſiſſimarum ærumnarum, beatus in ſuâ beatitudine poſitus: & laudabit quidem ſanctiſſimam DEI juſtitiam in omnibus filiis perditionis: at ſimul etiam infinitas aget gratias Gratiæ, & Miſericordiæ ſuper ſe diffuſæ, & ſic nunquam hac agendi gratias, laudandiq; Dei ſuper ſe miſericordias occupatione, & illarum in æternum decantatione ceſſabit.

11. Cognoſcere res hujus mundi & vitæ: orare DEUM pro eis aſſidue, juxtà placitum ejus voluntatis.

9. Atque iſtæ ſunt ſtrictim enarratæ occupationes ceatæ Æternitatis. Proponendæ jam veniunt occupationes incolentium infelicem æternitatem.

Prima harum erit, perpeſſio omni dolorum immanitate immaniorum, cruciatuum: tam in corpore, quàm in animâ, & omnibus bonis ejus, absque ullo ſolatio, levamento, ceſſatione, commiſeratione.

2. Odium, & furor, atque rabies, inexplicabilis, ut pote animi deordinatiſſimi, perturbatiſſimique: hoc Damnatus exercebit omni poſſibili malitiæ ſuæ impotentiâ in Deum, in ejus omnem majeſtatem, & perfectionem, in omnia ejus benefacta, & beneficia, & gloriam: in omnem ejus Bonitatem, Charitatem, Miſericordiam: in omnem ejus Iuſtitiam, providentiam, voluntatem, poteſtatem.

3. Occupatio erit, horrendas, impias, & infernali ſtatu etiam indignas, in Deũ blaſphemias eructare, & vomere, & nunquam ceſſare: nunquam Deum videre: imò viſionem ejus execrari.

4. Reſpuere Deum: eumque nolle exiſtere, nolle bonum, nolle juſtum eſſe: velut in injuſtum debacchari: tanquam malum, peſſimumque execrari.

5. Chriſtum, ejus Matrem, omnes Sanctos odiſſe, execrari, blaſphemare: beneficia abhorrere, & abnegare.

6. Maledicere perpetim omnia. Cælum, & omnia quæ in cælo, terram, maria, contenta in his: Infernum quoque, & omnia quæ in eo ſunt, ignem, ſulphur, fumum, fætores, fæditates, clamores, ſempiternum horrorem, vermes, damnationis ſocios, dæmones.

7. Chriſti Incarnationem, Vitam, Paſſionem, Mortem, Gloriam, Virtutes, Merita, Fidem, Doctrinam, Sacramenta, Eccleſiam, & quidquid eſt ſalutis, ſanctitatis, benedictionis, in Redemptore, ac redemptione, execrari, deteſtari, odiſſe.

8. Odiſſe & ejurare omne bonum, ſive Dei, ſive Chriſti, ſive Sanctorum, ſive viventium hominum, ſive etiam damnatorum, ſive ſuum proprium. Odit enim damnatus etiam ſuum Eſſe, ſuam vitam, animam, perſonam, corpus: odit quidquid forte boni geſſit in vitâ ſuâ: odit virtutes tam ſuas quam alienas: odit ipſa peccata propria, & aliena, non ad pœnitentiam tamen, ſed ad rabiem.

9. Occupatio, odiſſe Sanctos, illis invidere, inſultare, exprobrare lapſus, dolere de inventâ apud Deum gratiâ ac veniâ: ſugillare eorum pro Deo, Chriſto, Cælo labores.

10. Odiſſe ſeipſum, & ſcelera ſua: odiſſe impios omnes, etiam dæmones, & omnia eorum ſcelera: & pœnas ſuas: eorumque odiſſe creationem, conceptionẽ, nativitatem, ætatem, vitam: omneque vitæ momentum: omnem ſtatum, omnem occaſionem ad bonum & ſalutem: omnẽ occaſionem ad peccata: omnem materiam, ſocium, magiſtrum, imitatorem, complicemque peccatorum ſuorum: omne tempus, horam, diem, locum, modum peccandi: omnem peccatorum, voluntatem, ſegetem, materiam, fomenta.

11. Deſperare, deſperatè agere, vivere, vociferari, rabire, rugire, ejulare, flere, dentium ſtridore concuti, præ deſperatione ullius boni, & præ deſperatione finis, vel minimi malorum ſuorum mali. Scit enim quilibet infelix; Æternitatis invincibili repagulo obſtructa eſſe omnia.

10. Ecce hi ſunt, non dubii, æterni tamen omnino labores eorum, quos miſeræ æternitatis abyſſus abſorbuerit. Quiſquis

quis es ô Homo; expende ista, corde tum fideli, tum attento. Delige, quam tibi provenire velis æternitatem. Tua res agitur: tua solius interest: nemo pro te: sed tu in personâ tuâ, aut beatus, aut miser esse debes in æternum. Ex te quærit, quod ex omnibus quærit, Isaias; *Quis ex vobis poterit habitare cum igne devorante: cum ardoribus sempiternis?* Tibi quoque affirmat, quod omnibus affirmat Christus; *Gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Habes ante te Mortem, & Vitam: ad quod extenderis Manum; hoc est, Operationem tuam, Morte, aut Vita æternâ dignam; dabitur tibi.

Is. 34. 14.

Matt. 5. 12.

PRAXIS.

O Æterne: & omnis Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ aditum, devicta morte reserasti; da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate semper habere: ut in tempore seculi huius, sic omnia temporalia pertranseamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM VII.

De Arcta, & Spatiosa via ad Æternitatem.

1. Statue te socium Davidi sancto: dies antiquos cogitanti, & annos æternos in mente habenti, memoriâ recolente, intellectu considerante, voluntate deligente, & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter: Nam & tu Homo es, exigui super terram temporis: habens quotidie, quin omni horâ, atque adeo momento, in temetipso responsum mortis, atque ad emigrandum hinc, indictam invictamque necessitatem. Unde, necesse est ut omni momento, non tam hinc migrare ipse paratus sis; (hoc enim sive nolente, sive volente te fiet,) quàm ut omnia ad iter æternitatis necessaria, profuturave, collecta, convasataque habeas: ut te ad beatam æternitatem comitentur, eique toti, sive in eâ tibi, abundè sufficiant, impleaturque in te illa Benedictio; *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Opera enim illorum sequuntur illos:* & illa alia; *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Porrò illam quæ inibi mox subjungitur evadas miseræ æternitatis maledictionem; *Væ*

Apoc. 14. 13.

A *impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.*

3. Concuti solent frequenter homines, quæstione, ac simul dubitatione illâ, satis quidem perplexa, satis & prægnante: Numquid sum ex Electis à Deo ad Vitam æternam? an verò reprobatus ad mortem item æternam? O si hoc scire possem! ô unde hoc scire possem? Quæstio sat digna cui satisfiat: & dubitatio justa quæ expediatur. Et præstant hoc ex sapientibus multi: at nemo meliùs quàm Sapientia ipsa.

B 4. Dominus noster Iesus Christus, Magister viam Dei in veritate docens: ita quæstionem, & dubitationem hanc solvit. Interrogatus enim à quopiam; *Domine, si pauci sunt quasi salvantur?* Dominus ita satisfecit; *Contendite intrare, sive; intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sũt qui inveniunt eam.*

Luc. 13. 23.

Luc. 13. 24.

5. I nunc quisquis es quære, si pauci sunt qui salvantur? I nunc quære unde sciam; Electus ad vitam, an reprobus sim ad mortem? Ecce mi homo, duas vias, duas portas habes ante te. Una; arcta via & angusta porta: altera; spatiosa via, & lata porta: prior ducit ad vitam, intellige æternam: posterior ducit ad perditionem, pariter æternam: priorem pauci inveniunt, pauciores verò intrant; non enim omnes etiam qui inveniunt, eam intrant: posteriorem multi intrant. Ergo pauci sunt, qui viam & portam vitæ æternæ intrant: ac ideo etiam pauci sunt qui salvantur: rursum verò, multi sunt qui viam & portam perditionis æternæ ineunt, ac per hoc multi sunt qui pereunt.

C

D 6. Nunc ergo mi homo tu circumspice: vis nosse; electus ad vitam, an reprobatus ad mortem sis; attende: quam ex duabus hisce viis, atque portis ineas, & per quam incedas. Intras per angustam portam, per arctam viam? vadis tu ad vitam, & electus es ad illam, si perseveras usque in finem: at verò si intras per spatiosam viam, & incedis per latam portam: sic tu indubiè vadis ad perditionem, & reprobatus ad illam: nisi mature discesseris ab eâ: & per arctam viam angustamque portam contenderis intrare ad Vitam.

7. Sed fortè nescis quæ sit hæc, in Christi Domini sensu arcta via, & angusta porta ducens ad Vitam? & quæ item spatio-

spatiosa via, & lata porta ducens ad perditionem? Audi etiam de hoc informantem te, ipsam Dei Magistram Veritatem; *Arcta est via, & angusta porta quæ ducit ad vitam:* teste Domino: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Arcta est via etiam eodem teste; *Si quis venit ad me* (utique ad vitam) *& non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et; *qui non bajulat Crucem suam & venit post me non potest meus esse discipulus.* Arcta est via & illa; *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Denique arcta est via illa; *Beati pauperes spiritu: beati mites: beati qui lugent: beati qui esuriunt justitiam: beati misericordes: beati mundo corde: beati pacifici: beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam:* & ; *cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: quoniam vestrum est regnum cælorum, & merces copiosa in cælis.*

Mat. 7. 14

Mat. 19. 17

Mat. 14. 26

Luc. 14. 27

Mat. 19. 21.

Matt. 5. 3.

8. Jam verò quæ sit spatiosa via, & lata porta in ejusdem Domini nostri sensu: audi ipsum Dominum definientem. Invitati ad cœnam, ut venirent, quia *parata sunt omnia: cœperunt omnes excusare.* Primus dixit invitanti servo: *villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum.* Et alter dixit: *juga boum emi quinque: & eo probare illa: rogo te habe me excusatum:* Et alius dixit: *Uxorem duxi, & ideo non possum venire:* de his omnibus dixit Dominus: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Audi adhuc, eundem Dominum de eadem viâ monentem; *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa judicii extremi.* Et iterum dicentem Dominum audi de spatiosâ viâ; *Sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii Hominis. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias: emebant, vendebant: plantabant & ædificabant.* Audi etiã, imò vide exemplum Hominis spatiosâ viâ tendentis ad perditionem; *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ, & bysso: & epulabatur splendidè: ad ejus januam Lazarus mendicus, ulceribus plenus jacebat, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ divitis, & nemo illi dabat. Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno.*

Luc. 14. 20.

Luc. 21. 34

Luc. 17. 28.

Luc. 16. 21.

9. Sed audi etiam Apostolum Christi, utramque viam spatiosam, & arctam designantem: illam quidem; sub nomine operum carnis, & fructuum spiritûs: Ait ergo: *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est; Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cũ vitiis, & concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*

Gal. 5. 20.

10. Ecce habes homo definitam suis coloribus viam utramque. Vis nosse an sis electus ad vitam; an reprobatus ad perditionem? adverte quam insistis & calcas viam, & scito, compertissimumque habeto: quia electionis ad vitam, æternitatemque beatam, signum est testatissimum; arctam viam amare, inire, decurrere, & usque in finem perseverare. *Nam qui perseveraverit in finem hic salvus erit.* Reprobationis autem ad miseram æternitatem, signum est indubitatissimum, spatiosam viam, secundùm carnis desideria & opera, insistere, decurrere, consummare. Secundùm hæc ergo mi homo, fac deliberationem, fac electionem, fac conclusionem.

Mat. 24. 13.

11. Neque verò confugias ad infinitorum hominum deceptricem procrastinationem: scilicet fundatam super illam Domini promissionẽ, quâ promittit peccatori cuique veniam, si ille ab omnibus suis peccatis pœnitentiam egerit, & omnia præcepta Dei custodierit. Ne unquam huc confugias, & malè sanæ fiduciæ tuæ hanc periculosam umbellã prætendas. 1. Quid si enim tibi respondebit, Dominus idem, ille promissor veniæ; *vocavi, & renuisti, despexisti omne consilium meum: ego quoque in interitu tuo ridebo?* Quid si Dominus, qui pænitenti veniam promisit: pœnitendi tempus negabit? etsi enim legis, veniam promissam tibi pœnitenti, nunquid etiam legis, tempus promissum tibi pœnitendi? 3. Quid si, Dominus, cujus donum, & magnum quidem, est pœnitentia vera, negabit tibi: quod ut deneget, tu millies sceleribus tuis, maximè procrastinationibus, & in spem peccatis repetitis, demeruisti tibi? 4. Quid quod ex millenâ pœnitentiâ serâ, vix una reperiatur corã Deo vera? Quis credet tuæ pœnitentiæ tunc primùm conceptæ, quando tibi defluxit tempus etiã sceleratæ agendæ vitæ? tunc tu poteris nullo negotio verè pœnitere, contra omnem morem tuum, quando jam nec consueta longo usu scelera poteris patrare

Prov. 1. 24.

juxta priſtinum uſum? utique difficiliùs contra uſum pœnitere, quam ſecundùm uſum diuturnum delinquere. 5. Homines pii, & ſuæ ſalutis perſtudioſi, qui quotidie plures in diem exercent actus contritionis, ac pœnitentiæ, raros tamen, ſuo etiam judicio, attingunt perfectos actus pœnitentiæ: tu cui de peccatis, seriò præſertim dolere, neglectiſſimum, & inuſitatiſſimum eſt; promittis tibi, in ultimo, vel penultimo vitæ halitu, contritionem cordis, & pœnitentiam omnino veram, & ſeriam? Poſſe illam à te haberi, cum Divinæ gratiæ auxilio, non dubito: ſed habiturum te defacto, & reipsa, tu quidem nunquam mihi comprobabis: & ego ſemper dubitabo: & ex millenis talibus, vix unus reperietur coram Deo, ita felix.

Horreſce homo, & cave experiri in te illud Domini noſtri pronunciatum: non tantùm ſuper Ieruſalem, ſed etiam ſuper omnem Hominem. *Quoties (ſæpiùs) volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Deſerta à Deo, à gratiâ, à ſalute, ab omni bono, à vitâ, & beatitudine æternâ: ſolis tantummodò peccatis, peccatorumque ſuppliciis, in miſerâ æternitate inhabitandâ.

Noli ergo Homo, noli in ſpem peccare: noli in ſpem; pœnitentiam, & emédationem procraſtinare: citò, citò, ac prorsùs ſtatimſtatim, detrahe pedem tuum de ſpatioſâ viâ & latâ portâ: non attende multos euntes, ſed multos pereuntes: ad arctam viam, ad anguſtam portam, te omnino admove. & contende intrare: & omnino intra: Non attende, quia pauci illac intrant: ſed attéde, quia ad vitam æternam intrant.

PRAXIS.

O Æterne: & omnis Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, æternitatis beatæ aditum, devictâ morte reſeraſti; da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate ſemper habere: ut in tempore ſeculi hujus, ſic omnia temporalia pertranſeamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona conſequamur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Quoniam perutile eſt pluſculum circa Æternitatem occupari, idcirco octavum & nonum Exercitium addere viſum eſt.

EXERCITIUM VIII.

De Induſtriis quotidianæ converſationis cum Æternitate.

1. STatue te cum Beato Davide cogitante dies antiquos & annos æternos in mente habente, memoriâ recolente, intellectu ponderante, voluntate deligente & acquirente.

2. Tu quoque fac ſimiliter: & tu enim æternis annis, ſive æternitati natus es: præfixusque tibi etiam eſt terminus æternitatis: ad quem interminabiliter determinandus es.

3. Quoniam ergo cum Æternitate aliquando manſurus & permanſurus es; perquàm optimo uteris conſilio; ſi in præſenti vita & tempore, inſueveris convictui & familiaritati illius: ſi cum illâ occupari, ad illam diſponi, atque præparari, illam tibi demereri atque promereri ſtudueris: ut cùm dies ejus advenerit, bonam tibi, beatam, beatificantemque te obtineas & poſſideas.

4. Ad quod proderit tibi Induſtria, ſive occupatio cum Æternitate.

1. Indubitanter, & certocertius ſcire: omnino expectari te ab æternitate: & te totis paſſibus, omnibusque vitæ tuæ tam momentis quàm actibus ad Æternitatem tendere atque feſtinare. Et cùm duplex ſit Æternitas, ad alterutramque te pervenire omnino neceſſe ſit; omne vitæ tuæ præſentis inſtans, eâ tibi conditione excurrit, ut te in æternitatis pelagus invehat: & omnis vitæ tuæ præſentis motus ea pariter conditione abs te fiat, ut te in alterutram Æternitatem comitetur: eamque tibi conciliet: tecum in eâ duraturus perenniter. Nonne prudentis eſt animi, & hoc indubitanter ſcire, & hanc curam nunquam deponere, ut beatam potiùs exploratâ certitudine; quàm miſeram, neceſſitate voluntariâ incuras, obtineasque ſemper deflendam æternitatem?

2. Induſtria: cum æternitate quotidianæ converſationis, perpetuam memoriam æternitatis bonæ aut miſeræ habere: perpetuò (quantùm vires animi & corporis ſinunt) de æternitate cogitare: atque cum Davide annos æternos tibi omni momento advenientes, totisque paſſibus accelerantes in mente habere. Sive tu cogites de Æternitate, ſive non cogites: venit illa tibi. Sive cogites, cures, agas, ames, conſecteris, elabores, ſpiritualia,

ritualia, Cælestia, Divina, æterna, sive oblitus horum & negligens, cogites, congreges, elabores carnalia, mundana, caduca, maligna, Deo & eius voluntati inimica, Diabolo soli amica & placita; venit nihilominus tibi æternitas: cogitationibus laboribusque tuis condigna. Ergo memento semper & inter omnes curas tuas æternitatis: unaque ac sola tibi in mente voluatur æternitas. O Æternitas! ô quando, ô qualis advenies mihi æternitas! O Æternitas, quantum me invenies: qualem te inveniam? O quid curo, si beatam Aeternitatem non curo? O quid incurro, si maledictam æternitatem incurro? Si sciens nesciens, si volens nolens, æternitati laboro; non insanissimus & reprobatissimus sum, si volens sciensque, potiùs infelicissimæ, & diabolicæ, quam beatissimæ, Deo placitæ, Divinæque Aeternitati laborem?

3. Industria. Resolvere sese animo pleno, prudente, sciente ac volente, ad Aeternitatem, ejusque ingressum, & inhabitationem: atque veluti pactum indissolubile cum eâ jam nunc pacisci: quòd nimirum, & dum hîc vivis, de eâ semper curam gerere, & post hanc vitam ad ejus complexum sinumque velis demigrare. Sed vide, & per omnia diligenter vide: ut hoc pactum fit cum æternitate bona, Beatâ, Divinâ, non vero cum misera & infelici atque perdita. Vide: ut hoc pactum excitet te semper ad ea procuranda, quæ sunt beatæ, ad expurganda ea, quæ sunt miseræ æternitatis. Nam nisi hoc, in pacto isto tuo contentum, atq; à te inter primas conditiones curatum fuerit; pactum quidem pactum erit: sed Beata æternitas valde in ancipiti, misera autem in explorato atque certo tibi erit. Quotidie ergo dispicito ipse tecum: cuinam tuum pactum deserviat, teque adaptet æternitati. Itemque, cuinam actus tui quotidiani deserviant Aeternitati?

4. Industria: sperare, optare, desiderare totis atque cunctis vitæ tuæ momentis & actibus Aeternitatem: sed Beatam, sed felicem, sed Divinam: & simul ejusdem assiduam & condignam gerere curam. Nulla tibi vivendi, nulla agendi particula excurrat, quæ non in beatam Aeternitatem unâ tecum incurrat, in eâque thesaurum tibi componat, & cumulet. Nullum sit agendi momentum, quod ad miseram Aeternitatem quantulocunque modo te inclinet, vel disponat. Sed omni possibili diligentiâ attende tibi, & vitæ tuæ, & operibus tuis: atque illa ad normam æternitatis tam beatæ quam miseræ examina: justumque de illis judicium, juxta censuram momentumque æternitatis decerne.

5. Industria: Timere, horrere, execrari, deprecari, fugere & fugare à te totis viribus, diligentiisque, imò & laboribus atque sumptibus, miseram æternitatem: ac simul attentè prævidere, ne quid in vitâ tuâ, ne quid in desideriis, studiis, curis, operibus quibuscunque tuis, resideat; nequid in ullis latebris cordis mentisque tuæ delitescat; quod misera æternitas in te inveniens, suum recognoscat: & tecum in sese devolvat, atque absorbeat. Sit tibi Anima tua, hoc est, opera omnia Animæ tuæ, in manibus tuis semper: quidquid enim ad Aeternitatis negotium prodest, nimium esse non potest.

6. Industria: Confundi, atque tum apud propriam, tum apud Divinam conscientiam erubescere, de præteritâ, & dè præsenti circa negotium æternitatis negligentiâ: simul & de damnis incursis, de bonis amissis, malis perceptis ex eadē. Quisquis de rebus salutis rectè judicat, fateri cogitur omnia sive bonorum Animæ suæ lucra, sive ejusdem omnia detrimenta, ex neglectu & oblivione Aeternitatis sibi provenisse: nunquā proventura; si condigna in mente de annis æternis, deque negotio æternitatis, cura & diligentia viguisset. Cujus asserti tot sunt testes experimentales, quot seu Beatam, seu miseram Aeternitatem hactenus incolunt.

Industria: Ascendere identidem (& quidni sæpè?) mente, ad Beatæ Aeternitatis Incolas: descendereque item ad miseræ æternitatis mancipia: & utrorūque statum, omnibus quoad licebit tam Animi quam Corporis sensibus, explorare & perscrutari: adire, & alloqui ipsosmet: ex iisque intelligere accurate; quid boni desit, quid mali adsit his atq; illis: intelligere ex illis; quibus modis, qualium operum subsidiis; isti beatam sibi demeruerint, illi, in infelicem devoluti sint æternitatem. Auditis verò utriusque partis enarrationibus, & nimium veracibus testimoniis, proprium circumspicere statum, propriam cum utrisque conferre conscientiam, componereque causam, & videre, cui potissimum parti assimilata accedat: & quorum se esse similem, sibi expediat. Utilissimè in hujusmodi confabulatione cum beatè miseq; reque æternis, temporis consumetur quā pluri-

plurimum. Neque metuendum est; ne in superflua vel noxia, vel otiosa; cordis vel oris sermo defluat. Omnia enim hoc in congressu visa, audita, cogitata, dicta, toti deservient æternitati.

8. Industria: Dolere, atque pœnitere ex animo, idque crebriusculè, damna præteritæ negligentiæ, ignorantiæ, dilationis, cessationis, vilipensionis: sunt enim damna æternitatis, quæ semel incurrissé, satis est: repetere autem illa, nonne extremæ insaniæ est? In hoc comprobanda est Deo & conscientiæ nostræ vera nostra de præteritis damnis pœnitentia: si sese ad nos nunquam deinceps revolvat pristina in negotio æternitatis incuria.

9. Industria: Proponere, atque etiam ipsum numerum tempusque certum definire: quo singulis diebus negotium æternitatis pertractetur: an, & quoties, & quomodo, & quo profectu Animæ pertractetur: quibus curis hoc negotium impediatur, quibus ampliùs adhuc promoveri possit? Omnino pervidendum: providendumque est efficaciter in hoc negotio: ne parvæ & nihili ad æternitatem res; magnas, & nimium quidem magnas, quoniam æternas impediant: quod tamen fieri, sicut stultissimum & perniciosissimum, ita & usitatissimum est.

10. Industria: Cum Animo suo quàm firmissimè decernere: atque statuere: curam negotiumque æternitatis semper in memoriaque haberè: idque in te prima vitæ totius studia numerare: omnes alias sibi curas intercipi faciliùs permittere: at negotium curamque æternitatis æternâ, æternaturâque diligentiæ firmitate ac defendere. Qui æternitate salvâ, amisit quamvis omnia, nihil amisit: qui æternitate perditâ salvavit omnia; perdidit is omnia.

11. Industria: Hoc animi Decretum, accurate & profundâ mentis de suis viribus diffidentiâ, Deo recommendare, auxiliumque gratiæ illius constantissimâ frequentiâ implorare.

12. Industria: In harum aut similium industriarum usu quotidiano, nunquam fatigari, nunquam tepescere: sed ob repentem ex infirmitate nobis usitatâ languorem, innovare: atque cum ope æterni Dei, meritisque Iesu Christi, & Matris Virginisque æternæ, & omnium Beatæ æternitatis Incolarum, precibus & exemplis reassumere, & quotidie ampliùs vigori restituere, atque in eo roborari.

Hisce industriis, addat qui volet, seu plures, seu alios suo statui, spiritui, placito, prudentiæ suæ alienæve servientes: malum superfluumve esse non poterit; quidquid æternitati obtinendæ, infelici effugiendæ profuerit.

PRAXIS.

O Æterne: ac totius Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum Æternitatis beatæ aditum, devictâ morte reserasti: da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos, in memoriâ, intellectu, & voluntate semper habere; ut in tempore sæculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus, ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum &c.

EXERCITIUM IX.

Qualibus operibus obtinetur æternitas misera vel Beata?

1. STatue te cum Beato Davide, cogitante dies antiquos, & annos æternos in mente habente, memoria recolente, intellectu ponderante, volntate deligente & acquirente.

2. Tu quoque fac similiter: Non enim licet tibi quoque excutere jugum æternitatis: sed velis nolis; subire illud, ac æternaliter portare debes.

3. Est autem hic Rhodus, hîc saltus: hac in vitâ operam dare; ut jugum hoc reddas tibi tuo labore portabile & appetibile, suave & jucundum, pretiosum, honorificum, nunquam fastidiosum, semper, ampliùs, ampliusque desiderabile, amabile, sitibundam satietatem, satiabundamque sitim ac famem perenniter fovens. Non autem sit importabile, abominabile, exosum, execratum superque omnia meritò detestanda, sed nunquam pro merito satis detestanda.

4. Et cùm huic negotio, negotiorum omnium negotiosissimo atque gravissimo, sola penitùs opera hujus mortalis vitæ idonea sint, & juxtà eorum tantùm qualitatem, misera vel Beata assignetur attribuaturque æternitas; Operæ pretium est: scire quibus & qualibus operibus hac in vitâ obtineatur, alterutra ex prædictis æternitas. Ut enim in Rebus publicis, mercibus quibusdam assignata sunt certa pretiorum genera, quæ necesse est omnino ab Emptore præsentari, si merce aliquâ vult potiri; ita etiam in Republicâ Dei atque futuri sæculi, merci æternitatis sive

sive miseræ, sive beatæ, assignatum est pretium operum hac in vita elaboratorum, atque in futurâ exhibendorum: ut merx Aeternitatis, vel miseræ, vel Beatæ obtineatur.

5. Et serviunt quidem ad hoc propositum, dicta supra Exercitio septimo, hujus partis: quæ tamen hoc loco adducuntur, explicatiora sunt, & dilucidiùs rem proponunt: quoniam expressiùs qualitatem operum æternitati utrique deservientium manifestant.

Primùm igitur: ad Beatam æternitatem nihil prosunt, imò verò obsunt: ad miseram verò Æternitatem deducunt ac devolvunt: opera mala omnia, legi & voluntati Divinæ contraria, ejusque transgressiva, lumini rectè rationis repugnantia, proptereaque iniqua & perversa, doctrinæ item Fidei Christianæ dissona. De his operibus Joannes Apostolus disertè ita pronuntiat; *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Et rursus idē alio loco, ait; *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Paulus quoque Apostolus, longum texit catalogum eorum operum quæ excludunt à beatâ: concludunt autem in miserâ æternitate: ait enim; *Manifesta sunt opera carnis*, eademque perditionis: *quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et rursum alibi sic ait; Sicut non probaverunt DEUM habere in notitiâ: *tradidit illos DEUS in reprobum sensum: ut faciant ea quæ non conveniunt: repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, DEO odibiles, contumeliosos, superbos, elatos inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordiâ: qui cum justitiam DEI cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam quia consentiunt facientibus.* Adhuc autem alio loco pronunciat; *An nescitis, quia iniqui regnum DEI non possidebunt? Nolite errare: neq; fornicarii, neq; idolis servientes, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; ebriosi, neq; fures, neq; avari, neq; maledici, neq; rapaces regnum DEI possidebunt.* Possunt huc adduci & illa ex eodem Apostolo; *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem; Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide & inseruerunt se doloribus multis, usque etiam æternis.* Nō est prætermittenda hic etiam Domini nostri ipsius IESU Christi denuntiatio, dicentis; *Quæ de corde exeunt, ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Hæc ergo & his similia opera, aditum ad Æternitatem, beatam quidem intercludunt; ad miseram verò aperiunt: atque in eam præcipitant.

[Margin: Apoc: 21. 8.] [Margin: Apoc: 22. 16.] [Margin: Gal: 5. 2.] [Margin: Rom: 1. 28.] [Margin: 1. Cor: 6.] [Margin: 1. Tim: 6. 9.] [Margin: Mat. 15. 18]

Jam verò opera quæ ex fide Christianâ non sunt, seu quæ fides supernaturalis nō imperat, non sublimat, non facit; sed intrà puræ naturæ ordinem subsistunt; ad beatam æternitatem, neque perveniunt: neque deducunt: Non enim natura potest pertingere ad supra naturam: cùm sit interioris ordinis. Est autem Beatitudo, sive Beata Æternitas, maximè supernaturalis: imo clausula & finis consummatioque omnium supernaturalium. Ideo dixit Apostolus: *Omne quod non est ex fide peccatum est*: hoc est; ad vitam æternam non prodest operanti. Sicut & Dominus IESUS eodem sensu affirmavit; *Sine me nihil potestis facere*: quod nimirum prosit ad vitam beatam: sed oportet operantem, in Christo esse: in Christum credere: in Christo vivere: & per Christum ac per unionem ejus operari. *Iustus enim ex fide vivit.*

[Margin: Rom. 14. 23] [Margin: Io: 15. 5.] [Margin: Rom. 1. 17]

Opera etiam quæ non sunt in Deo facta; hoc est; quæ extra gratiam & amicitiam Dei facta sunt, ad Beatam æternitatem, neque perveniunt: neque perducunt. Scriptum est enim; *quia sine Charitate nihil sum*, nihil mihi prodest, ad vitam æternam. Talia enim opera, quia non procedunt, à subjecto operante vivente vitâ Gratiæ sanctificantis; nec participe meritorum Christi; ideo sunt mortua, & inutilia ad salutem.

[Margin: 1. Cor. 13. 1]

Opera quoque, bona quidem naturâ suâ & ordine suo; at mala intentione depravata, ad beatam æternitatem non prosunt: sunt enim infecta veneno intentionis malæ, vitio amoris proprii, vel superbiæ, vel alicujus alterius. Talia sunt opera illorum: *qui faciunt ut videantur ab hominibus*: & laudentur orantes, jejunantes, Eleemosynam facientes: talibus dicitur: *receperunt mercedem suam*: non ergo rece-

[Margin: Matt. 6. 5.]

recepturi divinam: æternam.

Opera item bona quidem, & benè ac ex fide per Charitatem in gratiâ Dei facta, sed postmodum superveniente mortali, etiam unico peccato mortificata; ad beatam æternitatem non prosunt: nisi denuo per condignam hujus vitæ pœnitentiam, ad vitam gratiæ & Charitatis redeunte Animâ, vivificentur etiam ipsa.

Mitto opera facta sine rationis usu, & arbitrio libero: ut sunt amentium, infantium, dormientium, ebriorum, coactorum coactione gravi, ignorantium etiam invincibiliter, casu fortuitoque operantium: & hæc enim beatæ æternitati non prosunt: cùm etiam vulgò apud homines nullam approbationem aut pœnam habeant. Et non deducunt hæc quidem ad perditorum æternitatem, nihilominus etiam in beatâ eis locus non est.

Ad beatam ergo æternitatem necessaria, vel proficua opera, ut sint aliqua; debent esse talia.

Primò, ut sint naturâ & ex objecto, vel ex objecto, vel simpliciter bona, & honesta, ac licita: vel saltem ex se quidem indifferentia, ac nec bona nec mala, sed tamen intentione bonâ & rectâ, & supernaturali honestata, ac sublimata: ex ordineque naturalium ac indifferentium educta.

Secundò, ut sint opera Humana: hoc est liberè & deliberatè facta.

Tertiò, ut sint facta in Charitate & gratiâ, & ab amico Dei.

Quartò, ut sint vel ex se, vel ex intentione saltem, supernaturalia: & proportionata fini suo, nempe vitæ æternæ.

Quintò, ut sint opera, à conditionibus circumstantiisque malis associatis nō inquinata. Nam v. g. DEUM orare, & odium proximi in corde fovere; jejunare, & maledicere; vel vindictam meditari; aut avaritæ studere; ex rapto eleemosynam dare; non placet Deo: neque Deum placat: sed potiùs iram ejus & indignationem accendit: nec beatæ sed miseræ Æternitati servit: juxtà illud: *Fiat oratio ejus in peccatum.* Et; *Cùm multiplicaveritis orationem non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Item; *Ecce in jejuniis vestris invenitur voluntas vestra.*

Ps. 108. 7. Is. 1. 15. Is. 58. 3.

Ad istas conditiones bonorum operum tanquam necessarias, accedere possunt aliæ: non planè quidem necessariæ; si tamen adsint, multùm valoris operibus bonis addunt: ut beatam æternitatem, condignè mercari, seu mereri possint: ejusmodi sunt.

A

1. Facere opera bona, sublimi defecataque intentione: puta ad puram Dei gloriam, eamque majorem semper, & ad quam maximum gustum contentationemque gustûs Divini, & Voluntatis ejus: absque intuitu proprii commodi, quatenus proprii, etiam spiritualis: sed purè gratìs, propter solum purumque Dei placitum.

2. Facere in unione meritorum Christi, ex imitatione, & cum imitatione, & gloriâ Christi, Beatæ Virginis Matris, & omnium Electorum.

B

3. Facere ex purâ, & cum insigni, intensâque, & appretiante summè Deum, Charitate.

4. Facere ex plurium Virtutum, etiam quoad gradum excellentium motivo, imperio, exercitio actuali.

5. Facere ex insigni, & cum eximio fervore animi, ac voluntatis: cum liberali in Deum affectu, affectûsque conatu: eoque incessabili, infatigabili, insatiabili.

6. Facere cum extensione ad plura bona: potissimùm; Zeli Gloriæ Dei, Animarum salutis, perfectionis tam propriæ quàm alienæ, &c.

C

7. Facere cum adjuncto condimento aliquo bono: v. g. Mortificationis internæ & externæ: Victoriæ alicujus sui: propter amorem & gloriam Dei, Christi, Beatæ Virginis & Charitatis in proximos: condonationis injuriæ: Eleemosynæ corporalis vel spiritualis: speciatim erga Animas purgatorii.

8. Facere omnia cum verâ & internâ spiritûs proprii humilitate: suique diffidentiâ: cum attributione omnis boni, uni, & soli Deo: ejusque gratiæ, ac miserationi: & Christi Domini Meritis: juxta illud ejusdem Domini nostri monitum; Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.

D

Hæc conditio non tantùm superogationis, sed etiam planè necessaria est.

PRAXIS.

SAnctißima Trinitas unus DEVS, Pater, Fili, Spiritus Sancte. Ego N. creatura tua, mancipiumque tuum naturale, voluntarium, Æternum

Volo, esse & mutari, facere & pati, ex tuâ Gratiâ sine quâ nihil sum, cum quâ omnia sum & possum, ex Voluntate & Electione meâ deliberatâ;

Omnem voluntatem tuam, ad Voluntatē tuam, & secundum Voluntatem tuam.

Affectu, gustu, Corde tuo Divino, sponsali autē in Te meo.

Adæqua-

Adæquatè omni obligationi, & capacitati meæ.

Impersonatè etiam ad omnes Creaturas, & simul pro omnibus illis: Sacrificativè, & Holocaustificativè, seu, faciendo tibi me, & ex me, per omnia Sacrificium, atq; Holocaustum.

Heroice, sublimiter, perfectè, & super habitum.

Iuxta mensuram Gratiæ, Auxilii tui.

Omni intentione, omni intensione, omni extensione.

Omni proportione, omni circumstantiâ.

Atomicè, seu per omnes atomos mei, & omnis Creaturæ: abyssaliter, insatiabiliter, incessabiliter, infatigabiliter.

Cuncticreatè, cunctibeatè, cunctiseraphicè, Marianè Christiuniter, Christoformiter, DEIformiter, Divinè.

Sine ullo mereri meo; certe non propter meum: sed ad solum, purum, omniq; magno majorem, Gustum Divinum tuum.

Sine nidulo quietis meæ, sine portu voluntatis meæ, sine respectu, & compendio Amoris mei proprii atq; privati.

Desperative prorsus de me, sperativè in solo Te DEO meo.

Cum expectatione censuræ, linguæ, ingratitudinis, contemptûs, sterilitatis, impedimenti ab omnibus Creaturis.

Ad confusionem faciei meæ.

Ad spem, amorem, desiderium, gustum Crucis.

Ad mensuram Dignitatis tuæ, debitiq; mei, ad mensuram amabilitatis tuæ, ad mensuram amativitatis meæ.

In finem Adorationis, Imitationis, Gratiarum actionis, Laudis, Satisfactionis, in Misericordia Tuæ, & Christi sanguine Balneationis, postulationis & impetrationis omnium, quorum tu scis, potes, vis, suppletionis damni, debitiq; mei omnis, dispositionis quoq; ad omnes gratias actuales, habitualesque, ad Sacramenta, & Sacrificia.

Tanquam primum & ultimum, efficaxq; medium meæ salutis, tuæ vero Divinæ laudis & exaltationis.

Tanquam ex Voto: semel, pro semper: cum abyssali reverentiá Præsentiæ tuæ.

Digne te, toto me, Toto Te.

Ut tibi placeam, quia mihi places, ut mihi placeas, ut omnibus placeas, ut tibi omnes placeant: amplius & amplius in æternum: deniq; ut sis id quod es in æternum & ultrà, & quamdiu Tu es: Sanctissima Trinitas DEUS meus, & omnia mea, & omnium. Amen, Amen, Alleluja, fiat fiat in æternum, & ultrà, & adhuc.

O Æterne: & omnis Æternitatis fons DEUS: qui nobis per Filium tuum, Æternitatis Beatæ aditum, devictâ morte reserasti; da nobis recogitare dies antiquos, & annos æternos in memoriâ, in intellectu, in voluntate semper habere: ut in tempore seculi hujus, sic omnia temporalia pertranseamus: ut & mala omnia æterna evitemus, & omnia æterna bona consequamur. Per eundem Dominum nostrum IESUM Christum, qui vivit & regnat DEUS, in sæcula sæculorum, Amen.

GASPARIS DRUZBICKI

SOCIETATIS JESU

TRACTATUS

DE MORIBUS, AMORE, SERVITIO ÆTERNÆ SAPIENTIÆ.

JNDEX CAPITUM

Tractatus de Æterna Sapientia.

1. *PRoposui Sapientiam adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis: & erit allocutio cogitationis & tædii mei. Præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam. Hanc amavi & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam eam mihi assumere, & Amator factus sum formæ illius. Circuibam quærens ut illam mihi assumerem. Invocavi & venit in me Spiritus Sapientiæ: conquiescam cum illâ.* Sap: cap. 7. cap: 8.

Beatus Vir qui in Sapientia morabitur, & qui

in Iusti-

in Justitiâ suâ (Sapientiâ) meditabitur: & in sensu cogitabit circumspectionem DEI. Qui excogitat Vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in viis illius consistens: qui respicit per fenestras illius, & in januis illius audiens: qui requiescit juxta domum illius, & in parietibus illius figens palum statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in Casulâ illius bona per ævum. Statuet Filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur. Protegitur sub tegmine illius à fervore, & in gloria ejus requiescet. Eccl: 14. à vers: 22. ad finem.

2. S. Laurentius Justinianus, in Fasciculo Amoris sic habet; *Eram vestri similis quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis nec inveniebam. tandem Virgo quædam sole splendidior mihi apparuit, cujus nomen ignorabam. Hæc propius accedens venusto vultu, placidoq; affatu; O juvenis (ait) dilecte, cur effundis cor tuum, & pacem sequendo, per multa vagaris? quod quæris penes me est, quod concupisti; tibi polliceor, si tamen in Sponsam me habere volueris. Cum vero nomen ipsius & genus, & dignitatem scire peroptarem. Te, ait, Sapientiam DEI esse, quæ propter hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensi igitur, & dato pacis osculo, læta discessit*] Hæc ille Sanctus de seipso, quæ referuntur in Vitâ illius. c. 1.

CAPUT I.

Æterna Sapientia est Increata.

3. Æterna Sapientia JESUS Christus DEUS de DEO, Lumen de lumine, Increatus, Candor lucis Increatæ, Consubstantialis Paternæ Substantiæ, Filius, Imago, Verbû, Principium, de Principio carente principio; Semper parturitur, semper nascitur, nunquam fit. Semper natus & nascens, semper alius ab eo ex quo nascitur, sed non aliud. Filius Patris, sed Patre non minor, non junior, non inferior. Ab ipso est, sed nihilominus idem cum ipso. Unicus & Unigenitus fæcunditatem Deitatis in se uno adæquans, non exhauriens. Patris vita, cor, oculus, speculum, forma, domus, sphæra sine circumferentiali superficie, latibulum DEI, radix, vigor, succus, nutrimentum, dignitas, thronus, quies, sapor, & gustus, negotium, deliciæ, theatrum. Comprincipium sui Principii: cum Patre siquidem eâdem spiratione eundem spirat Spiritum Sanctum, Amorem, nexumque suum cum Patre; alium à se, & Patre.

O Sapientia æterna, increata, creans omnia, adoro te Creatura tua, & te propter Divinam dignitatem tuam æstimo super omnia.

CAPUT II.

Æterna Sapientia est Incarnata.

4. Æterna Sapientia, JESUS Christus, DEUS, & in formâ DEI existens, atque permanens Homo factus est, ex purissimo Pretiosissimæ Immaculatissimæq; Parentis V. Mariæ Sanguine carnem assumpsit, sibique Hypostaticè substantialiter, naturam nostram humanam creatam in tempore conjunxit. Assumpsit humanitatem non hominem. Naturam scilicet non Personam. Assumpsit passibilem non beatam, ex stirpe Adæ sed absque peccato. & qui Matrem non habebat in Cælo, non habuit in terra Patrem. Utriusque tamen Naturalis, & utriusque unus ac idem; sed Patris ab æterno, Matris in tempore: Bis genitus, natus semel in tempore, qui semper nascitur in æternitate. Natus Pater ex Filia, Artifex ex opere, Sol de radio, Fons de rivulo, Universitas ex atomo, Vir ex Virgine, Deus ex homine.

5. Natus in tempore Pater & Author temporis. Lactatus ubere, Lactator universi; strictus est fasciis, qui mundum pugillo continet. Exulavit mundo, mundi Conditor. Laboravit in mundo vivens, qui nihil laboravit mundum condens. Latuit obscurus Candor Lucis in mundo ad tempus, in quo mundus ab æterno latuit non existens, & existens nec atomi locum occupat. Vixit inter homines DEUS homo, homine quovis miserior & vilior. Vixit in plebe tanquam abjectio plebis, apud quem omnis creaturarum plebs, est abjectio semper, quoties illi placet. Vixit in propriis tanquã Alienigena.

6. Quid ultrà! ô Sapientiâ, quid egisti ultra! Pependit in patibulo Majestas & Dignitas Dei, JESUS Christus, Sapientia, DEUS. Pependit in patibulo, flagellatus flagris, coronatus spinis, illitus fædis sputis, infrà latrones dejectus, indignus Vitâ judicatus; & subiit mortem Immortalis Vita. Deus ab hominibus occisus est. pro hominibus ipsis, fudit sanguinem, & posuit vitam pro illorum ipsorum salute, quorum scelere illam posuit.

O Sapientia! sapiebasné cum talia agebas!

O Increata Sapientia! quomodo Incarnari potens, voluisti? volens potuisti, & Incarnata adeo indigna insuper subiisti? Tuum hoc opus est Sapientia; Sapiebat id sapori tuo; ô fac quoq; ut consimile quid, sapiat gustui meo.

CAPUT III.

Æterna Sapientia una est & sola, quam Rationalis appetit Natura.

7\. NUlla Natura sine appetitu est. Est autem appetitus alicujus: nihili enim appetitus non est, proinde nec mali; cùm & hoc nihil sit. Bonum ergo est, quod appetunt omnia quæcunq; aliquid appetunt. porrò bonum & conveniens idem sunt; Unde quæ nobis convenire putamus, bona vocamus & ea appetimus. Hinc etiam fit, ut nemo appetat id, quod sibi non convenit: ideo lapis in Angelum mutari non cupit, quod non competit. Suum ergo quæque natura vult bonum. Quid autem Rationali Naturæ bonum, nisi Sapientia? Comedere, dormire, bibere, & quæ hujusmodi sensualia bona sunt, non appetit ratio, quia non sunt sibi bona: etsi appetit, in tantum utique, in quantùm cum sensu quoddam est unum, cui ut satis commodet opus est, aliàs si hæc ut sua bona vellet, à seipsâ ad bestialitatem transiret, & ratio non esset. Quocirca homines qui ita vivunt, (vivunt autem heu multi) contra rationem agunt, & bestiis comparantur. Ergo Sapientia sola & una est, quæ rationi, quia competit, appetibilis etiam est. Certè Deus quoque ipsemet Sapientiæ unicus Amator est, [sed & omnium (ait Sap. 8. 3.) Dominus, dilexit illam] appetit illam sibi, in se, & ita in ejus possessione complacet sibi, ut faciat eam alterum se. Appetit illam & in nobis; idcirco, qui amant Sapientiam placiti sunt ei; aufert autem se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.

8\. Quid Natura nostra? vel nolens sapere vult, & quærit Sapientiam! Etiam ii, qui ex professò nequiter agunt, rationique suæ rebellant, sapienter se id agere, imò sic Sapientiam quærere putant: Sicut vita sine motu non est, ita omnino, sine Sapientiæ studio non agimus, etiam tunc quando ipsi Sapientiæ repugnamus: Et veluti aër iste ubique se miscet, ita Sapientia penetrat omnia: Veluti Sol illustrat etiam fæces, & sordes, sic Sapientia etiam ibi hæret unde ejicitur, hoc est, etiam in peccatis est. Sine Sapientiá ne peccare licet.

9\. *O Sapientia quoniam te vel nolentes volumus, quomodo tandem fit ut te volentes nolimus? Contingit tibi ut huic tempori; abutimur tempore, caremus tempore, etiam tunc quando minime sumus absq; tempore; Tempus perdimus & habemus illud, quia in ipso tempore perdimus illud: ita & tibi ô Sapientia facimus, te contra te utimur, te per te impugnamus, in te desipimus contra te. Nusquam evacuari & excludi potes: quia Sapientia es, reperis aditum: quia Æterna es, duras etiam evacuata. O illucesce nobis aliquando, ut cognoscamus te, & eamus ad te, per te, maneamusque apud te.*

CAPUT IV.

Æterna Sapientia est Veritas & Gustus: ideo Rationis & Voluntatis est bonum.

10\. OCulus lucem quærit, ratio veritatem, & voluntas boni saporem appetit. Lux seipsa visibilis est, Veritas per se intelligibilis, sapor per se gustabilis. Sapientia Veritas est, nec ea qualiscunq; sed possessa, hoc est cognita, habere enim veritatem est ipsam cognoscere. Quis autem veritatem novit? nisi qui sapit. Quis imò illam novit, & nō sapit? Quis autem sapit, si saporem non sentit? Quis autem sensus iste est, quo sentitur sapor? non utique alius, quàm ipse sibi: semet enim ipso sapor sapit & sentitur, sicut semetipso lumen lucet & videtur. Cæterum cum aliud sit quod sapit, & aliud cui sapit, siquidem Sapientia, Sapor est cui tandem? Voluntati utique & appetitui: ejusdem enim est Saporem percipere, cujus & appetere; aliàs quid appetit, si percipere ineptum est? Voluntati ergo sapit Sapientia, sed utique non nolenti, verùm volenti. Volens ergo voluntas gustat Sapientiam. ô felicitatem Voluntatis, suum si nôrit bonum! Velle sapere, jam sapere est: nam si non sapit, qui sapere vult, desipit ergo, quod, quis credat? Usque adeo tam facilè est sapere, quàm facilè est velle. Sapere vis? velis, & jam sapis.

11\. Et cur tam pauci nihilominus sapiunt? pauci nimirum volunt. Heu tamne grave & arduum est homini velle, id quod vult? ô tortuosam Hominis vitam

& indolem; id quod vult, non vult, & quidem volens non vult. cum tamen, (quod mirùm magis) sapere vel nolens velit. Nam, nunquid ille qui non vult sapere, stultè se id, & non rationabiliter putat velle? imò Sapiens sibi in hoc videtur, quod nolit esse Sapiens: adeo sine Sapientiâ, ne insipientes quidem esse possumus. Nimirum, sicut dum contra rationem agimus, cum ratione & ex ratione agimus; & sicut dum in vitam nostram grassamur, vitâ ipsâ contra vitam nostram utimur: sic Sapientiâ in Sapientiam armamur. Miseri non semel! qui quâ operâ bono uti in bonum nostrum possemus, eâdem operâ potiùs illomet bono in malum nostrum abutimur, vadimusque à salubri Sapientia & amicâ, ad nocentem & inimicam. O humana ratio quare sic irrationalis es? ô humana voluntas cur adeo non volens es?

Æterna Sapientia tu vince mæandros perversitatis nostræ, sinuososq; hos anfractus corrige, Veritatem te ratio sequatur & apprehendat; Saporem te voluntas capiat & sapiat. Tendant ad te animi nostri, & in te centro suo quiescant, in te bono delectentur, te Vero satientur, te Vitâ vivant, te uno contenti sint, te perfecto consummentur, compleantur, & beatificentur.

CAPUT V.

Æterna Sapientia quomodo mundi Sapientiam evacuat?

12. Sapientia solida est si Sapientia est. Soliditas Sapientiæ Veritas est: quæ ergo Sapientia vera, hæc solida, & quæ solida hæc vera. At enim quænam Sapientia vera & solida? Non aliam arbitror, quam quæ non inflat, nec inflatur, quæ nec evacuat nec evacuatur. Inflat & inflatur Sapientia, quæ vana est, & cassa veritate. Evacuat & evacuatur, quæ stultitiæ resistere non potest. Vis fictum à vero discernere Sapientem? aut te aut illum stultum facito, liquidò deprehendes qualis sit, neutrum enim feret, si fictè Sapiens est: contraria enim cedunt contrariis, junguntur similibus. Æternam attende & hujus mundi Sapientiam. Utra vera sit perquire. Et nomina quidem ipsa si attendis, jam rem tenuisti. Æterna illa est, durat ergo & solida & vera. Ista hujus mundi est, evanescit ergo, & *præterit sicut figura mundi hujus.* (1 Cor: 7. 31.) Quid est Hujus? temporis hujus: quid autem têpus ad Æternitatem? Umbra ad Veritatem.

13. Sed vide insuper utramque Sapientiam: utra inflat, utra inflatur? Æternã Sapientiam contemplare: noli existimare quod te ad Sinum Æterni Patris amandem. Abiit: *Tenebras posuit latibulum suum,* (Ps. 17. 12.) non cognosces. Sinum Matris aspice vide Sapientiam Incarnatam: quid vanius carne? *omnis caro fœnum, ad modicum parens est vapor, universa vanitas est omnis homo vivens;* (Isaiæ 40. 6. Iac: 4. 15. Eccl: 1. 14.) Denique ait DEUS; *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* (Gen: 6. 3.) Nunquid tamen evanuit Sapientia æterna in vanitate tantâ, hoc est in Humanitate nostrâ? Nihilominus sanè, sed potiùs, etsi infinitis se perrexisset exhaurire evacuareque modis, solida inventa est & vera Sapientia, adeò ut *cum in formâ DEI esset, & exinanivisset semetipsum formam servi accipiens, & usque ad mortem crucis se demittens, tandem tamen DEVS exaltavit illum & donavit illi nomen super omne nomen.* (Philip: 2. 6. 7) *factusq; est fundamentum salutis omnium, de plenitudine cujus accipimus omnes nos omnia,* (Joan: 1. 6.) ita ut sine illo nihil possimus facere, nullum sine hâc vite fructum ferre. Non illi obfuit caro, non stabulum, non Paupertas, non subjectio, non contemptus, non dolor, non inimicitiæ, non vulnera, non mors, non sepultura, non patibulum, prævaluit Veritas, & sibi similis constitit Sapientia.

14. Neque solùm illa sibi constitit, sed etiam inimicam omnem Sapientiam Vanitate inflatam, re veritateque vacuam ostendit & evacuavit. An non ostendit, qui ait; *Videbam Sathan tanquam fulgur cadentem de cœlo: Mendax est, & Pater eius: in veritate non stetit?* (Luc: 10. 18.) Hæc ille de primo, de primario Mundanæ Sapientiæ Filio, *qui est Rex super omnes filios* mundanæ Sapientiæ, hoc est, *Superbiæ*. Non evacuavit hujus mundi Sapientiam, quando omnia *quæ mundo stulta sunt & infirma, ipse elegit ut confunderet fortia?* (1. Cor: 1. 27. 28.) quando placuit illi per stultitiam Prædicationis salvos facere credentes? quando denique ut brevibus cõplectar multa, dixit; *Quid prodest homini,* (Matt: 16. 26.) id est, nihil prodest, vanum est, & fallax est, *si universum mundum lucretur, se autem perdat?*

15. Jam quomodo clariùs evacuare potuit Mundi Sapientiam quàm dicendo; *Omnis qui se humiliat exaltabitur, omnis qui se exaltat humiliabitur. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Beati qui lugent, Væ vobis qui ridetis. Beati pauperes Spiritu, qui persecutionem patiuntur, qui lugent, qui esuriunt &c. Facilius est Camelum ingredi per foramen acus, quam divitem in Cælum?* (Matt: 23. 12. Matt: 11. 29. Matt: 5. 5. Matt: 19. 24) Quid illud, quod crucifixus, mortuus, patibularius, omnê mundi fa-

di fastum evertit, subjecit, sustulit, idq; non opprimendo, sed oppressionem in suis sustinendo? Si Mundi Sapientia vera est & solida, quare Æternæ Sapientiæ per stultitiam secum contendenti non restitit? quare cessit? quare evanuit? nimirum vana fuit. Non est Sapientia vera, quæ stultitiæ resistere non scit, nec potest. Nolo istam Sapientiam quæ vincitur stultitiâ. illam malo Sapientiam, cujus *quod stultum est, Sapientius est omnibus hominibus mundanis*. Potius est mihi *Improperium Christi omnibus divitiis Ægypti*. Hæc est vera Sapientia, quæ per stultitiam exsufflat mundi jactantiam, evacuat vanitatem. Hæc est vera Sapientia, quæ etiam in stultitiâ sapit, quæ stultitiâ sapienter utitur, cujus stultitia, sapientior est omni Sapientiâ.

1. Cor: 1. 25

Hebr: 11. 26.

16. In hoc Æterna Sapientia suam maximè manifestavit Sapientiam, & in hoc suâ cum Mundi Sapientiâ pugnandi declaravit peritiam, quod ut Sapientiam mundi stultam, imò stultitiam puram & veram, esse ostenderet, atque convinceret, stultam se videri voluit & permisit. Sicque per inductâ sibimet speciem stultitiæ, omnem detraxit mundo vanæ suæ quam jactabat speciem Sapientiæ: ostenditque omnibus ministris suis, quomodo mundi Sapientiam eludere, & evacuare deberent, & quâ viâ ad veram Sapientiam pergere, illamque à fucatâ dignoscere possent.

O Sapientia Æterna, stultum me fac & infirmum, ut sapientior & fortior evadam omni Sapientiâ Mundi hujus: omnemq; ejus veteratoriam vanitatem, & in me, & in aliis evacuare, per Virtutem Sapientis stultitiæ, prævaleam.

CAPUT VI.

Æterna Sapientia ex Arbitrio Sapientiæ quærenda.

17. Sapientia quærenda est: quoniã prostitutam illam esse non decet; quærenda autem est sapienter; alioqui stultè Sapientiã quærens, quìs reperiat? quod si sapienter Sapientia quærenda est, mentem igitur Sapientiæ prius nôrit oportet & teneat, qui Sapientiam ipsam occupare desiderat. Sed si hoc ita est, si juxta mentem Sapientiæ Sapientia quærenda est, prius igitur Sapientia habenda quàm invenienda est. Cæterùm in hoc nullum absurdum est; nam & lux sine luce videri non potest, sed ad illam videndam, ipsius opus est visione. Sapientia verò lux est, & color omnium, suique inprimis ante alia omnia index, oculi Rationalis objectum & bonum. Et nimirum in iis quæ ad alia invenienda nata & instituta sunt, hoc peculiare est, ut sine semetipsis ipsa quoque inveniri & obtineri non possint, ut modo in luce dictum est, & idem de Veritate, deque Deo inveniendo dici potest: Nam quærere veritatem hoc ipsum Veritas est, & ad Deum verè iri sine Deo duce non potest: dum quæritur Deus, cum Deo ipso quæritur; Atqui Sapientia Veritas & Deus est, igitur Sapientiâ sine seipsâ non habetur, & hoc ipsum de Sapientiâ scire, est Sapientia. Quare Sapientia per Sapientiam, hoc est, juxta arbitrium Sapientiæ quærenda est. At enim hoc ipsum torquet animum, quid sit, juxta Sapientiæ arbitrium quærere Sapientiam?

18. Ubi sciendum occurrit, esse quàm plurimos qui Æternam Sapientiam quærunt, & invenire concupiscunt, sed quia hoc insipienter agunt, votorum suorum finem non assequuntur; Insipienter autẽ agunt in eo, quia non sic Sapientiam quærunt, prout illa quæri & inveniri vult, ac solet, & statuit, sed prout ipsis libitum est. Fingunt sibi Sapientiam in animo quam volunt, fingunt iter ad Sapientiam quod volunt, fingunt locum & Sedem Sapientiæ ubi volunt, euntque ad illam quâ & quò volunt, sed tamen minimè eò perveniunt quò volunt, quia ad Sapientiam nunquam perveniunt. Hi, si qui tales sunt, scire debuerant neminem meliùs & sapientiùs viam ad Sapientiam instituere præscribereque potuisse, quàm ipsam Sapientiam; proinde ab illâ hoc primum discere debuerant, quânam viâ illa ad se homines pervenire statuerit. quod illa facillimè libentissimèque diceret, si quis ab illâ sincero id animo requireret. Sincero inquam, hoc est, ad credendum ad obediendum, statimque arripiendum parato.

19. Sed quæ hæc tandem est via Sapientiæ ad Sapientiam? Via ad Sapientiam ipsius Sapientiæ est, via Abnegationis, Mortificationis, Humiliationis sui, via Crucis, via Paupertatis, doloris, contemptûs, via Abrenuntiationis omnibus rebus, & sibi, via nuditatis ab omni creatura, & eo quod inter hominẽ Deumque mediare posset, Via denique Stultitiæ & Imitationis JESU Christi Æternæ Sapientiæ. Quisquis Sapientiam vis, hâc ito, & invenies.

CAPUT

CAPUT VII.

Æterna Sapientia in omnibus æquè mira & magna, & æstimanda.

20. Sap. 11. 21.

DEI *perfecta sunt opera, facta in pondere, numero & mensurâ,* hoc est, (ut alibi seipsum Spiritus Sanctus explicat,) *omnia in Sapientia statuta,* & peracta. Quis est, qui aliquid in omnibus Sapientiæ operibus desiderabit, aut reprehendet? quod Sapientia fecit, hoc culpabit quispiam? Aliquid in Sapientiæ opere requirere, est à Sapientia factũ negare. Ut semel quod sentio, & quod res est eloquar, tam mira mihi Sapientia est in minimis, quam in maximis operibus. Imò nulla mihi sunt opera Sapientiæ majora, nulla minora aliis, sed æquè magna omnia, si ad Sapientiam, & non ad nostram comprehensionem apponantur. Nunquid enim sapientiùs est conditus Mundus, quam Atomus? Nunquid sapientiùs fecit DEUS Angelum quam folium? Hominem quam culicem? Cælum quam formicam? Nemo id nisi sensu diminutus dixerit: nihil est in Angelo quod addas, quod detrahas, quod emendes, nihil perinde quod corrigas in atomo aut folio: tam decenter piscis mutus, quàm vocalis avicula est; tam pulchrum est in Elephanto molem videre quàm gracilitatem in culice: tam illi ad molem suam quatuor sufficiunt pedes, quàm huic tanto ferè plures non redundant. Nonne tam gratè tarda est testudo, quàm jucundè velox lepusculus? Nunquid aquila decentiùs est constructa passerculo, non æquè pulchrè stupiditas in porco, quam vafrities in vulpe posita? Finis non erit si recenseam singula.

21. Unum tantùm non prætcribo hominem, in cujus conditione Sapientia mirè negligentissima, mirèque simul videtur diligentissima: adeò illum condidit egenum omnium, ut de quovis alio cogitasse potius interea quàm de illo videatur. & tamen iterum adeò illum dato unico ingenio omnibus instruxit, ut non tantum necessaria providisse, sed etiam jucunda, etiam voluptuosa, etiam superflua, indulsisse dici possit. Homo uno ingenio & solo, quantùm Deus condidit, tantùm comprędendit, tantùm scrutatus est, tantùm complevit. Nescias certè, artificiosiùsne natura, an naturalius ars ingenii operetur. Fulminat natura in aëre, ingenium in terrâ. Natura fecit garrulos homines, ingenium verba dedit elinguibus aviculis, Natura docuit terram pingere, ingenium scribere: Fecit natura sonoras animantes volucrum & quadrupedum idque incluso intus Spiritu, qui emitti & attrahi possit, Ingenium id non vivis tantùm, sed saxeis contulit bestiolarum simulachris, immissis aquarum intro decursibus. Negavit natura iter in aquis, dedit ingenium. Tempus natura mobili Cælo affixit, horasque non tam distinxit quam confudit, Ingenium modicæ arenæ, paucis rotulis, addixit tempus, & horas sono loqui præcepit, Demum & solem tantillo adstrinxit stylo, ad quem se exercens, umbram circumagat, & cursûs sui horariis punctis designet intervalla. Denique, in quo à naturâ pene relicto homini, usque ad superfluitatem nõ providit ingenium? Hic scilicet, Sapientiæ æternæ ludus est, in minimis ostendere se maximam.

22. Non vacat opera attingere virtutis & morum; gratiæ ordinem, & negotia Salutis nostræ; promptiùs sanè sileo, quã obiter strictimque loquor, quàm magna, quàm mira, hic opera Sapientiæ? Salvat justum, damnat impium, sapienter utrumque: eligit istum, reprobat illum, sapienter & hoc; tam multos perire sinit, tã paucos ad Vitam perducit, cum secus agere possit, si velit, etiam hoc sapienter, sed occultè: certum hoc indubitatumque, optime, ita pro hoc rerum statu, convenientissimeque mundum regi, & salutem nostram disponi. Curat Deus salutem nostram, curat perniciem dæmon, tantâ iste assiduitate, tantâ ille incuriâ agere rem videntur, ut iste nihil aliud præter hoc, ille omnia alia præter hoc agere & curare videantur. Et tamen tam ubique providet electis suis Deus, nemo ut pereat ipsorum omnino, nemo tamen salvetur nolens. ita satisfacit reprobis à se, nemo ut salvetur eorum penitùs, & tamen nemo pereat nisi volens.

O Sapientia Æterna consideravi opera tua & expavi, quoniam omnia in Sapientiâ tu fecisti. Benedictum sit nomen Majestatis tuæ in parvis juxta & magnis operibus tuis, in æternum & ultra; nã quid amplius obstrepam tibi & de te, nisi ut totum me tribuam submittamq; tibi, & cernuus ac prostratus adorem te. Tibi honor in sæcula.

CAPUT VIII.

Æterna Sapientia omnium Regina & Gubernatrix.

23. *Eccl: 24. 10.* SEmper *in omni gente Sapientia principatum tenuit, & in manu ejus omnium jura fuere Regnorum.* Denique *Rex Regum est*, nec immeritò: *Apoc: 19. 16* Natura enim illi Sapientia est. quod si Sapientes Dominari addecet, quãtò magis Sapientiam ipsam. *Eccl: 10. 16. Væ terræ, cujus Rex puer est*, talis enim sapere non potest propter ætatem. Sed Sapientia ante Solé est, & luci comparata invenitur prior; *Prov. 8. 24. necdum erant abyssi cum illa concepta erat.* Matura igitur ad regnum venit Sapientia, ad regnum quidem Universi, nihil illa excludi vult à suo regno; etiam pro glebâ terræ suæ, litem & bella movet; *Pater* ait, *quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquã.* *Ioan: 6. 39.* Et *capillus* (inquit alibi) *de Capite vestro non peribit.* *Luc. 21. 18.* Tanta illi cura regni est. & quanta putas est exinde ejus in regno securitas? *Ps: 147. 14. posuit fines suos pacem; per vicos eius jugiter alleluia cantatur.*

24. O Beatos incolas Regni Sapientiæ, si tamen sortem suam nôrint. quanti autem sunt qui non norunt? Nôruntne illi, qui in Sapientiæ regno insipienter vivunt, stulti & tardi corde, diligentes infantiam, & respuentes disciplinam? Noruntne illi, qui Sapientiam agnoscentes in Regno, præsenti regimine adesse, & præesse, abundant nihilominus in suo sensu, & sapiunt plus quàm oportet sapere, usque scilicet ad ebrietatem, quod non expedit in Sapientiæ regno! tantumque plerumque excedunt, in hâc infelici temulentiâ, ut regere Sapientiam ipsam velint, quod nec ipse quidem Sapientiæ hujus Pater unquam fecit, quippe qui *Joan: 5. 22. qui neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio, imò per ipsum fecit omnia, & sine ipso fecit nihil.* *Joan: 1.* Tu ergo homo qui in erroribus & *peccatis natus es totus*, docebis & reges Sapientiam? tu præscribes Sapientiæ leges, quomodo te? quomodo illum? quomodo istos gubernare debeat? tibi illa rationem reddet facti, cur id fecerit, cur permiserit illud? cur illa fieri noluerit? cur non evenerit hoc? cur illud non dilatum ulterius? cur porrò dilatum istud, cur ille hoc in statu, cur ita exaltatus, cur dejectus, cur neglectus, cur ditatus, cur lapsus, cur afflictus, cur eò deductus, cur avulsus inde, cur tamdiu, cur tam citò, cur tam ægrè & tarde? &c. omnium horum reddat rationem tibi illa, cui *subest* *Sap: 12. 18.* *omnia posse*: cui tu, si sapis, dicere debes; *Fiat adoranda Voluntas tua, & Adveniat regnum tuum?* *Matt: 6. 10.* ô homo apprehende disciplinam, & venerare supplex Sapientiam.

25. Usque adeo proprium est Sapientiæ dominari & regere, ut nec velit si possit, nec possit si velit cèdere jure suo, hoc est, regno suo; etiam quando subesse, quando servire videtur, præest & regnat. nemo enim Dominus Sapientiæ esse potest, nisi quem illa esse jusserit, & nemo non esse potest, quemcunque illa jusserit: hoc enim ipsum illa imperare potest, ut illi quis imperare possit. Unde Mater illa magna Sapientiæ incarnatæ in hoc ipso obedivit Sapientiæ, in quo sibi subditæ præfuit & imperavit Sapientiæ. & Petrus pene jam partem in regno Sapientiæ *Ioan: 13.* æternaliter amiserat, propter hoc solum quia servire sibi & ministrare volenti Sapientiæ, minus promptè, quamvis incautè consenserat. Usque adeò semper Sapientiæ serviendum est. Servire te sibi vult? obedi illi. imperare te etiam sibi vult? obedi illi. nam & imperando servies, quoniam ex ejus imperio imperabis.

O Sapientia æterna, adveniat regnum tuum, & fiat in me, de me, per me, Sacrosancta & Adoranda Voluntas tua, nunc & in æternum, Amen.

CAPUT IX.

Æterna Sapientia Quid sit?

26. ÆTerna Sapientia quid sit? quæritur: imo quærendum potiùs, quid non sit?

1. O Sapientia æterna, quid non es? Veritas est delectabilis, & delectatio verax, quam non capit sensus, nec carnalis percipit ratio, sed purificatus per fidem mentis oculus, concupiscit, conspicit, percipit, & possidet, deque ea delectatur, & satiatur.

2. Est Sapientia innubis rerum conformitas, & rectitudo nuda.

3. Sapientia est suavis efficacia, & suavitas efficax, undè & omnibus mobilibus mobilior est. attingitque ubique propter suam munditiam, puritatem & simplicitatem. non enim potest aliunde excludi, quæ medium non patitur, sed intimè omnibus inest seseque insinuat penitus, tanquam Spiritus mundus & subtilis, idemque unicus simul & multiplex, illi nemo restitit aut resistit unquam, quoniam etiam dum illius consilio repugnatur, Voluntati ejus obsecundatur, & in ipsâ

ipsâ eversione consilii sui, stat decretum ejus, hoc quippe consilium ejus est, ut repugnetur definitioni ejus: nec usquam acutiùs se esse Sapientiam demonstrat, quàm ubi quod fieri ipsa vult, impediri ne fiat sinit, & nihilominus ipsum Consilii sui impedimentum facit, aut consilium suum, aut consilii instrumentum. An non Sapientia Josephum justum, à fratribus (ne præesset illis) venditum, per ipsam venditionem illam, ad eminentem, qui timebatur & cavebatur, super Fratres suos evexit Dominatum? nonne nesciens invidia hoc ipsum, quod ne fieret curabat, curando, ut fieret faciebat? Moses, à suâ Matre educatus jussu Filiæ Pharaonis, datâ etiam mercede. Atque hoc ipsum Sapientia ordinaverat, ut per ipsam turbationem Voluntatis suæ, Voluntas eadem impleretur. Adeo nimirum non investigabiles sunt Viæ Sapientiæ.

27. 4. Est Sapientia aurum, sed non aureum, Lux, sed non lucens oculis carnis.

5. Est tota oculus, aut potiùs tota aspectus, aut intuitus perennis, atque intimus, & penetrans ad ipsas abyssi & latebrarum medullas, nunquam connivens, nunquam aversus, abstractusve ad alia, nunquam confusus per alia. prævertit iste intuitus Sapientiæ ipsam cordis Sapientiam, ille stimulus, ille suscitator ejus est, hic conscientiam quiescere non finit, donec redeat cum Veritate in gratiam.

6. Sapientia est vigor, vegetatio, vita rerum omnium, omnes cujusque rei venas medullasque pererrans, vegetans, vivificans, movens omnia fine suo motu, mutans alia, & non ipsam se, se cunctis accommodans omnia sibi facit similia.

7. Est Sapientia rerum sapor universarum, quem res omnes quantùm gustant, tantùm ipsæ Saporis habent, quique solus in rebus gustari debet, extra quem nullus gustus in rebus haberi debet, nec potest, insuper Sapientia mensura est, quam juxta gustari res debent & placere.

28. 8. Est Sapientia rerum thesaurus, & opulentia universa, quam si perdant, nihil illis pauperiùs, si habeant ditius nihil, tunc autem res Sapientiæ thesaurum in se non habent, quando nec seipsas, nec alias sapienter habent, amant, quærunt, hoc est, quando propter quidlibet aliud potiùs, quàm ob Sapientiam æstimantur: Sapientia enim bonitas rerum est, si ergo ob Sapientiam non habentur, nec propter bonitatem habebuntur, habebuntur ergo & quærentur ob malitiam, quæ miseria est, & paupertas extrema, nisi quis ambigat Sapientiam bonitatem esse: at quis nescit Bonum, Vero convenienti, & perfecto coæquari atque componi? Quid autem verum, perfectum, conveniens, nisi Sapientia? Bonitas igitur Sapientia, proinde in rerum thesauris quærendus est Sapientiæ thesaurus, quia ipse bonitas est: quidquid aliud in rebus appetis, Potentiam, Voluptatem, Dignitatem, Securitatem, similia! sine Sapientiâ scelus sunt, Vanitas sunt, miseria sunt.

29. 9. Est Sapientia uber, mammilla, lac, alimentum, sanguis rerum omnium. illa genuit, illa peperit, illa nutricata est toti universitati rerum. Etiam Divinitatis Sapientia Nutrix est. quantò magìs omnium quæ à Divinitate profluxerunt? omnes res quotquot sumus, Sapientiæ infantes, nutritii, alumni sumus. O felices infantulos, suam si matrem & nutricem nôrint! si tantùm sapiant, ut benè sibi esse apud hanc matrem sciant! Sed heu! Filii Sapientiæ passim degenerarunt, in insipientiam versi, planè acsi stultitia mater ipsorum foret. *Usq; quo parvuli diligitis infantiam*, & concupiscitis ea, quæ sunt vobis venenosa? (Prov: 1. 22.) Heu ubi talium copia, ubi talis unus, in mundo nunc, qualis ille de quo narrat historia [*Erat sæpenumero æternæ Sapientiæ* (B. Henricus Suso) *perinde, ut solet infanti ad Matris, ipsum suis ulnis complectentis, ubera pendenti, atque in ejus gremio delitescenti &c.*

O anima mea nunquam sinum & gremium Nutricis hujus suavissimæ deseras, nunquam Mammillam istam Patris æterni neglige.

CAPUT X.
Æterna Sapientia quid iterum sit & qualis.

30. BEato Henrico Susoni Æternæ Sapientiæ amore magno, & videndæ desiderio ingenti flagranti, atque Sponsalia eius nuptiasque ambienti, talem sese ipsa Sapientia æterna videndam semel tantum in vitâ, hac formâ quæ sequitur exhibuit, [*Longè supra ipsum ferebatur in Columnâ nubis, residens in throno eburneo, micans instar Luciferi, & tanquam Sol in Virtute suâ. Corona ejus erat æternitas, Amictus felicitas. Sermo suavitas, Complexus omnis boni satietas; prope erat & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta, familiarem se præbebat, nec tamen*

apprehendi poterat. Excelsis cœli fastigiis erat altior, & abysso profundior: attingebat à fine usque ad finem fortiter, & disponebat omnia suaviter.] Qui potest capere capiat. Felix ille cui tantum sese Majestas illa æterna ostentare dignata est. Nostrûm quis ad hæc audienda, nedum ambienda idoneus?

31. Quis capiet qualis Sponsa sit Sapientia æterna? Est pulchra, sine colore. Est dives, cùm sit nudissima. Est mira, & tamen summè simplex. Est verax, sed occulta. Est incomprehensibilis omnia comprehendens, & ubique tamen suo modo comprehensa, quantum scilicet comprehendi, & communicare se voluit. Est latens & tamen apparens, imò omnibus in viis, & in capitibus platearum ultrò occurrens. Illa docet omnia, ducit omnia, regit omnia, portat omnia, format & firmat omnia. Est omnium pondus & valor. Est centrum omnium & circumferentia. Est finis, & origo, & regula, & forma seu decor, atque species omnium.

O quis mihi det expansum habere in immensum cordis mei sinum, & apprehendam, & amplectar te, Æterna Sapientia, fruarq; beatissimis, purissimis, aspectibus & amplexibus tuis in omni loco, in omni statu, in omni conditione, in omni momento, vitæ mortis, tristitiæ, gaudii, solatii & Crucis in æternum & ultrà?

CAPUT XI.

Æterna Sapientia Sanctorum ad omnia materies.

32. OMnibus quidē Sapientia sese communicat liberaliter, ita ut non sit qui se abscondat à calore ejus, attamen Sanctis omnibus cōmunicat se libentiùs, frequentiùs, liberaliùs, nec alia illi causa, nisi quia Sancti sunt, & quidem Sancti ejus, quos scilicet illa sibi secundùm gustum suum Sanctos facit: neque enim quisquam sine Sapientiâ sanctus est: non est quisquam nisi per Sapientiam sanctus; namque Sapientia sanctitas est: sicut omne peccatum & malitia errori atque stultitiæ imputatur: omnis enim peccans ignorans, qui ergo sanctus, idem sapiens est. tantùmque sanctus est quantùm sapit. Nam quid est sanctitas nisi affectio sancta, tecta, ordinata, pura, constans, rationalis sublimis honesta? quæ est autem vel unde talis affectio, nisi à sapientiâ? Sapientia est radix, mater, & vita sanctitatis omnium sanctorum. Nemo sanctus qui non cum Sapientiâ moratur, nemo qui cum Sapientiâ moratur nō sanctus, ut illos qui in luce versantur illuminari necesse est, ita qui sapientiæ adhærent, necesse est sapientes, hoc est, sanctos reddi. O quàm Beati sunt servi tui Æterna Sapientia, qui in domo tuâ sunt & ministrant coram te semper? Tu es enim quæ illorum Vitam beatam facis. quid illis desit, qui cum Sapientiâ sunt? providet ille (si sapientia est) ne desit boni aliquid illis, qui cum omni bono morantur.

33. Sapientia Sanctis suis suggerit, negotiosi otii, & sanctæ occupationis materiem, nec illam aliunde adfert ipsis, sed in seipsâ ostendit. Et quanta seges actionis est morantibus cum Sapientia? Activa est, imò Actus purus, nulli permistus potentiæ, Actus est Sapieetia, qui non fit ab aliquo, sed ipse facit omnia. Non est otiari in Domo Sapientiæ, apud quam ipsa etiam otia labor sunt, sed labor omni quiete suavior. Nam labor Sapientiæ beatitudo est, & quid suaviùs quam beatum esse? Itaque Sapientia Sanctos suos occupat, & ita ut nulli alteri locum in eis relinquat: abripit illos & possidet, omnemque conatum, intentionem, affectionem, potentiam illorum sibi vendicat. Si vivere, agere est; Sapientia est Sanctorum Vita, non enim vivunt si sapientes non sunt; nam insipientia mors est, si scire ac intelligere, est agere; id verò vel maximè Sapientiæ donum est: illa enim est doctrix disciplinæ Dei. scit præterita & de futuris æstimat, scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum ac sæculorum.

34. In Sapientiâ Sancti inveniunt quod mirentur, imo nihil inveniunt quod non mirentur, quippe occultus est Spiritus eius, & de operibus eius non est opinio. Sed evincunt, expectationem consilia ipsius & spem. ô quàm admirabilia sunt Domine opera tua Virtutum, in eis anima mea cognoscet nimis. Quomodo cognoscet nimis? ita nempe: quia hoc tantùm in operibus tuis cognoscet, quod ea cognoscere non possit. Sed quantumlibet cognoverit atque penetraverit, tantò plura infinities non esse cognita, nec à se cognoscibilia deprehendet. Nimis ergo cognoscet, quia nunquam satis cognoscet, sed id tantùm cognoscet, quod adhuc amplius cognoscere possit. Quis cognoscet opera Sapientiæ in Creatione? Quis cognoscet opus Redemptionis nostræ? quis cognoscet modum eius, quem

adhibet

adhibet in gubernatione animarum nostrarum? quis verò cognoscet sensum ejus in nostrâ Prædestinatione, & Reprobatione? quis cognoscet providentiam eius adeo Universalem, adeo particularem ac minutam simul, ut sic curet omnia acsi neminem, sic quemlibet, acsi illum solum, oblita re iquorum curet? quis cognoscet artificium eius in conditione, & dispositione ac conservatione rerum, in quibus nihil deficit, nihil redundat, sed omnis naturæ exigentia abundè expleta est, & in necessariis, & in opportunis, & in deliciis? Quis cognoscet divitias gloriæ eius, beatitudinisque, quam præparavit, quam reservavit, quam distribuit iis qui diligunt eam, & ministrant ei, commoranturque cum eâ cunctis diebus? Hæc cogitans apud se & commemorans in corde suo aliquis, nonne ille copiosam habebit admirationis & stuporis vel pro tota æternitate materiam?

35. Jam verò quantum est gaudium Sanctis in Sapientiâ? Verè in amicitiâ illius delectatio bona: o bona, quia non hujus sæculi stulti. bona, quia copiosa, abundans, magna. bona, quia frugifera, faciens eos qui ea potiuntur bonos. parùm dixi bonos, facit laudabiles, seu potius laudatos, insuper etiam beatos. Quis beatus, nisi amicus Sapientiæ? beati sũt qui eam viderunt, & in amicitiâ eius decorati sunt. Neminem enim diligit Deus nisi qui cum Sapientiâ habitat. Denique quid est Beatitudo Sanctorum, nisi, Visio, fruitio, possessio Sapientiæ æternæ æterna?

34. *O Æterna Sapientia, quis mihi det, ut constituas mihi tempus, in quo etiam recorderis mei, & annumeres me servis tuis, nec reprobes à pueris tuis: quoniam tu es quæ per nationes, in animas sanctas te transfers, & amicos Dei constituis. O quàm beatus ero, pulcherrima atq; dignissima Sapientia, quam super omnia amat, æstimat, concupiscit anima mea, quam beatus inquam ero, si tu quæ potes & operaris in omnibus omnia, feceris aut me materiam operationum tuarum, aut te materiam actionum mearum, ut in te Sapientiâ faciam omnia, vivamq; te solâ, & tibi soli per omnia.*

CAPUT XII.

Æternæ Sapientiæ itinera.

36. ÆTerna Sapientia omnium mobiliũ mobilior est, & cum sit una, omnia tamen potest, & permanens in se, omnia innovat; & quiescens, semper progreditur, atque operatur assidue. hoc enim ipsa de se testatur dum loquitur; Pater meus usque modò operatur & ego operor. Sed quis cognoscet semitas operationum & progressionum eius? Sapientia est, it & redit, & nescis quò vadit, interdum venas susurri eius audit auris, interdum *palam loquitur & nullum proverbium dicit*: interdum in *sibilo auræ tenuis* pertransit; interdum ascendit super Cherubim, & volat super ventorum pennas: interdum in plateis clamitat dicens; *Ecce adsum, Venite qui concupiscitis me, & de generationibus meis adimpleamini*: interdum autem vix, ac ne vix quidem *trahitur, de occultis: deq; ultimis terræ finibus pretium eius*. Quis ergo investigabit funiculum eius? Hoc scio quod *emissiones eius, egressiones Paradysi*, sumentes exordium a diebus æternis. Hoc scio quod *viæ eius, viæ pulchræ sint, & semitæ eius pacificæ*, sed & illud novi, quod *Quadrigæ eius salvatio*.

Ioan: 7. 28. *3. Reg: 19. 12.* *Eccl: 23. 26.* *Iob: 28. 18.* *Prov: 31. 10.* *Cant. 4. 13.* *Prov: 3. 17.* *Habac: 3. 8.*

37. 1. Est iter Sapientiæ æternæ ex Patre, sed non extra Patrem, ex cujus utero ante Luciferum nata, nascitur etiam nunc, sed ita ut in sinu eius requiescat, *ponens tenebras latibulum suum*, manens ipsa Dilecto suo Patri, & ad se habens conversionem eius.

2. Est etiam iter Sapientiæ unum & idem cum itinere Patris & internum, & tamen externum, quod habent ad producendum Spiritum Sanctum, Via mirabilis nõ minùs omnino quàm præcedens, in quâ Pater cum Filio per Filium spirat Spiritum sanctum, & sunt idem nihilominus cum ipso, neque tamen iidem cum ipso.

3. Est quoque iter Sapientiæ Æternæ à Deo ad nos, hoc est extra Deum. quippe in Principio Deus creavit Cælum & terram, Principium Sapientia est, sine quâ Deus nihil fecit, alioqui temere fecit, & scriptum est, *omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*.

Ioan: 1. 2.

38. 4. Est etiam iter Sapientiæ æternæ à Deo inter nos propter nos, juxta quod canit illi Ecclesia, quod Dei Filius propter nos & propter nostram salutem descenderit de cælis, homoque factus sit! De hoc suo itinere ipsamet, illa Incarnata jam Sapientia dicebat; Ego ex Deo processi, & veni in mundum, ut salvetur mundus per me. ô quam beati oculi Domine JESU qui te viderunt, aures quæ te audierunt, & quorum manus contrectaverunt te, cum quibus tu convixisti, tantò intimiùs, quantò familiariùs. Quis de-

disset mihi adventum tuum in carne videre, tibique ministrare, quem multi, Reges & Prophetæ desideraverunt & non obtinuerunt. Hoc iter tuū Domine Jesu, Sapientia æterna mirabile, & amabile, & salubre, nobis est per omnem modum, sive illius exordia, sive media, sive extrema perpendantur. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius*, qualiter illa Majestas prævenerit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis? quale iter ejus in Virginem, qualis processus à Virgine, qualis cursus in Vitâ, qualis exitus de vitâ, qualis reditus à morte, qualis abitus è mundo, ascensus in Cælos?

Psal: 105. 2.

39. 5. Jam vero quis enarrabit illud iter Sapientiæ æternæ, illud inquam inenarrabile, illud suavissimum, illud gustabile, illud palpabile? Sacramentum est, & quis cognoscet illud? O suavitas, ô dulcedo! Deus cibus est, Deus potus est; cibus hominis, potus hominis, spiritualiter carnalis, carnaliter spiritualis.

6. Illud verò iter tuum sileamne Sapientia æterna, iter inquam gratiæ, quo venis ad nos, reconcilians te nobis, & nos tibi, dans veniam, exhibens misericordiam, admittens etiam ad Amicitiam; iter hoc dixerim, an itinera, & vias, quorum non est finis, non est numerus? nam quis novit multiplicitatem, potestatemque gratiæ tuæ? quis comprehendit, quàm variis, quàm miris modis venias tu ad nos, & ad te deducis nos ô Sapientia; quàm sæpè nolentes trahis ut velint, volentibus prior das ut velint, quàm sæpè abjiciendo accipis, repellendo assumis, negligendo curas, vulnerando sanas, occidendo vivificas; quàm sæpè dum exis intras, dum abes ades, dum punis parcis, dum jugo solvis, sub jugum mittis & captivas? Omnis res, omnis occasio, omnis hora, ostium tibi est, & materia ad benefaciendum nobis, ad sanctificandos & salvandos nos. O Gratia, quantum bonum, quantum miraculū, quantus thesaurus es? Meremur te, & donaris nobis: donaris, & tamen tanquā nostrum esses meritum, in nobis coronaris. Scilicet sic placuit Sapientiæ cursitare, & lusitare in orbe terrarum! Beatus qui hos ejus ludos novit, ambit, quærit, meretur, patitur. Utinam & mihi contingat ludum eius subire, sentire, esse.

40. 7. Superest autem iter adhuc Sapientiæ æternæ unum fine, sed multiplex varietate! Finis eius Punitio est; Multiplicitas autem Punitionis varietas: *Multa enim flagella peccatoru*, adeò ut derelinquentibus Deum, derelictisque à Deo, omnia cooperentur in malum, etiam bona opera ipsa, etiam ipsa Dei beneficia. Certe enim non sine causâ dictum quibusdam est: *Tu Capharnaum, nunquid usque in Cælum exaltaberis? usq; in infernum descendes.* Et illud; *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem &c.* Est ergo via Sapientiæ, quâ recedit à nobis, deseritque nos: juxta illud; *Spiritus Sapientiæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

Ps: 31. 10

Matt: 11. 23.

Rom: 6. 13.

Sap: 1. 5.

41. 8. Et est etiam Via Sapientiæ quâ venit contra nos, indutâ pro thorace justitiam, acutum habens ut fulgur gladium suum. Heu me quis effugiet à facie gladii columbæ? dura est nimis indignatio eius, & non est qui resistat illi. *Ignis accensus est in furore ejus, & ardebit usq; ad inferni novissima. Calix in manu Domini plenus* non mero, non *misto*, sed fæce, *ex eo bibent omnes peccatores terræ. Quis novit potestatem iræ tuæ Domine*, aut effugere illam quis poterit? ille scilicet, quem tu erudieris Domine, & in legè tuâ docueris eum. Ille qui cum Sapientiâ pepigit fœdus, & factus est amicus Intelligentiæ. Hanc enim qui invenerit inveniet Vitam, & hauriet salutem à Domino, qui autem peccaverint in ipsâ, lædent animam suam. Omnes enim qui oderunt Sapientiam diligunt mortem.

Deut: 32. 22.

Psal: 74. 9.

Psal: 89. 11.

Dilige anima mea Æternam Sapientiam, & ipsa diliget te in æternum.

CAPUT XIII.

Ad Æternam Sapientiam itinera.

42. Vidimus Sapientiæ vias, videamus & ad Sapientiam: non tantum enim illa venit ad nos, sed nobis etiam eundum est ad ipsam. estque idipsum magna portio Sapientiæ, scire venire ad ipsam. 1. Nec enim venitur ad Sapientiam absque Sapientiâ, nam quæ conventio luci ad tenebras? Atque hæc prima est ad Sapientiam æternam via, vocari ad eam, ejus ipsius gratiâ: *nemo enim inquit, venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et alibi; *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Itaque *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, sed ocyùs dicite; Adsumus, & te quocunque ieris sequemur. Magnus hic ad Sapientiam passus, promptam dare aurem vocanti, nec in vacuum gratiam ejus accipere: qui enim accipit in vacuum, accipit in scandalum. *Væ autem mundo à scandalis, & væ homini per quem scandalum*

Ioan: 6. 44.

Ioan: 15. 16.

Psal: 94. 8.

Matt: 18. 7

dalum venit: quomodo enim ſtuppa ad odorem ignis, ita homo ad tranſitum ſcandali perit.

43\. 2. Jam verò ſi audiſti vocantem Sapientiam, ſequere & age pœnitentiam, nec itera vias tuas amplius. Hunc ordinem viarum, ipſamet nos docuit Sapientia; *Pœnitentiam agite*, inquit, *appropinquavit enim regnum cœlorum*. (Matt: 3. 2.) Pœnitentia eſt reconciliationis internuntia, Veritatis filia, humilitatis eſca, redintegratio Charitatis, medicina læſæ ſanitatis, hoc eſt, amicitiæ; denique recuperatio juſtitiæ & Gratiæ.

44\. 3. Porrò hinc ulteriùs pergendum eſt, & poſt pœnitentiam & lachrymas, ſudori atque labori inſiſtendum, ne ſatis quis putet venena ejeciſſe ſcelerum, etiam fibræ vitiorum, pravarumque conſuetudinum evellendæ ſunt, & inſuper etiam ſemina & plantulæ Virtutum ſanctarum ſunt inſerendæ: Nō ſufficit purgare domū Regi venturo, etiam ornes quam cultiſſimè eſt neceſſe. *Sapientia in Concilio habitat, & eruditis intereſſe gaudet cogitationibus*. (Prov: 8. 12.) Eſtq; Spiritus ejus mundus, amans bonum, qui nihil vetet benefacere, omnem habens Virtutem, incoinquinatus, ſanctus, & attingens ubique propter ſuam munditiam: nullus omnino illam in humanis mentibus delectat ornatus æque, quàm ille qui ſit, ex ejus ſimilitudine morum, per imitationem expreſſus: ideo enim Sapientia incarnari, videri, palpari voluit, ut viſibiliter viſibilia amanti homini, transfiguraret in ſe, qualem vellet hominem fieri propter ſe, tunc ait; *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci & vos ſimiliter faciatis*. (Joan: 13. 15.) Vixi humilis, pauper, patiens, obediens, in ſummo dolore, contemptu, nuditate, in perpetuâ cruce, ſemper mundum contemnendo, & à mundo contempta, in vigiliis, in jejuniis, in orationibus: & hæc omnia ideo, ut etiam vos iiſdem cogitationibus, armaremini, iiſdem virtutibus inſtrueremini, & digni amicitiâ meâ efficeremini.

45\. 4. Hæc enim ſimilitudo conciliabit, favorem atque amorem, ac tandem deducet ad familiaritatem, quâ qui digni inventi ſunt potiri cum Sapientiâ, iidem participes facti ſunt amicitiæ Dei: non enim poteſt longè eſſe Deus ab amicis, & familiaribus Sapientiæ, ut quæ ſit domeſtica Dei valde, & habens poteſtatem omnem conferendi hominibus, ut poſſint Filii Dei fieri. Unde factum eſt ut per Sapientiā ſanati, ſanctificatique ſint omnes ii, quicunque placuerunt Domino à principio. Cæterùm etſi hæ viæ rectæ ſint, & extra has non ſunt aliæ, tamen quia non unus eſt illas decurrendi modus, ideo non idem etiam eſt omnium, per has vias incedentium ſtatus, pervenientiumque ad Sapientiam.

5\. Invenies qui ita Sapientiam amant, ut ament propter illam, etiam ſe, etiam alia, quamvis propter illam.

6\. Invenies, qui propter Sapientiam abjecerunt quidem fortè omnia ſua, ſed non etiam ſemetipſos.

7\. Invenies denique qui ita ad Sapientiam ſolam contendunt ſoli, ut (quantum fieri poteſt in viâ) relinquant omnia, etiam ſemetipſos, contendantque ſe ſine ſe ad Sapientiam adferre, & ſolâ, unicâque Sapientiâ potiri, parati, imò aſſueti ſemetipſos propter illam exuere. Hi ſunt autem qui reſignato fervore, & ferventi reſignatione ſe ſibi quaſi eripiunt, & propter poſſeſſionem Sapientiæ immediatam, ſine omni medio ad illam feſtinant, omni ratione ſenſum exuunt, mentem denudant, & ſolis Sapientiæ obtutibus illam puritate apparant & exornant. Hi ſunt ſtulti propter Chriſtum, nullius rei Potentes & Poſſeſſores ex ſe, omnia apud Deum mendicantes & habentes, Gratiæ infantes & lactentes, Divinæ Voluntatis Sponſi, Dei mancipia, omnis propriæ providentiæ expertes, omnium rerum curam in Dei providentiam projicientes, oſores & hoſtes omnis belluinæ ſenſualitatis, victores & ſupergreſſores, etiam Naturalis Rationis, zelatores fidei, & ſpiritûs, & gratiæ, doctrinæque Chriſti, toti ſemper Spiritu vivunt, ita ut ſenſualia & rationalia agant non tamen ſenſualiter, ſed neque tantùm rationaliter, verùm etiam ſpiritualiter, & quidem heròicè & intense. Hi ſunt qui nihil eſſe omnia agnoſcunt & ſciunt, & nihili omnia ſecum faciunt, ſolum autem Deum eſſe Totum recognoſcunt; quibus nulla agendi ratio extranea & creata eſt, ſed ſolus Deus, qui ex quâ ratione primùm ſunt, ex eâdem omnia operantur naturæ opera & ſenſuum, ſcilicet ex Deo, ita ut omnia bona ex ipſis ſine ipſis proficiſcantur: qui in externis ſenſibus modeſti, in internis otioſi & quieti ſunt. quibus ad nullam rem Amor adhæſit, ut pote certis, omnia eſſe nihil, & vana, imò vanitatem: qui neminem vincere viribus, & verbis, & rationibus volunt pugnaciter, ac ſine causâ, ſed etiam amicè ſe erga omnes gerunt, quos ex adversò habent, certi eos eſſe inſtrumenta Dei, quibus illos Deus

extra

extra semetipsos suamque proprietatem exturbat, & ad Spiritûs nuditatem deducit, & sibi immediatè unire, ad suique fruitionem puram inducere molitur. Hi qui talia agunt, ad Sapientiam non eunt sed evolant. Utinam incedat Anima mea itinere istorum, & fiant novissima mea etiam horum similia: talis enim anima videbit in novissimis, delectabitur in Domino, qui dabit illi petitiones cordis ejus.

O Æterna Sapientia fac me te amare, ad te ire, mihi perire, & ad te pulcherrimam, suavissimam, dignissimamq; pervenire.

CAPUT XIV.

Mater Æternæ Sapientiæ MARIA, *est peculiaris ad Æternam Sapientiam via.*

46. HOc dubium esse puto memini? nisi qui MARIAM Matrem esse Æternæ Sapientiæ non novit, aut non credit. Si enim Matrem scit, viam esse fatetur. Nã quod naturalius, certius, compendiosius ad Filium iter, quàm Mater? MARIA præ omnibus novit ingressiones & egressiones Sapientiæ, ut pote quas corporaliter in semetipsâ experta est, tantò singulariùs, quantò mirabiliùs, nisi quis cogitet, MARIAM nosse quidem, & esse viam Sapientiæ, sed tantùm sibi, non autem etiam nobis. Sed hoc de Sapientiæ Matre cogitare, nefas est, si Mater Sapientiæ est. Novit enim Sapientiam sibi quidem venisse sed non soli, verùm etiam nobis, scit itaque, Sapientiæ itinera, tam ad se, quam ad nos, quippe quæ novit Sapientiam per se venisse ad nos. MARIA est rationalis aquæ ductus, qui fontem illum Cœlestem per sese ad nos delabentem sensit, scivit, & meminit. Peculiaris hæc certè via, quia post æternum Patrem, nulla æquè naturalis ad Sapientiam. Nulla ita certo, ita proprio, ita suo jure ad illius latibula, & adyta penetrat. Quid enim Matri apud Filium clausum?

47. Denique quis dubitet tutissimã certissimamque hanc esse viam ad Sapientiam, quâ ipsâ Sapientia ad nos venire dignata est? quamque ipsa sibi Sapientia hos solos in usus prælegit, & sanctificavit, adeo singulariter, ut nulli alteri per eam, sic intrandi concesserit, sed soli, & uni sibi, reservârit facultatem? Quâ igitur viâ descendit ad nos Sapientiâ, hâc nobis ascendendum est ad Sapientiam: An fortè experimentum quærimus hujus quam dicimus Veritatis? Equidem nemo unquam hactenus accessit ad Christũ nisi per MARIAM? aut si secus est, prodeat, quisquis ille est, & hoc de se enuntiet. Mihi quidem certum, tam vecordem esse neminem, nec fore. Ut enim non intratur in Domum nisi per januam, ita non pervenitur ad Æternam Sapientiam, nisi per Matrem ejus MARIAM: hæc enim est vena Vitæ, derivatio Gratiæ, salutis anchora, arrha misericordiæ, Via simulque sedes, & Mater Sapientiæ. Ad MARIAM igitur currat, quisquis certò & citò ad Æternam Sapientiam penetrare festinat: nemo intimior nemo familiarior Sapientiæ, quàm MARIA, nemo propinquior quàm Mater. Matri ergo jungatur, qui Filio vult propinquare, adhæreat MARIÆ, qui vult conjungi Sapientiæ.

O quis det ut per te accessum habeamus ad Filium ô Pretiosissima Parens, Sapientiæ. Sine te qui ad Sapientiam vadit, errat; qui appropinquat, recedit; qui apprehendit, amittit. Tu mihi o Mater sis via ad Filium, quæ es via ad me Filio. Tua manus me ducat, me tradat, me jungat, Æternæ Sapientiæ in Æternum, & ultra. Amen.

CAPUT XV.

Æterna Sapientia quid requirat à pervenientibus ad se? & quid eos in suo Magisterio doceat?

48. IAm Sapientiæ Æternæ itinera exploravimus, quibus illa ad nos, quibus nos ad illam pergamus, solum jam superest ire atque pervenire. Ut eamus, conatu opus est; ut verò etiam perveniamus, perseverantia desideratur. at enim ubi pervenerimus ad Sapientiam, ecquid agemus? quomodo nos cum illâ geremus? Sapienter sine dubio cum illâ, & apud illam agendum erit: Beatus enim qui cũ Sapientiâ morabitur: Sed quis est hic? arte omnino opus est. Et verum quidem est, hanc artem non nisi à Sapientiâ ipsâ doceri, verum quoque est, eum quem Sapientia conspectu & congressu suo dignatur, ab eadem Sapientiâ instrui, quomodo cum illâ morari & versari debeat. Cæterum tamen non obest perrecturis ad illam, prius discere ab illâ quomodo cõmoraturi sint, apud illam.

49. Sapientia ergo ab omnibus quos ad suum

ſuum convictum admittit, duo potiſſimum requirit. 1. Animum diſcendi & dediſcendi cupidum. 2. Appetitum guſtandi fruendique Sapientia famelicum. Quia enim Sapientiæ proprium eſt erudire, & ſapere ſeu ſaporem immittere, ſi quis veniat ad ipſam, doceri nolens, guſtare abnuens, morari cum illâ diu non poteſt, ſed reprobari ipſum ab illâ, ejicique neceſſe eſt, quod omnium eſt miſerrimum: ſiquidem melius erat Viam Veritatis nō agnoſcere, quàm poſt agnitionem ipſius retrò converti, *nemo enim mittens m inum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei*: ſed eſt ſicut ſus lota, rediens ad volutabrum luti, & ſicut canis revertens ad vomitum, quo nihil deteſtabilius. Itaque ad Sapientiam qui pergit, diſcere paratus ſit, qui vero ad illam pervenit, diligenter quæ docetur diſcat.

Lc. 9. 62.

50. Ante omnia verò quæ Sapientia docet, & quæ Amator Sapientiæ apud illam diſcere debet, Eſt, *Noſce te ipſum*. debet inquam diſcere. Stultitiam, defectuoſitatem, inopiam ſuam, quam habet ex ſemetipſo, eamque profiteri, velle pro ſtulto ineptoque haberi & exiſtimari. Nemo enim diſcit quidquam, niſi quod ignorare ſe agnoſcit, atque confitetur, ita ut Profeſſio propriæ ſtultitiæ atque ignorantiæ ſit primus gradus, prima inquam lectio Sapientiæ. Hanc ubi didicerit & adamaverit in uſumque & familiaritatem ſibi adduxerit. tum diſcere debebit à Sapientia, quid ſit Deus? ſeu, noſſe Deum. Quid ſit ipſemet ſibi? quid homini? quo dignus ille? quid omnia apud illum, reſpectuque illius? & quod de rebus omnibus judicium pretiumque illius? Hæc enim omnia potiſſimum Sapientia docet de Deo, quia hæc maximè intereſt à Creaturâ ſciri de ipſo. Deus eſt in ſe, & ſibi, id quod eſt; perfectus, & abundans ſibi in omnibus, & ad omnia, nullius egens. Deus homini, & cuivis Creaturæ, eſt omnia per omnia, ita ut ſine Deo ſit poſſitque nihil, ex Deo autem ſit poſſitque, & habeat omnia, unde etiam illi debet omnia, ab ipſo emendicare & expectare debet omnia. Deus dignus eſt omnibus bonis, quia ab illo ſunt omnia; ſine illo non ſunt omnia, ille omnibus cōfert omnia, illi omnes debent omnia, ille eſt optimus perfectiſſimusque ſuper omnia, atque ideo amandus, æſtimandus, honorandus, colendus ſuper omnia, omni ratione, quam meliorem ſublimioremque poſſunt excogitare ingenia creata omnia. Deus omnia partim ex rebus ipſis partim ex ſeipſo æſtimat, deque illis judicat. Ex ſeipſis res apud Deum omnes ſunt nihil, & æſtimantur, contemnunturque tanquam nihil; Et ideo omnis Subſtantia omnium noſtrûm, tanquā gutta aquæ quæ cadit de ſitulâ, *tanquam gutta roris antelucani*, tanquam nihilum, tāquam non ſint ante Deum. Ex Deo autem ipſo, tanta, & tanti quælibet res eſt, apud Deum, quantùm habet ex Deo, hoc eſt, quantùm ſe illi communicat Deus, tantùm autem ille ſe communicat, quantùm vult. Hinc nemo magnus eſt, niſi qui apud Deum magnus eſt, ille verò apud Deum magnus eſt, quem fecit ipſe magnum. Hinc nulla res Creaturæ facit pretium, niſi illa quam Deus ad hoc inſtituit, ut conferre apta ſit pretium. Talis eſt autem gratia Dei, & ideo nihil eſt pretioſiùs in Creaturis Gratiâ Dei; hæc enim ſola facit pretioſam creaturam in conſpectu Dei.

Sap. 11. 23.

51. Poſt hæc autem docet Sapientia quid ſit Malum. Quod ſcilicet nihil ſit malum niſi peccatum, peccatum verò illa docet eſſe nihil aliud, quam Voluntarium creaturæ à Deo receſſum & contemptum, conſequenterque extremam miſeriam, & ſupremam ſtultitiam. Quid enim ſtultiùs, quàm à Summo Bono, & à ſummo omnium quæ habeas habereque poſſis collatore, receſſus? Quid nequius, quàm contemnere illum, in cujus conſpectu nihil ſis, in cujus abſolutâ poteſtate totus quantusquantus es, poſitus ſis? Quò enim jam ibit homo qui receſſit à Deo? Omnia extrà Deum ſunt nihil. igitur privatus Deo & abjectus ab ipſo, quocunque verterit ſe, inveniet purum nihil. a nihilo autem quid opis haberi poteſt, niſi nihil? Peccator qui poſtquam peccavit, nihil ſibi quantum ex ſe eſt reliquit præter Nihil, quod quia voluntariè fecit, pœnâ dignus eſt & ideo punitur. Quia vero redire ad Deum, bonum eſt, bonum autem omne ex Deo ſolo eſt, reditus iſte ad Deum, voluntasque redeundi ad ipſū, ſine Deo haberi non poteſt, ſed ex Dono Dei haberi debet, quod ille dare non tenetur; ſed negare juſtè ſemper poteſt: & ita peccatum in Peccatore ſemper hærebit; quamdiu autem peccator in Peccato eſt, tamdiu ſupplicio dignus eſt. atque hæc eſt inter alias pænarum æternarum apud inferos Peccatoribus præparatarum ratio.

52. Cupiet aliquis ſcire, quomodo verum ſit, omne peccatum, eſſe à Deo receſ-

ſum aliquem? Id quidem certò certiùs, ſed forte noſtris Intellectibus obſcurius eſt: Quocircà etiam hoc Sapientia, Alumnos & amatores ſuos docet. Peccatum igitur Rectitudini opponitur: hoc enim peccatum vocamus, quod à debitâ Rectitudine receſſiſſe videmus: Rectitudo autem ratio eſt, vel à Ratione procedit, & quidem à Ratione tali, quæ ſemper vero congruat, nec ab eo deflectat. qualis eſt Divina quidem primo & Principaliter, deinde etiam aliæ huic inhærentes, ſola enim Ratio Divina eſt, quæ à vero nunquam recedere poteſt, conſequenterque ſemper recta eſt, & peccare non poteſt. Aliæ autem Rationes in tantum rectæ ſunt, in quantum cùm Divinâ congruunt, & ſic peccatum quidem in Deo eſſe non poteſt, quia Deus à ſuâ ipſius Ratione atque à Veritate nunquam recedit, ſed in creaturâ eſſe poteſt culpa, quia poteſt eſſe receſſus à Veritate & à Ratione rectâ. Et ulteriùs. Omne Peccatum à Recto deficit; deficiendo à Recto, deficit à vero, ab hoc autem deficiendo, deficit etiam à Deo, quia Deus Veritas eſt, Deus Rectitudo eſt, & quidem prima omnium Veritatum, omnium Rectitudinum, omnium Rationum. Hinc peccatum eſt ſemper contrà Rationem, eſt ſemper ſtultitia, eſt ſemper ignorantia, eſt ſemper malitia, ſemper turpitudo, ſemper mendacium, eſt ſemper difformitas, & receſſus à Deo, converſio autem ad Falſum & ad non Ens, & ad Nihil. quod cum extremè opponatur Deo qui eſt Primum Ens, ſequitur ut peccatum expreſsè & extremè opponatur Deo, & Peccator per peccatum directè recedat, longiſſimeque ſe abducat à Deo.

53. Unde fit etiam ut Peccator ſi à Peccato erui recedereque, ac ad Deum regredi velit, nullis id ſuis (ut ante dixi) viribus præſtare poſſit. quoniam ne velle quidem ad Deum redire poteſt, ſine dono Dei, non minùs quàm non potuit velle eſſe aliquid ex nihiloque educi, ſine Dono Dei, hoc eſt ſine creatione: eadem ſiquidem eſt in homine impotentia, ad habendum ex ſe aliquid, etiam minimũ, ſine Deo, qualis fuit ad habendum ex ſe, etiam totum ſe, ſine eodem Deo; ſicutq; egebamus Deo ad hoc, ut eſſe inciperemus, ita ſemper egemus eodem, ut tales, vel tales eſſe poſſimus: tantùmque ad hoc Deo non egemus ut mali ſimus, ſicut ad hoc Deo non egebamus, ut nihil eſſemus; Sed ſicut egebamus illo ut ex nihilo aliquid fieremus; ita eodem egemus, ut ex malis & peccatoribus boni eſſe incipiamus. Unde perinde dicimus Deo: converte nos & convertemur ad te; ſicut dicere deberemus: Crea nos Domine, & da nobis Eſſe, & erimus, habebimusque illud, & comparebimus coram te. Nam ſicut ipſe fecit nos & non ipſi nos; ita quoque bonos ipſe facit nos, & non ipſi nos. Quare ſicut poſſumus nos quidem non eſſe ſine Deo, ſed eſſe ſine ipſo non poſſumus; ita poſſumus quidem mali eſſe & peccare, & à Deo recedere ſine Deo, ſed boni eſſe, bene agere, ad Deum redire, ſine Dei dono non poſſumus. Et hoc eſt illud: *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo ex me auxilium tuum.* In hunc ergò modum Sapientia docet quid ſit peccatum, quantum malum, & quâ viâ ab illo recedendum atque exeundum.

Oſeæ 13. 9.

54. Præter hoc autem docet, quomodo ſit vivendum? hoc eſt, quomodo hâc vitâ utendum? Docet enim hanc vitam æternam non eſſe, ſed poſt iſtam, aliam æternam ſupereſſe, ex hac tamen omninò pendere, & hanc eſſe illius Præparationem, Diſpoſitionem, Tyrocinium. hanc vitam eſſe veluti ſementem, illam verò Meſſem futuram. Unde ait, *qui in carne ſeminat, de carne & metet corruptionem: Qui parcè ſeminat, parcè & metet. Qui autem ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.* quaſi dicat. Ex conditione & qualitate vitæ hujus, pendet qualitas vitæ illius; quod ſeminatur hic, metetur illic, & quomodo ſpargitur hìc, colligetur illic; ſeminas ſpiritum? metes ſpiritum: ſeminas carnem? metes carnem: & quia ſpiritualia æterna ſunt, qui ſpiritualia ſeminavit, metet æterna. quia verò caro corruptibilis eſt, qui carnalia ſeminavit, hoc eſt, carnaliter vixit, metet carnalia, metet corruptionem, metet perditionem, & ideò in æternum peribit.

Gal: 6. 8.

55. Rurſum verò, ſi hic Spiritualia ſeminantur parcè, hoc eſt, ſi bona opera, exercentur, frigidè, tepidè, languidè; ſi ſalus & merita, & Gratia Dei, curantur oſcitanter ac ſegniter, parcè etiam metentur iſta omnia in futuro; parvo enim & parco labori, parva & parca merces debetur ac dabitur, juxtà illud: *Quâ menſurâ menſi fueritis, eâdem remetientur vobis:* Si verò hic ſpiritualia ſeminantur in abundantiâ, in fervore, in quotidianâ Spiritus & conatus renovatione, in perpetuâ fame ſitique amplioris & amplioris Juſtitiæ, in aſſiduâ meliorum chariſmatum æmulatione, etiam in futuro meſſis erit abundans, *& menſura conferta, coagitata, &*

Matt: 7. *Luc: 6. 38.*

ra, & supereffluens dabitur in sinũ bonorũ operariorũ; Discamus ergo à Sapientiâ ut in hâc præsenti vitâ non agamus mala, agamus autem bona, & agamus in abundantiâ, quidquid potest operari manus nostra, instanter operetur, ut illi perenniter & abundanter retribuatur. Non ædificemus ligna, fœnum, stipulam; sed aurum, argentum, pretiosos lapides, suprà fundamentum Fidei veritatisque cõacervemus & ædificemus, ut in igne illo Judicii Divini, non inveniamur minùs habentes, nec ponatur pars nostra cum hypocritis; sed cum bonis fidelibusque servis, jubeamur intrare in Gaudium Domini.

56. Quapropter Sapientia docet insuper alumnos suos, quis sit terrenorum atque præsentium status, quod item cælestium atque futurorum pretium & pondus, ut suis utraque momentis æstiment & curent, utraque prout congruum est curent, & quærant, atque appetant, ut terrena atque præsentia, transitura, peritura, sciant, proinde non se iis maculent, non gravent, non agglutinent, ne & ipsi transeant, pereantque cum ipsis: *Nam quid prodest homini, si universum hunc mundum* (cujus figura præterit cum concupiscentiâ suâ) *lucretur, se verò ipsum perdat?* vicissim autem, ut Cælestia & æterna, futura sciant esse, semperque mansura; proinde iis semper inhient, illa appetant, & conquirant, illis hæreans, ut cùm æternis æternent, cũ semper stantibus consistant, semperque præsentibus semper potiantur ac fruantur. Nam sicut qui labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur: ita qui semper stanti adhæret, necesse est, ut cum stante subsistat.

Matt: 16. 26.

57. Tandem verò docet Sapientia alumnos suos, quomodo mori debeant? Nã cum *statutum sit omnibus hominibus mori*, sapientum est crebrò recogitare istud *Mori*, crebrò prævidere quomodo velint *Mori?* crebrò & serio advertere quomodo se præparare debeant ad benè *Mori?* Est enim *Mors* mala, imò *pessima* scilicet *peccatorum.* & est *Mors* bona atque *in conspectu Domini pretiosa Sanctorum & Iustorum.* Et cũ res sit periculosissima Mori, ut pote cum sit momentum è quo pendet Æternùm beata, vel æternùm misera Æternitas, fit ut Ars moriendi sit valde utilis & valdè difficilis: errare enim hic bis non datur: experiri mortem ante mortem non datur; hinc difficile est mori etiam iis, qui totâ vitâ studuerunt quomodo deberent mori, & quantò difficilius erit illis qui nunquam cogitare voluerunt quid esset Mori? & quod deberent aliquando mori? quocircà & nihil utilius discitur quàm Mori; & nihil stultiùs negligitur, quàm discere Mori. & nihil periculosiùs probatur quàm Mori, & tamen post hæc omnia subeundum est omnibus semel Mori.

Hebr: 9. 27.

Psal: 33. 22.

Psal: 115. 15.

58. Quos ergo diligit Sapientia hos docet Mori: & docet Mori morte duplici, utrâque bonâ, utrâque utili. Una est Mors Corporalis, quâ Anima à Corpore separatur: altera Spiritualis, quâ ratio sensualitati præficitur & sensualitati vigor adimitur atque mortificatur: utraq; autem, tàm sensualitas, quàm Ratio, Fidei & Gratiæ submittitur, & in obsequium ejus captivatur. Hæc secunda Mors est Dispositio ad Priorem, & ex ejus perfectâ scientiâ atque experientiâ, pendet exitus eventusque illius. Hæc Spiritualis Mors, lentior quidem est, quàm corporalis, sed molestior; tùm quia diuturnior hæc, illa autem brevior; tùm quia hæc voluntatis, illa naturæ; tùm quia hæc libertatis, illa necessitatis: tùm quia hæc hominis est viventis & post mortem unã, ad aliam sese reservantis, suamque ipsius mortem sentientis & videntis, illa verò est hominis morientis, & omnes jam molestias hujus vitæ uno isto ictu præcidentis. Hæc Spiritualis mors hoc habet cõmodi supra illam & ad illam, quod sit Dispositio ad illam, & quod per experientiam possimus discere & repetere illam, imò quantò illam frequentius experimur & repetimus, tantò nobis & faciliorem hanc, & leviorem reddimus illã; Nam cum duo sint quæ nobis reddunt mortem illam corporalem maximè horribilem, scilicet Conscientia malæ Actæ Vitæ, & amor Bonorum terrenorum, quæ relinquere cogimur: utrumque hoc Morte Spirituali expeditur: Nam & per illam Consciensia, non solùm à peccatis evacuatur; sed etiam exercitiis omnium virtutum ornatur, & Terrenorum Bonorum Amore, cor planè exspoliatur, & totum cor sursum ad superna elevatur. Quo fit ut Morti Spirituali assuefactus, quando ad Mortem venit corporalem, nec concutiatur malè actæ vitæ conscientiâ, nec doleat se hujus vitæ bona caducæ relinquere; sed potiùs & præmia vitæ bonæ recepturum se speret, & ab his putidis, ad illa cælestia bona evolare festinet. Sic ergo per Mortem unam, itur ad Mortem alteram, suavi utique & ordinato Sapientiæ Divinæ Magisterio.

O Doctrix disciplinæ Dei Æterna Sapientia, quis mihi det, ut erigas mihi aurem quotidie, imò perpetuo, ut tuum semper excipiam Magisterium, & habeas me discipulum tuum diligentem & prõptum semper ad discenda ea, quæ tu doces bona esse; & ad discenda ea quæ tu doces mala esse, Sapientia verò mundi hujus docere contendit utilia esse. Accipe me ô suavissima Sapientissimaq; Magistra, & me secundum eruditionem tuam instrue. quoniam beatus, quem tu erudieris, & in lege tua docueris.

CAPUT XVI.
Æternæ Sapientiæ Gustus & Fruitio habenda est.

59. ÆTerna Sapientia non tantùm lux est, non tantum Magistra est; sed etiam cibus, etiam sapor est. ideò qui ad illam veniunt, non tantùm oculos ad disciplinam; sed etiam appetitum & gustum. imò ventriculum afferre debent: nõ tantùm enim illa docet; sed etiam sapit: alioqui si docet sed non sapit, frustra est. Sicut etiam, si sapit sed non docet, nihil prodest. Nam & *& scienti bonum sed non facienti peccatum est:* & *sapere sine* lucis *sobrietate* insipientia est; Didicimus jam Sapientiæ doctrinam, vidimus ejus lucem, gustemus jam dulcedinem ejus & fruamur sapore ejus. Sed quomodo gustabimus, quomodo fruemur, qui illam non possidemus, non tenemus? Fateor hoc opis nostræ non esse, & mortua scriptura nostra hoc non dicet, quod vivax experientia non sensit: verùm non est nostri propositi gustare aut frui; sed tantùm excitare ad gustandum & fruendum. nã gustare & frui, actus est, exercitium est, experimentum est, beatitudo est. O beatos gustus illos! ô felix illud palatum! ô fortunatum appetitum fructu Sapientiæ gaudentem & potientem, & affluentem! quando hoc quando ô Deus meus, Sapientiâ verax, Veritas Sapiens, utraque Æterna, imò Æternitas ipsa, quando (inquam) etiam mihi servulo tuo, ministro tuo, mancipio tuo, Amatori tuo, sponso tuo continget? quando induces me in Cubiculum tuum, & ostendes te, meque mihi, & uterque comparebimus nobis, fruemur nobis, delectabimur nobis! O Secretum suave! ô Suavitas secreta! O quando medium omne, maceriam omnem diruam! quousque stat post parietem nostrum amor noster? quousque prospicis per cancellos? cur non fine medio tandem unimur, jungimur, nectimur, viisceramur, transfiguramur, transformamurq;? quousque ego sine te? quousque longè a te? quousque ego non tu? quando erit, ut dicam, & verè dicam, & semper, & plenè dicam, *Vivo ego jam non ego.* Ah quando ego non ero ego? quando Deus meus, Sapientia mea, eris mihi omnia, eris super omnia, eris solus omnia? Ah quando nihil erit mihi nisi solus tu, quando neque ego mihi ero, sed tibi ero, imò nec tibi, sed Tu ero? Hæc cogitare ô Sapientissima Sapientia, hæc desiderare dulce est: & quantò dulciùs experiri, quantò beatiùs his potiri, his insuescere, his satiari! *Gal: 2. 20*

60. Quærimus autem nunc: Quid sit frui, quid satiari Sapientiâ? & quærimus non de illâ vitâ quæ suprà nos; sed in hac Vitâ quam adhuc vivimus. quærimus hæc & invenire non possumus, quia te ô Sapientia non habemus, non possidemus. Te enim sine te quis possideat, quis fruatur? Attamen quid est frui Sapientia? est nosse illam, Amare illam, inhærere illi, conquiescare in illâ, morari cum illâ, gaudere de illâ, & congaudere illi, satiari & inebriari illâ, posthæc autem omnia appetere illam. Sed quid sunt hæc ipsa omnia? Istos interroga qui experti sunt isthæc omnia; ego de hoc numero non sum, quia conspectu & memoratu Sapientiæ dignus non sum.

Utinam mihi contingat ô Æterna Sapientia, ut aliquando etiam ascendat memoria mei apud te, & constituas, mihi tempus, in quo recorderis mei, & adimpleas me lætitiâ cum vultu tuo, aut saltem sinas me comedere, de micis illis, quæ cadunt de mensâ filiorum, amatorum, Sponsorum tuorum, Dominorum meorum!

CAPUT XVII.
Æternæ Sapientiæ Ministerium, & Ministrandi Modus.

61. SApientia DEUS est, qui bonorum & Ministeriorum nostrorum non eget: ministrari tamen sibi vult, & jubet, ac (etsi non juberet) debet quia dignus est, quia nos opus ejus sumus, quia ministrare illi nostrum bonum, nostra felicitas est, miserique sumus, si illi non ministramus. Ministerium igitur Sapientiæ Æternæ istis capitibus præcipuè constat. 1. Se & Illam nosse. hoc est: quod illa super omnia sit, & quod homo ab illâ habeat omnia, debeatque ipsi omnia. 2. Amare,

mare, concupiscere, æstimare illam super omnia. 3. Subjicere se & subdere illi: unaque sua omnia. 4. Illam ubique spectare & recognoscere, ex ejusque ductu & Magisterio agere omnia: attendendo tùm ad illud internum ejus quod in Ratione Conscientiáque nostrâ semper imprimit dictamen & Magisterium, nunquam Sensum & Affectum, sed rationis rectæ lumen sequendo: tùm verò ad externum illud Incarnatæ & inter homines conversantis viventisque Sapientiæ exẽplar, nobis ab illâ ad imitandum propositum. Exemplum enim dedit nobis, ut quemadmodum illa in hoc mundo vixit, Deoque Patri ministravit, etiam nos vivamus, ac eidem ipsi ministremus. prout etiam ipsa loquitur alicubi, dicens: *Qui mihi ministrat, me sequatur.* Ergo ille ministrator est Sapientiæ optimus, qui est imitator ejus accuratissimus. 5. Purgare se, & abstrahere à peccatis, omnique adeo specie mali. 6. Se possidere ipsum & non servire peccato, non concupiscentiis, non passionibus, non creaturis ullis.

Gal. 2.

60.

Joan. 12. 26.

62. 7. Ornare se omni virtutum genere nõ solùm Communium & in gradu cõmuni, & quasi plebejo, sed in Excellenti atque Heroico. 8. Perdere seipsum, & sibi perire, propter Sapientiam æternam, ejusq; Amorem. 9. Illi se totum donare & mancipare in servum Æternum. 10. Illi sese incorporare & in illam transformare, præsertim assumendo & imprimendo sibi quàm perfectissimè, illam ejus imaginem, quam illa subiit pro nobis in suâ Passione, communicando per Intellectũ, per Affectum, per Sensum, per experientiam continuam, dolori, paupertati, contemptui, Cruci, Morti ejus. 11. Suâ salute contentum non esse; sed alios etiã ad Amorem Æternæ, Incarnatæ, Increatæque Sapientiæ, ad contemptum terrenorum, ad curam animæ ejus pretioso Sanguine & durâ Morte redemptæ inducere. 12. Non esse contentum qualiquali aliorum salute, sed perfectionem etiam sanctitatemque eorum curare. 13. Propter salutem perfectionemque aliorum ac suam, propter Æternæ Sapientiæ Gloriam, se, suam famam, opinionem, valetudinem, sanguinem, vitamque impendere, prostituere, nihili facere, prodigere.

61.

63. 14. Hæc omnia postquam peregerit; nihili facere, non se inde efferre, nec se magnum, multumve aliquid propter Sapientiam Æternam egisse putare; sed potiùs agnoscere, hæc ipsa, esse ejus quidem dona, sua verò debita, pro quibus rationem sit redditurus olim ipsi, & cum quibus meritò possit ab ipsâ rejici.

O Æterna Sapientia, quæ Ministros tibi dignos te facis, & cui subesse atq; ministrare, dignitas est, respice in me vilissimum opus manuum tuarum, & facito me ministrum tuum dignum Te. Non sum quidem ego dignus & aptus, ut in totâ vitâ meâ, & si foret æterna, vel per unum momentum ministrem Majestati tuæ; sed Dignitas tua tanta est, & obligatio mea, ut debeam tibi, per omnia totius Æternitatis momenta, omnibus omnium rerum viribus, conatibusq; totaliter servire, meque ministerio tuo superimpendere. ô Sapientia, utere me digne te, ad exaltandum Te, ad humiliandum me, juxta Adorandæ Voluntatis tuæ placitum, & propter nullum præmium meum. Tibi soli sit omnis honor & cultus, & Amor in sæcula.

CAPUT XVIII.

Æternam Sapientiam sibi Desponsandi Ratio.

64. NOn est ambitio humana, sed Dignatio Divina, quod creatura vilis, audeat tantum sibi assumere, ut Desponsationem Æternæ Sapientiæ, ejus ue connubium & complexum, præsumat concupiscere. Dignatus est hominem sibi unire Hypostaticè & substantialiter Deus: quomodo non dignabitur Animam sibi unire, Mysticè & Spiritualiter? Non tantum dignatur, sed etiam imperat & jubet, molestumque est illi, si rariùs fruitur hujusmodi Sponsalitiis, delitiis, atque amoribus. quin imò propter hoc præcipuè venit Increata Sapientia, factaque est Incarnata, ut homini & animum daret, & modum ostenderet ad Sponsalia veniendi Divina. Nam ubi homo videt Voluntatis & Dignationis Divinæ fuisse ut Deus Homo, & Homo Deus fieret: quomodo jam dubitet esse etiam Voluntatis Dignationisque Divinæ, ut homo Sponsus Dei fiat, jungaturque illi amore, quem videt sibi potuisse jungi naturâ, personâ, substantiâ? Audeat ergo homo præsumere, quod Dignatur Majestas æterna desiderare. Assumat in sponsam Ratio Sapientiam, nectatur Radius Soli, rivus fonti, effectus Causæ, Creatura Creatori, Vilitas Dignitati, nihil Enti, Homo Deo.

65. Sed quis modus erit in re quæ est suprà modum? Arbitror, nulli eo usque audaciæ procedendum, nisi priùs persenserit, se ad id præsumptionis dignanter

vocatum: Nam omnes quidem vocat Sapientia ad convictum & consortium suum; sed facit hac in re tamen discrimina, nec temerè quoslibet ad intima intromittit. Specialiter vocat, specialiter præparat, ornat, animat: quos adeò specialiter honorare cogitat. Suntque hujus Vocationis signa ordinaria, nec obscura, nec pauca, e. g. Mortificatio sensuum, & Odium sensualitatum, Veritatis Amor, Puritatis internæ studium, Mansuetudo voluntatis, Phantasmatum raritas & quies, Desiderium placendi Sapientiæ, Vita ex Rationis & Fidei præscripto diu diligenterque ducta. Sapientiæ mundi & judiciorum humanorum neglectus & irrisio, Cupiditas intima cordis inhærendi fruendique Æternâ Sapientiâ, quam non pariat turbida de Propriâ Dignitate sanctitatevè præsumptio & opinio; sed humilis amorosaque ad Æternam Sapientiam affectio, identidemque intus in animo ad id desiderandum percepta impulsio atque invitatio. Hæc in

66\. se qui senserit, vocari se non dubitet; sed post hæc, quonam vocetur sciat oportet. Noverit quid & quænam sit isthæc Æterna Sapientia, & noverit notitiâ non communi, sed Altiori quadam, quam nemo scit nisi qui accipit, & quæ in hoc negotio est omnium difficillima: nec ferè obtinetur, nisi donetur. non donatur autẽ, nisi magnis & generosis sui propter Deum contemptoribus, famæque & honoris sui calcatoribus, propriæque stultitiæ & defectuositatis professoribus. Quà in re quantò qui ampliùs proficiunt & excellunt, tantò postmodum penitius in arcanâ Æternæ Sapientiæ ab ipsamet Sapientiâ inducuntur. Inductus verò quis ad dictam altiorem Sapientiæ Notitiâ, nullo negotio illius magnus æstimator & admirator evadit. Sapientia est omnium rerum pondus, pretium, Dignitas, valor, artifex, regula, ratio. proinde si hoc esse cognoscatur, non potest non præ omnibus pretiosa & mira videri. Ab æstimatione porrò admirationeque Sapientiæ, transitur ad Amorem atque Desiderium illius, & quidem non vulgare, sed ardens, tædiosum, semper crescens, inquietum, laboriosum, famelicum, absorptivum.

67\. Istiusmodi autem desiderium, stimulat & urget animum ad præparandi sui studium. Animus ergo succensus desiderio fruendi & potiundi Æternâ Sapientiâ, totum se colligit, ab omnibus avellit, omnibus expurgat, non tantùm sordibus, sed etiam sordium vestigiis: non tantùm terrenis ac sensualibus rebus, sed etiam rerum imaginibus, omnia à se amputat non necessaria, ipsa etiam minuit & ordinat necessaria, sursum se semper erigit, in supernis semper quidquid aliud agat se defigit: & quoties se ab inde prolapsum advertit, toties eodem incessanter & infatigabiliter redire compellit. & denique, quantùm fieri potest, continuò per memoriam & Amorem Æternæ Sapientiæ semper inhæret, illam vigilans, illam dormiens, illam loquens, illam tacens, illam orans, illam studens, legens, scribens, docens, illam ambulans, illam sedens, illam tandem ubique vivens & moriens præ oculis habet, fovet, amat, æstimat, concupiscit, laudat, osculatur, adorat, ambit, deprecatur, orat, consulit, gratiis munusculisque prosequitur: illi soli se servat, ornat, ditat, exercet, præsentat. illi soli vivit, illi soli placere, servire, ad palatum & Gustum aliquid facere, vitæ Beatitudinisque instar ducit. Et quia hæc aut pauca aut parva viliaque ducit, suis ipsius industriis, operibusque inopibus minimè contentus, ideò aliorũ quos Sapientiæ certò novit placuisse, delitiosòsque fuisse, implorat emendicatque Suffragia. incipiens à minimo Angelo, à minimo Sancto, usque ad ipsam Sapientiæ Matrem Pretiosissimam progreditur, & dignos Æternâ Sapientiâ ornatus apparatusque corradit. quin etiam ipsius se Sapientiæ Incarnatæ vestit Dignationibus, instruit donis, ditat meritis, assimilat moribus, succendit Amoribus.

68\. Hîc jam conceptâ fiduciâ non ex suis, sed ex ipsius Sapientiæ Gratiis, ambitiosa sua explicat vota. dat se, & postulat vicissim pro se, coràm Æternæ Individuæque Trinitatis Majestate, in conspectu totius cæli, celebrat Sponsalia cum Æternâ, Increatâ, Incarnatâ Sapientiâ. fit Sponsus & Sponsam habet, contrahit, cõplectitur, fruitur, & beatus est, si non plene, at ex parte, si non semper, at sæpè, at interdum.

O Pretiosissima, ô Pulcherrima, ô Dignissima Æterna Sapientia, quæ me licet universæ vilitatis vilitatem atq; purgamentum; tamen gratuitâ, solâ & purâ Misericordiâ, Gratiâq; tuâ condis, servas, ditas, salvas, beas. Te, Ego coram Adorandâ Individuâq; TRINITATE, coram omni aulâ cælesti, Pretiosissimâq; Parente tuâ Virgine MARIA, nullis licet meis suffragantibus meritis, sed solis tuis invitantibus auxiliis: Eligo, accepto, accipio mihi in Sponsam sempiternam; meq; vicissim tibi dono,

Trado,

Trado, despondeo in Sponsum perpetuum: voloque totus Tuus esse, in omnibus tibi servire, omnia ad Gustum tuum facere, in omnibus majus tuum Beneplacitum, majoremq; Gloriam tuam quærere & spectare: in omnia tua commoda totum me semper impendere, Tibiq; in æternum adhærere. Nullum pro hac re abs te præmium postulans & expectans, nisi ut Tu sis Sponsa mea suavissima, & ego Sponsus Tuus, gratissimus, Tibi, semper, utq; utaris me toto juxta omne placitum tuum, & ad Gustum Adorandæ Voluntatis tuæ, & ad Exaltationem Eminentissimæ Dignitatis tuæ. Tibi cum PATRE, & Sancto SPIRITU, sit Æternitas Gloriosa, & Gloria æterna.

69. Hujus cum Æterna Sapientiâ Desponsationis præcipuum munus, finis, execitium, Praxis, & negotium, & quasi compendium est positum in hoc, ut perpetua (quantum in hâc vitâ fieri potest) memoria habeatur Æternæ Sapientiæ, ita tamen ut hæc memoria non sit sterilis, & merè (ut vocant) speculativa, sed fructuosa, & practica, sive operativa. Quæ operatio consistit in hoc ut dum memoriam præsentis nobis Sapientiæ Dei retinemus, excitemur ejus Præsentiâ & conspectu ad varios affectus & effectus v. g. ut in conspectu ejus nihil indignum oculis ejus committamus, 1. sed ita vivamus ut speciosissimus ille purissimusque oculus nihil inveniat quod reprehendat. 2. Ut non solùm nihil agamus mali, sed etiam si quid agimus boni, agamus cum maximâ perfectione & fervore & juxtà gustum Sapientiæ, Heroicoque cum conatu. 3. Ut quantum fieri potest teneritudine Amoris vel fame sitique desiderii, vel familiaritate collocutionis mutuæ, vel confidentiâ communicationis, vel secretâ complexuum conjunctionumque fruitione & satietate, in eam (ut pote præsentem, & quidem Sponsam) rapiamur, neque tamen intereà â necessariis occupationibus, debitè peragendis avocemur. Quæ res non est quidem (fateor) humanarum virium: (quid enim nos sumus nobis, nisi duces in præceps, & pondera in nihilum?) tamen qui amant Sapientiam, & qui amantur ab illâ, facilè hoc illis usu fiet, & tempore; modò non fatigentur initio sese ostentante difficultate.

Fac ô Sapientia Æterna ut convivamus tibi digne Te; omnia enim possumus, nos infirmi, per te, & nihil possumus nos robusti sine Te. quia omnis sufficientia nostra est ex te. Tibi Gloria & Benedictio & Gratiarum-actio ab omni Creatura in sæcula.

CAPUT XIX.

Æterna Sapientia quomodo animo concipienda?

70. AD dicta hactenùs juverit multum perpendere & cognoscere quomodo Æterna Sapientia animo sit concipienda. 1. Et quidem solent vulgò pii homines qui huic exercitio student, Æternam Sapientiam DEUM, sibi effingere & formare per quasdam imagines, quá in re Sacra etiam Scriptura crebrò se Ducem præbet: Sic enim Isaias, vidit *Dominum super solium excelsum & elevatum.* Daniel item eundem sub longævi senis forma intuitus est. Denique ipsam Sapientiam sub Reginæ Imperatricisque Augustæ Formâ adumbratam legimus comitante Gloriâ & Æternitate, divitiis, opibus, aliisque famulitiis stipatam. 2. Alii Æternam Sapientiam velut Lucem sibi imaginantur quandam, aut velut Oculum ad nihil unquam conniventem, omniscium, in omnes partes intentum. 3. Alii eandem velut Sponsam Virginem ornatissimam decentissimamq; sibi effigurant, commodâ quidem, delicatâ, & ad proximo capite dicta convenienti, quin & in Scripturis ipsis depictâ imagine; cæterum *non debemus* (ut dixit Atheniensibus Paulus) *æstimare cogitationi hominis Divinum esse simile.* Nam Sapientia Æterna, Sponsa quidem est sed Animi; Spiritus siquidem est DEUS, & carnis contagia non novit: Similiter omnia quidem intuetur sed non est oculus: Omnia illuminat nec tamen Lux est, omnia gubernat: sed non tanquam Rex in regno, verùm tanquam Anima in corpore, tanquam Deus in mundo, tota in toto, tota in quavis parte, præsens, operans, inexistens ubique, cuilibet rei intimè: à fine ad finem pertingens, medullasque & viscera rerum penetrans.

Isaia 6. 1.

Act. 17. 29.

71. Cui ergo similem dicemus & cogitabimus Sapientiam istam, quæ & omnium est dissimilis, & tamen simul est omnium prototypon, atque exemplar? Nudam intueri Sapientiam, non est hujus vitæ & status: Felicitas hæc est, sed non huic servata Peregrinationi: attamen, & hîc sensim assuefaciendus est animus ad intuitum eius, quantum fieri potest purum, incorporeum, spiritualem, denudatum. Quod nisi fallor illustrari potest ex parte hac ratione. Spiritus est Sapientia, & quidem purissimus, simplicissimus, Actualissimus,

alissimus, imò purus actus: quo fit ut solus Spiritus quoque sit eius capax, soloque Spiritu possit concipi: adeò ut tantò censeatur agnosci perfectiùs, quantò vel spiritualiùs apprehenditur, vel à Spiritualiore intellectu. Sensus non apprehendit eam, nec ipsa vult, potestvé sensualiter percipi, unde scriptum est: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs.* Et: *In malevolam animam non introibit Sapientia.* malevola autem est anima omnis illa quæ Carni & Sensui dedita. Non igitur sensu captanda & cogitanda Sapientia sed Ratione, & eâ quidem à Sensibus expeditâ, à corporeisque imaginibus repurgatâ. Verùm hoc ipsum quomodo fiet, nescio: quidquid enim dixero obscurum est, non ex se illud quidem, sed ex nostrâ quam de rebus apprehendendis exponendisque habemus consuetudine, quam corrigere non est facilè, inveteratam, usuque longo impressam.

1. Cor: 2. 14. Sap: 1. 4.

72\. Certum est, esse multa in rebus etiam humanis, quæ solâ Ratione concipiuntur, & sub nullum sensum externum internumque cadunt. Talis est omnis res Moralis, ad honestum, ad virtutem, & ad his opposita pertinens. Fides v.g. Amor, Iustitia, Mansuetudo, Fortitudo, Generositas & similia, sunt in hominibus, amantur in hominibus, coluntur, laudantur, appetuntur, & per consequens etiam cognoscuntur ab hominibus. Non cognoscuntur autem Sensu, non oculo, non aure, non tactu, non imaginatione; superest igitur, ut solo Intellectu, sicuti etiam appetuntur & diliguntur, non aure, non oculo, non phantasiâ; verùm Rationali appetitu, scilicet voluntate. Similiter Ars, Doctrina, Scientia, Prudentia, Ingenium, Iudicium, Consilium Ratione apprehenduntur, & Ratione solâ, nullo Sensu ad ista pertingitur. Similiter audimus sermonem & cognoscimus esse elegantem, videmus picturam, judicamus artificiosam. Spectamus actionem, dicimus esse honestam, justam, rationabilem, ex virtute profectam: isthæc Iudicia, de Honestate, de Arte, de Elegantiâ, non sunt Sensuum, sed solius Intellectûs: aliudque est quod in his intuetur Ratio, aliud quod sensus cognoscit.

73\. In re igitur nostrâ loquendo, quomodo hæc omnia Intellectu apprehenduntur, ita potest & debet apprehendi cognoscique solo Intellectu, solâque Ratione etiam Æterna Sapientia: quibus enim oculis videtur Virtus, quibus honestas, quibus veritas, quibus ipsa Ratio, ipsis iisdem videtur Sapientia. Et quomodo intuemur in Rege Authoritatem Dignitatemque Regiam, quomodo in Iudice Iudiciariam, in Doctore Magistralem, in Superiore Imperativam: in Amico Amicitiam, in Amante Amorem, in Sancto & Iusto morum Integritatem, eò modo in omni prorsùs re oculis Intellectualibus fide collustratis intueamur, diligamus, consulamus, æstimemus, concupiscamus, gustemus Æternam Sapientiam: & hæc enim Spiritualis est sicut & omnia illa, imò hujus particulæ & participatio sunt omnia illa. adeò, ut quæ in Creaturis sparsim sint bona Rationalia, hæc in Æternâ Sapientiâ sint simul omnia, & extrà illam sunt aliud nihil quàm quædam Sapientiæ vestigia. Dum ergò de Sapientiâ Æternâ cogitamus, imaginibus quoàd fieri potest non utamur; sed tanquam Spiritualem & ipsi Spirituales spiritualiter cogitemus atque Ratione comprehendamus.

Tu facito Æterna Sapientia ut Animi corporeis exuti nebulis, & in spiritualem asserti tuo dono nuditatem atq; puritatem, te in veritate, & prout in te es, pro suo posse & Statu cognoscant tibique quàm proxime & intime sine ullo prorsus medio, uniantur, insint, inhæreant, inviscerentur, Teque digne te, semper, & ubique cogitent, & tecum digne Te conversentur.

CAPUT XX.

Æternæ Sapientiæ convivendi, cum eaq; conversandi Ratio.

74\. Sap: 8. 16.

SApientiæ Æternæ *conversatio amaritudinem & tædium non habet*: & ideo beatus qui cum illâ demorabitur, dummodò digne demoretur. Etenim sunt, qui cum illâ, non ita prout dignum est illâ, conversantur. Certè Judam scimus Christi Jesu fuisse Auditorem, asseclam, Apostolum: eundem tamen novimus extitisse diabolum: *Nonne* (ait ipsa Sapientia) *ego duodecem elegi vos, & unus ex vobis diabolus est?* Ad Sapientiam ergò & accedendum rectè, & agendum conversandumque cum illâ debitè.

Atque hac in re primum omnium velut fundamentum statuendum est. Sapientiam sicut ubique locorum & rerum præsens adest, ita ubique & in omnibus præsentem agnoscendam esse. Est enim error atque deceptio non parva, quærere Deum tanquam alicubi quidem præsentem, alicubi autem absentem. Nusquam

quam abest, qui ubique adest, proinde non quærendus tanquam absens. sed tanquam incognitus cognoscendus est & inveniendus. hoc namque est Deum invenisse, scire & meminisse illum Præsentem adesse. Sic ergo Sapientia cum adsit ubique scienda est ubique adesse, & scienda nusquam posse abesse. Etenim unde aut quomodo abesset Sapientia? absit ut illa alicunde absit; nam si hæc abesset, insipientia adesset, quod utique & Deum minimè deceret, & Sapientiæ nequaquam congrueret, ut insipientiam alicubi esse permitteret, ipsaque illi locum cederet. Verum est esse in Creaturis & quidem in Rationalibus insipientiam, cæterùm non sine Sapientiâ, non, inquam, sine dispensatione & permissione Sapientiæ: quæ illi ideò nonnunquam alicubi spatium concedit, ut se per illam tantò magis manifestet. Quod cum ita sit, cum Sapientia nusquam non adsit, sequitur utique nos semper & ubique cum Sapientiâ esse, in ipsâ vivere, in ipsâ moveri.

75. Sed parùm est nos in illâ & cum illâ esse, nisi etiam noverimus, nos cum illa esse, & nisi sciamus servemusque artem, quâ deceat cum illa degere. *Thesaurus enim invisus, & Sapientia abscondita, quæ utilitas in utrisque?* [20.32.] Nulla prorsus: & fortasse est etiam incommoditas non nulla. an non enim incommodum est, ignorare tuum cómodum? certè nihil differt à paupere qui se nescit esse divitem, nihil differt à misero, qui se ignorat esse beatum. Thesauro caret qui se illum habere nescit. sed nec lucem videt is; qui se videre illam, non videt. Pari ratione frustra est, imo non est cum Sapientiâ, qui se ignorat esse cum Sapientiâ. Scientes ergo & nescientes, volentes nolentes, cum Sapientiâ sumus, sed cum illâ nos esse, non nisi scientes & volentes scimus, itemque cum illâ, dignè illâ versari, nonnisi scientes & volentes possumus. Et sic tum primum fundamenta rectæ cum Sapientiâ conversationis jacimus, quando nos cum illâ, in illâ vivere semper agnoscimus. Attamen fundamentum hoc otiosum est, si quid insuper non addimus, & ædificio jam ita fundato, parietes non superædificamus, quos quidem tunc erigimus, quando ad alios, magis Sapientiæ Æternæ placitos, cum ipsâ conversandi gradus ascendimus.

76. Qui Gradus, ut mihi nunc docente Sapientiâ occurrunt, isti nisi fallor sunt. 1. In præsentiâ conspectuque æternæ Sapientiæ perpetuò, libenter, reverenterque versari. 2. Omnia opera propter illam, & aggredi, & prosequi, & finire, illique attribuere. 3. Ex Disciplinâ, præscripto, regulisque Sapientiæ omnia agere, nusquam recedendo a præscriptis ejus, non in tempore, non in loco, non in modo, non in substantiâ, non in aliis circumstantiis actionis. 4. Omnia cum illâ agere, & ad omnia auxilium, opem, directionem que ejus implorare, obtinere, admittere, & nihil omninò sine illius sociali cooperatione perficere aut moliri. 6. Omnia ipsius solius arbitrio permittere, ipsique soli omnia perficienda relinquere, securèque in ejus efficacitate & benignissima providentiâ conquiescere: Sese verò aut nihil in opera intromittere, aut ad ea tantùm velut instrumentum gratuitum & minimè necessarium atque accommodatum ab illâ adhiberi agnoscere, idque libenter ubique prædicare. 6. In omni opere ipsam imitari, & illius ad instar omnia agere. 7. Illam in se sibimet agentem & operantem cogitare, ac propterea mollem & tractabilem se illi exhibere, ut homine pro arbitrio uti possit. v. g. Si homini Orandum est, cogitet ipsam Sapientiam in homine & per hominem oraturam, proque homine, in homine ad semetipsam preces fusuram. (juxta illud quod de Spiritu Sancto Apostolus dixit: *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, & quidè in ipsis nobis. [Rom: 8. 26] Et Propheta. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*, utique sane per nos & in nobis, si opera nostra sunt.) attendat ergo jam homo quomodo Sapientiam orare deceat, nec quidquam tale committat, quod Orationi ab Æternâ Sapientiâ fusæ adjungi minimè debeat, non itaque sese huc illuc vertat, non distrahatur, nó indevotus sit, non interrumpat sine justâ causa, non festinus sit, non quomodolibet & dumtaxat expedire cupiat, aliaque omnia quæ Orationem Sapientiæ Æternæ deceant adhibeat. Et consimiliter se in aliis omnibus operibus suis gerat.

77. Ex hisce gradibus tres quidem postremi excellentissimi sunt; magis tamen ad palatum Sapientiæ facturum eum puto, qui omnes conjungere conscendereque adnitetur. Neque verò dubito infinitos prætereà alios reperiri modos posse cum Æternâ Sapientiâ conversandi: sed mihi partim isti soli nunc occurrunt, partim alii jam in superioribus capitibus, præsertim 17. & 19. allati sunt.

Utinam ò Aeterna, semperq; Augusta Sapientia, ita me totum facias tuum, ita absorbeas totũ,

ut mei nihil relinquas mihi, facias me convictorem tuum, & sodalem dignum Te, gratum tibi, placitum coram te: ut in lumine tuo, in efficaciâ tuâ, coram præsentiâ tuâ, ex Normâ & voluntate tuâ, totus vivam, totus agam, totus agar, totus construar, totus consistam, totus effigurer.

CAPUT XXI.

Ad Æternam Sapientiam Affectus varii Theologici.

Constructi in supradictis ædificii superest ut verticem tectumq; exhibeamus quem nunc Affectuum ergà ipsam varietate perficimus. Nullis enim bonus animus celeriùs ad Sapientiam pervenit pedibus; quàm crebris, &, si potest fieri, continuis, ex inflammato corde ad ipsam ructatis affectibus. Libeat dante & aspirante ipsâ Sapientiâ hac in re plusculum lusitare, & Spiritui nonnihil prout ejus penuria patitur indulgere.

Actus Fidei. 1. Æterna Sapientia. Credo de te hæc omnia quæ de te, per Te, revelata sunt in Sacrâ Scripturâ, atq; tuâ S. Romanâ Ecclesiâ. Pro quâ Fide millies mori paratus sum.

2. Æterna Sapientia. Credo Te esse, existere, à te & per te. Credo te Deum, & totum id quidquid revera es, esse.

3. Ætern: Sap. Tu es DEVS, Tu es Filius Dei, non creatus, non factus, sed ab Æterno genitus, consubstantialis, & coeternus, & æqualis Patri per omnia, idem cum ipso Naturâ, alius Personâ.

4. Ætern: Sap: Increata, Tu es propter nos DEVS-Homo Incarnatus, de Purissimis Pretiosissimæ Parentis Virginis MARIÆ sanguinibus, cooperante Spiritu S. conceptus & natus, & inter homines 33. Annis conversatus, tandem propter homines in Cruce passus & Mortuus.

5. Æterna Sap. Tu es Iudex vivorum & mortuorum. Princeps & Pater futuri sæculi.

6. Æterna Sap. IESV Christe, Tu es Caput omnis Ecclesiæ, per Te, per Tua merita, per Tua dona, omnia vivunt, quæcunq; Deo vivunt.

7. Æterna Sap. Tu cum Patre unum & idem es Spiritus Sancti Principium, spirans æqualem tibi, eundem tecum, & cum Patre, in Substantiâ, alium in Subsistentiâ.

8. Æterna Sap. Tu es Via, Veritas, & Vita nostrûm omnium, tu Magister & Dux, & Exemplum vitæ nostræ.

9. Æterna Sap. Tu es Pastor, & Pater, & Rex, & Sponsus animarum nostrarum, Tu Medicus, tu Divitiæ nostræ, tu Vita & Beatitudo nostra.

10. Æterna Sap: Tu es cibus animarum nostrarum, tu te nobis Sacramentaliter, realiter ministras in escam, tu nos tuo pascis Corpore, potas Sanguine, tu inter nos & nobiscum es ac manes usque od consummationem sæculi, sis Benedictus DEVS in sæcula.

Actus Spei. 11. Æterna Sapientia. Tu es Deus meus, summum Bonum meum, & omnium nostrum, cui nullum bonum componere, nullum præponere possum, quod super omnia bona spero, a quo omnia bona spero.

12. Æterna Sap: Te totis viribus desideriorum meorum cupio, amo, appeto, tibi inhio, ad te anhelo, sine te non vivo, tibi immorior, propter te pereo.

13. Æterna Sap. Quis mihi det cognoscere te, invenire Te, pervenire ad Te, amplecti te, possidere te, frui te, perire in te, immori tibi.

14. Æterna Sap: Tibi soli, tibi uni, tibi semper vivit & vivet te dante anima mea, totus ego. Et heu me cur non adsum tibi, cur elongor a te, cur peregrinor a te! quousq; quousq; &c.

15. Æterna Sap: Quando o quando incipiam pleno jure, tuo jure, meo jure frui te, possidere te; Quando incipiam tuus esse & te habere: quando in te aberrabo, quando te pererrabo, quando beatis tuis implectar labyrinthis, quando tuâ involuar, obruar, absorbebor abysso!

Æterna Sap. Quousq; quousque, heu me, quousq; desideria mea, quousq; crucias vota mea Suavissima Sapientia meâ? O veni ad me: veni in me, da mihi te, ut satier, ut inebrier, ut replear, ut super implear te!

17. Æterna Sap. Tu sola es Salus mea, tu sola es Spes mea, tu arrha, tu pignus salutis meæ, beatitudinis meæ, felicitatis meæ. tibi spes mea vivit, vivet in æternum, donec assequar te Æternum, ô Bonum meum Æternum.

18. Æterna Sap. A te, & in te, & ex Te solâ, pendet universa Spes & expectatio mea, à te solâ salvari, te solâ beari possum, & volo. Tu sola, omne, solum, summumq; bonum, & auxilium & subsidium meum es. te si habeo, satis est. te si careo, væ mihi est.

19. Æterna Sap. Cælum, terramq; & omnia quæ in eis, & sub eis sunt testor, quod in Te solam oculi mei respiciunt, ad te solam vota mea aspirant, tibi soli cor meum inhiat, in te sola spes mea sperat, in te solam vires meæ recumbunt tu sola, tota, summa, prima ultima es ratio spei meæ, salutis meæ, omnis boni mei.

20. Aeterna Sap. Desidero, spero, concupisco te quantum possum, quantum das. Angustum est cor, quod accepi à te: da mihi amplius quod vehementius cupiat te. Da par tibi, da tuum: da ipsam Te, ut cupiam & possideam te per ipsam te: quoniam satiari & quiescere non possum nisi totaliter habeam te.

Actus Amor. 21. Æterna Sapientia. Tu es DEVS, tu summum bonum, summe perfectum, summe pretiosum, nullis æstimationibus digne æstimandum. te ego Amo, Te super omnia æstimo, tibi super omnia benevolo.

22. Æterna Sap: Tu mihi vitâ meâ, omnibus bonis meis, omni re & spe meâ, toto mundo, omnibus crea-

bus creaturis etiam poßibilibus carior, pretiosior, dignior, pulchrior, amabilior, suavior es & eris in æternum & ultra.

23. Æterna Sap: Amo te amore meo toto, amo amore omnium hominum, omnium Angelorum, omnium creaturarum etiam poßibilium, amo amore Pretiosißimæ Parentis, amo amore Sacratißimæ tuæ Humanitatis. Cupio te Amare amore tuo quo te diligis, amore Patris quo te amat Pater, Amore tuo quo tu Patrem amas, amore, quo ambo Spiritum Sanctum amatis, ab ipsoq; redamamini.

24. Æterna Sap: Totis Amorum medullis atq; visceribus Amo te, Tibiq; & pro Te desidero me impendere, ut vel unicus atomus gloriæ per meam opellam tibi poßit accedere.

25. Æterna Sap. Si rationabile tibiq; est placitum desiderium meum istud, desidero ex animo, omnes inferorum pœnas (secluso reatu culpæ) in æternum tolerare, modo his tormentis meis liceat mihi Bonitatem, Dignitatem, Majestatem Tuam vel ad unicum instans exaltare.

26. Æterna Sap: Utinā cognoscant te & ament prout digna es, omnes Creaturæ tuæ Rationales. utinam oblitæ omnium ad te convertantur, utinam contemptis omnibus tibi soli inhient, tibi soli inhæreant, te solā contentæ sint, Te solā frui, præeligant.

27. Æterna Sap. Gaudeo, exulto, totisq; viribus meis congratulor & congaudeo, quod adeo bona, pulchra, perfecta, amabilis, suavis, recta, beata sis prout es, quodq; nihil tibi adimi, nihil addi ad plenitudinem omnimodæ potentiæ tuæ poßit.

28. Æterna Sapientia Summe amabilis & bona es: amore meo satis amari non potes. sed nec ullus creatus, quantumlibet Seraphicus, & in immensum ex omnibus Creatis Amoribus auctus amor, amandæ tibi satis est. Ama ergo tu, Te, pro me, Amore Tuo: ama Te, per temetipsam, propter temetipsam, quia tibi amandæ tu sola par, tu sola sufficiens, sola æqualis es.

29. Æterna Sap. Amari vis à me, & debes: secluso enim omni imperio, omniq; merito, digna es ut super omnia ab omnibus, momentis omnibus ameris. ut quid igitur præcipis amorem tui, ut quid beneficiis & promißis provocas me, ut amem te. ut quid minaris ingentes miserias mihi, nisi amavero Te? parumne mihi præceptum Amoris est Bonitas & Dignitas tua? parumne mihi beneficium & præmium, amare te? parvane mihi miseria, non amare te? Te ipsam ô Sapientia Aeterna testor, per te, & coram te juro quod amem, quod amare velim, quod amaturus sim super omnia in æternum, solam te, dante te, & me efficaciter adjuvante.

30. Æterna Sap. Da mihi Amorem tui, non quantum Creaturæ omnes & singulæ habent habereve poßunt, non quantum hæc universi machina capere potest, non quantum infinitæ tales orbis moles continere possent; sed tantum quantum Tu omni tuā Potentiā condere potes: eum totum in æternum ad te solam converto & confero, propter Supremam Bonitatem tuam, propter Eminentißimam Dignitatem tuam, propter Adorandam Suavißimamq; Voluntatem Tuam, propter purum & nudum & solum Gustum Tuum, propter nullum autem præmium meum.

CAPUT XXII.

Alii ad Æternam Sapientiam Affectus.

Confessio. ÆTERNA SAPIENTIA Dulcißime DEVS meus IESV: confiteor tibi omnes miserias meas & iniquitates, quibus iram merui, & quarum non est finis. has tu æterno & immenso Benignitatis tuæ sinu, excipe, exhauri, evacua.

Æterna Sap: Tibi soli confiteor, cui soli peccavi super numerum arenæ maris: & à quā sola sanari atq; sanctificari possum, volo, spero.

Timor. Aeterna Sapientia. Cujus judicia abyssus multa, & quæ terribilis es in consiliis super filios hominum, quis mihi det, à timore tuo concipere, parturire, & parere Spiritum salutis, Obedientiæ, subjectionis.

Aeterna Sap. Tu es DEVS & absq; te non est alius: tu vere timeri debes, quia postquam occideris corpus, habes etiam potestatem mittere animam ad gehennam, & ejicere foras à facie tua.

Gratitudo. Aeterna Sap. Tibi gratias infinitas, immensas, intensas quas possum ago & agere æternaliter volo pro omnibus beneficiis tuis, quæ unquam toti Creaturæ & inprimis mihi, ab initio Creationis præstitisti, præstas, præstabis per omnia tempora, & per omnes æternitates.

Aeterna Sap. Gratias tibi ago & agam dum vivam, tàm meo quàm totius Creaturæ Nomine pro omni Sapientißimæ tuæ Providentiæ quam circa nos habere decrevisti serie atq; ordine.

Adoratio. Aeterna Sap: Adoro te adoratione illa quæ tibi soli tanquam Deo Dignißimo debetur, adoro autem pro me pro omni Creatura, pro omni tempore, cum omni adoratorii actus intensione, extensione, varietate, perfectione.

Aeterna Sap. Creatura tua sum tu Creator meus: tu summe Dignus Perfectus Excellens es, ego autem summe vilis sum; & ideò in contestationem recognitionemq; summæ Dignitatis tuæ, vilitatis autem & subjectionis meæ tibi semper à me debitæ, hunc præsentem actum facio, teq; tota submißionis plenitudine Adoro, & in æternum Adorare volo, & propono.

Humiliatio. Aeterna Sap. Tu es DEVS omni honore Dignißimus, ego autem sum Creatura, homo, peccator omni contemptu Dignißimus: si tamen quidquam mihi honoris inest inesseve potest aut debet, quantumquantum est, totum id in te DEVM meum Suavißimum Bonum meum refundo.

Aeterna Sap. Fateor & toti mundo protestor me cun-

me cunctis miserationibus & Gratiis tuis minorem esse, sine Gratiis autem & Misericordiis tuis, nihil prorsus per me ipsum posse.

Admiratio. *Aeterna Sapientia, ô quam Admirabilis & incomprehensibilis es omnibus Intellectibus Creatis, tum in Naturâ & Substantiâ tuâ, tum in Efficaciâ & Potentiâ tua, tum in Bonitate & Misericordia tua, tum in Pulchritudine & Dulcedine tua, tum in Rectitudine & Veritate tua.*

Aeterna Sap. Tu es DEUS, & ô Quantus! quã mirus! quam nullis cogitationibus adæquandus! Opera tua minima satis mirari & stupere non possumus: te opificem quomodo poterimus!

Postulatio. *Aeterna Sap. Tu DEUS es ego autem homo sum, hoc est tu Dives & Liberalis; ego autem pauper & mendicus sum: non me pudet nec piget mendicare à te; quin imò gaudeo, te tam perfectum, me tam miserum esse, ut cogar à te solo omnia maxima & minima bona mendicare. Mendico igitur & postulo omne id quidquid Tu DEUS Sapientia, mihi & toti Creaturæ necessarium melius, salubriùs, Tuæ Voluntati congruentius esse nosti.*

Aeterna Sap: Cujus natura prægnans Bonitate atq; parturiens beneficiis est semper, peto à te ut me facias juxta ipsissimam Cordis tui medullam, & juxta Suavissimum Gustum Voluntatis tuæ, adhibeasq; ad id Vias & Modos tales qui maxime Voluntati tuæ perplacent.

Resignatio. *Aeterna Sap. Totum me in te Resigno, abjicio, demergo, & in te negligo atq; desidero: ut tu mei curam quam voles geras, de meq; totaliter prout voles disponas.*

Aeterna Sap. Ecce tu DEUS meus & Rex meus: Ecce ego servus tuus, infans, subditus, cliens tuus: guberna me, tracta me, abjectum & fidentem in solam te.

Donatio. *Aeterna Sap. Nihil sum, Vilitas sum, Vanitas sum: sed & si tam pretiosus, dignus, perfectus essem, atq; es tu: totum tamen donarem me libens tibi, sicut etiam nunc quoad possum omni Cordis hilaritate dono, & donare me testor.*

Aeterna Sap. Quidquid à me vis & donari tibi à me vis, totum hoc quidquid est & esse potest tibi dono, donatione tam firma & hilari quam quæ cogitari potest.

Tædium. *Aeterna Sap. Quousq; vivo sine te, quousq; non fruor, non inebrior, non demergor in te: Tædet me vitæ meæ, nec libet animæ meæ absq; te vivere.*

Aeterna Sap. Ubi es? O Sapientia, quæ à fine ad finem attingis, cur me præteris, cur sine te sum, cur es sine me, cur non sum tecum? Ades ô mea, & tædium cordis mei, præsentiæ tuæ suavitate mitiga.

Laus. *Aeterna Sap. Te laudabit, quoad vivam, & usq; ad mortem, etiam post mortem in omnem æternitatem anima mea. Tu es laus mea, tu Canticum, tu Laudatio mea. ô quando incipiam sic Laudare te, ut nunquam opus sit me cessare à laude tua Infelix corpus, & corporalis vita misera, quæ gravas Animam ut incessabiliter laudare non possit Aeternam, Suavissimam, Pulcherrimam, Dulcissimam, Dignissimam Sapientiam:*

Aeterna Sap. Dulcissime IESU opto ex animo ut cum primum oculos meos mane patefacio, simul etiam sese cor meum capacissime dilatet, omnibusque portis ejus flagrantissima & amantissima laudis & exaltationis tuæ flamma prorumpat, sursumq; feratur cum ignitissimo cordis Amore, Tuæ Sanctissimæ Humanitatis, tuæ Pretiosissimæ Parentis, tuis Supremi quem in laudem & Charitatem tuam condidisti Seraphici Spiritus, te in beata æternitate sine fine incessabiliter amantis. Atq; etiam cum illa inexhausta & immensa, & incomprehensibili charitate, quâ Pater cœlestis tuus te unicum simulq; Charissimum Filium suum complectitur, per Amorem suavissimum Spiritus Sancti ex Patre, & Te Filio procedentis: Cum quo vobis sit suprema Laus & Gloria in sæculum & ultra.

CAPUT XXIII.
Æternæ Sapientiæ triplicis generis Laudatio.

78. ÆTernæ Sapientiæ Laudatio, dulcissima esse debet amanti ipsam occupatio: nec ulli potest deesse laudandi illam materies. Nam præter Divinitatẽ ejus, quæ sola est infinitarum Laudum materies, ipsa Sapientia, ut sensibiles, hominibus sensu duci solitis, suppeditaret Laudum suarum materias, in omnibus rebus, quas tam infinitè varias, tam variè infinitas condidit, laudum suarum segetem reliquit, & veluti in libellis quibusdam per partes descripsit, per totumque Universum, cælos, aera, Aquas, terras, Terræ viscera sparsit, ut ubi ubi homo esset, nusquam Sapientiam æternam non laudaret, laudumque ejus materiam non reperiret. Quod quanquam ita est, ubi tamen experientiâ constitit Æternæ Sapientiæ raros esse, qui eam laudarent, laudare vellent, laudes ejus in tot istis ubique sparsis foris & intus libellis pagellisque scriptis legere scirent; denique huc descendit, ut ipsamet laudatrix sui esset, ideoque apud Sapientem quendam denutiat toti mundo in hunc modum: *Sapientia laudabit Animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur: & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu Virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex Ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem* (Eccl: 24.)

omnem Creaturam. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens. & sicut nebula texi omnem terram. Ego in Altißimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.] & quæ ibi fusissimè deinceps in sui laudem prosequitur. Credo partim ideò, ut se laude dignissimam Dignissimo ore, hoc est, suo laudet. partim ideò, ut rationales creaturas, ab ipsâ ad laudandum ipsas creatas, in hac tamen re negligentes, suomet exemplo confundat tanquam ingratas. partim denique ideò, ut nobis, si qui eam laudare aliquando vellemus, Materiam, ideam, exemplum laudandi se præberet. Quoniam igitur Sapientiæ Æternæ laudandæ, & onus incumbit nobis, & materia suppetit, & exemplar habemus; deesse jam officio nostro, sublatâ omni excusatione non possumus: tantùm modum harum laudum (si quis tamen modus in summè laudabili & laudandâ Sapientia Æternâ esse potest vel debet) discamus.

79. Triplex autem Modus (quantum nunc adverto) Laudandi Æternam Sapientiam esse cogitarique potest. Cordis scilicet. Oris. Operis. Corde laudatur Sapientia Æterna: tunc 1. quando Dignissimè de eâ cogitatur & decernitur, quando omnibus Superior, pulchrior, dignior, melior, dulcior, perfectior judicatur, & velut talis sincero corde super omnia æstimatur, appretiatur, collocatur, exaltatur. 2. Quando etiam totâ affectûs interni & intimi & rationalis latitudine, hilaritate, conversione, perseverantiâ in eam tenditur; ita ut nulli rei quantumvis pretiosæ, tantum voluntas nostra quantum Sapientiæ Æternæ afficiatur. 3. Quando etiam de eâ suaviter, frequenter, amabiliter, delectabiliter, reverenter cogitatur. 4. Quando cum eâ tanquam cum decentissimo Amico atque fidelissimo & intimo versamur, moramur, communicamus, consultamus. ad absentem aspiramus & tædiosâ inquietudine pungimur, languemus, marcescimus, ad præsentem festinamus, ruimus, nec satiamur, sed accendimur & famescimus. 5. Quando denique honori eius, Notitiæ, Laudi, ubique locum tàm in propriis actibus, quàm in alienis cordibus cedimus & præparamus, nihilque eius non laude, & Amore, & Honore signatum agimus ac habemus.

80. Ore Laudatur Æterna Sapiētia tunc, quando ex abundantiâ cordis (jam modò aliquatenùs explicatâ) os loquitur, & partim orando ipsam, partim de ipsâ, partim cum ipsâ loquendo, exquisitisque & condignis, & Dignissimam illi apud alios opinionem parantibus verbis (prolatis vel scriptis) uti conamur & consuescimus. tunc etiam, Quando illi affectus cordis nostri ore & verbo pandimus, nō ut illos audiat, quos in Corde etiam antequam essent vidit, imò fecit, sed ut hac etiam parte, quâ cæteris rebus ipsâ Sapientiâ instituente, sensa cordium nostrorum pandimus, etiam illi tanquam opifici omnium, laudem & affectum intimum promamus.

81. Opere Sapientia Æterna laudatur tunc. 1. Quando quicquid agimus, quacunque parte & potentiâ nostrâ, omni tempore, laudi ejus totum assignamus. 2. Quando etiam, specialia cuæpiam opera honori illius deligimus & efficimus. 3. Quando non contenti puram rectamque laudandi Æternam Sapientiam, Intentionem ad quælibet opera nostra applicuisse, ex affectu condignè exaltandi Sapientiam Æternam, opera, & in Substantiâ & in Motivo, & in conatu Heroica excelsaque aggredimur ac perficimus, & totaliter ipsi Sapientiæ Æternæ submittimus. è quo genere operum, illa esse censeo, quæ Heroicam Charitatem, Patientiam, Obedientiamque etiam exterius præseferunt: itemque illa quæ famam, honorem, opinionem, amorem, reputationemque propriam nostram apud homines, (secluso scandalo proximi & peccato) pessundant, nosque multum humiliant & vilificant. De hoc etiam operum genere, sunt Opera Spem & Fiduciam in Deum atque Resignationem exercentia.

CAPUT XXIV.
Æternam Sapientiam Laudandi ratio specialis.

82. Accedere ad prædictas Æternam Sapientiam Laudandi rationes Specialis illa potest, quâ Æternam Sapientiam specialiore quodam modo Imitamur. quē quidem modum sic explicare mihi videor posse. Æterna Sapientia cum Nos (sicut & reliqua omnia) creasset, & fini supernaturali, hoc est, Æternæ Beatitudini destinasset, mediaque congrua ad eam rē sufficisset, & nihilominùs errore quodam & inscitiâ eò tandem prolapsos vidisset, ut aliò longè quàm ad Æternam Beatitudinem festinaremus, tacta miseratione nostrî, statuit errantes nos & lapsos

ipsos ad rectum iter, & statum reducere atque restituere. Quam ad rem hoc reperit medium efficacissimum, Sapientiæque convenientissimum, & Amoris in nos plenissimum. Nimirùm, ipsamet in propriâ suâ personâ, statuit fieri in similitudinem nostram, Homo facta est, Incarnata est, & inter homines visa, cum Hominibus conversata, & IESUS Christus nuncupata.

83. Hoc Incarnationis suæ opere, Æterna Sapientia JESUS Christus, duo potissimùm nobis contulit. 1. Perditos nos lapsosque à Gratiâ DEI & possidendi cæli jure, ad statum pristinum restituit, DEOque Patri reconciliavit per mortem & satisfactionem suam. 2. Sic restauratis nobis, & Iure ad patriam Beatitudinemque cælestem donatis, ostendit præterea & reliquit viam certam atque Infallibilem, quam tenentes sine dubio ad cælum perveniremus. Hæc via tribus potissimum in rebus consistit. 1. In credendis, sperandis, amandis rebus iis, quas JESUS credendas, sperandas, amandas proposuit. 2. In observatione earum legum, quas dedit & præscripsit. 3. In usu Sacramentorum, quæ ad Salutem & Sanctificationem nostram instituit. Hæc tria, seu horum trium observatio, vulgò uno nomine, Christianæ Fidei, seu Legis appellari & comprehendi solet.

84. Viam istam, quæ hisce dictis tribus rebus constat, IESUS duplici modo nobis tradidit. Primò Doctrinâ, sive Ore, Secundo Exemplo sive Opere. Nam & docuit nos, quæ facere, quæ credere, quæ sperare, quæ amare, quæ fugere, quæ quibus rebus præferre deberemus, & quâ viâ ad Æternam Salutem iremus, & prætereà, exemplo suo, modum ea ipsa exercendi ostendit, ut ejus exemplo moti atque docti & ducti, post ipsum, per viam quam tradidit ad cælum rectam perveniremus. Quo factum est, ut nunc volenti ad Salutem ire & pervenire, opus sit Christianam legem & Fidem, opus sit Exempla IESU Æternæ Incarnatæ Sapientiæ, tenere, implere, sequi. quæ omnia nomine tantum non re diversa sunt, adeò ut qui unum fecit, omnia eo ipso fecerit.

85. His ita explicatis & longè repetitis ad propositum descendens meum, Æternam Sapientiam nobis esse imitandam ex dictis evidenter concludo: & sufficienter conclusum suppono. Sed Duplicem eius imitandi rationem adverto: Unam vulgariorem & quasi magis communem, quâ 1. quis facit id, quod fecit Christus; patitur, quod passus est Christus; fugit, quæ fugiebat & oderat Christus; amat, quæ amavit Christus, & ideò quidem, quia fecit, passus est, fugiebat, amabat Christus. hæc ut dixi vulgarior est ratio imitandi Incarnatam Sapientiam JESUM Christum. Alteram igitur 2. (quam in præsenti inquiro) Imitationis hujus rationem reperio, eam nempe, quæ ad priorem illam, hoc insuper addit, quia non tantum hoc agit, quod egit Christus, nec tantum ideo agit, quia egit Christus; Sed etiam eo modo agit, quo modo egit Christus. quæ est occultior, perfectior, sublimior Imitatio Sapientiæ Incarnatæ. Penetrat enim ad cor ipsum Sapientiæ Incarnatæ operantis, perspicit Intentionem ejus, Attentionem, Intensionem, Devotionem; uno verbo, Perfectionem; eamque sibi ad Imitandum assumit, & quantum homini GRATIÂ adjuto fas est, exprimere perfectissimè contendit.

86. Exempli Gratiâ. Si Orandum mihi est, accipio Sapientiam Incarnatam pro Exemplari, illudque intuens exque illo normam orandi sumens (quod partim Evangelio, partim ratione per Fidem illuminatâ dictante, facilè est conjicere) ad instar ejus orationem meam instituo. Similiter si mihi est, ambulatio facienda, comedendum aut Loquendum: assumo Sapientiam Incarnatam pro Exemplo, & ajo: Æterna Sapientia Incarnata, sic loqui, ambulare, comedere solebat, aut, sic loqueretur, ambularet, comederet: hæc vitaret, has perfectiones adhiberet; ego quoque sic loquar, comedam, incedam. par de reliquis agendi rationibus Sententia facienda est. Hæc Incarnatam Sapientiam Imitandi forma, Excellentissima, Utilissima, ad Sanctitatis perfectionem, apicemque occupandum certissima, brevissimaque & denique ipsimet Incarnatæ Sapientiæ gratissima est. Hæc est sublimis, rara, & Specialis Æternam Sapientiam dilaudandi operibus ipsis Methodus: qua nihil & utilius nobis & Sapientiæ jucundius atq; optabilius. Hanc enim ut nobis instillaret & proponeret Æterna Increata Sapientia, Incarnari & Inhumanari voluit: ut nimirùm homo Sensualis, ab eâ in carne vivente & sensu utente, modum in Carne atque Sensu spiritualiter vivendi perdisceret, & opere ipso adimpleret.

O Suavissima, Increata, Incarnata, Æterna Sapientia, purissimum & Sanctissimum, Sanctè & spiritua-

ſpiritualiter vivendi Exemplar, imprime te Cordi, imprime Senſui, imprime Intellectui me moriæque meæ vivo quodam modo. ut ad Te ſemper in omni actione mea reflectar, & omnia tui ad inſtar faciam ſicq; tuum vivum & perſectum transſumptum, atq; exemplum, & laudator evadam.

CAPUT XXV.

Æternæ Sapientiæ triplex Status: & nova quædam Laudandi, Imitandiq; Ratio.

87. IN Æternâ Sapientiâ cùm omnia mira ſunt, tùm illud inter reliqua, quod etſi prorſus omnis ſit expers mutationis, Status tamen quosdam interdum mutaſſe & mutare dignoſcitur. Primum enim ab Æterno genita ex Patre, non facta, nec creata, ſed Aeterna & Conſubſtantialis Patri exſtitit & exiſtit, ſemper nata, ſemper naſcens. huncque ſtatum ab Aeternitate omni, ab initio, & ante ſæcula poſſedit. Deinde verò cum illi placuit res etiam à ſe diſtinctas, quasdam ſui participationes condere, aliter & alium modum ſeu ſtatum cæpit habere. Etenim quæ ante res conditas apud ſe tantum erat, & in ſe habitabat, beatitudinemque ſuam ſibi operabatur & conferebat, poſtmodum, rebus conditis, cæpit in eis eſſe, operari, habitare. Tandem etiam, cæpit eam delectatio, (an miſeratio?) Creaturæ Rationalis, & facta eſt, non jam ut proximè in illis, ſed etiam una ex illis, ſimilis illis.

In 1. ſtatu igitur fuit Increata. In ſecundo fuit (ut ſic loquar) Increaturata. In 3tio Incarnata, ſeu, ut loquitur Damaſcenus Inhumanata. Quo ad primum ſtatum, Eſt. Quoad ſecundum, Ineſt. Quoad tertium, Subeſt. Eſt, in ſe. Ineſt, omni creaturæ. Subeſt, Humanitati. quia in eá, non tanquam in Subjecto, ſed ut in SuppoſitoHumanitas noſtra ſubſiſtit: Quo ad primum ſtatum, habet Eſſentiam. Quo ad ſecundum, dat illam Creaturæ. Quo ad tertium, accipit illam à creaturâ. Quoad primum, accipit Eſſentiam & Subſiſtentiam à Patre. Quo ad ſecundum, dat Creaturæ utrumque. Quo ad tertium, accipit Eſſentiam, non Subſiſtentiam, à Matre.

88. Quo ad tres iſtos ſtatus, Æternam Sapientiam laudando imitari, & imitando laudare poſſemus: Sed quoad primum, quomodo id fiat, ipſa id ſola novit, & ſolos ut puto Beatos docet. quoad tertium, quomodo fiat & fieri debeat, proximis capitibus diximus. quoad ſecundum & Medium ſtatum, quomodo laudanda ſit, in præſenti dicere conamur. Quantum ergo ad hunc Medium ſecundumq; ſtatum, Æterna Sapientia, ineſt rebus omnibus. per Eſſentiam, quia illis intimè & per ſuam Subſtantiam ineſt, magìs, quã Lux àeri, aut forma Materiæ. Per Præſentiam, quia illas omnes actu exiſtentes, actu & comprehenſivè intuetur, nec eſt ulla inviſibilis ante ipſam, ſed quælibet earum eſt nuda & aperta oculis ejus, quos habet lucidiores multo ſupra ſolem. Denique per Potentiam, quia immediatè in res omnes, & in rebus omnibus, cumque rebus omnibus operatur: conſervans eas in ſuo Eſſe, cõtinens easdem, & ad actiones earum omnes poſitivas reales concurrens.

89. Itaque ſi, quantum ad hunc Modum atque Statum Æternam Sapientiam Increaturatam laudare voluero: hoc utar compendio. 1. Recognoſcam vel memoriâ repetam Æternam Sapientiam ineſſe modis prædictis, tàm mihi, quàm rebus iſtis quas in manu ad tractandum habeo. hoc eſt, ſciam Æternam Sapientiam & mihi & rebus circa quas occupor, Eſſentialiter ineſſe intimè, nec ab illis atque á me ullatenùs diſtare: eamque hac de causâ in me & in omni re venerabor. 2. Sciam quoque illam omnium operum ſpectatricem eſſe, agam igitur omnia quæ oculos ejus decent, & eo modo qui ejus Sapientiſſimo rationali intuitui placet, nihil autem admittam quod illa improbet. 3. Sciam denique illam me per me, in me, & mecum omnia operari atque conſervare, proinde illi me totum moderandum ſine ullâ reſiſtentiâ præbebo; imò illam tanquam principalem & totalem omnium auctorem, omnia agere ſolam ſinam: ita ut ego quaſi nihil operer, illa autem ſola per me & pro me omnia operetur: Tandemque illi ipſi ſoli omnem Laudem actionum adſcribam & imputabo. v. g.

90. Oraturus ſum. Non ego me oraturum, ſed Aeternam Sapientiam in me & per me oraturam putabo: permittam igitur me illi totum, ut me, meisque omnibus membris, Orationis inſtrumentis, illa ex mente ſuâ Sapientiſſimâ utatur, & quam perfectiſſimam placitiſſimamque ſibi orationem per me & in me faciat. Similiter Sacrum facturus ſum: non me facturum, ſed Sapientiam in me & per me factu-

facturam putabo: quin, & ut ipsa sola facere velit invitabo; curaboque ut ex me nullum impedimentum ac resistentiam habeat in agendo. Similiter Dormiturus sum, illam in me dormituram cogitabo. Loquor, illam loqui in me, & per me ad alterum, vel ad seipsam in altero recognoscam. Sic me igitur geram in loquendo ut non sit ægre quidquam Sapientiæ Aeternæ in illâ locutione, nec sit cujus illam pudeat in locutione illâ à se per me facta &c.

O Sapientia Aeterna quæ omnia opera nostra operaris nobis, in nobis, pro nobis, & uteris (tanquem instrumentis tuis) nobis: nunquid non suppetebat tibi modus, quo Tu ipsa, Te ipsam, per Te ipsam laudares in operibus tuis; sed præterea immensæ & ininvestigabili Rationi tuæ placuit, me vilissimâ tuâ Creaturâ uti ad hoc, ut in me & per me esses, in me & per me Caro esses, nascereris, creareris, cresceres, viveres, morereris, induereris, comederes, dormires, studeres, ambulares, orares, aspectares, audires, garrires, saperes, odorareris, tangeres, palpares?

Placuit tibi esse in Lapidibus; vivere, vegetari, crescere, virere in herbis & arboribus; sentire & delectari in Belluis; ratiocinari in Hominibus; intelligere & intueri in Angelis. Placuit Tibi coáxare in Ranis, sibilare in Serpentibus, crocitare in cornicibus, volitare in Avibus, pigram esse in Testudinibus, omnia esse in omnibus. Tantummodo non peccas, nec erras, in nobis: quia peccare & errare, Tibi nec in Te convenit, nec in nobis; sed hoc solis nobis Creaturis tuis accidit, quatenùs defectibiles sumus, quod non ex Te, sed ex nobis nos habemus.

O Stupor! ó Incomprehensibiles vias tuas Sapientissima Sapientia! quid istis manifestius, quid ignotius consiliis tuis? es in nobis, ambulas, operaris, manes in nobis, nec scimus, nec sentimus: cum tamen non sine Te, imo per Te omnia alia scimus, omnia sentimus. O si Aeterna Suavissimaq; Sapientia depelleres à nobis cæcitatis hoc genus, adeò grande & nocivum nobis!

O si aliquando illucesceres nobis, quæ tam intime es in nobis! quousq; dissimulas Te esse, sine qua non possumus esse? an Te hoc etiam delectat ut velis ignorare ipsam Te in nobis? fieret; si hoc sine nostra culpa, sineq; nostro damno accideret Tibi in nobis.

O Sapientissima Sapientia, per omnes abyssos inenarrabilium judiciorum tuorum, ecce Tu ipsa in me, Tibi supplicas, ut mihi in me, seu mavis, Tibi in me, & per me, & mecum appareas & innotescas, neq; unquam (o Sol occasum in Te nesciens) in me occumbas, meq; tenebris meis involvi sinas. Noverim Te o Sapientia Aeterna: noverim ut es, ut agis omnia, in me, & in omnibus: Noverim Te ut es in Humanitate assumpta pro Hominibus: ut Te etiam aliquando dante Te, dignus sim nosse prout es secreta à nobis omnibus, & occultata in Patris Tui, Aeternis & Beatissimis Beatificisq; visceribus. Cui una tecum & cum Spiritu Sancto ab omni Creatura, & à me Laus, Amor, Adoratio, Subjectio, Gratiarum actio, fiat in æternum & ultra.

Amen.

GASPARIS DRVZBICKI
SOCIETATIS JESV

PROVISIONES SENECTUTIS

Per tres Partes distributæ.

In quibus raræ ac penecessariæ Veritates,

Cùm omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cælestium, lucrorumq; æternorum avidioribus, quà theoricè, quà practicè proponuntur.

JNDEX CAPITUM.

Provisio 9. Per Communicationem omnium creaturarum tecum.
Provisio 10. Per Communicationem cum Deo & ejus divitiis atq; operibus ad extra.
Provisio 11. Per Communicationem cum Deo eiusq; operibus ad intra.

Provisionum Senectutis PARS III.

Classis Primæ.

Stimulus 1. Conscientia Obligationis.
Stimulus 2. Conscientia Peccatorum.
Stimulus 3. Conscientia exiguæ Pœnitentiæ.
Stimulus 4. Conscientia Dubiæ Remissionis.
Stimulus 5. Conscientia timendæ remissionis.
Stimulus 6. Conscientia peccatorum venialium.
Stimulus 7. Conscientia Mortis advenientis.
Stimulus 8. Conscientia reddendæ Deo rationis.
Stimulus 9. Conscientia promeritarum pœnarũ.
Stimulus 10. Conscientia damnorum spiritualiũ.
Stimulus 11. Conscientia Purgatorii.
Stimulus 12. Conscientia paucorum bonorũ Operum ac Meritorum.
Stimulus 13. Conscientia bonorum imperfectorum.
Stimulus 14. Conscientia elapsi temporis.
Stimulus 15. Conscientia Confusionis & Insultationis.

Classis Secundæ.

Stimulus 1. Ipsa ingruens vel urgens Senectus.
Stimulus 2. Damna præterita.
Stimulus 3. Pretium bonorum spiritualium.
Stimulus 4. Occasionum & mediorum plurima opportunitas.
Stimulus 5. Perfectio virtutis bonum desiderabile.
Stimulus 6. Exemplum cœlestium omnium.
Stimulus 7. Desiderium Sanctorum.
Stimulus 8. Tempus præsens suppletioni indultum.
Stimulus 9. In fine proficiendum ad meliora.
Stimulus 10. Sancti ad finem vitæ fervere quasi de novo soliti.
Stimulus 11. Vocatio Religiosa.
Stimulus 12. Status Sacerdotalis.
Stimulus 13. Vocatio Societatis IESU.

Classis Tertiæ.

Stimulus 1. DEI Sanctissima Voluntas.
Stimulus 2. Eminentissima DEI Dignitas.
Stimulus 3. Dei nostri super omnia Boni dilectio.
Stimulus 4. Dei nostri erga nos Dilectio.
Stimulus 5. Divini Cordis gustus & expletio.
Stimulus 6. DEI gloria atq; gloriatio.
Stimulus 7. Christi meritorum præmium.
Stimulus 8. Sanctorum Angelorum merces.
Stimulus 9. Sanctorum in cœlo consolatio.
Stimulus 10. Ædificatio Conviventium.
Stimulus 11. Senectutis ipsius profectus.
Stimulus 12. Confusio Adversantu Inimici.
Sententiæ Sacræ Scripturæ.

PROVISIO I.

Per Satisfactionem Obligationi, quâ tenemur ad omnem perfectionem curandam.

CONsidera te obligari ad fervens, perfectum, accuratum, avarum famelicumque DEI obsequium, ad salutisque & perfectionis tuæ curam incessabilem, à conquisitionem divitiarum spiritualium (quæ sunt bona perfectaque opera, merita gratiæ & gloriæ æternæ, omnium virtutum Theologicarum, Cardinalium Moraliumq; in gradibus perfectis conquisitio, denique consummata per omnem modum, quantum hæc vita patitur sanctitas atque perfectio) quam maximam, quamque copiosissimam; ita, ut tibi nihil desit, in ullâ gratiâ. (1. Cor. 1. 7.)

Considera, te ad prædicta in tantum obligari, ut nullus tibi relictus sit locus, sive recusandi, sive tergiversandi, sive negligendi, aut negligentiùs oscitantiùsve agendi, ac nec cessandi quidem vel ad momentum (quatenus hæc vita permittit) ab hac jam prædictâ occupatione. Etenim, si teste veritate. *de omni verbo otioso quodcunq; locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii Divini:* (Matt. 12) Utique etiam & de omni tempore, momentoque temporis ac vitæ, quodcunque homines, sine congruo ad æternitatẽ fructu, transmiserint; in illo eodem judicii Divini die, reddent consimilem, hoc est, rigorosam rationem. Atqui si de omni momento vitæ temporisque ratio erit reddenda in judicio, sine dubitatione sequitur, nullum non vitæ momentum esse impendendum obsequio Divino, cæterisque æternis bonis; & quidem impendendum eo cum industriæ conatu, qui sit & DEO dignus, & æternitati idoneus: dicente Domino nostro. *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* (Ioan. 6) Et rursum. *Ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* (Ioan. 15) Cui conso-

Eccl: 9. 10.

consonat Sapiens, dum ait; *Quidquid potest manus tua operari instanter operare.* Non ait simpliciter, *operare*, sed addit *instanter operare* totâ nimirum animi instantiâ & liberalitate sese inter operandum exerente & exercente. atque hoc non in uno vel altero solum operationis genere, sed in omni penitùs, ait enim. *quidquid potest manus tua operari, instanter operare*, veluti præoccupans omne instans evolantis tēporis operando destinati. Ut juxta ejusdem Sapientis monitum, *ante mortem, cùm jam tempus non erit ultra, benefacias amico tuo*, tibi scilicet ipsi, & secundum vires tuas, exporrigens des pauperi, item ipse tibi, quo nemo à bonis Spiritualibus pauperior, *nec defrauderis à die bono, & particula boni doni*, (atq; diei) *non te prætereat.* Ubi non obiter temet inspice, quomodo te usq; hodie habueris in hac instātaneâ, omnisque momenti & particulæ occupativâ æternaturi cibi operatione? quot momenta amisisti, sine fructu æternitatis? quot impendisti, non tantum particulas dierum, sed ipsos dies, atque adeò annos, fructibus vanitatis, mortis, perditionis? Et quæso te quamdiu sic erit? quousque durabit ista profusio & perditio temporis atque vitæ sine fructu, & utinam tantum sine fructu beatæ æternitatis. quo tamen, quid detrimentosius? & non etiam cum damno duræ castigationis.

Eccl. 14. 13.

Considera, quod si omnibus hominibus prædicta cura incumbit, certè longè magis incumbit iis, quos jam senectus salutat, & occupat. declarat enim iis, quod jam modicum tempus habeant, ad tantum opus officiumque suum peragendum, & explendum: ac proinde monet & urget illos, nunc demum non esse cessandum, nunc demum instandum atque perurgendum esse, omne laboris ad æternitatem beatam proficientis genus. Et certè si non tantum hanc obligationem omnibus communem, sed etiam tum vitæ suæ brevitatem (senibus enim longa esse non potest) tum ejusdem omni velocitate velociorem fugam, tum nullam alterius deinceps temporis ad operandum meritoriè idonei spem, tum rerum, fructuum, merciumque comparandarum, hoc solo residuo, simulque brevi & volatico tempore dignitatem, pretium, necessitatem, tum denique cessationis & negligentiæ irreparabilem per totam æternitatem compensationem, desperatamque penitùs jacturam, quispiam hominum inspexerit & expenderit, mirum & plus quàm mirum erit, si videns se in hac breviati jam vitæ suæ temporis circumstantiâ positum atque conclusum, poterit de ullâ aliâ re hujus vitæ ad momentum etiam cogitare, & non hac unâ & solâ curâ incessanter morderi, ut non defraudetur à die bono, ut particula boni diei donique non eum prætereat, ut quàm avarissimè merita gratiæ gloriæq; accummulet, ut quàm plenissima plurimaque virtutum opera exerceat, ut quā contentissimo cursu *viam voluntatum Divinarum decurrat*, ut per singulos gradus suos cum Job, per *omnia quæcunq; intra se sunt* cum David pronuntiet, majorem ac majorem gloriam Deo. Atque tu qui hæc sive legis, sive expendis, siquidem fortè in senectutis statu, qui est mortis confinium, jam positus es, ex nunc accuratam tecum ini deliberationem, atque firmissimam facito conclusionem, & designato statuitoque rationem vivendi & operandi, talem, in qua te nullum omninò momentum vitæ residuæ defraudet, nullum tibi sine æternitatis fructu, nullum sine ulteriori in perfectione virtutum, maximè verò charitatis consummatione elabatur progressu.

Iob: 31. 35. Psal. 102. 1

PROVISIO II.

Per suppletionem paucitatis perfectorum operum, meritorumq; hactenus partorum.

Considera omnes annos prætèritos vitæ tuæ, usque ad præsentem, in eisque omnibus diligenter attende, quātum tibi ex eis perditum sit, partim nihil agendo, partim non agenda agendo, partim agenda non agendo, partim inutilia tibi agendo, partim nociva & noxia agendo, partim bona quidem, sed non benè agendo, partim benè quidem fortasse, sed non perfectè, neque consummatè agendo, partim extra gratiam atque amicitiam Dei, partim extra intentionem rectam, perfectam, sublimem, defæcatamque agendo, partim non cum eo, quo & par fuit, & fieri potuit conatu, fervore, industria, liberalitate in Deum studioque agendo. Infantiæ & primæ pueritiæ annos, in solidum perdidisti sinè fructu, reliquas ætates, jam scilicet rationis compotes, maximam partem ita impendisse te reperies, ut rationis usum accepisse ad hoc solum videri possis, ut pejus, quàm ante rationis usum. hoc est, cū peccato operari posses. Quod si etiam in pro-

in provectiorem, ac si Superis placet, in perfectiorem vitam tuam, intendere ocalum considerationis placet: ibi quidem forsitan minùs vitæ in perniciosa & criminosa opera impensum reperies: attamen etiam inibi reperies, quod in Dei lumine ipsemet reprehendas, erubescas, defleas, vel in ipsismet bonis & perfectis tuis.

Considera seu meliorem conscientiæ tuæ portionem ac recessum, seu Cælestium depositorum veluti locum, in eoque bona cũ Divinitatis indulgentiâ, omnes bonorum tuorum operum, omnes meritorum, omnes donorum, omnes gratiarum, omnes beatitudinum in futuro possidendarum, jam autem in præsenti merendo acquisitarum thesauros diligenter inspice, pondera dinumera. Utinam nõ fallar, nec fallaris tu ipse, si non ibi omnia scrinia tuis opibus destinata conservandis, vacua magis, quàm nunc autumas, comperies: idque ideò: quia bona tua, in oculis quidem tuis bona, at in oculis Divinæ Majestatis minimè bona. exigua valde bona, æternitatis præmio, vel prorsus nullo, vel admodũ exiguo digna reputantur. Itaque thesauri illi tui, thesauri sunt demeritorum magis, quàm meritorum, aut si meritorum, parvorum certè atque paucorum. Atque ut exemplo res illustretur vel unico. Sacerdos es, plurium, etiam annorum, diebus singulis Officium Divinum recitasti: hasce tot tanti officii recitationes, in scrinio beatitudinis depositas vide, recense. audesné tibi ex mente conscientiæ tuæ polliceri, totidem eas à te inveniri conservatas in cælo, quot eas recitando decurristi in vita præsenti? putasne, tale earum ibi esse pretium, quale esse par foret, si diligentia recitandi tanto pretio apud Deum ponderatorem dignas fecisset? Pari ratione expendas licet cætera tua opera virtutum atque perfectionum, uti sunt Missæ. Confessiones. communiones. examina. Coronæ. Mortificationes. labores &c. Expendas quoque similiter opera, quæ natura sua indifferentia sunt, & non nisi ex modo motivoque agendi, pretium habent. Eheu quantis tu olim ventris & vacuitatibus impletos reperies thesauros tuos scriniaque tua in cælo, quæ nunc putas plenissima esse auro, argento, lapidibusque pretiosis. Nimirum *Egestatem operatur manus remissa.* nimirum *maledictus qui facit opera Dei negligenter.* Vide itaque, vide o homo, hac jam ætate declinante, ne, centum annorum licèt, puer tamen moriaris, ne, qui modo tuâ, aut etiam fortè alienâ opinione Vir divitiarum Cælestium existimaris, in die immutationis tuæ nihil omninò, aut parum quidpiam invenias in manibus tuis. *invenies* inquam *ligna, ferrum, stipulas fuisse,* quæ tu in præsenti existimas aurum, argentum, lapides pretiosos, à te super ædificata & congregata, fidei, vocationi, operationique exstitisse.

Prov. 10. 4
Ier: 48. 10.
1. Cor: 3. 12.

Nunc igitur, mi homo, si sapis: ini consilium, fac deliberationem, fac & cõclusionem, atque præscribe vitæ tuæ subsecuturæ rationem, quâ hisce omnibus deceptionibus tuis occurras, & thesauros tuos revera perfectis consummatisq; virtutum operibus repleas. Ut cùm Judicis æterni districtio advenerit, cùm judex *Christus ventilabrum in manu suâ acceperit,* cùm areæ suæ, vitæ scilicet tuæ perpurgationem & ventilationem inchoâverit: nihil palearum, plenum autem granorum purgatissimorum, in vitâ tuâ se reperisse gaudeat, totumque in horreum congreget & inferat.

PROVISIO III.

Per nostræ cooperationis, quàm Divinæ Gratiæ atq; Gloriæ summè, debemus expletionem.

CОnsidera; quod omnia opera tua sint quidem tua: quia à te liberâ voluntate tuâ fiunt, sint tamen etiam & quidem magis ac prius, opera & bona & dona ipsius Dei. tum quia ab ejus gratia sumunt initium, à quâ etiam prodeunt in actum ipsum cum tua voluntate, gratiæ cooperante: tum quia sunt Dei propria, ut potè cujus proprietas & possessio est, omnis ubique reperibilis bonitas: siquidem *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Cùm ergo omnia tua bona opera Dei sint, & propter possessionem & propter operationem eorum ab ipso, juxta illud Isaiæ. *Domine omnia opera nostra, operatus es nobis,* sequitur, hæc eadẽ omnia tua opera, debere esse omni ex parte perfecta. & absolutæ bonitatis. Etenim *Dei perfecta sunt opera.* Quod si talia non sunt, quæ tua sunt, sed inveniuntur imperfecta & sordida, id necesse est à tua culpa provenire: provenire autem in Dei injuriam, & quidem non levem, imò nec unam.

Iac: 1. 17
Isa: 26. 12
Deut. 32.

unam. Quod enim à Deo, quantum ex parte illius, perfectissimè peragitur, & valdè bonum esse debet; hoc ex tua parte & culpâ, quatenus negligenter & sordidè cooperaris Deo, imperfectum invenitur, & sordidum tanquam pannus menstruatæ reputatur. Atque ita impeditur à te, & per te, Divina in tuis operibus bonitas & perfectio, supponitur autem in ejus locum tua imperfectio, remanetque bonum Divinum, quantum ex te, sordidum, vile & ingratum. Ex quo colligere debes, quanta tibi cura incumbat opera tua bona, benè, imò optimè operandi, sciens & videns eum modum, quo tu bona tua operaris, adjungi illi modo, quo Deus eadem tua opera bona tecum operatur, & ita adjungi, ut non ex Divino, sed ex tuo operandi modo, pretium omne, bonitas, perfectio, dignitasque operibus imputetur. Quo fit, ut si tuus operandi bona modus egregius excellensque sit, etiam Dei opus tale sit, taleque ab ipsomet Deo reputetur. Si autem tuus operandi modus sit miser, languidus, tepore & imperfectionibus scatens, id quoque totum Divino operi, ab ipsomet Deo imputetur, nihilq; prosit ad meritum vel laudem operis, illud à Deo perfectissimè factum esse. Quod sitne Deo injuriosum? tu ipse judex esto.

Considera; ex omnibus operibus bonis tuis, Deo deberi gloriam & quidem maximam, & planè omnem. Non ex illo solùm capite, quia tu quidquid agis, totum in Dei bonum, scilicet gloriam honoremque & obsequium agere debes, quandoquidem quantus quantus es, in substantia & entitate, in partibus & potentiis, in efficientia & actionibus operationibusque totaliter Dei possessio es, perinde ut qui agri, vel arboris Dominus est, is etiam omnium quæ ager & arbor germinat possessor est: verum etiam ex illo jam proximo proposito capite: quia Deus omnia tua opera tecum operatur, operatur autem in suam ipsius gloriam, dicente ipso. *Propter me, propter me faciam.* (Isa. 48. 11.) Et quia Deus non potest gloriam suam quærere minorem, nisi quantâ ipse dignus est, inde fit, ut in omnibus suis operibus (etiam illis quæ tecum operatur, & in quibus tibi cooperatur) Deus maximam, atque adeò omnem gloriam intendat & quærat. Indè etiam cōsequenter fit, quod tu (idemque sensus esse debet de omni creatura) in omni opere tuo tenearis intendere & quærere gloriam Dei, & quidem maximam, atque omnem. fit quoque inde, quod modus tuus opera tua operandi (Divinæ præsertim cooperationi sociatus, ad Deiq; gloriam institutus) is esse debeat, qui & cooperationem Divinam non dedeceat neque dedecoret, & gloriam Deo non tantum qualem qualem, sed maximam, sed omninò omnem quantum ex se proferat & producat. Hoc verò non tantum in gravissimis aliquibus, quæ à te fiunt operibus servandum venit, sed in omnibus omninò singulisque operibus tuis, etiam minutulis, & specie sua abjectissimis (coram Deo enim nihil est abjectum, excepto solo peccato, siquidem Deus omnium est Author & Pater atque fons) procurandum est, quoniam etiam talium operum, nihil non ad gloriam Dei maximam, & omnem factitandum est. Quod si ita se habet, uti omninò habet, jam hinc videre evidenter potes, cùm quàm accurrata contentione, cum quàm liberali conatu omnia opera tua facere, quantâ vigilantiâ omnē imperfectionem, imperfectionisque umbram ab omnibus tuis operibus & operationibus submovere debeas. quandoquidem quantum addes de perfectione operandi, tantum addes de gloriæ Divinæ summitate, quantum verò admiscebis de imperfectione, imò verò, si quid admiscebis de umbra imperfectionis in operando & in opere, fortè quidem parum aliquid gloriæ Divinæ servies, aut addes, infinitum autem erit illud quod detrahes: quoniam Divina gloria illa maxima, illa omnis est, quæ infinita est.

Quod an sine injuria Dei esse possit, tibi judicandum sume. Cùm verò rectè & sobriè judicaveris, retorque oculos mentis tuæ ad præteritos vitæ tuæ annos, & ad opera eorum, & ad operationis modos. Et non obtrude tibi nunc peccaminosa opera: sed ipsa bona tua, ipsa obsequii Divini opera tua expende, & ex supra dictis eorum qualitatem recognosce: nimirum ex tot (& fac esse quàm plurima) quàm multa sint indigna & injuriosa Deo gloriæque ipsius; quàm verò pauca, si tamen vel pauca sint, Deo condignè digna, Deo condignè gloriosa. Post hæc verò eosdem mentis oculos dirige ad sequentes residuosque vitæ tuæ annos: & tecum ipse deliberationem conclusionemque facito, an tibi deinceps, juxta præteritæ vitæ normam operandum Deoque serviendum sit? an omnem omnino aliam, novam, per omnia perfectiorem perfectissimamque operandi ra-

di rationem, Deo condignam, Dei gloriæ maximæ, omnisque fœcundam, ineundam, tenendam, exercendamque in omnibus & singulis operibus & operationibus, in omnibus & singulis residuæ vitæ particulis? quoniam exiguæ, breves, evolantesque sunt, neque aliarum præter has sive post has, ulla spes, ulla expectatio est.

PROVISIO IV.

Per adæquationem (quantùm fas) liberalitatis CHRISTI *in nos merita sua influentis.*

CONsidera obligationem curamque tibi hanc unicam, maximam, totamque incumbere, ut salvus fias, æternāque beatitudinem, post hanc vitam consequaris. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra ait Apostolus. Ad hujus salutis consecutioné Deus te vult pervenire per tua ipsius opera meritoria vitæque æternæ digna. *Satagite*, ait per Apostolum, *ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. & iterum *Satagite immaculati & inviolati inveniri Deo in pace*. Opera vitæ æternæ meritoria tibi nulla esse possunt, nisi facta à te fuerint, & ex gratia Dei. Ex gratia quidem tanquam auxilio Divino supernaturali, quo hominem Deus excitat ad bonum operandum, adjuvat ut operetur, & cùm operatur, denique subsequitur postquam operatus est. Juxta illam Ecclesiæ orationem. *Tua nos quæsumus Domine Gratia semper præveniat, comitetur & sequatur.* Itemque illam. *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.* In gratia verò, nimirùm in amicitia Dei & consortio illius naturæ, atque filiationis adoptivæ, quæ quidem est vita animæ, à qua sola habet, ut opera vitæ, opera meritoria facere possit. Inde illud Apostoli. *Gratia Dei, vita æterna, & quidem in Christo IESU Domino nostro.* ut ibidem addit Apostolus. addit autem ideo: quia neque auxilians, sive actualis, neq; sanctificans sive habitualis gratia haberi potest à nobis nisi per Christum, nisi, inquam, per merita & ex meritis IESU Christi: de quo infra. Igitur hic est ordo salutis humenæ, & hi passus ad illam. Salvari debemus, non possumus autem sine operibus & meritis (loquendo de adultis). Merita salutis habere non possumus sine gratia Dei, gratia nobis non datur, nisi ex meritis Christi. Christi merita nobis non suffragantur, nisi credamus in Christum. juxta illud. *Quotquot receperant eum* (scilicet Christũ credendo in ipsũ) *dedit eis potestatẽ filios Dei fieri.* Et, *de plenitudine eius accepimus nos omnes, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, Gratia & veritas per IESUM Christum facta est.* Quocirca universa structura salutis nostræ æternæ super fidem in Christum ædificata consistit. super fidem dico illã, quæ *per dilectionem operatur*, ut ait Apostolus. de qua re idem alibi sic loquitur. *Ut sapiens architectus posui fundamentum: alius autem superædificat, unusquisq; autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus IESUS.*

Considera ex prædictis indigentiam tuam, quâ Christo Domino opus habes. Indulgentiam Christi, quâ ille sese tibi profusissimè indulget. Obligationẽ tuam, quâ tu Christo vicissim obligatus remanes. Indigentia tua, quâ Christo, ejusque meritorum indigus es, tanta est, quanta & ipsa salutis æternæ. eam enim sine Christo (ut visum supra) nullatenus assequi potes, sed omne tuum opus, si vitæ æternæ meritorium esse vis, necessario debes ex Christo & ex eius meritis desumere, dignificare, vivificare. alias omninò inutile & indignum erit æternæ vitæ. Declaravit hanc veritatem atq; indigentiam simul nostram ipse Dominus præclarâ similitudine. *Manete in me, & ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Nihil expressius ad nostram sine Christo insufficientiam declarandam dici potuit. Iam quoad Christi, quâ sese tibi & omnibus quantum ex ipso est, profundit Indulgentiam: ea quidem tanta est, ut major nec desiderari, nec cogitari possit. Nam & ad omne prorsus meritórium salutis æternæ tuum opus, sua tibi merita suppeditat, & non ad opus tantum, verùm etiam ad ipsam voluntatem, quin & ad ipsam primam cogitationem operis. Luculẽter dicente Christo: quia (inquit) *sine me nihil potestis facere*, proinde neque velle, neque cogitare, quoniam & hoc

Marginal notes: 1. Thes: 4. 3 — 2. Pet. 1. 10 — 2. Pet: 3. 14 — Rom. 6. 15 — Ioan. 1. 12 — Ibid. v. 16 — Gal: 5. 6. — 1. Cor: 3. 10 — Ioan: 15. 4

hoc est aliquid facere. Cui consonat ejus Apostolus cùm ait. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid (salutare) à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et alio loco idem loquitur. *DEUS est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hanc porrò profusionem meritorum suorum in nos exercet Dominus omni prorsus momento, partim conservando nos in gratia & unione secum, partim assistendo vultui DEI Patris pro nobis, & intuitu meritorum suorum, omnes & singulas gratias, omniaque auxilia, ad bonum sive cogitandum, sive volendum, sive inchoandum, sive operandum, sive perficiendum, nobis obtinendo, impetrando, exigendo, tanquam mercedem suam, sibique à Patre cælesti debitam in nostrum utique bonum salutis. Quocirca nullum est assignare momentum in nostra vita, quo Dominus IESUS meritis suis non obtineat nobis quantum in ipso est Gratiam salutariter operandi à Patre æterno. Nullum etiam licet assignare opus nostrum bonum, in quod non influat, imò præinfluat meritis suis Christus. quemadmodum nullum est momentum, in quo vitis in palmites (in se manentes & non recisos) non influat virtutem, vigorem, efficaciam, vitam, profectum; nec influat solùm, sed etiam præinfluat, ex se habens præbensque principium influendi, non ex palmite.

Est autem ista profusissima Christi in nos indulgentia non tantum inde, quia est ipsi naturalis, propter nimiam ejus in nos dilectionem & charitatem, quæ illi naturaliter insita est, sicut DEO erga creaturas, sicut Patri erga filios, sicut capiti erga membra, sicut viti erga palmites: sed etiam quia est ipsi acquisita & empta, & quidem non auro, neque argento, neque corruptibilibus pretiis, sed pretioso sanguine suo proprio, quo profuso, & meruit & emit sibi à Patre hanc mercedem, hocque officium, ut in nos, tanquam in membra sua, influeret efficaciâ meritorum suorum, utque mercedis loco sibi debitæ à Patre daretur nobis omnis gratia ad salutem operandam necessaria.

Quocirca omnis DEI gratia, quæ nobis datur, merces est laborum & passionum mortisque Christi, & cui gratia aliqua datur, pretium sanguinis & merces laboris atque mortis Christi datur. & qui gratiâ DEI quapiam bene utitur, per eamque ad salutem proficit, ex merito Christi proficit, mercede Christi proficit, mercedem Christi adauget; qui verò gratiam DEI abjicit, aut non juxta ejus gradum operatur, mercedem Christi abjicit atque evacuat. Maximâ quidem cùm Christi offensa: quia & cum maxima ejusdem injuria, cum maxima ejusdem contristatione, cum maxima ejusdem inhonoratione, cum maxima erga bonitatem, charitatem, liberalitatem ejus ingratitudine, cujus enormitas patet ex obligatione.

Ex tanta enim nostrâ, quâ Christi meritis indigemus indigentiâ, & ex tanta ejusdem Christi, qua ille nobis merita sua profundit Indulgentia, non potest non consurgere in nobis immanis quædam & nullatenus persolubilis à nobis ad Christum obligatio. Obligatio, dico, gratitudinis & gratiarum actionis, tanto, tamque profuso, & tam nulla nostra vilitate & indignitate, & insuperque etiam ingratitudine vincibili & arctabili in negotio tanti momenti, quanti est nostra æterna salus largitori. Quæ gratitudo, etsi potest fieri & exhiberi Christo Domino per intimas cordium nostrorum gratiarum actorias affectiones; & si potest etiam exhiberi devotissimis orationibus & confessionibus, & laudationibus. etsi fieri potest insuper etiam aliquibus in Christi laudem atque gratiarum actionem operationibus; nullum tamen est genus gratiarum actionis in præsenti negotio, seu Christo desiderabilius atque honorificentius consequenterque gratius & acceptius, seu nobis utilius, atque ad gratiam meritaq; Christi in nos ampliùs derivanda accommodatiùs; quàm ipsismet gratiis ac meritis Christi diligentissimè, accuratissimè, devotissimè in operatione salutis perfectionisque nostræ uti, uti autem ad eorum efficaciam adæquatissimè.

Hæc est enim unica & pretiosa Christi glorificatio, hæc mercedis laboribus meritisque ejus debitæ augmẽtatio, hæc efficaciæ meritorum ejus ultima completio atque consummatio. Quo quidem Christo gratiùs esse nihil posse, res ipsa quia loquitur per se, ulteriori exaggeratione non eget.

At cùm hæc ita sint, tibi quidem ô homo jam incumbit ista cognoscenti & consideranti, primum quidem inspicere elapsam vitam tuam, atque quantum per omnem illam in Christi profusissimam hanc super te liberalitatem & indulgentiam peccatum abs te sit tandem advertere.

Margin notes: 2. Cor. 3. 5. — Philip. 2. 13. — Ioan. 1. — Ibid. v. — Gal. 5. 6. — 1. Cor. 3. — Ioan. 15.

tere, æstimare, redarguere, deflere, punire & expiare. Deinde verò etiam atque etiam acerrimâ mentis contentione, tum cognoscere, tum decernere, qualem te esse in hac declivi & ad occasum vergente vitâ tuâ, deinceps oporteat, quàm profuso & circumspecto sinu cordis profusissimam adeò Christi Domini largitatem, non tantum excipere, sed etiam etiamque provocare. Id quidem præstabis ad mentem planè Christi Domini, si nullam gratiam Dei, ex meritis ejus tibi indultam in vacuum acceperis. Si nullam non avidissimo animi studio occupaveris; si nullam non plenissimo cooperationis conatu exæquare contenderis. si denique per nulla residui tibi temporis momenta ad gratias actuales, juxta & habituales, temet ampliùs ampliùsq; disponere earumque capaciorem te reddere juxta earum mensuram obsequio Divino æternæque vitæ congruis operationibus te fatigare, te saginare, te explere in gloriam maximam Dei, in mercedem meritorum Christi superabundantissimâ destiteris.

PROVISIO V.

Per Imitationem & Supergressionem Electorum DEI.

CONsidera vocatum te esse à DEO ad æmulationem imitationem supergressionemque Sanctorum Dei in obsequio ejus. Et Sanctorum quidem si non omnium, plurimorum certè, tam ex Angelorum, quàm ex hominum Ordinibus. Id hoc ita esse, potes ex eo convinci; quia Dominus Deus familiare habet, nos ad amorem, cultum obsequiumque provocare, propositis exemplis Sanctorum suorum. quod non ob aliud facit, nisi ut nos eorum conversationem intuentes, imitemur & æmulemur fidem, atque fidelitatem ipsorum cum Deo. Hoc sensu Dominus dicit per Prophetam filiis Israel: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum: & ad Saram, quæ peperit vos.* (Isa: 51. 1.) Non solum autem Deus homines vocat, ut per imitationem Sanctorum ejus eidem dignè famulentur, securamque viam & Sanctorum vestigiis tritam incedant, verum etiam ut eosdem in via Dei supergrediantur, superareq; connitantur, Hoc enim nisi fieri Deus vellet, ac nisi fieri posset: defactoque fieret: nequaquam nobis proponeret in Evangelio suo negotiantes suos servos, lucrantes alios quidem decem mnas. alios autem quinque, esto singulas tantum mnas, alios autem quinque, esto singulas tantum mnas à Domino ad negotiandum accepissent. Non etiam profiteretur de seipso Paulus. *Plus omnibus laboravi* & iterum. *Ministri Christi sunt [ut minus sapiens dico] plus ego.* Et rursum. *Nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli. tamen nihil sum.* Ad hoc etiam facit, *quòd sicut differt stella à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum* Sanctorum in sanctitate. (1. Cor. 15. 10. 2. Cor. 11. 23. 2. Cor. 12. 11. 1. Cor. 15. 41.)

Adde quod non aliâ ob causam Dominus voluit Sanctorum cætus, in Religiosis præsertim Ordinibus, in unum institutum, professionem, domicilium cogi, nisi ut æmulatione imitationeque mutuâ sese invicem provocantes, unusque alterum supergredi in obsequii Divini ardore & cursu contendentes, serviant Deo, alius quidem sic, alius autem sic, juxtà mensuram gratiæ sibi cælitus indultæ, quæ non est una ac eadem, sed omninò diversa valdè: juxta quam servi Dei ascensiones disponunt in corde suo, donec videant Deum in Sion, & multi consummati in brevi explent tempora multa. (Ps. 88. 6. Sap. 4. 13.) Neque enim alligatum est Domini Verbum, neque virtus, neque gratia, sed dividit singulis prout vult: percipitque ex terra sua bona, à se seminatâ, fructum trigesimum, sexagesimum, centesimum, secundum multiformem gratiam suam.

Age jam ô homo à Deo in terra Sanctorum posite & plantate, ad ordinem cætumque Sanctorum de terra Babylonis translate. computa annos vocationis cõversionisque tuæ, numera dies conversationis tuæ cum Dei Sanctis, & his qui in cælo, & his qui in terra sunt ejus. Obi omnes Sanctorum ordines, omnesque etiam in particulari Sanctos in cælo, ecquem unum ex his reperies, cujus imitator sedulus exstiteris; quem in sanctitate & meritis æmulatus, quem prætergressus sis? Quem Apostolum in zelo & charitate æquasti, quem Patriarcham in spe, quem Prophetam in spe timoreque Dei, quem Martyrem in fortitudine & constantia, quem confessorem in devotione, oratione, mortificatione, vigiliis, victoriâ de dæmonibus, vigore & assiduitate pœnitentiæ, quem aut quam Virginem castitate, continentiâque vel assecutus vel prætergressus es! O quantum chaos inter te & Sanctorum quemlibet! Revoca etiam in memoriam viventes homines perfectos atque Sanctos, quos

nosti

nosti quibus cum vivis, aut vixisti, & confer tuas virtutes cum illorum virtutibus, labores cum laboribus, austeritatem in seipsos illorum, cum tuâ: nosti illius personæ ad omnes humilitatem, illius mansuetudinem, illius simplicem & innocuum candorem, illius verborum parcitatem & in loquendo cautelam cultumque silentii, illius in agendo fervorem, illius in minimis regulis observandis, in minimis perfectio[illegible] consectandis, in minimis labeculis [illegible]erfectionibusque evitandis & ca[illegible]dis sedulitatem? Quàm ille punctualis in obedientia, quàm ille à rebus creatis, affectu, & re ipsâ spoliatissimus? quàm ille ad omnia placita Divina & majorum suorũ resignatus paratusque? ille verò quantus in fraternæ charitatis cura? quàm portat aliena onera? quàm supplet ab aliis prætermissa? quàm irasci nescius & ulcisci? quàm lædit neminem, [illegible] vincit in bono malum? quàm nu[illegible] videt? quàm ex animo compatit[illegible] sustinet sublevatque infirmos? Ille verò quàm in Orationem & Devotionem profusus? quàm in orando, contemplando, cum Deo agendo infatigabilis simulque Majestatis Divinæ reverentissimus? quã in omnibus & subditus Deo, & in ejus Providentiam securissimè projectus? Quàm sæpè quamque multorum tu pœnitentium tuorum admiratus es virtutem, confususque es de tanta animi puritate, innocentiâ, diligentiâ, placendi Deo curâ, inter licet negotia mundana, minimè tamen mundanas mentes? quoties ab eorum lumine ipse illuminatus? ab eorum quæsitis ipse instructus? ab eorum fervore ipse inflammatus? ab eorum denique fervore ipse prætergressus & superatus es? Nonnè & hic magnum chaos inter te & istos, inter horum & tuas virtutes? inter horum & tuam perfectionem? Et tamen tu per ætatem perque opinionem, Magister in Israel videbaris, & videris esse? Qui tibi pudor erit, putas in Iudicii die, quando tuam ignaviam, tam multi multorum ferient oculi, dicentes. Ecce homo & opera ejus? En quàm erravimus, quàmq; impositum est nobis, putantibus summam in isto fuisse perfectionem, summum perfectionis studium, summam cum Christi virtutibus similitudinem, summam cum Deo unionem. Ecce autem ille, quàm in imis serpsit, quantâ pigritiâ tepuit? O medice, quare te non ipsum curasti? O Magister, qui alios docuisti, cur te ipsum non docuisti? Dux aliorum, quare ipse non pervenisti? inflammator aliorum, cur ipse tepore obtorpuisti? Quis tibi pudor? quæ latebræ, quæ excusationes tun suffragabuntur?

Ergo inveterate dierum tepidorum & ignaviæ consecratorum, vel nunc in effluentibus istis vitæ annis te respice, & saltem fac, ut eos assequare, quos longissimè præire atque post te relinquere & putabaris, & potuisti & debuisti, inter tanta, inter tot auxilia Divina, Sanctorum exempla, status tui media annorumque curricula Quibus omnibus, si ad usque hactenus, non ex æquo debitoque respondisti, in hoc quidem vitæ residuo, non tantum respondere, verum etiam præteritas jacturas compensare, sed etiam superare, toto animi conatu, elabora.

PROVISIO VI.

Per Imitationem Pretiosissimæ Dei Matris quàm perfectissimam.

Considera vocationem quoque tuam & fuisse & adhuc esse, ut Pretiosissimam Dei tuamque Parentem quantum mortali fas esset, id est, quàm maximè & quàm perfectissimè imitaretis. Sicut enim ad hoc Deus rerum conditor sapientissimus juxta ac providentissimus, solem in alto loco posuit, quem luminosissimum & in omnia inferiora beneficentissimum esse voluit, ut omnium in eum oculi intenderent, ex eo virtutes omnes haurirent, ita idem Dominus Gratiæ dator profusissimus, Pretiosissimam suam Matrem, sole hoc visibili longè illustriorem, quippè suæ perfectionis atque dignitatis & Majestatis solè vestitam, in altissimo præclarissimoque Regni sui cælestis loco & statu collocavit: ut ad eam omnium servorum suorum oculi, mentes, corda cõverterentur, sublevarenturque; & ab ejus efficacissima beneficentia, omnes, omnem plenitudinem bonorum, hoc est, maximam cum ea similitudinem morum, veluti molles ceræ à sigillo, veluti in nitida specula ab opposita specie exciperent, eaque in suo beato Regno præfulgerent.

Et tuæ igitur partes fuerunt, operam omnem dare, ut totus fieres mulieri huic sole amictæ, solique justitiæ amicissimæ, quàm simillimus, quàm vicinissimus, quã familiarissimus. Tuæ partes fuerunt, o-

peram omnem dare, ut totus in Mariam transires, totus in affectum erga Mariam migrares, totus Mariæ laudes spirares, totus Mariæ honor esses, honoresque ubique plantares, totus Mariæ peculium, patrimonium, possessio, hæreditas, hæreditatisque proventus fieres, perinde uti etiam hæc omnia, infinitiesque plura & majora tibi est Maria, tibi sunt in Maria, tibi sunt per Mariam, sunt tibi propter Mariam.

Considera enim Amorem Mariæ erga te. qui tantus est, ut & si tu vilissimus, peccaminosissimus, ingratissimusque sis, & causa autorque passionis unigeniti ejus, ipsa nihilominus, & amaverit te, dederitque Filium suum in mortem crucis pro te, & amet te, ut etiam peccatis ipse tuis trahatur ad amandum te miserendumque tui. Memor & gnara, unigenitum quoque suum, miserabilitate peccatorum tuorum, in visceribus misericordiæ suæ fuisse cōmotum ad amandum te, vitamque suam pretiosam ponendū pro te; quod ipse fatetur Prophetæ dicenti. (*Ier. 31. 3.*) *Longe Dominus apparuit mihi.* Cui respondet: *Et in charitate perpetuâ dilexi te, & attraxi te miserans tui.* Quod ipsū fusius enarrat de seipso apud alium Prophetā, inter cætera dicens Animæ cuilibet peccatrici. (*Ezech. 16. 6*) *Transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in sanguine tuo vive; dixi inquam tibi, in sanguine tuo vive.* In hunc ergo modum Mater imitatur filii sui charitatem, & amavit & amare pergit te, quamvis revera indignissimum elicientibus ejus in te charitatem, tum Filii sui labore pro te, tum miseriâ peccatorum tuorum, quæ hæret in te.

Est enim Maria æmulatrix Samaritani illius veri, & illius exemplo miseretur saucium, spoliatum, semivivum, & ab omnibus derelictum te. Hic porrò amor Mariæ nequaquam sterilis fuit aut est in te, sed profusus est profunditurque in omnia momenta, per liberalissimam beneficentiam super te. Infinitum esset recensere omnia beneficia ejus. Unum recole beneficiū Vocationis Religiosæ, (quo utiq; illa te ornavit & ditavit) haustum de thesauris Divinæ Prædestinationis & providentiæ circa te. Quanta sint in vocationis Religiosæ beneficio bona, nulli hoc tibi calami describere, nulli discursus explicare tam præclarè possunt, quàm tua ipsius tot annorum experientia. Vide & numera, quot malorum generibus speciebus simulque myriadibus expeditus es per vocationem

A Religiosam? vide item & numera, quot bonorum generibus, speciebus simulque myriadibus per eandem ditatus, vallatus es jām nunc, & adhuc vallandus dū vives, maxime verò dum beatam æternitatem possidere incipies? Atqui omnes hæ myriades, Mariana imprimis post Deum beneficia sunt & erunt. Et quomodo respondisti, quomodo respondes, quomodo non minor, ac planè minimus minutulu[illegible]es, in tua erga ipsam gratitudine[illegible]

Con[illegible] etiam (ut saltem obiter attingam, [illegible] licet obiter considerandas) Mariæ virtutes. Mariæ gratias. B Mariæ dignitates. Mariæ officia. Mariæ honores. Mariæ potestates. Mariæ merita & apud Deum, & apud omnem creaturam, quibus solo tantum Deo Filio suo inferior est. omnem autem & inferiorem & superiorem mundum immensè excedit. Ad quæ condignè æstimanda, Dei Filii solius & sola mens quæ cōtulit capax est. cæteræ creaturæ omnes, & singulæ, tam ad æstimandum impares sunt, quàm ad exæquandum insufficientes. Atque his tu omnibus, quantùm tibi fas consideratis æstimatisque, intellige, quænam fuerint tuæ partes ad Mariam diligendam, æstimandam, colendam, prædicandam, imitandam? Quàm C parum ac planè nihil effecisses, etiamsi tota vita tua aliud omninò nihil egisses, nisi quod te officio tuo obligationique erga Mariam, omni possibili tibi conatu, studio, fervore incessabiliter impendisses! Cum verò conscius tibi sis, te planè hoc in officii erga illam genere, negligentem atque perfunctorium fuisse, jam cogita & conclude, quàm ingratus, quàm injurius, quàm morosus erga tantæ Eminentiæ personam, quantæ Maria Dei Mater est, exstiteris?

D Accedit ad ista omnia, quòd hæc Dei Pretiosissima Dignissimaque Parens, tua facta sit, ex tua quidem voluntate atque electione (nam alios fontes nunc prætereo) facta sit, inquam, tua Domina & hera, tu verò eius mancipium: tua Mater, tu verò ejus Filius, tua Hæres, tu verò eius possessio & Hæreditas, tua vicissim possessio atque Hæreditas, tu verò ejus hæres. tua Sponsa, tu verò ejusdem Sponsus, charitate mutua illi desponsatus. Ex quibus omnibus tuis cum Dei Matre connexionibus, maxima ac propemodum infinita tibi consurgit obligatio, immò obligationum seges, quibus omnibus ad amorem, exaltationem, appretiationem,

tionem, venerationem, semper semperq; majorem, atque nulla efficacitate exhauribilem, huic tuæ Dominæ, tuæ Matri, tuæ Hæredi, tuæ Hæreditati, tuæ Sponsæ, obnoxius es & eris.

I nunc & vide quomodo hactenus Mancipii, Filii, Hæreditatis, Hæredis, Sponsi Mariani partes expleveris, & quia sine dubio multam sterilitatem, ignaviam tuam, deprehendis, nunc ergo saltem, hoc quodcunque residuum est annorum & vitæ, hisce partibus quàm plenissimè explendis impende: sciens, tantum te placiturum DEO, quantum placebis DEI Matri, sciens etiam tantum te accessurum ad Deum, in gloria; quantum accedes ad Mariam in Amore & gratia; sciens contra, tantum defecturum apud Deum in merito, quantum deficies erga MARIAM in devoto obsequio.

PROVISIO VII.

Per Imitationem & fruitionẽ Domini Nostri JESV Christi Crucifixi.

CONsidera vocationem etiam tuam esse, fuisse semperque fore, ut Christum JESUM Dominum tuum imiteris. Nõ enim ille de cælis ac sinu Æterni Patris in terras descendit carnemque nostram induit, ideò solùm; ut nos sanguine suo redimeret, aut ut nobis legem vitæ & disciplinæ præscriberet, aut ut Rex noster etiam secundum hominem fieret aut ut nobis Patrem reconciliaret, cælos aperiret, peccata condonaret; verùm etiam ideò; ut nobis seipsum, vitamq; suam & mores suos, actusque omnes, in exemplum, in speculum, in regulam, in amussim exhiberet. Cui nos veluti regulæ exemplarique consummatissimo inhærentes, indubitatè sancti, recti, justi, perfecti, vitæ æternæ idonei, coram judice DEO Patre inveniremur, inventique vitæ æternæ hæreditate donaremur, ex gratia quidem Dei Patris, ex meritis autem ipsius Christi, & ex bonis operibus nostris in Christo, & ad exemplar operum Christi factis.

Hinc est illud toties repetitum à Christo Domino. *Sequere me. Discite à me. Exemplum dedi vobis. Venite ad me omnes, tollite jugum meum super vos. Non est servus major Domino suo. Ego sum via, veritas & vita. Ego sum pastor bonus: pastor ante oves vadit, & oves eum* (Jo. 10. 11; Ibid. 4.)

A *sequuntur: quia sciunt vocem ejus. Qui non sequitur me, non potest meus esse discipulus. Non est me dignus.* Quibus omnibus suis dictis, Dominus, & necessitatem & obligationem declarat, quæ nobis incumbit, ut eũ in moribus virtutibusque eius imitemur. Cùm verò hoc ad omnes homines, præsertim qui in Baptismo Christum induerunt pertineat, speciali tamen ratione, hoc opus eorum est, qui Christi Domini etiam consilia amplexi, simul etiam obligationem plenæ & perfectæ Christi imitationis in sese receperunt, atque induerunt. Tales autẽ Religiosi omnes sunt. B De quorum numero cùm & tu miseratione Divinâ existas, nihil tibi suffragatur, quo Christi imitationis obligationem recusare possis.

Considera autem mores, opera & virtutes Christi Domini triplici modo, seu fine nobis proponi & à nobis cognosci posse (quod idem etiam de Sanctorum virtutibus dici potest.) Primus est: idcirco cognoscere virtutes, moresque Christi, ut virtutum natura, species, partes, gradus, dignitas, perfectio agnoscatur. Secundus est, ut ob virtutes & earum opera, excellentiam, exemplaque Christus laudetur. Tertius. Ut agnitæ C in Christi operibus exemplisque virtutes, à nobis imitatione sedulâ supparique, ex desiderio Christi similitudinis atque perfectionis & gratiæ, effingantur in nobis, & in vita, moribus, operibusque nostris.

Primus modus & finis, non est ille quidem malus, magis tamen est Philosophicus, quàm Christianus, si ulterius nõ procedat, quin potest esse aliquando meræ curiositatis. Secundus finis atque modus, est quidem ille bonus cum Christum, & ejus virtutes laudare, bonum proculdubio sit, parum tamen utilitatis D ex eo percipit laudator, qui si non ultra se porrigat, Politicum magis, quàm Christianum redolebit. Tertius deniq; Modus ac finis optimus, & ex mente Christi est, propriusque Christianorum Religiosorum, perfectorum, & tum salutem, tum perfectionem completam continens atq; conferens suo exercitatori. *Sicut enim discipulus non est supra Magistrum: sic sufficit illi si sit sicut Magister ejus.* (Mat. 10. 24) Iste ergo tertius modus, circa Christi Domini virtutes, ab omnibus veris Christianis, Religiosis, Perfectisque curandus, exercendus, & toto mentis conatu laboreque perficiendus est, ac in eius perfectionem consummatam, totius vitæ nostræ cursus indefi-

nenter impendendus est. Alioqui quidquid agitur à nobis aliud, si non per viam vitæ virtutumque Christi curritur, totum frustra est, & ludificatio est: sicut frustra cucurrit, quisquis quanquam contentissimè, sed non ad metam cucurrit. Christus autem noster, est via in exemplo, sicuti veritas est in verbo, & est vita in præmio.

Considera insuper, quid in Christo imitandum sit? quænam scilicet opera & quæ virtutes? Neque enim omnia quæ in Christo Domino sunt ad imitationem nostram, hac præsertim in vita, assumenda sunt. Quædam enim sunt inimitabilia, ut sunt Divinæ potestatis miraculosa opera, quæ imitari præsumere, & superbi, & insani sit. neque hæc Dominus nobis proposuit in se imitanda. Et quanquam dedit servis suis aliquando potestatem ejiciendi dæmonia, & super omnē virtutem inimici, infirmosque curandi & similia patrandi; docuit tamen illos, quomodo se in talium patratione gererent, dicens. *Nolite gaudere in hoc, quod dæmonia subjiciuntur vobis, sed in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Et cùm aliquando dixisset illis; *Discite à me*: non adjecit, *Mundum fabricare, morbidos curare, dæmonia ejicere, mirabilia facere* sed addidit: *quia mitis sum & humilis corde.* Atque hæc sunt alia opera Christi imitabilia & imitanda quam studiosissimè, opera nimirùm humilitatis, modestiæ, mansuetudinis, patientiæ, obedientiæ, castitatis, paupertatis, mundi & sui contemptûs, atque abnegationis, observationis mandatorum, condonationis injuriarum, Dei & proximi dilectionis.

Luc. 10. 20

Matt. 11. 29

Hæc sunt quæ in Christo securè imitamur, hæc sunt, per quæ, ad interiora Iesu ingredimur, per quæ æmulamur charismata meliora, cùm scilicet pauperem, nudum, contemptum, stultificatum, patientem, laborantem, egentem, passum, crucifixum, Patri per omnia subditum, propter obedientiam & reverentiam Patris eidem supplicem, atque formam servi indutum insuperque exinanitū, amore honoris Paterni & salutis nostræ mortuum. cùm inquam talem Christum amamus, ac in ipsis nobis effingimus, in eumque talem propter nos factum, vicissim propter illum transformamur, tunc transcendimus forinseca Iesu, & ut dixi interiorum eius participes reddimur, ipsūque Christum propriissimè induimus.

Hisce consideratis, tu te ipsum jam rèspice, & quantum sit chaos inter te & Christum, inter virtutes tuas & virtutes Christi, inter mores tuos & mores Christi, inter interiora tua & interiora Christi animadverte, attende quòd hæc de Imitatione Christi lingua, si apud te ignotum sonet, acsi quidpiam de novi orbis idiomatibus audires, & tamen hæc sunt exordia atque prima elementa sermonum doctrinarumque Christi dicentis accedentibus ad se. *Sequere me &c.* Ergo tu per tot decades annorum Christi discipulus tantum in schola imitationis ejus profecisti, quantum profecisse te unius diei aut horæ discipulum, erubescere quàm maximè opus esset. Nec dum triennio discipuli Christi apud ipsum perdurârant, & tamen Dominus exprobrat illis. *Adhuc & vos sine intellectu estis?* & alibi etiam gravius. *O generatio incredula & perversa, quousq; ero vobiscum? usquequo patiar vos?* tu tot annorum decadibus ad Christi latus hærens, cælestibus eius doctrinis exemplisque operum saginatus, & nihilominus adeò morum Christi rudis, adeò ab eius imitatione nudus, quid quæso tu reprehensionis, exprobrationisque audies? quid castigationis suppliciique referes? Arbor triennio in horto sine fructu tolerata, exscindi nec terram occupare frustra jubetur; alia ficulnea fructibus cassa, licet non esset tempus ficorum, tamen maledicitur à Domino, & æterna sterilitate plectitur. Quid te putas manet, nō trium, sed triginta trium, & eo amplius annorum Religiosum, in fertilissimo, si quis alius, Ecclesiæ Christi agro, infructuosum?

Mar. 11.

Mat. 17.

Age igitur, te, resque tuas tandem circumspice, & seriam rationem ini atq; institue quâ ad exactissimam Christi in moribus virtutibusque similitudinē studiosissimâ & resolutissimâ imprecatione pertingere elaboras. Et licet quantumcunque te dejeceris humilior Christo nō eris: quantūcunq; te nudaveris, pauper major Christo, non eris, quantumcunq; toleraveris, patientior Christo non eris, nihilominus quàm maximam similitudinem vicinitatemque desidera, procura, elabora. Nulla sit dies, nulla hora, nullum quod fas momentum, nulla actio tua, quâ non ducas lineam similitudinis ad Christum. Scito nullam esse Christo gratiorem & gloriosiorem tuam circa Christum occupationem, & cum Christo tractationem, & Christi laudationem; quàm eius abs te imitationem, quàm tuā cum ipso perpetuā assimilationem, quàm tuam cum ipso quàm maximè genuinam simili-

ſimilitudinem. Hoc enim unum & ſolũ, inſtar omnium eſt obſequiorum & encomiorum, quæ Chriſto impendi debent & poſſunt à te. Hoc eſt Chriſtum amare, Chriſtum induere, Chriſtum efformare, Chriſto uti, Chriſto uniri, Chriſto configi, Chriſto conſepeliri, Chriſtum manducare, Chriſtum bibere, denique cum Chriſto eſſe, cum Chriſto vivere, cum Chriſto regnare, Chriſtum eſſe.

PROVISIO VIII.

Per Imitationem & fruitionẽ Domini noſtri quàm familiariſſimam.

CONſidera incumbere etiam tibi imitationem Domini Dei tui, imitationem autem non qualem qualem, ſed imitationem in perfectione, in ſanctitate, in rectitudine, in juſtitia, in veritate, in pietate, in miſericordia, in charitate, in Dei glorificatione. Imitantur quidem omnes creaturæ Deum tanquam conditorem ſuum, tanquam opera artificem à quo ſunt, & habent, & poſſunt, & operantur ac ideò ad modum ſui fontis, ſuiq; Idealis Eſſe, artisque ipſas efficientis, & in eſſe operationeque conſervantis, neceſſariò ſemper operantur: neque unquam ab hoc genere imitationis creaturæ poſſunt exerrare, cum natura & eſſentia earum ſit, ſic ſe habere. Sed eſt alia Deum imitandi ratio, per liberi arbitrii motum, ſcilicet juxta Rationem, & legem, & voluntatem, & ideam, & exemplum Dei.

Quæ omnia DEUS impreſſit nobis, primum quidem in creatione, condens nos creaturas Rationales, liberas, actionumque noſtrarum potentes & dominantes. Quod non minus expreſsè, quàm copioſe affirmat Spiritus Sanctus per Sapientem dicens. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui:* adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Deinde verò præter arbitrium liberum & legem, partim in naturali ratione impreſſam, partim etiam exteriore intimatione præceptam: adjecit lumen ſupernaturalis fidei per Chriſtum revelatæ, ſimulque donum gratiæ ad obſervationẽ neceſſariæ, quâ de re Joannes Baptiſta teſtatus eſt dicens. *Quia lex per Moyſen data eſt, Gratia & veritas per IESUM Chriſtum facta eſt.*

Eccl. 15. 14 — *Ioan: 1. 17*

Ex his ergo liberæ rationis & revelatæ veritatis, quarum priorem cum natura, poſteriorem cum gratia, priorem naſcendo, poſteriorem renaſcendo ſortimur, ex his inquam Rationis & veritatis fontibus; conſurgit in nobis, & facultas & neceſſitas Deum imitandi. De qua re luculenter Apoſtolus ſic loquitur. *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut Filii chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Quod ipſum a Chriſto Domino non evulgatum ſolum, verùm & præceptum habemus. Nam cùm inter alia præciperet nobis dilectionem inimicorum, atque calumniatorum, adjecit cauſam præcepti, dicens. *Ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem oriri facit ſuper bonos & malos.* Neque hoc dixiſſe contentus, iterum ſubdidit. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Quæ Domni graviſſima ſententia atque præceptio, non ſolum qualemcunque imitationem, ſed etiam perfectam, ſed in ipſa perfectione Patris cæleſtis, à nobis exigit, eamque in eo fundat: quia nos quidem filii, ille autem Pater eſt.

Eph: 5. 1. — *Mat. 5. 44* — *Ibid. v. 48.*

Eſt autem ſine dubio omni rationi conſonum, ut filii Patrem moribus referant, eiusque actiones & virtutes, ſuis actibus & virtutibus imitando repræſentent. Quod opus, ſicut eſt ſuper omnia opera nobis incumbentia ad peragendum graviſſimum, ſic eſt etiam ſuper omnia nobis, & fructuoſiſſimum, & ſimul honorificentiſſimum. Quid enim poteſt cogitari, tum graviùs, tum fructuoſiùs, tum digniùs, quàm eſſe nos perfectos, ſicut & Pater noſter cæleſtis perfectus eſt? Certè ſicut nihil eſt perfectius DEO: ipſius enim perfectio, eſt menſura & fons omnium aliarum perfectionum; ita ille eſt in moribus & actionibus ſuis perfectior, & major, & dignior, qui eſt Deo, in ejus morum & perfectionum expreſſione vicinior. Quod ſi præclarũ eſt, tã ad fructum quàm ad laudem Sanctorum, Dei perfectiones expendere & æmulari: quanto erit fructuoſiùs & laudabiliùs, Divinas perfectiones ſic ſcrutari, ut etiã eas aſſequaris, etiam induas, etiam in eas imitatione transformeris. Utile eſt, ex

rivulis aquam petere, sed longè præstantiùs, ex fonte, aut mari ipso haurire.

His adde, quod quantitati assimilationis nostræ cum Dei perfectionibus moribusque in hac vita, responsura sit assimilatio item nostra cum Divinis beatitudinibus, beatificisque perfectionibus in illa altera. Juxta cujus assimilationis in cælo gradum, erit etiam gradus nostræ beatitudinis, nostræ beatificæ in Deum transformationis, nostræ in Divinas beatificas laudes effusionis, nostræ denique & totius universi per nos, ac propter nos perfectionis & exornationis atque exhilarationis. Unde colligi potest, quàm insatiabilem infatigabilemque curam nostram esse oporteat in Deo, per hoc vitæ tempus, in suis moribus imitando, & quàm maximè per nos & in nobis assimilando.

Considera autem in quonam præcipuè ac ultimate consistat, quidque requirat hæc Divinarum perfectionum & morum à nobis imitatio, ut congruè & cum profectu fieri possit. Primò igitur. Opus est habere notitiam morum & perfectionum Divinarum, quas quidem nobis manifestat creatura: dicente Psalmo. *Cæli enarrant gloriam Dei.* & Apostolo. *Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas. Manifestat deinde Sacra Scriptura & fidei revelatæ doctrina. Utriusque hujus rei, scilicet creaturæ & Scripturæ consideratio, ducit nos in cognitionem perfectionum & morum Dei, inibique luculenter & luculentissimè in Christi Domini tū persona, tum doctrina, tum operibus elucescentium.

Psal. 18. Rom. 10.

Secundo cognitioni & considerationi morum ac perfectionum Dei, addenda est reflexiva quædam ad nostros mores & ad operationes nostras applicatio. Quamvis etiam nuda consideratio morum Dei, arcana quadam & sibi propria virtute eosdem mores effingit, in moribus ipsius considerantis, si hoc diligenter assiduèque faciat. Nihilominùs hæc efformatio longè efficacior redditur, quando, ut dixi, reflexivè & practicè, moribus nostris consideratio ipsa applicatur. Sicut enim pictor solo intuitu Regiæ Personæ, non effingit imaginem eius in tabula, sed manu coloribusque opus est, sic mores Divini, solâ consideratione sui, in cordibus moribusque nostris non efformantur, nisi accedat practica eorum in nobis delineatio.

A

Tertio. Hæc practica delineatio morum Dei in tabella cordium & morum nostrorum, exigit conversationem cum Deo commorationemque; idque sive ita, ut nos apud Deum, sive ita, ut Deus apud nos (esto hæc in idem recidant) commoretur: ad quod non est opus, neque alta cælorum à nobis conscendi, neque Deum ad nos inde descendere, neque eundem apud alias aliasque creaturas venari, sed cum immensus sit, & tum ubique, tum etiam in propriis intimisq; nostris cordibus, velut in cælis sibi gratissimis (anima enim justi, sedes est sapientiæ) conversetur, assuescendum omninò est nobis, ut ibi, intra nos & cum Deo conversemur, & Deum nobiscum cōversantem agnoscamus habeamusque. Inde enim consurget.

Greg: Hom. 30. in Evan: tribuit Salomoni. Et August: in Psal. 121. sup. 7. 27. juxta LXX. Aug. iterum

B

Cont: 1. in Psal: 88.

Quarto amicitia familiaritasque & convictus cum Deo mutuus, quin & assuetudo quædam intima ad mores mutuos. Hoc autem negotium, optimè suavissimè efficacissimèque perficitur charitate, præsentiæ Dei memoriâ, orationis usu, quàm maximè fieri potest fine intermissione, quàm impinguet simplicissima fiducia & devotissima reverentia. Ab hisce manabit.

C

Quinto. Fruitio Dei utrinque valde grata, familiaris, cordialis, sapida, confidentiæ plena, pene dixerim assidua, certe creberrima, satians, nec tamen famem adimens, sed explendo acuens, acuendo explens. Quod ne quis miretur, aut ne etiam suspectum habeat, observo, multorum justorum errorem esse, quod semper Deum quærant & invenire laborent, ad se invitent, desiderent; neque tamen votis suis potiantur: ut ipsis videtur etiam experimento constare. Quæ res multum justos ejusmodi angit, & à profectu distrahit: Non advertentes practicè, Deum frustra & erroneè à se quæri absentem desiderarique, cum sit revera intimè illis præsens per gratiam & charitatem; cujus est evidens signum, illa ipsa in desiderando, quærendo, invitando anxietas: hæc enim non esset, si ille absens esset. Est ergo intimè & amicissimè præsens, sed esse, practicè ut dixi ignoratur, nec eum Anima ut sibi intimū agnoscit, neque ut præsentem tractat, amat, amplectitur, gaudet, gratias agit, oblectat; verùm nihil, ut cum præsente agit, sed tanquam de absente semper cogitat, velut longè positum requirit.

D

Qui error exuendus est justis, & sæpè agnoscendus, habendus, tractandusq; Deus,

Deus, ut quàm maximè, intimissimè, familiarissimeque præsens, nec tantū præsens, sed etiam præsentiæ fructus exhibens; quorum primus præcipuusque est. Fruitio ipsa, qua & Deus fruitur Animâ, & hæc vicissim Deo. Quod fit contemplatione, hoc est de Deo, cum, & coram Deo cogitatione, deque ejus perfectionibus & attributis, moribus, operibus, beneficentiis, Essentiâ Unitrinâ. Defigendo obtutum devotum in Dei ejusdē pulchritudinem, sapientiam, admirabilitatem, majestatem, dignitatem, laudabilitatem, potentiam, justitiam, misericordiam, immensitatem, simplicitatem, veritatem. Gustando etiam ejus dulcedinem, suavitatem, appetibilitatem, familiaritatem, communicabilitatem, providentiam, præsentium. Exaltando, prædicando, laudando ejus excellentiam in operibus, in beneficiis, in perfectionibus, in Essentia, in Personis. Invitando omnium corda ad vacandum, ad gustandum, ad videndum, ad fruendum, ad inhabitandum, ad vivendum Deo, de Deo, in Deo, propter Deum, &c. Deficiendo etiam & tabescendo atque sibi pereundo, in Deum autem transmigrando, & sese (secundum voluntatem, voluntatisque cum Divina similitudinem ac unionem, non verò secundum substantiam & entitatem quæ nequit fieri) in eum transformando. Ab hac fruitione Dei existet,

Sextò: Imitatio, & assimilatio, & assumptio morum perfectionumque Dei in Anima justa & perfecta; existet autem pænè sine labore connaturaliter & quidem modo perfectissimo pro statu istius vitæ. Si enim Anima Deo fruens modo prædicto in Deum transformatur, quomodo non etiam in minoribus eidem assimilatur? Sicut lumini nihil similiùs, quàm aër illuminatus, nihil igni similiùs, quàm ferrum aut carbo igne candens, ita Deo nulla anima in proprietatibus moribusque similior, quàm ea, quæ in Deum transformata fruitione voluntatumq; unione & confermentatione reperitur. Quapropter audeo dicere, seu quod dixi commutare, non tam à fruitione Divina existit perfecta morum Dei imitatio in Anima, quàm potiùs ipsa Dei fruitio, est ipsissima eaque perfectissima & consummatissima ejusdem imitatio, & assimilatio, & assimilationis flos, est fructus, est medulla.

His consideratis, tu jam tandem te circumspice & adverte, quantum sit chaos inter te, & Deum, quantum ad similitudinem & imitationem ejus morū & perfectionum desit! Et quidē attentâ conversionis tuæ ad Deum antiquitate, mediorumque & auxiliorum Divinorum abundantia, jam te omninò pridem, consummatum esse oportebat in Dei imitatione, possessoremque, domesticum, veteranum in Divina fruitione. At quia tepor, inscitia, incuria, inconstantia ue tua, te ab hac felicitate dejecit, non absque innumeris & tui profectûs, & Dei, totiusque cæli & universi hujus gloriæ detrimentis, ex nunc saltem, dum adhuc vita decurrit, antequam penitùs excurrat, totum te huic, imitandi Dei, fruendique Deo labori infatigabiliter ac incessabiliter impende, totum te Divinâ, & imitatione, & fruitione imbue, occupa, fermenta, penetra, omnia vitæ tuæ (quoad fas) momenta, omnia, & singula opera tua, Divinarum perfectionum & morum similitudine intinge, perfice, informa. Totus hoc age unicum atque præcipuum (tale enim revera hoc est; & est illud Christi *unum necessarium*. est illa *Optima pars, quam elegit Maria*) ut totâ mentis acie, toto voluntatis libertatisq; pondere, totâ cordis affectione, semper & ubique, totâ tui, totiusque Universi substantiâ, atque Personâ, Deum & quæras & habeas & agnoscas & imiteris & fruaris. Hunc semper & ubique oculus purissimæ intentionis intueatur, hunc auris simplicissimæ obedientiæ audiat, hunc gustus devotissimæ sapientiæ degustet, hunc odoratus profusissimæ charitatis investiget, hunc tactus vividissimæ resignationis comprehendat, hunc totus tu, vicissim totum possideas, ab eoque toto, totus possidearis & tu.

Luc. 10. 41

PROVISIO IX.

Per debitorum, quibus plurimis obstricti sumus plenam exsolutionem.

Considera necessitari te quàm maximè ad obsequium Dei, non tantum fervens & perfectum, verùm etiam liberaliter supererogatorièque perfectum & fervens, tum alias semper, tum præsertim sub extremum vitæ, ex multitudine debitorum, quibus oneratus es, atq; adeò oneratissimus, super capillos capitis tui, imò super stellas cæli & arenam maris.

Decurre indicem capitum debitorum istorum, & ex eo saltem aliquam notitiam ipsorum colligere numerumque conjicere poteris, qui indiculus atque numerus, etsi aliis quoque hominibus tecum est communis, non ideò tamen te minùs solùm, quàm omnes gravat, neque minùs te ad exolvendum, quàm omnes stimulare debet.

Primò igitur quibusdam rebus sumus debitores, naturâ & necessitate innatâ. Ita debitores sumus Deo creatori nostro, & post Deum causis omnibus secundis, tam universalibus quàm particularibus, à quibus & ex quibus, nostrum naturale Esse conflatum est. à quibus vitam & conservationem vitæ, totiusque esse nostri habemus, in operando juvamur &c. Ex hoc ergo capite debemus cælis omnibus, Soli, lunæ, stellis, elementis, & quæ in his: tum parentibus, & parentum etiam majoribus. &c. numera homo si potes, tam creditores tuos istos, quàm debita tua respectu illorum.

Secundò. sumus debitores, ex morali quadam obligatione: quomodo debemus post parentes cæteris nostris præsidibus atque majoribus, magistratibus, præceptoribus, & quocunque modo curam nostri gerentibus, in nostramque eruditionem aliquatenus adlaborantibus. Hoc caput debitorum afficit nos tam in ratione morali naturali, quàm in ratione morali supernaturali: in qua ratione, & Deus, & Christus. & Mater ejus, & Sancti Angeli, & omnes Beati & infiniti alii continentur.

Tertiò. sumus debitores, etiam inferioribus nostris, quicunque ad nostram alicujus generis curam pertinuerunt & pertinent

Quartò. sumus debitores, ob Naturæ communionem, eamque majorem aut minorem; omnibus autem rebus ob aliquam saltem: ideò, quia creatæ sunt, vel quia sunt aliquid & existunt, immò & quia possibiles sunt.

Quintò. sumus debitores ob gratiæ communionem, necnon ob omnis boni Spiritualis consortium, adjunctâ etiam æternâ, quàm speramus Beatitudine.

Sextò. sumus debitores, ratione beneficiorum, obsequiorum & commodorum, quæ ab aliis, vel ex aliis percepimus, percipimusque: debemus namque his amorem congruum, beneficia, & obsequia, commodaque supparia, & cujusque naturæ & gradui consentanea.

Septimò. sumus debitores ratione malorum & molestiarum, quæ ab aliis perpessi sumus, vel perpeti potuimus: istaque occasione multa mala animi & corporis vitavimus, correximus, cognovimus. Hoc nomine etiam ipsi Inferno sumus debitores: quem dum timemus, devitamus, & ut devitemus, à peccatis partim cavemus, partim cessamus: pœnitentiam agimus, & ad meliora proficimus, salutemquè lucramur. Quod ipsum de dæmonibus dici potest, quibus debitores vigilantiæ, pro salute nostra, invocationis Divinæ, & Sanctorum opis. Humilitatis, Prudentiæ, & multorum aliorum commodorum sumus.

Octavò sumus debitores, ratione omissionum, incuriarum, negligentiarum, quibus res tractando, eas privamus, debito iis commodo, profectu, perfectione, ornamento, usu obsequio. Sic debitores sunt Domini subditis, servis, famulis. Parentes liberis. Magistratus subjectis, quin & proximi proximis, amici amicis, quos ad virtutem, sanctitatem, prudentiam promovere potuerant, exemplo bono, monito salubri, oratione, solatio, auxilio, consilio, supportatione. Hac etiam ratione ipsismet nobis sumus debitores, ratione similium bonorum, quibus nos nostrâ incuriâ, inscitiâ, malitiâ privamus, tam quoad bona fortunæ, quàm quoad corporis. quàm quoad animi, & maximè in bonis salutis æternæ. quibus eo ipso, quòd ea non curavimus, spoliavimus nos, nec nos tantum, sed etiam Deum, Christum, Ecclesiam triumphantem, militantemque quibus ex nostro profectu, labore, charitate, virtute, partim gloria, partim ædificatio provenire potuit. Hinc etiam sumus debitores, tot mediis, auxiliis, occasionibus, circumstantiis, horis, momentis, diebus, annis, locis, exemplis, monitis, inspirationibus, cæterisque incitamentis ad bonum aut profectum, quibus tamen obsequi neglexìmus, & frustra fluere permisimus.

Nonò sumus etiam debitores ratione non impensæ exsolutionis debitorum. ut v. g. cùm non restituimus, quod invito rationabiliter Domino injuriosè retinebamus. sive illud fuit debita Deo gloria, subjectio, laus, honor, devotio, gratitudo: sive fuit honor & bonum nomen alicujus proximi, quo iniquè læsimus detrahendo, quocunque detractionis modo, sive obsequium indebitè denegatum, sive gratitudo, sive res quæpiam alieni juris.

Deci-

Decimò ſumus debitores ratione dignitatis & poteſtatis eminentiæque aliquorum. quomodo poſt Deum noſtrum, ſumus debitores Angelis, & univerſis Sanctis in cælo & in terra; item Principibus & Poteſtatibus. Item Sapientibus & Doctis. item Sacerdotibus, Religioſis & Deo ſacris perſonis. quibus omnibus honorem & reputationem reverentiamque debemus.

Undecimò ſumus debitores aliquibus, ratione eorum miſeriæ, abjectionis, afflictionis, inſufficientiæ ad ſeſe juvandos, hoc modo debitores ſumus, pauperibus, mendicis, infirmis. Ita etiam debemus auxilium animabus purgatorii: Item vinctis in carcere, captivis, peregrinis. Item ignorantibus errantibusq́;. Item etiam beſtiis ac jumentis ſauciis, ſub onere vel in præceps prolapſis.

Duodecimò. ſumus debitores ratione compoſitionis & conſociationis phyſicæ ac moralis. Ita quisque ſibi, perſonæ ſuæ, vitæ ſuæ, membris ſuis, ſenſibus, potentiis quibus conſtat, debitor eſt. Ita etiam ſumus debitores Univerſo Orbi, Humano generi, Chriſtiano populo, Regno, Urbi, Religioni, Domicilio, Familiæ. Congregationi, conſanguinitati, Cætui denique, cujus aliquo modo compartes ſumus.

Decimo tertio ſumus debitores ratione particularium & cuique propriarum ſive obligationum, ſive neceſſitatum, ſive factorum. Sic debemus Deo ratione ſpecialium & nobis ſolis propriorum beneficiorum. ſic & Chriſto. Pretioſiſſimæ Parenti. Sanctis Cuſtodibus Patroniſve, ob ſpecialia beneficia debemus. Sic quibusdam Dei attributis, fidei Myſteriis, Scripturæ ſententiis & exemplis, Sanctorum item factis, quorum nos devotione ſingulariùs affici & perfici experimur, qui ſalutis noſtræ media ſunt &c.

Decimo quarto ſumus debitores quibusdam ratione eorum malitiæ. Ita Dæmonibus, damnatis, peccatoribus, peccatisque debemus, odium, fugam, deteſtationem, impeditionem, pœnam, pœnæ deſiderium, ut juſtitia Dei fiat, ut læſus honor Divinus ſarciatur, ut ſcandala ſubmoveantur, ut ceſſent injuriæ Dei, conculcatioque Sanguinis & Meritorum Chriſti &c.

Omitto alia debitorum capita: hæc quæ recenſita ſunt, ſatis oſtendunt immenſitatem infinitudinemque debitorum noſtrorum; Ad ſatisfaciendum quibus per omnia, quantis opus ſit viribus, dico; divinis auxiliis, quanto animi conatu, diligentia, quantâ executionis aſſiduitate & inceſſabilitate, fateor id explicari à me non poſſe.

Dico tantùm, quoniam debita hæc omnia & ſingula perſolvi non poſſunt omnibus ſingulisque creditoribus ad æqualitatem, ſolvantur ſaltem ſecundùm voluntatis (ſi ejus effectus poſſibilis eſſet) promptitudinem, ſolvantur ſaltem in eo, qui eſt omnium Dominus, & in quem velut in centrum omnia debita cōfluunt, qui eſt Deus. cui ſi ſoli ſatis fiat pro omnibus, ſatis factum erit omnibus, tam obligationibus quàm creditoribus. quod tamen dixerim, ſalvâ Iuſtitiâ, ſi quæ cui debetur, & præſtari poteſt. Interim autem: Primò quidem Deus ametur, æſtimetur, apprecietur, laudetur, exaltetur, gratiarum actione honoretur, oratione flectatur, ſuper omnia Ametur in Deo & propter Deum omnia, ametur Deus, pro omnibus & ſingulis creaturis, præcipuè ratione carentibus: quarum Deus hanc eſſe inſtituit conditionem, ut illæ quidem nobis hominibus ſerviant per omnia ad uſum omnem, etiam cum ſui diſpendio & deſtructione: nos autem illis obligati ſimus ad laudandum, amandum, prædicandum, honore & gratiis & obſequiis æternis proſequēdum Deum, pro omnibus illis. ita ut illæ quidem ſuo modo Deo ſerviant, ſerviendo nobis usque ad ſui perditionem: nos verò rationali jam modo, ſerviamus ipſis, exhibendo ſervitium & honorē & amorem laudemque pro ipſis, noſtro & illarum Deo.

Ex dictis tu jam diſce. quantum debitum Dei laudis ſervitutisque tibi incumbat, ex tot capitibus debitorum, tum ex tot debitis, tum ex tanto numero eorum, quibus debitor es. Et quia jam præterita doleri tantum poſſunt, corrigi autem non poſſunt; ſaltem ergo in præſenti, quod tibi ſupereſt temporis & vitæ, hoc age & ſatage, ut omnibus reſiduis vitæ momentis, totus in laudem & obſequium te effundas, adeò profusè liberaliterque, ut omnibus obligationibus, pro omnibus creaturis apud Deum te exſolvas ac eliberes. Toto mundo, & pro toto mundo, Deum laudando, amando, æſtimando, honorando, & omnes ejus voluntates faciendo, ſicq́; ſemper, ad finem vitæ perſeverando.

PROVISIO X.

Per adæquationem Bonorum, potissimum verò Gratiarum, quibus respondere adæquatè obligamur.

A

COnsidera Bonorum quæ à Deo accepisti copiâ, compelli te, & omnino necessitari ad insignem tum sanctitatem ac perfectionem, tum sanctitatis perfectionisque zelum, studium, cupiditatem. quâ in re ut magnitudinem obligationis tuæ cognoscas, debes immensitatem bonorum cognoscere. quæ tanta est, ut abs te nullo modo naturali ingenio dinumerari possit. Neque solum immensitatem quoad numerum & multitudinem, sed etiam quoad varietatem, excellentiam, efficacitatem, quantum ex illis est eratque, intensionem atque perfectionem cognoscere te oportet. quæ etiam sub naturalem tuam cognitionem non cadunt aut vix cadunt, neque tamen ob hoc, tibi obligationem non augent, neque non etiam tuam ignaviam ingratitudinemvè non accusant. neque denique non te tuamque industriam, ad insigniter in studio perfectionis coram Deo, & propter Deum, conandum & laborandum excitant.

Considera classes Bonorum Divinorum in te, & iis inspectis, tum numerum tum magnitudinem, tum varietatem eorum, tum demum obligationem tuam aliquantisper dispice. Data sunt igitur tibi à Deo.

1. Bona Naturalia & Supernaturalia.
2. Bona Animæ, Animi, Corporis, Fortunæ.
3. Bona Honesta. Iucunda. Utilia.
4. Bona Naturæ. Gratiæ Actualis habitualisque, Gloriæ.
5. Bona communia cum omnibus, cũ multis, cum paucis, propria tibi soli.
6. Bona Essentiæ seu Substantiæ, Potentiarum, Operationum.
7. Bona data tibi, sine te.
8. Bona data tibi tecum, seu cooperante te.
9. Bona data tibi propter alios.
10. Bona data tibi per alios.
11. Bona data tibi supra alios.
12. Bona data aliis, propter te.
13. Bona data aliis, per te.
14. Bona præterita, præsentia, futura, æterna, temporalia.

Ineas bonorum istorum numerum, pretium, varietatem, efficaciam, si potes, & inde metire vim obligationis tuæ. Neque enim dubitare potes his & pro his omnibus debitorem te constitutum esse Donatori eorum Deo, debitorem autem obsequii, laudis, honoris, Amoris, non qualiscunque sed eximii, sed summi, sed simpliciter juxta possibilitatem tuam omnis. Ad magis claram distinctamque cognitionem & penetrationẽ hujus tuæ obligationis ad perfectissimum Dei famulatum ex bonis ejus in te collatis pullulantem.

B

Considera unius tantum generis bona Divina tibi data, bona, inquã, mediorum atque auxiliorum, seu gratiarum tam habitualiũ, quàm (& potissimum) actualium in ordine ad salutem; perfectionemque curandam, vitamque æternam consequendam. In quo ipso bonorum Dei genere, nolo te omnia, quæ insunt considerare, sed solum considera hoc unum. Testatur Dominus noster JESUS Christus, quod si ille suæ prædicationis gratiam Iudæis tunc à se impensam, impendisset Tyriis, Sydoniis, Sodomæ, ejusque sociabus civitatibus, illæ in cinere & cilicio pœnitentiam de peccatis egissent, Christumque, & Deum, ac ejus fidem & legem agnovissent. Hoc posito. *Matt. 11.*

C

Sequitur; Iudæis tunc à Christo, tantam gratiam, tantaque media ad salutem fuisse collata, quanta non tantum sufficientia, sed etiam efficacia fuissent ad conversionem tot aliarum gentium.

Sequitur amplius ex dictis; posse, quin & solere Deum uni alicui personæ, (Sanctæ non sanctæ, nihil refert, loquamur tamen nunc de sancta & justa) posse, & re ipsâ illi Deum dare uni soli, tot ad salutem media, tot gratias, quæ si Deo placuisset, poterant plurimis personis dari, & datæ, in eis habuissent efficaciam tantam, quantam in una illa persona habere & potuerunt & debuerunt, & nihilominus, (quod ut plurimum fit) non habuerunt. Uti videmus in Mnis Evangelicis, quarum una apud unum servum deposita, acquisivit decem mnas, alia apud alium acquisivit solum quinq; mnas, tertia apud tertium nihil acquisivit: non vitio quidem suo, sed ejus qui acceperat ignaviâ. *Luc. 19.*

D

Jam nunc te ad teipsum ô homo converte. Es Religiosus, talis religionis, quod cum dico, dico te accepisse gratias & media salutis atque perfectionis, tot, & tanta, quot & quanta in centum in mille

mille & ampliùs etiam homines divisa si à Deo fuissent, multoque magis si integra data essent; omnes illi centum & mille & plures homines serviviſſent & servirent hodie Deo, tam perfectè ſicut tu. immò longè & longè perfectiùs, exactiùs, ad ſuum ſtatum pleniùs, quàm tu & ſerviviſti & ſervis hactenus. Ex quo convinco (utinam me ipſum) te unum ſolum Religioſum, attentis gratiis mediisque tibi à Deo datis, factum eſſe per eas, & propter eas, Deo tuo debitorem tantæ ſanctitatis & perfectionis in Dei obſequio, quæ æquivalent centum & mille & pluribus perfectionibus ſanctitatibusque. Cùm autem conſcientiâ teſte non adæquaveris vel unicam ſanctitatem, non, inquam, efficaciam gratiarum mediorumque tibi collatorum, effectu unius condignæ ſanctitatis & perfectionis. inde cognoſce, quantus tu ſis debitor apud Deum, ob gratias tibi ad ſalutem perfectionemque conceſſas conſtitus? Inde etiam cognoſce, quantus debitor ſis coram eodem Domino, ob alia & alia innumera beneficia tibi collata. Equidem, ſi bonum ſanitatis oculorum, quo tu polles, pluribus cæcis conferretur à Deo, ii eſſent hujus beneficii longè quàm tu gratiores. Tantæ ergo tu gratitudinis Deo debitor es ob ſanitatem viſus, quantæ plures, imò omnes cæci eſsēt exhibitores, ſi viſum reciperent.

Quod autem ſupra exemplificavi in Religioſæ vocationis gratiis & mediis: fateor me amplum nimis adduxiſſe gratiarum exemplum. Nam idem omninò aſſeri poteſt debetque etiam, de unica quapiam gratiâ Dei, de unico inſtinctu ad bonum, de unico lumine ac dictamine ſalutari, quo unus aliquis juſtus donatur (& donatur ſæpiſſimè aliis, aliiſque etiam in diem, etiam in horam) quod ſi datum eſſet alicui alteri, vel etiam pluribus, plurimiſque aliis; ii omnes uſi lumine fuiſſent meliùs, & in majorem ſuum profectum, inque majus Dei obſequium, quàm is, cui de facto tale quid eſt à Deo collatum. Unde patet quantopere aggregetur debitum talis Hominis coram Deo? patet quantæ ſit reus ſanctitatis, quia illam non præſtitit, patet quantæ debitor fuerit ut præſtaret? patet inſuper quantæ debitor ſit, ut adhuc præſtet?

Ex his autem luculenter conſtat, quid hac in parte faciendum ſit illi, qui per tot annorum vitæ ſuæ decades, tantis gratiis Dei abundavit, & eis non utique ſatis reſpondit hactenus. Hoc utiq; reſtat, ut invocato Dei adjutorio, totum ſe ad hoc convertat, ſimulque aliquam rationem ineat, hoc eſt, talem ad acquiſitionem perfectionis in Dei obſequio conatum aſſumat & adhibeat, per hoc, quod adhuc reſiduum habet vitæ ac temporis, ut & præteritarum & præſentium gratiarum beneficentiarumque Dei, vaſtitatem capacitatemque exæquet.

Quod quidem etſi forſitan re ipſa minus præſtabit, non parum tamen corã bono Domino ſuo faciet, ſi totum, quod in ſe eſt, excluſâ omni negligentiâ & ceſſatione, adhibito omni quo prævalet conatu & inſtantiâ faciet. Sed ad hoc ipſum præſtandum, exuere omnem præteritum inconſideratiùs, & negligentiùs, inordinatiùſque vivendi modum, induere autem & exerere ordinatum, accuratum, præmeditatum, ſolicitum & fatigari ceſſareque neſcium oportet. Exſtimulante ad id ſemper ſemperque, tum brevitate remanentis adhuc ad laborandum vitæ, tum obligationis & debitorum jam explicatâ immani & immenſâ mole atque magnitudine.

PROVISIO XI.

Per profuſam Charitatem ac Miſerationem ſuper proximos, peccatores, juſtos, & in Purgatorio exiſtentes.

CONſidera inter innumera charitatis Proximi bona atque officia, hoc etiam eſſe, quòd ſit compendioſiſſima, fructuoſiſſima, facillima & inexcuſabiliter irrefragabiliterque & omninò neceſſaria ratio, noſtrarum omnium ſive cum Deo transactionum, ſive in via virtutis perfectioniſq; promotionum. Uſque adeò, ut Deus videatur magis & appetere & exigere & æſtimare & remunerari charitatem noſtram erga proximos, quam erga ipſam ſe Nihil attinet iſtud hoc loco fuſiùs probare. Satis indicant hoc, illa Apoſtoli verba. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et illa: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et illa: *Nemini quidquã debeatis, niſi ut invicem diligatis. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis* (quaſi diceret ſuperimplebitis) *legem Chriſti.* Neque aliud dixit Dominus ipſe noſter, quando proximi dilectionem vocavit *mandatum ſuum. Mandatum novum.* unicum diſcipulatus

Rom: 13. 8
1. Petr. 4. 8
Rom: 13. 8
Gal. 6. 2.
Ioan. 15. 12

tus ſui ſignum. His ad acuendam famem deſideriumque charitatis proximi adductis & conſideratis.

Conſidera claſſes proximorum ad quos charitas Chriſtiana extendi debeat quàm maximè. Sunt autem tres. Una peccatorum ſeu in ſtatu peccati degentium, ſive fidelium ſive etiam infidelium quorumcunque: Horum cùm ſit extremè deplorandus ſtatus, quippe qui quantum ex ipſis ſunt victimæ atque holocauſta æternæ damnationis. in omni ſincere Deum & proximum diligente homine, maximus debet eſſe Amor, & quoad fieri poteſt efficaciſſimus atque laborioſiſſimus, ut ab infelici peccatorum ſuorum emancipentur Tyrannide. Ad quod præſtandum, cùm innumeræ poſſint, quin & ſæpe propter ſtatuum noſtrorum obligationem ſeu conditionem, debeant eſſe induſtriæ. quibus hic exponendis locus non eſt, & peti poſſunt ſatis ex cujusque conditione vivendi: univerſalem hanc induſtriam afferre ſufficiat, conandum eſſe unicuique in dilectione proximorum, ſtatui peccati implicitorum, excellere volenti, ut omnem vitam ſuam cum omnibus actionibus & paſſionibus ſuis, offerat Deo in auxilium ſpirituale & efficax hujusmodi proximorum, ſecundùm Divinum beneplacitum; ita ut omnis actio, omnisque paſſio, ex intentione applicationeque liberæ voluntatis noſtræ, fiat ante Deum (propter Deum, unitim ad Jesu Chriſti merita) & oratio atque poſtulatio, & ſacrificium & exſolutio & vadimonium pro peccatoribus, proque ipſorum peccatis omnibus & ſingulis. Involvendo in hanc intentionem atque applicationem, non ſuas tantummodo proprias perſonaleſque actiones & perpeſſiones, ſed etiam totius univerſi, creaturarumque omnium & ſingularum, omnes pariter & ſingulas, atque mutationes ſibi appropriatas modo inferiùs explicando. Quo fiet, quantum quidem ex charitate noſtra ejuſdemque intenſione ac extenſione, ut tam nos, quàm omnes creaturæ reliquæ, exundent charitate ſupra peccatores, & faciant veluti univerſalem perpetuumque planctum ſuper eos coram Deo, protegantque illos ab ira Divina ipſis debita & parata, & poſtulent eis à Bono Deo, gratias congruas, opportunas, efficaces, ac etiam finales, ad pœnitentiam condignam requiſitas, juxta Divinum placitum. Quod Divino cordi, impenſiſſimè ſalutem & converſionem fructusque pœnitentiæ dignos ſemper deſideranti atque expectanti, auxiliaque ad id promiſſimo affectu offerenti, non poteſt non eſſe gratiſſimum: totique curiæ cæleſti, ac imprimis Domino noſtro Jesu Chriſto, peccatorum omnium ſumptuoſiſſimo Redemptori, ejuſdemque Pretioſiſſimæ Parenti, peccatorum unico refugio, jucundiſſimum & exoptatiſſimum acceptiſſimumque: ac demum unicuique taliter apud Deum pro peccatoribus peccatisque ſatagenti, coram Deo fructuoſiſſimum, & tam in hac, quàm in altera vita maximè meritorium: propriorumque peccatorum omnium (quæ etiam iſtiusmodi pro aliis peccatoribus eorumque peccatis charitativæ applicationi adjungere fas, imò opus erit) expurgationi efficaciſſimum. Quandoquidem *charitas operit multitudinem peccatorum.* *1. Petr. 4.*

Altera proximorum claſſis in quos ſe noſtra charitas extendere debet. Eſt juſtorum omnium viatorum, Incipientium, Proficientium, Perfectorum; Quorum omnium cùm ſtatus ſit Deo gratiſſimus, & in eorum unoquoque Sanguis Chriſti fructum ſuum deſiderabilem habeat: quisquis pro ſuo poſſe adlaboraverit, ut hi omnes proximi in ſuo quisque ſtatu ad meliora & perfectiora proficiant, proficiendique ſtudio & conatu, ſemper amplius, & ampliùs vigeant, ad idque auxiliis Divinis quàm copioſiſſimis cumulentur, iisdem illi promptiſſimè & efficaciſſimè obediendo, ad ampliora Dei & auxilia & dona, & præmia invaleſcant, inque bono & optimo ac Deo gratiſſimo ſtatu permaneant: quisquis inquam in hoc pro ſuæ charitatis poſſe adlaboraverit, is utique pergratam Deo, & Chriſto, & univerſo cælo, rē præſtabit. is de omnibus juſtis, quàm optimè merebitur. is in ſuam propriam perfectionem (nempè charitatem) optimum ſe diligentiſſimumque exhibebit. is denique innumeris ſemetipſum tam Gratiæ, quàm Gloriæ meritis locupletabit: ſiquidem indubitatè, *particeps omnium timentium Deum, & cuſtodientium mandata ejus* erit. *Pſal. 118.*

Ad hoc autem præſtandum, illa eadem induſtria, quæ ſupra eſt, cum de charitate ſuper proximos peccatores ageretur, explicata, percommodè ſubſerviet, ſi nimirum quis charitatem ſuam ad omnes ſimiliter juſtos extenderit, eorumque, & juſtitiæ, ſeu gratiæ ſtatum, & omnes ſingulasque quibus Deo ipſi Iuſti placent actiones, paſſiones & virtutes,

amave-

amaverit ut Dei dona, Deo placita, ex Christi meritis desumpta, iisque ornata & vegetata, eademque durare, proficere, augeri, perseverare, consummari coronarique omni æterno præmio desideraverit, petierit, gratulatus fuerit, & omni charitati suæ industriâ, intensione, extensione, intentione seu applicatione juxta Dei placitum, necnon unitim ad Christi merita elaboraverit, impendendo in eum effectum atque finem, omnes & singulas suas tam personales, quàm ex omnibus reliquis existentibus & possibilibus creaturis, in se derivatas appropriatasque sibi actiones & passiones.

Tertia classis proximorũ super quos charitas nostra sese profundere atque extendere debet. Est Animarum in Purgatorio degentium & inibi justas Divinæ Justitiæ rigori pœnas dependentium. Imperfecta esset atque plurimum manca charitas nostra: si in hac solum vita perdurans, ad proximorum illorum in purgatorii pœnis habitantium auxilium solatiumque sese non despondere; neque extenderet. Quomodo staret illud charitati datum ab Apostolo elogium. *Charitas nunquam excidit?* Quomodo charitas vitæ, continuato tractu, in charitatem Patriæ transire soleret aut posset, si se usq; ad indigentiam proximorum in altera vita, quasi in intermedio ad Patriam cursu, non porrigeret? Itané proximi illi, desinerent esse proximi nostri: extorres ab auxilio, cura, dilectione nostra? Et quomodo charitas nostra pertingeret ad Deum, quæ proximos illos nostros in medio itineris cursûsque nostri positos, ad Deum, vel non posset, vel non vellet attingere, aut amplecti? quomodo charitas nostra Deum diligeret, seu quod idem est, ac optimè Deo ejusque Gloriæ vellet, quæ creaturas illas in purgatorio detentas, & à Dei conspectu fruitioneque, hoc est à Supremo, ultimato, Deique gloriæ gratissimo, laudandi & exaltandi & diligendi genere ac modo impeditas, ab hoc ipso impedimento expedire non posset, aut si posset, tamen pro posse non curaret? Absit hoc à charitatis indole: nunquam illa excidere, nunquam cessare, nunquam interrumpi amat. Ejus vestis tanta est semper, ut omnem latitudinem, altitudinem, sublimitatem, profunditatem, multitudinem, durationem comprehendat, quin & excedat, si quid esset, quo procedere fas illi esset; Extendat ergo sese ad illos quoque miserrimos, inque miseriis desolatissimos, soli rigorosæ justitiæ Divinæ derelictos proximos nostros. quibus ea sola portio Divinæ miserationis est residua, quod nostræ charitatis suffragiis adjuvari, calamitatibusque purgantibus eripi, ac cælo inseri possint. Quod quantâ charitatis nostræ liberalitate præstari possit, subjectum paradigma docebit quod tamen viribus voluntatis charitatisque suæ accommodare & attemperare cuilibet licebit. Igitur anima quæpiam, poterit se tributariam facere animabus purgatorii propter Deum, & Deo vicissim propter animas, hujusce modi tributo.

1.Cor. 13. 3

Dignissima Trinitas unus Deus meus: puro Tui Amore, ut Tu exalteris quantum per me potes, debes, scis, & vis & das, quantum etiam ex Te dignus es; ut Iesu Christo merita sua compensentur: ut Pretiosissima Parens Maria, & Tota quater sancta quaternitas exhilaretur: ut Animabus Tibi dilectis, sed nec dum purgatis Tuoque Beato conspectu nec dum dignis, bene sit: ut earum Sancti Angeli Custodes, cæterique Patroni Sancti fructu curarum suarum, citò & finaliter gaudeant.

Ego N. totius residuæ mortalis vitæ meæ operationibus atq; passionibus quibuscunque Animas illas juvare cupiens & statuens; omnes & singulas actiones & passiones meas, usque ad mortẽ, ipsumque etiam mortis opus, Tuæ Divinæ Majestati offero, applico & dono, & voveo, in omni earum applicabilitate, quâ pro illis applicari illisque prodesse possunt. Exceptis solum iis, quæ quia aliis ob alienam potestatem debeo, non est mei arbitrii Animabus illis donare: quam tamen ipsam exceptionem pro iisdem in auxilium offero, secundùm gustum tuum Domine Deus meus. Nullum omninò fructum omnium operationum perpessionumque mearum mihi reservans, quicunque aliquo modo Animabus prodesse possit coram Te.

2. Præter hoc Domine eodem affectu & voto, promitto ac permitto tibi, illa omnia quæcunque post meam mortem pro me quomodocunque futura sunt suffragia in subsidium animæ meæ (quantum hoc à me fieri congruè tuæ voluntati potest) pro iisdem Animabus Purgatorii, juxta gustum tuum.

3. Insuper & hoc, quod ego ipse post meam mortem, miserante Te, juste passurus sum in Purgatorio, totum propter Te, nunc acceptans, & quoad licet mihi meritorium satisfactoriumve faciens,

quantum possum, & quatenus prodesse Animabus Purgatorii hoc etiam nunc potest, aut tunc forsan poterit, iisdem Animabus, jam nunc dono atque applico.

4. Insuper offero Tibi Deo meo, omnes totius Ecclesiæ tuæ Sanctæ, omniumque Tibi gratorum satisfactiones, quin etiam omnes omnium creaturarum actiones atque passiones, mihi quoquo modo nunc jam appropriatas, & communicatas, & Animabus juxta Sapientiam tuam prodesse idoneas, & nunc jam per me ad hoc applicatas. Meas item satisfactiones, nec non creaturarum omnium mutationes, toti Sanctæ Ecclesiæ ab ejus origine, ad usque mundi finem duraturæ impersonatas: uniendo omnes tam has quàm illas quascunque Domini nostri Jesu Christi omniumque Electorum meritis, juxta gustum Tuum, Animarumque illarum indigentiam.

5. Insuper Domine Tibi offero, promitto, permittoque in subsidium Animarum Purgatorii, totum quodcunque satisfactoriè offertur, & fit, & fiet unquam à quocunque & ubicunque sive in universa Ecclesia, sive in tota nostra Societate, sive à quacunque confraternitate, cui ego participo, sive à quacunque particulari persona, sive in quacunque alia Tibi Domino meo nota placitaque circumstantia pro me vivente uniendo totum hoc, quantum ex me Sanguini meritisque Jesu Christi omniumque Electorum Tuorum, juxta gustum & ad gustum placitumque tuum, & Honorem omni Maximo Majorem.

6. Insuper Domine offero Tibi in Animarum Purgatorii subsidium, totum hoc, quod ego tam in vita mea præsenti, quàm post mortem meam, sive in ipso me, sive in quocunque mei, sciens, nesciens, volens, nolens; jam tamen ex nunc pro tunc totaliter volens ac libens, sive in anima & bonis ejus, sive in corpore, sive in fama, commendatione, memoriave mea, sive denique in quacunque alia re, concernente & attingente me perpessurus sum, usque ad extremi Iudicii diem. Uniendo jam nunc omnem illam perpessionem meritis & passionibus Domini nostri IESU Christi, ad fructum animarum illarum ampliorem, ad Tuam verò gloriam omni Maximâ Majorem.

Insuper Domine, omnem si quem apud Te ex dono Tuo & ex Christi merito pauperculus ego habeo satisfactionum Thesaurum: Tibi totaliter offero, atque permitto, ut eum dispenses in Animas Purgatorii, usque ad exinanitionem & denudationem mei, quoad omnes satisfactiones meas, meritis, satisfactionibusque Domini mei JESU Christi unitas; Solas mihi satisfactiones, solaq; Domini mei JESU Christi merita reservando, sine quibus Tibi gratus esse salutemque æternam consequi, neque valeo, neque volo, quæque adeò infinitæ efficacitatis sunt, ut earum virtus & valor, nullis ad alios applicationibus, ab ipsis applicantibus, (modo aliunde etiã capaces sint) avocari possint. Reservans etiam mihi satisfactiones & intercessiones, omnium Electorum Dei, tanquam fratrum meorum, specialissimè autem Pretiosissimæ Parentis ac Virginis MARIÆ, tanquam Hæreditatis meæ.

Hæc porrò omnia superiùs insinuata, & à me Tuæ, Deus meus Majestati in suffragium Animarum Purgatorii oblata: oblata esse volo, absque ullo meo (quatenus meo) præmio, mihi inde apud Te secuturo, sed in Animas easdem satisfactoriè redundaturo. præmii loco, illud solum cupiens à Te, ut Tu in Tuis, & à Tuis creaturis ampliùs & ampliùs glorificeris: ut quàm plurimis Ecclesiæ Tuæ filiis, gratiam & spiritum, efficaciter tenerum, compassivum, studiosum, liberalem, constantem, erga animas purgatorii juvandas, unà mecum largiaris: utque per meam hanc, quam ex dono tuo concepi voluntatem, & depauperationem, Tuæ quidem gloriæ, animarum Beatitudini, aliquid, sive plenitudinis, sive saltem accelerationis accrescat.

Id ita totum Tuæ Divinæ voluntati, charitati, Majestati ac Dignitati voveo, promitto, juro, & dono, Sanguinisque Jesu Christi Domini nostri, omniumque Electorum meritis, consigno. Nũquàm ut scienter prudenterque ac deliberatè, quantum ad me, sim retractaturus, neque in toto, neque in parte, usq; ad Mortem. Ad quam usque esse volo, & ero servus, operarius, mancipium, Tuum propter Animas illas, Animarum verò propter Te.

Tibi Deo meo omnis & semper major Gloria in sæcula sæculorum. Et Fidelium Animæ per misericordiam Tuam, requiescant in pace. Amen.

Et hæc de profusione charitatis & miserationis super proximos, deque Provisione per eam dixisse sufficiat. quod ad omnes quidem fideles spectat, præcipuè tamen incumbit iis, quorum vita in proximo finem habet: his enim quàm maximè

ximè ipsa brevitas vitæ residua incumbere facit, illud monitum Apostoli. *Animas vestras castificantes in Obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius.*

PROVISIONUM SENECTUTIS
PARS SECUNDA.

Adductis aliquibus Provisionibus Senectutis speculativis, etsi nihilominus exhortativis ad fervens instansq; studium perfectionis in obsequio Divino. in hac altera parte Provisiones practicas tradere aggredimur. Praxes nempè, quibus præteritæ vitæ omnia delicta, quantum ad pœnas eorum omnes, præsertim verò spirituales expiari, errata corrigi, neglecta suppleri, copiosa lucra cumulari possint, adjuvante Divinâ gratiâ, in cujus conspectu facilè est ditare pauperem, & dare virtutem, ut quis in brevi, expleat tempora multa.

PROVISIO I.
Ad omnium peccatorum pœnarumque expiationem.

Quoniam nemo mundus à sorde: ne quidem infans, cujus vita est unius diei super terram: quoniam itē *in multis offendimus omnes:* quoniam etiam *Iustus septies in die cadit:* quoniam *delicta nemo intelligit, & ab occultis suis, nec non ab alienis* sibi adhærentibus mundari petit Sanctus nec non *ignorantias suas* oblivioni tradi: quoniā *de propitiatio peccato*, prohibet nos Sapiens *sine metu esse.* quoniā *nemo scit, utrū odio an amore dignus sit:* imò quoniā nemo nō scit, quòd non amore sed *odio dignus sit*: quoniam mensuram suppliciorum peccato cuique debitorum assignare solus Deus, & alius nemo potest, constat verò, tum Sacræ Scripturæ, tum probatæ fidei exemplis, longè aliter, id est, longè magis peccata nostra in Divino judicio examinari & graviora censeri, quàm à nobis. quoniam de cursu ordinario scire nemo nostrum potest, an condignam & plenam satisfactionem pro aliquibus saltem (quid dicam de omnibus) peccatis suis Deo fecerit. indeque rationabiliter præsumere quisque potest, attento rigore divini Examinis, mollitie nostrâ in pœnitendo, vivacitate affectionis in peccando, crebritate relabendi in eadē & habituatione, scandalis præbitis etiā ignoranter aliis mala nostra imitantibus, aliisque similibus nobis occultis, sed nos gravantibus circumstantiis, apud Deum autem ponderari solitis. potest, dico, quisque præsumere ingentem sibi adhuc coram Deo judice superesse pœnarum exsolvendarum congeriem, quàm necesse sit, vel in hac vita voluntariis, vel in altera Purgatoriis pœnis aboleri: sit verò rationabiliùs hic potiùs satisfacere, quàm sese in purgatorio Divinæ justitiæ manibus, in quas *incidere horrendum est*, expiandum reservare,

(Iac. 3. 2. — Prov. 24. 16 — Psal. 18. 13 — Psal. 14. 7 — Eccl. 5. 5. — Eccl. 9. 1. — Hebr.)

Planè sequitur, ut quisquis sapit, quod fidelem sapere decet (decet autem ita sapere maximè veteranum in scientia Spiritus obsequioque Dei, eundemque simul jam vitæ modicum tempus habentem) sequitur inquam, ut quisquis talis est, dum tempus habet, consulat sibi, rationes expungendorum debitorum secum ineat, easque servet exactè, & assiduè exerceat, donec cum Divina gratia, & omnes præteritas planè expungat, & novas in præsenti, quàm minimas paucissimasque contrahat, contractas, quotidianis pœnitendi & expiandi praxibus aboleat, detque operam, ut quoad potest fieri, cum Deo sine omni tam culpæ, quàm pœnæ obligatione ut plurimū vivat. Cujus rei hæ praxes sint.

Prima; assuescere vitæ Ordinatæ per omnia quoad fieri fas erit, ut nullus fiat à me actus elicitus, imperatus, internus, externus, sensus rationis, humanus, & si fieri potest etiam hominis, qui non sit ex ordine

ordine & prævisione, ex fide & ratione, ex intentione pura & sublimi, intensè, attentè, devotè, applicatè, juxta suas regulas & circumstantias perfectus. Sic fiet, ut rarò, rarissimèque peccetur, leviter, cum celeri advertentia & retractatione, atquè expiatione, & emendatione facili expeditaque.

Secunda. Examinum frequentia, super omnia, quotidiana & non quotidiana opera facta aut facienda: Notus est Sancti Patris nostri mos, in horas singulas sese recolligendi, actionesque inspiciendi. Estque hæc cura commodissima ad evitanda expiandaque simul delicta.

Tertia. Habere & servare præscriptas praxes consuetudinesque, quibus quotidie, quavis hebdomada, quovis mense, quovis anno, omnia & singula totius vitæ peccata ex intentione propositoque expientur.

Quarta. Omnibus & singulis operibus quæ quandocunque aguntur, itemq; passionibus quæ incidunt: (incidunt autem, cùm omnis actio habeat respondentem passionem) adjungere intentionem satisfactionis. seu applicationem ad satisfaciendum, quoniam hominis in gratia positi omne opus satisfactorium est, si præsertim applicetur, & maximè in personis religiosis, quarum status pænitentiæ cum sit, omnis earum actio & passio, erit ex vi status satisfactoria.

Quinta. Actus charitatis Divinæ, contritionis item. Condonationis injuriarum sinceræ, orandi etiam pro inimicis eisque benefaciendi. Misericordiæ in pauperes corporales vel spirituales. Resignationis in omnem Dei voluntatem. Abstinendi ab aliorum censuris, judiciis, damnationibus. item Abstinendi à vindicatione sui, eam etiam apud Deum deprecando. Hi inquam actus tales, testimonio Scripturæ expiant pænas peccatorum: si ergo ceebrò accuratè, ferventerque fiant, inducent immunitatem à multis, aut etiam ab omnibus pœnis.

Sexta. Zelus Animarum tam in hac vita existentium, quàm in purgatorio patientium. qui quanto est insatiabilior, quantoque liberalior, tanto ad hominem à pœnis propriorum peccatorũ eximendum efficacior. *Si eduxeris pretiosum e vili, quasi os meum eris* ait Dominus. Et iterum. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

Hierem. — Psal.

Septima. Vita religiosa, quæ religiosè ducitur, cum observatione omnium exacta, juxta vitam communem debitam, spiritu & devotione religiosâ, nec relinquit spatium peccandi, & ex substantia naturaque sua abolet peccata per modũ pœnitentiæ & quidem gravis atquè diuturnæ, Quodsi ingressus Religionis primus, aut votorum nuncupatio, sunt homini vice Baptismi. cur non etiam, imò & magis, ejusdem vitæ executio quotidiana, eaque diuturna, assidua, pari primæ devotione & liberalitate animi in Deum facta?

Octava. creber usus idemque devotus & diligens Sacrificiorum Sacramentorumque Eucharistiæ & Pænitentiæ; idque saltem spiritualiter (qui creberrimè exerceri potest) per actus.

Nona. Usus Indulgentiarum familiaris, devotus, diligens: quarum indiculum & praxim, seu applicationem ad operationes nostras faciendam, expedit habere.

Decima. Fervens, devota, crebra recogitatio Passionis Domini nostri, itemque Dolorum Matris ejus compassæ ipsi, cum studio experiendi dolores amborũ in ipsis nobis. tam in animo & corde, quàm etiam in corpore. jungendo etiam opera nostra, sanguini, dolori, meritisq; Christi. Itemque in balneo sanguinis & meritorum ejusdem, nostram præteritam vitam & opera vitæ, balneando, lavando, expurgando: nec præteritam solùm, sed & præsentem, omnemque absolutè vitam nostram & opera ejusdem; quæ fuit praxis Sancti Francisci Minorum Patriarchæ.

Undecima. Usus mortificationum tam cordis quàm corporis, adjunctarum meritis & passionis Christi & Matris ejus & Sanctorum, præsertim cùm prævio examine instar Iudicii Divini, & censoriæ severitatis. Mortificationis item, instar Extremæ unctionis, qua omnes potentiæ sensusque in specie affligantur, & expientur peccata iis commissa.

Duodecima. Conferet plurimum ad propositum effectum expiandi omnia & singula peccata à pœnis debitis, singulis diebus, vel aliàs statis temporibus, indicere universalem planctum pœnitentiæ toti tibi. Personæ scilicet & substantiæ tuæ. Corpori & Animæ, potentiis & viribus, membris & partibus, particulis atque atomis, functionibus & capacitatibus, circumstantiis & denique possibilitatibus tuis, ut omnibus his singulisq;, elicias exerasque intentione tuâ, planctum ut dixi & luctum universalem, contritionem, confusionem, confessionem, dete-

deteſtationem, odium, execrationem, retractationem, erubeſcentiam, tædium, propoſitum, emendationem. Ita ut nulla particula tua non laboret conferatque de ſuo totum in expiationem abolitionemque peccatorum, in poſtulationem & emendationem veniæ totalis, in voluntatem, propoſitum, deſideriumque emendationis, emundationisque quam pleniſſimæ coram Deo. Totus peccaſti, dignum eſt ut totus de peccatis doleas & lugeas. Dole ergo ex intima apprehenſione, ſimulque nunc pro ſemper appretiatione, & æſtimatione, ac dilectione actuali, læſæ à te Dignitatis, Majeſtatis, Bonitatis, Benignitatis, Charitatis Divinæ. Etiã dole, ex profunda penetratione abjectionis, indignitatis, malitioſitatis, ingratitudinis tuæ, qui læſiſti, & contempſiſti, & odio habuiſti tantum Deum, & tam in te, inque omnia, & in ſe bonum. Dole autem, eâ ſerietate ac plenitudine, devotæ & amantis amaritudinis, qua doleres, ſi intuitivè (ſecluſa beatitudine) intueeris Deum in omni Majeſtate Amabilitate, Bonitate, Charitate ſuâ quâ doluit Chriſtus, tum aliàs, tum in horto ſanguinem ſudans, tum in cruce agonizans, quâ doleres in articulo mortis judiciique extremi, particularis ac univerſalis. Dole digne Deo, adæquatè tuis peccatis tuæque vilitati; dole totâ omniſpoſſibili proportione fervoris dolendi, & amandi; dole toto Te.

Decima tertia. Ad hoc etiam propoſitum conferet, quoties Sacramentaliter confiteris, ita confiteri, ut in animo intentoque habeas omnium totius vitæ peccatorum odium & dolorem, item retractationem, & emendationis propoſitum deſideriumque, ſaltem conditionatum. ſi poſſunt, ſcilicet, præterita, & in quantum poſſunt retractari. Item confiteri quantum ſat videbitur omnia quoq; totius prægreſſæ vitæ peccata, per quæ quomodocunque Sanctiſſimæ Trinitati diſcipliciuiſti: tum etiam, peractâ confeſſione, ſatisfactionem facere, intuitu omnium totius vitæ peccatorum expiandorum. ut hac ratione omnis particularis Confeſſio, fiat quaſi Generalis.

Decima-quarta. Habere inſtitutum quoddam Purgatorium Spirituale, ex variis claſſibus Exercitiorum compoſitum, in quo ſtatis temporibus expurgatio fiat peccatorum & pænarum iis debitarum. Qua de re alibi.

Decima-quinta. Semper habere aliquam moleſtiam ſeu cordis ſeu corporis: A ſponte vel aliunde oblatam, acceptatam tamen in eum finem, ut ejus libenti toleratione cum unione Sanguinis Chriſti meritorumque Pretioſiſſimæ Parentis & omnium Electorum, ſatis fiat Divinæ Majeſtati, Juſtitiæque pro tuis omnibus peccatis.

Decima-ſexta. Habere in more ut quoties aliquem cognoſcis defectum tuum, eum pluribus actibus, oppoſitis, aut aliis virtuoſis compenſes, nec non (ſi licet) pœnalibus: adjunctâ, vel præviâ retractatione, & emendationis propoſito.

B

PROVISIO II.
Ad Juſtitiarum imperfectarum perfectionem.

CONſidera hanc eſſe miſeriam noſtrã, quam diu in hoc pulvere gradimur vitæ fragilis & mortalis, quod non tantum multa paſſim peccemus, ſed etiam ipſas noſtras perfectiones imperfectè, diligentias negligenter, fervores tepidè, bonitates minùs bene, Divino oculo judice operemur, fallentes non rarò, neq; parùm nosmetipſos. Hoc niſi ita eſſet, C ut quid Dominus minaretur, ſe accepto tempore Juſtitias judicaturum? ut quid Apoſtolus diceret: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: etenim qui judicat me Dominus eſt?* ut quid diceret alius Apoſtolus, in Judicio Dei, juſtum vix eſſe ſalvandum? ut quid diceret deprecans Deum David. *Non intres in Iudicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens,* etiam ſcilicet juſtus? ut quid Sanctus Job dicit. *Si juſtus fuero non elevabo caput.* & petit, *in inferno potius abſcondi, quàm in Iudicium ejuſdem adduci?* Ut quid denique Iſaias affirmaret: D *Facti ſumus ut immundus omnes nos: & quaſi pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ.* Quocirca Job juſtiſſimè ſimulque humillimè confitetur de ſe. *Quantus ſum ego, ut reſpondeam Deo, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam ſi habuero quidpiam juſtum, non reſpondebo, ſed judicem meum deprecabor.* Et dat rationem ſubdens. *Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt: ſi æquitas Iudicii, nemo audet pro me teſtimonium dicere. Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem oſtendero, pravum me comprobabit.* Ergo ex mente tantorum Sanctorum, ſi ad rigorem Examinis diſtricti Iudicis veniant juſtitiæ noſtræ, nec fidere iis poſſumus, & timere iis debemus. Si eas vel à Chriſti meri-

Iob: 10. 15.

Iſa: 64. 6.

Iob: 9. 14.

Ibid: v. 19.

Nnn tis atq;

tis atque gratia, vel à miseratione Divina separaverimus.

Quo posito benè prudentis consilii est, justitias suas benè suspectas habere, & timere, ne iis dicat Christus Dominus illud. *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.* semper autem & inquirere & habere adhibereque rationes, quibus suæ plenitudini reddantur, seu quibus ad perfectionem justitiæ perducantur. Tales enim Dominus & desiderat, & commendat servos, cùm ait. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*: nempè completam & perfectam: quoniam ipsi saturabuntur ejus plenitudine, quando dabit eis Dominus, *ut dies pleni inveniantur in eis.*

Apoc. 3. 2.

Matt: 5. 6.

Psal: 72. 10.

Hoc verò omnibus quidem Dei servis curare consultum est: at consultissimum iis, qui jam vident propter ætatem & elapsam & devexam, non posse non esse sibi Tempus breve & reliquum, non posse Dominum longè abesse, sed potiùs prope esse. talibus enim, nisi de numero fatuarum Virginum sint, incumbit promptè, & vel de nocte media consurgere, lampadesque non solum ornare, nec solum accendere, verùm etiam & inprimis quidem oleo implere. Cujus rei præstandæ antequam aliquas ponam praxes, præmittam aliquas utiles necessariasque observationes.

Prima eaque fundamentalis observatio sit desumpta ex D. Thoma. *Perfectionis & perfectorum proprium esse, omnia perfectè elaborare. quod nisi fiat à perfectionis sectatoribus professoribusq́, eorum opera, quantumlibet ex substantia sua sint, videanturvè perfecta, non erunt revera perfecta.* Ex hoc proindè surgit,

2. 2. quæst. 68.

Secunda Observatio. Vulgatissimum esse, eorum qui perfectionem quærunt & amant, errorem in eo: quòd ambitiosissimè, magna, grandia, atque, ut illi vocant, Heroica & perfecta, mirabilia, & oculos mentesque omnium rapientia, operari queant & gaudeant, in eoque & summam, & praxim perfectionis ponant, nihil de eo, parumvè aliquid soliciti, ut quidquid laborant, perfectè elaborent. Cùm tamen juxta sapientes, & juxta ipsissimam veritatem, proprium sit perfectorum & perfectionis, perfectè operari. Alibi hoc argumentum fusiùs tractatum est, hic ejus locus non est. Sit interim.

Tertia observatio. alterius erroris, quem etiam perfectionis cupidi sæpè errant: nimirum, quia magis volunt multa operari, quàm benè: malunt numerum, quàm valorem operum. quod perinde est, acsi quis mallet multos obolos, quàm unum aureum, multa vasa testea, quàm solido ex auro unum factum habere. Atqui certò certiùs est, apud omnes rectè æstimantes, maximèque apud ipsum Deum: Minimum, & Naturâ specieque suâ licet vile opus, perfectè elaboratum, esse præstantiùs atque pretiosiùs, pluribus operibus bonis, at non benè, non, inquam, perfectè elaboratis. Hic perfectorum error, à spirituali quadam avaritia profluit, quâ volunt citò & multùm coram Deo ditari, sed in modo ditescendi errant, nam uti dixi, coacervare multa testea vasa seu opera meritaq; volunt potiùs, quàm unum auro solido gemmisque factum. oblti illius proverbii. *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Quocirca, qui hoc inter detrimenta vitæ suæ ponũt, si pauca & lentè, sed perfectè elaborant, hi hunc errorem deponant opus est. magisque credant Divino, quàm suo sensui. Deo enim non placet multitudo filiorum (operum) inutilium. plusque ipsa Sapientia æstimavit ac probavit duo minuta à paupere vidua missa in gazophylaciũ, quam multorum profusam pecuniam; affirmans, eam plùs omnibus dedisse, non plus numero, sed plus animi dantis pretio. quoniam Deus devotione pascitur & delectatur, non numero. & non attendit ad quantum, sed ex quanto, neque acceptat verba, sed adverbia.

Prov. 13. 11

Quarta observatio. Opera nostra alias bona & præclara de se, infici tamen solere potissimum. 1. Vel quia ipse operans, non satis est gratus Deo, eo quòd non satis etiam sit purgatus coram ipso. 2. Vel quia intentione non satis purâ defecatâque operatur. 3. Vel quia angusto, ignavo, illiberali animo affectuq; (quod sine devotione dicimus) operatur. 4. Vel quia non secundum debitas operi circumstantias operatur. 5. Vel denique quia non usque ad consummationem operatur.

Quamobrem qui vult perfectionem in suis moribus operibusque, & consequenter in se, vitaque sua obtinere, opposita quinque adhibeat in operando media. 1. Nitorem & munditiē cordis. 2. Puram & ab omni creatæ portionis intuitu liberam, in solumque Deum propter Deum directam Intentionem. 3. Diligentissimum, ferventissimum, liberalissimum animi in agendo conatum & affectum. 4 Debitarum circumstantiarum omnium nexum. 5. Et denique ultimam finalemque operationi & operi manum. quandoqui-

doquidem in suo sacrificio quod Holocaustum vocant, neque ungulam, neque caudam, neque pilos deesse vult Deus noster.

Quinta observatio est, unicam tantum rem agere, non autem plures simul. Nam pluribus intentus, minor est, neque sufficit ad singula sensus. Et experientia novimus, quòd dum aliquid primarium agimus, & interim etiam aliquid aliud esto leve expedire veluti obiter volumus, ab illo primario opere nostram attentionem abduci, in hac autem levicula actione defigi: estque hæc illusio nõ infrequens, insipiens, & perfectioni operum nociva proinde vitanda.

Sexta observatio. Etsi unica solùm agenda res & actio sit, agat tamen eam totus homo, & non unica vel alterâ parte potentiâq; sui. Sic enim unum opus bonum, poterit simul & semel pluries agere, quod alioqui semel tantum egisset. Exẽpli gratiâ. Orat quis horas canonicas flectendo, aut stando, aut sedendo, aut ambulando, si ad orandum tantum applicat mentem, seu rationem & voluntatem, & linguam, solâ mente & linguâ orabit, at si etiam ad orandum sua intentione, applicabit oculos quibus legit, aures quibus audit, manus quibus tenet aut volvit librum, pedes quibus vel stat, vel flectit, vel ambulat, os & pectus quibus respirat, reliquasque sui partes, quibus inter actionem orationis illius utitur, toties iste horas suas orabit, quot erunt variorum membrorum ab eo simul exercitæ actiones inter orandum, mente vel linguâ. Hæc enim ab intentione & applicatione dependent volentis, & vim habent. Quod meliùs patebit ex observationibus sequentibus.

Ad hanc autem adhuc addo aliũ sensum, usumque hujus observationis præsentis: etenim hac observatione, quâ totus homo agit quando agit, non tantum possumus unum opus pluries simul agere, modo explicato: sed etiam possumus plura simul opera disparata & distincta agere, absque detrimento actionis principalis & per se ad agendum assumptæ. exempli gratiâ. Orat quis canonicas horas modo dicto. ad hanc actionem expediendam, sufficit mentem & linguam cum cæteris suis modis adhibere. ambulatio, flexio, libri tentio aut volutatio, respiratio, aliarumque partium & potentiarum exercitatio, ad horarum recitationem est de se impertinens: ergo ista omnis concomitantium actionũ varietas, potest ad alios aliosque fines juxta arbitrium voluntatis humanæ applicari, atq; ad eos exerceri: sicut potuit ad horarum canonicarum recitationem intentione simili dirigi. Quare ore & mente horas dicet, ut satisfaciat obligationi, standi vel flectendi; laborem, dabit animæ purgatorii; respiratione aspirabit ad Deum ut dilectum. & sic de aliis. Neque opus est, inter recitationem horarum, has omnes applicationes in memoria actualiter volvere, id enim esset contra quintã observationem, sed eas sufficit semel initio fecisse, neque mutatione interrupisse. censebuntur enim virtualiter durare, dũ durabunt actiones ipsæ applicatæ.

Septima observatio est Augustini de operibus nostris, quòd & illa loqui possint, nosque per illa loqui possimus. Habent enim & illa linguam suam, & possunt à nobis adhiberi, pro lingua aut cordis animique motu. Sic quærenti ex nobis alicui homini, ubi sit venale vinũ? possumus hoc narrare voce, possumus intenta in locum manu, possumus ostensa hedera, potest hoc ipsamet exposita præstare hedera. Sic iram internam, non sola voce, sed etiam contracta fronte, aspectu torvo, minitante manu, possumus eloqui, seu manifestare. Sic ipsi, imò verò maximè Deo ipsi, non sola lingua, nec sola mens, nec solum cor loquitur, loquuntur etiam genua flexa, oculi elevati, tensa brachia, sublatæ junctæque palmæ. Quemadmodum etiam Deus ad nos non tantum voce loquitur, loquitur etiã rebus & operibus, adeoque omnis res, omne opus Dei, lingua est Dei. Mugiant tonitrua in âere, nonne loquitur nobis se esse terribilem & timendum? dat beneficia? nonne ait nobis, dilige me: quoniam bonus sum? &c. Ita tot sunt linguæ Dei, quot creaturæ, quot opera manuum ejus. Pari ratione & nos sumus instructi infinitis instrumentis loquendi cum Deo, eique sensus mentis nostræ explicandi. dummodo non desit intentio & applicatio, voluntatis nostræ liberæ. quæ una potest omnem rem, omnemque actionem suam animare, ut loquatur Deo quidquid vult, laudem, amorem, timorem, adorationem, subjectionem, gloriã, gratiarum actionem, pœnitentiam, admirationem, desiderium, fidem, spem, sustinentiam, resignationem, obedientiam, humilitatem, orationem, postulationem &c. Sicut enim oro Deum pro sanitate corporis, quando illi verbaliter dico. Sana me Domine ab infirmitate mea. ita quoq;

Prov. 15.

Habet similem sensum etiam Ambros: lib: 1. in Offic: C. 41. Habet & sanguis vocem suã, quâ clamat ad Deum.

quoq; id ipsum ab eo peto, quando pauperi stipem do hac, impetrandi intentione, aut quando injuriam condono.

Sic, quando ambulationis, aut scriptionis, aut externæ laborationis meæ gressus, motusvé manus, calami, instrumenti facio, ut me coram Deo tot vicibus humilem, quot gressus faciam, tot sine dubio erunt humiliationis actus, quot pedum gressus, quot manus calamique motus. non minùs, quàm si vel corde solo, vel etiam ore repeterem sæpiùs sæpiùsque. Domine propter te, vilifico me. Domine vilis & vilitas sum &c. Habent enim opera linguam suam, seu possumus nos, nostrâ voluntate, operibus nostris dare linguam suam.

Sic pro beneficio accepto à Deo, possumus agere gratias, non corde tantum aut linguâ, verùm etiam victoriâ aliquâ nostri, in finem gratias agendi Deo. si verbi gratia, non obsequar curiositati oculorum vel aurium, si non obediam impatientiæ, si actum charitatis fraternæ, vel obedientiæ ad Prælatum aut regulâ faciam. Ita enim omnia opera loquentur Deo gratias, melius etiam, quam si lingua tantum, aut cor diceret idipsum.

Addo; hac eadem ratione posse nos omnem creaturam etiam brutam & inanimatam, omnesque ejus actiones, vires, partes, circumstantias facere loquentes, Deo gloriam & honorem & gratiarum actionem, postulationem, adorationem, obedientiam, humiliationem, & omnis generis affectiones dignas Deo, tam pro nobis, quam aliis, quàm pro seipsis. Cujus rei luculentum exemplum est, Canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Et Davidis Psalmi plures, nominatim *Laudate Dominum de cœlis.* Adhuc addo: hac eadem ratione, posse nos omni actione nostra, (imò & aliena per nos ad id directâ, quantum ex nobis) disponi ad gratias Dei actuales & habituales, disponi item ad Sacrificium Missæ Sacramentumque, dummodo animentur ista intentione, & ad gloriam Dei fiant, diriganturque eâ intentione, ut insuper disponamur per eas ad fines prædictos gratiarum, communionum, contritionis, satisfactionis pro peccatis aut Animabus purgatorii &c. &c.

Dan: 3.
Psal. 148.

Octava observatio. præcedentes illustrans & fundans est, tenendam esse naturam, potestatem, vastitatem comprehensionemque nostræ liberæ voluntatis, ejusque usum & praxim simul, sciendam & exerendam exercendamque. Voluntatis ergo nostræ tanta est vastitas, & capacitas, & natura, & potestas, ut quantumcunque & quocunque voluntate nostrâ liberâ intendimus, eo etiam ejusdē activitate & actione pertingamus. idem enim & unum ista in voluntate nostra sunt, aliquid vel aliquo intendere, & eodem actione pertingere. Itaque si voluntas libera extendit se intentione sua tantùm ad tres verbi gratiâ ulnas, actio ejus etiam tantum trium ulnarum & ad tres ulnas erit. at si intenderit & porrexerit se ad centum milliaria, etiam actione centum milliaria cōplectetur: quia voluntatis intendere, est actione pertingere. ita ut non ulterius actione pertingat, quam intendat, nec ulteriùs intendat quam pertingat. Estque hoc soli voluntati nostræ liberæ proprium: aliæ enim potentiæ nostræ id non habent. Non enim possumus auditui vel visui nostro præscribere, ut non nisi ad tantum spatium audiat, videat, videatvé. sed sæpè citra, sæpè ultra extenditur, quàm volueramus. At voluntatis intentio & ejusdem actio adeò commensurantur invicem, ut altera alteram nihil excedat. Hac voluntatis nostræ proprietate in intendendo scire uti in spirituali negotiatione, & vitâ & acquisitione perfectionis atque augmento, singularis artis est, maximi fructus, modici laboris. Solus enim est hic labor, Intendere. Sit in hoc liberaliter assiduus, assidueque liberalis, imò avarissimè avarus lucrorum spiritualium conquisitor: & sine dubio tantum lucrabitur atque ditescet, quantum intendet. juxta illud Domini dictū ad populum suum. *quemcunq; locum calcaverit pes vester, vester erit.* quousque enim sese pedes voluntatis nostræ intentione extendent, eodem efficacitate & lucro profectuque pertingent.

Deut. 11. 2
Iosu: 1. 3.

Nona observatio. In via & vita & negotiatione spirituali (tam verbi gratiâ in expiandis peccatis, quàm in supplendis imperfectionibus, quàm in compensandis omissis, quàm in conquirendis magnis meritorum & profectuum lucris) sciendas & adhibendas esse artes quasdam compendiosas seu breves, quoad laborem, amplas autem & vastas quoad fructum. Sunt enim in vita spirituali etiam viæ compendii, per quas qui currunt præveniunt sæpe multos, *& consummati in brevi explent tempora multa.* eoq; perveniunt in perfectione, & meritorum, atque virtutum, & gratiarum Dei opulentiâ, quo plerique per multos & annos & labo-

2. Reg. 18. 2

labores, vel nunquam, vel vix perveniunt. Tractavi hoc argumentum aliàs: nunc locus non est, tantum attexo istas compendii vias aliquas, seu dictamina ampla & vasta.

Tale ergo est. 1. Continuam suimet abnegationem & perditionem quærere & exercere, Suimet dico, nempe Amoris, sensus, honoris, excellentiæ ac libertatis judiciique proprii. Ut homo in nulla re seipsum quærat, sibive faveat, maxime in puncto honoris & famæ contra cujus amorem, curam, tutelam, quanto animosius depugnârit, tantò celeriùs proficiet copiosiùsque. Qui hoc punctum in ultimos annos vitæ spiritualis rejiciunt, valde tam se, quàm alios seducunt. puniuntur à Deo tarditate & parcitate profectus: tepiditate spiritûs, aliisque incommodis, quorum fontes alibi deteguntur. Ab hoc certè ordiri nos conversionem nostram docet Dominus toties dicens. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Qui amat animam suam perdet eam.* Proinde qui hoc studium differendum putant, Christi doctrinâ corrigunt, suam ignaviam nutriunt.

Luc. 9. 23. Matt. 16. 25.

2. Præsentiæ Dei studium assiduum & accuratum. Efficacissimum verò ad profectum divitiasque spirituales instrumẽtum, quod quia vulgò est laudatum & explicatum, & meliùs experimento discitur, quàm verbosa commendatione, sit satis hoc de eo dixisse: Dei amati & dignè appretiati jugem memoriam, esse acceleratæ & supremæ sanctitatis, perfectionisque fodinam.

3. Vitæ communis & Observationis regularum omnium ad literam, inverecundum (liceat ita loqui) & cæcum ad respectus humanos studium. Hac via incedere tutissimum Religioso præsertim. Neque est ad juvenes amandandum, sed à senioribus quàm maximè observandum: eos enim maximè decet, quorum vita veluti viva regula omnibus esse debet. Et omninò absurdum est, ut veterani ab Junioribus indignentur aliquid agi, præter communem disciplinam, ipsi autem permittant sibi, & velint permitti, ut possint impunè esse, supra, extra, contra disciplinam. Qui est per omnia subjectus Regulis (scriptis aut vivis, nihil refert) & communi disciplinæ ad mortem, hic sine judicio ad beatam vitam admittetur. Non enim in ejus quidquam reperietur actionibus, quod jam ab ipso Deo non sit canonizatum per regulas.

Deut. 11. 2. Iosu. 1. 3. 2. Reg. 18.

4. Dictamen amplum & vastum simulque compendiosum est. Ordinaria opera, sed non ordinario modo, non perfunctorio, non ex usu, non ad oculum, non ad præmium, verùm exactissimo modo & dignè Deo facere. Grande dictamen & præcedenti consimile.

5. Est Obedientia & dependentia in omnibus etiam minimis animi designationibus & motibus, à directione Superiorum Patrumque Spiritualium: instar simplicissimorũ parvulorum. Ita ut Majoribus anima conscientiaque sic pateat, quomodo vasa crystallina in lucem adducta, transparent intuentibus. Quantum sit sanctitatis, compendium & perfectionis in hoc dictamine, nosse qui cupit, experiri velit.

6. Est Resignatio in Dei omnem secundum quascunque conditiones voluntatem, tam circa nos, quam circa quascunque creaturas, pro beneplacito suo ordinantis. Ita sine nostra voluntate in omnibus simus, præter quàm in hoc uno ut omnia juxta Dei voluntatem, propter ipsammet Dei voluntatem velimus. De hoc pluribus alibi, nec semel dictum à me. Nihil attinet repetere. Plura etiam dictamina non addo. longior enim est hæc provisio, quàm voluissem, quanquã hæc una, etiam sequenti, imò fors & sequentibus subserviet.

Ex dictis colliget quisquis justitiarum imperfectarum perfectionem supplere desiderat, quibus cum praxibus, quibusque artibus & observationibus ad hoc tendere oporteat. 1. Dabit enim operam, ut omnia perfectissime elaboret. 2. Ut opera sua, sive maxima, sive minima ex se sint, maxima modo operandi faciat. 3. Ut si fortè multa perfectè elaborare non possit, elaboret pauca, elaboret vel unum. certus, plus Deo & gloriæ & gustus, itemque sibi meriti & profectus esse ab uno perfectè elaborato opusculo, quàm à multis, sed non perfectis. 4. ut puro corde, pura intentione, pleno studio & affectu, pleno omnium debitarum circumstantiarum comitatu, adusque finem, seu vitæ, seu operandi cum perfectione modi peragat. 5. Ut in agendo nec multiplex, nec festinus sit: neque æstuet ad hoc, ut multa in arcto tempore perficiat sed omnia tempus habeant, neq; alia aliis obstrepant. Optimè tempus collocat, quisquis illud in singulis operibus suis perfectè consummandis collocat, perdit autem non lucratur tempus, qui non quàm Benè, sed quàm multa faciat

faciat attendit. Res tibi ſerviant, non tu rebus. itemque tempus eſt (& ſit)propter res atque actiones,non contra. Vulgo dicitur & benè. Quod citò fit, malè fit, ſeu citò perit. Et qui duos lepores uno cane, captat ſimul, neutrum capit. 6. Dabit etiam operam, ut totus agat. Sic enim multiplicabit opera & lucra, labore vel nihil, vel penè omninò nihil multiplicato. 7. Animet etiam non tantum ſeipſum, nec tantum opera ſua, ſed res omninò omnes, earumque operationes in ſuum Spiritualem fructum Deique obſequinm, & gloriam. Idque voluntatis & intentionum ejus uſu quàm vaſtiſſimo & capaciſſimo. Ad hæc autem ſectetur vias compendii. Denique per hæc omnia illud intendat, ut (præter alias intentiones) juſtitiarum ſuarum imperfectio perficiatur, & ſua plenitudo in quantum ab ea deficiunt, impleatur & etiam ſuperimpleatur.

PROVISIO III.

Ad fæcunditatem perfectionis & meritorum in operibus.

CONſidera; quod ſi quid ad Proviſionem Senectutis pertinet, hoc certè pertinet, ut qui ſe in declivi ætatis videt, in hanc ſe præcipuè curam effundat, ut quæcunque interea operatur,operetur quàm perfectiſſimè, ac per hoc etiam, quàm fæcundiſſimè, Et quidem ad hoc propoſitum non deeſt nobis Divina incredibilis ac faciendum nobis bene liberalitas, dummodo nos in eâ acceptandâ nobis, & Deo non deſimus. Præter quā enim, quòd unis iiſdemque operibus & operationibus, tum præterita expiare peccata, tum præteritas bonorum imperfectiones ſupplere, inſuper etiam nova lucra, hoc eſt novos profectûs facere, nova merita comparare poſſumus, & quidem in ea excellentia atque copia, in quantam ſeſe noſtræ voluntatis extendere ſtuduerit intentio. Quocirca,quæcunque in duabus proviſionibus prædicta ſunt, quæ praxes inibi intimatæ, eæ omnes ad hoc quoque ſervire nobis poſſunt, quod hac proviſione intendimus: ſcilicet ad locupletandum nos meritis, gratiis, virtutibus, perfectione in operibus noſtris. Et nihilominus poſſunt aliæ praxes ad eundem finem inveniri & adhiberi, quæ ſimiliter duabus primis proviſionibus perinde poterunt deſervire.

Etſi verò jam ante explicatum eſt, quoſnam fructus operum noſtrorum nos habere poſſimus, tamen & hic proderit eorum memoriam revocare, & indiculum forſitan pleniorem, quàm ante retexere.

Igitur omni opere ſuo bono, benè facto, juſtus quis, & in gratia Dei poſitus, poteſt. 1. Deum laudare, adorare, venerari, diligere. 2. Poteſt ejuſdem voluntatem ſive præcepti, ſive conſilii,ſive beneplaciti ac ſupererogationis, ſive quaſi talis adimplere. quòd addo ideò: quia etiam præceptum opus, poteſt impleri ſupererogativâ voluntate, & ac ſi, aut etiamſi præceptum non eſſet. 3. Poteſt eidem Domino pro beneficiis ſibi, totique univerſo impenſis, naturalibus, Supernaturalibusvè gratias agere. 4. Poteſt coram eodem Domino ſuo, plurimos virtutum actus Theologicarum & Cardinalium, in hiſque ſpecificè contentarum peragere, vel tanquam pro iis actibus vice illorum ſua (quin & omnium aliarum creaturarum) opera ſubſtituere. 5. Poteſt iiſdem operibus ſuis tanquam orationibus poſtulare & impetrare à Deo, ſibi, aliiſve gratias naturales Spirituales, Supernaturales, temporales. 6. Poteſt adhuc iiſdem ſuis operibus ſatisfacere pro peccatorum ſuorum vel etiam alienorum pœnis,niſi quid obſtet & juxta applicationem ſuam. 7. Poteſt ſupplere partim omiſſiones, partim imperfectiones, partim alia debita, ac etiā non debita, ſed ſolum ſi fuiſſent peracta, nobis profutura Deoque placitura. 8. Poteſt etiam iiſdem ſuis oderibus homo juſtus mereri apud Deum ſibi. 1. Gratias actuales auxiliaque opportuna ad omnis generis bona ſpiritualia (gratias primas & finales excipio) 2. poteſt deinde mereri gratiarum habitualium & ſanctificantium, noſque amicos Dei facientium gradus, & incrementa majora & majora, pro perfectione operum. 3. Poteſt adhuc mereri augmentum charitatis Dei & proximi, quoad habitum ejus ſive charitas iſta ſit quid diverſum in ſubſtantia ſua ab Habitu Gratiæ, ſive non. 4. Poteſt quoque mereri augmentum cæterarum omnium virtutum Theologicarum & Moralium, quæ ad augmentum Gratiæ Sanctificantis & charitatis in nobis augentur, ſimul cum donis & fructibus Spiritûs Sancti. Poteſt præterea mereri alia quoque bona juxta intentum ſuum & Dei placitum, etiam temporalia ac naturalia. Denique poteſt mereri incrementum Gloriæ in Cælo, quæ ſecun-

dum

dum gradus amicitiæ Dei, ſivè gratiæ habitualis, proportionaliter, & quidem exceſſivè nobis hic quidem debetur, in altera vita exhibetur. 9. Iiſdem ſuis operibus bonis juſtus poteſt ſe diſponere ad plurima bona, ſecundum intentionem ſuam, aut ſecundum Dei placitum, ſive fuerint illa ordinis Naturæ, ſive etiam gratiæ.

Hi verò fructus pænè omnes operum noſtrorum, poſt Dei placitum, ex ejuſdem ordinatione pendent potiſſimum, à voluntatis noſtræ in talibus fructibus intendendis appetendiſque extenſione, liberalitate, capacitate, ut aliàs dictum eſt.

Quocirca hæc ſit Prima ad coacervationem fructuum id eſt meritorũ & perfectionum quàm maximam ex noſtris operationibus praxis, Voluntatis noſtræ quàm maximè dilatare intentionem atq; tendentiam. Cujus extenſionis dilatationiſque expedit formulam habere confectam, quàm etſi quiſque perfectorum meliùs atque pleniùs pro ſuo guſtu parabit, eam tamen hic ſubtexam.

Sanctiſſima Trinitas DEUS Pater. Fili. Spiritus Sancte. ego N. volo & intendo, eſſe & mutari, agere & pati, ex, & cum gratia tua, ſine qua nihil ſum, ex voluntate & electione mea deliberata, omnem voluntatem tuam, ad voluntatem tuam, omnes & ſingulas actiones meas, paſſioneſq; quocunq; modo meas, affectu, guſtu, corde tuo Divino, nec non ad Tuas Divinas ad intra & ad extra, ad IESU Chriſti quoq; Domini noſtri erga Te, erga ſe, erga nos, item ad Pretioſiſſimæ Parentis omniumq; electorum intentiones, intentionumq; ſublimitates, adæquate obligationi capacitativè meæ, imperſonatè etiam ad omnes & ſingulas creaturas, pro, & cum omnibus illis, actionibuſq; earum omnibus & ſingulis, mihi appropriatis, ac veluti meis & à me factis, Sacrificando & Holocauſtum de me Tibi per omnes eas faciendo, Heroicè & quoad fas ſuper Habitum. omni intentione, extenſione, intenſione, liberalitate, attentione, mentis, affectus, actus, exceſſus, ignitionis, capacitatis, omni proportione, omni circumſtantia atomicè, abyſſaliter, inſatiabiliter, inceſſabiliter, omni poſſibiliter, cuncticreatè, cunctibeatè, cunctiſeraphicè, Marianè, IESV-Chriſtiformiter, Divinè: Sine ullo mereri, certè non propter ullum mereri, ſine nidulo quietis, ſine portu voluntatis, ſine ſpe & intereſſe Amoris proprii. Deſperativè prorſus de me, ſperativè in Solo Te. Cum expectatione & acceptatione & aviditate & poſtulatione (ſecluſo proximi peccato) cenſuræ, linguæ, ingratitudinis, contemptus, ſterilitatis, impedimenti. Ad confuſionem mei, ad ſpem & amorem Crucis, ad menſuram Dignitatis tuæ, debitiq; ad Te mei. Ad menſuram amabilitatis tuæ.

In finem confeſſionis, dilectionis, adorationis, laudationis, deſiderationis, gratiarum actionis tibi, imitationiſq; tui. In finem impetrationis, meriti, ſatisfactionis, ſuppletionis damni & debiti omnis. In fine balnei & expiationis maculæ omnis, ſicut tu potes, ſcis & vis. Tanquam primum & ultimum ſalutis meæ, Laudis Tuæ, exaltationiſq; medium. Semel pro ſemper. In omne bonum Univerſi, cum abyſſali præſentiæ Tuæ amore & reverentia, Dignè Te, Dignè IESU Chriſto, dignè Pretioſiſſima Parente, dignè Electis omnibus. Dignè mercede IESV Chriſti & Pretioſiſſimæ Parentis operariorum meorum. Ut Tibi placeam: quia mihi places, ut mihi placeas, & omnibus placeas, ut Tibi omnes placeant, ampliùs & ampliùs. Ut deniq; ſis id quod es in æternum & ultra, & quãdiu Tu es. Sanctiſſima Trinitas unus Deus. Amen, Amen, Alleluia, Alleluia. Fiat, Fiat. Alleluia, &c.

Huic praxi, quod quiſque vult addat, vel ſubducat pro ſuo ſenſu. Hæc tamen praxis inſtruere poteſt, aut ſaltem intimare complures alias praxes, quibus fæcundatio operum noſtrorũ aggerari poteſt accumularique fructus eorum: ferè enim ſingulæ voces hanc fæcundationẽm redolent, inſinuant, extenduntque. Addo tamen inſuper aliquas praxes, ad idem propoſitum facientes. Sit igitur.

Secunda praxis, valens tum ad fæcunditatem fructuum, tum ad conſervationem praxis, tam præteritæ, quàm omnis alterius, per ratificationem & innovationem illius frequentem, hac vel ſimili formâ.

Volo & intendo, ut omnis motus meus (ſive propriæ perſonæ meæ, ſive perſonatè ad omnes creaturas earumq; motus) ſit renovatio intentionis (prædictæ) atq; approbatio illius æterna. Vel certe hæc paulò plenior.

Sanctiſſima Trinitas Unus Deus, Tuas Divinas, necnon IESV Chriſti, Pretioſiſſimæ Parentis, omniumq; Electorum, & meas intentiones intentionũq; ſublimitates, omnes & ſingulas, & quæ unquam bona bene volui, volo & rata habeo, quæ verò unquam mala, malè volui, nolo & irrita habeo, ſemel pro ſemper. in omnimoda proportione formalitatis & fervoris, ad guſtum Tuum in me & meum in Te ſaginandum, devotionemq; meam & voluntatem tuam explendam, in Æternitatem. &c.

Tertia praxis uno atque eodem actu, licet ſenſu & intellectu diſpari, affici erga Sanctiſſimam Trinitatem, erga Deũ Hominem, erga Pretioſiſſimam DEI-Hominis Matrem, erga omnes Electos & Sanctos Dei. Cõprehendendo has quatuor claſſes Sanctorum unâ congruâ appellatione atque affectione, habendo & intendendo ſenſum congruum cuilibet prædictæ claſſi. Sanctiſſimæ quidem Tri-

nitati

nitati Latreuticum simpliciter. Deo-Homini Latreuticum etiam propter unionem Hypostaticam. Pretiosissimæ Parenti Hyperdulicum, propter ejus excellentiam. Electis & Sanctis Dulicum. Et appellatio quidem seu titulus his omnibus classibus Sanctorum communis esse potest, hic verbi gratiâ. *Quater-Sancta quaternitas:* vel *Quater-Sanctus quaternio:* propter quatruplicem numerum atque etiam gradum & modum sanctitatis. Affectio autē, & actus pius quicunque esse potest sensu mentis & intentione voluntatis attemperatus cuique gradui, verbi gratia Amoris, Adorationis, Benedictionis, Dignificationis, exaltationis, postulationis, laudationis, Desiderationis, gratiarum actionis &c. Ita ut una quidem vox sit v. g. Amandi; sed diversus sensus erga Sanctissimam Trinitatem; scilicet Latreutici amoris, itemque erga Christum, propter eandem rationem: erga verò Pretiosissimā Parentem, sit amoris Hyperdulici, erga Sanctos autem & Electos Dei, sit Amoris Dulici.

Paradigma esse potest hujusmodi.

Quater-Sancte quaternio Toto te, toto me. Amo, Beatifico. Laudo. glorifico, exalto, adoro, &c. Te, & volo Tibi, omnia Digna Te. Digne Te.

Quater-Sanctæ quaternitati. Toto me gloriam do. vanitatem do diabolo, mihi nihil, confusionem, & infernum reservo, omnia ad Sacrificium, ad Sacramentum, ad gratiam, ad gloriam, ad gratiarum actionem, ad adorationem, ad meritum, ad impetrationem, ad satisfactionem perfectissimè & ferventissime agere & pati volo, in clibano ignis Seraphici, Mariani. Theandrici. in Christi sanguine. Adjuva me ô quater-sancta quaternitas, adjuva me: nihil enim mihi sum sine Te.

In his paradigmatibus (atque pari ratione in aliis fere omnibus) notet Lector plures, variasque & grandes latere praxes, quibus fecundantur, tam perfectiones quam merita, quàm etiam intentiones operum. indico eas quam possum brevissimè: non enim est hoc præsentis propositi.

1. Quid intelligatur Nomine *Quater-Sancti quaternionis*, aut *Quater-Sanctæ quaternitatis*, jam suprà dixi: Intelligitur enim (consequenter colitur) 1. Sanctissima Trinitas Pater. Filius & Spiritus Sanctus. 2. Humanitas Christi Theandrica seu Verbum Incarnatum Deus-Homo. 3. Intelligitur Beata Christi Mater. 4. Intelliguntur omnes & singuli Electi Sanctique Dei, tam Angeli, quàm Homines.

2. *Toto te.* vel *Tota te.* Intelligitur idem Quater Sanctus quaternio, assumiturque totus quantus quantus est, in sua latitudine, capacitate, perfectione, dignitate, effectuositate seu efficacitate, meritis, multitudine, plenitudine, æternitate, assumitur inquam, & ab Homine hunc actum agente sibi appropriatur, & in eundem quaternionem dirigitur refunditurque, tanquam si eo vel actu tota se quaternitas amaret in seque ferretur, vel agens homo sit tota quaternitas sancta, in seque ut talem afficeretur. Quo in sensu quanta sit & sublimitas & latitudo & extensio & & intensio & perfectio & duratio actus, cogitari quidem potest, an autem ad plenum possit cogitari, equidem ambigo.

3. *Toto me* intelligitur. 1. Totus Homo agens actumque exercens. Totus inquam secundum personam, animam, corpus, potentias, membra, operationes omnes externas, internas, etiam possibiles. præteritas, præsentes, futuras, omnium membrorum partiumque suarum, omnium instantium ac momentorum, omnium atomorum: secundum omnes gradus, circumstantias, extensiones, intensiones, respectus, adjuncta, connexiones &c. &c. durationes, æternitates, & quidquid omninò quovis modo ad hominem attinet, seu ad quodcunque homo ipse, qui agit, patitur alteraturvè hoc affectu pertingit. ita ut omnibus istis prædictis, censeatur, velit, intendatque & re ipsa actualiter amet quater-sanctam quaternitatem. 2. Intelligitur universus creaturarum populus atque cumulus: in numero individuoque in specie, genere, ordine naturali, supernaturali, possibili, cum omnibus suis conditionibus, modo in ipsomet homine adductis, omnibusq; atomis rerum universarum, iisq; universalisatis seu quasi totum universum hoc quantum quantum est, omnis creatura, omnisque atomus creaturæ esset, ita repucatis & intentione constitutis. Hic ergo populus creaturarum universus taliter acceptus, quasi in hominem, ab ipsius hominis intentione transformatus & impersonatus esset: ita toto illo sibi appropriato, impersonato insubstantiatoque, Homo Quater-sanctam quaternitatem amat Toto se. Fundamentum hujus sensus est. Quia Deus est omnium creaturarum author, pater, fons, cui omnes creaturæ dicunt. Pater noster qui es in cælis. Ipse fecit nos. &c. & per hoc omnes creaturæ, in ipso omnes unū sunt, & inter sese quasi fratres atque sorores sunt:

sunt: & omnes creaturæ, quasi una creatura sunt: specialiterque Homo cum omnibus creaturis, veluti unum quid est: quia omnium creaturarum compendium est: idcircò habet fundamentum homo rationabile, ob quod se omnibus, & in se omnes creaturas unire impersonareque potest, omnibus illarum omnium substantiis, partibus, actibus, passionibus, atomis, conditionibus, veluti suis, veluti in se translatis, transsubstantiatisque intentione suæ voluntatis. Maximè cùm etiam Homo universi finis sit, & princeps, & caput: eique incumbet pro omnibus præcipuè irrationalibus creaturis Deo, laudem, amorem, obsequium præstare Electosque Dei venerari &c.

3. Intelligitur etiam sub voce Toto me. ipsa quater-sancta Quaternitas, potissimum autem Sanctissima Trinitas, unus Deus, in quo, & omnis creatura, & Homo, est unum quiddam: & quidem idealiter ipsemet Deus est. efficienter autem, ab ipso, & ex ipso, & per ipsum est. Finaliter verò, propter ipsum, & in ipsum est. proinde meritò se unitum Deo, & unum quid cum ipso existimare, atque agentem se Deum, agentem in se, atque per se existimare imò facere potest. Ut omittam alias unionis unitatisque rationes ac modos Hominis cum Deo, Deique cum Homine. Atque hic etiam, desidero vel obiter à lectore animadverti, quanta, quàm exaggerata & quàm immensa sit in hoc istius etiam voculæ *Toto me*, sensu fœcunditas ad merendum. quam cuilibet discutiendam relinquo.

4. *Volo tibi*: quibus voculis, intelligitur omne genus volitionum, intentionũ, affectionumque, quarum homo totus, totalitate jam modo explicatâ capax etiam est, possibiliter atque æternaliter.

5. *Volo Tibi*. OmniaDigna Te. quidquid nimirum dignum est Sanctissimâ Trinitate, Deo-Homine Pretiosissima Parente, omnibus & singulis Dei electis: per quidquid honorari idoneè possunt, sive internum, sive externum, sive præteritum, sive præsens, sive futurum, sive possibile: sive à Deo, sive à Christo, sive ab omnibus Sanctis Electisque, sive à quibuscunque creaturis pro nunc, & pro omni æternitate. sive sit actus notitiæ naturalis, sive sit actus notitiæ fidei supernaturalis, sive actus visionis Beatificæ, sive actus affectusque amoris, sive adorationis, sive Dignificationis, sive gratitudinis, sive laudis, sive timoris, sive reverentiæ, sive spei, sive charitatis, sive invocationis, sive fiduciæ, sive cujuscunque possibilis, actuvè existentis, in omni differentia durationis, dummodo digna sit referri voluntate in Deum Trinitatem, in Deum Hominem, in ejus Matrem, in Electos ejus.

6. *Volo tibi omnia digna te, Dignè te*. Quod additur ideò: quia nos creaturæ, & præcipuè homines, multa volumus agimusq; quæ sunt quidem Deo digna & ejus Sanctis, ex seipsis, non semper tamen sunt digna ex modo operandi tepido, remisso, negligenti. de quo supra satis. Ergo apponitur *Digne Te*, ut huic obvietur malo, apponatur autẽ & includatur omnis perfectio agendi, possibilis adhiberi ab Homine ipso, ab omni creatura, ab omnibus Electis & Beatis, à Beatissima Dei Matre, à Christo Domino, & ab ipsa Sanctissima Trinitate. Dignum est enim omnia Digna, ita Dignè agere atque velle, Quater-sancto Quaternioni.

7. Quæ in secundo paradigmate posita sunt, ex dictis intelliguntur. illud solum advertendum; in eo paradigmate intendi quovis opere hæc. 1. Dispositionem condignam (meritumque ejus apud Deum) ad celebrandum Sanctissimum Missæ Sacrificium, itemque ad recipiendum, tam pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ, quàm omne aliud cujus sit homo capax, & in specie, Extremæ Unctionis Sacramentum. 2. Dispositionẽ ad Gratias potissimũ actuales opportunas, assiduas, efficaces, finales. 3. Ad gloriam beatificam merendam augendamque. 4. Ad adorationem, laudem, exaltationemqun Trinitatis, Dei-Hominis, Pretiosissimæ Parentis, Electorum. 5. Ad gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, in me, in omnem creaturam, totius Quaternitatis quatersanctæ. 6 Ad merendum augmentum Gratiæ Sanctificantis, charitatis, donorum, fructuumque Spiritus Sancti, virtutum & earum perfectionis. Remissionem peccatorũ tam quoad culpam, quàm quoad pœnam omnem, in specie spiritualem. 7. Ad impetrandum omnia bona naturæ, gratiæ, gloriæ, mihi, omnique creaturæ prout congruit illi, prout quater sancta quaternitas scit, potest, vult. 8. Ad satisfaciendum pro pœnis peccatorum tàm meorum quàm aliorum, quàm Animarum in purgatorio, ac in specie ad expiandas avertendasq; pœnas spirituales, quibus in hac vita nullæ formidabiliores, Animæ piæ, esse debent.

Explicatis hunc in modum prædictis

paradigmatibus, non solum explicatæ manent superiores praxes, atque etiam (si forte addentur) sequentes: verum etiã evidenter elucescit cõpendiositatis hujus immensa fæcunditas. Quare, etsi omnibus Dei servis, Deo quàm maximè quãq; citissimè placere, in ejusque laude gratia & gloria copiosissimè proficere volentibus, usus praxium harum commendatus esse debet. Senibus tamen atque senescentibus, aut quomodolibet aliter ad metam finemque vitæ properantibus, debet esse quàm commendatissimus; ita, ut qui salvis eorum viribus externis sit in omni sua actione, passione, commotione, in omni rerum circa se positarum mutatione, adjunctione respectuque, velint & intendant elici actum aliquem ex prædictis: ut omnium momentorum, atomorum, mutationum ab ipsis, & circa ipsos evenientium sit hæc vox ex ipsorum intentione. Qua-tersancte quaternio, toto te, toto me, amo te, &c. Quater-sanctæ quaternitati, toto me gloriam do, &c. aliudvé quid in eum modum. enitendo & intendendo hoc conatu, tum supplere præteritæ vitæ negligentias & omissiones, tum præsentium suarum operationum fæcundare efficacias, merendique condignitates, Deũ verò, Sanctos omnes, laudandi ac demerendi diligentias, & frequentationes. &c.

Advertendum hoc ipso modo posse Litanias dici. v. g. Sanctissima Trinitas unus Deus, volo tibi digna te, dignè te. Sancta Maria. Volo tibi digna te, dignè te. Sancte Petre. Volo tibi omnia digna te, dignè tibi. Item posse proprias fieri humiliationes, propter avaritiam meam, brutitatem, carnalitatem, &c. Volo mihi omnia digna me, dignè me &c.

PROVISIO IV.

De Multiplicatione Meritoriarũ Actionum, etiamsi una tantùm actio agi videatur.

POterat quidem hæc Provisio quarta subnecti præcedenti, verùm ne in multam longitudinem excrescat, consultiùs videtur per eam constituere separatam Provisionem, ad cujus expositionem, intellectionem & usum commodiorem, commodum erit quædam præmittere.

Sciendum igitur 1. Hominis actiones triplices esse. 1. Purè internas. 2. Purè externas. 3. Ex utrisque compositas. v. g. Intellectio, Volitio pure interna est, imò & immaterialis ex se. Visio, auditio, ambulatio, est pure externa etiam ex se. Locutio est composita ex verbis Mentis & oris. Et harum triplicium actionum, aliæ sunt Humanæ, aliæ Hominis. Humanæ sunt, quæ ab Homine & à sciente volenteque & in finem directæ fiunt. Hominis tantum sunt, quæ ab homine fiunt, sed non humano modo, hoc est, non à sciente voluntate prudente, nec in finem intentum ab eo aguntur.

Sciendum 2. Homines ordinariè loquendo, vix illas operari operationes vel purè internas, vel pure externas, sed ut plurimùm compositas. v. g. Intellectio hominis, nunquam fit pure à solo intellectu, sed necesse est eum phantasmata materialia speculari, eaque à sensibus externis desumpta. pariter & externa actio, vix unquam solitarie externa est, sed habet adjunctam interiorem, minimum phantasiæ operationem.

Sciendum 3. Homines non solere, imò, forte, nec posse operari unam tantum operationem, & per unius solius partis aut potentiæ usum, sed semper per plures, sive cooperantes, sive concomitantes in operando. v. g. quando Homo cum homine loquitur, operatur mente conceptus seu verba mentis, operatur & phantasmata quæ speculatur mente, operatur ore, linguâ, faucibus, gutture verba articulata sonumque, quibus exterius conceptus internos, mentisque verba manifestat, operatur visceribus, lateribus, pectore, arteriâ quæ vocatur aspera, quibus omnibus halitus seu spiritus ad os loquens trahitur, & per linguam ad fauces dentesque alliditur; operatur salivâ seu humore faucium, operatur motu labrorum, labiorum maxillarum, menti. Insuper, loquendo, concomitanter ridet aut flet, dolet, gemit, singultit, gaudet, irascitur, fremit, minatur, blanditur ambulat pedibus, movet brachia, manus, manibusque aliquid rei, sedet, stat, aspicit hæc & illa, huc atque illuc, audit, odoratur &c. quo fit, ut cùm homo unam per se actionem agit, plurimas simul peragat concomitanter, & fermè præter intentionem, voluntatem, advertentiam, & finem; ideoque etiam passim sine merito supernaturali, otiosè, cum jactura, & damno meriti, gratiæ, gloriæ, & aliorum bonorum.

Bonus negotiator, & avarus spiritualis mercator, qui compendia cæiestium thesau-

thesaurorum undequaque corradit, hæc sibi damna minime permittet, sed potiùs ex eis lucrum spiritualium divitiarum quàm maximè multiplex magnumq; corradet, quod quidem faciet, multiplici ratione, ac inter cæteras tali.

1. Quoniam, uti vidimus, ferè semper homo unam actionem per se, alias autem interim simul, vel illius gratiâ, ut pote comministras, & potentiarum cooperatricum operâ, vel concomitanter & incidenter operatur. 2. Idcircò, si nullam otiosam, omnem verò sibi fructuosam esse volet, Actioni quidem, quam per se facit, adjunget etiam finem per se, illi ipsi actioni debitum, tum etiam finem ab extra advenientem, quo ad supernaturalem mensuram, ordinemque ac meritum elevetur. v.g. Si Horas canonicas dicet, dicendo intendat Deum laudare, officio suo satisfacere, impetrare aliquid Ecclesiæ, sibi, aliis; satis etiam facere pro suis vel aliorum peccatis. Actiones verò reliquas adjunctas recitationi officii, puta standi, inambulandi, flectendi, aspiciendi, respirandi, audiendi, tangendi, manus, aliave membra movendi, per eademque sentiendi, vestitas, aëris, rerumque aliarum circumjacentium agitandi, insuperque etiam aliquid fortè patiendi, &c. offeret intentione voluntatis præviâ, vel conjunctâ, ad alios fines, perinde bonos, supernaturales, Deo gratos, laudis, & adorationis, & amoris, & gratitudinis Dei, &c. pro bona sua voluntate. Quo fiet, ut non sola illi recitatio Horarum canonicarum fructuosa multipliciter fiat, verùm etiam ex omnibus adjunctis, recensitisque actionibus, fructum, lucrumque bonum ac Deo gratum decerpat, quanto Spiritualium divitiarum incremento? res ipsa loquitur.

Pari ratione, si cibum corporalem sumet, sumptionem ejus in finem intrinsecum, reparandi vires corporis, & extrinsecum, ad Dei gloriam obsequiumq;, ad sustinendos peragendosque labores ex officio, vel charitate in bonum animæ propriæ aut alienæ sibi incumbentes offeret; porrò actiones adjunctas comestioni; v. g. gustandi, saporandi, mandendi, videndi, audiendi; manus, os, labia, palatum, fauces, guttur, viscera movendi, instrumentis comestionis utendi, aliisque seu potentiis ac membris, seu rebus adjacentibus utendi, peragere intendet, reque ipsa peraget ad alios pariter honestos & sanctos fines, pro libitu suo, omnes aut singulas, haud dubiè cum ingenti suo spirituali commodo.

Quæ ratio agendi & vivendi, omnibus quidem hominibus commendata & usitata esse debet: at specialiter iis, qui ad metas vivendi se positos vident, & in decursu vitæ, sive præteritas negligentias supplere, sive copiosa lucra spiritualia conquirere, æternæque beatitudini sese quàm maximè aptare, ac demum Divinis oculis acceptissimos præbere concupiscunt. Ejus rei paradigma hujusmodi esto.

Quater-Sancta quaternitas, propter tuam Gratiam & gloriam ego intendo omnibus actionibus meis, principalibus, & per se à me factitandis, juxta statum meum vel officium, vel oblatum eventum, intendere & sectari finem earum innatum, insuperque supernaturalem, atq; ita semper manere iis integrum. Actiones autem accessorias & comitantes omnes & singulas applico, imò per eas elicere intendo, actum qui sequitur, vel omnem vel aliquem.

Quater-Sancte quaternio Toto Te, toto me, toto universo, totis atomis universi universalisatis, amo, æstimo, exalto te, volo tibi omnia digna Te, digne te, mihi autem volo omnia abjectissima & vilissima digna me, digne me. Vel

Quater-Sancte quaternio &c. toto te, toto me: amo te, tibi gloriam do, vanitatem do diabolo, mihi nihil, confusionem, & infernum reservo: omnia ad gratiam, ad gloriam, ad adorationem, ad gratiarum actionem, ad impetrationem, ad satisfactionem, ad meritum, ad sacrificium, ad Sacramentum perfectissime & serventissime agere & pati volo. In clibano ignis Seraphici. Mariani Theandrici, in IESU Christi Sanguine. Adjuva me, adjuva. Nihil enim mihi sum sine Te. Vel.

Toto me semper & ubique sit Laudatum Sanctissimum Sacramentum, quod ego semper & ubique Latreutice adoro, desidero, recipio toto me: deque ejus dignitate & dignatione exulto toto me. atque ad ejus consecrationem & sumptionem disponi, per omnes actiones & passiones meas, meritis & sanguini IESU Christi unitas, desidero, peto, propono, Toto me. Vel,

Quater-Sancta quaternitas, toto me amo te. &c. adjuva animas in purgatorio, & me in N. N. officio, actione, occasione, negotio. vel hunc illumve proximum, &c. Vel,

Sanctissima Trinitas unus DEUS, tuas Divinas ad intra & extra, IESU Christi erga te, erga se, erga nos, Pretiosissimæ Parentis, omniumque Electorum tuorum intentiones, intentionumque sublimitates, omnes, & quæ ego unquam bona bene volui, volo nunc, & rata habeo: quæ vero unquam mala male volui, nolo, irrita habeo. Toto me, semel pro semper, in omnimoda proportione formalitatis & fervoris: ad gustum Quater sanctæ

Quaternitatis in me, & meum in Eâ, saginandum, devotionemque explendam, usque & usque in æternitatem.

Hæ similesque praxes & paradigmata jam ex dictis nota sunt, possunt verò in memoria facilè defigi, si crebriùs usurpentur, quomodo si memoriâ teneantur non difficulter, intentione, & proposito voluntatis, ratificari, intendi, reassumi repetique & exerceri possunt, quibuslibet actionibus, ad eas repetendas exercendasvé, intentione applicatis.

Potest etiam actionum illarum omniũ, tam per se quàm concomitanter exercitarum, talis esse usus; ut per omnes singulasque illarum, actio aliqua, toties totiesque repetatur seu peragatur, quot actiones jam dictæ aguntur repetunturvè. Exempli gratia.

Sacrum quis facit (sive audit) præter actionem illam, quæ propriè sacrum perficit, omnibus quoque reliquis actionibus comitantibus, per intentionem & applicationem voluntatis nostræ, Sacrum quoque fieri & repeti toties potest, quot ipsæ actiones esse invenientur. Item;

Recitat quis hymnum v. g. Te Deum laudamus. potest eum non tantum ore, memoria, corde, voluntate recitare; verùm etiam ambulatione, aut flexione, aut sessione, aut expansione brachiorum, aut mortificatione externa interim susceptâ, aut omnibus actionibus eidem insertis, aut oculorum visu, manuum motu, vestium, totius corporis, omniumque membrorum & partium, & potentiarum & circumstantiarum mutatione &c.&c. ita ut quot numero ejusmodi actiones sunt, totidem numero vicibus Te Deum laudamus recitatum, Deusque laudatus sit. Item;

Confert se aliquis ad dormiendum: si dormitionem suam ita prævia intentione formet, ut Deum laudare (aliumvè actum erga Deum exercere) intendas tũ dormitione sua, tum omnibus corporis & animæ actionibus inter dormiendum agendis, in Dei laudem ferri, aut Te Deum laudamus hymnum repetere, toties coram Deo hymnum dictum repetet, Deumque laudabit, quot actus erunt dormientis. Imò si hoc intenderit agere Toto se, in latitudine verborum istorum aliàs explicatâ, tot vicibus laudabit Deum, hymnumque repetet, quot seu res, seu actiones rerum existent, juxta jã aliàs sensum enarratum, & alibi in industriis fusiùs enucleatum.

Ex quibus dictis elucescit, primo quidem fœcunditas & facilitas Provisionis hujus, deinde, quantum ea esse debeat commendata, & in usum assiduum deducta, iis præsertim, quibus ob ætatem, & vitæ brevitatem, redimere tempus incumbit.

PROVISIO V.

Ad thesaurizationem Meritorum, vitæ, Passionis, Mortis JESV Christi, itemq; Pretiosissimæ ejus Parentis, & deniq; omnium Justorum.

EXpendens Sapientissimus David, suam & cujuslibet hominis coram Domino Deo suo, & consequenter in veritate rei, opulentiam, hunc in modum tandem de illa pronuntiavit. *Locutus sum in lingua mea. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi, Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea, tanquam nihilum ante te: Verumtamen universa vanitas, omnis Homo vivens: verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur: thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* (Psal: 88. & sequ.) Gravissima & exaggeratissima exaggeratio descriptio miseriæ, mendicitatis, vanitatis, vilitatis, stultitiæ & ignorantiæ humanæ. Nam quid miserabilius, quàm dies mensurabiles & eos quidem incognitos habere? quid vanius, quàm universam vanitatem esse? quid mendicius, & egentius, quàm nihili ipsius substantiam, quã nihilum substantiæ possidere? quid vilius, quàm in imagine, in umbræ similitudine, non stare, sed pertransire? quid stultius, quàm frustra conturbari? quid ignorantius, quàm thesaurizare vanitatem, umbram, nihilum, & insuper ignorare, cui frustra labores & sudes?

Ea propter optimè sapientissiméque ibidem idem David subjungit, cùm ait; *Et nunc quæ est expectatio mea?* Nonnè Dominus? *Et substantia mea apud te est.* (Psal: 38.) Hoc quippe secundum omnem rationem consultissimum est: cum ipse ex te, sis vilissimus; vanissimus, atque adeò *universa vanitas*, tuaque tota substantia, tanquam nihilum sit coram ipsomet Deo, qui falli fallereque in judicio & decreto suo non potest: à semet quidem ipso prorsus abscedere, & omnem spem avellere, transferre autem illam omnem ad unum Deũ, & apud ipsum, imò in illo ipso substan-

tiam suam omnem collocare, apud ipsum thesauros omnes reperire, ex illo ipso eosdem coacervare, illum ipsum, substantiam suam omnem reputare, invenire, facere, habere? Tunc enim revera desinit homo nihilum esse, tunc universam exuit vanitatem, tunc annos æternos possidet, tunc thesaurizat, tunc congregat, & non ignorat cui congreget ea, sed est in Deum dives, sed est in Deo dives, sed est Deo dives. sine quo, omnis dives est miser & pauper, quo uno & solo, omnis (esto cætera pauperrimus) est supra omnem modum dives, neque est finis thesaurorum ejus.

Et hoc quidem quod præmisi, extra omnem dubietatem est: in his verò fundata explicanda sunt aliqua, ut demùm id quod in titulo propositum est provisionis hujus, enarretur.

Sciendum igitur 1. est. quinam sint thesauri Dei? & hos enumerasse satis est. Primus ergo omnium thesaurus Dei, est ipse Deus, quo thesauro certiùs, veriùs, pleniùs, ditiùs, sinceriùs, nihil est, nihil esse, nihil cogitari, nihil desiderari potest. 2. Thesaurus Dei sunt (loquendo juxta modum nostrum, quo de Divinis & Deo, cogitare loquique possumus ac solemus) sunt, inquam, omnes perfectiones, omniaque attributa Dei: quorum cognitio & comprehensio plena, est omni creaturæ impossibilis, aliquorum autem est ambienda, & desideranda, curandaque participatio & possessio, aliquorum veneratio nobis incumbit, sed usurpatio aut possessio participatiove, in hac præsertim vita, nequaquam: charitatem, miserationem, mansuetudinem, patientiam, longanimitatem, mansuetudinem, justitiam, veritatem ac veracitatem, benignitatem, rectitudinem, aliaq; hujusmodi, possumus & debemus, quàm studiosissimè amare, conquirere, æmulari, coacervare: dicente Filio ipso Dei. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et eodem. *Dico vobis, diligite inimicos vestros benefacite his qui oderunt vos, &c. ut sitis Filii Patris vestri qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Hos thesauros Dei, quanto avarius & copiosiùs conquirimus, corradimusque, tanto Deo ditiores & simul gratiores sumus. Hæc porrò thesaurizatio, peragitur assiduo & heroico virtutum exercitio. de quo in præsenti non plura. quemadmodum etiam de aliorum Dei attributorum & perfectionum thesaurizatione, non tentanda à nobis, hac, & pro hac saltem vitâ, nihil etiam addendum videtur: quia & per se res nota est, & scriptura monet. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria,* & denique vel solius Luciferi de cœlo casus, satis superque ad deterrendum est.

Matt: 5. 48
Ibid: v. 44.
Eccl: 3. 22.
Prov: 25. 27

3. Sunt thesauri Dei omnia creata & omnis creatura, sed erudiente nos Evangelio, novimus, ejusmodi thesauros tunc optimè thesaurizari à nobis, quando maximè negliguntur dissipanturque à nobis propter Dei placitum, & propter Filii Dei exemplum dicente ipsomet Domino. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.*

4. Ad thesauros etiam Dei pertinent omnia bona spiritualia, quæ bona quidem nostra sunt, & bonos nos coram Deo faciunt, Dei tamen propriissima dona sunt, nosque debitores coram ipso constituunt, tanto obligatiores, quanto ex talibus donis videmur locupletiores. Atque hic jam quæritur, inter ejusmodi possessores, vel potiùs, ut loquitur Apostolus, inter dispensatores, *ut fidelis quis inveniatur.* Tales thesauri sunt. Gratia Dei sanctificans, & filium, amicum hæredemque Dei ex quovis nostrum, si eâ potimur constituens. Virtutes omnes principi & animatrici suæ charitati copulatæ. Dona Spiritus Sancti, & fructus ejusdem, aliæque divisiones gratiarum: tum etiam gratiæ actuales omnis generis, at imprimis efficaces & finales. Beatitudo denique ipsa, quanta est cælestis, æternæque vitæ Hæreditas, quæ promittitur nobis, & ad quam omnibus Dei gratiis providentiisque disponimur. Juxta illud. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* salutis nempe, perfectionis & beatitudinis. At de horum thesaurorum Divinorum coacervatione, in præsenti aliquid dicere, neque libet, neque necesse est. Constat siquidem omnibus Dei famulis, ad hujusmodi thesauros congregandos totâ vitâ, totis viribus, toto corde, totâ mente connittendum esse. non ergo hic morandum sed ad alia procedendum nobis est.

1. Cor: 4. 2
Rom: 8. 28

5. Deus inter suos thesauros connumerat Animas omnes, præsertim verò Iustorum. De omnibus promiscuè dictum illud accipe Divinum: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Quanti hunc Animarum thesaurum æstimet, quantum eum desiderat sibi perpetuò crescere: nimium satis declarat, beneficium Redem-

Ier: 15. 19.

demptionis, totaque Oeconomia Incarnationis Dominicæ: quam quidem rem Christus ineffabilem vel ipsi sibi visus est declarasse, quando Nicodemo dixit. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c.* Lucas hoc ipsum Mysterium vocavit *Excessum*. Consensit & Paulus eidem. Vocans illud. *Nimiam charitatem*. Petrus autem id ipsum exaggeratè volens explicare Animabus omnium hominum: *omne aurum, omne argentum, omneq; pretiosum* rejecit. Neque minus est exaggeratum illud Domini nostri dictũ de pretio Animæ vel unicæ. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Est ergo supra modum pretiosus thesaurus Dei, Animarum salus, & perfectio; quem à Justis coacervari, inque Dei tabernacula & officinas comportari, quemadmodum est Deo gratissimum, ita justis ipsis ejus thesauri comportatoribus, est summè proficuum. & ad Spirituales cælestesq; divitias cumulandas & constituendas, maximè idoneum. secundum illud Prophetæ. *Qui docti fuerint, fulgebunt qvasi splendor firmamenti & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* A quo sensu non recedit etiam Christus Dominus cùm dicit, quod *qui servaverit vel unum de mandatis Dei minimis, & docuerit etiam sic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum*: nec tantum in regno cælorum, Beatorum domicilio æterno: in quo eruditores ac zelatores Animarũ, speciali fulgent laureolâ, sed etiam in hoc regno cælorum, quod est militans Ecclesia Christi, in qua unusquisque ad justitiam erudiens animas hominum, vas electionis est Christo Domino ad portandum nomen ejus prædicandumque, sicut de uno talium dixit Dominus.

Joan. 3. 16. Luc. 9. 31. Eph. 2. 4. 1. Pet. 1. 18 Matt. 16. 26 Dan. 12. 3. Matt. 5. 19 Actor. 9. 15

Quamvis autem hæc ita se habeant, in præsenti tamen provisione, non istam thesaurizationem, sed aliam quandam suadere intendimus. Superest itaq; apud Deum nostrum, unum quoddam genus Thesauri, Meritorum scilicet Christi Domini Nostri, quos ille, tanquam Deus Homo acquisivit totâ sua vitâ, Passione & morte, acquisivit autem in suam quidem & Patris æterni gloriam, in Nostrũ autem omnium salutem, opulentiam & beatitudinem. Qui meritorum Christi thesaurus, est per omnia infinitus, inexhaustus, immensus. sufficiens nõ ad unius tantum mundi, sed ad omnium possibilium Deo mundorum, salvationem, ditationem, beatificationem. Qui thesaurus, non in hoc tantum est mirabilis, quod in se infinitus sit, quodque nostra omnia bona spiritûs & gratiæ & beatitudinis ex eo sint: quodque æternum Patrem, beatificatorem, & æternam vitam, Hæreditatem, Mercedemque faciant: sed præterea hoc insuper nobis præstant, ut nostra opera quæcunque (in Christo duntaxat facta) valorem etiam meritorium, vimque & pretium merendi obtineant coram Deo, ex Iustitia, ob nostrorum operum cum Christo ejusque gratiâ ac meritis conjunctionem. ita ut operibus nostris quibuscunque legitime factis, debeatur corona justitiæ, merces gratiæ, præmiumque vitæ æternæ.

Præterea, hoc etiam Christi Domini merita, valore & dignitate sua, meritis nostris conferunt valoris, & efficaciæ dignitatisque, ut non tantum ipsis nobis, quorum propriè sunt personaliter, merita, operaque meritoria prosint, sed aliis etiam proximis nostris, tam in hac, quàm in illâ alterâ vitâ, (modo capaces sint) proficua sint, sive impetratoriè, sive satisfactoriè. Ex quo fit, ut ad Christi Domini thesaurum meritorum, adjungantur, & suo, & magis etiam Christi ipsiusmet jure, merita etiam omniũ Sanctorum & Electorum ejus, puta, Pretiosissimæ Christi Matris Virginisque MARIÆ, & reliquorum Beatorum, imò & viventium Iustorum. dicente Davide. *Particeps ego sum omnium timentium te Domine & custodientium mandata tua.* reliquâque scripturâ passim attestante. Meritis & precibus & justitiis Sanctorum protegi & juvari homines coram Deo, tum ad obtinenda beneficia, tum ad elevanda iræ flagella omnis generis.

Ps. 118. 63

Hoc ergo thesauro meritorum Christi & Sanctorum ejus, apud Deum nostrum invento & comperto, ad omnes quidem homines opum cælestium indigos, pertinet, totâ possibili diligentiâ, & (ut sic loquar) avaritiâ, thesaurum hunc ad suam possessionem usumque derivare, eoque sese quàm copiosissimè ditare, sine dubio tamen hæc cura, atque avaritia inexplebilis, quàm propriissimè pertinet ad eos, quorum vita declinat, & ad exitum (in quo omnis diligentia velit nolit cessabit) appropinquat. Monente Apostolo, ut *non deseramus collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem mortis.*

Heb. 10. 25

Quis porrò modus esse possit haurien-

di ex

di ex hoc Christi Electorumque ejus merito thesauro, eumque in divitias suas & possessionem, quam copiosissime, ac simul compendiosissime, derivandi, jam hoc loco explicandum est. cùm hoc sit præcipuum Provisionis hujus intentum in ejus titulo indicatum. Advertendum vero est Christi Domini nostri usum (suoque modo etiam Electorum ejus) multiplicem nobis esse posse, sicuti etiam multa, imò omnia nobis est Christus Deus noster. Possumus enim uti illo tanquam Deo creaturæ, tanquam Domino servi, tanquam Patre, Filii; tanquam Principe, subditi tanquam medico ægri, tanquam Pastore oviculæ, tanquam Doctore discipuli, tanquam Imperatore, milites. tanquam Duce errantes; tanquam capite membra, tanquam vite palmites, tanquam mediatore reconciliandi, tanquam Advocato debitores. tanquam Fidejussore obligati. tanquam Sacerdote & Sacrificio plebes, tanquam Fratre fratres, tanquam Amico amici, tanquam sponso sponsæ, tanquam judice rei; tanquam misericorde miseri; tanquam vita mortui. & aliis infinitis pæne modis Christum Dominum usurpare, in rem nostram possumus: quoniam omnia nobis est Christus; sed hoc in præsenti nõ agimus. Tantum enim, strictè thesaurorum ejus substantiam nobis hauriendam destinamus, & modos id præstandi quærimus; quos varios esse posse, certum est.

Primus, isque fundamentalis est, esse Implantatum in Christum insitumque in eo, sicut palmitem in vite, indutũ Christo, sepultum in ipso, renatum in ipso, renovatum, manentem, reformatum in eodem. quod fit in Baptismo Christi suscepto, & per Fidem, Spem, Charitatem atque Gratiam ejus. quibus omnibus, moritur in nobis vetus homo, destruiturque corpus peccati, renascitur autem in nobis Christus, nosque in Christo, accipientes ab eo & ex eo, potestatem filios Dei fieri, sicut & ipse est Filius Dei, etsi ille per naturam, nos per adoptionis gratiam.

Hoc fundamento regenerationis & insitionis Nostri in Christo supposito: incumbit nobis crescere in Christo, usque in virum perfectum; neque vero qualitercunque perfectum, *sed usque ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, veritatem facientes in charitate, crescentesque in illo per omnia, qui est caput Christus.* Istud autem crescere in mẽsuram plenitudinis Christi, hoc sine dubio est, quod in præsenti indagamus, asserimusque; nempe ad quam maximam Christi similitudinem conscendere, per morum ejus imitationem, doctrinæque ac voluntatis ejus executionem, & per meritorum ejus, quàm copiosissimam in animarum nostrarum bonum derivationem.

(Ephes. 4. 13. Ibid. 15.)

Primus ergo modus in Christo crescere, & ex Christo ditari (& idem cum proportione de Sanctis atque ex Sanctis Dei dicendum est: quoniam nonnisi ex Christo, & in Christo, & per Christum, illi nobis proficui sunt) primus inquam modus est; Fide in Christum perpetuò vivere, perpetuò opera fidei, & opera fide imbuta facere, Fidem in Christum in sese radicare, firmare, stabilire, vitæ, sanguini, bonis omnibus præferre. Fidẽ Christi & in Christum, sibi familiarissimam, sapidissimam, pretiosissimam, admirabilem, saluberrimam, vivacissimam vitalissimamque reddere. idemque de ea in aliis proximis curare. Sic enim Christi erimus non tantum *servi, aut amici, aut filii;* *sed etiam Matres atque Patres,* prout tam ipse, quàm Paulus attestatur.

(Matt. 12. 5. 1. Cor. 4. 15.)

Pari ratione, secundus ditescendi ex Christi Sanctorumque eius meritis modus est, per spei fiduciæque in Christum, & propter eum in ejus Sanctos exercitium, & usum assiduum. omnia nostra faciendo & patiendo, quæcunque acciderint, propter spem in Christum, & ex spe, atque cum spe in Christum. Scientes omne bonum, omne auxilium, omne pretium, omne præmium, omne solatium, omne gaudium nostrum, in Christo, à Christo, & per Christum, & propter Christum esse.

At vero maximè proficuus, necessarius, indeque & frequentandus frequentissimè est tertius modus, crescẽdi ex Christi sanctorumque illius meritis, per charitatem: per hanc enim fides, per hanc spes, per hanc omnis virtus, omnisque gratia, operari debet omnia, ut nobis proficua sint omnia. Rotundè siquidem dixit Apostolus. *Sine charitate nihil sum. si charitatem non habuero nihil mihi prodest.* Quocirca charitatem Christi sic habere, sic exercere, sic in ea radicati & fundati, sic assidui, sic eâ instructi esse debemus, *ut charitate vivamus, charitatẽ spiremus, charitatem operemur, in charitate, ex charitate, propter charitatem, charitati agamus.* quidquid agimus, patiamur quidquid patimur, speremus quidquid speramus, credamus quidquid credimus, timeamus quidquid timemus, simus quidquid sumus, utque adeò ipsamet quan-

(1. Cor. 13. 2. Eph. 3. 17. Col. 2. 2.)

1. Ioan. 4. 8. 16.
1. Cor. 6. 17.

quantum prævalemus charitas efficiamur & simus. Si enim *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. & qui adhæret Deo, unus spiritus est cum ipso,* quid ni etiam ipse per charitatem Dei atque Christi, efficiatur charitas ipsa Dei atque Christi? Quocirca maximum & præcipuum medium ex Christo, & in Christo ditescendi, thesaurorumque ejus immensam congeriem aggregandi, est exercitium assiduum charitatis Christi, seu charitatis erga Christum & propter Christum. Omnia enim reliqua nostra, imò & Divina bona, in tantum nobis de Christo derivant, in quantum charitati in Christum unita, charitateque formata sunt. propter quod charitas & gratia, & Beatitudo æterna, aut omninò unum idémque sunt, in substantia sua; tantumque secundum esse perfectius vel imperfectius, vel secundum statûs differunt, aut ita sibi connexa sunt ut nullatenus separari queant. Itaque etsi omnes prorsus fideles, præcipuè tamen senectutem ingressi vel ingredientes, illud curare debent Apostoli monitum an præceptum? *Omnia vestra in charitate fiant.* & illud. *Simus induti loricam fidei & charitatis, & galeam spei & salutis.* Quia verò ista sunt generaliora media derivandi merita Christi & Sanctorum etiam ejus, descendendum est ad pressiora & expressiora, magisque vicina.

1. Cor. 16. 14.
1. Thess. 5. 8.

Sit igitur quartus modus coacervandi merita Christi Domini, per frequentem, diligentem devotumque usum Sanctissimorum Sacramentorum; Cum enim Sacramenta Christi omnia, sint veluti reconditoria quædam meritorum, & sanguinis, & gratiæ Christi: quisquis ea ritè, devotè, frequenter usurpat, merita Christi, is tanquam de gazophylaciis suis haurit, divitiasque gratiæ & æternæ vitæ sibi congerit. Hoc verò potissimum fit in duobus Sacramentis, Pœnitentiæ nimirum & Sacratissimæ Eucharistiæ, quorum usus & maximè necessarius, & ideò frequentandus, quod hoc loco suadendum non est pluribus: sed satis sit dicere, eos qui appropinquant ad metas vitæ, Pænitentiæ Sacramento uti debere, si commodè possint etiam quotidie, & quidem ita, ut non tantum quotidianas expient maculas, sed ita etiam, ut totius vitæ labes tam efficaci lavacro emaculent, possintque si non perpetuò (id enim hæc vita non patitur) saltem creberrimè vivere absque ulla coram Deo tam culpæ, quàm pœnæ, etiam purgatorii, e-

A tiamque spiritualis, obligatione. Quantum autem ad Sacrosanctam Eucharistiam: cùm ea sit cibus & impinguatio animarum sanctarum, in eaque ipsemet fons omnis ac potissimum sanctificantis gratiæ, compendioso, sed immenso haustu exhauritur, manifestum est, consultissimum esse; corpore senescentibus, ut Eucharistiam nullo non die sumant, quantum fieri potest, quod Sacerdotibus valde promptum est, ad eam porro sumendam, sese quàm accuratissimè disponant, eandem quàm devotissimè sumant, eâ verò sumptâ, tamdiu in devotionis & virtutum actibus affectibusque crescant,

B quamdiu species Sacramentales intra sese durare opinari possunt.

5. Quia verò non facilè cuivis Communio Sacramentalis quotidie extra sacerdotium sacrificiumque convenire potest; Istorum industriæ erit, Sacramentalem communionem Spirituali, non tantum quotidianâ, verùm etiam horariâ, & si placet perque vires licet, etiâ frequentiore, cum devotione, & fame compensare, adjuncto etiam ad id usu Indulgentiæ illis verbis. *Sit laudatum Sacratissimum Sacramentum.* seu. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* attributæ, adjuncta

C insuper intentione. per omnes actiones & passiones, meritis Christi Domini Sanctorumque conjunctas, sese disponendi ad omnes fructus Sanctissimi Sacramenti, tam Eucharistiæ, quam Pœnitentiæ, quàm etiam Sacrosancti Sacrificii. cujus rei formula & praxis forsitan esse posset hujusmodi.

Toto me, semper, & ubique sit Laudatum Sanctissimum Sacramentum, quod ego semper & ubique latreuticè adoro, desidero, recipio, toto me. deque ejus dignitate & dignatione exulto toto me; atque ad ejus consecrationem & sumptionem, disponi per omnes actiones, &

D passiones meas, meritis Christi & Sanctorum unitas, desidero, peto, propono, Toto me. Atque hic sit quintus modus coacervandi meritorum Christi Domini divitias per Spirituales communiones quàm devotissime frequentatas.

Sit autem modus sextus. Libenter, frequenter, devote reverenterque Sacratissimum Missæ Sacrificium partim peragere, partim audire, partim meditari, eiq; sic assistere, ac si interesses primæ illi in cœnaculo incruentæ, & item primæ in crucis altari cruentæ Missæ: affectu Apostolico, affectu Parentis Pretiosissimæ, affectu ipsius Christi. A Sacerdotibus

enim

enim legis novæ in Sacrificio quod peragunt, utrumque illud ab ipso Christo olim peractum, in ejusdem Christi Persona, ejusdemque virtute & potentia repræsentatur, peragitur, repetitur, secundùm per primum, seu cruentum per incruentum. Ut vero in Sacerdotem sacrificantem, tanto copiosior fructus meritorumque thesaurus redundet ex Sacrificio Missæ, tam ex opere operato, quàm ex opere operante, ad cæteras præparationes suas, remotas proximasque, hanc etiam adhibebit, ut secundum suam intentionem firmam, crebráque repetitione ac ratihabitione stabilitam, per omnes actiones, passiones ac molestias seu mutationes suas, totius vitæ suæ, disponat se, (quod idem est ac disponere intendat) ad condigniorem Missæ celebrationem, uberioremque fructuum ex ea perceptionem, majoremque meritorũ Christi efficaciam in sese derivandam. Quâ etiam ratione, seu intentione, & gratiæ post Sacrum agi, & defectus circa Sacrũ admissi expiari possunt, prout in hac subjectâ formulâ patet.

Quater-Sancte Quaternio, Toto te, toto me, Tibi omnes actiones & passiones seu mutationes totius vitæ substantiæque meæ, (imò & omnium quantum in me est creaturarum) unitas actionibus & passionibus, & meritis totius vitæ Domini mei Jesu Christi, in realem, verbalem, cordialem, præteritam, præsentem & futuram, omnimodam, possibilem, infinitam, incessabilem, offero, consecro, dono, trado, sacrifico, Gratiarum actionem, laudem, adorationem, amoré, venerationem, exaltationemque Tui. Itemque in præparationem ad futuras Missas & Communiones, & confessiones Sacramentales. item in dispositionem ad gratias omnis sacrificii, Sacramenti, beneplaciti, actuales, habituales, opportunas, efficaces, perseverantes, finales. Item in satisfactionem pro defectibus omnibus quidem, at in specie Missarum & Communionum & Confessionum mearum, pro omnibus meis tam culpæ, quàm pœnæ obligationibus, potissimumque omnibus pœnis spiritualibus. Item pro animabus in purgatorio. Item pro gratia fervoris in vita & morte, proq; Sancta morte & pro finali in bonitate, sanctitate, perfectione, & Religioso statu, & Societate JESU perseverantiâ.

Hujus formulæ usus esse potest, & aliàs quidem semper, & potissimum, ante vel post, omne Sacrum. Potest autem esse, apud omnes quidem divitiarum spiritualium amatores, Sacratissimorumque Sacrificiorum & Sacramentorum cultores, & maximè apud eos, quibus brevis vitæ cursus restat, & ad cumulanda merita dies abbreviati, tempusque reliquũ modicum superest.

Sit tandem septimus modus, Merita Christi Domini & usurpandi, & accumulandi, similiterque aliorum Beatorum Dei, per quandam imaginationis, intellectusque & voluntatis, seu intentionis appetitusque rationalis, meritorũ ipsorum, seu Sanguinis Christi apprehensionem, & per hanc animæ nostræ ejusdem applicationem. Docuit nos hunc modũ, ipsemet Spiritus Sanctus in Scripturis suis, tum aliàs quidem sæpe, sed maximè ad propositum nostrum præsens congruè apud Isaiam. Ubi canit Propheta. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Et apud Zachariam, ubi dicitur. *In die illa erit fons patens domui David & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Qui enim sunt isti fontes Salvatoris, patentes ad ablutionem, nisi vulnera, & Sanguis, & merita Jesu Christi? quæ in Sacramentis ejus deposita, inde hauriuntur ab animabus nostris, partim ministerio Ecclesiæ, partim devotione cujusque fidelis, sive is sit peccator pænitens, sive justus proficiens atque perfectus in via Domini. Hanc ipsam de Sanguine seu meritis Christi imaginationem usurpat Beatus Joannes in sua Apocalypsi: partim cùm ait. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* partim cùm dicit. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, &c.* Qui idẽ Apostolus alio loco vocat vestimenti nomine Merita Sanctorum Dei: ait enim. *Datum est illi* (Sponsæ Agni, Animæ, seu Ecclesiæ) *ut cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum.* Eadem nomine Incensi, Aromatum, Odoramentorumque idem Apostolus appellat. dicens. *Data sunt* (Angelo) *incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* altare autem hoc, est Christus. Et ascendit fumus incensorum de orationibus (& meritis similiter) Sanctorum, de manu Angeli. sub simili Allegoria, idem Apostolus Sanguinem Christi, vocat *Redemptionis nostræ pretium,* quando ait. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Consentitque in eadem phrasi Petrus Apostolus dicens. *Scientes, quod non corru-*

Isa: 13. 2.
Zach: 13. 1
Apoc: 7. 14
Ap: 22. 14
Ap: 19. 8.
Ap: 8. 3.
Ap: 5. 9.
1. Pet: 1. 18

ptibilibus auro vel argento redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati & incontaminati. Hæc cum ita sint, licebit consimili ratione nobis, Sanguinem, meritaq; Christi Domini, quin & Sanctorum ejus, & apprehendere & usurpare, inque profectum nostrum spiritualem & Animarum nostrarum coram Deo ditationem ornatumque convertere. v. g.

1. Cogitans & animo meo statuens Christum cum suis & Electorum suorum meritis, esse fontem limpidissimum & largi fluentissimum instar Paradisiaci manantis aquas salutis & Sanctitatis, & beatæ vitæ, & omnis gratiæ, virtutis, atque perfectionis: Impersonabo me toti universo, imò universis atomis universi universalitatis, & sic, Toto me, totque faucibus, quot creaturarum atomis, totque etiam vicibus, quot in tempore & æternitate sunt instantia, bibam, hauriam, derivabo, & deducam aquas meritorum in Christo contentorum, in cor, mentem, voluntatem, animam, substantiam meam, iisque replebo, non solum entitativam capacitatem meam quocunque modo realem, sed etiam vel ipsam immensitatem Nihilitatis meæ, atque mendicitatis, quæ ex memetipso est in me, seu, quæ ipse, ex me ipso, sum prorsus infinita.

2. Cogitans Christum esse vitem speciosissimam, fæcundissimam, faciam me, totum, quantus quantus sum, in atomis meis, & in actionibus passionibusque seu mutationibus meis omnibus & singulis, veluti multiplicem palmitem, atque etiā botris quarumlibet actionum mearum obsitum, sicque ex Christo, & ejus, nec non ex Sanctorum ejus, meritis; humorem omnimodum traham, & botros operum tum producam, tum fœcundos, turgidos, pretioso Christi & Sanctorum ejus vino, faciam; gustuique mensæ, cellariis Sanctissimæ Trinitatis, & ipsius Christi, & totius curiæ cælestis adferam, & inferam, offeram & propinabo, recondam, & in omnem æternitatem reservabo.

3. Cogitans Christum esse Balneum animarum nostrarum, quo & abluimur à sordibus, & omni puritate ac decore ornamur, & omnia opera nostra, tum purificantur, tum sublimantur, quotidie, sæpiùsque in die, & in singulis (quo ad fas erit) spirationibus, commotionibus, ac momentis, Totum me, totamque substantiam & entitatem meam actionumq; mearum injiciam in balneum hoc Sacratissimum, & in eo me, omniaque mea abluam, purificabo, dealbabo, ornabo, sublimabo. Nunquam penitùs ex hoc pretioso Christi meritorum balneo egrediens, nunquam me ab eo deficcans, sed semper in eo ad instar pisciculi natans.

4. Cogitans Christum ejusque, & Sanctorum ejus merita, esse ingentem, vastissimam, immensam & inexhaustam Aurifodinam, vero & incorruptibili auro refertissimam, & sicut omnibus volentibus, ita etiam mihi pauperculo expositam, atque ad eruendum omnimodas auri cælestis opes, liberaliter concessam; ponam ædificiolum meum in hac fodina. & omnia scriniola, omnes sarcinas meæ substantiæ, mearum virium, potentiarū, articulorum, actionum, & passionum, volitionum & desideriorum, necessitatum, capacitatum & possibilitatum perpetuò implebo, infarciam, cumulabo, iterum iterumque &c. &c.

Hac & simili ratione possum Dominū meum Iesum Christum, ejusque ac Sanctorum ejus merita cogitare, velut omnitarium quoddam Arsenale continens omnigenas officinas rebus usui necessariis refertissimas. Hic Armamentarium, hic apotheca, hic vestiarium, hic omnis artifex, hic bibliotheca, hic cellæ vinariæ promptuariaque plena, & eructantia ex hoc in illud, hic (uno verbo) omne bonorum genus coacervatum repositumq; ac simul uti, capereque volentibus in rem suam expositum. Solus ergo restat hauriendi & in usum derivandi utendiq; labor. Qui ipse labor, sine labore est, cùm in sola voluntate libera, in solo desiderio, in sola intentione atque cupiditate nostra propemodum, principaliter, certè consistat. Adeò ut quantum desideras, quantum desideria, intentiones, cupiditates, votaque tua dilatas & distendis: tantum capias, & adhuc infinities infinita supersunt, quæ si velis, si velle velis, eo ipso capias. Itaque hic mihi tantum licet, quantum libet. Hic nō duplicibus, sed millecuplicibus quotidie mutatoriis vestiri induique possū. desumendo, & induendo mihi præter Christi vestimenta, nunc Angelorum, nunc Archangelorum, nunc Cherubinorum, nunc Seraphinorum, nunc Apostolorum, nunc Martyrum, &c. &c. nunc hujus N. nunc illius N. nunc illorum N. N. nunc istorum NN. Sancti Sanctorumque. Idem dico de armatura fortiū, quæ hic omnis est. de medicinali apotheca, quæ hic ad omnes morbos sanandos,

dos, ad omnes sanitates tuendas assiduò patet. Sed quia horum finis in enarrando nullus esset, & præstat illius usus, & fructuum finem nullum facere, & præsens caput sive provisio multum in longum processit, oportet ut ejus explicandæ (at non practicandæ) tandem finem faciamus.

PROVISIO VI.
Per Intentionum multiplicationem ad unum etiam opus.

APud homines proverbium est, qui uno cane duos simul lepores captat, neutrum capit. Nimirum pluribus intentus minor est, ac tandem neque sufficit, ad singula sensus. Unde etiam vulgò ridiculum est, unâ fideliâ duos parietes dealbare; aut unâ pecuniâ, plures simul merces emere, aut uno oculo sursum simul deorsumque aspicere. Quavis autem hoc ita sit apud homines in curis negotiisque hominum, sive humanis: paulò tamen aliter est, in negotiis ac negotiationibus Spiritualibus & Divinis, quas scilicet homines cum Deo, & cum Animabus exercent. Possunt enim Spirituales negotiatores, unico cane plures simul lepores persequi & capere. possunt unicâ pecunia, plures simul merces emere, possunt, inquam, uno aliquo opere suo, debitè perfecto, plures simul fructus à Deo consequi, meriti, impetrationis, satisfactionis, possunt plures virtutes exercere, possunt plura bona postulare & impetrare, possunt pro pluribus debitis obligationibusque simul satisfacere. Ad quod consequendum, sufficit sola intentionum multiplicatio. hæc enim quanta fuerit, & quocunque se porrexerit imperio & usu voluntatis humanæ, tanta erit capacitas feracitasq; operis ad plures intentiones à voluntate directi.

Hæc igitur sit una etiam Senectutis, declinantisque ad occasum ætatis ac vitæ provisio: ut siquidem desideret multas uno labore ac tempore conatuque, spirituales opes meritorum, tam gratiæ quàm gloriæ conquirere, plurium simul virtutum actus exercere, plura simul poscere & obtinere, plures obligationes exsolvere, plures simul perfectiones operi suo etiam unico adhibere: det operam, ut per voluntatem suam, plura & plura simul intendat; plurium virtutum motiva, operi suo præfigat: plura promerenda Dei dona designet, plura postulanda sive naturalia & temporalia, sive supernaturalia & spiritualia proponat, plures obligationes explere statuat, pluribus personis religionis honorem, juxta cujusque gradum exhibere desideret, plures perfectiones perfectionum è sublimitates operi unico annectat: totumque hoc solius voluntatis suæ efficaciâ faciat: & quod desiderat, totû pro latitudine, simulque fervore & conatu voluntatis (quod devotionem Spirituales vocant) assequetur.

Pluribus hæc doctrina aliàs exposita, quin etiam hic aliquatenus in superioribus enarrata est, & repetere nihil attinet. sufficiet aliquod specimen eiusmodi intentionis multiplicatæ compendiosum afferre hoc loco. Sit ergo hujusmodi.

Sanctissima Trinitas unus Dignissime Deus: volo ab hoc tempore omnia & singula facere & pati, motivo, atque modo, & fine, quo Tu vis, & quia Tu vis, illa & à Te, & à me fieri atque pati. propter omnium & singulorum mandatorum, consiliorum, beneplacitorumque Tuorum perfectam adimpletionem: propter virtutum omnium Theologicarum, & Moralium Supernaturalium, naturalium quoque, sed supra naturam elevatarum, Donorum etiam, Fructuumque Spiritus Sancti in omni congruo mihi gradu assecutionem, exercitationem, incrementum, postulationem; propter gratiæ sanctificantis gloriæque beatificæ in me apud Te, propter Te, promeritionê, confirmationem, auctionem: propter instituti, officii, debitique omnis mei adæquatam executionem; propter totius mundi in genere, specie, individuoque auxilium; propter omnis pœnæ meæ (nec non & omnis quoad licet alterius creaturæ) temporalis, spiritualis ac æternæ expiationem; propter mei ad omne auxilium tuum supernaturale, congruum, & efficax, & finale, capaciorem dispositionem: propter quater-sanctæ Quaternitatis, hoc est, propter omnium Electorum Hominû & Angelorum, Pretiosissimæ Parentis, Jesu Christi, Tuum honorem & imitationem. Super omnia verò, propter omnimodam tuæ Dignitatis exaltationem: tui gustus recreationem. Tuæ adorandæ voluntatis executionem: summæ bonitatis dilectionem: mei denique in omnibus, & per omnia, universalem annihilationem & vilificationem; Amen.

Huic praxi atque formulæ, licebit interſerere per otium, & fervorem, ſpecificas virtutes, perfectiones, poſtulationes, gratias, pænas, debita, perſonas, negotia, difficultates, pericula, cæteraſque intentiones: pro quarum expreſſione & latitudine, ſimul ac mentis fervore, creſcet tam efficacia, quam copia cõſequendi.

Aliud paradigma intentionis multiplicis paulò explicatius affero, ut habeatur praxis Intentionis perfectæ, & ut deſumi poſſit, ars veluti quædam ſpiritualium tum intentionum, tum varietatis earum, tum reflexionum ad perfectiones, ſublimitates, purificationeſque mentis & cordis noſtri in operando. Sit ergo:

Sanctiſſima Trinitas, unus Deus, Dominus meus: Ego N. ſervus tuus, me totum, & totam ſubſtantiam meam, ac vitam & omnes actiones paſſioneſque meas, totius vitæ meæ: in ſpecie autem omnes hujus diei, tam ordinarias, quàm extra ordinem impræviſè incidentes, omnes quoque earum circumſtantias: omnibus & ſingulis ſpecialiter interſertas, adjunctaſque atomos item earum, & momenta, mutationeſque ſingulas: creaturæ quoque Tuæ cujuslibet ſubſtantiã, actionem, paſſionem, mutationem, momentum, atomum, circumſtantiam quamlibet, Tibi, pro me, proque omnibus creaturis mihi in perſonatis, offero ſemel pro ſemper ad hoc quidem,

Principaliter. Ut intentiones, voluntates, guſtuſque Tuos Divinos tam internos, quàm externos, etiam quantum ex me, approbem, impleam, honorem, imiter.

2. Ut etiam intentiones Jesu Chriſti omnes, erga Te Patrem ſuum æternum, erga ipſum Se, erga nos habitas, honorem, æmuler, impleam.

3. Tum verò ſecundariò ad hoc; Ut Tibi Deo Domino meo, pro omnibus, cum omnibus, & per omnes, amorem, laudem, adorationem, exaltationem, obedientiam, timorem, fiduciam, reverentiam, omnemque debitam religionem ac devotionem exhibeam, non exhibitam verò aliquandocunque ſuppleam.

4. Ut gratiam actualem habitualemq; gloriam item ſubſtantialem & accidentalem omnem, majorem ac majorem apud Te in cœlo promerear: ad eamque me, omni, & in omni meo, & cujuslibet creaturæ actu, quomodocunque bono, & à me nunc mihi aſſumpto, ſpecialiter autem, in Eccleſiæ, ac meo Sacrificio, in omni quoque Sacramento à me recepto ac recipiendo, promerendam, recipiendamque, ampliùs & ampliùs diſponam: eamque finaliter, ſicut Tu potes, ſcis, & vis obtineam.

5. Ut juvem animas tam in peccato, quam in purgatorio poſitas.

6. Ut impetrem omnia omnibus, quæ Tu Domine potes, ſcis, & vis, nobis congrua.

7. Ut exaltem imiterque Jesum Chriſtum, & ejus Pretioſiſſimam Parentem, Sanctoſque omnes.

8. Ut vilificem, mortificem, abnegem, humiliem, perdam me Chriſti-formiter.

9. Ut faciam exhibeamque propter Te, charitatem, juſtitiam, miſericordiam, liberalitatem, exemplum, omni meo proximo, etiam ignoto, inimico, & ingrato.

10. Ut retractem, expiem, ſuppleam omnia mala, omnes neglectûs, omnia damna noſtra, Tibi Sanctiſſimo perfectiſſimoque Deo noſtro, quovis modo, in quovis modo, in quocunque ex nobis diſplicita.

11. Ut gratias agam pro omnibus & ſingulis beneficiis, gloriæ, gratiæ, naturæ, ſuper nos omnes, & ſingulas creaturas tuas, à Te profuſis.

12. Ut adorandam voluntatem tuam omnem, bonam, beneplacentem & perfectam, expleam; eique me perfectè conformem, ſemper, omnimode, per omnia, ſponſaliter, transformativè. Et hoc quidem ad ſaginandum guſtum Tuum Divinum, millies, millies infinitieſque majori proportionaliter glorificatione: cum millies, millies majori proportionaliter fervore, ac ferventiori exercitatione, cujuslibet atomi ac momenti ſuper aliud, cujuslibet actionis atque paſſionis ſuper aliam, cujuslibet circumſtantiæ ac mutationis, ſuper aliã. In unione ac balneo Pretioſiſſimi Sanguinis meritorum que Jesu Chriſti. Pretioſiſſimæque ejus Parentis, Sanctorumq; omnium triumphantium ac militantium. quia Tu ita vis, & dignus es Deus meus: & quia ita ego debeo velle, voloque debere Tibi Uni Trino Deo meo. Propter nullum bonum meum, quatenus meum, ſed propter omne bonum Tuum, quatenus Tuum. ad exaltandum Te, juxta mẽſuram indignitatis meæ: in æternum & ultra: quamdiu Tu Deus eris Deus. Amen.

Occurrit adhuc, tertia, multiplicis ac fœcundæ intentionis praxis, quam afferre hoc loco, ſuperfluum non erit. partim

ut feli-

ut seligere cuique liceat, partim ut quod in una minus explicitum appositumque sit, apponere ex altera fas sit, partim ut iidem, qui supra ex secunda praxi fructus promissi sunt, ex hac etiam tertia desumi possint. Sit igitur hæc.

Per omnes & singulas actiones & passiones meas, universaliter & incessabiliter, & irretractabiliter Toto me.

1. Intendo unam, solam, semper, ubique, per omnia momenta majorem Sanctissimæ Trinitatis Dei nostri gloriam, gustumque voluntatis & exaltationem Dignitatis ejus, propter illum ipsum, per Jesum Christum: juxta intentiones Dei atque Christi erga se & erga nos, ad intra & ad extra.

2. Intendo exaltationem Domini nostri Jesu Christi, Pretiosissimæ Parentis, omniumque Electorum, propter Deum per eundem Jesum Christum.

3. Intendo animarum in purgatorio auxilium, quantum ego possum, & illæ capaces sunt; juxta, & propter voluntatem, voluptatemque Dei & Christi, & Pretiosissimæ Parentis Electorumque omniũ, juxta Donum meum.

4. Intendo dispositionem mei omnimodè perfectam ad gratiam & charitatem & Dona Spiritus Sancti ejusque fructûs, & ad omnem virtutem in omni gradu congruo.

5. Intendo dispositionem mei ad gratias actuales omnes, opportunas, copiosas, efficaces, finales, tam in Sacrificio, quàm in Sacramento, quàm extra illud in omni actione & passione.

6. Intendo emundationem mei coram Deo, ab omni tam culpæ, quàm pœnæ, præsertim spiritualis obligatione, in Sãguine Iesu Christi Domini nostri.

8. Intendo auxilium agonizantium, & in peccato mortali, & in gravi calamitate ejusque periculo existentium.

9. Intendo auxilium totius Sanctæ Ecclesiæ militantis, Religionis, Domûs, & omnium meorum, quos Deus scit, & vult, Amicorum & Benefactorum, inimicorum quoque ac malefactorum.

10. Intendo præparationem mei ad sanctam mortem, ad pœnitentiæ unctionisque extremæ Sacramentum, & ad finalem in bono perseverantiam.

11. Intendo denique omnem effectum Adoratorium, Laudatorium, Gratiarum actorium, Impetratorium, Satisfactoriũ, Meritorium, Imitatorium, Suppletorium, Indulgentiarum.

12. Non tamen propter ullum bonum meum, quatenus privatum meum, sed pure, nude, totaliter, propter suavissimum gustum Dei.

13. Et omnia, toto me, toto universo, totisque atomis universi universalitatis, Toto denique super omnia Deo meo, ut sit id quod est, & quia est, id quod est.

14. In clibano ignis Seraphici, Mariani, Theandrici, in Iesu Christi sanguine. Quia, & Quare, & quomodo vult Quaternitas quater-sancta.

15. Et volo intendoque, ut omnis motus meus sit Renovatio & ratificatio, hujus totius intentionis atque approbatio illius æterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Alleluja.

Harum intentionum (vel alicujus ex eis) usus & exercitatio, non potest non esse supra modum utilis, & plurimorum in spiritu, & in omni gratia cœlesti profectuum ferax. modò sit & frequens, & constans, & cum intellectu, & cum penetratione atque ponderatione sensûs & devotione dilatationeque per desideria vastissima, placere & ditescere quam maximè Deo, cupientis voluntatis. Cum verò hoc ita sit respectu omnium hominum, certe vel maximè curandum erit, ut ita sit, iis, & aliis, quorum tempus breve est, quibus dies supersunt pauci & mali, de quibus plerumque dicant, quia non mihi placent. Talibus enim per vias compendii currendum omninò est, ut in brevi, & in parvo, lucrentur quàm maxima, quam plurima, eademque æterna.

PROVISIO VII.

Per Intentionis simplicitatem unitatemque.

PRoximè diximus Provisionem Senescenti, aut aliter quovis modo ad finem appropinquanti vitæ sive animæ faciendam esse, per cumulationem quàm maximam Spiritualium divitiarum: adhibendo ad eam veluti singulariter secundum medium, Intentionis nostræ varietatem, multiplicitatem, conglobationem. Hoc loco contrarium asserere velle videmur: volumus enim ad eam ipsã cumulationem spiritualium opum, adhiberi intentionis simplicitatem: atq; unitatem. Quod quomodo se habeat? quomodo cum proximè dictis cohæreat? jam ex dicendis apparebit.

Non est difficile homines divitiarum

valdè cupidos, eoſdem earum perſtudioſos reperire. Magna tamen eſt varietas ſtudiorum & mediorum, quibus ad diteſcendi finem tendunt. Volunt enim quidam, uno aliquo genere abundare, & in eo divites fieri contenti ſunt. Volunt alii plura bona coacervare. Volunt alii plurima, & ſi fieri poſſet, volunt quantum in ipſis eſt omnia cumulare. volunt alii unum aliquod opum genus conquirere & aggregare, ſed illud tale eſſe volunt, quod abſque varietate & multiplici congerie rerum minus pretioſarum, in ſe uno ac ſolo contineat multa, plurima, omnia. Tales ſunt v. g. qui ſola auro argentovè coacervando, & in immenſum congregando totis viribus inhiant; ducti nimirum auri argentique pretio, non tantum majore, quàm ineſt bonis, opibusve aliis, ſed etiam quia auri argentive licet non maxima maſſa, in ſe tamen contineat pretium aliarum rerum, eſto quàm maximè multarum, in unumque collectarum. Unde unius ſoliusque auri ſtudio, videntur ſibi æquare, imò excedere ſtudia plurimarum ab auro rerũ: & unius auri maxima congregatione, credunt ſe eo ipſo in divitiis, omnes alios auro minus, aliis verò licet rebus valde divites excedere. Nimirum aurum tale quiddam eſt (aut magis ab hominibus putatur eſſe) quo curato omnia curantur, cumulato cumulantur omnia: habito poſſeſſoque habentur & poſſidentur omnia bona, omniaque divitiarum genera.

Tale quid invenire eſt in Spiritualibus hominibus atque ſtudiis. omnes diteſcere ſpiritualibus bonis volunt, & ſtudent: ſed ſtudia eorum alia atque alia ſunt. Contenti ſunt alii conſcientiam à peccatis grandibus mundam habere. alii paſſionum dominium, vitiorum carentiam appetunt. Curant alii contemptum rerum caducarum ſolo affectu. alii etiam re ipſa, imò & voto adjecto, eundemque plenè exequuntur. Alii ſtudent & ſciunt cuſtodire vas ſeu corpus ſuum in honeſtate. alii unam, aut aliquot ſupra unam, virtutes ſeligunt, in quibus proficere inſigniùs ſatis habent. alii proficere in plurimis aliquantum cupiunt; alii intentionem bonam: alii meliorem, optimam alii, alii multas ſimul in operibus ſuis habere conſueſcunt; alii denique aliter & aliter ſalutem ſuam operantur, & per bona opera eandem certam facere ſatagunt. Sed nihilominus, præter, & ſupra hos, ſimileſque his, omnes ſunt, qui ab Apoſtolo moniti, æmulantur chariſmata meliora: ſunt, quibus ab eodem Excellentior via demonſtratur; ſunt qui audiunt ab Apoſtolo dici ſibi. *Qui diligit, legem implevit. Charitas nunquam excidit. Charitas Deus eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Sine charitate nihil mihi prodeſt, Nihil ſum. eſto habeam fidem ita, ut per eam montes transferam, eſto loquar linguis hominum & Angelorum, eſto noverim Myſteria omnia. eſto liberaliſſimâ in cibos pauperum ſubſtantiæ meæ diſperſione, evaſerim nudiſſimus, ac pauperrimus, eſto tradiderim corpus meum etiam in ignem conſummando Martyrio. eſto Dominum meum de ſubſtantia mea non ſolum honoraverim, ſed etiam in carne manentem inter nos paverim, & circa frequens miniſterium ipſi in perſona Dei Filio exhibendum, ſolicitus fuerim.

Ita nimirum etiam in his ipſis diſtinctiones & aſcenſiones cordium ſunt: etiam in his; ſemita juſtorũ quaſi lux ſplendens procedit & creſcit usque ad perfectum diem, etiam in his ſunt, qui faciunt voluntatem Dei bonam tantum: alii qui etiam bene placentem exequuntur, alii qui completis prioribus evadunt inſuper ad perficiendam perfectam, & ſuper eminentem charitatem, comprehendunt in latum, longum, altum & profundum, progreſſi de virtute in virtutem, usque eo pertingunt, ubi videatur Deus Deorum in Sion. Totum hoc quod dicimus, ſeu dicere magis volumus, explicavit & comprehendit Dominus noſter paucis illis verbis, quæ de duabus ſororibus ſuis amatricibus protulit. Una eadem Martha nomine, ſatagebat circa frequens miniſterium, quin & ſtudio vehementiori urgente, turbabatur erga plurima obſequia & deſideria, inſuper ſociam ſororem, in partem laborum vocare conata, ipſum Dominum rogare non dubitavit, eam ut apud pedes Domini otioſè ſedentem, & de juvanda ſorore nihil minus cogitantem, ſurgere, & ſibi auxilio eſſe juberet. Alia verò ſoror ejus Maria, velut ignara, aut parum ſtudioſa Hoſpitis ſui, qui intraverat in domum caſtellumque ſuum, de nullo penitus miniſterio, præſenti & Hoſpiti ſuo Domino exhibendo laboravit, ac ne cogitavit quidẽ, ſed ſedens ſecus pedes Domini ſui confabulatur, ſecura & otioſa cum ipſo, audiebatque verbum illius. Quis hæc, vel audiens, vel intuens, duarum iſtarum ſororum circa Dominum IESUM officia & ſtudia;

studia, non præferat Martham Mariæ, non plus laudet atque æstimet labores circa plurima in gratiam Domini susceptos in Martha, quàm otiosam solam sessionem ad pedes Dominicos in Maria? quis non ampliorem spondeat benedictionem & commendationem à Domino obventuram Marthæ, quàm Mariæ? Sic utique nostris calculis res & lis ista determinaretur. hoc & ipsa Maria, sororem suam interpellantem, contra se Domini judicium audiens, contra se decerni metuebat.

Sed enim aliter sapientia & veritas æterna sententiam de ambabus tulit. dixit enim. *Martha Martha solicita es & turbaris erga plurima. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit: quæ non auferetur ab ea.* bonum erat Marthæ ministerium & solicitudo, turbatioque *circa plurima*, at unum melius erat, quod quia elegit Maria. Optimam partem se elegisse audiit, & insuper nunquam à se tollendam, in promisso accepit.

Hoc ergo unum: hanc optimam partem: hanc nunquam auferendam ab Electore sui, dicimus & vocamus & ostendimus esse intentionem, seu intentionis simplicitatem, & unitatem, & nuditatem, & celsitudinem: quæ quia charitas est, & charitas perfecta, quatenus etiam in hac vita esse, haberique potest, & charitas perfectissimo modo exercita: ideò illa *Unum* hoc Dominicum est, ideò illa optima pars est, ideò illa sola quærenda & exercenda est, ideò illam solam & unam exquirere, unam solam petere, unam solam exercere, unam solam cumulare, unam solam possidere: est possidere aurum quoddam, omni auro magis aureum, magis obrizum, magis pretiosum; quo auro Spiritûs ditescit solo, æquat, excedit, prævalet, explet & superexplet, omnium reliquorum bonorum spiritualium possessionem, & ejus sola quæsitio, melior est possessione auri & argenti.

Hanc igitur charitatem intentionis, seu intentionem charitatis unius, solius, simplicis & nudæ, & puræ: exerceat, quin & assiduè frequentet, quisquis in spiritu ditescere, magno quidem & unico compendio, sed summo, & omnibus æquiparando divitiis internis augmento desiderat. Desiderare autem hoc ille omnis quàm maximè debet, quisquis videt sibi appropinquantem finem, & cui jam re ipsâ dicitur, Operamini dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. *Venit nox, in qua nemo operari potest:* nox utique mortis, postquam non est operari, ac multo minus est invenire cibum: nisi quis hac in vita operatus fuerit cibum; non tamen qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Æternam dico, imò Dominus dicit: ut quilibet apud se concludat, tantum sibi operandum esse hac in vita, quantum sufficiat pro æterna vita. Cùm verò temporis ad æternitatem nulla sit comparatio: propterea quantumcunque multos quis se vel cibos operatum esse, vel thesauros opum coacervasse putârit, aut etiam viderit: certus sit, totum illud & parum & nihil prorsus esse si cum æterna vita, in qua cibis in tempore partis erit vivendum in comparationem venerit. Non cesset ergo manus nostra, non cesset pes noster, non cesset labor noster, non cesset industria, avaritia, fames, sitis, orexis, cupiditasque nostra: vel ob hoc solum, quia hoc quidem tempus nostrum, quod provisioni faciendæ datum est, finē in proximo habet, æternitas autem pro qua nobis providendum est, Æterna, & ipsa Æternitas est.

Sed jam in quo consistat hæc intentionis adeò nobilis simplicitas atque unitas, omnibus æquivalens, multis etiā prævalens, delineandum est. Compendiosiùs id dicere, pleniùsque simul non possū, quàm verbis ipsius Christi, nos ita & orare & operari, & pati omnia & singula, & semper docentis, ut in omnibus & ab omnibus, & per omnia nostra, Sanctificetur nomen Dei ac Patris nostri, qui est in Cælis. Adveniat regnum ejus in omnes creaturas, & propagetur magis ac magis semper inter eas, & fiat voluntas ejus sicut in cælo, ita & in terra. sicut in corde Dei, ita & in corde omnis creaturæ: idq; totum, ob aliud nihil, nisi ut sanctificetur nomen ejusdem Dei Patris, & adveniat floreatque Regnum & gloria Majestatis ejus, & fiat voluntas ejus sicut in cœlo & in terra: quia hæc est Dignitas voluntatis ejus, & voluntas Dignitatis illius. Hoc si indiget explicatione, ita explicari potest. Intentio simplex, & una, & nuda, & sublimis, & pura, & defæcata est, operari aut pati ad unius soliusque Dei, Optimi, Maximi, Dignissimi mentem seu voluntatem, ad exaltationem ejusdem seu gloriam, ad contentationem expletionemque, seu gustum & voluptatem ejusdem puram, solam, quatenus ejus, & quia ejus, & quomodo ejus est. Absque ullo ad creaturæ placitum intuitu, absque ullo ad tuum (qui operaris

raris seu' pateris & intendis) proprium gustum commodumvè respectu, absque ullâ ad te ipsum conversione, absque ulla tui met in operando, & operatione spe, quæsitione, consolatione. Ut exaltetur ubique amplius & amplius semper solus Deus, ut glorificetur & regnet in omnibus pleniùs & plenius semper solus Deus, ut impleatur & fiat ab omnibus in omnibus perfectius & perfectius semper sola voluntas Dei, & non ob aliud quidquam, nisi quia ille Deus: quia ille dignus Deus; quia hæc est voluntas ejus. tam imperans, quàm dirigens, quàm informans seu transformans.

Sic effici, sic perfici, sic informari, transformarivè, est exui & exire quidem à seipso, perire ac mori sibi, omnique simul creaturæ & affectioni creatæ, vivere autem Deo, transire in Deum & Deificari est. Sic constitui, est Optimam partem elegisse, & assecutum esse, est unum necessarium possedisse & obtinuisse, est omnibus & sibi dispertisse; solum autem & unum Deum prævalentem omnibus bonis & donis invenisse, introisse, immigrasse, inhabitasse, in eum se beatissimo commercio immutasse, eumque pro se accepisse, & se in eum indivinasse. non quidem entitate sed voluntate, non substantia sed affectione: non essentiâ, sed charitate, nondum gloriâ, sed solâ adhuc gratiâ, olim autem in futuro etiam Gloriâ. Sic se habere, est se non habere, sed Deum pro se possidere. sive, est se, non in se, sed in Deo meliùs habere, est nihil habere, & omnia possidere, est omnia in uno, unum pro omnibus habere, sive illud sit, quod purgat animam, sive illud quod exornat cor: sive illud quod unit & identificat Deo: auferens omne, quoad fas huic vitæ, non tantum aliud, non tantum disparatum, non tantum adjacens, sed etiam medium, etiam unitivum, retinens solùm, quod faciat unum, faciat idem, faciat nihil sui, faciat totum quod est unus & solus Deus, una, pura, & simplex Divinitas. Atque hoc præstat unica, simplex, pura, defæcata Deiformis intentio: cujus exercitium, usus, praxis, habitus, omnia alia obtinet, supplet, inducit, evincit, exsuperat, accumulat cum immenso fœnore, omnia alia Spiritûs & virtutis, & perfectionis exercitia. De quo hæ dixisse sufficiat. Nam paradigma ex paulò ante dictis facile confici potest, & confecit tum in hac, quam nos docuit, tum in sua quam ipse in corde, & ore, & opere, semper habuit formulâ Christus. Ut cùm orans dixit: Nō *quod ego volo Pater, sed fiat voluntas tua*, Et iterum. *Ita Pater: quoniam sic placitum est ante te*. Et rursus. *Ego quæ placita sunt Patri, facio semper. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; Denique verbum ejus est illud. *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam*. Itemque illud. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Et omnis qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & Mater est*. in quibus omnibus Domini nostri sententiis, & sensus, & medulla, & praxis hujus, de qua locuti usque huc sumus, Intentionis est. quam in Christi sensu præsertim, usurpare, satis erit, & vota usurpantis excedet.

Luc: 22. 42 — Matt: 11. 26 — Io: 8. 29 — Ps: 39. 8. — Matt: 12. 50

PROVISIO VIII.

Per tuarum omnium actionum, passionum, intentionum, rerum, cum omnibus creaturis communicationem.

NOtum est, omnes nos quicunque in hoc universo creato, tam visibili sublunari, quàm invisibili, superque cælesti continemur, ab uno Deo tanquam authore & factore opera, tanquam a Patre filii, tanquam a fonte rivuli, tanquam à radice rami, procedunt, sic procedere. ob quod meritò jubemur dicere Deo nostro, *Pater noster qui es in cælis*. nimirū quia tanquam filij unius Patris Dei, factoris nostri sumus omnes nos. Ob quod etiam mutuo quodam nectimur vinculo, inter nos, ut alii aliis præstemus obsequia alii ab aliis accipiamus beneficia, alii aliorum supportemus onera; Ob hoc etiam nemo sibi soli vivit, sed aliis pluribus, imò suo modo omnibus; ob hoc nemo quæ solum sua propria sunt quærere debet, sed quæ multorum, atque adeo quæ omnium. Ob hoc nemo soli sibi placere debet, sed omnibus, faciendo omnibus ea pro posse, quæ secundum Deum iis conducibilia sunt. Ob hoc denique, nemo Deum laudare, gloriam ejus procurare, voluntatemque facere debet, pro seipso ac uno solo, sed etiam pro aliis, imò pro omnibus. & singulis concreaturis suis, pro quibus, eorum omnium debitor est Deo obsequiorum, quorum est debitor pro seipso, imò fortè tanto plus debet pro aliis omnibus, quàm pro uno seipso, quanto omnes simul præstantiores

sunt

sunt solo ipso, licet nemo aliorum tantum curam gerere debeat, neglecto seipso. Nam dicetur illi. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, se autem ipsū perdat.*

9. 23.

Ex his ergo fundamentis quæ perstricta sunt, consurgit hæc Provisio præsens, per quam fructuosè, quoad meritum gratiæ & gloriæ, aliarumque virtutum profectum, opera sunt coram Deo factitanda ab omnibus, qui ejusmodi fructuum perstudiosi sunt. Esse autem debent omnes quidem homines, at ex speciali causa ii, quibus tempus suæ resolutionis instat, & jam ad metas vitæ accedere se sentiunt & aspiciunt. Id verò est quod dicimus: ut, quisquis talis est, & per hoc quod adhuc superest temporis, copiosè coram Deo ditescere percupit: omnem suam quanta quanta illi est corporis, animæ, personæ, substantiam, omnes partes, potentias & vires, omnes aptitudines, habitus, dispositiones, omnes operationes, passiones, alterationes, omnes appetitiones, desideria, curas, omnes circumstantias, capacitates, conditiones, omnia loca, tempora, adjuncta: omnes atomos, omnia instantia, omnes possibilitates, omnia denique à se quovis modo provenientia, nec non ad se quomodocunque pertinentia, pertingentia, atque uno verbo qualitercunque sua: non velit esse tantum sua, nec velit tantum sibi soli esse, durare, servire, agere, prodesse, sed intentione voluntatis suæ velit & faciat ea esse omnium omninò rerum aliarum, velit omnibus prodesse, omnibus servire, omnibus existere, & inexistere: nominatim velit & intendat, omnibus & pro omnibus Deum nosse, credere, prædicare, amare, adorare, audire, laudare, venerari: pro omnibus velit Deo servire, subesse, obedire, voluntatem exequi, conformari, adhærere, vivere, operari, pati, mori. Debet ipse humilitatem Deo, debet fidem, debet spem, debet timorem, debet charitatem, debet religionem, debet orationem, debet justitiam, debet misericordiam, debet patientiam, mansuetudinem, proximorum amorem &c. hæc eadem omnia debent Deo pro suo statu omnes reliquæ creaturæ præteritæ, præsentes, futuræ, possibiles. Hæc ergo sua debita, dum solvit Deo pro se, solvat simul tanquam pro omnibus singulisque creaturis; ita ut ex intentionis applicationisque ipsius vi, efficaciâ, latitudine, extensioneque, omnis ejus actio, sit quasi omnium creaturarum actio: omnis ejus humiliatio coram Deo, sit quoque omnium creaturarum coram Deo humiliatio: omnis ejus oratio ad Deum, sit omnium, sit pro omnibus oratio: & sic de aliis.

Esse hanc coram Deo fecundissimam Provisionem & valdè aptam ad coacervationem spiritualium opum & divitiarum, nemo, ut opinor, nō videt. Superest ergo, ut hæc Provisio in praxi sit, & apud omnes quidem; sed speciali ut dixi ratione, apud omnes eos, quibus vitæ hora novissima fluit. Quibus author sum, ut hujus Provisionis materiam, hoc est, ut istam cōmunicationem suarum rerum cum omnibus creaturis, non tantum ad præsentes creaturas, omnes futuras, omnes possibiles, omnesque obligationes earum ad Deum &c. faciendo sua omnia non tantum suo, nec tantum nomine creaturarum præsentium, sed etiam præteritarum futurarumque possibiliumque nomine; quandoquidem cum his omnibus habet homo aliquam in Deo & ex Deo fraternitatem, habet etiam in se magnam cum præteritis, habiturusque cum futuris connexionem, vel ob suam ab aliis, vel ob earum à se dependentiam in essendo, vivendo, operando &c. possibilibus etiam hoc debet: quia ipse existendo occupavit locum aliarum possibilium, quæ ideò non existunt: quia ita expedire, visum placitumve est apud inscrutabilem Dei, sapientiam, rerumque, nulli nisi Deo soli cognitam combinationem.

PROVISIO IX.

Per Communicationem omnium creaturarum tecum.

Oppposita priori, sed ex iisdem deducta fontibus Provisionis faciendæ ratio Sumus omnes unius Patris filij, unius fontis rivi, unius Hæredis possessio, unius Patrisfamilias familia, ergo omnium nostrum communis debet esse in rem nostri Patrisfamilias labor, in rem Possessoris & Hæredis reditus seu fructus, in honorem Patris, veneratio. ergo quod fecit unus, tanquam omnes facere debet, & omnes facere debent, quod faciunt omnes tanquam etiam unus facere, & unus quoque facere tenetur. Nimirum respectu Dei, creaturarum omnium omnia sunt communia, sicut creaturæ omnes in Deo sunt unum, & Dei sunt omnes, & Deo sunt omnes.

Hoc ſuppoſito, jam Proviſionis præſentis ſubſtantia in hoc conſiſtet, ut homo divitiarum ſpiritualium cumulandarum perſtudioſus, partim ſciat, partim faciat (voluntatis intentione) ſe unum eundemque cum omnibus creaturis & rebus: unum autem per & propter Naturæ communionem & conditionem, majorem quidem cum aliis, minorem verò cum aliis, cum omnibus tamen aliquam, & certè non exiguam neque unam. Etenim cum omnibus habet commune Originale ſuum Nihil & non eſſe, ex quo eſt. cum omnibus etiam habet communem creatorem, à quo ex non eſſe ad eſſe traductus eſt. cum omnibus habet communem fontem eſſendi, ſcilicet Dei eſſentiam, cujus participatione aliquid omnia ſunt, & cujus ſimilitudinem bonitatem, potentiam, omnia aliquo modo imitantur: communem habet etiam, cum omnibus aliquem, ſaltem unum, gradum Naturæ. Eſt enim ſicut omnia ſunt, vivit ſicut omnia viventia, ſentit ſicut ſentientia omnia, intelligit ſicut rationalia omnia, ſpiritus eſt ex parte, ſicut omnia ſpiritualia: communem etiam finem cũ omnibus, Dei ſcilicet gloriam & ſervitutem, cum pleriſque etiam, vitam gratiæ & gloriæ, fidei quoque, ſpei, charitatis, Sacramentorum etiam & Sacrificiorum, legum, rituum aliorumque mediorum, fini ſeu naturali, ſeu ſupernaturali ſubſervientium. His poteſt addi communio Nationis, ſanguinis ſeu generationis, cohabitationis in una domo, urbe, Regione, & alia his ſimilia.

Sic unum cum omnibus ſe partim ſciens partim faciens homo, omnia etiam omnium rerum ſua partim ſciat, partim faciat (ſive ſint ea Naturæ & Entitates & perſonæ & ſuppoſita, ſive partes & potentiæ, ſive operationes paſſioneſque, ſive effectus & circumſtantiæ & conditiones & poſſibilitates, & atomi & denique omnia ad omnes attinentia) omnia ſibi uſurpet, omnia ſe quoque cum omnibus, in omnibus, per omnes operari & pati ſciat, faciatque intendendo: omnia hæc in Deum, in ejus gloriam, obſequium, venerationem, dilectionemque dilectioniſque affectum dirigat, omnia virtutibus & conditionibus ſupernaturalibus, & ad meritum gratiæ gloriæque apud Deum idoneis imbuat, Fine atque ſcopo, quo poteſt & vult ſublimiſſimo, Divinoque guſtui placitiſſimo afficiat, Sanguini & meritis Jesu Chriſti, omniumque Electorum uniat, ornet appretiet:

A perinde ac ſi omnia ejus eſſent, ſicuti revera ſunt ejus, cùm ſint eorum, qui ſunt aliquid ejus, & unum quiddam cum ipſo, & intentione, applicatione, uſurpatione, directione ejus, propriá facta ſint, & fiant ejus.

Licebit ergo homini, omnes res inanimatas, ſummo cœlo ad usque terræ centrum contentas, omnes, inquam, & ſingulas, omneſque earum partes, vires, effectus, alterationes, atomos, quæ fuerunt, ſunt, erunt, eſſe poſſunt, in ſe quaſi unum, vel ſe unum in omnes, transferre & imperſonare: & pro omnibus, cum omnibus, in omnibus, denique omnibus illis,

B Deum agnoſcere, amare, laudare, exaltare, venerari, voluntatem ejus exequi, ſe humiliare, ſe in ejus manus dare, donare, reſignare. Deum prædicare, voluntatem ejus annuntiare. modo illo quo *cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*. illo modo, quo *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*. adeò quidem luculenter & ſonore, ut *in omnem terram exiverit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Si enim *cæli enarrant Dei gloriam*, etiam faciunt Dei voluntatem, etiam poſſunt ſe humiliare coram Deo, etiam poſſunt ſe ſubdere Deo, etiã

Pſal. 18.

C poſſunt agere gratias Deo, etiam poſſunt juſtitiam, miſericordiam, dilectionem exhibere aliis propter Deum, eo modo, quo per innatam capacitatem jubentur à Deo. Et quod faciunt cæli, facit ſol, luna, planetæ, ſtellæ, faciunt virtutes ſiderum, & lumen & motus; facit ignis, aër, aqua, terra, cum omnibus quæ in eis ſunt. His ſi accedat hominis alicujusvé creaturæ rationalis intentio applicatioque devota, meliùs & nobiliùs & gratiùs Deo, & utilius homini, idipſum facient.

Licebit conſimili ratione homini, omnes res viventes, vitam vegetativam

D habentes, cum ſuis omnibus accidentibus, conditionibus, circumſtantiis, ſuas facere, ſe omnibus inſerere, unire, imperſonare, & quidquid illæ ſunt, agunt, patiuntur, his omnibus in Deum ferri & affici, hæcque omnia morali bonitate ſupernaturali, virtutibusque quibuslibet Deo gratioſis imbuere, Deoque offerre, Deum omnibus, & pro omnibus laudare, colere, amare, Deo obedientiam, juſtitiam, charitatem ſui & proximi, miſericordiam, modeſtiam, manſuetudinem, humilitatem, patientiam, caſtitatem, devotionem, & quidquid demum Deo placitum eſt, his, & pro his omnibus, jam ſuis, & à ſe perfectis exhibere, atque

præſen-

præsentare. Moveatur folium in arbore, cum motum faciat hominis voluntas suum, faciat eum humilitatis, obedientiæ, timoris, fiduciæ, amoris actum. toties humiliabitur voluntas hominis coram Deo, toties obediet, amabit Deum, quoties movebitur folium. Par de aliis ratio.

Licebit hoc ipsum homini facere cum omnibus animantibus brutis, volatilibus, Natalibus, gradientibus, serpentibus atque reptilibus; omne quidquid illa sunt, possunt, agunt, patiuntur, in totis se aut suis partibus exterius interiusque, per omnes sensus suos exteriores interioresve faciat homo suum, faciat se, faciat tanquam factum perpessumve a se, & per se (per hoc enim factum, & fit, cũ quo habet commune esse) imbuat hoc intentione directa in Deum, & oblatâ offerenteque hæc omnia eidem Deo; imbuat supernaturalitate, finis aut medii, imbuat virtute seu Theologica, seu morali quacunque, imbuat actu cujuscunq; virtutis, perfectionis, sublimitatis, imbuat unione meritorum Christi & Electorum ejus. Quidquid omnia & singula fecerunt, faciunt, facient, facere possent, si essent, quidquid etiam patientur, quavis alteratione, in se totis, in suis partibus, in suis atomis; totum id meritorium erit homini per intentionem hæc sublimanti, & suum facienti, Divinæque voluntati & gustui probanti, erit inquã meritoriũ gratiæ & gloriæ, erit augmentativum omnis virtutis, perfectionis, habitusque boni.

Licebit hoc ipsum homini facere cum omnibus Rationalibus creaturis, sive sint homines reliqui, sive sint Angeli & Spiritus puri. Totum hoc quod homines præteriti, præsentes, futuri, possibiles, item quod Angeli existentes, aut possibiles, sunt, agunt, patiuntur, in totis se, in potentiis, viribus, partibus, atomis, momentis, æternitatibus suis, faciat homo suum, faciat a se factum seu perpesũ, in corpore, in anima, in persona, in externis, attingentibusque rebus, circumstantiis, conditionibus: Deo hæc omnia singula, tanquam sua appropriata sibi offerat, his singulis omnibusque Deum credat, speret, amet, laudet &c. tanquã bonum suum omne, supremum, ultimum, supernaturale. Imbuat hæc omnia fine supernaturali, virtute supernaturali, una & pluribus, imbuat perfectione variâ, sublimi, Deo gratiosâ, uniat meritis Christi & Electorum ejus. Totum hoc erit homini sic imbuenti & operanti meritorium gratiæ & gloriæ æternæ. Sive creaturarum rationalium actiones, passionesque fuerint puræ, naturales sive supernaturales, sive fuerint bonæ moraliter, sive tantum entitativè, sive fuerint sanctæ & justæ, ac meritoriæ, sive fuerint etiam malæ ac peccaminosæ, sed quatenus (exclusâ malitiâ morali) habent entitativam bonitatem, ad quam Deus ipse per se concurrit, tanquã causa prima, eumque concursum & actum ut talem ad suam gloriam, ad aliosque sibi volitos fines refert. Quo fiet, ut actiones malæ, quæ operantibus erunt damnabiles: homini modo dicto, eas intendenti, & in Deum referenti, erunt salutares, & ad gratiam gloriamque cæteraque bona spiritualia proficuæ: Perinde quomodo dictum est, easdem actiones à Deo fieri, ad se referri, & ad gloriam nominis sui augendam, voluntatemque suam perficiendam converti. Itaque hunc in modum operanti, in suumque usum & fructum spiritualem convertenti omnia Homini, nulla erunt opera otiosa, nulla malitiosa, nulla perditione digna, sed omnia & singula, etiam damnatorum in inferno, erunt illi sancta, pia, justa, meritoria, gratiosa Deo, & digna Beatitudinis æternæ præmio.

Et quid potest hac industriâ esse feraciùs, quid hac provisione ditiùs, simulq; optabiliùs; modò ne Operantium hominum, divitiasque Spiritus cupientium cesset langueatque industria. Neque est quòd quis hæc reputet ardua, difficilia, & laboriosa. Nam inprimis solius est hoc liberæ piæ voluntatis opus, quod internum tantummodo esse sufficit; sufficit etiam interdum solum, identidemque reassumptum, repetitum, ratificatum esse, quod penè momentaneo voluntatis actu peragi potest: usu moderatè frequenti habitus contractus in animo, totum negotium facilitat, & in naturalem actionem convertit. Postremò in hoc peragendo, nihil omnino plus est laboris, quàm est in simplici vulgarique nostra operatione, nostrorumque propriorum operũ supernaturali & meritoriâ transactione. Probet qui volet, & advertet oculis suis tantundem esse in hoc atque in illo operandi modo laboris, temporis, fatigationis, conatûs, reflexionis, memoriæ & similium requisitorum.

Quare difficultas neminem deterrere debet ab hujus Provisionis exercitatione: quæ difficultas ut aliqua sit, facis, superq;

perq́; , & valdè excessivè compensatur Immensa fructuositate atque fæcunditate, quæ propemodum major & omni humana opinione, & spe , & cupiditate. Quod si in avaritia temporalium, rerum videmus non minui cupiditatem avarorum hominum, sed potiùs augescere amplius ampliùsque etiam extrema senectute gravescentium: quos difficultas augendi non deterret, neque ætate fractos licet, frangit; quid convenit facere? quomodo affici? quomodo invalescere & inardescere ampliori cupiditate divitiarum spiritualium æternarum Divinarumque, homines ad earum studium, & curam, & cumulationem factos,natos, ordinatos, quantumlibet corporeis viribus & annis debiles atque fractos! Si in perditè avaris crescit amor nũmi, quantum ipsa pecunia crescit: ita ut qui conquisivit decem millia nummorum, non cupiat acquirere insuper unũ nummum, vel duos, vel decem, vel etiam mille solùm, sed exardescat in cupiditatem studiumque conquirendi vel alia decem millia, vel etiam viginti millia; in Sancta & salutari avaritia cælestium divitiarum, quarum usus sit per omnem æternitatem, & quarum demum sit & cumulus & merces & finis Deus, quo nihil majus; nonne addecet homines Divinos, ut in eis crescat amor, crescat conatus acquirendi thesauri cœlestis, tantũ quantum ipse thesaurus crescit? ita ut nulla se offerat industria ditescendi, quam non sitienti & insatiabili animo, apprehendant, exerceant, continuent, & in omni labore, conatuque non tantum perseverent indeficienter, sed progrediantur ad alia aliaque, ad ampliora & ampliora, inexplebiliter.

PROVISIO X.

Per Communicationem cum DEO, & ejus divitiis atque Operibus ad Extra.

APerit (an operit meliùs dicam?) adhuc sese nobis Provisio quædam, quã, si nobis aditus patefiat, etsi ad usum exercitiumque ejus, ex Dei quidem parte liceat, ex nostro autem studio libeat, absque ulla & comparatione, & dubitatioee, in immensum immensius ditescere ex divitiis thesaurisq́; spiritualibus liceat. Deus namque est, & Deus quantus quantus est, qui venit nobis, exhibetque se, ut ex eo, ex omnibusque bonis ejus Provisionem nobis faciamus, quã in æternũ, & fruamur, & glorificemur. Utinam ejus explicationi nec intellectus succumbat, & desiderio voluntas sufficiat, & executioni vires non deficiant. Sed speramus adfuturum cum sua virtute gratiaque auxiliante illum, in quo & ex quo est omnis sufficientia & Provisio nostra.

Certum est, esseque debet, Deum esse super omnia creata, & ita quidem super omnia, ut omnes creaturæ tam possibiles quam existentes, ejus solius comparatione, magis non sint, quàm sint, & absolute nihil sint. Attestatur hoc Sapiẽtia Dei cum ait. *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum* (Domine) *& tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* (Sap. 11.) Expressiùs autem per Davidem loquitur sic. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* (Ps: 38. 6.) quæ verba non tantum ex Persona Davidis dicta sunt: sed etiam ex persona omnis absolute creaturæ, quoniam eadem omninò est, omnis atque unius creaturæ ratio & conditio coram Deo. Cui etiam perinde congruit illud, quod idem David, tam ex suo, quàm ex omnium nomine dixit. *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* (Ps: 15. 2.) Mira quidem sed vera ratiocinatio: ut dicatur, sitque Deus ideo Deus creaturarum omnium, quia nullius earum bonorũ eget: sed omnibus ille dat omnia affluenter, & non impropera: propter solius creaturæ bonum, propter nullum verò suum usum. Id ipsum legere est apud Isaiam luculenter omnibus prædicantem. *Ecce gentes (omnes) quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, reputatæ sunt. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus: & libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia illius non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum reputatæ sunt ei.* (Isa: 40.) Ut jam non debeat esse in admiratione clausula illa Davidica. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens*, & illa Salomonis altera. (Psal: 38.) *Vanitas vanitatum & omnia vanitas* (Eccl: 1. 2.) Nec non & illa Pauli assertio de Deo. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* (Rom. 4.) sive quia tam coram illo sunt nondum creata, quàm sunt jam creata: in ejus enim potestate est creare illa, sicut fuit creare ista: sive quia coram Deo tam nihil sunt quæ creata sunt, quàm illa sunt nihil, quæ creata adhuc non sunt. Ergo ut supra dicebam, in tantum est Deus noster super omnia alia, ut ejus comparatione, Nihilum, Inane, vanitas, & non existen-

existentia sint omnia.

Idem Deus noster est complectens & continens in se omnia. Quidquid enim creavit, qui omnia creavit, utique hoc esse, hoc in se habere debuit; & hoc de seipso, deque sua ipsius omnipotentia creavit, & omnibus apud se invenit principium. Hæc est argumentatio ipsiusmet Dei nostri apud Prophetam cùm ait. [Isa: 66. 9.] *Qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Hoc ipsum asseritur de Deo nostro illis verbis. [Sap. 1. 7.] *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis:* Et rursum. [Ps. 32. 6.] *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu oris ejus omnis virtus eorũ.* Deniq; [Joan: 1. 3.] *omnia per ipsum Deum* (scilicet verbum) *facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat.* Nemo siquidem dat alteri, quod non habet, quare cum Deus omnibus omnia, ipsa etiam sibi dèt creando, omniumque inveniat originem ea formando: necesse est, ut eadem omnia, in sese contineat: & omnia in eo continеantur, in ipsoque omnia vivant, moveantur & sint. [2. Mach: 7, 23.] Igitur in seipso Deus habet, atque continet cælos, & quæ in eis. [Act: 17. 28] Terras, & quæ in eis, omnia & singula. sive spiritualia & intelligibilia, sive materialia, & bruta, & inanimata. Non continet tamen ista Deus in se, tanquam sylva arbores, aut feras, aut tanquam mare pisces, aut tanquam navis vectores, aut tanquam arbor fructus, aut tanquam caula greges; brutæ essent enim istiusmodi cogitationes de Deo, sed continet hæc tanquam imperfecta perfectissimus, tanquam artifex arte facta, tanquam architectus domum idealem, tanquam causa effectus, tanquam mare fluvios & fontes continet (ut scholasticè loquar) eminenter, æquivalenter, & perfectiori modo, quam res ipsæ sunt in se. Proinde perfectius est in Deo cælum, quàm est in seipso; perfectior est sol in Deo, quàm in seipso; perfectior terra in Deo, quàm in seipsa; perfectiora denique omnia sunt, quatenus in Deo sunt, quàm quatenus in seipsis sunt. perfectiusque ibi operantur in Deo, quàm in seipsis. nunquam ibi aberrant aut deficiunt a fine in operando, ut hic in se existentes sæpè deficiunt. Nunquam ibi cessant earum operationes, & efficacitates, & fructus, & actus, quæ hic perpetuò transeunt, deficiunt, cessant, mutantur. & ab esse ad non esse, ab operari ad non operari desinunt. Michäel Angelus est in Deo, cum sua entitate, perfectione, activitate, operatione actuque omni, quem ab origine creationis egit, & quemcunque per omnem durationis suæ æternitatem peraget, éritq; sic in æternum. quemadmodum & fuit eodem modo totus ab æterno: licet ipse in semetipso non extiterit ab æterno. Idem de omnibus singulis creaturis cogitandum & censendum. Ex hoc fonte existentium rerum omnium, omniumque actionum nostrarum in Deo, sive antequã in se fuerunt, sive dum sunt & fuêrunt, sive dum erunt, ita David philosophatur, tam in sua, quam in omnium creaturarum, omnium nostrum inprimis persona. *Domine probasti me & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam.* [Ps. 138. 1.] *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitã meam & funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo in lingua mea* quem tu non audieris etiã antequam locutus eum essem. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua: tu formasti me: & posuisti super me manum tuam: Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam.* Et quis possit? quando tenebræ ipsæ Nihili mei, non obscurabuntur a te; & nox meæ non existentiæ, *sicut dies illuminabitur:* quoniam *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* [Ibid: v. 12.] Hanc ipsam Sapientiam philosophatus est Sanctus Job, derivans eam ex hac omnium rerum in Deo præsentia & scientia: ex eaque Judicii Divini rigorem simul ac formidinem discit & docet. ait enim: *Posuisti in nervo pedem meum: & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* [Iob: 13. 27.] *Tu quidem gressus meos dinumerasti. Signasti quasi in sacculo delicta mea.* [Iob: 14. 16] Hæc ille. sed hæc propositi præsentis non sunt: ideò ad nostra nobis redeundum est.

Deus non solum omnes creaturas in se continet eminenter, cum omnibus perfectionibus, viribus, actionibus, effectibus, circumstantiis, conditionibus earum: sed continet præter has, quæ existunt in aliqua temporis moderni differentia, aut etiam æternitate, continet, inquam, in se alias atque alias omnes genere, specie, numero infinitas, & continet cum omnibus conditionibus earum possibilibus: quæ in cognitionem nullius creati intellectûs cadere possunt, alioqui comprehendenda esset Dei tum essentia, tum bonitas, tum utriusque communicabilitas, tum sapientia, tum potentia. Solus Divinus intellectus, solus ejus spiritus, qui scrutatur etiam profunda Dei, capit & intelligit illa, quæ in Deo continentur

nentur omnia. Ibi sunt mundi alii atque alii, partim huic similes, partim ab hoc per omnia diversi: ibi sunt series & ordines gubernationis mundorum illorum aliæ atque aliæ, & omnium & singulorum numero & specie innumerabiles ac infinitæ. Ibi sunt infiniti Angelici spiritûs, numero, specie, choris, Hierarchiis distincti. Ibi sunt infiniti cæli, infiniti soles, infinitæ lunæ, infiniti planetæ, infinitæ stellæ. Ibi infinita numero Maria, ibi innumerabiles terræ globi, ibi gentes & nationes hominum infinitorum infinitæ, ibi species, & varietates infinitæ animalium, quadrupedium, reptilium, natantium, volantium. Ibi species infinitæ plantarum; herbarum, florum, seminum, radicum, virtutum. Ibi infinita metalla auri, argenti, gemmarum omniumque similium numero & specie diversorum. Ibi infinita rerum omnium opera permanentia, atque transeuntia, permanenter tamen in Deo præsentia. Ibi infinitæ urbes, palatia, templa, horti, vivaria, æraria, gazophylacia, castra, classes, regiones, insulæ, sylvæ, campi, agri, prata, fluvii, fontes, lacus. Ibi infinitæ species rerum, honestatum, jucunditatum, utilitatum, necessitatum. Quibus non tantum comprehendendis, sed neq; cogitandis quidem creata ulla mens sufficit, enumerandis sola par æternitas, continendis verò sola idonea & sufficiens Divinitas: seu Divina essentia, sapientia, omnipotentia, bonitas. quia hæc sola omnia est, omnia cognoscit, omnia potest, omnibus se communicare sufficiens & abundans est, & illi soli omnia sunt nuda & aperta & præsentia. cum totis se, cum totis suis conditionibus possibilibus, obedientialibus.

His ita (prout nobis fas erat) de Deo nostro non exactè quidem explicatis, quod fatemur impossibile, sed aliquantulum delineatis; addendum est illud, quod in eodem Deo nostro, sit actu & creatio, & conservatio, & gubernatio, & cooperatio, Naturalis ordinis ac supernalis: quæ omnia continent in se, aut potiùs æquivalenter sunt innumerabiles actiones Divinæ circa creaturas, quas omnes & singulas creat, perducitq; ad esse, omnes & singulas omnibus momentis conservat in eodem esse, omnes omnes gubernat & dirigit in fines sibi notos: omnibus velut causa prima cooperatur, in omnibus earum commotionibus & actionibus. Quod si creatura una, in totâ se sumptâ, habet actiones, alterationes, circumstantiasque specie plurimas, numero autem innumeras, ad quas omnes singulasque Deus effectiva cooperatione & finali directione concurrit: cogitet qui potest, quàm infinita multitudo est in Deo actualium istarum cooperationum, cum omnibus singulisque actionibus, omnium singularumque creaturarum? Quanta erit multitudo actionum creantium, conservantium, gubernantium spectatarum in omni ordine & serie & fine naturali, supernaturali, justitiæ, misericordiæ, gratiæ & gloriæ, mediorum & etiam finium subordinatorum ad ultimum, permissivæ insuper Dei voluntatis erroribus & defectibus & malitiis creaturarum, incomprehensibiliter ad bonum & placitum suum utentis. & ex pessimis optima eruentis. ex inobedientia obedientiam, ex superbia modestiam, ex rebellione subjectionem, ex morte vitam, ex perditione salutem, ex delicto veniam, ex malitia bonitatem, ex confusione gloriam, ex miseria beatitudinem emedullantis. Atque hoc non solum in creaturis actu existentibus in aliqua differentia temporis præsentis (quarum ipsarum alia atque alia esse potuit, par atque apud Dei Sapientiam fuit gubernatio & coordinatio in infinitum variabilis) sed etiam in creaturis purè possibilibus, & nunquam in actu extra causas exstituris, quarum infinities infinite est variabilior & multiplicabilior (sed in Deo jam actu præexistens, & decreta, sub conditionibus & combinationibus, numerum finemque nullum habentibus) varietas & multiplicitas.

Hâc universâ infinitatum actualitatū sive actionum (modo quidem nostro Divina cōcipiendi maximè supposito, aliàs enim in Deo multiplicitas, neque est, neque esse potest ulla actu, sed solum per æquivalentiam & eminentiam) varietate ac multiplicitate, quæ jam utcunq; indicata est, uti potest, si sciat & velit. Diligens, ac amore pius spiritualis homo: ex eisque sibi infinitorum thesaurorum Divinorum gratiæ gloriæ, cæterorumque Provisionem conflare omni æternitati suffecturam. Utendo jure suo quod habet ex fraternitate, unitate atque adeo identitate cum omnibus creaturis actualibus atque possibilibus. maximè quatenus in Deo existentibus & ex Deo emanantibus, totumque suum esse (actuale vel possibile) totum posse, totum operari, in omni possibili vel actuali conditione ac circumstantia ab eodem Deo desumen-

sumen-

ſumentibus, & intra Deum habentibus. Accedente præſertim piâ; fideliqúe ac devotâ, deliberatâ, voluntariâ, ſupernaturali intentione, applicatione, ordinatione in ipſummet Deum, in ejus eſſentiæ, bonitatis, Sapientiæ, potentiæ, juſtitiæ, miſericordiæ, charitatis, rectitudinis, majeſtatis, dignitatis, infinitudinis, immenſitatis, & omnis Divinæ perfectionis agnitionem, confeſſionem, venerationem, laudationem, ſubjectionem, amorem, & quidquid Religio atque devotio cum charitate atque gratia excogitare, audere & agere poteſt, circa Deum, propter Deum, cum Deo, ex Deo, in Deo, per Deum.

Utinam, utinam repeto, millieſque utinam, hæc in hominum mentes & corda poſſint aſcendere! ſed nimirum abſcondita hæc ſunt ab oculis etiam oculatorum; quorum miſeriam hac in parte, deplorare potiùs, quàm ſugillare velim. Velim etiam potiùs exemplo præire, quã verbis laudare. Velim ipſo facto conatuque meo factibile demonſtrare, quod connitor verbis faciendũ ſuadere. Quidquid autem de hoc interim ſit: hoc certum eſto, ad quod ſemper noſtra præſens tractatio reſpicit, hominibus jam de propè æternitatem ſalutantibus, & quaſi ſubintrantibus, ſi copioſam Proviſionem æternaturæ ſuæ vitæ facere, in hac, quæ ſupereſt, mortalitate percupiunt, eam non aliunde copioſam, confertam, coagitatam ſupereffluentemque unquam facturos, quàm ex iſta cum Deo ſuo, cumque Divinis actionibus cõmunicatione. Hanc igitur faciamus, ſi qui copiosè diteſcere cœlo, & æternitatem illam quàm ditiſſimi ingredi volumus. Sicut enim Deo nihil eſt ditius, ita quoque ad diteſcendum Deo, nihil eſt ipſo illo Deo ditiùs, ſive accommodatiùs.

PROVISIO XI.

Per Communicationem cum DEO, ejusque Operibus ad Intra.

Occurrit animo, aliquid huic Proviſionum faciendarum de Spiritualibus divitiis, theſauriſque negotio, & maximè proprium, & maxime idoneum; quod ebalbutire (nam enarrare vel modicè, arduitas atque immenſitas argumenti, nec meum, nequè ullum intellectum creatum ſinet unquam) animus eſt, &, ni fallor, operæ pretium erit. Eſt autẽ hoc, ut Proviſionem cæleſtium opum, dum in hujus vitæ curſu, & ſpecialiter dum in decurſu ſumus, nobis ex ipſo Deo, quantus quantus & qualis qualis ille in ipſo ſe, totâque tum eſſentia, tum Oeconomia ſua interiore reperitur, faciamus & coacervemus.

Arduum opus & ſine diſſimulatione per quam difficile; & quis aſpirabit, nedum attinget ad illud? Sed firma ſpes eſt, quod adjuvabit ille, qui nos fecit, quanquam de limo & nihilo, attamen ad ſimilitudinem & imaginem ſuam, & nobis præceptum dedit. *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* (Matt: 5. 48) Præſertim quando, quod conabimur, conabimur verecunde ſimul & amanter, non quaſi ſcrutatores, ſed quaſi ſpeculatores. quod ſi ſcrutabimur ut exaltemus, non ut exaltemur, ſcrutabimur, non ut vanitate inflemur, ſed ut veritate humiliemur ac ſolidemur: ſcrutabimur non ut rapinam arbitremur, & exerceamus; ſed ut divitias ſalutis, ſpem, & panem vitæ æternæ metamus, transformati de claritate in claritatem, tanquam à Domini gloria.

Deus noſter, eſt, qui eſt, merus, puruſque per omnia Actus, ſimpliciſſimus, omnis compoſitionis, omnis multiplicitatis, omnis potentialitatis, omnis pluralitatis expers, & incapax in ſua entitate atque eſſentia. In eo non ſunt aliqua, non ſunt quædam, non ſunt omnia; ſed ipſe eſt, qui eſt, eſt idem & unus in eſſentia: Trinus autem in Perſonis. Quando tamen nos puſilli homines de Deo Divina cogitamus, neceſſe habemus attemperare illa nobis, & de illis loqui ad modum noſtri limitati & ex pluribus coagmentati eſſe: in quo aliud quidem eſt Eſſentia, aliud potentia eſſentiæ, aliud operationes potentiarum, aliud perfectiones & quaſi dotes Eſſentiæ atque Naturæ. v.g. In nobis aliud eſt homo, aliud humanitas, aliud corpus, aliud anima, aliud compoſitum ex his, reſultanſque perſona. aliud memoria, intellectus, voluntas, aliud actiones harum potentiarum, memoratio, intellectio, volitio. aliud ſapientia, juſtitia, bonitas, charitas, veritas &c. In Deo ſecus ſe habent iſta: omnia ſunt unum, & idem penitùs iſta. In ſolis Tribus Perſonis, quia eſt proceſſio, eſt etiam oppoſitio, eſt diſtinctio, eſt numerus: ita tamen. ut etſi alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, nequaquam ſint aliud, & aliud: quia unitas, identitas conſubſtantialitaſque

Eſſen-

Eſſentiæ ac naturæ, aliud aliudque eſſe prohibet: quamvis alios eſſe aliosque, incomprehenſâ veritate requirit. Itaq; in Deo noſtro, perſonæ quidem inter ſe ſunt plures, id eſt, tres, inter ſe diſtinctæ & ab invicem aliæ: in ſua tamen eſſentia, ſingulæ ſunt unum & idem, unitate atque identitate abſoluta; ſicut & eſſentia ipſa earum, eſt prorſus eadem, prorſus unica, prorſus illa ipſa. In eadem eſſentia Divina ſimpliciſſima, eademque ac plus quàm una & unica: inveniuntur perfectiones (attributa aliàs dici, uſus eſt) Deo & ejus Eſſentiâ dignæ: quæ in ſemetipſis, non ſunt revera perfectiones eſſentiæ, quaſi quidpiam aliud ab eſſentia, & perficientes eſſentiam: ſed ſunt re ipſâ, & revera ipſamet Eſſentia; ita ut ſicut Deus eſt per eſſentiam Deus, ita quoque per eſſentiam ſapiens, per eſſentiam omnipotens, per eſſentiam bonus, juſtus, clemens, verus, vivens, immenſus, &c. Et ſicut eſſentia ejus, eſt Divinitas ejus, ſive ſicut Divinitas ejus, eſt eſſentia ejus, ſic etiam ſapientia ejus, ſit Divinitas & eſſentia ejus, omnipotentia eius, ſit Divinitas & eſſentia eius. Bonitas eius, ſit Divinitas & Eſſentia eius: ſicque de aliis. Inſuper verò (& ſequitur ex prædictis) Sapientia eius, eſt omnipotentia eius, eſt juſtitia, eſt bonitas, eſt veritas eius. Inſuper etiam Sapientia eius, eſt actus Sapientiæ eius, omnipotentia, eſt actus omnipotentiæ eius, juſtitia & miſericordia, eſt ipſæ actus juſtitiæ ac miſericordiæ ejus. Inſuper adhuc actus ſapientiæ ejus, eſt adhuc juſtitiæ ejus. Actus juſtitiæ eius, eſt actus miſericordiæ ejus, actus ſapientiæ, juſtitiæ, miſericordiæ eius, eſt actus omnipotentiæ, veritatis, bonitatis eius; quia omnia quæ in eo ſunt, nec omnia ſunt, id eſt plura, nec in eo ſunt quaſi ab eo & eius eſſentiâ alia, ſed ſunt idem & unum realiter & eſſentialiter; & ille unus ac idē, eſt iſta omnia, quæ ſcilicet nos concipimus ut plura, & quæ dicimus omnia, cùm in eo ſint abſolutè una, eademque eſſentia & Divinitas, illa omnia.

Noſter ergo modus concipiendi, cogitandi, contemplandi, explicandi Deũ & eſſentiam naturamque eius, & contenta in Eſſentia eius, hunc in modum partitur.

1. Concipit eſſentiam & Naturam, quæ eſt una, unica, unitasque, Deitas, Divinitas, Deus.

2. Concipit perſonas trés. Patris & Filii & Sancti Spiritûs. Pater à nullo originem niſi ex ſeipſo habet. Filius eſt Patris Filius, natura naſcens, unigenitus: idemque Verbum. Idem & Imago. Coæternus, conſubſtantialis Patri, ex eius eſſentia per intellectum naſcens ab æterno, & ſemper, & in æternum. Spiritus Sanctus, eſt Patris & Filii Spiritus, non natus ut Filius, non factus ut creatura, non à ſe ut Pater, ſed procedens & ſpiratus à Patre & Filio, ex Patre, & ex Filio, non tamen quaſi à duobus diſtinctis principiis, ſed quaſi ab uno.

3. Concipit attributa, ſeu perfectiones Naturæ eſſentiæque inexiſtentes, eique quaſi accedentes, & eam veluti perficientes, complentesque (licèt revera ſint ipſamet identice eſſentia) & concipit eas quaſi alias, tum ab eſſentia, tum ab ſemetipſis invicem. quaſi Sapientia ſit alia à bonitate, hæc à potentia, iſta à juſtitia, hæc rurſus à miſericordia, ſicque de aliis: cùm tamen omnes iſtæ perfectiones ſint una eademque perfectio, una eademque entitas, una eademque & ipſamet Deitas ac Eſſentia.

4. Concipit earum perfectionũ quosdam veluti gradus, ac latitudines extenſionis & intenſionis. Ita concipit Sapientiam ſeu ſcientiam exiſtentium, aliam futurorum, aliam poſſibilium, aliam conditionatorum, aliam neceſſariorum, aliã liberorum ſeu contingentium, aliam viſionis, aliam intelligentiæ ſimplicis. Sic etiam concipit voluntatem aliam bonam, aliam beneplacentem, aliam perfectam, aliam abſolutam, aliam permiſſivam, aliã externam, aliam internam, aliam eſſentialem. Sic etiam concipit juſtitiam, aliam diſtributivam, aliam vindicativam, aliam legalem. Sic concipit potentiam, aliam creativam ex nihilo, aliam productivam ex præjacente ſubjecto, aliam naturalis ordinis opera, aliam ſupernaturalis operantem, &c.

5. Concipit in Deo prædictarum perfectionum Divinarum veluti exercitationes atque actus, tum ad extra in creaturarum bonum emanantes à Deo, de quibus in præcedenti proviſione dictum eſt: tum ad intra in ipſomet Deo veluti operantes, Deumque id quod eſt, Deum ſcilicet facientes, omni bono explentes, glorificantes, beatificantes, ſatiantes, & omne, quod nulla mens capit præter Divinam, eidem bonum abſolutum omnimodumque conferentes. Sic E. G. Sapientia Dei eminentiſſimè facit Deum ſapientem, comprehendentem, adæquantem ſcibilitatem omnium ſcibilium, dans

quasi se Deo in lucem intelligentiæ per se subsistentem, parem omnibus cognoscendis & cognoscibilibus: ipsa vero cognoscibilia omnia eidem Deo, ex eodem Deo, inesse reperiens & ostendens: quo fit ut neque lucem intelligentiæ, neque ipsam intellectionem, neque objecta intelligibilia aliunde habeat, sed à semetipso hauriat, vel potiùs ipsemet sibi omnia ista sit, substantialiter, & per se subsistenter sit; simul denique & uno eodemque indivisibiliter & essentialiter actu sit; quamvis noster intellectus, in hoc actu essentialiter tam uno quàm immenso, & æterno,& simultaneo, propter inadæquatam & mancam concipiendi suam facultatem, ordinet priora cognita, prioresque cognitiones, deinde posteriores &c. alias aliis quasi succedentes.

1. Hoc modo dicimus nos, Deum per suam sapientiam infinitam, seu infinita claritate pellucentem & penetrantē omnia cognoscibilia, in quavis conditione, cognoscere primum (in primo signo rationis loquuntur Theologi) atque comprehendere comprehensione absolutè plenâ, propriâ essentiam, processiones personarum, procedentesque ipsas personas Divinas Patris quidem à nullo, Filii verò à Patre tantum, Spiritus autem Sancti ab utroque.

2. Dicimus Deum cognoscere in alio seu secundo signo rationis, per eandem sapientiam suam ab omni æternitate, & in omnem æternitatem omnia possibilia: quæ possibilium omium omnimoda cognitio, promanat Deo, ex vi prioris cognitionis, Essentiæ nimirum suæ, in qua eminenter latent, continentur, repræsentanturque omnia jam dicta possibilia.

3. Dicimus Deum suâ sapientia cognoscere & comprehendere perfectissime omnia illa, quæcunque sive creabilis potentiâ, sive jam creata quælibet vis, facultasque efficere potest.

4. Dicimus Deum per suam sapientiam cognoscere & scire ea omnia, quæcunque fierent, positâ quacunque conditione, atque combinatione,præsertim ex parte liberi arbitrii, rerumque illi subjectarum; in quo est infinities infinita varietas, perinde ut infinitis motivis atque modis & excitari potest arbitrium liberum, & conditiones circumstantiæque variari & combinationes fieri.

5. Dicimus Deum per suam sapiëntiam cognoscere, omnia absolutè futura, cum suis & in suis omnibus circumstantiis, per omnem æternitatem: quâ cognitione gubernat Deus mundum hunc universum in hoc tempore, & gubernabit post finem horum sæculorum, postq; judicium mundi universale peractum, per omnem æternitatem. *Cum Christus tradiderit regnum Deo & Patri, & cum evacuaverit omnem principatum & potestatem & virtutem.* Ecce quomodo Sapientia Dei, unica licet in se, idemque quod Deus est in se. multiformis est tamen, secundū quod à nobis cognoscitur: quia nullatenus potest cognosci sic, quomodo est in se. Posset autem hunc ipsum in modum disputari de aliis Divinis perfectionibus, quæ in Deo idem penitus sunt, tam secum, quàm cum Deo, sed à nostra inadæquata cognoscendi (præsertim verò res Divinas) ratione, aliter cognosci nequeunt, nisi diminutè, nisi afficta multiplicitate, nisi apposita distinctione.

His ita ebalbutitis à nostra infantia de Deo, deque illius essentia & personis & perfectionibus atque proprietatibus, & de earum seu distinctionibus, seu quasi operationibus multiplicibus,licebit cuivis studiosæ spiritualium thesaurorum animæ, mediante intentione voluntatis suæ, inferre se, cum omni observantia & dilectione in Deum, in Dei personas, proprietates, operationes, tam nobis ex sacra doctrina notas, quàm etiam nunquā manifestatas revelatasque nobis,quarum in immensæ infinitæq; perfectionis Deo, innumerabilis restat numerus necessariò, quandoquidem earum, quas revelatas habemus restricta satis est copia. Licebit inquam, in eas sese inferre, inter eas domicilium statuere, in iis demorari,intra illas dispertire, ab eis absorberi, atq; transformari; perinde ut transformatur absorbeturque atomus aquæ in mari vini, atomus arenæ in mari auri, atomus aëris in mari solis, atomus rei, in mari universi, atomus temporis, in mari æternitatis; atomus nihili in mari Essentiæ. Licebit etiam tota Dei, & jam aliquomodo suâ Essentiâ, totis & omnibus Divinis processionibus atque communicationibus internis, totis processionum terminis seu personis Divinis, totis omnibusque proprietatibus & attributis, totis attributorum sive perfectionum perfectionibus, gradibus, extensivisque ac intensivis capacitatibus, totis & omnibus singulisque perfectionum communicationibus & actuationibus, & tam in Deum, quàm extra Deū ebullitionibus, & quasi influxibus effluxibusque, licebit dico, hunc in modum Toto, quantus quantus

est à parte rei, & essentialiter in se, quãtusque ex parte nostra moduloque nostro, Deo magnificare Deum, amare Deum, exaltare Deum. Licebit Toto Deo, Deum velle, non tantum sibi, non tantum creatis omnibus, etiam possibilibus, sed etiam ipsimet Deo, imò maximè ipsimet Deo. agnoscendo & confitendo Deum Deo, laudando Deum Deo, appetendo Deum totum, toti, & toto Deo, dignificando Deum totum, toto Deo, totaque dignitate & dignificatione Dei, zelando Deum totum, toto Deo, & toti Deo, ambiendo & amplexando Deum totum, toto Deo, offerendo Deum totũ, toti & toto Deo, elargiendo toti Deo, Deum totum, toto Deo, tota ejus in seipsum largitate, profusione, propensione, prodigalitate. Beatificando Deum totâ beatitudine & beatificatione Dei, quâ seipsum beatum facit, quâ ipse in seipso, ex seipso, seipso beatus est. Possidendo Deum totum, toto Deo, fruendo Deo, toto ipso Deo, totâque fruitione Dei. Congratulando & congaudendo totum Deum, toti Deo, toto Deo, totis bonis eius, totis gaudiis ejus, totis gratulationibus ejus, quibus ille gaudet & congaudet, gratulatur & congratulatur seipsum Totum sibi, nempe Pater & Filius & Spiritus Sanctus: qui est unus super omnia benedictus Deus in sæcula.

O admirandam occupationem creaturæ in Deo! ô stupendam conjunctioné! ô ineffabilem communicationem! ô piè præsumptuosam usurpationem! ô incogitabilem Dei ad suam creaturam dignationem & inclinationem! ô excessivam creaturæ sublimationem! Quis capiat, quis eloquatur, quis attentare præsumat, usque eo, usque adeò creaturam subintrare suum creatorem, usque adeò illam se Deum ipsum facere, se in Deo deperdere, seu in Deum transmutare, ut jam quasi omni perfectione Dei perfecta sit, omni bonitate Dei bona sit, omni Charitate Dei amet, aut etiam amor sit. Omni Sapientia Dei sapiat, omni voluntate Dei velit, omni potentia Dei potens sit. omni justitiâ Dei justa sit, omni misericordiâ Dei misericors sit. omni Divinitate Dei Divina sit & Deus quodam modo sit, & quidem ipsi Deo sit. Quid aliud faciunt, quid aliud habent, quid aliud sunt beati, quando sunt Beati? Quid aliud est Deus, quando est Deus, & quo est Deus, nisi quia ipsi sibi omnia sua totus est Deus. At Deus est sibi essentialiter & naturaliter & necessariè Deus. Animæ autem & creaturæ, anima quoque & creatura, est Deo, est in Deo, est ex Deo, est propter Deum, dilectione, voluntate, intentione, charitatis ardore, est Deus, voluntariè est Deus, convertibiliter est Deus, cum formidine amissionis, cum horrore abjectionis, cum metu expulsionis & directionis est Deus. Talis est enim de lege absolutâ, imo & ordinariâ hujus vitæ status: ut nunquam liceat esse absque metu & timore. ut semper opus sit salutem æternã operari nos cum tremore. Verumtamen non derelinquit Deus, nisi derelinquentes se.

Ego autem semper sperabo in te *Domine & adjiciam super omnem laudem tuam, Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum. Introibo in potentias Domini. Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Deus docuisti me à juventute mea & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Et usque in senectam & senium Deus ne derelinquas me: Donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est. Potentiam tuam & Iustitiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti magnalia. Deus quis similis tibi?* Nemo Domine nemo, neque in Cælo sursum, neque in terra deorsum, sed tamen qui diligit Dominum, ejus anima cognoscet nimis. & pascetur de divitiis omnibus Domini Dei sui. & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet; quia Dominus humiles spiritu salvabit, & propè est omnibus in toto corde requirentibus eũ. Et ponet os juxta se, qui autem adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. Et tunc *exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi*, Neque hoc solum verum qui plantati sunt in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt, & adhuc multiplicabuntur in senecta uberi. Non enim potest senectus uber non esse, cui datur in misericordia uberi esse.

Ps. 70. 14.

Ps. 91. 11.

Non ergo gravetur virtus omnis, neq; animus succumbat corpori, sed quantumvis domus nostra hujus temporis dissolvi incipiat, & minetur ruinam, ob hoc ipsũ anima solutior, & quasi mox educenda sit de custodia ad confitendum nomini Domini, respiret in misericordias Domini: & levans se super se, jam nunc incipiat consuescere apud Dominum esse, cum Domino esse, in Domino esse. Sit ei diversorium in templo, sit colloquium in prece, sit vita in jejunio: & dierum noctiumque temporibus indefesso devotionis obsequio, quamvis corporis agnoscet sentietque senectutem, pietatis tamen nesciat ætatem. Imò tanto solutiori

& soler-

& solertiori in Deum festinet appetitu, in Deo maneat sedulitate, ex Deo ditescat cupiditate, hauriat totum Deum studio: sibi pereat, Deo sit, & vivat plenitudine: ut jam nunc assuescat ad ea officia in terris, quibus non ita multo post distinebitur, & beatificabitur per totam æternitatem in cælis: jam hic ditescat Deo, saginetur, pinguescat Deo tota, fiatque totus ac solus Deus, qui in proximo tam illi, quàm electis omnibus, futurus est omnia in omnibus, atque per omnia & super omnia Deus.

Quæris. Quomodo fiet istud? Ad quod dico, & compendiosissimé dico, sed scienti amanter, & amanti scienter Deum dico. Dic ergo.

Sanctissima Trinitas unus Deus & Pater noster, qui es in cælis Toto te, (toto me) sanctificetur nomen tuum. Adveniat Regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Vel ita brevius. Deus meus Toto te, amo te. Vel ita. Deus, Toto Te, volo, gaudeo, gratulor, elargior) Tibi omnia tua. omnia digna te, digné te. Toto Te Domine, Te volo Tibi, & mihi, & omnibus propter Te.

Hæc similiave in sensu suo supra jam èxplicato, dic millies in horas, ad singulas spirationes spira in vita, & Totus Deus, erit toties, erit tantus, erit totus, erit Deus. erit tantum à Te (quasi tamen non à Te, sed à Deo ipso se) erit inquam volitus, laudatus, amatus, exaltatus, glorificatus, donatus, dotatus, totalisatus, essentiatus, gratulatus, & existentiatus? quantum est, & quantus est, ipse ex seipso realiter sibi, & quotquot habet in se, ex se, eminenter, formaliter, essentialiter, identicè, æquivalentia omni multitudini, ab ipso se cogitabili.

Et est ne aliqua possibilis cupiditas, aut avaritia, aut fames sitisve tanta, quã non expleat Deus totalitate sua? Et potestne vel in aliquo, vel in ipso etiam Divino corde enasci desiderium, desideriique simul implemendi majus Dei, quã hoc, per quod ipsi Deo, ipso Deo, & desideratur, & desideratus donatur, totus Deus. Potestne glorificatio & exaltatio Dei, vel ab alicujus, vel ab ipsius etiam Dei affectu & studio fieri major, uberior, expletior, quàm hæc, per quam totus ipse Deus, ipso toto Deo glorificatur & exaltatur? Nunquid nam videtis o Animæ: quia *omnis locus*, (etiam ipsa essentiæ Dei abyssus, ipseque quantus est Deus) quemcunque voluntatis & intentionis vestræ: Amoris, desiderii, studii, conatûsque vestri, *pes calcaverit, vester erit*, vestra possessio erit, vester thesaurus erit, vester thesaurorum cœlestium oceanus imò abyssus erit. *Ponite ergo corda*, & desideria *vestra, in virtute*, & liberalitate immensa Domini Dei vestri: & ne deficiatis. *Congregate sicut in utre* (nam quid est aliud cor hominis & creaturæ cujusvis, ad divitias & liberalitatem Domini) *aquas maris*, & haurite de abyssis Domini thesauros, quoniam Dominus est ponens in thesauris abyssos. qui exhauriri non poterunt in æternum.

Deut: 11. 24

Ps. 47. 14.

Psal. 32. 7.

PROVISIONVM SENECTUTIS

PARS III.

EXpeditis duabus partibus Provisionum Senectutis restat tertia expedienda. in qua Stimuli admovendi sunt Mentibus nostris, ad procurandas omni cum diligentia, infatigabilique cum assiduitate & fervore, eas omnes, quas jam adduximus, proposuimus, laudavimusq; Provisiones. Adspiret utinam Deus conatibus nostris, tam in exponendis quæ agenda sunt: quam in exequendis, quæ exponenda sunt. Tres in classes Stimulos istos partimur, secundum trium justitiæ Christianæ partium rationem. ita ut sint stimuli desumpti, alii à via purgante, alii à proficiente, alii denique à perficiente. Esto itaque.

CLASSIS PRIMÆ

Stimulus I.

Conscientia Obligationis,

NAturaliter, & magis etiam supernaturaliter nobis inditæ impositæque. Ad hoc enim à Deo factore nostro conditi, & ipsa conditione ordinati sumus, omnes ut obligemur ipsi eidem Deo ad servitutem, & obedientiam, & voluntatis ejus sanctissimæ accuratissimam adimpletionem. *Hæc est autem voluntas Dei Sanctificatio vestra.* ait Apostolus. *Sancti estote: quoniam & ego Sanctus sum.* loquitur Dominus. Attendenda sunt verba & signanda præcepta. Apostolus voluntatem Domini, Dominus verò ipse Exemplum suum proponit. Ibi obedientia, hic imitatio exigitur; Sed Sanctitas nostra, est affectio sancta ad Deum scilicet & ad Divina omnia, nempe voluntatem, gloriam, imitationem vitamque æternam, in qua est ultima & perfecta consummatio obligationis nostræ. Quisquis ergo se facturam Dei agnoscit, sentiat obligationem, exhibeat voluntatis executionem, præstet exempli imitationem, tendat & in tendendo ne torpeat, sed potiùs in dies horasque ampliùs ferveat ad vitam æternam. *Odit enim Deus noster rapinam in holocausto*, torporem in suo obsequio, tarditatem in cursu, procrastinationem in bravio, oblivionem in debito, aberrationem ab Archetypo. Quid multa? Obligavit te Deus: ampliùs ne aliquid requiris? adhuc ne quasi onager liberum te natum putas? Ecce insuper deficit te tempus, imò illud jam jam accipit Deus; jam lampas tua extinguitur, jam ingruit nox longa: tu adhuc dormitas? adhuc nectis moras? adhuc in annos fervorem laboris differs? cui dies una non satis certa est?

1. Thess: 4. 3
Levit: 11. 44
Isa: 61.

Stimulus II.

Conscientia Peccatorum.

ADmissorum à prima pueritia, eorūq; gravium & multorum, & scienter, volenter, malitiose, ex animo repetitè admissorum. Parum tibi erant ad onus, debita naturæ: adjunxisti etiam malitiæ seu voluntatis malignæ. Ecce omnia ista signata sunt, quasi in sacculo apud Deū. Unicum peccatum detraxit in profundum inferni Apostatam Angelum: quid facient de te tua innumera, eaque, naturâ suâ partim uni illi paria, partim etiam longè graviora. Remedium à pænitendo est. pœnitendi tempus multum multa peccata graviaque requirunt, tuum autem tempus jam breve est. Ergo ut in brevi tēpore pœnitendo expientur peccata gravia & multa, explenda sunt tibi in brevi tempora multa. Hoc autem segnities, hoc procrastinatio, hoc mollis pœnitentia, hoc vana spes & præsumptio non faciet. Paratus est Deus semper dare veniam, sed si tu semper à commissis delictis agas pœnitentiam. Nam qui in cras differt pœnitere, probat se hodie adhuc velle peccare: quod iram Dei provocat, & in crastinum dilatam enervat, imò impedit pœnitentiam. Nā qui cras pœnitentibus veniam promisit: diem crastinum ad pœnitentiam nó promisit.

misit. porrò ille benè pœnitentiam agit, qui tempus in quo adhuc peccare potuit, in peragenda pœnitentia transigit.

Stimulus III.

Conscientia exiguæ Pœnitentiæ,

PEractæ pro peccatis grandibus & mole, & numero, & malitiâ. Unum hoc, quòd in Deum peccaveris, omnis naturæ judicio inexpiabile est; sint licet cætera leviora: Iracundiore sono in fratrem crepuisse, fatuum appellasse; judicio & gehennali supplicio dignum judicavit ipsa Æquitas: in Deum si peccasti, nihil grandis supplicii promeruisti? poteris hoc, osculo manus tuæ expiare? Satis delicatè decrevit, qui dixit. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Terreat hoc in collatione voluptatis peccati, cum gravitate supplicii: at in comparatione peccantis hominis (qui est putredo, & vermis, & caput canis mortui) cum Deo, cujus majestatis & magnitudinis non est finis, numquid ulla satis erit, non dico æqualitas, sed vel proportio? Metire igitur te qui peccasti, & eum in quem peccasti, & tunc finem condignæ pœnitentiæ, mensuramque inveni. At Deus ipse, tantum rigorem non requirit. Id quidem bonitatis eius est. Nunquid autem te Bonitas eius ad audaciam peccandi, & ad ignaviam pœnitendi adducere debuit? Si pecuniam creditori deberes, & ille multum tibi ex summa debita condonaret, nihil tibi condonatio ad debitum pecuniæ, multum verò ad gratitudinis officium adderet. Sed quando illatæ injuriæ contemptusque facti, enormiter reus es, quantò minora exigit qui læsus est, tantò te constituit majoris injuriæ contemptusque reum; quia te ostendit immaniùs peccasse in adeò mansuetum atq; placabilem, minusque & minus fuisse lædendum. diligentius autem & studiosiùs placandum. Ergo augenda tibi sunt pœnitendi studia & opera, tum quia peccatum est plurimum, tum quia in Deum tantum, abs te tantillo peccatum. cui ut vel pro minimo delicto satis fiat: totius æternitatis pœnitentia non sufficiat.

Isa: 61. Matt: 5. 22

Apoc: 18. 7

Stimulus IV.

Conscientia Dubiæ remissionis.

SCriptum est monitum quibusdam pænitentibus licèt: *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Narrat quoque Sacr. Historia de quodam pœnitente & dicente. *Iustum est, subditum esse Deo. & Mortalem non paria Deo sentire.* quid ad pœnitentiam defuisse huic putes? audi tamen quod sequitur. *Orabat autem scelestus hic Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Vide Judam traditorem. *Nonne pœnitentiâ ductus, retulit argenteos,* & projecit in templo, & confessus est. *Peccavi tradens sanguinem justum?* Nihilominus *laqueo se suspendit.* Denique proniùs est invenire tales, qui innocentiam conservaverunt, quàm qui post peccatum condignam pœnitentiam egerunt. Unum Davidem invenies, qui postquam dixit *Peccavi,* audivit. *Dominus transtulit peccatum tuum à te.* At Caimos, Saulos, Antiochos, Iudas quàm plurimos, quorum pœnitentia ipsa pœnitenda & impænitens fuit. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,* neque omnis qui dicit mihi, peccavi, assequitur remissionem peccatorum. *Est enim non unus, qui se nequiter humiliat: interiora autem ejus plena sunt dolo.* Vel quia non peccare metuit, sed ardere; vel quia pœnitentiam agit, non quia peccavit, sed quia peccare jam nequit, vel quia licet pœniteat, tamen affectu ad peccatum adhæret, atque in procinctu est, ut canis ad vomitum redeat: vel quia pœnitendo plus damna sua, quàm injurias Dei deplorat. Non quælibet. ergo pœnitentia, est pœnitentia, sed multæ sunt pœnitentiæ pænitendæ. Quare cautè ambula, & vide, ne aliquando, ne sæpè te pœnitentiam agente, fuerit in spiritu tuo dolus. Saltem nunc charitas te pœnitere invitet, charitas pœnitere doceat, charitas tecum pœniteat, charitas peccata expendat, charitas exhorreat, charitas defleat, charitas erubescat, charitas detestetur, charitas exurat, charitas operiat, charitas expiet, charitas ab animo, ab affectu, in æternum proscribat, charitas ex nunc absque dilatione mortem peccatis indicat & inferat. Procrastinantem enim pœnitentiam charitas vera nō novit, sicut lux tenebras, aut vita mortem; sed sicut ad exortum lucis nox fugit, ita ad præsentiam charitatis, peccata de corde præcipitantur & eliminantur.

Isa: 1. 15. 2. Mach. 9. 10. Matt: 27. 15 2. Reg. 12. 13 Matt. 7. 21 Eccl: 19. 23 Prov: 16. 11

Stimulus V.

Conscientia timendæ remissionis.

DAvidi pœnitenti dictum est, quòd Dominus transtulisset peccatum suum ab

um ab eo: & nihilominus additum est illi. *Verumtamen quia fecisti blasphemare inimicos Domini propter verbum* (peccatum) *hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur*. En peccatum dimissum, & tamen quasi non dimissum esset, castigatum est; & causa addita, *quia fecisti blasphemare inimicos Domini*. Grandis causa, formidanda causa, paucis, & rarò nota, paucioribus æstimata causa. Nota erat Davidi remissio, & tamen timẽda fuit remissio. Quid sanctius Moyse, Aarone, & Samuele? priorum duorum defectum coram Domino novimus, postremi nullum omninò legimus, & tamen de omnibus his dicit David laudans justitias & misericordias Domini super eos: *Deus, Tu propitius fuisti eis & ulciscens in omnes adinventiones eorum*. Tantis suis amicis, Deus & propitiabatur, & tamen in omnes, eorum defectulos ulciscebatur. Jam verò veniat in cõsiderationem illud quod Sapiens monet. *De propitiato peccato*, (aliàs de propitiatu peccatorum) *noli esse sine metu*. Etsi enim Dona Dei sunt apud Deum absque pœnitentia, neque Deus retractat verbum suum: attamen sæpè numero apud se restringit verbum suum: & conditionem apponit, quam non semper exponit: sed nonnisi per residuum inflictæ pœnæ, manifestam facit.

2. Reg. 12. 13

Ps. 98. 8.

Eccl. 6. 7.

Accedit quod Deus paulò severiùs peccata nostra ponderat, quàm nos vulgò solemus; ad majoresque & plures, & diversi generis pœnas ea taxat, quàm nos credimus. Neque verò semper quoties pœnitentibus nobis peccata relaxat Deus, toties totas omnesque pœnas relaxat: sed æternam quidem temporali cõmutat, temporalem autem non unam assignat, quandoque autem ex eis neque unam condonat, quandoque condonans unam vel alteram, alias tamen reservat. Neque semper est (imò rarò est) nostra talis pœnitentia coram Deo, ut adæquet justitiam taxamque justitiæ Dei: quocirca partem, & sæpe modicam, nostra satisfactio abolet pœnæ, reliquum remanet à Divina vindicta exigendum. Quibus pœnis à Deo taxatis, annumerandæ sunt, ac simul præ omnibus metuendæ, atque ut expientur per nos, curandæ pœnæ spirituales: dictæ ita ideo, quia per eas spiritus noster, id est, Homo spiritualis & interior, à Deo flagellatur. flagellatur verò subtractione, ex toto, vel ex parte opportunæ gratiæ, occasionum tentationumvè permissione, in iis derelictione, lapsuum permissione, obduratione cordis, excæcatione mentis &c.

Hæ pœnæ spirituales infliguntur à Deo sæpè, & non pro mortalibus tantum noxis, nec etiam pro venialibus culpis solùm, sæpe inferuntur etiam pro non culpis, etiam pro omissis inculpabiliter dispositionibus ad auxilia & adventum gratiæ, sæpe pro tardato solùm aditu ad Deum, pro dilata tantum apertione cordis pulsanti Deo.

Habet ergo conscientia unde timeat vel ipsam remissionem peccatorum suorum. Habet unde timeat seipsam levissimè peccantem, accuratè pœnitentem, atque etiam ne quidem peccantem, vix certè delinquentem. Quod cùm ita sit, semper quidem & omnes quidem stimulare conscientia sua debet, ut non sint sine metu, at revera illis maximè hic stimulus opus est: quos vicina vivendi meta percellit metu. Decet enim hos, ut quàm maximè urgeant exsolutionem, quando se vident urgeri ad resolutionẽ. Qui enim adhuc vegeti sunt, malè quidem, attamen quasi rationabiliter peccant in spe, dum procrastinant. at quibus jam tempus resolutionis suæ instat, hi nonnisi irrationabiliter, ac proinde inexcusabiliter æque & damnabiliter vocem Corvi Cras, Cras, occinunt.

Stimulus VI.

Conscientia peccatorum omnium.

Dicit fortè tibi (ô Homo) conscientia tuâ. Gratias Deo: non mihi mortalium conscius sum. Venialia quæ sola sentio, non me damnabunt in perpetuum. Quia enim venialia sunt, facilem habent apud veniæ Dominum & cõdonationem & expiationem. Hæc qui dicit atque sentit ignorantiæ & tepiditatis filius est, *de gente exaspirante, de populo gravi corde processit*. Veniale peccatum non tam est parvi faciendum, quia veniale; quàm potiùs formidandum est, quia peccatum est. Mittamus hoc (quod tamen præcipuè in oculis haberi debet à veris Dei servis) quòd peccatum etsi veniale in Deum tamen sit, & ei displiceat, & Spiritum Sanctum contristet, & gratiæ spiritum, seu spiritûs gratiam extinguat, & multam animæ labem scabiemque inducat, & auxilium Dei speciale efficaxq; repellat, & sternat complanetque viam facillimam ad mortales lapsus, & mentem excæcet, & cor obduret, & spirituales sensus hebetet atque obtundat; mittamus hoc totum: illud expendas (mi homo)

Psal: 4. 1.
Ezech: 2. 3.

mo] pervelim. Cares peccatis mortalibus, & sola venialia in te agnoscis. dic quæso, estne hoc multæ & magnæ gratiæ Divinæ auxiliantis protegentisque ac vigilantis circa te, & super te? negare non potes, nisi impiissimus æquè ac ingratissimus. Est ergo gratiæ copiosæ, amplæ, singularis: carere mortalibus. Iam te judicem ipsummet volo. Estne hoc boni ac veri filii Dei: abundare Divinis auxiliis copiosis & præstantibus, & nihilominus scatere peccatis venialibus? An putas Deum, qui te à mortalibus protegit, velle à te per venialia offendi, irritari, conspurcari, contemni? Audistine aliquando Patrem, qui dicat Fili mi, liberum tibi esto, cædere, vulnerare, lapidare, irridere, despuere, luto, cœno, sordibus me oblinire, contemptim habere, in oculis meis omne genus ingratiarum agere: solum parricidium, vide, ne commiseris, cave ne me vitâ spoliaveris. Homo, qui peccata venialia sicut aquam bibis, qui solis te illis scatere pænè gloriaris, penè gratias agis, tu videris talem tibi Deum tuum Patremque tuum effinxisse: cui tantum parricidium mortalis culpæ displiceat, culpas autem tuas veniales ultrò abs te exposcat. Domine: eo nè usque insipientiæ & improbitatis, amici tui, filii tui, sponsæ tuæ devenient: ut iis peccare in te venialiter pro magna tua in eos gratiâ favoreque sit? O monstrum ignorantiæ simul & tepiditatis & ingratitudinis! Sine peccatis quidem esse non possumus, sicut neque sine morbis. atqui non ideò morbos ultrò quærimus, immò repellimus, fugimus & fugamus. Non ergo etiam ideò peccata venialia admittenda vel dissimulanda sunt, sed potiùs, & fugienda, & effuganda, & persananda, & expianda omni ratione sunt, omnibus quidem: at certè omni sobrio judicio judice, iis vel maximè, quos cum annis etiam tempus vivendi, simul ac venialibus delinquendi deserit. Ne à Deo inveniantur tunc primum desiisse venialiter peccare, quando defecit eos tempus, quo possunt peccare. Potiùs hoc agant, ut spatia peccandi, occupent actione & labore pro peccatis suis venialibus accuratè pœnitendi, & quam plenissimè Deo satisfaciendi.

Stimulus VII.

Conscientia Mortis advenientis.

NAvigatio est vita hominis super terram, tam diu in mari navigatur, quàm diu ad portum non pervenitur. Invecta est in portum navis, cessat navigatio, exitur de navi, exportantur quæ in navi vehebantur. Et in mari quidem navigantes, non rarò declinant in portum ingredi, sed in vita hac qui navigant, velint nolint ad portum mortis accedunt, eumque intrant mercesque exportant. Portus maris non ubique est, portus vitæ ubique est, ubique enim ad mortem perveniri potest. O quanti putarunt, se adhuc in medio Oceani spatiari, & ecce invenerunt se in portu: an potiùs naufragio mortis? Et tamen cùm hoc omni momento pænè homines oculis manibusque usurpent, cordibus suis ne capillo extremo hoc tenent: cùm in omni puncto vitæ, mori se posse certò sciant; vivunt tamen adeo securi, curas & studia & cupiditates, in adeò longas destinant moras, quasi aut nunquam morituri sint, aut pactum cum morte quoddam in annos perennes inierint. Et hoc faciunt nō florentes tantum juvenum, aut robustæ virorum ætates, sed etiam senescentium, etiam senum, etiam senecionum tremuli caligantesque dies. Audire mentionem mortis horror est illis, & iræ materia, qui sunt mortuis quàm vivis penè similiores, propè viciniores. Hæc verè stulta senectus est, esse in fine vivendi, nec tamen videre finem vivendi, velle longam vitam, cujus nec spem habere possint longam. Illa est præclara senectutis Sapientia: providere non tam futuris, quā instantibus: amandare curas & cogitationes longæ vitæ proprias, assumere eas, quas faciendo, æternitati prospiciant. extendere vitam magnis & multis factis atque meritis, & brevitatem dierum sæculis admetiri: Hoc igitur agamus, quotquot morti senectute appropinquamus.

Stimulus VIII.

Conscientia reddendæ Deo rationis.

OMnibus quidem incumbit lex ista: *Redde rationem villicationis tuæ.* & illa. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore.* Attamen senibus ea lex incurrit in os, & incumbit supra scapulas humerosque, gravans eos ad terram usque: ut velint, nolint, sepulchri locum quærant assiduò. Istis enim propriè servit quod addidit Dominus villico iniquitatis. *Iam enim non poteris amplius villicare. Non poteris amplius villicare:* quia te jam incipiunt

Luc: 16. 2. Hebr: 9. 27. 2. Cor. 5. 10

unt anni gravare, & non tantum villæ, sed etiam vitæ gerendæ ineptum reddere. Age ergo quisquis jam forte senectutis vivis. Delibera tecum dum adhuc tempus est. *Quid faciam?* Dies mortis instat, diem mortis comitatur Judicii particularis passus timendus & angustus, post hoc reservatur dies judicii: dies illa, dies iræ; dies, amara valdè. ibi tribulabitur fortis. ibi devorabitur astutia sapientis. ibi divitiæ & gloriæ proderunt nullæ. ibi preces & lachrymæ steriles. ibi minæ terrebunt Iudicem nullæ. gratiæ lenient ulterem nullæ. In illa *justus vix salvabitur, & impius peccatorque ubi parebunt?* Intret ergo homo quotidie, quavis hora, quavis vitæ portione, in Iudicium cum seipso, & suo Iudicio sui, præveniat judicium Divinum de se. Qui enim se judicat, Dei se judicio subtrahit: qui autem non judicat se, judicio Dei reservat se. *Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur* ait Apostolus.

1. Petr. 4. 18

1. Cor. 11. 31

Ex quo ulterius sequitur, quòd quali nos judicio judicamus, à tali nos judicio subducimus. Si rigidè judicamus nos, rigidè non judicabimur à Domino, sed placidè. tale enim judicium reservavimus, qui rigidum præoccupavimus. Cōtra si nobis in judicio de nobis blandimur, blande non judicabimur à Deo, sed rigidè, tale enim judicium relinquimus Deo. Unde hic etiam servit illud Domini nostri. *Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam, in vitam æternam custodiet eam.* Amat animam blandus judex sui, sed hoc ipso perdit eam, quia rigido judicio Dei reservat & exponit eam. Odit vero & perdit animam suam, qui rigoroso sui judicio examinat, dijudicat, accusat, damnat eam: sed hoc ipso eam servat, quia placido Dei judicio eā reservat. Nemo ergo præposterè amet se, nemo parcat sibi. Nemo metuat assumere in se personam Iudicis Christi, dū vivit; ut dum moritur non subeat personam Christi Iudicis, quam meritò metuit. Statuat se & accuset & erubescat apud Iudicium suum, ut evadat accusationem confusionemque apud Tribunal Divinum. Nonne satiùs est coram uno se confundi, & tamen absolvi, quàm coram judice Deo, spectatore toto mundo, & patescere, & pallescere, & tamen in æternum perire? Timet stultus homo oculos unius, nempe etiam suipsius, & non attendit, quia quondam manifestandus est oculis Christi, & simul mundi totius. Sed hic metus minor, ut pote remotior, sit apud juvenes: cur verò apud senes, aliterque morti vicinos neglectui esse debeat, nemo facilè causam inveniet idoneam: præter inclitam vulgo ad talia hominum socordiam. Iudicemur à nobis, ut non judicemur à Deo, damnemur à nobis, ut absolvamur à Deo. Inveniat nos Deus occupatos in judicio nostri, ut nos injudicatos abire faciat in vitam æternam ab judicio suo.

Ioan. 12. 25

Stimulus IX.

Conscientia promeritarū pœnarum.

Stipendia peccati mors; & quidem cum omnibus mortis tum anteambulonibus, tum comitibus, tum pedissequacibus. Quasi enim quidam belli (contra Deum) ductor est Peccatum: cui militat omnis peccator. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati.* & iste militibus, sive servis suis solvit stipendiā, Mortem. Mortem temporalem cinctam omnibus miseriis hujus vitæ, quæ omnes veluti addititiæ, mortē principem principalemque consectantur, comitanturque. Mortem deinde Animæ Spiritualem: quoniam peccatum est mors animæ, privatio gratiæ, & Amicitiæ Divinæ, venenum charitatis & omnis virtutis, Traditio in servitutem diaboli, & possessionem pabulumque inferni. Hæreditatio damnationis æternæ, eradicatio omnis meriti, & juris ad vitā æternam, æternum exilium à Deo, irreconciliabilis aversio & rebellio à Deo: Malitia omni pejor malo, cujus pœnæ & vindictæ, nullus infernus, nulla damnatio sit satis; propter quod æterna illi assignatur punitio ab justissima æquitate Dei: ut quæ castigari satis nunquā possit, semper castigationi subsit.

Rom. 6. 23.

Ioan. 8. 34.

Atque hoc est tertium stipendiū Peccati Mors scilicet, atque damnatio æterna, habens amissionem Dei æternam, habens ardores & combustionem æternam, habens vermem, qui non moritur in æternum, habens desperationem, furorē, rabiem æternam, habens mortem immortalem, immortalitatemque mortuam, habens cibum & pastorem mortem æternam, habens maledictionem æternam, habens societatem supplicii, cum diabolo, & angelis ejus æternam, habens salitionem ignis æternam. Age jam homo: peccasti? ecce hæc sunt stipendia tua: quæ tibi numerat Dominus tuus. Non te delectant ista stipendia? non etiam ergo delectent te peccata tua. Non vis *ut ascendat*

scendat

scendat fumus tormentorum tuorũ peccatorũ *in sæcula sæculorum?* hoc age nunc, ut nunquam non ascendat coram Deo deploratio, & detestatio & expiatio, & digna per omnes gradus pœnitentia peccatorum tuorum. En justitiæ Dei, æternitas tormentorum inferni ad scelera tua vindicanda non sufficit: tibi ad eadem in hac vita deploranda, tantillus pœnitentiæ (utinam non & ipsius pœnitendæ) luctus propè momentaneo tempore decursus sufficiet? Pro Superi! Peccator reservat pœnitentiam suam in extremum vitæ halitum: & in eo se abundè credit persoluturum, tam omnem in Deum, & coram Deo reatum, quàm totius æternitatis supplicium. Quis credat veram huic inesse pœnitendi voluntatem, qui adeò perfunctoriam credit sibi suffecturam pœnitentiam? Non est quidem impossibile apud Deum omne verbum, nec est abbreviata manus Domini ad miserendum: non est tamen voluntaria procrastinatione abbrevianda coram Deo pœnitentia. Brevis enim pœnitentia, ut plurimum levis est, & quæ sera est, rarò vera est. Denique hostis hominis est diabolus, qui seram brevemque laudat & suadet pœnitentiam. Deus est autem, qui & citam, & longam, & seriam severamque desiderat, requirit & probat acceptatq; pœnitentiam. Ad causam utriusque pœnitentiæ decidendam, satis præjudicii adferunt sui Authores. Nemo sanus, dubia, securis præposuit.

Apoc. 14. 11

Stimulus X.

Conscientia damnorũ Spiritualium.

AD pœnas spirituales peccatorum nostrorum rursus revolvor, ut earum metu, imò conscientiâ, animam segnescentem ad expianda fugiendaque mala, ad procurandum fervescendumque in bonis exstimulem. Ad pœnas peccatorum non tantum mortalium, sed etiam venialium, ac ne talium quidem, etiam occasionum & causarum, Iustus Deus, pertinere debere arbitratus est, pœnas spirituales: quæ maximè consistunt in subtractione auxiliorum Dei efficacium singulariumque & animæ necessariorum ad evitanda peccata graviora, ad cavendas vel vincendas tentationes & occasiones periculosas, ad pervincendas difficultates, tam à diabolo, quàm ab a iis creaturis, quàm ab ipsius animæ habitibus affectibusvè consurgentes, ad videnda & declinanda pericula lapsuum, ad aggrediendum perficiendumque feliciter præclara Divini obsequii opera, ad promptè, commodè, flexibiliter obsequendum voluntatibus Divinis, ad continuandum bona, ad progrediendum ad optima, ad perseverandum in perfectis & arduis, ad obtinendam victricem congruamque suavitatem voluntatis, ad excludendam duritiem cordis, & stuporẽ cæcitatemque mentis, & derelictionem Divinæ specialis protectionis. Sitne aliquid his pœnis & damnis animæ periculosius & perniciosius: puto, quod ut explicetur fusius, nemo desiderabit.

Irrogat Deus hujusmodi pœnas, occulto sed justo nimis judicio suo. Vel ob peccata non tam in se, quàm in voluntaria deliberataque voluntate gravia. Vel ob scandalosè in plures propagata durantia, duraturavè per imitationem. Vel ob deductos deterritosve multos, aliquosve ab obsequio Domini, perfectionis studio &c. Vel ob pluries (contracto habitu, audaciore animo, oppresso remorsu oblatratuque conscientiæ, dissimulatis vel spretis Divinis motibus) eadem commissa, omissave cum profectus damno, cum laudis gustusque Divini imminutione. Vel ob minùs integrè minusve diligenter ac minus severè retractata, judicata, castigata, suppleta, deleta, & neglecta. Vel ob tardatam aut etiam negatam Deo in suis gratiis, pellectionibus, suasionibusque obedientiam. Vel ob periculo alicui expositam animam conscientiamque, ac mentis puritatem, ex inconsideratione, ex præfidentia sui viriumque suarum, ex studio placendi, seu non displicendi creaturæ. Vel ob admissas inconsultè, bonas licet in specie, vel etiam re, curas importunas, superfluas, à Dei congressu & consortio mentem præpedientes, Deumque excludentes. Vel ob vehementiorem ampliorem que justo, effusionem, adhæsionem, zelotypiam, spiritûs & affectûs, in rem, causam, personam alioqui obligatoriam de se. Vel ob tardam Divinæ opis invocationem. Vel ob majusculam in se, in aliavè creatura depositam fiduciam. Vel ob seram perfunctoriamvè gratitudinem & gratiarum actionem Deo. Vel ob præposterè (esto specietenus necessario) præposita Divinis humana creatavè. Vel ob immisericordem aliorum censuram in lapsu, aut tentatione earum. Vel ob nimiam sui met, ac super alios elevati donis naturæ vel gratiæ reputationem: ut

dicat sibi de se: *Non sum sicut cæteri hominum.* Vel ob minus humilem reverentemque in tractando Divina, aut cum Deo familiaritatem. *Deus enim noster ignis consumens est*: si nimium appropinques, adureris. Propter hos aliosque similes occultissimos cordis nostri anfractus & pravitates, oculatissimus Deus atque sponsus, amicas licet sibi animas deserit, & subtractione sui castigat; genere pœnæ admodum tristi, incognito, ideoque maximè periculoso. Quandoque enim talis pœna desinit usque in mortalem, usque in finalem ruinam, ac perniciem, quod, quis ambigit horrendum esse maximè? *Et qui vestigia Dei comprehendet & usq; ad perfectum omnipotentem reperiet? In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Qui etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed judicem meum deprecabor.*

Heb. 12. 29 · Iob: 11. 7. · Iob: 9. 17. · Ibid: 15.

Et hæc est una, ne dicam sola ratio evadendi spiritualia Dei flagella. Humillima scilicet deprecatio, devota operatio, cauta, oculata, Divina Divinorum tractatio, rigida in semetipsum etiam pro minimis, etiam pro antiquis, etiam pro condonatis, etiam pro ocultis, etiam pro inter justitias reputatis, etiam pro alienis, etiam pro neglectis animadversio, quàm differre non minus est, quàm planè negligere periculosum.

Stimulus XI.

Conscientia Purgatorii.

QUia Deus æterna peccatis debita supplicia, in pœnas temporales Purgatorii præsertim ignis commutat: ideò homines contenti evitasse æterna supplicia, purgatorium usq; adeò non metuunt, ut etiam exoptent, & inter felicitates misericordiasque Domini reputent, ad eas devenisse. Est quidem misericordiæ Dei deputandum, pro æterno supplicio, pœnâ puniri temporaneâ: at etiam est justitiæ Divinæ, pœnas temporales & purgatorias ita exacuere, ut quantum ad substantiam (demptâ æternitate) exæquent acerbitate sempiternas. Irridet ergo, aut ignorat Divinam justitiam, quisquis levem reputat purgatorii pœnam: quæ acerbitate sui, par est per omnia infernali. Si autem infernalis cruciatus, vel ad horam toleratus, ridiculus esse creditur, restat, ut neque Deus justus reputetur. In summa: graviores sunt pœnæ purgatorii, quàm vulgò reputantur; quibus nullæ hujus vitæ, neque simul plures, neq; simul omnes comparari possunt. Proinde quisquis se pœnis purgatorii reservat, quisquis eas hac in vita expiare mediis congruis non curat, hic vel inter mente captos, vel inter suimet ipsius hostes computandus est. Tu si sapis, ante mortem tibi purgatorium facito, nihil in re inexpiatum negligito, quantum potes ut coram Deo assiduè absque obligatione culpæ & pœnæ vivas, satagito, quotidiano cordis balneo, ex justitiis miserationibusque Dei, ex sanguinibus Meritisque Christi, ex doloribus & affectibus in Deum tuis confecto, cor tuum à quotidianis maculis debitisque eluito: quin etiam supererogatoriis operibus, arbitrariisque pœnis, Animæque tuæ sacrificiis, debitorum tuorum mensuram supergredi contendito. Talis in morte, *ab auditione mala non timebit*: & asperum verbum non audies: etsi transieris per ignem: odor ignis non erit in te: & flamma non nocebit tibi. Alioqui adversarius tuus (conscientia) tradet te Iudici, judex autem tortori, qui te in carcerem mittet, *ibi erit fletus & stridor dentium. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas ad novissimum quadrantem.* universum debitum.

Psal: 111. · Psal: 90. · Eccl: 51. · Matt: 5.

Stimulus XII.

Conscientia paucorum bonorum Operum ac Meritorum.

DIcebat quidam in corde suo: *dives sum & locupletatus, & nullius egeo*, audivit autem à veritate judice. *Nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* En quam diversa judicia, Hominis & Dei de uno eodemque homine: quem oportebat utrique esse notissimum. *Nam nemo novit quid sit in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Et Deus quoque est is, *qui novit quid sit in homine, & scrutatur corda & renes.* Attamen *mendaces filii hominum in stateris. Iudicia autem Domini vera, justificata in semetipsa.* Non ergo homo facilè vel sibimet ipsi de seipso attestanti credat, non facile cum Pharisæo bona sua gloriabundus recogitet. Sit potius vir *videns paupertatem suam*, sit potiùs inspiciens scrinia sua, & videat admodum pauca reposita esse ibi bona opera atque bona merita sua. Rara est etiam inter electos Dei, Apostolica illa vox. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi,*

Apoc: 3. 17 · 1. Cor: 2. 11 · Rom: 8. 27 · Psal: 7. 10. · Psal. 18. 10. · Thren: 3. · 2. Tim: 4. 7

ravi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. Nostrum cuinam licet eâ confidentiâ uti? Pauca merita habere me, dictat mihi conscientia mea: quia serò nimis ea operari cœpi, quia pauca, & rara feci: quia comparatione malorum quæ patravi, bona admodum pauca sunt: quia cõparatione auxiliorum & mediorum, quæ infinita ad manum obvia habui, prorsus pauca sunt; ita ut vix respondeat unum opus bonum, auxiliis, & mediis, & commoditatibus mille: quia comparatione aliorum, tam ante me, quàm mecum operantium in Dei vinea, ego prorsus inopiâ bonorum operum laboro, cùm cæteri opulentissimi ab eis sint. quia denique comparatione mercedis mihi à Deo promissæ, merita mea bona, vix unam unciam mercedis gloriæque mihi in æternum destinatæ adæquant. Cùm ergo adeò inops meritorum sim, cumq; etiam breves dies vitæ meæ jam sint: nunquid parva mihi incumbit necessitas, sanctè & perfectè vivendi, strenuè atque heroicè laborandi, avarè ac insatiabiliter cælestia bona coacervandi? Nunquid excusabilis ero vel ipsimet mihi, si segnis fuero? Nunquid aliud tempus merendi mihi superest, si hoc præsens infructuosum perdidero? *Egestatem operata est manus remissa;* velox autem in opere suo affluet bonis. *Manus enim fortium divitias parat.*

Prov. 10. 4
Ibid.

Stimulus XIII.

Conscientia bonorũ imperfectorum.

SInt mihi bona opera, multa, pauca; sint modò; esse aliquantum satis poterit, ad solatium, ad fiduciam, ad mercedem. Sed ecce conscientia nescio quid immurmurat dicens. *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Quid est non invenire opera plena coram Deo? Est utique habere bona quidem opera, sed imperfecta, sed imperfectè peracta, sed scatentia nævis, sed infecta circumstantiis ingratis, sed polluta inquinamentis mentis. Ecce in illo opere, præcessit operationẽ ignavia, aut tergiversatio, aut excusatio, aut humanus pudor metusvé: aut spes humanæ laudis, aut sponsio mercedis. Nunquid purum est? Iam illud opus aliud, factum est oscitanter, tepidè, cum cessatione, ad oculum. Aliud imperavit minus recta & pura intentio, peractioni ejus accessit, finem ejus conclusit, inquinatus proprietate finis. Nunquid bonum perfectum est? Illud opus infecit complacentia, illud jactantia, illud super alios elatio, illud imprudentia in fine, mediis, modo, loco, tempore. Illud inchoatum studiosè, sed defecit constantia. illud jam mercedem suam recepit; æternam à Deo amisit.

Apoc. 3. 2.

Nunquid & hoc placere, nunquid cælum intrare potest? Argumentatio Domini hæc est, neque potest solvi scriptura. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam?* Pergit autem urgere Dominus. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus. & munus non suscipiam de manu vestra.* Et putat quis, quia remunerabitur talia munera, quæ nec dignatur accipere? Illud verò apud Isaiam nonne idem sonat? *Ecce in jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Videsne ô homo, bona non esse bona, si eis adhæserit quæpiam conditio non bona? Ergo jam interroga conscientiam tuam, immò attende attestantem illam: quia nõ invenit opera tua plena coram Deo: quia *dies pleni non invenientur in te. Habe ergo in mente qualiter acceperis, & audieris, & serva & age pœnitentiam. Si non vigilaveris, veniet* (Dominus) *ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniet ad te. Quiesce agere perversè,* agere tepidè, agere cum nausea Domini: *Disce bene agere*: diligenter, ferventer, accuratè, juxta Dei cor & gustum agere.

Mal. 1. 8.
Ibid. 10.
Isa. 58. 3.
Psal. 72. 10
Apoc. 3. 3.
Isa. 1. 17.

Stimulus XIV.

Conscientia elapsi temporis.

NEc elapsi tantum, verùm etiam perditi: quid verò si etiam perdite elapsi? Parùm est enim plerisque nostrũ, si perdamus tempus, nisi etiam perdamus nos ipsos cum tempore. Et tempus quidem perit, perditio autem manet, & cùm perditio sit, tamen perditionem non subit. O tempus quàm es vile! quàm tibi pretium nemo ponit! quàm multi gaudent etiam te sibi periisse! quàm nemo est, qui damna temporis non fecerit! quàm nemo qui illa etiam ultrò non accersierit! quàm multi implent præposterè illud Apostoli monitum: *Redimentes tempus!* Redimunt enim multi perditionem ejus, quia solvunt pretium pro perditione ejus, sumptibusque non parcunt, ut perdant illud; & agunt tam sumptuosè quàm & studiosè ea, per quæ plurima est perditio illius. O Sapiens secundùm De-

Eph. 5. 16.

um: in hoc sapias ut redimas tempus: Etenim magna portio sapientiæ, magnũ artificium est, scire uti, & re ipsa uti recte tempore.

Durissimum Deus exercet judicium cum hominibus, de transacto sibi dato tempore; Sicut de uita nostra, ita & de tempore nostro ratio reddenda est: commixta enim est tempori nostro nostra vita, adeò ut tempus nostrum, sit pænè ipsa nostra vita. Certè neque lucrum, neque damnum patimur temporis, nisi simul & subeamus vitæ, cùm enim effluit tempus, eripit nobis simul & vitam. Et nos stulti, per jacturas temporis, arbitramur nos lucrari vitam. Sed Deus, eodem calculo computat nostrum tempus, & nostram vitam. perditum tempus & perditam vitam. Quidni, ergo si sapio, immò, quidni sapio tandem, & æstimo, & redimo, & lucror tempus, ut simul lucrer etiam vitam, antequam Deus *accipiat & vocet adversum me tempus*: & statuat illud contra me, audireque faciat querimonias ejus de me, exposcentisque vindictam ex me: quia non in eo pretio, non in eo usu, non in ea observatione, non in ea dispensatione fuit apud me: qualem fuisse, & ipsa vita, & professio vitæ, & obligatio status, & propositus finis, & commoditas obtinendi finis, & elapsio velocissima, simul ac incompensabilis ipsius temporis, exigebat à me. Ecce jam ipsi anni mei, ipsa conditio corporis, valetudinisque meæ, in horas atque momenta inclamant auribus meis. *Tempus breve est. Tempus non erit ultra. Breves dies hominis. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Ergo, dum tempus habemus operemur bonum*, operemur bonum benè, operemur studiosè, copiosè, assiduè, infatigabiliter. insatiabiliter, incessanter, per hoc redimentes, per hoc multiplicantes, per hoc fenebre, lucrosum, pretiosum, superabundans facientes nobis tempus.

Psal: 74.3
Thr: 1.15.
1.Cor: 7.29
Apoc: 19.9.
Iob: 10.20
Gal: 6.10.

Stimulus XV.

Conscientia Confusionis & Insultationis.

CONfusionem ipsa faciet, ipsa sentiet, ipsa etiam menti animæque ingeret conscientia. Accusabit enim ipsa se, atque convincet negligentiæ, insipientiæ, inobedientiæ, ad Deum, ad rationem, ad fidem, ad seipsam, in negotio salutis, in negotio æternæ Beatitudinis, in negotio Divinæ gloriæ ac voluntatis, in negotio seu potiùs periculo sempiternæ damnationis, de quibus omnibus veluti ludens, aut somnians, aut aliud nescio quid agẽs, curam habuisse arguetur. Hæc confusio est quidem totius vitæ labor, at præcipuè infestare consuevit moribundos morientesque, & jam jam ante tribunal Christi sistendos: quando jam nihil curarum præsentium obstrepet, nihil obtundet aciem mentis & conscientiæ, sed omnia in luce, omnia in facie proposita & in oculis, patebunt Christo, patebunt & Angelis Sanctisque ejus; patebunt dæmonibus, ipsi conscientiæ denique patebunt. Tunc verò undique proclamabitur. Ecce homo & opera ejus. En vineam Domini vitemque electam, *quæ expectabatur ut faceret uvas: fecit autem labruscas*. En ficum, quæ in optimo Ecclesiæ Dei agro consita, plantata, adulta, nec per biennium, neque per tricennium *protulit fructum bonum* Agricolæ, nec quidem proprio sanguini ad rigandum, ad stercorandum illam parcenti. Venient etiam tot industriæ & gratiæ Divinæ, per Angelos, per homines, per alias creaturas, per Sacramenta, per documenta, per exempla, cæteraque media cælitùs provisa. quæ omnia suum laborẽ exponent, fructum exigent, sterilitatẽm invenient, securim ad exscindendum exacuent. Putasne ô anima, putasne ô conscientia, capiesne, & comprehendes, quæ tibi tunc confusio, quæ angustia, quis pudor superveniet?

Isa: 5.2.
Luc: 13.

Quid autem erit, si ad hæc accedet (accedet verò indubitatè) tot inimicorum tuorum juratorum, conglobatorum, insultatio? quando omnibus in unum adductis, hinc quidem sanctè & perfectè vivendi subsidiis, debitis, commoditatibus: illinc verò tepore in summo atque inveteratâ ignaviâ, probrosâ inconstantiâ, putidissimâ procrastinatione, abominabili lentitudine, omnibus exactis vitæ diebus simul ac operibus: amaritudine omni amarioribus vocibus, diabolica phalanx, audiente & assentiente Iudice Christo, totoque cælesti eius comitatu, approbante magis, quàm miserantè, exprobrans insultabit, insultans exprobrabit: *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Quid debuit ultra facere vineæ isti Dominus, & non fecit ei?* Et ecce quomodo conversa est illi in pravum vinea aliena? Ecce quomodo *in terra Sanctorum iniqua gessit*? Ecce quomodo in loco pinguedinis, in sterilitate defecit.

Matt: 13.27.
Isa: 5.4.

deficit. in schola charitatis didicit tepiditatem & acediam. In schola humilitatis, didicit superbiam, in schola paupertatis, acquisivit abundantiam. in schola mortificationis & crucis, mollis facta est & delicata. In schola silentii, garrula, murmuratrix, oblocutrix facta est. In schola obedientiæ, propriæ servivit voluntati, in schola mansuetudinis iracundiam exercuit. In schola devotionis & fervoris, in negligentia & socordia consenuit. Hæc dicent: & sic insultabunt, *aperientes super te os suum; omnes inimici tui, sibilabunt, frement dentibus, & dicent. Devorabimus. En ista est dies, quam expectavimus, invenimus, vidimus.* Et quid ad hæc conscientia? quid ad hæc anima? quid ad hæc ô homo, si quando insultatione insultabunt tibi, & consument te, & devorabunt te dracones inferni morsu amarissimo. Nunc ergo audi consilium Domini: tepiditates tuas fervoribus redime: negligentias tuas, dilationes tuas diligentiis & festinatione. Non cesset manus tua, non cesset pes tuus: fac quod dico, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui: *discurre, festina, suscita amicum tuum ne dederis somnium oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis.* Nūc igitur, dum superat tempus, libera te ô conscientia mea, à tua propria confusione: libera etiam te, à diabolica insultatione, *ut avertantur statim erubescentes, qui volunt tibi mala, qui dicunt tibi Euge, euge. Exultent autem & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant semper. Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.*

Thr. 2. 16. — Deut. 32. 24 — Prov. 6. 3. — Psal. 69. 4.

CLASSIS SECVNDÆ
Stimulus I.
Ipsa ingruens vel urgens Senectus.

Ea quidem est Senectutis prærogativa, ut hominem quem afficit, à plerisque humanæ vitæ officiis, operibus quoque bonis æquè ac malis absolvat. Prudentia tamen, ut plurimum, præ omnibus ætatibus in senibus viget, una ex virtutibus: sicuti Philargyria seu avaritia una ex vitiis invalescit. Utrumque horum, si ad spiritualia studia conferat senilis voluntas: vix ulla erit ætatum, virtuti & perfectioni parandæ, divitiisque spiritualibus ac Divinis conquirendis, magis idonea. Nihil enim optabilius in negotiatione Spirituali avaritiâ & insatiabilitate in conquirendo. Nihil quoque necessarium magis, prudentiâ, consilio, discretione, in studio stadioque ad vitæ æternæ bravium, per viam virtutum absque offensa decurrendo. Optima ergo & securissima, studiis cælestibus, divitiisque ac negotiis Divinis pertractandis & comparandis senectus est. Cui si addideris devotionem mentis, unctionem Spiritus, & abundantiam præsentis gratiæ, cū cæteris auxiliis, ab ipso statu copiosè & connaturaliter suggeri solitis, itemque cum melioribus habitibus in antegressa vita conquisitis, facillima, feracissima, suavissima est Senectutis in decurrendo perfectionis tramite, vita.

Accedit spes confirmans, simul roborans & exstimulans, appropinquantis metæ, & cum meta, bravii æterni sese de proximo jam jam ostentantis, & veluti ultrò in manus protensas deferentis. Quæ spes, senectuti est valde connaturalis & propria, cùm aliis ætatibus sit naturâ suâ remotior. Etsi enim etiam juniores citò mori possint: senes tamen diu vivere, proinde mercedem expectare laborum diu non possunt. Sicut autem *spes quæ differtur affligit animam,* & facit languescere operantem, sic è contra, spes vicinæ mercedis exhilarat desiderium, confirmatque manum etiam defessi operarii. Quisquis ergo senescere te persentiscis, exere & exerce prudentiam, exacue, & exaspera famem sitimque avaritiæ, ad cōcupiscendum justitiam, collabora gratiæ, & spe vicinæ retributionis hilaresce.

Prov. 13. 12

Stimulus II.
Damna Præterita.

Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: super hoc narrate filiis vestris, & filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi alteri. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrii & flete & ululate omnes. Ecce ista cantilena indicitur senibus: quia præcedens ætas eorum omnis, quæ in messem multam nimis excrescere agricolæ cælesti sperabatur & debuit: delusit spem omnem ejus: & *confusum* est gaudium eius à filiis hominum, abierunt omnia in populationem & vastitatem, & in pastum erucæ, locustæ, brucho, rubigini. Audire ergo jubentur auribusque percipere, ut saltem in decliviore ætate sapere incipiant, &

Ioël. 1. 2. — Ibid. v. 12.

præteritorum annorum suorum negligentias, omissiones, perfunctoria & ad oculum peracta obsequia, fraudulenter facta Divina opera, elusas cælestis Patrisfamilias spes, & vota; non adimpletas promissiones, ædificii spiritualis posita sed minimè perfecta fundamenta, cō summare adlaborent, damna sarcire, fructus cum fænore reddere, pecuniam Domini & talenta negotiationi impendere, & vel unicâ Domini mnâ, decem mnas Domino acquirere & exhibere connitantur. Oportet meminisse sermonum Domini IESU, quibus ille crebrò & graphicè nimis, suam in exigendis damnis, sibi per nos, ipsa sterilitate & infructuositate honorum, illatis, sterilitatem austeritatemque deprædicat; adeò ut non diffiteatur, se *ibi etiam metere cupere, ac solere: ubi non seminavit.* Nonne immanem incutit horrorem, & metum, & sollicitudinem, maledictio illa directa *in ficulneam, non habentem ficus* quas carperet esuriens Dominus: non obstante, neque excusante apud illum, quod tunc nec dum esset tempus ficorum?

Matt. 25. 24

Mar. 11. 13

Stimulus III.

Pretium bonorum salutarium.

QUatuor sunt pretiosissima hominum bona: duo horum Naturalia Tempus & Vita: duo supernaturalia; Sanctificans gratia & Beatitudo æterna. Priora duo, posterioribus sunt deputata in obsequium & acquisitionem: ita ut nonnisi Tempore & vitâ præsenti, conquiri possint Gratia Divina, & Gloria æterna. Quidquid aliud habet mundus in divitiis suis, nihil eorum proficit ad Gratiam & Gloriam, solùm Tempus & vita præsens eam habet à Deo inditam conditionem, ut quantumcunque ex his impenditur acquisitioni illorum, tantum ex illis acquiratur & obtineatur. Et quia pretium Sanctificantis nos gratiæ Dei, tantum habet pretii inæstimabilitatisque coram ipso Deo, ut minimum gratiæ granum, superet in suo pretio totius mundi pretium, esto mundus esset totus gemmeus gemmisque repletus: pretium autem gratiæ affectatur exceditque etiā pretium æternæ gloriæ, cujus & consecutio & auctio admensuratur possessioni augmentoque gratiæ, & quidem cum excessu proportionali ad minimum in proportione dupla (ut communiter sensus est Doctorum) inde fit; ut Tempus vitaque præsens, suppar pretium mereatur & acquirat ex eo, quia his, & in his solis duobus mediis acquiri, & exerceri, & augeri potest gratia, huicque secundum proportionem memoratam etiam cœlestis gloria.

Videant ergo Mortales, quàm parci, quamque sobrii esse debeant dispensatores temporis & vitæ suæ præsentis, & rursus quàm avari & insatiabiles conquisitores gratiæ & gloriæ Divinæ, in tempore vitaque præsenti: quibus solis durantibus & impensis, illæ acquiri possunt & augeri: quibus solis elapsis & finitis acquiri nihil ampliùs & augeri potest per omnem æternitatem. Quare nec vitæ, nec temporis particulam, quantumlibet minutam, parvi quisquam æstimet, aut otiose (id est sine merito & augmento Gratiæ atque Gloriæ) elabi sibi permittat: sed totum quidquid ei de utroque superest, in mercatum Gratiæ Gloriæque, & lucrum convertat.

Stimulus IV.

Occasionum & Mediorum plurima Oportunitas.

NOn sunt tot occasiones lucente sole oculis ad videndum, quot sunt bonæ opportunitates menti nostræ, ad benè, sanctè, meritoriè, fructiferè operandum. Etsi enim oculus illuminatarum rerum plurimas videat, tantum tamen illuminatarum consortio seu conspectu potitur, quæ autem luce non perfunduntur, hæ oculis non subjacent. Similiter quæ ad alios sensus pertinent, hæc sub aspectum oculorum non cadunt: at verò sub meritoriam sanctamque operationem voluntati cordique nostro, omnia Divina, omnia humana, omnia creata subjacent: modò velit pia voluntas libertate officioque suo fungi, & fungendo non languere, auxiliaque Divina sibi ultrò semper parata, quin & semper illam excitantia solicitantiaque ad benè agendum, & æterna promerendum, otiosa, & cassa sibi elabi non sinere. Nisi enim hoc ita esset: nunquam Apostolus præciperet: *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESU Christi, facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Nō etiam idē ipse repeteret monitum suum. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Nō item Propheta Rex ad laudandum Deum provocaret, hoc est laudan-

Colos. 3. 17

1 Cor. 10. 31

laudandi Dei, sibique cælestes opes emerendi, materiam & occasionem faceret, Angelos, Cœlos, solem, lunam & stellas, & volucres cœli, & nubes, & pluvias, & rores, & æstum, & frigus, & diem, & noctem, & maria, & fontes, & flumina, & pisces maris, & grandinem, & nivem, & glaciem, & spiritum procellarum, & ventos, & terram, & gramina germinaque campi, & bestias terræ, & denique totum orbem terrarum, cum omnibus quæ in eo sunt, vivunt, moventur, sentiunt, intelligunt.

Jam verò interroget quisque statum suum, & conditiones status sui, si rectè & sobriè judicat omnia (quantum ex ordinatione Dei) in salutem, in meritum & vitam gratiæ gloriæque æternæ destinata & provisa inveniet, neque ullum alium præter suam propriam inscitiam ignaviamque, si illi secus accidat, culpandam esse cognoscet. Stat enim & stabit semper vox veritatis per Apostolum enuntiata. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū* salutis, & vitæ æternæ, gloriæq; Divinæ. Hoc enim solum est corā oculis Dei nostri Bonum. I nunc, mi homo, & ini numerum, occasionum, oportunitatumque ordinatarum & servientium tibi, (quantum ex Deo) ad salutis profectusque tui bonum, ac simul etiam ini pariter numerum neglectuum, omissionum, abusuum contemptionumque tuarum, & simul, quod ad ista consequens est, damnorum tuorum spiritualium, cælestium, nunquam recompensandorum. Tandem ergo, tandem incipe sapere, tandem ignaviam cæteraque impedimenta tua excute, & da operam, ut tibi omnia cooperentur in bonum, & omnia in gloriam Dei, in salutis tuæ facias lucrum.

Rom: 8. 28

Stimulus V.

Perfectio virtutis bonum desiderabile.

Tanta est pulchritudo virtutis, ut si oculis corporeis, cerni posset, omnium oculos ad sui aspectum, omnium animos ad sui amorem raptura sit. Elogiū est hoc virtutis ordinē naturæ non transgressæ; datum ob eo sapiente, qui pariter supra naturam, nihil sensit. Sed si hoc Ethnica virtus ab Ethnico pariter judice promeruit judicium, quale par ēst ut referat Encomium, virtus omni naturæ ordine præcelsior, virtus perfectioq; A Christiana, ab homine Christiano, ab homine virtutis Christianæ perfectionem professo? Non desiderat Christianus homo virtutem Christianam oculis carneis subjici, ut eam amare ac desiderare possit; quin potiùs ob id ipsum ei contemnenda esset, quia carnis oculis pateret sua pulchritudo. Habet oculos fidei, habet lucem gratiæ, habet pupillam charitatis, cujus acie penetrat usque ad interiora virtutis, cujus doctrinam de cœlo nobis attulit Incarnata veritas, cujus magisterium verbo, magis autem exemplo exercuit inter nos manens Deus homo. Iste nobis thesaurum absconditum, B iste pretiosam margaritam perfectionis Christianæ exposuit, ejusque latibulum in ipso usque agro Divinitatis se abscondentis, eam ostendit, ibique eam quærendam, & inde hauriendam derivandamque edocuit dicens. *Perfecti estote, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et rursum. *Exemplum dedi vobis: ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et quid possumus addere vel ad pretium, vel ad invitamentum? quando Deus & Christus ejus, in partem venit utriusque? Solum superest desiderium, solum studium, sola insatiabilis avaritia charitatis, totam se C impendens in amorem, in laborem, in acquisitionem, in multiplicationem, in possessionem, in fruitionem ejus boni: pro quo *si dederit*, sive divēdiderit homo, *omnem substantiam domus suæ, dederitq; pauperibus, & nudum IESUM asfectatus fuerit, quasi nihil lum despiciet omnia*: dūmodo tandem esto per scalam vel ipsius Crucis Christi ascendat, & apprehendat dulces fructus ejus. Ibi Christiane, ibi de[illegible]ge cursus profectusque tui metam, ubi prior & propter te Christus crucifixus posuit suam, atque per hoc simul etiam tuam. Meta profectus tui perfectus Deus. exemplar cursus ad hanc metam tui, ipse Dei Fili- D us. cursus tuus, desiderium cordis tui. Expende & dilata cordis sinum ut capias perfectionis fructum.

Matt: 5. 48
Ioan: 13. 15.
Cant. 8. 7
Ps. 9.

Stimulus VI.

Exemplum Cælestium Omnium.

Habemus primum exemplum Dei, qui cùm per suammet essentiam ab omni æternitate universam perfectionis suæ perfectionem complexus sit: eā ad plenum usque, juxta immensam infinitamque Essentiæ suæ capacitatem inundatus sit, adhuc tamen inundari eadem gaudet

gaudet & gaudebit per omnem Æternitatem.

Est aliud huic suppar Dei-Hominis Christi exemplum & exemplar, qui & ipse. Exultavit ad currendam viam perfectionis in carne, à summo cœlo Idealium suarum virtutum egressio ejus: & occursus ejus usque ad summū pariter ejus. nec est qui se abscondat à calore perfectionis, sive à perfectione caloris ejus.

Non aliam formam expressam habemus in pretiosa nimis, nimisque perfectionis bonis superabundante Dei Matre Virgineque Mariâ, quæ à primo instanti vitæ suæ, ad usque ultimum instans vitæ in via Dei, & virtutis & perfectionis, nec ad unicum momentum stetit aut quievit, sed contentissimo atque humano intellectui non assequendo conatu, cursu atque progressu viam suam percurrit, & in divitiis, omnes Divinæ creationis gratiæque filias supergressa est. omnesque colles Beatorum transcendit, & in vertice montium Sanctorum fundamenta sua prima composuit.

Ad Divinum, ad Christi Domini, ad Matris Dei exemplum, tota se multitudo Electorum conformat. Angeli Sancti unico instanti, hoc est conatu per unicū instans durante, consummarunt cursum perfectionis suæ, quantus quæso fuit ardor, quanta contentio, conatûs illius licet instantanei, qui omnibus dedit gloriam, dedit maximam & celsissimam, juxta gradus suos gloriam, dedit æternùm duraturam gloriam?

De sanguinis autem nostri Sanctis, quid dicam? Unus pro omnibus dicat. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESU Christi Domini nostri, propter quem, omnia detrimentum feci: & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi IESU, quæ ex Deo est justitia in fide ad agnoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius, configuratus morti ejus: si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim. sequor autem si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo IESU. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo IESU.* (Philip. 3. 8) Hæc Apostolus de seipso, dèque vita, omnibus Sanctis Dei etiamnum in hac, ac demum concludit, eam regulam quæ omnibus servit, in seipso omnibus se expressisse ostendens, ac dicens. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* (Ibid.) Sentias & tu, vade, curre, persequere similiter. *ad bravium supernæ vocationis, quæ jam retrò sunt obliviscens, quæ verò priora ad ea teipsum extendens, ut fiat senectus tua in misericordia uberi.* (Psal. 91. Iob.) *utque ingrediaris in abundantia sepulchrum.*

Stimulus VII.
Desiderium Sanctorum.

NOn tantum exemplis provocant nos Sancti nostri, Sanctusque Sanctorum ipse, ut in via Dei curramus alacriter, velociter, sublimiter, & constanter: sed etiam cursum nostrum, ad se, suamque societatem, incessantibus votis desiderant. Hæc est voluntas Domini Dei nostri, Sāctificatio nimirum nostra. Nec aliud desiderare possunt Sancti ipsius, quàm quod maximè placere agnoscunt cordi ipsius. Votis ergo Sanctorum non cupiet, non ardescet, satis superque satisfacere homo, qui scilicet cupit & ardet adnumerari cætibus Sanctorum? Numera Sanctos si potes & complectere numerum eorum, qui clamant pro te ad Dominum: desiderantes pacem servi ejus: & ut benignè faciat Dominus animæ tuæ, *ut ædificentur muri Ierusalem* (Ps. 50. 18.) suæ, etiam per te. Et potesne frustrari vota eorum, tarditate, tepiditate, morâ, dilatione tuâ, negligentiâ tuâ, mollitie tua, sensualitate, concupiscentiâ, amore proprio tui? Quomodo comparebis inter Sanctos illos totos igneos, totos ardentes, totos flammā ignis, tu tepiditate & languore, negligentiâ desidiâque solâ, inter eos insignis incedens? Memoriâ & conscientiâ languoris tui præsentis diluet tibi gloriam & dulcedinem beatitudinis: & quamvis ibi non sit locus pœnitudinis, pœnitebit te tamen, non consummatiùs fervore virtutis obsequiique Divini ad cœlum inter Sanctos venisse divitem, comparuisse instructum, degere insignem.

Stimulus VIII.
Tempus præsens suppletioni indultum.

COgita mi homo te esse arborem illā, cui cùm Dominus ob inutilem fertilis terræ occupationem, excissionem decrevisset, agricola pro ea impetravit indulgentiæ annum unum, dicens Domino. *Dimit-*

Luc. 13. 6. *Dimitte eam etiam hoc anno, usque dum fodiam circa illam & mittam stercora; & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.* Videsne non ablatam sed dilatam succisionem? Reliquum vitæ tuæ, annus ille unus est, per indulgentiam indultus, utique non ut continues sterilem desidiam, sed ut commutes in fructuosam fæcunditatem. 1. Pet. 4. 2. *Ut jam non desiderius* (neque desidiis) *hominum, sed voluntati Dei, quod reliquũ est vivas temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium* (negligentium) *consummandam:* nunc autem tempus est acceptabile & dies salutis, in quo desinendum est, a veteris negligentiæ & inconstantiæ delictis: vivendum verò justitiæ & voluntati Dei, in eo quod reliquum *est temporis in carne.*

Neque verò gravari te putes ejusmodi doctrinis. Audi enim Apostolum qui ait. Rom. 6. 19 *Humanum dico:* & condescendo vobis, *propter infirmitatem carnis vestræ: Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ* (negligentiæ) *& iniquitati ad iniquitatem* (tepiditati usque ad Divinam nauseam & vomitum) *ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ & sanctificationi.* Ergo humanum est & per indulgentiam dictũ Apostoli, cui tamen vix audet satisfacere vulgaris nostra in servitio Dei diligentia. Alioqui impleri deberet in nobis à nobis illud Prophetæ. Bar. 4. 28. *Sicut enim fuit sensus vester, ut erraretis à Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Et Propheta quidem decuplum tantum requirit, adhuc etiam humanum dicens propter veteris legis conditionem. at Dominus Luc. 8. 8. IESUS, qui *venit ignem mittere in terram*, eumque voluit vehementer accendi, non decuplum sed centuplum, & optat & laudat, verbi sui, in servis suis fructum. Quod si tu attenderis ad omnes conditiones tuas, ad locum quem occupas, ad auxilia de cœlo quibus abundas, ad media status quibus circumfluis, ad incitamenta, quibus non tantum provocaris, verùm etiam planè traheris: reperies parùm & planè humanum adhuc esse, si centesimum afferes: sed omninò fit opus, & valdè conveniens, imo & necessarium ut fferas offerasque fructum Deo tuo millesimum; & super superque millesimum *sic enim decet implere omnem justitiam ab eo. cui mensuram bonam, confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum suum.* Luc. 6. 38.

Stimulus IX.

In fine proficiendum ad meliora.

Psal. 74. 1. IN *fine, ne corrumpas.* ait & monet Divina Scriptura. Finis enim omnia vel corrumpit vel perficit. Finis coronat opus, finis pessundat opus. Curre optime, velocissime, rectissime; si vel deflectas, vel subsistas in fine, neque ad finem decurras, quid proderit cucurrisse? *Qui perseveraverit usq; in finem* in bono, *hic salvus erit*, qui perseveraverit usque in finem in malo, hic peribit. quia ex fine omnia reputantur. *In finem ne corrumpas.* Multi enim bona aggrediuntur, quæ deinde non coronant fine bono, sed ab eo deveniunt in malum. Alii mala amplectuntur ab initio, deinde respiciunt & convertuntur in finem bonum. Optima portio eorum, quorum initia, media & fines bonum possident: post istos meliores reliquis, qui in finem non corrumpunt, neque corrũpuntur. Sive ergo hactenus male tepideque Deo servivisti, sive bene & strenue, in finem ne corrumpas. Imò fine corona, fine perfice omnia tua. In fine motus velocior: attestante naturâ, si hoc facit natura in lapide, cur non facit in te gratiâ? Omnia etiam gravissima ad suum finem festinant, sola virtus in fine torpescet & tardabit? Lapis festinat ad terram, ut quiescat; virtus ad beatitudinis æternæ requiem, non evolabit? Et fluvii quidem è fontibus suis parvo initio egressi, multis cum aquarum fluctibus in mare sese evolvunt. Cur non sic etiam humana industria, multis cum virtutum meritorumque agminibus & fluminibus, in mare suum Deum ejusque Beatitudinem ingreditur? Nunquid naturaliùs tendit lapis deorsum, vel ignis sursum, quam anima in Deum? aut meliùs est flammæ sursum lapidive deorsum, quàm Homini apud Deum suum, apud summũ Bonum ultimumque finem suum? Qui in fine torpescit ad salutem, quando fervescet? Nam qui initio, adhuc in fine spẽ habet; sed qui in fine, ubi remanet spes eius? Paupertatem delegit & putrescet in ea, cui finis adveniens non adfert diligentiam ac fervorem in negotio salutis æternæ. qui autem in fine tendit velociùs, ditabitur. Sapientis est vox ista, qui dicit. *Laboravit dives in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur bonis suis. Laboravit pauper in diminutione victus: & in fine inops fit.* Eccl. 31. 3. Quantò ergo vides magis tibi appropinquantem diem seu finem, tantò *in omnibus operibus tuis esto velox: & omnis infirmitas atque egestas non occurret tibi in novissimo.* Eccl. 31. 27

Stimulus X.

Sancti, ad finem vitæ fervere quasi de novo solitii.

QUemadmodum equi de via licet fessi, vicinitatem tamen hospitii sui sentientes, velociùs decurrunt; ita comprobatum est illustres Dei servos atque Sanctos, accedente vitæ fine novos fervores in via Domini, novos labores in vinea Christi excolenda quæsivisse. Iam erat David grandior natu, & cæpit moliri ædificationem Domus Domini, quàm cum ad ejus filium Deo rejicere placuisset: præparavit ille nihilominus impensas Domus Domini, ex quibus filius Salomon Domum Domino ædificaret. quin & formam domus illius filio eidem reliquit, ut omni quà posset ratione particeps esset tam domus Domini, quam totius Religionis & cultus à fideli populo inibi Deo exhibendi usq; in sempiternum. Ejusdem Sancti vox est illa, quam omnes ab eo discunt, quotquot Deo placere satagunt. *Ego dixi. Nūc cæpi. Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Certè ab adolescentia sua David timebat Dominum & placebat ei, grandis tamen natu dicit: *Nunc cæpi.* & novam illam vivendi rationem Divinæ super se dexteræ cōmutationi attribuit. Nempè agnoscit proprium hoc Dei donum & magnis servis ejus communicari solitum; ut post decursum penè obsequii Divini stadium, quasi denuo ad primordia regrediantur, de novoque incipiant, & dicant. *Nunc cæpi*, servitium Dei & fervorem novum primumque in eo.

2. Reg. 7. 12.

1. Paral. 22

Psal. 76. 11

Dignum est admiratione sed & imitatione, quod Abraham à Deo suo audiit jam centenarius, jam Dei veteranus & servus, & amicus. *Abraham ambula coram me & esto perfectus.* Nonne antea, & coram, & cum Deo ambulaverat? Attamen grandescenti licet hoc ei præcipitur, ut veluti à principiis inchoaret, quo ad perfectionem tenderet. Quid Elias ille igneus, ille ignis? audit tamen Angelum monentem: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* scilicet usque ad videndum in monte Horeb Dominum Deum suum. Sed Apostoli Pauli exemplum magis est nostrum, hunc igitur audiamus, intueamur, æmulemur. *Non deficimus* ait, *sed licet is, qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renovatur de die in diem*, & rationem addit sane dignam sensu Apostolico: & quæ omnem fervorem exacuat ampliùs & ampliùs. *Id enim* (inquit) *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ita quidem Paulus: qui omnes etiam hortatur dicens. *Renovamini Spiritu mentis vestræ.* S. Bonaventura locuples testis narrat Sanctum Franciscum suum, jam licet Stigmatibus Domini insignem & in Seraphicum Spiritum penè commutatum: nihilominus biennio ante mortem suam, novos ac omninò novitios labores resumpsisse, & tunc primum servitium Divinum inchoasse. Præclarum Sidus gloriosissimi Prædicatorum Ordinis Beatum Henricum Susonem: illum titulo ministri Æternæ Sapientiæ insignem, constat statis temporibus, vetera sua pietatis studia tanquam obsoleta exportare atque sepelire solitum, novum verò hominē, novitate Spiritûs indutum, innovatis exercitiis spiritûs, ipsoque inprimis spiritu, assumere, & omnia quæ Divini obsequii essent, perficere. Nostri Ordinis historiæ narrant, Bartholomæum Bustamantium: magnis & multis laboribus in Societate nostra perfunctum, iisdemque ac simul annis fractum, novos nihilominus labores, novo Spiritûs ardore suscepisse. & exhausisse. Id aliquibus in eo jam sene & morbido admirantibus; memorabili responso, egregiò satis fecit, dicens. *Tempus breve est.* (vitæ nimirum seni) *cælum autem adhuc procul, duplicandus ergo est cursus.* Hæc scilicet est Sanctorum prudentia, ex senectute, non otii & quietis, sed laborum & fervoris ansas desumere. More lampadum, quæ fortiùs ardent atque lucent ampliùs, dum deficiunt. Et ad normam moniti Angelo Ephesino dati. *Prima opera fac.* Est enim res periculi plena. *Charitatem primam* reliquisse.

Gen: 17. 1.

Eccl. 48. 1.

3. Reg. 19. 7.

2. Cor. 4. 16

Eph: 4. 23.

Sur: in vita

Hist: Soc: p. 3. L. 9.

Apoc. 2. 5.

Apoc. 2. 4.

Stimulus XI.

Vocatio Religiosa.

VOcatio Religiosa, si quem ea tenet, eadem ad cursum perpetuum, indefessum, contentissimumque premit. Namquid est aliud Vocatio Religiosa? nisi status atque professio cursûs ad virtutum perfectionem incitati atque perpetui? Hæc est enim Essentia Religiosi, semper proficere, semper tendere ad perfectionem Christianā, adeò, ut negligere hanc tendentiam, atque non curare ex proposito, criminale & damnabile si in hoc statu. Ne-

tu. Neque opus est, ut quis ultrò regrediatur à perfectioribus ad imperfectiora, sufficit ad malum, nolle proficere, nolle meliorem esse aut fieri. In statu personaque Religiosa, ipsa intermissio proficiendi, est regressus & defectio. Sicut qui est influvio, per hoc solum descendit retrò deorsum, quia non nititur ascendere sursum: etiam si navim non agat in descensum. Videat ergo quisquis statu Religiosus est, ut etiam simul perpetuò proficiens sit: quia hæc est spes vocationis suæ, quâ vocatus est, & quâ carere sine noxa non potest, nisi essentiâ suâ carere velit. Quale monstrum est, velle Hominem se esse absque Rationalitate, tale est, velle se esse Religiosum, absque proficiendi alacritate. Attendant hoc senes Religiosi, & videant, velintne in morte aut judicio Christi inveniri ita monstrosi?

Stimulus XII.

Status Sacerdotalis.

STatus & vocatio Sacerdotalis ampliùs aliquid importat obligationis Homini in Sacerdotio posito, quàm Religiosa Vocatio. Hæc enim solùm proficere & ad profectum conari jubet. at illa perfectum in virtute hominem, ejusque actualem possessorem esse requirit. Atqui perfectus esse nemo solet, nisi proficiendo; ergo ut Sacerdos perfectus sit, proficiens esse, & profectui vacare debet. Quis enim ad terminum pervenit ad qué non cucurrit? Quid quod Sacerdos non soli sibi debet vel proficere, vel perfectus esse, sed etiam plurimis aliis? Sicut enim Sacerdos non sibi, neque propter se est. *Omnis namq; Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*, ita etiam, non sibi soli proficere aut perfectus esse debet, sed etiam aliis, quos verbo & exemplo suo, sui similes, Deo dignos placitosque tenetur efficere. alioqui audiet à Domino. *O Pastor! O Idolum!* Pastor quidem vocatione & nomine, idolum usu & ipsa re. Sed enim nihil ita vel suaviter, vel efficaciter tenaciterque obligat Sacerdotem ad proficiendi insigne studium, insignemque actu ipso perfectionem, quàm Sacrosancti sive Sacramenti, sive Sacrificii altaris, adeò libera, adeoque familiaris, adeò intima usurpatio atque tractatio. Potestne homo, scatens negligentiis & desidiosis temporibus, potestne non evolans Seraphicis (dicam Divinis) alis atque volatibus accedere ad Deum? adglutinari, cōmisceri, conviscerari, concorporari, indivinarique Deo? Hæc quidem propter stuporem mentium nostrarum sub intelligentiam nostram, quasi non cadunt: attamen fides nostra, non est possibile, ut intellectum nostrum non convincat.

Hebr. 5. 1.

Zach. 11. 17

Metiatur ergo Sacerdos quantum chaos discriminis firmatum sit inter Deum & Sacerdotem offerentem, aut communicantem, & intelliget quanto sit opus sibi conatu in cursu, ad superandum decurrendumque discrimen illud abyssalis distantiæ, per condignam, seu sumptionem, seu oblationem Domini Dei sui in Eucharistico Sacramento atque Sacrificio. Ad unicum tantum Communionis vel oblationis Eucharisticæ actum, totius vitæ cursus sanctissimus vix satis esset: ad sæpè, ad quotidie communicandum ac offerendum condignè, quanta putamus, quanta putare debemus opus esse contentione in sanctitatis studio, & in perfectionis omnimodæ apparatu conquirendo? Deus noster in Eucharistia, absconditus cibus grandium est, faciens grandescere manducantes: & tamen nos, neque grandescimus, neque gigantescimus, sed vix pigmæos & navos exæquamus, post multos quamvis Sacrificii annos. Quis se exhibebit Deo Sacerdoté, qui ita vivere curet, ita in studio sanctitatis perfectionisque currat, ut meritò quotidie communicare atque celebrare possit? Sed noverit Dominus, qui sunt secundum cor ejus. Certum est, quod si non omnis Sacerdos communione & sacrificatione quotidiana grandescit, tota nihilominus grandescit Sancta omnium nostrum Mater Ecclesia.

Stimulus XIII.

Vocatio Societatis JESV.

STimulus hic non ad omnes pertinet; pertinet tantum ad Filios Societ: JESU, quos Benedictus DEUS vocavit in Societatem Filii sui. Horum antesignamus Dei Filius DEUS Homo, ipse testatur de seipso: quia *Ego veni, ut oves meæ vitam habeant & abundantius habeant.* Non ergo potest alia esse indoles Filiorum Societatis JESU, quàm quod & ipsi ubi ubi sunt, quocunque veniunt, veniunt ut oves Christi *vitam habeant & abundantius habeant:* quomodo autem hoc facient, nisi & ipsi in se (non tamen ex se, sed ex Christo)

Ioan. 10. 10

vitam habuerint, & abundantiùs habuerint? Finis hujus Societatis est cũ omni diligentia in Domino, incumbere tam in propriam quàm in proximorum salutem atque perfectionem. In moralibus, finis, est Natura & Substantia, sive essentia eorum. Filius itaque Societatis Iesu, sine diligentia omni tam in se, quàm in proximo quovis promovendo ad salutem & perfectionem, est absque suâ essentiâ, substantia, & naturâ. Quidlibet aliud esse potest, verus & germanus Societatis Jesu Filius esse non potest.

Ejusdem Societatis & Filiorum eius omnium eminentior adhuc est finis, semper promovere & omnia facere ad Majorem Dei gloriam, ad majus Dei obsequium. Quomodo possunt hæc præstari, nisi omnes & singuli Societatis Iesu Filii semper crescant, semper proficiant, crescereque & proficere semper proximos suos faciant cum omni diligentia, in Deo, in omni virtute, atque perfectione? Quæ enim aut quomodo major & major semper quæri, semperque exhiberi Deo potest gloria, si in ipsis quærentibus atq; exhibentibus, non emineat amplior ampliorque virtutum perfectio, & profectus in perfectione? Ipse hominum seculique author, ipse primus Dux & Princeps Sociorum omnium Iesu Dominus Iesus, quamdiu inter homines conversatus est, nunquid aliquando stetit in via sua, in executione omnis voluntatis paternæ, aut in manifestatione hominibus Divinæ gloriæ? Et quidem pertransiit benefaciendo, & sanando omnem languorem, & omnes oppressos â diabolo. Cucurrit ergo Dominus Iesus velut Gigas, porrò currentem quis apprehendet, qui & ipse pariter non curret? Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? quid prodest vocari Socium Iesu, & esse interim nimium quantum sejunctum ab Iesu, nimium quantum dissimilem Iesu? Sic ergo currite Filii Soc: Jesu, sic currite, ut comprehendatis.

Quod si hæc indoles ad omnes Societatis Jesu homines pertinet; nonne ampliùs ea veteranorum esse debebit? eorum scilicet, qui exercitatos habent sensus, eorum, quorũ & omnis vita & quælibet vitæ actio, magisterium esse debet atque norma virtutis, norma profectus, norma perfectionis, norma promovendæ inter alios salutis, atque perfectionis: norma exæquendæ omnis Divinæ voluntatis, & exaltandi semper semperque amplius Divini nominis? Turpe certè est & valde confusibile, eos qui esse *debuerant* (forte & fuerant) *magistri* aliorum propter ætatem & *tempus*, inveniri egentes ut *doceantur, quæ sint exordia & elementa sermonum Dei: facti tales, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Vitandus est ille Apostoli sarcasmus. *Si tu Iudæus* (Iesu Socius) *cognominaris, & requiescis in lege* (Societatis) *& gloriaris in Deo* (nomineque Iesu) *& nosti voluntatem ejus, & probas utiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege:| qui ergo altum doces, teipsum non doces; qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.*

Hebr. 5. 12

Rom. 2. 17

CLASSIS TERTIÆ
Stimulus I.
DEI Sanctissima Voluntas.

Pondus æquum voluntas Domini. Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra. quæ est autem *sanctificatio nostra?* Hæc utique quã idem Apostolus exponit sic dicens. *Quoniam non posuit nos in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum IESUM Christum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.* pergit verò addere & enucleatiùs exponere hunc in modum Dei voluntatem nostramque sanctificationem. *Patientes estote ad omnes. videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo IESU in omnibus vobis.* Quapropter superest, ut fiat voluntas Dei sicut in cœlo & in terra, superest ut regnet in nobis per omnia, & in omnibus, & semper *voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Superest, ut in beneplacito voluntatis Dei nostri abundemus semper magis ac magis in omne opus bonum. Nam quid est aliud sive super terram, sive super cælum, in quo oporteat nos aut vivere, aut ambulare, aut proficere, aut sanctificari, aut gloriari, præter quam in Domini Dei nostri voluntate beata? Hic est Spiritus Dei. Scriptum est autem. *Spiritum nolite extinguere.* Extinguit illum, qui in Sanctificatione non proficit.

Prov. 11. 1. 1. Thes. 4. 3. 1. Thes. 5. 9.

Ibid. v. 14

Rom. 12. 2

1. Thes. 5. 19

STIMULUS II.
Eminentissima DEI Dignitas.

ITa quidem est excelsus & elevatus super

per

per omnia, & creata & possibilia Deus noster in Majestate atque Dignitate sua, ut in nullius creaturæ mentem ascendere possit mensura eius. Quidquid volueris comparare Deo, non illa erit comparatio, sed contumelia atque injuratio, & quidem utriusque. Nam perinde est injuria creaturæ, si Deo comparetur; atq; est injuria Dei, si creaturæ conferatur. Deus est & unus atque solus, & non apponetur alius ad eum. *Beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem; & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cui honor & imperium sempiternum. Amen.* Hic ergo Deus adeò magnus, adeò excelsus, adeò immensæ majestatis & dignitatis delectatur profectibus nostris, & gaudet honorari devotis obsequiis, atq; honoribus nostris. Et quantò altiùs conniti videt creaturam suam ad exaltationem Dignitatis suæ: tanto munificentiùs condescendit studio ejus, tanto pleniùs se infundit desideriis ejus. Nescit enim, atque etiam nequit, Deus vinci munificentiæ affectu a creatura sua: sed quantò illam magis videt & habet profusam & infatigabilem argumentosamque in exaltatione & dignificatione Dignitatis suæ: tantò illi facit vicissim obligatiores & indulgentiores Misericordias & Dignationes suas. *Quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum*: protestatio Domini est, neque evacuari potest.

1. Tim: 6. 15

1. Reg: 2. 30

Nunc itaque si Dignus est Deus, imò quia Dignus, & omni dignitate dignior, neque unquam satis digne dignificabilis est Deus, nemo fatigetur, nemo deficiat, nemo tepescat in ascensu & progressu de virtute in virtutem, in exaltatione Dei per quotidianam perfectionem, in glorificatione Dignitatis ejus per excellentiam Sanctitatis & justitiæ coram ipso, propter ipsum. O homo, dicit tibi Deus tuus; Labora & contende ad profectum tuum, oblecta me progressibus tuis, cupio saginari fervore & ardore devotionis in obsequiis meis. Dignus enim sum, ut talem te servum habeam, consecratum Majestati, devotumque Dignitati meæ. Sufficitne tibi mi homo, ista à Deo tuo allegata causa? an potes requirere aliã? an invenis aliquid majus digniusve Dignitate Dei? Itaque sufficiat ad Seraphicum, ad Marianum, ad Theandricum fervorem, unicum hoc: Dignus est Deus, quem vel per unicum instans exaltare possim: amplior est omni reliqua dignitate creata, ad quam creatura elevari possit. si absque dignificatione Dei elevetur, aut elevari possit. Denique sufficiat illud ad stimulum; *Glorificantes Dominum quantũcunq; potueritis, supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude &c.*

Eccl: 43. 32

Stimulus III.

DEI nostri super omnia Boni, dilectio.

Si diligitis me, mandata mea servate. Qui enim habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Argumentatio Æternæ Sapientiæ est. Non denuntiat indignationem suam, neque supplicia: non ostentat promissiones & mercedes suas, satis est illi ad evincendum propositum allegasse dilectionem sui. *Si diligitis me,* inquit, *mandata mea servate. Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Ille enim solus veraciter Deum diligit, qui exercet opere, quod Deo placere novit, alias frustra quis ingeminat *Domine Domine*, si non facit ea omnia quæ vult Dominus. Nervosa est ergo argumentatio Christi. *Si diligitis me mandata mea servate, facite quæ dico, diligite non verbo neq; linguâ, sed opere & veritate.* Sed quærit quis, quænam sint hæc mandata Dei? At notum satis est, quod præcepta Domini & multa sunt, & varia sunt. Multa in diversitate operationis, unum in radice dilectionis. Sicut enim multi arboris rami, ex una radice procedunt; sic multæ virtutes virtutumque operationes, ex una charitate descendunt. Et quia charitas est diligere Deum propter Deum: & proximum sicut seipsum, nihilominus in Deo & propter Deum; ideò cum Christo dicit: *Si diligitis me mandata mea servate.* hoc utique dicit. *Si diligitis me,* hanc ipsam mei dilectionem, operatione dilectionis, exercitatione charitatis probare. Nihil enim habet viriditatis ramus cujuscunq; boni operis, si non manat & dependet à radice charitatis. propter quod & Apostolus Christi hortatur, *Omnia vestra in charitate fiant.* quasi dicat: Omnes rami, à radice viroré sumant. Sed etiam charitatis præstantissimum opus est, Magna facere & nunquam deficere, propter hoc enim *major est* virtutum omnium *charitas*: quia *nunquam excidit charitas.* Evacuabitur fides, evacuabitur & spes, *Charitas nunquam excidit,* nunquam deficit. Imò verò ubi aliæ

Ioan: 14. 15
Ibid: v. 46.
Luc: 6. 46
2. Io: 3. 18.
Greg: Hom: 27. in Evan.
1. Cor: 16. 14
1. Cor. 13. 13
1. Cor: 13. 8

virtutes operando deficiunt, & veluti officio suo functæ, ante januam cæli subsistunt; ubi charitas præcipuè fungitur, præcipuè regnat, præcipuè consummatur, & coronatur. Dicentis ergo Domini. *Si diligitis me mandata mea servate*, sensus & voluntas hæc est: Per hoc mihi dilectionis vestræ perfectionem monstrabitis: si nunquam à charitatis meæ operationibus cessabitis, si semper in studiis charitatis permanebitis, si semper in charitatis exercitiis & proficietis & perseverabitis. Sicut enim ignis in nulla lignorum congerie dicit, sufficit: ita charitas neque inter hujus sæculi irruentia flumina, neque inter futuræ beatitudinis maria excidit.

Stimulus IV.

DEI nostri erga nos dilectio.

QUanta sit Dei nostri erga nos dilectio: primùm omnium nobis id prodat & probet canticum dilectionis: ait ergo. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnẽ substantiam domus suæ pro dilectione. quasi nihil despiciet eam.* Exposuit hæc omnia Divinæ super nos dilectionis encomia Christus Deus noster: magnificis exemplis ea illustrans atque confirmans: quale est unum illud. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim Deus misit Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ecce quomodo Salomonem, hic plus quã Salomon, ad unguem interpretatus est, facit verò alibi aliam quoque ejusdem argumenti interpretationem hujusmodi. *Ego sum Ostium: per me si quis introierit: salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet. Ego veni ut oves meæ vitam habeant, & abundantius habeant: Ego sum Pastor bonus, & agnosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem & animam meam pono pro ovibus meis. Majorem hàc dilectionem habet nemo, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hæc Dominus JESUS.

Cant: 8. 6.

Ioan: 3. 14.

Ioan: 10. v. 10.

Ioan: 15. 13

Apostolus autem ipsius Paulus. Majorem assignat charitatem in ipso Christo: quipque qui non pro amicis, sed pro impiis, pro peccatoribus, pro inimicis mortuus sit. Probare enim volens Apostolus, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* utitur hoc argumento. *Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Hucusque Paulus satis Apostolicè de Divina in nos etiam inimicos dilectione. Nec verò minùs dulce est & grande ad charitatem Dei in nos laudandam ab eodem dictum illud. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia salvati estis) & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo IESU. ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in Bonitate super nos in Christo IESU.* Supervenientia ista secula, aspectantia redundantes hasce divitias Gratiæ Dei in bonitate super nos in Christo IESU, & quænam putamus esse, nisi nostra hæc, in quos fines sæculorum devenerunt: & qui in fines sæculorum devenimus?

Rom: 5.

Eph: 2. 4.

Sed enim ecce adhuc charitatem Dei Joannes Apostolus commendat nobis, ex ipsis, seu in ipsis nobis, ait enim. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt. Et Verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Quid Majestuosiùs: quàm in principio esse Verbum, & Verbum esse Deum? quid amorosiùs, quam Verbum illud, carnem esse factum, & in nobis habitasse? An verò possit luculentiùs, simul ac nervosiùs explicari mentibus nostris, hoc totum Dilectionis Dei super nos negotium, quàm explicatum legimus apud Lucam Evangelistam: omni animæ fideli relinquo in medio ad judicandum. *Ecce duo viri loquebantur cum Christo in monte Thabor, erant autem Moyses & Elias, visi in Majestate, & dicebant Excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem.* quod Salomon vocavit omnem substantiam, hoc plus quam Salomon Exaltationem & Majorem charitatem: quòd Paulus nimiam charitatem, & abundantes divitias, quod Ioannes verbum carnem. Hoc Lucas, sive cum Moyse Elias

Ioan. 1. 1. v. 14.

Luc: 9. 30.

se Elias dixerunt Excessum ejus. Nimirum brevi, sed totum Dilectionis Divinæ in nos profluvium diluviumque comprehendente verbo usus est, & eo demum processit, ut quo ampliùs pergat nihil supersit. Hic igitur subsistamus: & jam quid à nobis vicissim exigat ista Dei charitas erga nos, iste Excessus dilectionis ejus super nos, quid nos facere jubeat, advertamus, decernamus, exequamur. Neque antea desinamus, quàm vel omnẽ substantiam domus nostræ exhibeamus pro dilectione: vel nimiâ charitate diligamus, vel excessum charitatis compleamus. quod si nunquam fiet, nunquam ergo dilectio nostra in Deum cesset, nunquam charitas nostra excidat, sed semper crescat, sed semper proficiat, semper & in singula momenta ampliùs & ampliùs invalescat, seraphinescat, fecundescat, in omne bonum opus, in omnem charitatis fructum, in omnem Dei voluntatem bonam beneplacentem, & perfectam. Et his omnibus completis dicent nihilominus omnes animæ nostræ Deo. Amat charitas, amat immensitas Deus. Nos autem vicem rependimus in mensura, in gutta, in stilla.

Stimulus V.

Divini Cordis gustus & expletio.

ABsque injuria Divinæ Majestatis simulque Bonitatis, nequit dubitari, de ejusdem tum desiderio, quo fertur in dilectarum desponsarumque sibi Animarum perfectionem, perfectionisque assequendæ infatigabilem conatum, tum gaudio & gustu cordis ex ejus affectatione atque assecutione. Hæc est enim unica & sola merces, quam Divina Majestas & intendit, & exigit, & expectat, & acceptat, à sua rationali creatura, pro suis beneficiis omnibus, quibuscunque earum quamlibet dignatur, ut nempe pro omnibus collatis in se muneribus, sive naturæ sive gratiæ, afferant & offerant ei fructum sanctitatis & perfectionis suæ, in eoque quam copiosissimo conquirendo & apportando, quàm copiosissime desudent. Quæcunque alia offerat creatura Deo suo, si hoc, quod prædictum est, mercedis fructûsque genus non adjunget, contemptum, ingratum, exosum est Deo. *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* quid igitur desiderat Dominus? Hæc dicit Dominus. *State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Michæas Propheta inducit hanc disquisitionem. *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocautomata & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo: fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ?* Demum concludit hunc in modum. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utiq; facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Ierem: 6. 20. — Ibid: v. 16. — Mich. 6. 5. — Ibid: v. 8.

Cùm itaque hoc sit unicum, quod Dominus requirit à te o homo, ut facias judicium tecum, misericordiam diligens in proximum, & perquam sollicite ambules cum Deo tuo: ut quid ergo non te totum, non te semper, non te profusissimè impendis in hæc, quæ Deo tuo placita, in hæc quæcunque Deo tuo expetita, in hæc quæ Deo tuo gratissima, atque in odorem, in gustum, in oblectamentũ, in gaudium suavissimum esse agnoscis? Quæ tibi quæstio crebrior in mente esse debet, quàm hæc. quid faciam, ut Dei gustum oblectem & expleam? quid operabor ejusmodi, quo quàm maxime recreetur & exsatietur Cor Dei mei? quid offeram Deo meo, quo saginem voluptatem voluntatemque Dei mei? Quis mihi det ut reperiam aliquid, quod gaudeat suscipere de manu mea Dominus meus? Et audies dicentem tibi: quia *gaudium Domini est, fortitudo nostra, & quia vocaberis. Voluntas Domini in eo, & vocabuntur in te Fortes justitiæ plantatio Domini ad glorificandum. tantummodo noli timere, & non dissolvantur manus tuæ. Dominus in medio tui gaudebit super te in lætitia. silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. Noli ergo languescere in viis Domini, noli tepescere in obsequiis ejus.* Noli negligenter facere opera ejus. ut in te nunquam diminuatur, ut per te semper accrescat *gaudium Dignitatis eius.*

2 Esdr. 8. 10 — Isa: 62. 4. — Isa: 51. 3. — Soph. 3. 15. — Ezech. 24. 25

Stimulus VI.

DEI gloria atq; gloriatio.

SOlemne est Deo, quòd glorietur in servis suis fidelibus: qui fideles inveniuntur in testamento ejus. Estq; hoc unum ex gaudiis Domini super nos: quia in nobis gloriatur. *Servus meus es tu Israël: quia in te gloriabor.* Gloriatus est Dominus in servo suo Job, & gloriatus usque ad trium-

Isa: 49. 3. — Iob: 1.

triumphum, in eo reportatum de Sathan; Sed & in Paulo Apostolo Dominus & gloriatus, & glorificatus est. quem sibi *vas electionis fecit, ad portandum nomen suum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.* Quin imò, quotquot sunt electi ejus, qui faciunt voluntatem ejus, & ponunt cor suum ad custodienda mandata ejus: omnes hi sunt gloria ejus, omnes sunt gloriatio ejus, in omnibus his gloriatur Majestas Dignitatis ejus. Omnes hi sunt currus gloriæ & exaltationis ejus. Ea propter quisquis amator, & zelator esse desiderat gloriæ Domini Dei sui: nullo non die, nullâ non horâ, nullo non momento magnificet nomen ejus. *Det in omni opere suo confessionem Sancto & Excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudet Dominum, & diligat Deum, qui fecit illum. Ornet tempora* (sua) *usq; ad consummationem vitæ* (suæ) *& laudet nomen Sanctum Domini, & amplificet mane* (juxta & vespere) *Dei Sanctitatem.* Et tunc gloriabitur in te Deus tuus: exaltabitur ex te Sanctus tuus: & eris sedes gloriæ Domini Dei tui in æternum.

Act: 9. 15.

Eccl: 47. 9.

Stimulus VII.

Christi Meritorum præmium.

Gloria & beatitudo Sanctorum, est justissimum præmium Christi meritorum: attestante Propheta. *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Non vero ipsa sola gloria beatitudoque nostra præmium est Christi, sed etiam ipsa nostra merita bona, quibus vitam gloriamque æternam acquirimus, ad præmium eorundem Christi meritorum pertinent. Ex his enim habent universam dignitatem suam, & omnem valorem atque proportionem, tam ad gratiam, in qua & per quam fiunt, quàm ad gloriam, ad quam & propter quam fiunt, & per quam præmiantur. Inde vero sequitur, quòd quantò quispiam justorum ardentior est, studiosiorque in bonis & meritoriis operibus perficiendis, amplioreque tam gratia in hac vita, quàm gloria in futura cōparanda, tanto is ad ampliorem Christi Domini & meritorum ejus remunerationem operetur, adaugeatque præmium redemptionis suæ, ipsi Redemptori suo. Quæ res, quàm fit per omnem modum grata eidem Redemptori, cujus meritis

Isa: 53. 11.

A infinita debetur præmiatio, non est quod explanetur, cum etiam non sit quod ambigatur. Cæterum sicut qui sunt *spiritu ferventes* & in omni diligentia *Domino servientes*, meritaque gratiæ & vitæ æternæ sibi magis ac magis cumulantes, præclarè valde de Domino suo, deque eius meritorum copiosa præmiatione merentur. ita per contrarium omnes illi, qui sunt remissi & languentes in operibus suis, quorum opera nequaquam plena inveniuntur coram Domino, & coram Christo eius: necesse est ut maledicti sint & evomantur ex ore Domini, & inter servos inutiles atque pigros computentur, B ligatisque manibus & pedibus projecti in tenebras exteriores, habeant partem suam cum hypocritis, perfidis, & injuriosis Christo Redemptori suo, ac ideo etiā odibilibus Deo suo. *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Non potest in ejus vel gratiam vel gloriam liberalis esse Christus, qui se non exhibet quantum prævalet liberalem in glorificandum Christum. E contra, quanto se quis liberaliorem in eum præstiterit, tanto eundem in se liberaliorem habebit.

Rom: 12. 11.

Matt: 11. 15.

Stimulus VIII.

C

Sanctorum Angelorum merces.

Deus noster *mandavit Angelis suis de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris.* Custodiunt ergo nos, tanta sedulitate, tanta fide, tanta constantia, tanta morositatis nostræ supportatione, ut evincant charitate sua erga nos, omnem aliam quācunque familiarium nostrorum benevolentiam diligentiamque. Nam quæ Mater aut Nutrix tam obstinata viscerositate curat infantem suum diebus infantiæ ejus, quàm invincibili propensione atq; D profusione curant nos Angeli nostri omnibus diebus, omnibusque momentis, in omnibus viis vitæ nostræ? Et hoc agunt mercede a nobis alia nulla, præter quam, ut conculcato leone & dracone, ut inoffenso pede nostro pergamus atque omninò pertingamus ad usque portas vitæ æternæ, quas ingressi efficiamur *domestici Dei, Cives q; Sanctorum*, adscripti ad Societatem multorum millium Angelorum. In quo cursu salutis, o quantum illi & inserviunt nobis, & congaudent laboribus nostris, & applaudunt progressibus nostris, & pascuntur perfectione nostra, & recreantur fervore nostro, & annuntiant Domino Majestatis bona de nobis, & offe-

Psal: 90. 11.

Eph: 2. 19.

offerunt conatus nostros, & referunt benedictiones studiis nostris. O quanto cum gaudio, quanta cum hilaritate, quanta cum gratulatione occurrunt nobis, excipiunt nos & porrigunt dexteras, & ruunt in amplexus, & adstringunt brachiis, egredientes de navigatione vitæ, deque navigio corpusculi hujus, & subintrantes portum salutis, & terram viventium capessentes, atque beatæ æternitatis primordia delibantes. Tunc nos illi, tunc in manibus portant, universasque meritorum sarcinulas, tunc nos Divino præsentant conspectui, atque præparatis à Divina dextera coronis submittunt capita nostra. tunc nos destinatis inserunt ordinibus, & in promeritis collocant sedibus, adgratulantes sibi felicem, optatum, finalem, suorum circa nos finem & exitum laborum. O quæ tunc consolatio & congratulatio Angelorum atque Animarum vicissim. quando illi quidem suas exponent in curandis animabus industrias, illæ contra recensebunt suam in obediendo sanctissimis saluberrimisque Angelorum monitis & consiliis facilitatem, fidelitatem atque perseverantiam! Tunc omnium momentorum vitæ hic actæ erit gratissima rememoratio, tunc profusio erit mutua mentium in Divinas laudes & gratias.

Ad istius ergo inenarrabilis gaudii cōgratulationisque mutuæ complementum: ad auctionem Mercedis Angelicæ, Angelis adeo debitæ simul & gratæ: nonne per quam dignum est, ut omnis anima, quibus maxime studiis, conatibus, vigiliisque potest (dum per hanc vitam adhuc potest) tota cooperetur, tota se impendat: & superimpendat, agendo ferventer, operando naviter, sitiendo justitiam insatiabiliter, progrediendo & proficiendo infatigabiliter: semper amplius & amplius Divinum beneplacitum & voluntatem, Divinam gloriam & exaltationem, Divinam possessionem atque fruitionem, Denique Deum super omnia gloriosum concupiscendo inexplebiliter? Esto talis & tu, Angelosque, custodes ac Benefactores, & Amicos tuos, quotidianis ad meliora profectibus, ad Divina desideriis, ad perfectissima & heroica conatibus. in omnibus vitæ tuæ reliquæ momentis recrea, & satia, & remunerare. Grata siquidem est omni *Mercenario dies eius.* (*Job: 14. 6.*)

Stimulus IX.

Sanctorum in Cælo Consolatio.

Regnat etiā in cælis consortium sanguinis. Ideò DEUS-Homo factus est, ut connaturaliùs Hominum misereri posset. ut benefaciendo nobis, sibi etiam ipsi quodammodò faceret bene. eo quòd esset caro de carne nostra & os ex ossibus nostris. *Et quidem (ait Paulus) cū esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* (*Hebr: 5. 8.*) Quod si hoc in Deo nostro habemus, qui *Verbum Caro factum est & habitavit in nobis*, (*Ioan: 1. 14.*) cur non etiam idipsum cogitamus & sentimus de Sanctis nostris, qui nos præcesserunt in carne, & prævenerunt in illam patriam; ad quam & nos peregrinamur per fidem, & per spem ambulamus in dilectione operantes salutem nostram donec occurramus & *comprehendamus in quo & comprehensi sumus.* (*Phil: 3. 12.*) Expectant nos Sancti & servi sui, solicitudinem gerunt pro nobis, de Patriæ æternæ portu beato, prospectantes pericula nostra, quoniam ex his, quæ ipsi in semetipsis experti sunt, didicerunt super nos, & compassionem & solicitudinem, & consolationem atque gaudium. Gaudere & exultare fecimus illos, dum ad Deum nostrum & ad ipsius obsequium Sanctum conversi sumus à vana nostra seculi nequam conversatione. perficiamus gaudium illorum atque solatium omnimoda contentione diligentiaque nostrâ in facienda & consummanda omni voluntate Dei. Venerunt jā nuptiæ Agni, sed uxor & sponsa eius necdum ex toto parata est occurrere illi. Ecce adhuc expectantur de quibus nuptiæ impleantur, necdum enim plena est domus discumbentium, sed neque byssinum sponsæ candidum & splendens ex toto perfectum est, quia desunt adhuc multa ad consummationem eius. Hæc est ergo consolatio Sanctorum in cœlo de nobis, consummari quàm maximè omnem sanctitatis virtutumque perfectionem in nobis. Tot sunt Beatorum gaudia, quot nostri profectus; tot eorum solatia, quot nostri fervores, tot illorum aureolæ, quot nostra merita. Qui si diligimus Sanctos nostros, in hoc diligamus eos: quia quotidiana innovatione cursus nostri, quotidiana instauratione fervoris nostri, quotidianis desideriis profectus nostri solamur & pascimus eos. Etsi enim jā satiati sunt beatitudi-

titudinibus suis ab ubertate Domus Dei; adhuc tamen famescunt profectus nostros, quibus per nos, conatusque & fervores nostros satiari concupiscunt & expectant. Beati qui in hac vita cum justo, cumq; semper novo Sanctorum vivunt solatio: quoniam & ipsi, & Deus eorum, erunt solatium ipsorum æternum in altera vita.

Stimulus X.

Ædificatio Conviventium.

HAbent Iustorum merita fructū hunc, quod in exemplum proveniunt aliorum: quia commune est bonum justitia & communis virtus. Propterea monet Apostolus, ut omnes cooperemur *in ædificationem Corporis Christi*, quod est Ecclesia: (Eph: 4. 12) utque nemo quæ sua tantum sunt quærat, sed etiam quæ multorum: quin etiam *ut omnibus omnia fiat*, quomodo *omnes Christo lucrifaciat*. (1. Cor: 10. 24. 33; 1 Cor: 9. 23) Et quemadmodum *væ homini illi, per quem scandalum venit*: (Matt: 18. 7) ita è diverso beatus ille, qui non soli sibi vivit, sed tum ei qui *pro omnibus mortuus est*, tum istis pro quibus unus ille mortuus est. (2. Cor: 5. 15) Unde etiam Dominus servos suos sali comparat, eo (Matt. 5. 13) quod ipsorum & vita & morum exēpla, & oratio atque prædicatio condimentum esse debeat atque conservatio cæterorum. Ac si *unicuiq; Deus mandavit de proximo suo*: (Eccl: 17. 12) ita ut unusquisque teneatur diligere proximum sicut seipsum, dando imprimis operam pro modulo suo, ut sic salvare cupiat proximum suum, sicut desiderat salvare semetipsum; id utique magis incumbet his, quos Dominus statuit vocationis & gratiarum singularitate in salutem aliorum: quibus nimirum conferens duos præceptorum charitatis denarios, atque semivivos, saucios, spoliatosque ostendens dicit. *Curam illorum habe, & quodcunq; supererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi.* (Luc: 10. 35) Vides, quoniam usque ad supererogationem curam te habere velit Dominus sauciorum!

Sed ista forsitan alterius sint considerationis, pressiùs hic agimus & dicimus, Justorum opera servire ædificationi communi; ut ergo quàm maxima & solidissima perfectissimeque sit ædificatio multorum ex te: necesse est te *abundare quàm maximè in operibus bonis*, (2. Cor: 9. 8) in studiis perfectionis, in exemplis virtutum excelsarum. Et omnis quidem Iustitiæ fructus proficit in ædificationem aliorum: nescio tamen quomodo operationes fervoresque Seniorum, ampliùs ad exemplum faciunt plurimorum. An quia inexcusabiles fiunt juvenes, quo minus faciant eadem, quæ vident facere in oculis suis senes? An quia ipsamet Senectus commendat opus aliis, in quo fervet ipsa? An quia tactibile, & facilè esse factu demonstrat, & persuadet aliis id, quod ipsa facit ætas minus ex se factitando idonea? Quidquid sit, certum est illud: quod quemadmodum *corona dignitatis est Senectus*, (Prov: 16) ita quoque corona Senectutis est ardor fervoris, in operibus perfectionis, virtutum & disciplinæ. Nihil enim ita Senectutem Iustorum commendat, quàm vegeta & indeficiens pietas & avida justitiæ fames, propter quod addidit Sapiens. *Corona dignitatis Senectus: quæ in viis justitiæ reperietur.* Quid est enim Senectutem in viis justitiæ reperiri aliud: nisi in via studioque perfectionis occupari & fervere?

Stimulus XI.

Senectutis ipsius profectus.

PRæter proximè dicta, refert Senectus alias præclaras utilitates ex fervore spiritûs sui & ex generoso ad profectum ulteriorem perfectionisque opera perpetranda conatu. Nam quod in aliis usu venit; ut carnis senectus hebetet etiam vires animi: hujus per omnia oppositum fit in senectute justorum ferventium: nam & animus in eis fervet, vegetusque ad labores invenitur, & ipsimet corpori vigorem alacritatemque adspergit, ut animo conanti subservire non gravetur, robore animi sui & ipsum roboratum. Fuit Sanctus Simeon Hierosolymorum Episcopus, Salvatori etiam secundum carnem propinquus, hic licèt centum viginti annorum esset, martyrium tamen crucis pro Christo fortiter sustinuit & superavit, mirantibus cunctis tantum in adeò sene robur; ignaris, illud à ferventis animi invicto robore provenire. Ubi enim est robustum velle, ibi etiam adest validum posse.

Accedit senectuti ex fervore interni spiritûs & illa gratia, quòd non sinat à tentationibus concuti, neque in tentationibus concidere senes, alioqui casui ex suamet conditione obnoxios. Exemplo sit Eleazarus: (2. Mach: 6. 18.) quem cum male amici quidem indignâ viri commiseratione moti hortarentur, ut pro carne suilla, alis car-

is carnibus licitis vesceretur & simularet manducasse sicut Rex Antiochus præceperat. *At ille cogitare cœpit, ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atq; à puero optimæ conversationis actus, & secundum sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim nostræ ætati dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitã alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atq; execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manus Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vitã excedendo, senectute quidem dignus apparebo, Adolescentibus autem exemplum forte reliquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.* Dignissima nonagenario sene oratio: dignissimum veterani senis, omnium senum justorum imitatione exemplum. Ecce virtus non gravatur annis: quin potiùs annos ipsa sublevat, & facit vegetos atque robustos atque vegetorum & robustorum Iuvenum imitatione dignos. Currat ergo senectus, currat, etsi non corporis, sed tamen animi pedibus, faciatque magnos, quin & semper majores ad virtutum perfectionem passus, seu progressus; currat dilatato corde viam mandatorum Domini, nec quidquam prætermittat eorum, per quæ intelliget Divino se placito gratiorem effici posse: priusque illam Spiritus mortalis vitæ, quàm fames & sitis justitiæ voluntatisque Divinæ deficiat. Inter præcipuas laudes Patriarchæ Caleb positam legimus hanc. *Usque in senectutem permansit illi virtus: ut ascenderet in excelsum terræ locum.* (Eccl: 46. 11.)

Stimulus XII.

Confusio Adversantis Inimici.

Esse omnibus nobis adversarium, & per omnia capitalem implacabilemque inimicum, in via & opere salutis æternæ, & experimento scimus, & Scripturarum testimoniis docemur. Paulus Apostolus cùm hortatus esset omnes *confortari in Domino & in potentia virtutis ejus, induiq; armaturam Dei:* (Eph: 6. 10.) subdit mox hortamenti sui causam luculentam hujusce-modi. *ut possitis stare adversus insidias diaboli. quoniam non-bis non est colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* (Ibid: v. 16.) Cùm ergo omnibus singulisque nobis incumbat hæc indeclinabilis colluctatio, & ab igneis nequissimi telis infestatio: sine dubio & eadem, & gravior periculosiorque incumbit illis justis, Deique famulis, quos cito manu mittendos, & ab ista militia exautorandos propter instantem finem apparet. Quemadmodum enim pyratæ, non vacuam navem, & tum primum merces alicunde petituram invadunt: sed potiùs jam onustam mercibus pretiosis, & ad portum properantem aggrediuntur, expugnant, & diripiunt: sic etiam infernales isti prædones, non usque adeò impotenter, primordia, vel cursum conversionis nostræ ad Deum infestant: sed cùm nos advertunt jam portum cælestem cum pretiosis virtutum & perfectionum meritorumque & donorum Gratiæ mercibus, meditari, eique ob vicinam mortem propinquos esse, tum verò illi totis viribus, totis fraudibus, totis malitiæ invidiæque conatibus, in nos invehuntur, & de nobis prædas agere connituntur. Idque eo etiam agunt virulentiùs, quòd benè sagaciterque advertunt, ex unius alicujus justi senis deprædatione, patefieri sibi ostium & viam, ad multorum aliorum despoliationem, atque perniciem. Unius enim veterani lapsus, trahit post se exemplo suo ruinam plurimorum, quod solet quàm maximè dæmonum rabiem in perniciem seniorum procurandam exacuere.

Quamobrem etsi omnibus, ut supra dixi, incumbit monitum Apostoli, de induenda *armatura Dei, ut possint stare adversus insidias diaboli:* præcipuâ tamen ratione, ea cura afficere debet veteranos, ac multorum stipendiorum milites Christi, *ut possint resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* (Eph: 6. 13.) Et non tantum non venire in prædam gaudiumvè inimicis suis, verùm etiam potiùs ipsos debellare & conculcare, ducereque ex eis prædam, & eruere de manibus laqueisque illorum eos, qui ducuntur ad mortem, in gladio spiritûs (quod est Verbum Dei) & per exemplum atque instructionem, & per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes, in omni instantia & obsecratione pro omnibus. Ita, ut non solum non confundantur ipsi cum loquentur inimicis suis in porta, sed etiam inimicos eorum operiat confusio, & oppro-

brium sempiternum veniat super illos, videntes & tabescentes, & cum desideriis suis dispereuntes in æternum, *submersi quasi plumbum in aquis vehementibus damnationis suæ. Sic pereant omnes inimici tui & nostri simul Domine, sic pereant. confundantur & revereantur, qui quærunt animas nostras, avertantur retrorsum & erubescant, qui volunt nobis mala, avertantur statim* (& semper) *erubescentes, qui dicunt nobis Euge, euge. Qui autem diligunt te Domine, sicut sol in ortu suo splendet; ita rutilent* in Occasu suo: *colligant spolia impiorum, & decantent* Nomen *Sanctum tuum Domine, & victricem manum tuam laudent in æternum & ultra.*

[Exod: 15.10] [Iud: 5.31.] [Psal: 69.3.] [Iud: 5.31.] [Sap: 10.10.]

GASPA-

GASPARIS DRVZBICKI
SOCIETATIS JESV.

IESVS PASSVS
PER CENTURIAM MODORUM Meditandi Passionem SALVATORIS nostri illustratus;

Cui accesserunt
Meditationes in Passionem Domini 46. juxta numerum dierum Quadragesimæ.

JNDEX MODORUM
MEDITANDI PASSIONEM DOMINICAM.

O. M. D.

O. M. D.

IESV CHRISTO

DEI FILIO,

Hominum, inter Passionis

Dolores & Crucis Mortem,

GENITORI.

Vltima humanæ plebis portio,

Redemptorumque postremus, ac posthumus Filius.

HONORI ET GLORIAE

DEI, ac PATRIS

SALVATORISQVE SUI

Minutum hoc opellæ suæ,

D D. C. Q.
G. D.

PRÆFATIO.

NOn tantùm causâ vitandi fastidii, quod ex semper uniformi ratione, modoque recogitandi Passionem Domini contrahi facilè posset, verùm etiam propter intimiorem arcanorum mysteriorum ejusdem Passionis cognitionem, & insuper propter uberiorem maximorum fructuum, ex ejusdem Passionis meditatione perceptionem, operæ pretium mihi videtur fore, si varios Passionem Dominicam meditandi modos Lectori proposuero, quorum varietate cognitâ, atque gustatâ, fastidium quidem devitet, famem vero exacuat, delectationem acquirat, interiora Passionis Christi faciliùs subintret, & denique quod rei caput est, fructibus eximiis semper onustus prodeat, atque instar *boni Patris familias, de thesauro suo*, nempè Dominicâ Passione, *nova & vetera proferat.* Cupio verò, ut Lector jam nunc intelligat, mihi propositum esse, explicare modos Passionem Dominicam recogitandi, meditandi, cõtemplandi, longiore quâdam morâ in eis mentem occupando. Nam illam instantaneam ac transitoriam Passionis Christi memoriam, circaque JESUM Passum, vel Patientem, animi, breviculam, & subinde repetitam, interruptamque, ac innovatam occupationem, quâ devoti, perfectique viri, pro suo quisque, tum gradu, tum fervore, saluberrime uti solent, hoc tempore ego pertractandam mihi nõ sumo. Deinde vero non Meditationes in Passionem, sed modos meditandi Passionem describendos mihi statuo. Quanquam enim modis Paradigmata passim subjiciuntur, quæ etiam Meditationes sunt, hoc tamen non nisi ideo agitur, ut modis ipsis major quædam lux apponatur. Igitur ut propositum meũ exequar, sit jam Tractationis initium.

Matt: 13. 52.

MO-

MODVS I.

A Passionem Dominicam meditandi.

IUxta rationem meditandi à Sancto Patre Nostro IGNATIO traditam, & à nostræ Societatis hominibus usurpari solitam, assumantur ad meditandum singula mysteria Dominicæ Passionis, juxta contextum historiæ, ab Evangelistis descriptæ: in eisque debitâ devotáque diligentiâ, recogitentur. 1. quidem Personæ, v. g. Christi, Matris ejus, discipulorum, persecutorum, Patris æterni, Angelorum, Dæmonum, expendendo singularum Personarum conditiones: ex eaq; expensione documenta eruendo, affectûs eliciendo, proposita concipiendo. 2. autem Personarum verba, seu vere seu probabiliter dicta, dicendave attendendo, atque ex eorum ponderatione, doctrinas, & affectûs, propositaque propriæ meditantis conditioni idonea eliciendo. 3. Demum operationes Personarum singularum considerando, factaque reflexione super proprium statum, ac modum vivendi, documenta similiter, affectûs, ac proposita competentia exercendo: ac totum Meditationis negotium debitis postulationibus, atque colloquiis cum DEO, & Christo &c. concludendo. Paradigma hujus meditandi modi, proderit hoc loco subtexere: confectum ad instar eius, quod Sanctus Pater Noster IGNATIUS, in suo Exercitiorum libro, Hebd: 2. die 1. expressum habet, de JESU Christi Incarnatione.

Oratio Præparatoria præmittenda Meditationi erit, quâ petamus à Domino gratiam, ut vires, operationesque nostræ omnes, sincerè ad ejus gloriam, & obsequium tendant

PRÆLUDIUM I. erit. Proferre in medium summariam Passionis Dominicæ (aut partis eius) meditandæ historiam. Quomodo Dominus noster JESUS Christus, quem æternus Pater, ex ineffabili dilectione sua in mundum misit, ut salvaretur mundus per ipsum: adveniente jam tempore præstituto, Ierosolymam (locum scilicet Passionis suæ futurum) venerit, inibi consummaverit omnia, quæ scripta fuerant de illo per Prophetas. *Traditus enim est gentibus, & illusus, & flagellatus, & consputus, & postea in Cruce occisus, per manus peccatorum.* Quæ dum suo incũbebant sceleri, famulabantur Salvatori, & humani generis ministrabant redemptioni.

Luc: 18. 31.

PRÆLUDIUM II. erit. Imaginariè videre Hierosolymam universam, in cujus diversis locis Dominus noster, salutem nostram, per Passionem suam operatus est. Talis locus est Cœnaculum, in quo lotis Apostolorum pedibus, instituit Sacrificium, & Sacramentum altaris, suæque memoriale Passionis: talis est Hortus Gethsemani, in quo usque ad sudorem sanguineum oravit: talis domus Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis, talis mons Calvarius, &c.

PRÆLUDIUM III. Continebit gratiæ postulationem, ut intime cognoscam, quo pacto Dei Filius Passus, Crucifixus, Mortuus sit pro me, proque humano genere universo, ut ardentiùs ipsum amem, & abhinc ei serviam, ipsumque imiter studiosiùs.

PUNCTUM I. Speculabor Personas quæ in Passione Christi, partes suas habuerunt. Et *Primò*, universum genus humanum, in miserrima licet peccati & Diaboli captivitate positum, tamen nihil minus sentiens, aut cogitans, quàm lachrymabilem statum suum: sed omnes homines veluti conspiratione factâ, junctisque manibus, & passibus, & studiis, in tartara ruere. *Deinde* contemplabor Æternum Deum, tactum commiseratione Cordis sui Divini intrinsecùs, Filium suum pro salute hominum ad mortem crucis mittentem, eumque propter scelus populi sui, duro Passionis flagello castigantem. *Præterea* contemplabor Dei Filium offerentem sese Passioni, ad instar Agni innocentissimi, ad victimam duci, fierique obedientem Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. *Insuper* Cogitabo Virginem Matremque Iesu Christi MARIAM, voluntati Divinæ devotissimam, etsi acerbissime Passionem Filii sentientem, summa tamen cùm animi resignatione, filium suum Æterni Patris voluntati per omnia consignantem. Cogitabo post hæc rabiem, Luciperi, totiusque potestatis tenebrarum, qua hostium Christi animos, in cruciatûs, & necem eiusdẽ, quàm crudelissimam exstimulavit: nunc mittendo in cor Iudæ cõsilium ejus vendendi, nunc in cor Iudæorum, Principum propositum emendi, & fundendi sanguinem illius, &c. Considerabo etiam, Principes Iudæorum omnino obfirmatos in necem Christi, & nec sumptibus, neque curis parcere, modò suum in Christum odium exsatient: jamque pacisci cum Iudâ, jam cogere, mittere, comitari cohortem, & ministros, ad eum

capiendum, jam captum rapere, ad sua conciliabula, inibi de eo quæstiones habere, falsis testibus obruere, reum mortis proclamare, jam vinctum Pilato tradere, Herodi adducere, necem eius apud Pilatum urgere, sanguinem eius super se, superque filios suos ultrò recipere. Contemplabor & Pilatum Præsidem, initio quidem pro Christo multùm satagere, innocentis mortem à se amoliri: ad extremum tamen, metu & clamoribus tumultuantium victum, post diram flagellationem morti Crucis Christum addicere. Contemplabor & Herodē, viso Jesu, gaudentem primò, deinde eundem cum suo satellitio despicere; & illusum veste albâ Pilato remittere.

Insuper, milites totos in Christi cruciatûs incumbentes attendam, vinculis, verberibus, pugnis, colaphis, raptationibus, flagellis, virgis, spinis, clavis, cruce sævientes. Denique contemplabor amicos Christi, quosdam procul, eo relicto fugere, quosdam præ metu abnegare, alios à longè stare, alios de malis eius lamentari, Matrem cum Joanne juxtà Crucem esse.

Ex his omnibus singulisque Personis consideratis, aliquas doctrinas fructuosas decerpendo, affectûsque congruos excitando, ad me reflexionem faciam. v. g. de ruina cæcitateque hominum, & meâ propriâ dolebo ac lugebo. Mirabor & laudabo Dei misericordiam, Christi charitatem in nos, & in Patrem obedientiam. Matris amplectar resignationem in Dei placitum, execrabor Luciperi malitiam, Iudæ cum avaritiâ perfidiam, Iudæorum invidentiam, odium furorem, Herodis temeritatem, Pilati meticulosam ignaviam, iniquitatem, inconstantiam. Compatiar Christo inter crudeles ministrorum manus tatiscenti, sequar & lamentabor Christi injurias, adstabo eius Cruci, meque discipulum profitebor, fugam meam à Christo, & abnegationem toties factam deprecabor & plangam, Matri compatiar, &c.

Punctum II. erit; Auditu interno excipere verba, & sermones, jam recensitarum Personarum. Puta universorum hominum, pro varietate studiorum, & affectionum, quosdam ut terrena sapere, ita & loqui inter se: quosdam vana fabulari, alios fæda & absurda, alios mendacia, perjuria, blasphemias, maledicta, adulationes, convitia, calumnias ructare invicem, &c. Deum Patrem æternum contra, loqui misericordiam, & pacem super filios hominum; dare præceptum mortis unigenito suo, pro salute humani generis. *Si tradideris pro peccato animam tuam, videbis semen longævum:* Rursus Filium Dei dicere ad Patrem. *Sacrificium & oblationem noluisti aures autem perfecisti mihi Pater, & corpus aptasti. Holocaustum & pro peccato non postulasti,* nō tibi placuerunt; tunc dixi. *Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Devotissimam quoq; Christi Matrem audire licet dicentem, & benedicentem Deum in consilio suo, super redimendo genere humano, per sanguinem & mortē Filii sui: offerentem quoque Filium ipsum suum, & se unà cum Filio suo: si ita placitum foret ante Patrem æternum, ad omnem cruciatum, supplicium que Crucis. Audiam etiam, Luciferum, & Iudæos, veluti uno ore, uno certè furore, & odii spiritu dicentes. *Videtis quia nihil proficimus, ecce totus mundus post eum abit: hic homo multa signa facit: contrarius est operibus nostris: gravis est nobis etiam ad videndum. Filium Dei se nominat: venite circumveniamus eum: mittamus lignum in panem ejus. Contumeliâ & tormento interrogemus eum, eradamus nomen eius de terrâ viventium: & nomen ejus non memoretur amplius.* Pari modò Pilatum, Herodem, milites, audire licebit loquentes adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Isa: 53. Psal: 39. Hebr: 10. Ps: 39. Matt: 26. Ioan: 12. Sap: 2. Hier: 11.

Atque ex his omnibus factâ reflexione super me, elicitis affectibus, conceptisq; propositis, fructum ædificationis internæ decerpam, pro materiæ exigentiâ, & pro luminis interni dictamine.

Punctum III. erit. Actiones quoque attendere, & expendere Personarum prædictarum. Quomodo v. g. Homines per totum mundum inhabitantes, pars suis negotiis curisque distenti, agros colunt, domos ædificant, plantant vineas, aucupiis, piscatu, venatu, vitam agunt: eunt alii in viscera terræ, alii faciunt operationes in aquis multis, alii mutuas in cædes ruunt, bellis, rapinis, furtis, latrociniis, rixis, comessationibus, lasciviis, vitam impendunt, omnes securi perditionis æternæ. Porrò æternus Pater, Filium suum velut Abrahamus Isaacum, passioni & morti tradit, pro genere humano. Filius porrò obedientissimus, sicut mandatum dedit ei Pater, sic facit: & totum Passionis suæ calicem haurit, totumque opus redemptionis nostræ exequitur, & animam suam ponit pro ovibus suis.

suis. Nec quisquam tollit animam eius ab eo, sed ipse sponte suâ, ex dilectione nostri, ex obedientia erga Patrem cælestem, offertur, quia ipse voluit. Mater autem Christi, omnis Passionis ejus exterius comes, interius per omnia particeps, secundum animam gladio doloris confixa, stetit sub cruce, stetit in fide, stetit in dilectione, non erubescens, sed deferens, & confitens opprobrium Filii sui Crucifixi. Diabolus è contra, Iudas, Principes Iudæorum, Pilatus quoque & Herodes, nec non eorum ministri, astiterunt & convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus: vocesque Prophetarum, & figurarum, ignorantes, & malevolentes impleverunt.

Ex his omnibus, congruis, ut in prioribus, decerptis documentis, factâ super me reflexione, exercitis affectibus, elicitis propositis salutaribus, fructum meditationis colligam.

Colloquium postremò subjiciam, quo stultitiam, & perditionem hominum deplorabo; Divinam misericordiam, Christi charitatem, Matris ejus pietatē, admirans & laudans prædicabo, Hostium Christi odium, furorem, invidiam, crudelitatem, cæcitatem, detestabor, deflebo: pro mea, totiusque generis humani redemptione gratias agam, salutis studium, & curam, in me aliisque promovere, in Dei miserationibus confidere, Christi obedientiam, humilitatem, charitatem, patientiam, aliasque virtutes imitari, pro Christo laborare & pati, Passionis ejus affectûs, atque fructûs in me, & in proximos derivare constituam; ad idque auxilium à Patre æterno, per Christi merita, per Matris ejus, Sanctorumque intercessionem petam. Meditationem demum oratione Dominicâ & salutatione Angelicâ concludam.

MODVS II.

Alter modus Passionem Dominicam meditandi est, expendere illam secundum circumstantias ejus; v. g. 1. Quis est qui patitur? 2. Qualis est qui patitur? 3. Quantus est qui patitur? 4. Qua de causa patitur? 5. Quali formâ patitur? 6. Quanta sint quæ patitur? 7. Quid ex hoc consequitur quod patitur? Quæ omnia fusiùs verbis sancti Bonaventuræ explicata cognoscere, utile erit. ita igitur ille. *Tomo 2. opusc: opusculo 26. In Parvo bono particul:. Hoc opusculum etiam vocatur. Incendium amoris.*

Primò, considera, quis est qui patitur? & ei subdere per rationis assensum, ut credas firmissimè ipsum veraciter esse Dei filium, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, & retributorem meritorum omnium.

Secundò, considera, qualis est qui patitur, & ei configurare per compassionis affectum, scilicet ut compatiaris ei, tanquam innocentissimo, mitissimo, nobilissimo, & amantissimo.

Tertiò; considera, quantus est qui patitur? & ad ipsum, egredere per admirationis aspectum; & attende, quod ipse est immensus potestate, speciositate, felicitate, & æternitate. igitur admirare, immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

Quartò, considera, qua de causa patitur? & te ipsum obliviscere per devotionis excessum; quia patitur pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, & glorificatione.

Quintò, considera quali formâ patitur? & ipsum induere per assimilationis amictum. Passus est enim sicut verus Agnus, libentissimè respectu proximi, severissimè respectu sui: obedientissimè respectu Patris, prudentissime respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum, secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, severitatis, humilitatis, & perspicacitatis.

Sextò, considera, quanta sint quæ patitur? & crucem amplectere per Passionis desiderium; ut sicut Christus passus est vincula, ut impotens omnipotentia; convitia ut vilis bonitas; ludibria, ut stulta sapientia; & supplicia ut iniqua justitia: sic & tu considera, & amplectere Passionem Crucis, hoc est Passionem plenam injuriis in rebus, contumeliis in verbis ludibriis in signis, suppliciis in tormentis.

Septimò, considera, quid ex hoc consequitur quod patitur? & veritatis radium intuere, per contemplationis oculum; quoniam ex hoc quod Agnus Passus est, septem libri signacula aperta sunt. Liber iste est universalis notitia rerum, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per Passionis Christi efficaciam reserata. Scilicet 1. Deus admirabilis. 2. Spiritus intelligibilis. 3. Mundus sensibilis. 4. Paradisus desiderabilis. 5. Infernus horribilis. 6. Virtus laudabilis. 7. Reatus culpabilis. *Apoc: 5.*

Primò, DEUS admirabilis manifestatus est nobis per crucem, esse summæ & inscrutabilis sapientiæ, summæ & irreprehensibilis Iustitiæ, summæ & inenarrabilis misericordiæ. Summâ enim sapientiâ suâ decepit diabolum, summâ suâ Justitiâ quæsivit Redemptionis pretium. Summâ suâ misericordiâ, pro nobis tradidit Filium suum: quæ si diligenter considerentur Deum nobis clarissimè & charissimè manifestant.

Secundò, Spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per crucem, secundùm differentiam triplicem: scilicet. Quantæ sit benignitatis, quantùm ad Angelos? Quantæ sit Dignitatis, quantùm ad homines? Quantæ sit crudelitatis, quantùm ad dæmones. Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum. Dei filius crucifixus est propter genus humanum, & hoc ad crudelem suggestionem dæmonum.

Tertiò, Mundus sensibilis nobis manifestatus est per crucem: quoniam locus est tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram & summam non cognovit; regnat sterilitas, quia JESUM Christum, tanquam infructuosum despexit; & regnat impietas, quia Deum & Dominum suum, & amicum, & innocentem damnavit, ac interfecit.

Quartò, Paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, speculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ. Unde Deus propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo; scilicet vilis, miser, pauper, in quo Celsitudo abjectionem induit Justitia reatum subiit, Opulentia egestatem suscepit. Nam altissimus Imperator, accepit servitutem abjectam, ut nos sublimaremur in gloriam. Justissimus Iudex subiit reatum pænalissimum, ut justificaremur à culpa. Opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quinto, Infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem. Locus utique plenus omni egestate & penuriâ, vilitate & ignominiâ, & omni calamitate & miseria: unde si necesse fuit Christum hæc pati propter peccati deletionem, multò fortiùs hæc oportet pati damnatos, propter justam meritorum suorum retributionem.

Sextò, Virtus laudabilis est nobis manifestata per crucem, quantùm scilicet fit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Verè pretiosa, quia Christus voluit potiùs vitam corporalem perdere, quàm virtuti contraire. Verè speciosa, quæ in ipsis contumeliis relucebat. Verè fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis, infernum spoliavit, cælum aperuit, & perdita restauravit.

Septimò, Reatus culpabilis manifestatus nobis est per crucem, scilicet quantùm sit detestabilis, cùm ad sui remissionem indigeat, tam magno pretio, tam grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in cruce omnia manifestantur (seu septem signacula libri solvuntur.) Si bene ad hæc septem reducantur.] Hactenus S. Bonaventura, suo quidem modo cum multiplic distinctione, sed simul cum inflammata charitate, nec non cum admirabili materiæ meditandæ fæcunditate.

Hic idem modus per circumstãtias meditandi Passionem Dominicam, potest hac ratione disponi.

Primo, Considera. *Quis patitur?* DEUS Homo Christus JESUS, quatenus Deus, Infinitæ Dignitatis & Majestatis, sapientiæ, omnipotentiæ, bonitatis, cui omnis honor & gloria debebatur ab omni creatura, propter excellentiam, propter beneficentiam, propter omnipotentiam, propter omnidominium & regnum, propter independentiam ab ulla re, omnium verò ab ipso dependentiam, propter plenitudinem, infinitudinemque omnis perfectionis propter immensitatem essentiæ, &c. Quatenus homo, infinitæ item propter unionem Hypostaticam cum Verbo dignitatis, gratiarumque tam naturalium quã supernaturaliũ possessionis: utpote in quo plenitudo Divinitatis inhabitavit corporaliter, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi fuerunt, accessit Dignitas Supremi inter Deum & hominem Mediatoris, Summi item Sacerdotis atque Pontificis, Regis quoque Regum, & Domini Dominantium, Primogeniti omnium creaturarum, earumque Hæredis, Judicis etiam vivorum ac mortuorum. Accessit præterea sanctitas non per gratiam, sed per ipsius Divini Verbi sanctitatem. Innocentia quoque & impeccabilitas; tum verò bonitas, omnis malitiæ & peccati expers. Beneficentia verò in omnes infirmos, & à diabolo oppressos. Accessit gratia Messiæ, Fundatoris & fundamenti Ecclesiæ Dei, Sancti quoque Sanctorum, Doctoris Justitiæ ac Veritatis, Principis pacis, & Patris futuri sæculi, Prophetæ, Magni consi-

consilii Angeli, Principii & finis ; viæ, veritatis, & vitæ ostii, Pastoris boni, pastorumque Principis ac legislatoris, morum, Sacramentorum, & sacrificiorum Institutoris. Accessit titulus Redemptoris, Amici, Patrisfamilias, Sponsi, Patris, Fratris, Imperatoris, Præmiatoris, Exemplaris, Glorificatoris. Accessit denique nomen & res unigeniti Filii Dei, nec nõ in via, Comprehensoris tamen ac Beati. Hæc omnia erat, & est Christus qui patitur. Ex quo indignitas injuriositasque Passionis eius in immensum excrescit. Qui enim summo honore, amore, observantiâ, deliciis, gloriâ fuit plus quàm dignissimus, propter supra dicta bona suâ : is omnia opposita, omnia extremè indigna ab hominibus patitur.

Secundò, Considera. *Quid patitur?* Patitur Ingratitudinem, Contemptionem, Conspirationem, Proditionem, Dolositatem, & Fraudulentiam, Calumnias, Cõtumelias, Mendacia, Convitia, Falsa testimonia, oppressionem, vim, Adjurationes, Execrationes, Odia, Ignominias, verbis, factis, signis expressas. Derelictionem & abnegationem, tormenta & dolores totius corporis, eiusque membrorum, percussiones, livores, vulnera, ereptionem bonorum, & spoliationem, usque ad omnimodam nuditatem, vincula, catenas, carceres, condemnationem ad supplicia & mortem, irrisiones, infamationes, detractiones, insultationes, exprobrationes, blasphemias, exultationes de suis malis, mortem denique violentissimam, turpissimam, crudelissimam, tum ex suo genere, tum ex hostium exaggeratione.

Tertiò, Considera. *In quo patitur?* Patitur in Divinitate, non quidem ita, quasi Divinitas impatibilis & inviolabilis læsa sit. Sed quia humanitas patiens ac violata Personæ Divinæ hypostaticè unita, ob idque Theandrica est : ideo Humanitatis læsiones, Personæ erant læsiones & ita passus, cruciatus, despectus, crucifixus, mortuus est Deus, non tantùm per redundantiam, & quasi concomitantiam, sed absolute per identitatem Personalem Humanitatis & Verbi, Hominis cum Deo, seu potiùs Hominis Dei. Patitur ergo Christus in Divina sua Natura, Persona, Dignitate, Majestate, aliaque omni perfectione & excellentia. Patitur præterea in Humanitate, in corpore, in anima, in paupere facultatula, in amicis, & consanguineis, in Matre, & discipulis, & benefactoribus. In bona fama, in libertate, in omnibus partibus & sensibus corporis. In omnibus viribus potentiisque Animæ. In bonis fortunæ, & animi, in sanitate, & valetudine, in robore, & virtutibus, in rebus gestis, in beneficiis præstitis, in vita denique sibi crudeliter juxta & probrosè erepta.

A

Quartò, Considera *Quomodo patitur?* Patitur sciens, volens, immo cupiens & ardens ex parte sua, patitur injustè, impiè ex odio & invidia, & contemptu sui apud hostes, homines, ac dæmones, quantùm ex parte ipsorum. Patitur ex amore Patris Æterni, & ex obedientiâ ac reverentia erga eius voluntatem, ex miseratione quoque super nos omnes peccatores, & ingratos indignosque ac naturâ iræ filios, & diaboli, atque peccati servos. Patitur ex malitia nostrûm omnium, qui nostris sceleribus ejus Passioni & morti causam (quantùm ex nobis planè necessariam, quia aliàs viribus creatis nullis unquam superabilem) dedimus ex parte nostra. Patitur ex odio suo, quod immensum, & quà Deus, & quà Homo, habet adversùs peccatum, delerique illud & penitùs aboleri à facie Dei desiderat, proque illo Iustitiæ Paternæ ad rigorem, quin etiam ad excessum satisfacit. Patitur animo fortissimo, constantissimo, perseverantissimo, sitibundissimo, & planè in gratiam Patris sui, inque amorem nostri insatiabilissimo. Patitur denique cum maximarum, atque adeo prorsus omnium virtutum heroico, & per nullam imitationem humanam adæquando exercitio atque exemplo.

B

C

Quinto, Considera. *Quare patitur?* Patitur quidem sine ulla sua causa, seu culpa, sine coactione ab aliquo, sine commodo aut necessitate propria : verumtamen patitur, pro totius mundi peccatis tollendis, æternisque pœnis abolendis, pro reconciliando nobis Patre æterno, pro aperiendo nobis Paradiso, seu cælo, pro rabie diaboli reprimenda, & potestate, atque tyrannide expugnanda, pro obedientia erga Patrem, pro nostro exemplo, pro figurarum & prophetiarum expletione.

D

Sextò, Considera. *Pro quibus patitur?* Non utique pro Angelis : *Neq; enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, Patitur pro humano genere universo, patitur pro his, à quibus patitur ; patitur pro sceleratis, pro ingratis, pro indignis, ac vilissimis. Patitur pro ipsis etiam jam antè damnatis & in inferno positis, atque pro gratiis illis bonisque & auxiliis omnibus, quæ

Heb: 2. 16.

unquam in vita sua à Deo acceperunt, quibusque in contumeliam Dei, & in perditionem suam sponte abusi sunt, & quæ respectu futurorum suorum meritorum ipsis concessa fuerunt, nunc Patri exolvit pretium.

Septimò, Considera. *A quo patitur?* Patitur a Patre suo Æterno, à quo *propter scelus populi sui traditus est*. Patitur à sua ipsius voluntate, quoniam *oblatus est, quia ipse voluit*. Patitur ab omnibus dæmonibus, & ab omni potestate tenebrarum. Patitur ab omni hominum genere & conditione, statu, ætate; convenerunt enim Principes terræ adversùm Dominum, & adversùm Christum eius. Patitur ab omnibus vivis mortuisque quorum omnium peccatis crucifixus est. Non enim pro aliquorum solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis & salute mortuus est Christus. Patitur ab omni creatura & elemento.

Isa: 53. 8. *Isa: 53. 7.*

Octavò, Considera. *Quando patitur?* Patitur in ætatis flore, & in annis vitæ maximè vividis. Tempore anni sacratissimo apud suam gentem, atque mysteriis solennissimo, de concursu frequentissimo. Horâ diei meridianâ, in luce & oculis omnium. Tempore quo Deus Hebræis sicut maxima præstiterat beneficia; sic ab iisdem maximè laudari honorarique debuerat. cujus loco, extremis est contumeliis, injuriisque, ac demum morte horrendâ exceptus, & interfectus.

Nonò, Considera. *Ubi & quo loco patitur?* Patitur in loco Urbis & Regionis, & Orbis sacratissimo, celeberrimo, miraculis, figuris, prophetiis, cælestibus donis ornatissimo. Patitur ubi est Adam conditus, ubi Isaac immolatus, ubi sedes Regum, ubi Templum, ubi caput Religionis Sanctæ. Ubi stupendis miraculis Christus se celebrem fecerat & doctrinâ. Patitur in horto Montis Oliveti, in domo Annæ & Caiphæ, in carcere & obscuro fætidoque specu: patitur in prætorio Pilati, in Palatio Herodis, in plateis & foris Ierusalem. Patitur in Monte Calvario. Patitur denique in alta Crucis trabe, tanquam in totius terræ theatro, atque medio.

Decimo, Considera. *Quibus auxiliis patitur?* Patitur verò nullis auxiliis solatiisvé sublevatus; ne Paternis quidem: quòd satis ostendit illa in horto Agonia, illa repulsio Petri ad sui defensionem prosilientis; cui dixit. *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ostendit verò eam omnis solatii privationem illa vox maximè ad Patrem *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quod etiam ipsi hostes improperant ei dicentes. *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.* Ab omnibus ergo desertus patitur, etiam à semetipso, quoniam in pœnis suis, suâ etiam voluntate, atque virtute Divinâ, ad hoc solùm, & unum, se juvit, ut durare in pœnas posset, robur quidem conservans, sed solatium omne subtrahens, quod genus auxilii, ad majores tantum productioresque servivit cruciatus, non autem ad mitiores. *Unde nec vinum myrrhatum voluit bibere, & mulieres super se lamentantes removit a collachrymatione.* Et ita impletum est, quod hac de re ab Esaia prædictum fuerat. *Circumspexi & non erat auxiliator, quæsivi & non fuit qui adjuvaret, & salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.*

Matt: 26 53 *Matt: 27 46* *Ibid: 43.* *Marc: 15.* *Luc: 23.* *Isa: 63. 5.*

Ex hisce omnibus Dominicæ Passionis circũstantiarum generibus, plurima morum virtutumque, tam documenta, quàm exempla, plurima omnis generis affectuum materia, plurima propositorum postulationumque varietas & seges erui potest.

MODVS III.

Tertius Passionem Dominicam meditandi modus est. Acceptâ Christi Divinitate, expendere quid in ea passus est, v. g. 1. Quid in Persona & natura sua Divina. 2. Quid in attributis perfectionibusque suis Divinis. Negatus est enim esse verus Deus, verusque Dei Filius: sed potiùs hoc illi crimini datum: & ob id ad mortem damnatus est: Deinde creditus est Deaster quidã, falsique Dei, puta Jovis, aut Herculis filius, quæ opinio non minùs fuit injuriosa & probrosa Christo, quàm prior. Dignitate omni exutus est: & prorsus ita indignè tractatus, quomodo nec vermis, nec canis mortuus tractari debuisset: ut verè dixerit de se Dominus. *Ego autem sum vermis & non homo*, multòque magis nõ Deus: *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Veritati & veracitati ejus mendacitas: ignoratio, pseudoprophetia, impostura, & seductio imposita est; & cùm maximè veritatem fateretur, tam blasphemus, ac ob id reus mortis, a toto concilio, & summo Pontifice proclamatus est. Potentia in impotentiam, Vita in mortem, Sapientia in stultitiam, Sanctitas & Bonitas in malitiam & impietatem, Misericordia in latrocinium & latronum principatum,

Ps. 21. 7.

Exi-

Existentia in occisionem, & deletionem nominis ejus de terra ab inimicis eius conversa & traducta est. Ex Beato miserrimus, ex Glorioso abjectissimus, ex Domino omnis creaturæ, mancipiorum mancipium, præda carnificum, pabulum denique volucrum rapacium in cruce factus est. Hæc, similiaque expendens, qui meditatur, advertat quantùm Dei Filius exinaniverit se in Passione propter nos, quàm absconditus fuerit vultus Deitatis ejus: quantùm debeat annihilare se, & exinanire propter amorem honoremque Dei, homo, utique nihil & nihilum, & vermis, & vilitas ipsa; quàm inter se longè differant Deus & Homo. Deus humilis, & homo superbus, Deus contemptus, & homo contemnens, quid par sit retribuere hominem Deo pro omnibus istis, quæ Deus subiit propter hominem?

MODUS IV.

Quartus Passionem Dominicam meditandi modus est. Acceptâ Christi Animâ, ejusque singulis potentiis, tam superioris, quàm inferioris partis, quid in una quaque earum, passus sit, considerare. Animæ Potentiæ sunt, Intellectus, Voluntas, Memoria, Judicium: deinde Imaginativa seu Phantasia & Cogitativa, Passiones sive affectus Animæ sentientis, tum ipsa sensitiva facultas, locomotiva etiam, nutritiva, aliæque similes. Expendatur ergo, quid passus sit aut patiatur Christus in Intellectu Sapientissimo, & omni cognitione pleno? Quid in Sanctissima justissimaque, ac Dei voluntati subjectissima Voluntate? Quid in Memoria, cui à primo instanti conceptionis, & maximè Passionis, semper erant præsentissima omnia mala toleranda, & tolerata, cum omni eorum enormitate. Judicabat & discernebat omnes rationes, exaggerationes, excellentiasque pœnarum suarum, & affectuum etiam studiorumque, quibus hostes sui omnes ferebantur ad se affligendum. Unde dicebat Dominus per Prophetam. *Domine tu ostendisti mihi studia eorum adversùm me in mortem.* Imaginativa etiam Christi, afflicta est enormiter cogitatione præsentissimâ & vivacissimâ furentium in se hostium: quidquid per sensus externos percepit, totum hoc etiam in interioribus cognovit atque pertulit. Certè in horto, adhuc antequam ad ipsam rem tormenta sua venissent, ex sola eorum imaginaria apprehensione, illico cœpit pavere, tædere, contristari, & mæstus esse usque ad mortem: agonisavit etiam, & sanguineũ sudorem, toto corpore fudit. Neq; hæc Imaginativæ vehementia, passionumvè æstus, per totam passionem reliquam cessavit vel ad momentum, usque dum exspiraret in Cruce, immo ex præsentia objectorum, re ipsâ scilicet præceptorum cruciatuum, crevit quàm maximè: adeò ut toto Passionis tempore potuerit, immo debuerit connaturaliter sanguinem sudare, si non alia fuisset Christi de seipso dispositio. Ex tantâ quoque sanguinis, tũ in sudore, tum in flagellatione, tum in aliis occasionibus effusione, nec non ex atrocissima immanium dolorum intensione, extensione, ac varietate, vehementer impedita fuit in Christo, vis nutritiva, inediâ, & siti, & fatigatione multiplici accedente. Vincula etiam, carceres, violentissimæ tractiones, & raptationes, alligationes ad columnam, tum crucifixio ad crucis trabem, summam sanè violentiam libertati Christi, tàm internæ quàm externæ, quoad locum, & motum, & situm, intulère. Denique quidquid sensit Christus in corpore, id totum sensit prius & magis in Anima: tum quia Anima est sola quæ dat sensum toti corpori, in omni perceptione, & sensatione; tum quia Anima non sinebat in corpore Christi sensus obtundi, sed eos in suo vigore conservabat, totamque corporis temperiem per totum Passionis tempus imperturbatam retinebat: ex quo acrimonia accrescebat, & corpori quidem, sed magis ipsi Animæ.

Hæc omnia competenter meditationi subjecta plurimos in meditatore affectus, super Christi Animam excitabunt, plurimas doctrinas, qualiter Anima eius, ad instar Animæ Christi sese debeat in omni occasione, & præsertim in adversitate gerere ostendent.

Jer: 11. 18. / Jer. 18. 23.

MODUS V.

Quintus Passionem Dominicam meditandi modus est. Assumere Corpus Christi, externamque & sensibus subjectam substantiam ejus; & recogitare quid in toto corpore, quidve in omnibus, & singulis ejus partibus membrisque, sit passus Dominus Iesus. De eo illud verissimè dici potest. *A planta pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas.* Sic etiam spectatum Prophetæ à se asserunt. *Putavimus*

Isa: 1. 6.

Isa: 53. 4.

tavimus eum quasi leprosum percussum à Deo & humiliatum.

Consideretur ergo, quid Christus passus sit in Sacrosancto capite suo, à spinea corona, à tot percussionibus & pugnis, à capillorum tractionibus & vulsionibus? Quid Passus sit in fronte, genis, temporibus, malis, labris, facie, maxillis, dentibus, lingua, faucibus; à puncturis spinarum, à vellicationibus, percussionibus, lacerationibus, consputationibus, concussionibus, pugnis, colaphis, alapis, siti, amaritie aceti & fellis? Quid Passus sit in collo & cervice à colaphis, catenis, pugnis? Quid Passus sit in vultu, mento, gutture, à tot tantisque illusionibus, fœdationibus, spurcitiis, inverecundis, tractionibus, suffocationibus? Quid Passus sit in naribus, in auriculis, à tot percussionibus, contorsionibus, tractionibus, fœtoribus? Auricularum vellicationes varias, ferunt fuisse triginta, narium viginti, dubio procul non absque sanguinis profluvio. Faciem Christi consputatam tradunt centies. Caput spineâ jam coronâ cinctum, creditur quadragies, & quidem maximâ vi percussum, cùm tamen vel levis percussio satis fuerit ad intolerabilem dolorem concitandum. Pedibus pulsatus Christus (eo modo quo canes, & vilissima quæque solent) creditur centies quadragies. Livores porrò ex percussione contraxisse mille centum nonaginta novem. In flagellatione corporis ad columnam, in Pilati prætorio, ad quinque millia plagarum Christus excepit, nec mirabitur, qui audiet ipsum Christum apud Prophetam affirmantem

Ps. 72. 14.

se totâ die flagellatum, non quòd (quantùm ad tempus) totâ die flagellatus fuerit, sed quòd tam crudeliter, tantoque numero ictuum, ac vulnerum, ut videri posset totâ die flagellatio sua durasse. Quos dolores Christus pertulerit, quas percussiones, & vulnera, in dorso, pectore, scapulis, humeris, lateribus, ventre, genibus, cruribus, brachiis, manibus, atque pedibus, ipsisque plantis, ac ossibus & nervis, atque musculis, & visceribus, explicare non est facilè, meditatione tamen hæc omnia sunt expendenda, & commiseratione prosequenda, inde etiam charitas Christi æstimanda, & pretium Animæ, peccatorum odium, rigor justitiæ Divinæ, insatiabilis hostium Christi furor, & debitum omnium nostrum erga Christum cognosci & addisci poterit. Prô quanti æstimandus est à nobis is, qui tam viluit ipsi sibi propter nos, quique tanti æsti-

A mavit nos? *Sed & tu homo quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus Deo es?*

Chrysol: ser: 143.

Libet tam huic quam præcedenti modo dare lucem à verbis Beati Petri Damiani, hujusmodi. [Excede paulisper sensum carnis, & irruentia corporearum phantasmata voluptatum: & intuere Naturæ Divinæ bonitatem, suavitatem, dignationem. Meditare positionem Crucifixi Corporis. Vide si est aliquid in eo, quod non peroret pro te apud Patrem Divinum: illud Caput multiplici Spinarum densitate densatum: usque ad cerebri teneritudinem confixum est, *dum configitur spinâ. Spinis peccatorum suorum*, (ait Dominus per Prophetam,) *circumdedit me populus iste*. Ad quid hoc? Ne doleret Caput tuum: ne tua vulneraretur intentio.

B. Petrus Damianus serm: 1. de Exalt. S. Crucis.

Ps: 31. 4.

B

Caligaverunt in mortem oculi sui, & illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Nonne illis obtenebrantibus, tenebræ factæ sunt, super universam terram, & illa duo magna luminaria, cũ illis luminibus submota sunt? hoc autem totum factum est, *ut averterentur oculi tui, ne viderent vanitatem*, & si viderent, non adhærerent. Aures illæ, quæ in cælis audiunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*: audierunt in terris, Dæmonium habes: &, *Crucifige eum*. Ut quid istud? Ne aures tuæ obsurdescerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus, apertis propitiisque auribus susciperent. Speciosa illa facies, Speciosi præ filiis hominum, sputis illita est, afflicta colaphis, addicta delusionibus, sic namque scriptum est; *Cœperunt conspuere in eum, & percutere faciem eius, & illudere ei: dicentes, prophetisa: quis est, qui te percusit?* Quare hoc? Ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te. *Vultus eius non sunt amplius in diversa mutati*. Os illud, quod docet Angelos, Homines instruit, quod dixit, & factum est. parumper obmutuit, ut veritatem & judicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum suum. Manus illæ, quæ fundaverunt cælos, extensæ sunt in Cruce, clavisque transverberatæ durissimis, ut manus tuæ extenderentur ad inopem: & dicere posses, *Anima mea in manibus meis semper*. Quod tenemus in manibus, non facilè obliviscimur: sic & qui Animam suam bonæ operationi imprimit, non tradit eam oblivioni. Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, lanceâ militari perfossum est, ut pectus tuum, à pravis cogitationibus

Isa: 6. 3.

Ioan: 8. 48.

C

Ioan: 19.

Mat: 26. 67.

1. Reg: 1.

D

munda-

» mundaretur, mundatum sanctificaretur, » conservaretur sanctificatum. Pedes illi, » quorum scabellū adorare debemus, quia » sanctum est, durâ transfixione confixi » sunt, ne pedes tui festinarent ad malum, » sed currerent viam mandatorum Domini. » Quid plura? foderunt manus ejus, & pedes, & dinumeraverunt omnia ossa sua: » pro te carnem & Animam suam posuit, » ut corpus & Spiritum tuum sibi vindicaret. Toto se; totum te comparavit.] Hactenus S. Cardinalis.

Cujus Verba docent nos, in quosnam fines Dominus noster Jesus Christus passus sit tormenta sua: & quos vicissim fructus vitæ, seu, quæ, vivendi magisteria nos decerpere debeamus, ex spectaculo, ex fide, ex meditatione passionum ejus.

MODUS VI.

Sextus Passionem Dominicam meditandi modus est, assumere singulos Corporis Christi sensus externos, eorumque cruciatus sigillatim expêdere Quid nimirum Passus sit Christus in oculis, seu in Visu, in Auditu, in Gustu, in Olfactu, in Tactu? Visu Christus pertulit infandissima quæque, aspiciendo rabiem illam hostium suorum. Quomodo cruciatus est, Iudam ad osculum accedentem, & antesignanum impiorum omnium videns? quo dolore spectavit fugientes discipulos, irruentes lictores, capientes, ligantes, trahentes, raptantes, exultantes & insultantes? quo sensu spectavit æstuantes in sui damnationem, oppressionemque seniores populi, milites ad cruciatum suum sese armantes, & animantes, & furorem pectoris sui crudelis depromentes, & in suam lanienam conatu magno adnitentes? quo dolore vidit Barabbam sibi prælectum dimitti, se ad pænas rapi, se nudari absque ulla verecundia, & omnium in oculis nudum statui? quo dolore spectavit de Cruce hostes in vicino insultantes, & blasphemantes, atque illudentes, Matrem sub Cruce stantem, notos à longè prospectantes? Hæc aliaque innumera mala, oculis suis hausit Dominus Jesus. Auditu pertulit & passus est clamores bestiarum illarum cum furore rapientium atque trahentium. Audivit probrosissima cognomina, falsa testimonia, adjurationes, blasphemationes, illusiones, contemptiones, accusationes, ad Crucem postulationes, latronibus æquationes, condemnationes, exprobrationes, insultationes, quibus omnibus immanem cordium suorum rabiem eructabant homines illi, furore diabolico pleni.

Vide Ludovic. de Pont: Medit: 1. Punct: 2. n. 2.

Gustu, Myrrhæ, fellis, acetique amatorem pertulit: siti deinde ac fame cruciatus est, cujus cruciatûs magnitudinē, tum clamore in Cruce per Verbum *Sitio* testatus est, tum Propheta expressit ejus nomine dicens. *Ossa mea sicut cremium aruerunt:* & iterum. *adhæsit lingua mea faucibus meis;* & iterum. *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.*

Ps: 101. 4. *Ps: 21. 16.* *Ps: 68. 22.*

Odoratu Dominus noster pertulit pædorem furentium illorum, & in os ejus spurcitias suas halantium lictorum: Item fætorem carceris nocturni, seu potiùs sentinæ, atque cloacæ illius, in quam detrusus dicitur Dominus pro nocte, atque in ea ad ortum diei servatus. Item fœtorem sputorum phlegmatumque sordidorum, quibus planè oneratus fuit vultus ille Divinus, partim in illa nocte apud Caipham, partim in coronatione Spinea, partim denique quando ad crucifigendum super crucem extensus jacuit. quo solo tempore ter & Septuagies consputa traditur facies Domini nostri, partim à carnificibus crucifigentibus, partim à Iudæis spectatoribus. Pertulit quoque Dominus fœtorem & putorem montis Calvarii, putescentibus cadaveribus maleficorum sordidi atque horridi. In Tactu quid pertulerit Dominus, supervacuum est recensere, cùm constet, totius corporis membris fuisse concussum, saucium, ac laniatum; illud trihoriū Christi in Cruce pendentis, atque agonisantis, ad excarnificandum lethaliter sensum Tactûs in Christo, per singula momenta satis efficax fuit. In quo tempore omnibus membris Christus sine ullo respirandi spatio mansit afflictissimus. Etenim supplicium Crucis, esto sit absque confixione clavorum, est tamen gravissimum: adeò ut tandem fiat intolerabile: quantò magis si etiā manus pedesque clavis terebrantibus perrumpantur, in locis concursum nervorum omnem habentibus, ac per hoc maximè ad sensum doloremque idoneis, & totius corporis reliqui dolorem in se continentibus: accedit convulsio pectoris, & costarum in pectore cohærentium. cujus partis dolor, nec verbis explicari, nec imaginatione cogitari potest. Has omnes acerbitates cumulavit totius corporis instar chordæ, aut nervi super arcum Crucis distensio, quæ adeò valida

intensaque fuit, ut non dubitarit Dominus per Prophetam testari, tunc temporis *dinumerata fuisse omnia sua ossa*, suisque sedibus emota. Ad quam in Domino nostro tactûs pœnam exaggerandam, tantùm cõtulit teneritudo excellentiaque complexionis, ut ob eam solam, parvi alioqui, moderatique dolores sensus hujus, in Christo tamen fuerint maximi, intolerabiles, ac ferè lethales, ac omnium Martyrum doloribus majores. Ad ejusdem quoque pœnæ exaggerationem, contulit illud longè plurimum, id quod in nullis aliis viventium hic, doloribus tormentisque reperiri potest: nimirum quia in Christo doloris vehementia non dissipabat spiritus ab iis partibus quæ affligebantur, neque concursu vehementiore humorum principia nervorum, sive cerebrum præoccupabatur, sensusvé per hoc impediebatur: sed potiùs jugiter mansit illa sensuum integritas, illa cerebri vivacitas, illa spirituum abundantia, quæ ab initio Passionis fuit, vel saltem quæ necessaria fuit, non tantùm ad omnia quæ inferebantur, sed etiam quæ inferri adhuc potuissent tormenta vivacissimè perferenda, ita sustentante animâ corpusculum suum, ita Divinitate regente, ac protegente naturam assumptam humanam interiùs, ut ad patiendum dira omnia, virium satis esset, & superesset, tam diu donec veniret hora. morti, & discessui Animæ à corpore destinata: quo temporis puncto appetente, non est sensim ad extremam debilitatem perducta Christi Humanitas, sed vires hactenus necessarias conservatas subitò cessare permisit, & Animam in manus Patris tradidit. Atque ita Dominus noster supplicia sua perinde in fine, ac in exordio illorum vivaciter acerbissimèque sensit, totoque Passionis tempore toleravit. Quod non tantùm de solius tactûs doloribus, sed prorsus de omnium sensuum, membrorum, potentiarumque cruciatibus sentiendum est.

Ps: 21. 18.

Ex horum omnium consideratione, quanta seges affectuum piorum, quanta heroicerum ad tolerandum patiendumque pro Christo resolutionum materia, immo necessitas, meditandi assurgere possit, ac debeat: dicere nil opus arbitror.

MODVS VII.

Septimus meditandi Passionem Dominicam modus est. Assumere ad meditandum bona Animi, Corporis, & Fortunæ: expendereque quid, quomodo, & quantùm, in unoquoque bonorum istorum genere Passus sit Dominus: in quem etiam modum recidet expendere, quænã, & quanta, & quomodo Passus sit Christus in bonis Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ.

A

Bona Animi Christi fuere plurimâ & maxima v. g. Sanctitas, Iustitia, Innocentia, Sapientia, Scientia, Prudentia, Bonitas, Misericordia, Potentia, Authoritas, Dominium, Virtutes omnis generis, in gradu excellenti, Immunitas ab omni peccato, defectu, errore.

Bona Corporis Christi fuêre, Admirabilis forma & species præ filiis hominũ, Valetudo, Sanitas, Complexio, Temperamentumque super omnia materialia melius, vires, proportio membrorum, & staturæ, oris, vultûs, sermonis, vocisque dignitas, & gratia, Integritas, Immunitas, ab omni defectu, morbo, dolore, inordinatione fomitis & concupiscentiæ, atque passionum, subordinatio perfecta, totius corporis, omniumque membrorũ, & facultatum & sensuum ad Animam.

B

Bona Fortunæ Christi, multa & multiplicia fuêre, in quibus, potest numerari primò & primariè, Unio Hypostatica: quæ Humanitati Christi, à bona fortuna, hoc est, ab eximia Divinæ Providentiæ ordinatione, atque peculiari, & extra omnem ordinem, meritumque posito favore concessa est, estò supposita Dei liberalitate gratuitâ, substantialiter ad cõponendum suppositum illud Theandricum accesserit. Ex hoc porrò Unionis Hypostaticæ unico bono, alia fluxêre bona fortunæ Christi, etsi tam in Anima, quàm in Corpore Christi, eorum pleraque resederint v. g. Sanctitas substantialis, Gratiæ Immensitas & Plenitudo, Gratia Capitis omnium creaturarum, & primogenitura, primatusque in eis omnibus, Dominium quoque absolutum in omnes: Gratia miraculorum, Potestas Iudiciaria super vivos & mortuos, &c. His bonis accessit in Christo Potestas Regia, summi Pontificatûs, Sacerdotiique Dignitas, Legislatoris, Doctoris, Prophetæ, Messiæ authoritas. Accessit quoque his bonis prærogativa Comprehensoris atque beati, omnisque dos animæ visione beatificâ fruentis: quæ etiam locum in corpore habere debebat, nisi miraculosè Anima sanctissima cohiberet ejus in infimã suam portionem effluxum: quem tamen interdum aliquantulùm relaxabat: ut in incessu super aquas, in jejunio quadraginta

C

D

ginta dierum & noctium, in Thaborea Transfiguratione, in elapsu è manibus hostium lapidare vel præcipitare eum volentium: in nativitate sua, salvâ integritate Genitricis suæ. In his omnibus bonis, multa suo modo Passus est Christus: partim ea occultans, partim reprimens, partim in eis injuriosas hominum manus, opiniones, calumnias, contumeliasque sustinens, propter Patris Æterni obedientiam, propterque nostram redemptionem, propter dandum nobis exemplum, propter eludendum versipellis diaboli superbum ingenium; propter suaviter fortiterque per omnia attingendam sapientiæ suæ dispensationem; propter omnibus modis exaggerandã effundendamque nobis nimiam charitatem suam.

Atque ex his facilè patent bona Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ Christi, nec non eorum consideratio.

MODVS VIII.

Octavus meditandi Passionem Dominicam modus est; Assumere peculiares insignesque Christi Domini virtutes, easque in tota Passione à Domino exercitas & elucescentes vestigare, ac nobis ad imitandum proponere, nec non gratias agere, pro earum exemplaribus adeò heroicis nobis propositis. Virtutes sunt v. g. Charitas in Deum, eadem in nos propter Deum. Obedientia, Humilitas, Patientia, Mansuetudo, Taciturnitas, Modestia, Resignatio, Perseverantia, Misericordia, Liberalitas, &c. Hæ omnes, meditando expendi possunt, Ubi, Quando, Quoties, Quomodo à Christo exercitæ sint? Quanta v. g. Humilitas Christi eluxit in lotione pedum discipulorum suorum, etiam Iudæ proditoris? quanta cùm oraret Patrem Æternum, positis in terram genibus, immo & facie suâ? quantâ cùm à turba captus est, ligatus, in terram abjectus, pedibus hostium pulsatus, & calcatus, per viam violentissimè tractus raptatusque est? quanta cùm in domo Annæ examini se subdidit, & post responsum modestissimum, immani alapâ percussus, atque etiam reprehensus, modestissimè totum sustinuit? Atque hunc in modum, procedi per totam Passionis seriem potest, ubique insignem humilitatem Domini agnoscendo, mirando, discendo, imitando. Etenim in omni Passionis suæ parte, Dominus Jesus, omnibus nobis videri potest dicere, tam verbo, quàm facto, illud suum. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Par de aliis virtutibus ratio. Nam in tota Passione sua, possumus audire Dominum Jesum nobis opere & veritate dicentem. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et. *ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et. *In Patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et. *Ego sum Pastor bonus & animam meã pono pro ovibus meis.* Et. *Qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit.* Et. *Qui vult venire post me tollat crucem suam.* Et. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Hæc audiet, hæc spectabit, hæc manu tanget meditator in Christo Patiente, ab his quàm ipse longè sit, quantoperè abhorreat, quàm sit delicatus Martyr Christi cognoscet ac metietur, quid adhuc desit sibi ad id, quod perfectum Christi imitatorem, servum, sociumque decet? Hic faciet dignas Christo, dignas Christi exemplo, ac merito resolutiones: hic suam mollitiē, ignaviam, inconstantiam, pusillanimitatemque cognoscet, arguet, confundet, expellet, fervorem autem, & animi robur, ex ipso fonte meritorum Salvatoris hauriet. Qui ita faciet, experimento proprio discet, verissimum esse id quod expertus Bonaventura asseruit. *Si vis o homo de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere. quotidie quantâ potes devotione, mediteris Domini Passionem. Nihil enim in anima ita operatur universalem Sanctitatem, sicut meditatio Passionis Christi:* præsertim juxta hunc octavum modum instituta. Decerpã aliquid ex optimo scriptore, quod Paradigmatis loco sit. Is est Josephus Speranza, cujus verba abbrevio ne longus sim. ait ergo. [Est præterea valde fructuosus meditandi modus, qui ad virtutum imitationem tendit. Hæc licet omnes in tota vita Christi eminent: Passio tamen ejus est velut summa & epitome omnium perfectissimarũ virtutum. Ut splendet Humilitas: *Vidimus eum despectum, novissimum virorum;* Verè in novissimo loco recubuit, dum inter latrones in Cruce occubuit. *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum? & nudatus est, quasi nudatur unus de scurris.* Si ad mensuram Dignitatis respondet Humilitas, quis metietur Humilitatem Christi: quo sicut nemo sublimior, ita & nemo despectior. *Novissimum* (Hebr: cessatorem) *virum*, quasi Christus ferè capacitatem hominis per humilitatem exhauserit: nec non

[Margin: Matt. 11. 29 — Matt. 22. 37 — Ioan. 14. 31 — Luc. 21. 19 — Ioan. 10. 11 — Matt. 10. 22 — Luc. 9. 23. — Ioan. 13. 15 — Iosephus Speransa in selectis script. Puncto 54 — Isa. 53. 3. — 2. Reg. 6. 20.]

non ultra stante naturâ humanâ descendere potuerit: sed omnino cessare debuerit, juxta illud, *Ego autem vermis & non homo.* Heu! Heu! Filius Dei, vermis factus est per humilitatem, & homo putredo ac vermis, adeò per superbiam erigitur! Discite ergo à me, discite, quia mitis sum & humilis corde. O quàm mitis! ineffabilis certè, mansuetudo, dum inter quascunque injurias, nihil durum tortoribus suis respondit. *quasi Agnus coram tondente se,* &c. *Constituite diem solennem in condensis usq; ad cornu altaris.* Pagninus. *Ligate Agnum*; Chaldæus. *ligate puerum funibus usque ad cornua altaris*; *brachia Crucis.* In his omnibus non aperuit os suum, *ita ut miraretur Præses vehementer.*

Psal: 21. 7. — *Isa: 53. 7.* — *Ps: 117. 27*

Patientiam in alapa, quâ sacrilegus ille Divinam faciem percussit, mirans Augustinus; *Si inquit cogitaremus; quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit cælesti igne consumi, aut terrâ dehiscente sorberi, aut correptum à dæmonio volutari, aut hujusmodi quâlibet pœnâ, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, quâ vincitur mundus.* Pilatus JESUM flagellatum tradidit voluntati eorum. Non ex lege decrevit, sed voluntati hostium, voto, violentiæ, vinolentiæ tradidit; unde illud. *In me psallebant qui bibebant vinum.* Unde credibile, sævitum in eum omni æquitate latiùs, quæ omnia patientissimè pertulit.

August: Tr: 11. 3. in Io: — *Psal: 68. 13*

Relucet *Obedientia,* quam ne perderet, perdidit vitam.

Relucet *Paupertas,* eaque talis, ac tanta, ut nudus in Cruce non haberet ubi caput suum reclinaret. Ita orbis Domino, totus negatus est orbis. Unde Ambrosius: *Recordare omnem vitam Salvatoris à partu virginis, usque ad patibulum Crucis, & non invenies nisi stigmata Paupertatis illius, de qua in Threnis. Recordare Paupertatis meæ.*

Bonaventura. — *Ambrosius.* — *Thren: 3. 19*

Sed ubi *Charitatem* relinquemus? *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit. Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Septuaginta legunt. *Et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Hinc ad suæ Charitatis ostensionem latus voluit sibi perforari, & cor ipsum aperiri, quasi diceret. En quantùm vos diligo. Cor ipsum videte. Hunc tibi amorem testatus est, dum tam libenter pro te mortuus est. Extensione brachiorum suorum, & membrorum ostendit, quòd tantùm diligere potuit.

1. Ioan: 3. 16

Quid hinc fratres? *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Pudeat pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem neque decorem: pudeat sub spinoso capite membrum fieri delicatum.* Non coroner ego coronâ aureâ (inquit invictus ille Goffredus) ubi Servator meus coronatus est spineâ. Et quidem (ut Clemens ait) à ratione alienum est, ut qui audivimus Dominum spinis fuisse coronatum; ipsi venerabili Passioni Domini insultantes, habeamus capita redimita floribus, dicamusque, *coronemus nos rosis.* Hactenus Speransa.

Bernardus Serm: 1. de omnibus Sanctis. — *Clemens Alex: 2. Pædag. cap. 6* — *Ludovicus Lonianus Medit: 1. Partis 4. Puncto 6.*

Universaliter sciendum & considerandum est, Christum Dominum in Passione sua, omnes præcipuas Christianæ & perfectæ vitæ virtutes exercuisse: & quidem singulas, quantùm ad externos actus, in gradu heroico. Multoque etiam in præstantiori, quantùm ad internos actus, qui externos comitabantur. Cujus causa fuit, *Prima,* Quòd ipse venisset ut esset Magister exemplarque virtutum. ideò tempore Passionis voluit epilogũ omnium earum facere, & singulare exemplum præbere. *Secunda,* Quia suâ Passione promeriturus & impetraturus nobis erat omnes virtutes, voluit etiam merita nostra, actuali earum exercitio inniti. *Tertia,* Ut ea ratione virtutum ipsarum honorem & præstantiam tueretur. Valde enim jacebant in mundo: illæ præsertim, quæ mundi contemptum docent. *Quarta,* Ut testamento & ultimâ suâ voluntate, ipsâ morte confirmato, excellentes omnium virtutum actiones nobis relinqueret. Sicut enim in ultimo suo Sermone dixit. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Ita dicere potuit, opereque ipso dixit. Mandatum quoddam novum do vobis, ut humilietis vos, sicut ego me humiliavi, ut obediatis & sustineatis, sicut ego obedivi, & sustinui.

Ioan: 13.

MODVS IX.

NOnus Modus Passionem Domini meditandi est, priori quidem, usu & efficaciâ similis, modo tamen diversus, quo singula circa Christum in Passione gesta, ad moralem spiritualemque doctrinam, meditationibus, reflexionibus, propositisque transferuntur, atque accommodantur. Modum hunc, quia exactè non minùs quàm devotè & copiosè prosecutus est, piissimus Æternæ Sapientiæ JESU Christi Minister, Beatus nimirum Henricus Suso Ordinis Prædicatorum, in Dialo-

Dialogo Sapientiæ cum Ministro suo, per aliquot capita, ideo illum hic ejusmet verbis describam: ordine tantùm nonnihil immutato, hoc est, parallelicè per singula puncta Passionis Dominicæ, simul doctrinæ mysticæ ex iis erutæ digesto. Sic igitur apud Susonem *Dialog: cap: 2.* Æterna Sapientia Christus Jesus, primùm suam propriam Passionem explanans, deinde discipuli amatorisque sui mysticam item Passionem, seu veram internamque suæ Passionis imitationem exponens, verbis tanquam propriis inducitur.

JESVS Christus Patiens. | *Christianus JESVM Patientem exprimens.*

I. Post peractam cum discipulis meis cænam ultimam, cùm in Monte me obtulissem, & resignassem ad perferendum mortis horrendæ supplicium: eamque mihi jam jam impendere sentirem, præ angustia tenerrimi cordis mei, ac totius corporis pressura, sanguinem sudavi.

I. Necess est, ut Passionem meam omnem ipse quoque experiaris pro viribus. Sume igitur animum planè virilem. Certus crebras tibi perferendas cordis mortes, antequam possis naturam sub jugum mittere: atque etiam præ angoribus cruenti sudoris, quem multijuges acerbæ afflictiones, quibus te mihi præparatum efficiam, tibi exprimment. Enimverò, hortum aromatum tuorum rubicundis aspergam floribus.

II. Deindè atrociter in horto captus, dire ligatus, miserandum in modum abductus fui.

II. Contra morem tuum, & inolitas consuetudines, vinculis implicaberis & constringeris.

III. Eâdem nocte, verberibus, sputis, oculorum obvelatione, indignè & contumeliosè me tractarunt. Coram Caipha iniquè accusatus, & morti adjudicatus fui.

III. Ab adversariis meis, clandestinis sæpe vexabere calumniis, & propalam contunderis. Multa in te ferentur judicia temeraria.

IV. Erat sanè miseria, Purissimam Matrem meam ineffabili cordis dolore correptam cernere, ab eo tempore, quo me tantis vidit angustiis laborantem, donec essem in Cruce suspensus.

IV. Passionem meam in tuo pectore, materna fide, & intimâ charitate circumferres.

V. Ad Pilatum summa cum ignominia me duxerunt, falsò detulerunt, & accusârunt, mortis sententiâ plectendum censuerunt. Stabant illi coram me terribili aspectu, non aliter quam immanissimi Gigantes, & ego inter illos ut ovis mansuetissima assistebam.

V. Complures perpeti habebis Religiosæ vitæ tuæ iniquos Iudices, & calumniatores, & eos quidem potentes, & hominum judicio magnos, nec nisi justè contra te insurgentes, & ex lege arguentes.

VI. Apud Herodem ego licèt Æterna Sapientia sim, in alba veste ridiculè delusus sum.

VI. Ita fiet, ut pia instituta tua, ab hominum vivendi consuetudine, crebrò tanquam fatua credantur, & irrideantur.

VII. Corpus meum elegantissimum, crudelibus flagellorum ictibus miserè conscissum, & dilaceratum fuit.

VII. Corpus tuum inexercitatum, durâ, & aspera vivendi ratione flagelletur, & castigetur.

VIII. Sacrosanctum Caput meum spinis confixerunt, & faciem meam gravissimam sputa & sanguis oppleverunt.

VIII. Atque nugatoriè coroneris Sanctæ Vitæ tuæ obtrectationibus, quibus ea pessum premetur.

IX. Atque ita mortis sententiâ damnatum, cum cruce me, turpiter ac miserabiliter; ad ultimum ferendum supplicium eduxerunt. Terribiles in me voces & rugitus dabant, ita ut procul audiretur, Crucifige, Crucifige hominem nefarium.

IX. Inde verò mecum educêris & miserabile illud Crucis ferendæ iter conficies, ubi propriæ renuntiaveris voluntati, te ipsum abnegaveris, & à creaturis omnibus, usque adeò te servaveris liberum & expeditum, in iis, quæ possunt æternæ tuæ saluti aliquid objicere impedimēti, ut aliquis jam jamque moriturus, & ni-

JESUS Christus Patiens. | A *Christianus JESUM Patientem exprimens.*

& nihil post hac cum hac vita commercii habiturus.

X. Suspenso me ad sublimem Crucis stipitem (quod equidem nimio ex amore, tuâ & mortalium omnium causâ pertuli) tota corporis mei habitudo vel species miserandum in modum immutata fuit: Illustrès oculi mei, suum perdidêre lumen. Divinæ aures, ludibriis & blasphemiis complebantur. Præclarus olfactus, tetrò urebatur odore. Os suavissimum, acerba cruciabat potio. Tactus tenerrimus, duris torquebatur plagis. Non erat mihi tunc ex toto orbe terrarum ulla vel modica quies, ac refrigerium. Enimverò Sacrosanctum Caput meum præ dolore & incommodis hærebat pendulum. Collum formâ conspicuum, immitissimis contusum erat verberibus. Nitidissimam faciem, putentia deturpârant phlegmata. Color integerrimus, in pallorem versus fuerat. Denique usque adeò decor omnis corporis mei extabuit, ut nihil à leproso differrem, immò quasi nunquam fuisse viderer, cùm essem Sapientiâ Sole speciosior.

X. Interdicito ergo tibi ipsi voluptate curiosi aspectûs, & dissoluti auditûs.

Dulcescat tibi & placeat ex amore, quod priùs ægrè ferebas.

Corporis oblectamenta respue.

In me Solo conquiescas.

Aliena mala feras suaviter & moderatè.

Tui contemptum desidera.

B Frange appetitiones tuas, & voluntates omnes ac desideria pessum preme.

Hæc prima sunt elementa in Schola Sapientiæ, quæ in patenti & expanso Crucifixi Corporis mei volumine leguntur. Sed hic vide obsecro: etiâsi quis omnes intendat nervos suos, num talem se mihi præstare possit, qualis ego illi fuerim?

Alio rursus loco idem Christus JESUS, Patienti sibi, Christianum fidelem, in compassione, & imitatione sui, hunc in modum informat.

Tot ego toto corpore meo Amoris signa præ me tuli, ut nec acus unius acies, ullam undique vulneribus confecti corporis mei particulam pungere potuerit, quæ non esset peculiari quâdam Amoris notâ insignita.

I. En dexteram manum meam clavus transfixerat: per sinistram itidem clavum adegerant.

I. Te ipsum & omnia tua liberè mihi dedas, nec repetas unquam. Nihil attingas eorum, quæ necessaria non sunt. Sicque habebis manus cruci revera affixas.

II. Dextrum brachium meum dirè intenderant, sinistrum crudeliter expanderant.

II. Vires tum Corporis, tum Animi, vide ne ex tepore flaccescant, sed instar brachiorum meorum in cultu & famulatu meo semper sint intentæ.

III. Pedem dextrum clavus perforârat, lævus plagam horribilem acceperat.

D III. Bona opera hilariter arripias, atque in iis fortiter perseveres, ita fixus erit pes tuus sinister.

Animum inconstantem, & vagabundas cogitationes in me figas & constabilias, habiturus hoc ipso dextrum quoque pedem crucifixum.

IV. Hærebam Cruci meæ ceu planè impotens, nimiâque crurium lassitudine prægravatus.

IV. Fragile, ac debile corpus tuum, in laudem crurium meorum, in spiritualibus exercitiis crebro fatiges, nec illi permittas facultatem suis indulgendi affectibus.

V. Cuncta membra mea immobiliter ad illud ergastulum Crucis compressa & distracta erant. Et quod erat summè profectò

V. Multijuges, raræ, nec passim cognitæ afflictiones, te mihi adjungent, adducentque ad ergastulum Crucis meæ. Effici-

fectò visu dirum & miserabile, fervidus sanguis meus necessitate compulsus, multis locis fortiter erumpebat, totum cruentans moribundum corpus meum.

Efficientque te, ad similitudinem cruentum & miserabilem.

VI. Atque (ô rem miserendam!) juvenile ac floridum corpus meum, extabuit, exaruit, expalluit.

VI. Naturæ tuæ mortificatio atque arefactio, pristinum mihi reddet virorem. atque vigorem.

VII. Dorso tenerrimo, durum erat stratum, Crucis asperitas.

VII. Incommoda corporis tui ultrò suscepta, dorso meo stratum parabunt gratissimum.

VIII. Corpus, præ pondere suo, jugiter deorsum ferebatur.

B

VIII. Virilis tua adversum peccata decertatio, meum levabit animum, cordis tui pietas & devotio, dolores meos omnes sublevabit, & mitigabit.

IX. Denique totum corpus meum vulneribus & livore confectum erat. Atque hæc omnia corde amantissimo placidè perferebam.

IX. Denique cordis tui fervor & flagratio, cor meum longè amantissimum inflammabit.

Rursum alio loco, pergit Æterna Sapientia, suum ministrum in suæ Passionis imitatione instruere: hunc in modum.

„ I. Audi homo rem miserabilem, & „ compatere mihi. Cùm suspensus coram „ hostibus meis, in Cruce hærerem, mise„ randum in modum, multivariâ illâ angu„ stiâ, & mortis doloribus circumseptus, „ stabant illi contra me, scommatibus & „ sannis me affligentes, meque irridentes, „ capitaq; sua probrosè adversùm me agi„ tantes: denique in suis cordibus adeò „ me vilipendentes, quasi extremæ sortis „ vermiculus essem, atque in his omnibus „ immotus ipse perseverabam, & pro eis „ Patrem meum attentissimè deprecabar.

C

I. Tu & quicunque alii mea vultis sectari vestigia, & venire post me, abnegetis vosmetipsos, & tollatis crucem vestram, & sequamini me. Quæ mihi vestra mortificatio & abnegatio, non minùs grata erit, quàm si tunc unà mecum mortem crucis sustinuissetis. Quo autem pacto quis mecum mori debeat, & crucem suam tollere, jam expono. Quando operam das, ut quoad capere potes, semper id agas, quod optimum sit, atque id in te alii cavillantur, & irrident, & erga te contumeliosè se gerunt, adeòque suis cordibus te vilipendunt, ut tam miserum te putent, qui nec possis, nec ausis te defendere, atque ipse interim, non solùm nihil movoris, sed etiam Patrem Cælestem ex animo pro illis rogas, ac benignè eos apud illũ excusas, quoties hunc in modum ex amore meo moreris, toties mors mea in te revirescit, ac reflorescit.

D

„ II. Et cùm essem Agnus innocentissi„ mus, cum noxiis & sceleratis reputatus „ fui, quorum alter me derisit, alter fidem „ meam & auxilium imploravit, quem abs„ que mora benignè suscepi, condonatis „ illi omnibus peccatis, ac cælestem illi „ Paradisum patefeci.

II. Itaque cùm purè ac innocenter vivis, & tamen rectè facta tua, in tantum deprimuntur, ut inter reos & noxios numereris, idque libenti animo accipis, adeò ut ubi etiam illi ipsi, qui te affixerunt, abs te veniam petunt, tam promptus & paratus sis, ex animo illis ignoscere, quidquid unquam molestiæ ab illis perpressus es, ac si penitùs nihil passus esses, ac præter hoc etiam verbis & factis illis inservire, & prodesse niteris, quò meam imiteris benignitatem, quâ illis, qui me crucifixerant, facilè remisi: jam revera mecum pendes in Cruce.

JESUS Christus Patiens. A Christianus JESUM Patientem exprimens.

„ III. Accipe rem omni lachrymarum fonte plangendam, huc atque illuc oculos circumferens, cunctorum me mortalium ope miserè destitutum comperi. Noti autem & amici mei, qui me secuti fuerant, procul stabant, discipuli mei charissimi aufugerant. Pendebam nudus, cunctis despoliatus vestibus. Eram planè sine viribus, & quasi in hostium potestatem redactus. Tractabant me crudeliter, sine ulla misericordia, sed interim ut ovis tacita mansuetissimé me gerebam.

III. Quando etiam omnium hominum familiaritati, commodis, & consolationi, nuntium remittis (nisi quantùm stricta & notabilis exigit necessitas) jam illa tui desolatio & destitutio, erga me illorum omnium supplet vicem, qui me in cruce deserverunt. Ubi verò mei amore cunctis amicis valefacis, ac si ad te nihil pertineant, idque in omnibus illis, quæ aliquod inter te, & me, possint medium vel impedimentum objicere: B hoc ipso charissimum te mihi exhibes discipulum & fratrem, sub mea cruce consistentem, mihique compatientem. Dum cordis servas expeditam, & absolutam „ ab omnibus libertatē, eādē ipsâ meam tegis & ornas nuditatem. Quando in quibuslibet adversis, tibi à quolibet proximo illatis, mei causâ ex amore nihil resistis, nihil te defendis, cunctorumque furorem, & excandescentiam, undecunque ea accidit, & quamvis subita, & improvisa fuerit, quà jure, quà injuria concitata sit, tanquam ovis obmutescens, suaviter ac placidè accipis, adeò, ut cordis tui lenitate, verborum mansuetudine, & vultûs serenitate, aliorum vincas asperitatem & malitiam, jam revera similitudo mortis meæ in te perficitur. Hanc, ubi mihi datur, mortis meæ similitudinem, dici non potest, quantùm illic capiam voluptatem, quantùm id & mihi, & Patri meo placeat.

„ IV. Quocunque me vertissem, acerrimis cordis doloribus & angoribus conficiebar.
Juxta crucem stabat mœstissima Genitrix mea, perferens medullitùs, in materno corde suo, quidquid ipse in corpore patiebar. Quæ res piissimum cor meum vehementissimè concutiebat, siquidem ego unus, immanissimos cordis ejus dolores funditus noveram. Cernens tristissimos gestus ejus, benignissimè eam consolabar. Jamque moriturus, & morte ab ea separandus, commendabam eam charissimo discipulo meo Joanni, ut quâ decet Matrem fidelitate, eam prosequeretur, itemque discipulum, illius Maternæ curæ ac fidelitati commendabam.

IV. Denique si acerbissimam mortem meam affixam tenueris corde tuo, & in precibus tuis commemoraveris, & factis expresseris, ac imitatus eris, eo ipso conformabis te doloribus, & fidelitati integerrimæ Matris meæ, & amantissimi discipuli mei. D

Ad extremum eadem Sapientia Æterna, discipulum suum ad suæ Passionis imitationem sic informat. *Ibid: Cap: 18.*

„ I. Etsi audieris sæpè tristia multa, sed nihil unquam tristius ac calamitosius eo ipso, quod jam relaturus sum. Anima quidem mea, secundùm vires supremas, Divinam tum haud secus, quàm modò contemplabatur essentiam: at vires infimæ interioris exteriorisque hominis, in desolata penitus & omnis consolationis experte afflictione usque adeò erant relictæ sibi ipsis, ad extremum usque infinitæ acer-

I. Ut mihi pro Passione mea dignas utcunque gratias agas ô homo, crucem meam ob oculos crebrò versabis, dirissimosque cruciatus meos, cum ingenti condolentia, tuo affiges animo, & quidquid tibi perpetiendum occurrerit, ad meæ Passionis similitudinem quandam adduces. Ubi afflictus fueris, nec tamen ullam tibi præstitero consolationem, sed in mentis tuæ ariditate tabescere, ac sine alicu-

tæ acerbitatis articulum, ut nullus unquam extiterit huic similis cruciatus.

alicujus suavitatis infusione exarescere te permisero (quemadmodum me Pater meus dereliquit) non aucupaberis peregrinas consolatiunculas, sed lamentabiles dabis gemitus ad Patrem cælestem, cum abnegatione tui quoad delectationem attinet, pro illius Paterna voluntate.

II. Cùm itaque plenè, omni ope destitutus, ac undique derelictus penderem à Cruce, cùm distillantibus vulneribus, lachrymantibus oculis, distentis brachiis, ac distractis & diductis omnium membrorum venis, mortis angoribus correptus, voce lamentabili ac miserabili clamavi ad Patrem meum, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Interim tamen voluntas mea cum sempiternæ voluntatis eius decreto, & placito omnino consentiebat atque unita erat.

II. Tum verò quantò Crux interna fuerit acerbior, & intus ipse magis derelictus fueris, magisque resignatus, tantò B propiùs ad meam accedes similitudinem, & Æterno Patri meo eris charior. Siquidem hac ratione præcipui Dei amici potissimùm probantur.

III. Porrò sanguine meo, sic prorsus effuso, fractisque viribus præ mortis angustia, invasit me sitis acerrima: sed multò magis vehementior me obtinuit sitis salutis mortalium omnium. Atque ecce, dum sic laborarem siti intolerabili, fel & acetum ori meo obtulerunt.

III. Cùm te vehemens tenebit desiderium, aliquam in re quapiam multùm delectabili, aucupandi & capiendi voluptatem, ex Amore id respues meo, atque mortificabis, atque eo ipso sitibundum os tuum, sicut & meum, amara portione cruciabitur. C Cunctorum salutem, summopere sities, eique curandæ, laboribus immori, pro maximo lucro, atque felicitate repones.

IV. Deinde peractis illis, quæ ad hominum instaurandam salutem pertinent: in hæc verba prorupi. *Consummatum est:* ita Patri meo perfectam præstiti obedientiam, ad mortem usque.

IV. Rectè facta tua ad perfectam capessendam vitam diriges, & ad mortem usque exequêris.

V. Cùmque dixissem Patri, in manus tuas commendo spiritum meum, præclarissima anima mea, ex Divino migravit corpore: ita tamen, ut nec ab illo, nec ab illa Divinitas recederet.

V. Subditam geres voluntatem, promptèque morigeram, ac obtemperantem Superioribus tuis: Animamque omni proprietate nudam, prorsusque resignatam in omnipotentis Patris manus, atq; D etiam spiritum, ex hac vita temporaria, in illam æternam commigrantem, pro quadam similitudine extremæ illius decessionis de hujus vitæ curriculo. Ita fiet, ut Crux tua, miserabili cruci meæ nonnihil conformis sit, atque in ipsa præclare perficiatur.

VI. Post hæc, lanceâ foderunt dextrum latus meum, unde continuò exivit pretiosi sanguinis rivulus, simulque fons aquæ vivæ.

VI. In patulo lateris mei vulnere, in ipso corde meo vulnere affecto, suaviter te includes, ibique morari & permanere disces, atque ita vitali illâ aquâ, te expiabo, & purpurei sanguinis mei roseo colore, mirificè decorabo.

VII. Ecce fili mi, hujusmodi labore ac dolore, teque & electos meos omnes reparavi, & innoxii sanguinis mei vitali sacrificio, ab æterna morte redemi.

VII. Denique me tibi fortiter adstringam, & obligabo, teque mihi perenni Unione conjungam.

Hactenus ex devotissimo Susone, desumpta Passi JESU Christi, ad eumque spiritualiter conformati Christiani collatio: ex qua lector, seu meditator Dominicæ Passionis, verum, solidum, & tam Christo gratissimum, quàm sibi utilissimum, hauriet meditandæ, atque sibi applicandæ Passionis Dominicæ modum.

MODUS X.

DEcimus Passionem Dominicam meditandi modus est. Assumere aliquem peculiarem cruciatum, vel contemptum injuriamvè Domini JESU, ejusque per totam Passionem, investigationem instituere, atque meditando expendere: ubi, quando, quoties, quàm gravem, ob quam occasionem, sive ob cujus virtutis exercitium manifestationemve, illum dolorem, injuriamve illam sit perpessus? Exempli gratiâ. Quoties Christus Dominus sanguinem fudit? & ubi? & quare? &c. Fudisse autem inveniam. 1. In horto per sudorem & agoniam. 2. In domo Annæ, ubi accepit alapam cruentam. 3. In domo Caiphæ, ubi innumeris colaphis, alapis, pugnisque percussus est. 4. Ibidem nocte eâdem, piè creditur, flagellis cæsus. 5. In prætorio Pilati, ad columnam dire flagellatus. 6. In coronatione spinea, & alapis, percussioneque capitis. 7. In vestium propriarum detractione, ad coronam & chlamydem coccineam sumendam. 8. In depositione coronæ, ad induendas vestes proprias, cùm crucem, damnatus, bajulare deberet. 9. In depositione earundem vestium ad crucifixionem: ubi & corona eidem rursus detracta est, cum 10 effusione sanguinis, aliter enim tunica inconsutilis & desuper contexta per totum detrahi non potuit. 11. In affixione ad crucem. 12. In statuitione & firmatione crucis: fuit enim & illa violenta, & cum corporis concussione, proinde non absque sanguinis effusione. 13. In coronæ repositione, cùm esset elevandus adhuc vivens cum cruce in altum. 14. In lateris post mortem confixione.

Pari ratione, expendi possunt variæ manuum Christi ligationes. 1. In comprehensione. 2. Apud Annam. 3. In domo Caiphæ, pro nocte. 4. Manè ducendus ad Pilatum. 5. Ad columnam causâ flagellationis. 6. Post Coronationem. 7. Cùm indutus suas vestes, crucem accepit. 8. Cùm est crucifixus, & clavis cruci illigatus: quæ omnes manibus Christi erant acerbissimæ. & moralia documenta servis Christi suppeditant.

Pari ratione expendi possunt nudationes Christi. 1. Harum creditur fuisse, nocte illâ in domo Caiphæ, ad torturam vel flagella. 2. In Prætorio Pilati ad flagella quoque. 3: Ad chlamydem purpuream induendam. 4. Ad proprias vestes induendas, ante bajulationem Crucis. 5. Ad crucifixionem, postquam deinceps mansit penditque nudus, usq; ad depositionem de Cruce. 6. Si placet, addere possumus post tenebras illas meridianas depulsas, quibus cùm suo modo velatus fuisset Dominus, redditá luce, iterum quasi exutus veste tenebrarum, nudus apparuit.

Pari ratione expendi possunt itinera, quæ Christus confecit in Passione, & quid in eis Passus est? Iter ad hortum in quo cæpit pavere, tædere, contristari, mœstus esse. Iter ad discipulos dormientes, quibus objicit dolens sic: *non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* quod iter, aliquoties repetiit. 3. Iter obviam Iudæ, & cohorti. 4. Iter captivi jam ad Annæ domum. 5. Iter ab Anna ad Caipham. 6. Iter à Caiphæ Concilio, ad carcerem. 7. Iter matutinum è carcere, ad concilium Caiphæ. 8. A Caipha, ad Pilatum. 9. Ab hoc, ad Herodem. 10. Ab Herode, ad Pilatum; apud quem aliquot itinera fuêre: à tribunali, ad columnam in atrium; ab hac, ad locum coronationis; ab hoc, ad locum è quo ostensus populo à Pilato dicente: *Ecce Homo*: hinc ad interiorem partem prætorii, ubi examinatus est repetitò, secretiùs, diligentiùsque à Pilato, tum ad locum tribunalis foras, ubi & damnatus est ad crucem juridicè, hinc denique ad locum, ubi crux ei imposita est. 11. Iter cum Cruce, usq; ad locum crucifixionis. 12. Iter ad ipsâ Crucem. 13. Iter jam in Crucem affixi in altum. 14. Iter de Cruce post mortem. 15. Iter ad sepulchrum.

Pari ratione, expendi potest quoties Dominus JESUS alapis & pugnis percussus est, quibusque locis. 1. In Captivitate, dum ligaretur ligatusque traheretur. 2. In domo Annæ. 3. In domo Caiphæ, ubi tumultuosissimè reus mortis denuntiatus undique percussus est. 4. In variis itineribus cùm raptaretur, haud dubiè sæpius variè contusus est. 5. In coronatione, quando illusoriè flexo genu salutabant, & conspuebant, & alapas dabant ei.

Ad

Ad hunc modum, consputationes multiplices possunt expendi: item accusationes apud Annam, apud Caipham vesperi, & manè, apud Pilatum, apud Herodem, iterum iterumque apud Pilatum, item in condemnatione & sententiæ promulgatione, item in titulo Crucis, item in blasphemiis illusionibusque objectis, jam Cruci affixo, item à latrone improperante.

In his singulis, Meditator devotus, reperiet quo ad compassionem moveatur, quoque erudiatur ad Mansuetudinem, Patientiam, Constantiam, Humilitatem, Charitatem, Obedientiam, ad sui odium, vilificationem, accusationem, confusionem, internam externamque mortificationem, tum etiam ad gratiarum actionem, admirationem, compassionem, deprecationem, laudationem.

Vide infra Modum XII.

MODVS XI.

VNdecimus Passionem Dominicam meditandi modus est; Assumere & expendere varios Authores Passionis Christi. Horum authorum aliqui erant justi & æqui: qualis fuit Pater Æternus, *qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, (ad pœnas, & mortem in carne subeundam,) *ut mundus salvetur per ipsum*: talis etiam fuit ipse Dominus JESUS, qui amore & obedientiâ erga Patrem ejusque gloriam: amore item & commiseratione super nos, *exinanivit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis*: tales etiam authores fuêre suo modo omnes Angeli Beati, omnesque sancti Patriarchæ ante Christum: ac inprimis ipsa Beatissima Dei Mater. Omnes enim isti desideraverunt & optaverunt mortem, Passionemque Christi, utpote reparatricem salutis humanæ, abolitricem peccati, ruinarum cælestium restauratricem, reseratricem paradisi, gloriæ, charitatis, veritatis, justitiæ, misericordiæ Dei manifestatricem, Christi ipsius exaltatricem, heroicarum virturum, omnimodæque perfectionis Magistram, Dotem Ecclesiæ atque vitam, Sponsarum seu diligentium dilectarumque Christi animarum emundatricem, ditatricem, ornatricem, inflammatricem, adglutinatricem, transformatricem, & absorptricem. Quocirca minimè dubitandum est, quin si ita placitum fuisset voluntati Dei, ipsi Angeli atque Sancti, ipsa etiam Pretiosissima Dei nostri Mater, Dominum JESUM suis manibus tam illi, quàm ista fuissent crucifixuri, ob amorem tantorum bonorum Dei, Christi, Cæli, & mundi, ex Passione Christi excrescentium.

Ioan: 3. 16.

Phil: 2. 7.

Alii Authores Passionis Christi fuêre iniqui, & per omnia improbi, ac per hoc Deicidæ, maximæque iniquitatum omnium iniquitatis rei. Tales fuêre dæmones, omnisque potestas tenebrarum. Talis Iudas proditor, tales Iudæorum Principes, & Sapientes; talis Pilatus & Herodes, tales milites, aulici, carnifices, omnisque furiosa plebs à Principibus persuasa, & perversa. Inter hos authores, suo modo recenseri possunt discipuli Christi desertores, Petrus negator & abjurator, reliqui in fide & spe collapsi. His annumerari authoribus etiam potest Barabbas Christo prælatus, latrones ambo. Præ omnibus autem, authores fuêre Passionis Christi, omnes & singuli homines, præteriti, præsentes, futuri, ab Adam primùm creato, ad ultimum nasciturum in fine mundi: & quidem omnibus & singulis suis peccatis mortalibus venialibusque, quorum quodlibet morte & sanguine Christi ad sui expiationem eguit, & quia eguit, eandem exegit. quia exegit, etiam pro sua portione causavit: pro sua portione inquam, non quia non quodlibet peccatum, aut non quilibet peccator, totius integræque Passionis Christi author sit: sed quia nec unum aliquod solum peccatum, nec unus aliquis solusque peccator, sed omnia & omnes. Alioqui, nisi hoc verum esset, quomodo diceret Pater Æternus à se *Filium suum percussum, propter scelus populi sui*? quomodo diceretur, *posuisse in Filio iniquitates omniũ nostrûm*? quomodo diceretur Christus, *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*? quomodo diceretur, idem *Agnus occisus esse ab origine mundi*?

Isa: 53. 8.
Ibid: 6.
Ioan: 1. 29
Apoc: 13. 8.
Rom: 5. 10.

Ah quanta mihi, quanta unicuique hominum materia dolendi, lugendi, erubescendi? quanta obligatio pœnitendi, patiendi, redamandi? quandoquidem videmus, quòd antequam adhuc essemus, jam tamen inimici eramus, nec inimici solùm, sed etiam perduelles, & Deicidæ, & nihilominus cùm adhuc tales essemus, reconciliati sumus Deo Patri, per Christum. Et indignamur nos, dæmonum in Christum malitiæ, odimus Iudaicam nequitiam, execramur Pilatum, Herodem, Iudam, aliosque: & non attendimus, quòd nos magis ipsi simus odio, execratione, detestationeque digni, qui totius diabolicæ, Iudaicæ, aliorum omnium mali-

malitiæ, ſumus cauſa, & inſuper etiam horum omnium, in ſcelere exſuperatores, atque transgreſſores, adeò, ut nulla ſit inter illorum noſtramque malitiam proportio, quoniam etſi horum omnium in Chriſtum malitia non ſæviſſet; adhuc tamen noſtra peccata ſanguinis, & Paſſionis, & mortis Chriſti, & occaſio, & cauſa, & adminiſtra fuiſſent. Ita ut longè furioſiùs, longèque obſtinatiùs, longè denique maligniſſimâ impotentiâ efficaciùs, noſtra ſcelera clamaverint, illas voces, *Crucifige, Tolle, Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* O ſi hæc intimis ſenſibus cordis noſtri capere poſſemus! ô ſi intimâ mente ſcelerum noſtrorum omnium, ſingulorumque, cognoſcere atque penetrare laboraremus immanitatem! ô ſi aliquando cogitationes dignas obligatione noſtrâ in IESUM, dignas charitate IESU erga nos, aſſumeremus, nec unquam deponeremus!

MODVS XII.

DUodecimus Paſſionem Dominicam meditandi modus eſt: Aſſumere inſtrumenta axtrinſeca Dominicæ Paſſionis, quæ ſervierunt ad dolores ignominiasque Chriſti. Ejusmodi ſunt funes, catenæ, lora, fuſtes, ligna, gladii, faces, pugni, palmæ, ungues, ſputa, calcanei, genua, flagella, virgæ, ſpinæ, arundo, purpura, myrrha, fel, acetum, crux, clavi, mallei, lancea, titulus crucis, velum oculis obductum, veſtis alba, aleæ ſeu ſortes, ſpongia, hyſoppus: ab his omnibus inſtrumentis, ſua portio pænarum & ignominiarum, Chriſto obvenit. Quæ conſideratione expenſa, fructum in anima meditantis poſſunt facere: tum excitando compaſſionem; tum ſuadendo imitationem, tum exigendo gratitudinē; tum movendo admirationem; tum ſpiritualem ſuggerendo inſtructionem.

Tam huic modo, quàm præcedentibus duobus, ſequentibusque etiam tribus, dabit aliquam opinor, non ſolùm cogitationum, ſed etiam affectionum materiem, indiculus pœnarum Chriſti Domini, quem hic ex piis probatisque authoribus ſubjicio. Igitur Bartholomæus Saluthius Ordinis Minorum: vir piiſſimis & geſtis & ſcriptis hac ætate notiſſimus, talem indiculum collegit contexuitque.

Barthol: Saluthius in Covivio Spirituali p. Præfationem.

[Devotæ revelationes Sanctiſſimæ Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti, factæ ab eodem JESU Chriſto, Beatæ Mechtildi, Eliſabethæ, Brigidæ.

» Elevatus eſt Dominus è terra per capillos, funes, -- 23. Anguſtiatus & cruciatus -- 170. Plagæ ad columnam 6666. Lapſus in terram ab horto usque ad domum Annæ - 7. Lapſus in plateis cùm tēderet ad montem Calvariæ - 5. Alapæ in faciem 102. Guttæ ſanguinis effuſæ 118225. Pugni in faciem 20. Verbera ſuper crura - 32. Verbera lethifera - 19. Verbera pectori atque capiti inflicta - 21 Verbera cæteris majora - 72. Puncturæ ex frequentata Coronæ impoſitione & detractione - 1000. Pedum pulſationes - 140. Suſpiria è pectore emiſſa 109. Lethalis ad columnam alliſio - 1. Lethiferæ alliſiones - 3. Sputorum conſpurcationes, cùm humi jaceret ſuper crucem extenſus - 73. Milites in Chriſtum armati - 118. Horũ è plebe aſſeclæ - 230. Vulnera livida - 1199. A quibus eſt ductus & ligatus - 3. Per barbam tractus & laceratus - 78.

» Aliæ revelationes, de eadem Sanctiſſima Paſſione, factæ ab eodem IESU, alteri devotæ perſonæ.

» Vulnera in Capite - 3. Pugni in oculos - 3. Pugni in genas atque os, per quos effluebat ſanguis ex ore & naribus, quo ictu duo ſunt excuſſi dentes - 5. Percuſſa corona arundinibus & baculis, vi quam maximâ - 40. Lapſa & depoſita corona eſt - 8. Spinæ, quæ perterebrarunt cranium, & ad cerebrum usque infixæ ſunt - 5. Spinæ fractæ, quæ in ipſa morte cerebro infixæ remanſerunt - 3. Guttæ ſanguinis ex ſpinarum puncturis rorarunt - 3000. Exſputationes in faciem - 100. Vellicationes narium - 20. Vellicationes auricularum - 30. Verbera in cervices - 25.

Hactenus Saluthius in Convivio ſpirituali Amatoris IESU poſt Præfationem.

A Lādſpergio verò hæc ita referūtur.

» [Legitur revelatum, Chriſtum Dominum percuſſum in facie alapis - 102. Punis - 120. In ore præcipuè - 30. Calceis - 140 vicibus, percuſſionibus in brachiis - 62. In pectore - 28. In cruribus - 32. In humeris, & dorſo - 80. Conſputum in facie - 63. Per terram tractum capillis 27. In Capite transpunctum punctionibus 1000. Flagellorũ ictibus percuſſum 6666. Denique in toto corpore affectum vulneribus - 5475.

Hæc Landſpergius, Sermone de præcipuis effectibus, & virtutibus, in Paſſione Chriſti nobis exhibitis, & apud Joſephũ Speranſa Puncto 154. Script: Select.

MODVS XIII.

DEcimus tertius modus Passionem Domini meditandi est, assumere varios Christi Domini in Passione sua situs, & considerare quid unoquoque egerit, actumve cum illo fuerit, & passus sit. Consideretur, v. g. IESUS procumbens in genua, & prostratus in faciem suam inter orandum in Horto. Consideretur obviam Iudæ, hostibusque prodiens, ad osculum admittens, hostes verbo prosternens. Consideretur IESUS captus, ligatus, ad Urbem & Annam tractus. Consideretur stans coram Anna, coram Caipha, coram Concilio, inter satellites, inter custodes, totâ nocte vinctus, abjectusque jacens, aut semipendens catenatus, compeditus. Consideretur stans rursum mane coram Concilio, coram Pilato, Herode, rursumque Pilato. Consideretur in viis istis vadens, rediens, à Caipha ad Pilatum, ab hoc ad Herodem. Consideretur ad columnam nudatus, ligatus, verecundus, tremens, cinctus carnificibus, ludibrium spectatorum, flagellis concisus. Consideretur religatus à columna, vestes suas hic inde sparsas, colligens, sanguineis glomis vestigia signans, vestes induens. Consideretur à militibus rursum raptus, exutus vestibus, sedere in frusto saxi aut trunci jussus, chlamyde intectus, spineo serto redimitus, arundinē manu gestans, adoratus, consputus, colaphisatus, ave Rex salutatus. Consideretur ultimùm, Barabbæ collatus, & postpositus, ultimâ sententiâ capitis damnatus, cruce onustus ex urbe pergens, montem ascendens.

Consideretur in monte jam stans, exutus vestibus, in crucem abjectus, in ea expansus, affixus, consputatus, elevatus constitutus.

Consideretur in Cruce pendens, à Civitate aversus, omnia elementa commovens, ab universitate rerum planctus. Cum lachrymis & clamore valido orans etiam pro inimicis, extremè siti laborans, aceto tractatus, serpentinis linguis undique laceratus. Latroni Paradysum donans. Matris curam gerens. Patri animam in manus tradens, capite ad reverentiam inclinato. Consideretur lanceâ in latere post mortem saucius, sanguinem & aquam effundens. Consideretur datâ licentiâ à Præside, de Cruce alienis manibus depositus, unguentis unctus, linteo mundo involutus, sepulchro conditus, & advoluto lapide clausus. Omnia ista im- A mensitatem materiæ meditanti suggerunt, affectuum, doctrinarum.

MODVS XIV.

DEcimus-quartus modus meditandi Passionem Domini est. Assumere dolores Christi injuriasque omnes, primùm, quas perpessus est totâ nocte ab horto usque ad Caiphanum carcerem: ubi Christus inter improbissima mancipia miserabilem noctem transegit, usquè ad lucem: postmodum, quas perpessus B est, à prima luce, primoque matutino concilio, â quo iterum damnatus, vinctusque ad Pilatum ductus, demum sine ulla quiete, perpetuò cum doloribus, contumeliis, atque improbitate hostili conflictatus est, donec horâ nonâ Spiritum Patri Æterno tradidit, tandemquè de Cruce depositus ac sepultus est. Potest ad hunc meditandi modum servire illa Pauli de se assertio. *Nocte & die, in profundo maris fui.* (2. Cor. 11. 25) Revera enim Christus in profundo mari Passionis suæ agitatus, (Ionæ 2. 1.) ac demum naufragium passus, à ceto mortis, tanquam Ionas, absorptus fuit: ut verè per Prophetam prædixerit. (Psal. 68. 3.) C *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et. (Ionæ 2. 6.) *Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, &c.*

MODVS XV.

DEcimus-quintus Passionem Domini meditandi modus, proximo vicinus est, Assumere omnes horas Passinis Christi, & expendere quid in singulis Passus sit. Numerantur universim horæ octodecim, quibus Passio Dominici duravit. Verùm ne minuta sit distributio, commo- D de sic fieri poterit.

1. Circa mediam noctem Hortum ingressus oravit, sudavit, quievit. 2. Post medium noctis, osculo t aditus, captus, ad Annam, Caiphamque deductus; reliquum noctis inter injurias spurcissimorum scurrarū insomnis transegit. 3. Mane Caiphæ, Concilioque ejus denuo præsentatus, damnatus, ligatusque est. 4. Hora primâ stetit coram Pilato, examen subiit & accusationes, Herodi missus, ab eodem illusus, Pilato remissus est. 5. Horâ tertiâ flagellis cæsus, spinis coronatus, ad mortem damnatus est. 6. Horâ sextâ seu meridianâ in crucem actus est. 7. Horâ nonâ, postquam tribus horis in

cruce vivus, & orans, & lachrymaas, à totoque vicissim universo planctus esset, inclinato capite tradidit spiritū. 8. Circa vespertinam horam, de cruce suorum manibus sublatus, conditus aromatibus, sepultus est. Istas Passionis Christi horas, quotidie in suis canonicis horis Ecclesia Catholica ferè ad amussim servat, recolitque, tam in majore officio, quam in minoribus, proinde commodissimè etiam meditationi deservire hæc ipsa horarum distinctio poterit. Sanctus Bernardinus Senensis, decem horas Passioni Dominicæ assignat, cujus verba proderit hoc loco apponere, datura lucem supra dictis. Sic igitur ait- [Præterea dicere possumus Christum Passum & Crucifixum, esse Horologium cordium religiosorum, distinguens horas diei & noctis: quod quidem in Horologio Achas mysticè designatur: in quo sol descendit decē lineis, quia per decem horas humiliatus est Christus pro nobis in sua Sanctissima Passione. In cujus honorem decem dicuntur horæ. *Primò* Completorium in honorem venditionis. *Secundò* dicuntur matutinæ, quæ distinguuntur in tres nocturnas: in rememorationem illius injuriæ, quæ facta est ei tribus locis in illa nocte. Scilicet in Horto, in domo Annæ, & in domo Caiphæ, conspuendo, deludendo, atque percutiendo. *Quintò* Laudes in memoriam Criminis impositi in fine noctis. *Sextò* Primam. In memoriam accusationis coram Pilato. *Septimò*. Tertiam. In memoriam flagellationis in domo Pilati. *Octavò* Sextam. In memoriam bajulationis Crucis & Crucifixionis cum ferreis clavis. *Nono* Nonam. In memoriam mortis & apertionis lateris. *Decimò*. Vesperas. In memoriam sepulturæ, ut in qualibet prædictarum horarū mens devota sentire possit dulcedinem Dominicæ Passionis.]

Tom: 3. ser: 56. art: 4. 3tiæ part: Dom: Pass: 4. Reg: 20. 10.

MODVS XVI.

DEcimus sextus meditandi Passionē Dominicam, modus est: Expendere quadruplicem dimensionem Passionis ipsius, Longitudinem scilicet, Latitudinem, Altitudinem & Profunditatem.

Longitudo Passionis Christi, spectari potest in tempore, quo duravit. Duravit autem, primùm toto vitæ ejus tempore, ab instanti conceptionis: Quia enim ab illo puncto, perfectissimè cognovit omnia, quæ passurus erat, eaque semper

Vide Bellar: de gemitu columbæ lib: 2. c. 3.

A præsentia ob oculos mentis habuit, idcircò omnibus & singulis vitæ momentis cruciatus est acerbissimè: adeò, ut non nisi per miraculosam potentiam impediretur in eo effectus hujus cruciatus interioris, qui connaturaliter talis esse totâ vitâ ejus debuit, qualis fuit semel in horto, quando tristis fuit eius anima usque ad mortem, & quando factus in agonia sudavit sanguine. Id ipse Dominus expressit aliquando, cùm dixit, *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarcor usq; dum perficiatur?* Item. *Ecce ascendamus Hierosolymam, & filius hominis tradetur.* Deinde, actualis B Passio Domini, duravit per horas octodecim continuas, in quibus Dominus nullam requiem habuit, nullam dolorum mitigationem, sed potiùs perpetuum incrementum, prioribus durantibus, novis autem accedentibus; una, & sola tam diuturna, perpetuaque statio, & fatigatio ex perpetua agitatione, raptationeque Domini, à loco ad locum, à Iudice ad Iudicem, à supplicio ad supplicium, sufficiebat exhaurire omnes Domini vires, & ad extrema adducere vitam ejus. Tum verò sanguinis effusio tam larga, vulnerum multitudo tanta, pœnarū simul affligentium concursus, confusio, varietasque C studiorum, & affectuum, persecutorum furentium; Sitis etiam, & ariditas viscerum, ex pœnis, ex fatigatione, ex doloribus, ex vulnerū strictura nascens, urens, duransque tanto tempore, quas non exhausisset vires, quos non cruciatus cumulavit?

Lucæ 12.

Luc: 18. 3

Latitudo Passionis Christi, spectari potest, penes multitudinem varietatemque cruciatuum, dolorum, injuriarumque illius. Nam si attendas corpus Christi, diffusa erat Passio per omnia ejus membra, à planta ad verticem; cumulatum insuper etiam vulnus super vulnus; immo & dolor dolori, tormentumque tor- D mento superadditum. Itaque nullum mēbrum Christi fuit sine cruciatu, corpus totum multis millibus verberum, vulnerumque discissum fuit, ad ipsum etiam cerebrum, sacri capitis, penetravit crudelitas, lingua, dentes, oculi, fauces, viscera, nervi, venæ, musculi, quantumvis latentes habuère suos cruciatus. Si attendas Animam Christi, omnes Animæ potentiæ, omnia bona & dotes animæ, habuère tantò majus tormentum suum, quantò Anima nobilius & puriùs est Principium dolendi, sentiendique mala; hinc tristitia, tædium, pavor, mœror Christi fuit usque ad mortem, scilicet par

morti,

morti, sufficientique ad causandam mortem. Si attendas externa & fortunæ bona: omnibus exutus est; & extrema in nuditate rerum omnium mortuus est, adeòque ipso etiam aere, quem spiraret, privatus: sepulchro alieno conditus est. Si attendas virtutes morales, in omnibus quoque passus est Christus, non eas amittendo; sic enim eas potiùs in perfectissimo gradu exercuit, sed quia illis caruisse creditus, & traductus est. Unde consequenter, si attendas honorem, & famã, nomenque bonum, omni illo radicitus exutus est, & cum iniquis reputatus, & antonomasticè seductor, impostorque vocatus, seditiosus, ambitiosus, perduellis, & his omnibus major blasphemus, pseudopropheta. Si attendas instrumenta, quibus cruciatus est, ea tam multa, quàm dira fuère, vincula, catenæ, palmæ, pugni, calces, flagra, virgæ, spinæ, clavi. Denique si attendas ipsa pænarum genera, in numerum non venient. Si à quibus Passus? omnes omnino res in Christi necem conspirarant: ipse etiam Pater Æternus, immo ipse Christus, & pæne dicam, hic ipse solus, maximus sui fuit cruciator, cruciatuumque, non solùm author, sed etiam exactor, & irritator: licet enim in potestate habuit non mori, voluit tamen mori, & licet in potestate habuit impedire pænas, aut sensum earum, tollendo, vel minuendo, nihil horum fecit, sed potiùs & viribus pænas, & pænis vires suas servavit æquavitque, insuperque ampliores, novas, lõgiores sitivit. Accessère authores alii pænarum, dæmones scilicet, Iudæi, Gentiles, &c.

Altitudo Passionis Christi, spectari potest penes gravitatem acrimoniamq; cruciatuum, enascentem, tum ex pœnarum ipsarum immanitate; tum ex carnis, & Animæ Christi perfectione, ac subtilitate, complexionisque teneritudine, atque ad sentiendum quidlibet molestum, capacitate & vivacitate; tum ex amotione omnis solatii, tum interni, tum externi, quo se Christus absolute privaverat atque exuerat; in nullo sibi auxilium ferens, præterquam in sui, viriumque conservatione, ad hoc unum, ut durare sentireque posset pœnas usque ad finem, nõ permittendo in se obtundi sensus mole dolorum & acerbitate, sed eandem sensibus tribuendo vivacitatem in omni pæna, pænaque putatione: tum ex Dignitate, Sanctitate, Innocentia, Beneficentia, meritisque subjecti Patientis & Personæ: tum ex summa implacabili, insatiabiliq; rabie hostium, rapientium atque trahentium, sanguinem, & dolorem, & contemptum, & mortem suam, tam sitientium, quàm inferentium, donec satiarentur pœnis ejus: tum denique ex indignitate extrema eorum, à quibus, & pro quibus etiam patiebatur. Ex his capitibus atq; fontibus, Passio Christi plenissima fuit, incogitabilibus doloribus, adeò, ut attestantibus Sanctis Patribus, Theologisq;, Passio Christi excesserit omnia tormenta Martyrum, immo omnes dolores hujus vitæ.

Profunditas Passionis Christi, spectari potest, penes Puritatem sinceritatemque dolorum Christi. Fuit enim Passio pure, & pura Passio, purus dolor, purus cruciatus, sine admistione solatii, refrigerii, cessationis, immo cum incremento ab initio ad finem, non cessantibus prioribus, supervenientibus recentibus, quasi si fluctus fluctum truderet. Hanc Profunditatem seu Puritatem dolorum suorum, expressit Christus apud Prophetam dicens. *Torcular calcavi solus, & de gentibus, non erat vir mecum. Consolantem me quæsivi, & non inveni. Considerabam ad dexteram, & ad sinistram, & non erat qui adjuvaret. Amici quoq; & noti mei, recesserunt à me. Adversum me jurabant.* Quod si adfuère aliqui, ad cumulum cruciatuum adfuère. Ergo ex vehementia hujus puritatis dolorum suorum, exclamavit Dominus IESUS in Cruce: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* scilicet in doloribus istis, absque ulla consolatione. Etsi enim diligebatur à Patre, tanquam filius: etsi præsentem habebat, tanquam consubstantialem: non habebat eum tamen, tanquam consolatorem in malis: sed perinde ac si nihil pertineret ad eum de Christo, ac si Filius ejus non esset, ita permissus est demergi in cruciatibus, & demum etiam absorberi morte. Hæc omnia immensam exhibent meditanti materiam, condignorum affectuum, admirationis & stuporis, compassionis & commiserationis, doloris & planctûs pro se, & pro toto mundo. Erubescentiæ item ac pudoris de indignitate, de ingratitudine, de abusu tanti pretii, tantorumque laborum Christi pro nobis, de nullitate vilitateque nostrorum pro Christo; Amoris & Æstimationis, Gratiarum actionis, Deprecationis, &c.

Sanctus Bernardus, sive Anselmus, sermone de Passione Domini, hanc quadruplicem dimensionem Passionis Christi & Crucis: sic explicat, & simul applicat per

Isa: 63. 8. *Ps. 68. 21.* *Ps. 141: 5.* *Ps: 57. 12.* *Ps: 101. 9.* *Matt: 27.46* *Serm: qui incipit Iesu Nazarenum.*

per modum orationis ad Christum. [Il-
„ lam divinissimam crucem tuam humeris
„ meis impone: cujus Latitudo, est charitas, cujus Longitudo, est æternitas, cujus sublimitas, est omnipotentia, cujus Profundum, est inscrutabilis Sapientia. Confige illi manus meas, & pedes meos, & totum Passioni tuæ conforma servum tuum Domine. Da obsecro mihi continere ab operibus carnis, quæ odisti, & facere justitiam, quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam, & sinistrâ quidem meam clavo temperantiæ, dextram verò justitiæ, in illa sublimi trabe Crucis fixas arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te, & dextrum pedem meum, eidem ligno vitæ clavo Prudentiæ affige. Da ut sinistram spiritûs mei sensualitatem, non enervet labentis vitæ infelix felicitas, non conturbet præsentis vitæ infelicitas felix, & sinister quoque pes meus, fortitudinis clavo in Cruce tenebitur.] Vide quæ sequuntur.

Serm: 1. in Pascha. Idem Sanctus Bernardus alio loco, eandem Crucis, Passionisque Christi dimensionem, sic tractat. Aliud tempus „ elegit (Christus) confortandis discipulis, & aliud adversariis confutandis. Interim Patientiam magis exhibet, Humilitatem commendat, Obedientiam implet, perficit Charitatem. His namque virtutum gemmis, quatuor cornua Crucis ornantur: & est supereminentior Charitas, à dextris Obedientia, Patientia à sinistris, radix virtutum Humilitas in profundo. His ditavit trophæum Crucis, consummatio Passionis, cum ad Iudæorum blasphemias Humilis, ad vulnera Patiens, intus linguis, foris clavis pungeretur: nam & Charitas in eo perfecta est, quòd pro amicis animam posuit, & Obedientia consummata, cùm inclinato capite tradidit Spiritum, factus obediens usque ad mortem.]

MODVS XVII.

DEcimus septimus Passionem Dominicam meditandi modus est: Considerare illam, ut est Causa maximorum bonorum. Quia enim Passione Christi Domini redempti sumus ac salvati, ideo quidquid boni in salute redemptioneq; nostra est, eique conjunctum noscitur, vel ad eam requisitum, totum hoc à Domini Passione causatum est.

A Primò, Igitur consideranda est Passio Christi, tanquam Reconciliatio Patris Æterni, & satisfactio Iustitiæ ipsius, abolitio quoque injuriæ, eidem à vilissima creatura illatæ, & ea quidem adæquata, rigorosa, condigna, copiosa, superabundans.

Secundò, Consideranda est Passio Christi, tanquam Manifestatio, exhibitio, prædicatio, expressio, & (typographiæ instar) impressio, evulgatioque immensæ charitatis, misericordiæ, liberalitatisque, tam Dei Patris, quàm Christi ipsius. Dei quidem in nos, quos sic dilexit, ut Filium suum unigenitum daret pro nostra sa- B lute; Christi autem, tum in Patrem, tum propter Patrem in nos: quos ille dilexit, quia in tantum diligi à Patre vidit, & sua vitâ, morte, sanguine, redimi velle, statutumq; scivit. Amore igitur & reverentiâ in Patrem, commiseratione & clementiâ, in nos ductus, obtulit sese, ad nos, tanta licèt per sua dispendia, redimendos, Petrique reddendos.

Tertiò, Consideranda est Passio Christi, tanquam ipsamet Redemptio, pretiumque omnium nostrûm pro nobis, à non insipiente, nec parco mercatore persolutum. Item tanquam abolitio & ablutio, C & in mari rubro sanguinis Christi demersio peccatorũ nostrorum. Itẽ tanquam clavis Paradysi cælestis. Itẽ tanquã debellatio trophæumque debellati inferorum tyranni, mortis quoque, & inferni, & peccati.

Quartò, Consideranda est Passio Christi, tanquam meritum ejusdem, quo meruit nobis quidem veniam & condonationem peccatorum, tam quoad reatum culpæ, quàm etiam pœnæ, deinde, meruit nobis quoque gratiam & justitiam sanctificantem, nec non cætera salutis bona: præterea, meruit nobis jus ad glo- D riam, seu ipsam gloriam æternam, valoremque bonis nostris operibus, ut possint esse digna merendæ gratiæ, gloriæque æternæ, nec non aliis donis ad salutem sanctitatemque opportunis.

Quintò, Consideranda est Passio Christi, tanquam dos, & thesaurus indeficiens, infinitusque Ecclesiæ, in Sanctificationem animarum, in ablutionem peccatorum, in expiationem pœnarum, in operationem virtutum, in acquisitionem auxiliorum ad salutem necessariorum, atque efficacium.

Sextò. Consideranda est Passio Christi tanquam exaltatio, seu potiùs meritum exaltationis Christi. Meruit enim Passione

ſione ſuâ Dominus JESUS ſibi gloriam corporis ſui, exaltationem nominis Iesu, ut in eo omne genu flectatur. Poteſtatem quoque Iudicis, & alia ſimilia; quæ etſi naturaliter ex unionis gratia habuerat: habuit tamen & acquiſivit eadem inſuper ex merito paſſionis, juxta illas ſcripturas. *Oportuit hæc pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Et. *Cauſa tua velut impii judicata eſt, judicium & juſtitiam accipies.* Et. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam.* Et. *Si tradiderit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.*

Luc: 24. 20. Job: 36. 17. Apoc: 5. 12. Is: 53. 10.

Septimò, Conſideranda eſt Paſſio Chriſti, tanquam juge Sacrificium in Eccleſia, quod usque ad finem ſæculi peragitur, & realiter repræſentatur in Sacrificio Miſſæ, omnibus diebus, incruentè, in cultum & honorem Dei, in gratiarum actionem pro beneficiis, in impetrationem donorum tam Spiritualium, quàm temporalium, nobis ac aliis, in ſatisfactionem pro peccatis vivorum & mortuorum fidelium, in commemorationem ejus ipſius cruentæ Paſſionis atque mortis Chriſti, ſemel à Chriſto peractæ ſeu ſuſceptæ.

Horum ſimiliumque bonorum cauſa eſt, eritque Chriſti Paſſio, usque ad conſummationem ſæculi ex quorum conſideratione haurienda eſt æſtimatio cordialis tum Paſſionis, tum Paſſi Chriſti; hauriendum ſtudium imitationis, & uſus ejus; ſtudium participationis, & adimpletionis ejus ex parte in corpore noſtro, hauriendus pudor de vili æſtimatione, de ingratitudine tanti boni, apud tam multos reſidentis otioſe, ſteriliter, indignè; haurienda admiratio tantæ liberalitatis Chriſti, haurienda gratitudo, atque gratiarum actio, hauriendus zelus derivandi tantam efficaciam Paſſionis Chriſti in propriam, & in aliorum ſalutem.

MODUS XVIII.

Decimus-octavus Paſſionem Dominicam meditandi modus: Conſiderare illam, tanquam effectum & fructum; Primo quidem peccatorum totius mundi: Non quòd noſtra peccata mori Chriſtum fecerint, coëgerintque quaſi nolentem; ſic enim nemo poteſtatem in Chriſtū habuit, ac multò minùs peccata. Sed quòd peccata Majeſtatem Dei læſerint, & contempſerint, voluntatem ejus violaverint, iram Dei provocaverint, & juſtitiā con-

A citaverint, hoſtemque hominibus Deum fecerint, qui placari non potuerit, nec voluerit, niſi per reparationem laſæ violatæque Dignitatis, Voluntatis, Iuſtitiæ ſuæ, & quidem adæquate, condignè, ad rigorem; id verò fieri nullis puræ creaturæ viribus, ac meritis, non tantùm unius alicujus, ſed neque omnium ſimul potuerit, ſed neceſſe fuerit parem Deo in dignitate perſonam reconciliatricem, ſatisfactricemque ad id intervenire, quæ nusquam exſtabat, niſi apud ſolum offenſum læſumque Deum: hoc ſatis ſciens Pater cæleſtis, miſericordiâ purâ ex ſeſe

B motus, ſuper homines pereuntes, perditosque æternaliter, dedit Filium ſuum unigenitum, coæqualem, coæternum, conſubſtantialem ſibi. dedit, inquam, in redemptionem, & ſalutem mundi, fecit illum incarnari, ſimilem hominum per omnia absque peccato fieri, eique impoſuit peccata totius mundi præterita, præſentia, futura: dedit etiam illi præceptum moriendi pro nobis, peccataque noſtra expiandi, Majeſtatem ſuam læſam, iramque & juſtitiam reparandi, ac placandi, nosque cum Patre in gratiam revocandi, ac de diaboli ſervitute eruendi, decretumque ac chirographum mortis

C reſcindendi. Cui Patris mandato usque adeò Filius non contradixit, ut etiam ultro ac ſponte, propter amorem reverentiamque Patris, propter miſerationem & liberalitatem erga nos, mortem acceptaverit, ſubierit, omnemque ſalutem noſtram operatus ſit, atque conſummaverit. Sic ergo peccata noſtra radicaliter & occaſionaliter occiderunt Chriſtum, ſic ſumus omnes Chriſticidæ, & rei ſanguinis ac mortis ejus, quia aliter aboleri peccata noſtra non poterant, niſi ſanguine & morte ejus. Atque ita Paſſio Chriſti, eſt effectus peccatorum noſtrorum omnium.

D 2. Eſt vero præterea Paſſio Chriſti, effectus Charitatis & miſerationis Paternæ ſuper nos.

3. Eſt quoque effectus Voluntatis ejusdem Æterni Patris, quâ imperavit Chriſto mortem pro nobis.

4. Eſt adhuc Paſſio Chriſti, effectus bonitatis, charitatis, miſerationis, liberalitatis ipſius Chriſti erga nos.

5. Obedientiæ autem & reverentiæ, & charitatis erga Patrem.

6. Eſt quoque effectus malitiæ & invidiæ dæmonum, ac Iudæorum: quorum manus, dum ſuo incumbebant ſceleri, famulatæ ſunt Salvatori.

7. Super omnia porrò conſideranda eſt

Passio Christi, secundùm quod est effectus peccatorum meorum propriorum, etiam horum, quibus Christum offendo: ac per hoc nihil aliud ago, quàm quod non satis mihi sit fuisse olim reum mortis Christi, nisi etiam hodie, & quotidie idē facinus repetam, iterumque & iterum Christum crucifigam. Ob quod, quantos exitus aquarum deducere debent oculi mei! Quis dabit capiti meo aquam, quæ flumina, fontes, aut maria satis erunt ad expiandam malitiam meam, peccatorumque meorum, nec dum cessantem à Deicidio? & cùm jam Christus, per gloriæ statum mori non possit, adhuc tamen, quantùm ex mea recenti præsentique malitia, peccatis meis quotidie & assiduè crucifigitur, & omnes Passionis suæ calamitates per me repetitas sustinet. Pro! quando tandē erit finis iniquitatis meæ? quamdiu cras, cras? quare non modò, quare non statim etiam finis turpitudinis meæ, finis malitiæ meæ, finis ingratitudinis meæ?

MODVS XIX.

Decimus nonus modus Passionē Christi meditandi est; Patientis Christi Comites, quos ille in omni quidem vita sua habuit, at potissimùm in Passione sua individuè sibi conjunctos adhærentesque retinuit, idque non absque maxima exaggeratione dolorum suorum, alioqui summè arduorum. Fuere autem ejusmodi comites minimùm septem, quos operæ pretium est, meditando cognoscere, atque propter exemplum & amorem Christi Domini, sibi quoque adjungere, neque unquam sine illis esse, in tota hac vita. Si enim Christus, absque illis nec ad momentum esse voluit in hac vita: profectò & nobis valde expediet, esse comitatos illis, valde autem non expediet, esse desertos ab illis. *Nostra enim, nostra, & omnibus profutura nobis, semper loquitur Christus, & ob corrigendos nos, mystica frequentat exempla Dominus.* (Chrysol: ser: 2.) Neque potest nobis non prodesse, quod ad instructionem nostram, & verbo, & magis etiam exemplo suo, præcipere nobis dignatus est Magister noster JESUS.

Primus Comes Christi fuit Paupertas, ea quidem tanta, ut tam nascens, quàm vitam agens, quàm denique moriens, verè dicere potuerit Christus. *Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos, Filius autem hominis, non habet ubi caput reclinet suum.* (Matt. 8. 20) In Cruce siquidem moriens, pendulo capite, nudo-

A que toto corpore mortuus, demum & alieno in sepulchro conditus est. Fuit verò Christus pauper, sine dubio quidem voluntate, attamen voluit videri omninò pauper necessitate, etiam pauperculorum Parentum Filius, à quibus sola ad eum Paupertatis hæreditas perveniret.

Secundus Comes Christi, fuit Contemptus, ignominiæ, probra; quem Comitēm sicut secum etiam ex materno viscere extulit; ita per totam vitam reliquam, at maximè in Passione, & morte, usque ad sepulchrum secum circumduxit. Voluit Dominus Iesus esse contemptissimus, ut fuit: fuit autem ita, ut nihil non ceciderit in eum contemptionis, nihil infamiæ, dedecoris nihil: in ipso contemptu contemptibilis fuit, omnesque eum meritò despici crediderunt. *Vidimus eum despectum & novissimum virorum* (ajunt apud Prophetam) *nec reputavimus eum:* (Isa: 53. 2.) & quis reputasset eum, qui fuit *vermis & non homo, opprobrium hominum: & abjectio plebis,* (Ps: 21. 7.) *parvulus in gentibus, & contemptibilis valde.* (Abd: v. 2.) Quid contemptibilius eo, qui reputatus est insanus, furiosus, dæmoniacus, stultus, impostor, pseudopropheta, seductor, mendax, scurra, seditiosus, blasphemus, pejor latronibus, furcifer, archipatibularius, ortu denique, opificio, vitæ genere, morte, sordidissimus, abjectissimus.

Tertius Comes Christi, fuit Dolor. Certè, Dominus Iesus & fuit, & agnitus est *vir dolorum, ac sciens infirmitatem.* (Isa: 53. 3.) Pilati quoque judicio dictus est. *Ecce Homo,* quasi dolorosissimus, neque mirum, quando Deus in eo posuit infirmitates, omnium nostrûm, an verò paucæ sint totius mundi infirmitates quisque judicet. Fuit ergo vir dolorum, bajulus dolorum, centrum & locus, & sedes dolorum. Dolores enim omnes omnium nostrûm pertulit in corpore suo, & in Anima sua. Idque potissimum in Passione & morte sua, quæ non tam dolorosa, quàm dolor ipse excessusque doloris fuit. Unde clamavit. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* (Thren: 1. 12.)

Quartus Comes Christi, fuit Labor. Testatur ipse, vitam suam fuisse *in laboribus à juventute sua:* (Ezech: 24. 12. Gen: 3. 19.) ac tota quidem Christi vita laboriosa fuit, sed maximè Passionis tempus, in quo Gigas ille omnes vires suas exhausit, & attrivit, portando peccata mundi, & laborando in peccatis nostris, magis etiam in peccatorum nostrorū pœnis exhauriendis. Ostendit hoc sudor sanguineus, & aliàs sæpiùs effusus cruor, violentissimū sanè ratione, flagris, spinis,

nis, clavis, tunsionibus, fossionibus, quæ certè non expresſêre deliciæ, sed labor plusquam giganteus. *Multo ſcilicet labore ſudatũ eſt* à Christo, *ut exiret* ab unoquoq; noſtrûm, nimia *rubigo ejus*: & heu! necdum egreſſa eſt hactenus. Adam *in ſudore vultûs, pane veſci juſſus eſt*; at Christus, nec in ſudore ſanguineo ſatis poteſt.

Ezech: 24.12

Gen: 3.19.

Quintus Comes Christi fuit, Sterilitas atque Inutilitas. Etenim tam immanibus Paſſionis ſuæ ſumptibus, quibus millia mundorum emere potuit, paucos ſolummodo electos, efficaciter emit. Moriens, vix unum fidelium habuit in mundo, aſcendens in cælum 500 reliquit. Tantæ ſementis, tantilla meſſis! Nec uberiorem hodieque meſſem habet Christus Paſſionis ſuæ; & non dico id de hominibus paucis, qui verè in eum credunt, ſed dico etiam de credentibus ipſis, & credentibus quidem, ut videtur verè: qui tamen pauciſſimos atque ſteriliſſimos ei fructus virtutum, perfectionis, amorisque præſentant. De mille electis, vix una columba, vix una ſpecioſa, vix una perfecta anima. Neque habuit in Paſſione ſua Christus, ullum amariorem cruciatum, hac paucitate electorum, collatâ immenſitati reproborum; & hac ſterilitate ipſorum electorum, comparatione perfectorum. Propter quod optabat & ſitiebat alios novos cruciatus, ut augerentur ſaltem perfecti. O Anima! quæcunque ſortita es electionem! adde etiam perfectionem, & conſummatam ſanctitatem!

Sextus Comes Christi, fuit Ingratitudo. Quid enim fuit aliud Paſſio Christi, niſi ingratitudinis effectus? aut quam myrrham primam meſſuit Jesus in horto ſuo, ſanguine, pœniſque rigato, & culto, niſi ingratitudinem? Omnium laborum, meritorum, benefactorum Christi, hic fuit fructus, hæc meſſis: ingratitudo. Neque id olim tantum, etiam nunc, nihil aliud reportat Iesus fructûs ex nobis pro ſuis meritis, atque gratiis, niſi unam ingratitudinem. Colligis ſanè Domine Iesu à me, & ex me aliud nihil, quàm mala pro bonis, peſſima pro optimis, ingratitudinem pro beneficiis, contemptum pro honore, odium pro amore, convitium pro laude.

Septimus Comes Christi fuit, Impedimentũ ſeu Præpeditio. Parùm enim erat quòd ipſi non reciperent Christum, etiã alios impediebant, ne reciperent; immo cogebant, ut abnegarent. Claudebant cælum ſibi & aliis, nec ipſi introierunt, & alios non permiſerunt. Denique cauſam procuratæ necis Christo, audi. *Videtis (ajunt) quia nihil proficimus, ecce mundus totus poſt eum abiit.* Ne ergo abiret poſt eum mundus, ſtatuerunt eum tollere de mundo. Et aliàs quidem *opprimebant os ejus*, aliàs repleti zelo, *præcipitare* eũ volebant, de montis ſupercilio, aliàs *Lapidare* tentaverunt, aliàs *Civitate ſua exCluſerunt*, aliàs decreverunt omnes *eum fieri extra Synagogam, qui confiteretur eum eſſe Chriſtum*: tandem *negaverunt ante faciem Pilati, petentes ſibi virum homicidam dimitti, authorem autem vitæ interfeci.* Et fecerunt demum in eo, *quæcunq; voluerunt*, id unum totis conatibus nequitiæ laborantes efficere, ut eraderetur nomen ejus de terra, & non memoraretur nomen illius in æternum, ſed ſepeliretur inter mortuos ſempiternos. Ita Christi & vita, & Paſſio, & mors, tota contradictio fuit, tota impeditio, tota laborum, doctrinæ, exemplorum, meritorum, ſanguinis, dolorum, & mortis fuit evacuatio. Quæ utinam etiam nunc non ſit illi ſimilis. Sed & nunc non minùs, quàm olim Christo, ejusque legibus, & moribus, & morti contradicitur.

Ioan: 12. 19

Luc: 11. 53.

Luc: 4. 29

Ioan: 10. 31.

Luc: 4. 29.

Ioan: 9. 22

Act: 3. 13.

Hos comites etiã ſibi aſſumère debent ſemper, & ubique, veri Christi diſcipuli, atque ſectatores. *Non enim eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſervus major Domino ſuo.* Hos comites habere coguntur vel nolentes omnes illi, qui piè vivere volunt in Christo, qui aliquid laborare pro gloria Christi, qui aliquatenus ſupra vulgum, altiùs vitæ perfectionem ſanctitatemque attollere volunt, qui alienæ ſalutis bonum aliquod vel exiguum procurare, promovereque cogitant, illico enim talis quilibet, ſeminiverbius, turbator fratrum, ſeductor, novorum dæmoniorum annuntiator, illuſus, inſanus, in furorem verſus, ſupplicio & cruce dignus, audiet. Hos comites, qui habere abnuit apud ſe, is renuntiavit Christo, is non eſt dignus Christo, nunquam induet vel modicam ſimilitudinem Christi, nunquam vel modicum aliquid faciet, dignum ſuâ, vel proximi ſalute, ac perfectione, gloriâque Christi, ſed erit ſemper arundo vento agitata, lepuſculus, plebs invalida, inimicus Crucis Christi, & propemodum, immo revera, antichristus; dicente Domino ipſo, de tali quolibet. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Proinde hoc ſignum ſit, omnibus meditatoribus Paſſionis Christi, omnibusque profitentibus amorem & imitationem Christi, eatenus ſe utiliter & genuinè meditari Paſſionem Christi, ſi hunc ſpiritum medullitùs, re-

Matt: 10. 24

Matt: 12. 30

que ipsâ, ex ejus consideratione hause-rint, ut totum hunc Christi comitatum si-bi faciant gratum, reddant familiarem, habeant perpetuum; *qui hunc spiritũ Chri-sti non habet, hic non est ejus.*

Rom: 8. 9.

MODVS XX.

VIgesimus Passionem Dominicam me-ditandi modus est; Expendere in ea 1. Opus. 2. Modum. 3. Causam. Expendit hoc suo more Bernardus, cujus verba proinde appono.

Fer: 4. Hebdom: Pœnosæ. seu sancta, post initium.

[In Domini igitur Passione Fratres, tria specialiter convenit intueri: Opus, Modum, & Causam. Nam in opere qui-dem, Patientia; in Modo, Humilitas; in Causa, Charitas commendatur. *Patientia* autem singularis, quòd videlicet cùm su-pra dorsum ejus fabricarent peccatores, cùm sic extenderetur in ligno, ut dinu-merarentur omnia ossa ejus, cùm fortissi-mum illud propugnaculum, quod custo-dit Israël, undique foraretur, cùm fode-rentur manus & pedes, sicut Agnus ad oc-cisionem ductus sit, & tanquam ovis co-ram tondente non aperuit os suum: non adversùs Patrem murmurans, à quo mis-sus fuerat: non adversus humanum ge-nus, pro quo, quæ non rapuit exsolve-bat: non denique contra populum ipsũ peculiarem sibi, a quo pro tantis benefi-ciis, tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter su-stinent: hoc ipsum tamen eis ad Patien-tiam reputatur. Flagellantur alii non tam purgandi, quàm probandi, coronan-dique, & major in eis Patientia compro-batur, & commendatur. Quomodo non maxima censetur in Christo, qui in funi-culo hæreditatis suæ, ab his quibus spe-cialiter advenerat Salvator, crudelissi-mâ morte mulctabatur, sicut fur: nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescet, ha-bens: Ita ergo in opere habes Patien-tiam.

Nam *Modum* ipsum si diligenter atten-das. Non modo mitem, sed & humilem corde cognoscis. Nempe in Humilitate, Iudicium ejus sublatum est, cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima, quæ sibi objiciebantur crimina responderet. Vidimus (inquit) eum, & non erat ei aspectus. Nec speciosum formâ præ fi-liis hominum, sed opprobrium hominũ, & tanquam leprosum, novissimum viro-rum, planè virum dolorum, à Deo per-cussum & humilitatum, ita, ut nulla esset ei species, neque decor. O novissimum & Altissimum! ô humilem & sublimem! ô opprobrium hominum, & gloriam An-gelorum. Nemo illo sublimior, nemo humilior; denique sputis illitus est, op-probriis saturatus est, morte turpissimâ condemnatus est, cum sceleratis reputa-tus est. Nihilne merebitur vel ista Hu-militas, quæ hunc habet modum, immo quæ tam est ultra modum? Sicut est Pa-tientia singularis, sic & Humilitas admi-rabilis, utraque sine exemplo.

Utramque tamen, magnificè *Causa* ipsa commendat. Nimirũ Charitas est. Pro-pter nimiam siquidem charitatem suam, quâ dilexit nos Deus, ut servum redime-ret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Verè nimiam, quia & mensu-ram excedit, modum superat, planè su-pereminens universis. *Majorem* (inquit) *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam po-nat quis pro amicis suis.* Tu majorem habui-sti Domine, ponens eam etiam pro inimi-cis. *Cum enim adhuc inimici essemus,* per mor-tem tuam, Tibi reconciliati sumus & Pa-tri. Quænam alia videbitur esse, vel fu-isse, vel fore huic similis charitati? vix pro justo quis moritur, tu pro impiis Passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti gratis justificare peccatores, servos faciens fratres, captivos cohære-des, exules Reges. Nec sanè aliud ali-quid Patientiam hanc & Humilitatem æ-què illustrat, quàm quod tradidit in mor-tem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus. rogans, ut non perirent. Hactenus Bernardus.

Ioan: 15.

ad Rom: 5.

Hæc etiam tria Capita, aliter expen-denda proponit magnus Contemplator, Henricus Harphius; cujus verba sunt, quæ sequuntur. [Bernardus ponit tres gradus exercendi se circa Passionem Do-mini, qui ab eo vocantur Opus, Modus, Causa.

Lib: 2. Theol. myst: Tr: de mortif: P. 1 cap: 16.

Primus gradus, *Opus* est. Ut recogite-mus Opus Passionis, ad habendam com-passionem, utque participes efficiamur Passionis ejus, & gloriæ, istud spectat, ad homines activos & incipientes.

Secundus gradus, *Modus* est, recogitare Passionis suæ modũ: scilicet quâ abyssa-li humilitate patientiâ, mansuetudine, & desiderio sit Passus, ita, ut in ejus passio-ne inveniamus perfectionem omniũ vir-tutum, quas ad imitandum in ipsa consi-derare debemus, & istud respicit præci-puè proficientes.

Tertius gradus, *Causa* est, recogitare cau-

sam

sam propter quam Christus passus est, nẽpe immensam Charitatem, quam per hoc nobis voluit demonstrare. Et hanc meditari debemus, ut vicissim charitati charitate respondeamus, eaque vehementer inflammemur. Et hoc præcipuè pertinet ad perfectos. Licet hunc Amorem oporteat in omnibus, & his, & aliis quibusque exercitationibus exerceri, ab omnibus, qui in bona vita, & in via Dei proficere volunt.] Hucusque Harphius.

MODVS XXI.

Vigesimus primus Passionem Dominicam meditandi Modus est: Colligere & conferre bona Christi, cum malis ejus: bona nimirum quæ fecit nobis, cum malis, quæ pro eis pertulit à nobis. Quem meditandi Passionem Christi modum, ab ipsomet Domino traditum discimus, quem apud Prophetam sic conquerentem scimus. *Retribuebant mihi* (inquit) *mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Revocanda ergo sunt bona Christi, quæ ab eo accepimus, & vicissim mala nostra, quæ illi intulimus, & ex hac collatione, tum nostri servatoris Patientiam, Mansuetudinem, Bonitatemque, tum nostram in eũ malitiam, ingratitudinem, injustitiamq; agnoscamus, ac defleamus, mala pro bonis & ipsi referentes ab aliis, æquanimiter tolerare discamus. Exhibeo totum hunc meditandi modum verbis Sancti Gregorii [Admonendi sunt ægri, quatenus Patientiæ virtutem servent, ut incessanter quanta Redemptor noster ab his quos creaverat, pertulit mala, considerent, quòd objecta convitiorum probra sustinuit, quòd de manu antiqui hostis, captivorũ animas quotidie rapiens, insultantium alapas suscepit; quod aquâ salutis nos abluens, à perfidorum sputis faciem non abscondit: quòd vocatione suâ nos ab æternis suppliciis liberans, tacitus flagella toleravit; quòd inter Angelorum choros perennes nobis honores tribuens, colaphos pertulit; quòd à peccatorum nos punctionibus salvans, spinis caput supponere nõ recusavit: quòd æternâ nos dulcedine deebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit: quod pro nobis Patrem (quamvis Divinitate esset æqualis) adoravit, sub irrisione adoratus tacuit: quod vitam mortuis præparans, ad mortem (ipse vita) pervenit. Cur itaque asperum creditur, ut à Deo homo flagella toleret pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sanâ intelligentiâ, de percussione suâ ingratus existet, si ipse hinc sine flagello non exiit, qui hic sine peccato vixit?] Hæc Gregorius, & bonis Christi in nos, mala nostra in Christum conferens, & simul quid ex hac collatione utilitatis decerpendum sit ostendens. Non est verò difficilè, majorem bonorum meritorumque in nos Christi Domini catalogum contexere, iisque omnibus, mala in Christum nostra opposita, reperire. Quandoquidem & nos nihil boni, nisi à Christo, & ex Christo habemus impensum; & Christus nihil malum aut pænosum, nisi ex nobis, & à nobis, persensit illatum.

Ps. 34. 12.

Greg: 3. P. Past: cap: 3 in fine.

MODVS XXII.

Vigesimus secundus Passionem Domini meditandi, modus est: Mala & peccata nostra in Deum commissa colligere, & quæ pro his Christus in suo corpore supplicia pertulit devote dolenterque considerando, deplorare. Dubitari enim non debet, quod Christus scelera nostra, ita in suo corpore portavit, ut ea dolendo expiaret, & expiando tolleret: itaque debitores sumus Christo, & Passionis ejus, & expiationis nostræ, & quia ipse pro peccatis nostris, tam dira & tam indigna pertulit, & quia doloribus vulneribusque suis, nos à peccatis nostris abluit, abluendosque salvavit. Dupliciter autem potest consideratio ista fieri.

Primo quidem ita, ut is, qui meditatur, sua tantùm propria peccata contraponat Passionibus Christi, expendatque quibus suis peccatis, quas causaverit Christi Passiones; & contra, quibus suis Christus passionibus, quæ ipsius peccata expiaverit.

Secundò autem ita, ut peccata in genere, ab hominibus quibuscunque commissa, Passioni Christi componat, &c. Uterque modus, est valde utilis; proinde utrumque exponere statui: hoc tamen loco tantùm priorem explicabo, sequenti modo, alterum reservans, tum propter longitudinem vitandam, tum propter aliquam, quæ inter hunc, & illum invenitur diversitatem. Porrò & ipse iste modus nunc tractandus, adhuc variè fieri potest. Potest enim quis aut tantùm simpliciter propria sua peccata considerare, iisque Passiones Christi, tanquam expiatrices, & sanatrices opponere, ad-

junctâ affectuum congruorum varietate, aut easdem proprias iniquitates, coram Christo confitendo, pro eis dolendo, earum remedia ex Christi doloribus meritisque, sigillatim poscere: aut etiã Christum ipsum has easdem iniquitates enumerantem objicientemque simul verò remedia, ex suis cruciatibus, iis assignantem, cum devotione, cum gemitu, cum gratiarum actione, cum emendationis proposito, audire: Exemplar ejus rei affero lectori, ex revelationibus Piissimæ matronæ, Beatæ scilicet Angelæ de Fulgino, quæ in quodam loco sic refert.

In ejus vita cap. 35.

Considerabat & intelligebat Anima mea, quòd medicina esset sanguis Christi Domini: qui quidẽ dat sine pretio hanc medicinam: nec constat pluris peccatori infirmo, quàm quod disponit se. Medicus autem Christus, dat illi salutem, & sanat infirmitatem. Animæ autem meæ ostendebantur omnia peccata, & videbat quòd omnia membra haberent infirmitatem spiritualem. Et ideo conabatur ostendere omnia peccata, quæ cum diversis membris corporis, cumque potentiis ac viribus suis fecerat, dicebatque. O Domine Magister, medice æterne salutis, Deus meus: quique solâ flebili ostensione infirmitatum mearum, ac morborum, me curare ac sanare disposuisti; Domine cùm sim infirmissima, nec est aliquid in me non corruptum, non infectũ, ostendo Tibi (heu miseranda!) omnes infirmitates meas, omnia peccata mea, omnium membrorum meorum. Domine misericors, Medice, respice caput meum, quomodo illud signis superbiæ frequenter ornavi, capillos torquendo deformavi, & alia multa peccata feci. Respice Domine oculos miserabiles impudicitiis plenos, invidiâ infectos, &c. Sic studebam assignare & ostendere Christo omnia alia peccata mea, omnium mẽbrorum meorum.

Auditis his omnibus cum magna patientia Christus, lætanter & cum jucunditate respondebat, & ostendebat, quomodo per ordinem ista omnia sanabat, & multùm animæ meæ compatiendo dicebat. Ne timeas, neque desperes filia, quoniam si mille morbis & mortibus infecta esses, ac mortua, medicina, quam tibi ministrabo, sanari poteris, si tamen animæ tuæ & corpori ipsam applicare per devotionem volueris. Infirmitatibus enim Capitis quas dixisti, & multipliciter ostendisti, propter quas Deo displices, atque doles in te, quas incurristi pectitando, lavando, unguendo, colorando, ornando, crines torquendo, te efferendo, superbiendo, vanam gloriam quærendo, propter quæ in profundissimum inferni lacum dejici, ibique humiliari, & perpetuò tanquam vilissima reputari debebas, ego satisfeci & pœnitentiam egi, atque gravissimam pænam toleravi. Caput enim meum fuit tractum, depilatum, spinis acutissimis punctum, arundine percussum, totum sanguine cruentatum, omni ludibrio & contemptui viliter subjectum, & vili coronâ coronatum. Infirmitatibus autem faciei, quas incurristi, similiter lavando, unguendo, hominibus miseris ostendendo, eorum gratiam quærendo; ego medicinam confeci, & ordinavi, hoc est, pro peccatis hujusmodi satisfeci. Nam sputis fordidissimis vilissimorum hominum, tota facies mea fuit inquinata, & deturpata, alapis gravissimis fuit funestata, panno vilissimo sordido fuit velata. Pro oculis etiam tuis, quibus respexisti vana, nociva, fuistique in ipso aspectu multipliciter delectata contra Deum; Ego satisfeci. Oculis enim meis amarissimas fudi lachrymas, illos velatos habui, sanguine denique à capite manante balneatos. Pro auribus tuis, quibus Deum offendisti, audiendo vana & nociva, fuistique in talibus delectata: ego maximam pœnitentiam feci: nam auribus meis audivi multa, quæ multam & maximam tristitiam afferebant, scilicet falsas accusationes, detractiones, insultationes, maledictiones, dirisiones, subsannationes, blasphemias, iniquam contra me sententiam, fletum Piissimæ Matris meæ, mihi dolorosissimè condolentis. Pro peccatis oris tui, & gulæ tuæ, quâ delectata es in commessatione, ebrietate, ciborum suavitate, ego habui os, fame, jejuniis, sitique tabefactum, aceto, myrrhâ, felle amaricatum. Pro peccatis linguæ tuæ, quam ad detractiones, calumnias, irrisiones, maledictiones, blasphemias, perjuria, mendacia, & alia peccata laxasti; ego habui os meum, & linguam coram Iudicibus & falsis testibus clausum, nec habui in ore meo excusationem, sed pro malefactoribus meis Deum toto corde rogavi, & semper veritatem prædicavi. Pro peccatis Odoratûs tui, quo in floribus, & odoribus delectata es; ego fœtores abominabiles sputorum sensi, & super faciem, oculos, naresque meas toleravi. Pro peccatis quæ fecisti cum collo tuo, illud irâ, superbiâ, & lascivià, agitando, & con-

& contra Deum extendendo; Ego habui collum meum, multiplicibus colaphis, & alapis verberatum. Pro peccatis scapularum & humerorum tuorum, quibus offendisti Deũ, diversa contra Deum portando; Ego pœnitentiam feci. Crucem in qua suspensus tui, bajulando. Pro peccatis manuum tuarum, & brachiorum, quibus multos amplexus malos, & tactus, & mala opera fecisti. Ego habui manus, crassis clavis transfixas, & in ligno affixas, & pressas, totum meum corpus in patibulo sustinendo. Pro peccatis cordis tui, quo pecaasti irâ, iracundiâ, invidiâ, tristitiâ, malo amore, malis concupiscentiis, & cupiditatibus; Ego habui cor & latus meum lanceâ acutâ transfixum, ex quo medicina validissima ad curandas omnes cordis passiones atque peccata sufficienter manavit. Aqua enim ad refrigerandum malas concupiscentias, & amores, sanguis ad remittendas iracundias, tristitias, rancores. Pro peccatis pedum tuorum, quibus peccasti, choreando vanè & lascivè, ambulando & evagando; Ego habui pedes tortuosè non ligatos, sed transfixos, clavatosque in ligno Crucis, & pro talaribus rostratis & fenestratis, ego habui pedes sanguinolentos sanguine pedum ipsorum, totiusque corporis in eos defluente. Pro peccatis totius Corporis, quo peccasti, illud deliciis, somno, quieti dando, & diversimodè delectando; Ego fui in Cruce affixus, terribiliter verberatus, in modum pellis tractus, & extensus, in Cruce, sudore sanguineo, totus usque ad terram madidus, & durissimo ligno strictissimè applicatus, tandemque atrocissimo tormento ibidem laborans, clamans, suspirans, flens, plorans, ejulans, mortuus sum, & à crudelissimis interfectus. Pro peccatis tuorũ ornamentorum, vestium superfluarum, vanarum, curiosarum; Ego in Cruce nudatus sum, vilissimis hominibus vestes meas, sibi diripientibus, ludentibusque in oculis meis. Ego nudus sicut de virgine natus sum, frigori, vento, àëri, omnium hominum aspectui in alto, ut melius viderer, & magis irriderer, & verecundiam paterer expositus sum & expansus. Pro peccatis tuarum divitiarum, quæ fecisti, malè acquirendo, ipsas expendendo, & retinendo; Ego pauper fui non habens palatium, neque domum, neque tugurium, ubi nascerer, ubi vivens manerem; neque moriens sepulchrum habuissem, sed canibus & avibus fuissem dimissus, nisi quidam pietatis intuitu, & meæ miseriæ compatiens, me in suum sepulchrum recepisset. Meum sanguinem, meam vitam, hominibus peccatoribus sum largitus, & adeò nihil mihi retinui, sed in vita & morte semper pauper esse volui & permansi. Quid plura? nullum peccatum, nullum Animæ morbum assignare poteris, cui ego remedium non attulerim, pro omnibus satisfecerim sufficienter, & pro infinitis tormentis, ac doloribus, quos misera Anima tolerare in inferno debebat, pro supradictis peccatis, ego totaliter dolui, tormentatus sum, & cruciatus. Quod si in negligentia tua non remaneat, ampliùs dolere te non oportebit; dum tamen mecum hic condoleas, mihique compatiaris, & pœnarum mearum, ignominiarum, paupertatis, despectuum, socia, dum hic vivis, existas.] Hæc Beata Angela: seu potiùs, ad illam, & ad omnes nos, Christus.

MODVS XXIII.

Vigesimus tertius Modus Dominicam Passionem meditandi est: Assumptis peccatorum nostrorum singulis speciebus sigillatim, earum gravitatem, malitiam, periculum, pœnam ex Passionibus Christi, doloribusque, quibus eæ specialiùs expiatæ videri possunt, ponderare ac metiri, indeque ad scelerum quidem odium, & fugam, ad Christi autem, & dolorum ejus æstimationem, amorem, & gratitudinem, obedientiamque sese constanter provocare. Ad hunc meditandæ Passionis modum faciunt ista Divi Bernardi verba, quæ adduco. [Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccatum mundi. Ego autem dico peccatum triplex, quod invaluit super terram. Putatis quòd dicere velim concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ? funiculus triplex est, & difficile rumpitur, propterea multi trahunt, immo trahuntur hoc funiculo vanitatis, sed ille Passionis ternarius (Charitas scilicet tam inæstimabilis, Humilitas tam admirabilis, Patientia tam insuperabilis) non immeritò prævalet in Electis. Quomodo enim non illius Patientiæ recordatio, omnem arceat voluptatem? quomodo non illius Humilitatis consideratio, superbiam vitæ prorsus extundat, cùm Charitas illa planè digna ejus meditatione, sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam, ut

Fer. 4. Hebdomad. Pœnosæ. seu de Passione Domin. num. 6

omni-

omninò vitium curiositatis exsufflet? Fortis igitur contra hæc Passio Salvatoris. Sed aliud ego triplex æquè peccatum, quemadmodum virtus Crucis expugnat, dicere cogitavi: & id fortà utilius audiatur. Primum quidem *Originale*, secundum, *Personale*, tertium, *Singulare*. Et Originale quidem, maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. A primo homine usque ad novissimum protenditur, & in singulis quoque à planta pedis, usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus, in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, quâ suâ quemque concipit, usque ad eam, quâ communis eum recipit mater, ut nobis illud Sancti Job ex omni parte possit aptari. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Nimirum ipse quoque natus ex virgine, immo factus ex muliere, sed benedicta in mulieribus, etiam brevi vivens tempore super terram, nihilominus multis est repletus miseriis, in illa brevitate appetitus insidiis, interrogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, conviciis lacessitus. Tunc hanc sufficere dubites obedientiam, quâ reatum omnem primæ prævaricationis absolvat? immò verò non sicut delictum, ita & donum? Nam peccatum ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Et graue quidem omninò delictum illud originale, quod non solùm personam infecit, sed etiam naturam. Personale tamen cuique gravius est, cùm jam laxatis habenis exhibemus undique membra nostra arma iniquitatis, peccato, non modò jam alieno, sed & proprio crimine compediti. Singulare verò, est gravissimum, quod commissum est in Dominum Majestatis, cùm viri impii, virum justum injustè occiderunt. Et sacrilegas manus in ipsum Dei Filium injecerunt, crudelissimi homicidæ: (immo si fas est dicere) etiam Deicidæ. Quid duo præcedentia, ad tertium? Ad hoc expalluit, & expavit tota machina mundialis, &c. Sic omne peccatum, quantum ad hoc peccatum, est quasi non peccatum. Et tamen hoc peccatum in se pertulit, qui se ipsum fecit peccatum, ut de peccato damnaret peccatum; per hoc enim omne peccatum, tam originale, quàm personale deletum est, & ipsum quoque singulare, eliminatum est per seipsum. Argumentum mihi est, à maximo, quòd duo minora sunt explosa.]

Hactenus Bernardus, cujus verba alicubi intercisa sunt br evitatis causa, & videri apud eum poss unt, reliqua quæ sequuntur.

Hunc in modum acce ptis septem mortalibus peccatis, possun t in septem partes Passionis Christi opponi.

I. *Superbiæ*, & inani gloriæ, ambitionique honorum. Humilitas Christi, in Horto Patrem orantis, examen de doctrina & discipulis, Nocturnæ injuriæ, & blasphemiæ: illusoria corona, purpura, arundo, postpositio ad Barabbam, medium inter latrones, Crux, & titulus Crucis.

II. *Avaritiæ*, & Cupiditati bonorum terrenorum, Paupertas usque ad nuditatem toties repetitam, direptio vestium, sindon, aromata, sepulchrum, omnia aliena, & ex misericordia tantùm impensa.

III. *Luxuriæ*, Deliciis, inverecundiæ, Nocturnæ apud Caipham pœnæ, flagellatio immanis, nudatio, ex ea confusio Christi, tam in flagellatione, quàm in aliis occasionibus, ac potissimùm pendendo in alta Cruce, totius Corporis lacerationes ac vulnera.

IV. *Gulæ*, Fames & sitis Christi, acètum, fel, vinum myrrhatum felle mistum.

V. *Iræ*, Iracundiæ, impatientiæ, Mansuetudo Christi, & occursus spontaneus hostibus. Hæc est hora vestra. Injuriæ atque blasphemiæ infinitæ, vincula, verbera, contemptus, dolores, falsa testimonia, iniquissimæ & malitiosæ condemnationes. Obfirmatum in omnibus silentium, nullum querulosum, aut pungens, aut confundens verbum. Oratio pro inimicis, eorumque excusatio apud Deum. Mors æquè iniquissima, ac crudelissima, probrosissimaque.

VI. *Invidiæ*, Tota Passio & mors, pro eorundem ipsorum salute obita, à quorum scelere manibusq; obita. Dolor de peccatis, perditioneque eorum qui in se peccabant. Oratio pro eisdem. Tota item Passio, ex invidia tum diaboli, tum Iudæorum, Christo conflata: quæ nec Pilatum latuit, sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum, in manus suas. Insultationes, quas jam pendens in Cruce sustinuit, à gaudentibus de suis malis, inimicis omnibus suis. Mors denique & sepultura, quibus quantùm ad mentem hostium, nomen ejus abolitum erat funditus de terra.

VII. *Acediæ*, Pavor, mœror, tædium, agonia, sudor sanguineus, oratio prolixior, somnus discipulorum, Simon dor-

mis?

mis? sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? fuga discipulorum, frigus, & de longinquo sequela Petri, ejusdem trina negatio: fervor furiosus, furorque fervidissimus, & constantissima malitia Iudæorum, in suæ mortis siti & cura. Stabant constanter accusantes eum: at illi magis clamabant, Invalescebant voces eorum, magis tumultus fiebat: demum universa multitudo exclamavit. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Fervor Charitatis Christi, constantia, diligentiaque in omnibus explendis consummandisque scripturis usque ad Consummatum est: immo usque ad plurium malorum tolerandorum pro nostra salute, gloriaque & obedientia Patris sitim; denique usque ad ultimam spiritûs traditionem in manus Patris Æterni.

Hunc in modum, etiam peccatis quinque sensuum Corporis, peccatis Potentiarum Animæ, peccatis in virtutes Theologicas, & Cardinales, peccatis in decem præcepta, peccatis in opera misericordiæ, in octo beatitudines, conferri possunt aliæ aliæque portiones Passionis Dominicæ, quibus & ipsæ causæ, & illa expiata sunt, per sapientissimam, misericordissimam, efficacissimamque Christi Domini charitatem, Passionisque Dignitatem. Ex quorum omnium consideratione: odium peccatorum, æstimatio & amor Passionis, Patientisque Christi, Gratitudo, Imitatio, aliorumque affectuum, nec non virtutum exercitatio discenda, proponenda, & exercenda, & omnibus peccatis nostris medicina desumenda erit. Ad quod etiam propositum, servit efficacissima illa Divi Augustini Meditatio. [Ostenditur (inquit) nobis ad quam fragilitatẽ homo suâ culpâ pervenerit, & ex qua fragilitate divino auxilio liberetur. Itaque, Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum, tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Fili Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si Patientiâ Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si Charitate Filii Dei non sanatur? Postremò quæ timiditas sanari potest, si resurrectione Corporis Christi non sanatur? Erigat spem suam Humanum genus, & recognoscat naturam suam, & videat quantum locum habeat in operibus Dei. Nolite vosmet ipsos contemnere, nolite tamen amare carnalia, nolite amare temporalia, quæ si bene amarentur, amaret ea homo, quẽ suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias, cruces, & mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit Filius Dei.] Ad hunc ipsum modum faciunt verba Divi Gregorii Nazianzeni, omnibus malis nostris impedimentisque salutis, medicinam in vita & Passione Christi assignantis, hoc modo.

[Aug]ust: tom. [d]e Agone [C]hristiano cap: 11.

Huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa mixtio, Deus inquam & Homo. Unum ex utroque, & utrumque per unum. Ob hanc causam Deus animæ interventu carni junctus est, ac res inter se disjunctæ, ac dissidentes, per interpositæ rei, cum utraque earum, affinitatem & cognationem, copulatæ sunt. Atque omnia propter omnia, & pro uno illo, generis nostri principe, in unum coierunt. Anima nimirum propter eam, quæ præcepto Divino, minimè paruit. Caro propter eam, quæ animæ cupiditati obsecuta est, simulq; condemnata; Christus denique propter Adam, hoc est, propter eum, qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac præstantior erat. Ob hanc etiam causam, veteri novum substitutum est, & per Passionem, is qui Passus fuerat, in pristinum statum, revocatus: ac pro unaquaque nostrarum, unaquæque res, ejus qui nobis sublimior est, repensa. novumque mysterium factũ est, illa quæ circa eum, qui ob inobedientiam cecidit, per benignitatem contigit dispensatio. Idcirco generatio & virgo, idcirco præsepium & Bethleem; generatio effictionem, virgo propter mulierem, præsepium propter Paradisum, Bethleem propter Eden, res parvæ & conspicuæ, propter magnas & ab oculis remotas.

Orat: 1. Apologetica.

Idcirco Angeli, cælestis primùm, ac deinde terreni gloriam prædicantes: & Pastores ob Agni, & Pastoris ortum, gloriam canentes, & stella præiens, & Magi sese prosternentes, ac munera offerentes, ut scilicet idolorum cultus everteretur. Idcirco Iesus baptismi aquâ tingitur; & superno testimonio coronatur, & jejunat, & tentatur, & eum, qui vicerat, devincit. Idcirco dæmones ejiciuntur, & morbi depelluntur, & magnæ prædicationis munus parvis hominibus committitur, & cum laude administratur. Idcirco gentes frementes & populi inania meditantes.

Idcirco lignum adversus lignum, & manus

" manus adversùs manum: illæ inquam " fortiter extensæ, adversùs incontinenter " extensam, illæ clavis confixæ, atque cō" strictæ, adversùs remissam & solutam, " illæ orbis fines conjungentes, adversùs " eam, quæ Adamum è Paradiso exturba" vit.

" Idcirco sublimitas, adversùs lapsum; " & fel, adversùs gustum; & spinea co" rona, adversùs pravum imperium; & " mors, adversùs mortem; & tenebræ, " propter lumen; & sepultura, adversùs " illam in terram reversionem; & resurre" ctio, propter resurrectionem.

" Hæc omnia Divinæ cujusdam erga nos " disciplinæ loco erant, infirmitatisque " nostræ velut medicina quædam, vete" rem Adamum, eò, unde exciderat redu" cens, & ad illud lignum vitæ adducens, " à quo scientiæ lignum intempestivè & " incommodè perceptum nos removerat.] Hæc Nazianzenus.

MODVS XXIV.

Vigesimus quartus Modus Passionem Dominicam meditandi, est tripartitus, sive tria materiarum genera complectens, considerandaque assumens.

Materia I. sunt Christi Domini Passiones atque Injuriæ, assumptæ eo ordine, quo ab Evangelistis, Christo describuntur irrogatæ.

Materia II. sunt vitia & peccata hominum, quæ specialiùs & directiùs videantur fuisse causa, malemeritoria prædictarum Christi Passionum injuriarumque: & quæ sint iisdem Passionibus â Christo expiata.

Materia III. sunt virtutes in iisdem Passionibus, ac injuriis Christi, seu potiùs in ipso Christo eas Patiente, singulariùs elucescentes, nobisque ad exemplū, & doctrinam propositæ.

Harum Materiarum I. sic erit consideranda, ut præter alios affectus effectusque, eliciatur amor, admiratio, gratiarum actio, erga Christum, qui nostras iniquitates, tantis suis ærumnis redimere ad rigorem Iustitiæ, sit dignatus.

II. Materia sic erit consideranda, ut ejus enormitas, malitia, pœna, detestatio, odium, propositumque vitandi, & expiandi, validum concipiatur.

III. Materia sic erit consideranda, ut ejus heroica & absoluta Perfectio in Christo Domino elucescens agnoscatur, ametur, desideretur, ad imitandum instanter & sine dilatione proponatur. Exemplis res, aliquantùm declaranda est.

A I. Christus cœpit pavere, tœdere, contristari, & mœstus esse, fuitque Anima ejus tristis usque ad mortem. Hæc Christus subiit propter nostras Passionū immortificationes, concupiscentiarum rebelliones nobis familiares, & infinitorum peccatorum matrices. Timemus nō timenda, non timemus timenda, &c. In his pœnis elucet Christi dominium, in suas propassiones, & affectus: quibus sēper usus est, dictamine prævio rationis; ex rationibus æternis, ex voluntate Patris Cælestis, atque ita hic habemus propositum ad imitandum exemplar mortificationis Passionum, & dominii affectuum nostrorum.

B II. Oravit Christus inter summas afflictiones, tam præsentes, quàm mox imminentes, & oravit constanter, instanter, repetitò, flexis genibus, immo facie in terram: oravit modo perfectissimo, cum omnimoda resignatione.

Hoc Christus egit, & subiit pro nostra ad orandum Deum tarditate, & raritate, pro nostra in orando tepiditate, oscitantia, inconstantia, diffidentia, pro nostra in creaturis potiùs fiducia, quam C in Dei auxilio, pro nostris etiam ad dæmonum auxilium recursibus, potiùs quàm ad Deum, pro nostris irresignationibus inter orandum, pro nostra in adversis impatientia, murmuratione in Deum.

Elucet in his heroicus modus, usus, conatus, fructus orandi, ad Deumque confugiendi; hunc discamus, & imitemur.

III. Christus factus in agonia sudat sanguinem. Hoc Christus subiit, pro nostra laborum, difficultatumque, & incōmoditatum fuga, pro pusillanimitate, & mollitie, pro tepiditate in agendo & paD tiendo: pro exiguitate pœnitentiarum, & satisfactionum pro peccatis, pro nostris conatibus, & fatigationibus in via propriæ voluntatis, & carnis, & diaboli, & omnis iniquitatis. Elucescit heroicus & admirandus conatus in laborando pro Dei gloria, pro nostra proximorumque salute, pro vincendis tentationibus, & impugnationibus, ut usque ad sanguinem resistamus, usque ad defatigationem, Christo serviamus.

IV. Christus ab Angelo confortatur. Nostram retundens superbiam, contumaciam, arrogantiam, stultitiam, quâ dedignamur vel à sapientioribus majoribusque ipsis instrui, consilium petere, vel

acci-

accipere: malumusque errare quàm discere, pergere in erroribus, delictis, præcipitiisque, quàm videri ab aliquo instructi, vel alicujus indigi fuisse.

Docet nos Christus veram mansuetudinem, & mititatem, humilitatemque cordis, quâ se etiam minoribus, etiam simplicioribus submittit, sensumque suum facilè relinquit. Docet nos amorem, gratitudinem, obedientiam, reverentiam, erga Angelos nostros, quos Deus vel custodiæ nostræ ordinariæ, vel instructioni extraordinariæ, destinare dignatur.

V. Christus licèt ipse afflictissimus, & angustiatissimus, ad suos tamen revisit, excitat eosdem, ad orandum, vigilandum, tentationibus resistendum, adhortatur. Taxat, expiatque Christus nostram, tum de nobis ipsis, tum de nostræ curæ commissis, supinam oscitantiam; Dei causas relinquimus, ad nostra studia quotidie vacamus. Dissimulamus, fratres, filios, proximos nostros, perire. Cadit asina, & est qui sublevet, cadit Anima, & non est qui respiciat. *Consuimus pulvillos*, & cubitis peccantium supponimus. Docet Christus sic Contemplationis & MARIÆ studiis vacare, ut Marthæ negotia non negligantur: sic vacemus nobis, ut non desimus proximis, sed Deum etiam propter Deum aliquando relinquamus. Mansuetissimis etiam verbis & modis IESUS suos excitat: neq; charitativam monitionem asperitate verborum corrumpit. Ostendit etiam, non esse satis, ut Deus pro nobis vigilet, alii-ve, nisi & nos vigilemus, & oremus: & operam nostram, opi Divinæ subjungamus.

Ezech: 13. 18

VI. Christus hostibus obviam procedit. Nos neque in eam partem torquere dignamur oculos, quâ hostem comparere credimus. Timor noster, pusillusque in adversis, ac arduis, quantumlibet longe positis, animus à Christo arguitur. Docet autem Dominus veram nos fortitudinem, in Deumque erectam fiduciam: qui in minimis sese vincit, ad obsistendum etiam magnis difficultatibus, molestiisque animum, immo & corpus firmat.

VII. Christus Iudam proditorem, & proditionem agere sciens, & amici nomine, & osculo, & paternâ dignatur monitione. Quotidie nos proditionis opera exercemus, in Christum, in virtutem, in conscientiam, in nostram professionē, inconstanter, malignè, tepidè, dissimulanter agendo. Discamus invincibilem mansuetudinem, & non vinci à malo, sed in bono malum vincere, discamus etiam de desperatissimis filiis, subditis, proximis, non desperare, sed eos in spiritu lenitatis ferre, sanare, monere, pro eis orare, plus illorum malitiâ, quàm nostrâ injuriâ dolere: immo hanc nescire, ut illi medicinam possimus facere? Multos ægros occidunt medici corporales: sed non tot quot medici spirituales, ignorantiâ, ac præcipuè asperitate curationis. Ama, & dic quod vis.

VIII. Christi discipulus Judas, fit proditor Magistri: & per osculum quidem, atque Magistri salutationem. Habet suam hic effigiem hypocrisis, adulatio, ingratitudo, insinceritas, politicismus, perfidia, obstinatio in malo, & excæcatus cupiditate Animus. Tanti est minimarum rerum cupiditatibus non obstitisse; fur erat Iudas minutarum rerum, infidelisque dispensator commissorum fidei suæ; profecit ergo usque ad proditionem Magistri & Domini sui. O verè! *radix malorum cupiditas?* ô verè *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & desideria nociva.* Advertamus in sanctissima disciplina atque statu, in pessima proficere solere, qui in optima non nituntur. Ubi Joannes optimus fuit, ibi Judas pessimus evasit. Non ergo sanctitate statûs & professionis gloriemur, sed vitæ morumque integritate, statum & professionem exæquemus, alioqui in professione sancta, vita mala, bis, immo ter mala est, quia ferè desperata est.

1. Tim: 6. 10
1. Tim: 6. 9

IX. Ad vocem Christi (ego sum) hostes abeunt & cadunt retrò. Quâ voce allici debuêre, eâ repulsi sunt: quâ voce stabiliri solebant discipuli, eâ prostrati sunt inimici: illud (ego sum:) audivêre discipuli, & manserunt; audière hostes, & abierunt, atque ceciderunt retrò. Hoc est scilicet habere cor durum: hoc est esse gravi corde: hoc est illud: *qui non colligit mecum, dispergit; qui non est mecum, contra me est.* Obstinatio in malo, cæcitatis est mater, consummatio perditionis.

Matt: 12. 30

Docet Christus adversitates in adversarios recidere, & iis maximè solisque graves ac exitiales esse: potest Deus amara nostra repellere, vel solo verbo: si tamen id non facit, non ideo in impatientiam eundum est. Omni peccatori, dicit Deus. *Ego sum.* Sed quidam ad Deum veniunt, & proni cadunt, ut David, peccavi, miserere: quidam à Deo fugiunt, & retro cæcè corruunt: ut Caim, Saul, Iudæi, Iudas.

X. Christus datâ in se potestate, capitur à potestate tenebrarum. Omnis qui peccat, & Christum in potestatem tenebrarum secum unà tradit: procul enim à luce est, qui in peccatis est. Captivat Christum omnis, qui inveterascit in peccatis suis, & ex voluntate necessitatem sibi peccandi inducit. Captivitate quoque suâ, Christus carpit inordinatam nostram libertatem, ejusque amorem.

Docet subjectionem captivitate suâ Dominus. Si enim non dedecuit Christum propter nos capi, nec nos dedecet propter Christum subjici.

XI. Christo relicto discipuli fugiunt omnes. Socii mensæ multi; & inconstantes facilè sunt: socii vinculorum, cõpedum, Crucis, nullus est. Inconstantia, mutabilitas, cognatum humanæ fragilitati malum est: fugere à Christo capto, humiliato, nobis quotidianum est. O quàm miseri sunt profectus, quàm fragiles firmitates nostræ! si vel capiatur tantùm nobis Christus, si tantillum solita nos deserat consolatio, Deivè præsentiæ gustus, continuò relicto Christo, fugimus omnes.

Audeamus aliquando sumptu nostro servire Deo, subtracto etiam consolationis lacte: & condiscamus, tunc maximè adhærere Christo, quando maximè instant, qui nos avellant à Christo. Avellere ab illo nemo potest, nisi volentes avelli, nisi parùm bene adhærentes; infirmè adhærent, qui spe tantùm successûs adhærent: qui suâ virtute nixi: qui proprii cujuspiam solatii, honorisvè intuitu adhærent. Ille firmiter adhæret, qui sibi diffisus, gratiæ autem innixus, non tantùm pati vult cum Christo, sed etiam ideo pati vult, quia adhæret Christo: maximè autem ille, qui pati vult, tanquã non adhæreret Christo.

XII. Petrus gladio defendens Christum.

Hic zelus est non secundùm scientiam: hoc est nescire cujus spiritus sis: hoc est noxiè pro innocentia sua, alienavè zelare: hoc est nescire tempora agendi & patiendi.

Zelus omnis, maximè autem justus mãsuetudine armandus est: hunc gladium si non habet, ferire & perdere potest, sanare & salvare non potest. Pius Samarita, vinum oleo temperat.

XIII. Examen Christi apud Annam de doctrina, de discipulis.

Profunditatem cordis, & occultationem nostri, redarguit Dominus: laboramus hoc malo & multi, & perniciosè; vulnera carnis nisi pateant curam non habent; vulnera mentis nisi manifestentur, ruinam animæ accelerant. Nemo sibi in sua causa sapiens satis est. Christus ipsa sapientia examen subiit, nos qui filii stultorum, & ipsa stultitia sumus, à ratione nostri reddẽda abhorremus. Et quod miserius stultiusque est: cùm alibi noxiè, & sine fructu de malis nostris gloriemur, apud Christi Vicarios perditè erubescimus, & latere gaudemus.

Amare nos docet Iesus claritatem conscientiæ, cordisque perspicuitatem. Nullâ enim ratione certiores sumus de regimine Dei providentiâque circa nos.

XIV. Alapa infligitur, respondenti Iesu, à ministro assistente.

Hæc alapa, adulationis, præcipitationis, inscitiæ, temerarii judicii, procacitatis est. Est & eorum, qui quæcunque ignorant blasphemant; quid enim servulus iste de Christi responso judicaret?

Disceremus ô utinam! ab hac Christi injuriosa alapa, judicium nostrum frenare, cohibere, regere, & dum res non planè liquet, suspensum tenere. Omnibus diebus experimur, & sæpius etiam, nos judicio nostro falli, aliamque longè consilii & facti alieni rationem, quàm nos opinabamur deprehendimus fuisse, neque tamen ab hac experimenti assiduitate, verecundiam judicii nostri discimus, frenumque censuris ponimus. Discamus etiam pati censuras, & judicia aliena; & mansuetudine indignationem frenare. Quid sit difficilius virtuti: ferre judicium ab aliis, an non ferre judicium de aliis? valde ambigi potest.

XV. Falsis testibus Christus oppugnatur.

Impotentia Iræ, ac odii, Invidentia alieni boni, mendacia, calumniæ, convitia, perjuria, justitiæ, ac æquitatis perversio, impotentia affectûs, sicut omnia in Christũ exeruère vires suas: ita per ejusdem Innocentiam & Patientiam amisère vires suas.

Veritati & Innocentiæ inniti tutissimũ est. Iniquitas & Falsitas, ipsa se evertit, maximè quando Patientia, & Modestia, & Oratio ejus fluctibus opponitur.

XVI. Christus adjuratus per Dei nomen, respondet.

Mendacia nostra, perjuria, occultationes nostri, & aliorum iniquas, adjuratione suâ Christus punivit.

Reverentiam & confessionem Divini nominis, etiam cum periculo proprio facien-

ciendam docuit.

XVII. Christus reus mortis.

Hac in Christum censurâ decretoriâ, palpata est nequitia potentis, ab inferioribus & adulatoribus. Temerarium etiam judicium quid posset, probavit; nec non voluntarius error, & placendi studium, metus displicendi, & pro æquitate, sententiam ferendi. Et quid hisce malis inter nos familiarius? maximè quando causa agitatur Christi, estò quidem innoxii, sed tamen odiosi, pauperculi, derelicti, adjutorem & protectorem non habentis: propter veritatem, propter noxas nostras, vitâ, moribus, verbisque reprehensi, in odium Magnatum adducti?

Non curanda hominum quantumvis dura, & firma, communiaque judicia. Innocentiam docet damnatus innocens Iesus; sed neque ut evitari possint, ulli virtuti sperandum esse, exemplo instruit idem Iesus. Quæ enim virtus tam alta sit, ut ad eam vel dens, vel oculus, vel afflatus livoris non pertingat, quando ad Altissimi ipsius virtutem pertigit? Quin immo optandas esse virtuti censuras invidorum, docuit Iesus, qui in his etiam beatitudinem virtutis sitam veritatis ore asseruit. *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines propter nomen meum.* Matt: 5. 11.

XVIII. Petrus Christum negat in medio aulæ & militum.

Pravæ familiaritatis, & aulicæ conversationis hi sunt fructus. Negare Christũ, mentiri, pejerare, de malis in pejora ruere, virtutis professionem erubescere. Neque prosunt gallicinia quidquam, nisi oculi Iesu accedant cor vulnerantes, & foras ejicientes de medio nationis pravæ.

En quàm proficuum recordari verberum Iesu? quàm salubre in oculis esse Iesu? Petri glaciem quam neque ignis, neque prunæ, neque galli cantus solvere poterant, una recordatio, unus oculi ictus, in lachrymas fluere fecit.

XIX. Nocturnæ injuriæ: quando Christus infinita nefanda passus, consputationes faciei, alapas, colaphos, conculcationes, genarum lacerationes, sannas, blasphemias, pugnos, tormenta, omnem denique potestatem tenebrarum.

Prævivere Majores ad scelera: & mox inferioris turbæ fæx, quasi ruptis repagulis, solutisque habenis, per omnia facinora exundavit: væ Principibus nequitiarum, omnia scandala gravia sunt, sed quæ a Majoribus ortum sumunt, ea solent esse maximè prægnantia & fæcunda. Nocturnæ quoque impuritates, tenebrarum filiæ, quantum audere soleant contra Deum, ostenderunt ausis hisce suis in Christum.

Habemus mansuetudinis Christi tot inter nefandas indignitates invictæ specimen: habemus Humilitatis plùs quàm stupendum, in tanta Dignitate argumentum. Quid jam vilissimus homuncio, intoleranda & nimia se perpeti queritur? quid se nimium humiliari dolet? conferat se suaque cum Christo, & reperiet se guttam contulisse Oceano.

XX. Judæi Christum prædamnatum à se, Pilato damnandum offerentes, metuunt contaminari ingressu prætorii.

O stulta malitia! ô hypocrisis maledicta! *excolans culicem, glutiens camelum*: non metuit contaminari sanguine innocentis, metuit ingressu domûs inquinari gentilis. Verè, simulata sanctitas, duplex iniquitas. Matt: 23 24

Tunc valde laudabiliter errata minima vitantur, quando etiam ab enormibus delictis abstinetur: sed audacem esse ad perpetranda gravia, scrupulosum ad minuta, hoc sicut injuriam Dei multiplicat; ita vicissim meritam iram pœnamque exaggerat. A magnis ergo peccatis procul abesse, & minima tanquam maxima horrere, magnus ad summitatem charitatis gradus est.

XXI. Jesus stat ante Præsidem, habitu rei.

Vulgatum hominum malum, majores magistratusque non revereri; hâc suâ ante Præsidem statuitione, Iesus, & expiat, & emundat: ostenditque quis honor debeatur iis, quos in potestate Deus posuit, & quibus authoritatem suam communicavit.

Stans Iesus ante Præsidem, exemplo præit omnibus Martyribus suis: quibus & silentio suo meretur os & sapientiam, cui non possint respondere, omnes eorũ adversarii. Habet etiam quo se soletur innocentia, quando vel iniquè, vel violenter trahitur ad tribunalia. Proprium enim est innocentiæ stare, quantumcunq; fracta, collapsaque & depressa videatur, surgit adversùs pondera.

XXII. Examinatur Iesus à Pilato.

Nox in Sole, nodus in scirpo quæritur: Et Iesus ignaviam illorum arguit, qui scrutari vias suas gravantur: infringit & eorum arrogantiam, qui factorum suorum rationem nemini constare volunt.

Tanti est nosse semetipsum; ut si ad notitiam tui venire nequeas, tuo ipsius

examine, eam justè tibi emas alieno, etiam hostili scrutinio. Ad notitiam namque sui habendam veram: aut magno opus est Amico, aut magno Inimico.

XXIII. Iesus in aula Herodis.

Aulicismos, curiositates, fastus, vanitates, stultitias, otiositates, adulationes, aliasque aularum pestes, ex aulis profligare Iesus cupiens: in aula etiam Herodiana stare voluit. An fortè quo loco, quâve conditione, Virtus, Pietas, Modestia, Innocentia in aulis essent futuræ, suo in exemplo præmonere justum duxit?

Spiritualibus & Pietatem profitentibus viris, limina Magnatum non ambienda, neque frequenter calcanda sunt: nisi vel periclitari, vel contemptui haberi virtutem suam velint. Iesus etsi violenter ductus ad aulam, tamen irrisus est, & pro stulto judicatus, quid si ultrò se ingessisset? Iesu & Baptistâ nemo major exstitit, neuter tamen in aula successum habuit.

XXIV. Veste albâ ridiculâ induitur apud Herodem Iesus.

Irrisio Virtutis & Innocentiæ, illusio bonorum, & opera Pietatis exercentium, propria sunt hujus mundi filiorum opera: adeò omni sanctitati inimica, ut efficaciùs telum nullum habeat diabolus, ad enervandam virtutem, etiam in proprio ejus regno; ferream enim virtutem esse opus est, quæ irrisionibus non expugnetur illusorum.

Qui ex illusionibus & persecutionibus, contemptibusque candidior fieri nõ didicit: hic delicatam teneramque se virtutem haberi ostendit; at qui gloriari in tribulationibus, gaudere in contumeliis potest, hic togatam virtutem possidere, induereque demonstratur.

XXV. Nudatio Christi & Præparatio ad flagella.

Inverecundis sceleribus hæc pœna debebatur. Nuditati nostræ hæc vestis parabatur.

Luctaturus cum diabolo nudus sit necesse est, ne si habeat unde teneatur facilè ad terram dejiciatur. Nuda virtus rara est, nuda paupertas, nuda Charitas, nuda Patientia, nuda Obedientia, ex mille vix una est: omnes ut plurimùm supervestiri amant, fugiunt spoliari. Pro magno habuit diabolus, quia specie tenus saltem potuit objicere Iobo. *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu (Deus) vallasti eum?* (Iob: 1. 9.) Ergo, etiam diabolus vestitam virtutem non æstimat, nudam, gratuitamque requirit, ut metuat.

XXVI. Flagellatio Christi.

Deliciis carnis, indulgentiæque sensuum, & omni voluptatum confectationi, quâ scatebat humana lascivia, hanc ex flagellatione suæ innocentiæ medicinam confecit Iesus.

Quid satis persuadebit hominibus sẽsuum carnisque mortificationem, si flagellatus Iesus, eam nobis dulcem, amabilemque non faciet? si hæc non esset salubris, si mollities carnis non esset perniciosa, utique Christus hanc non castigasset, neque illam sustinuisset. Sustinuit tamen adeo, ut dicat *totâ die se flagellatum*, & *castigationem suam à matutinis* ipsis inchoatam.

XXVII. Spinea corona, purpura, arundo, genuflexio.

Omnia superbiarum genera, hac inventione plusquam crudeli, in sese Christus expiavit, quidquid ambitionum, gloriarum, jactationum, æmulationum, judiciorum propriorum, aliarumque hujus generis pestium, in hominibus est, totum hoc istâ injuriarum Christi immanissimâ novitate castigatum est.

Nunc demum dicit opere ipso omnibus nobis in spectaculum datus Iesus. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* (Matt: 1[illegible]) Quid enim est. Ecce iste Homo Iesus, nisi gymnasium mansuetudinis, & theatrum humilitatis, & schola abnegationis.

XXVIII. Barabbæ Christus collatus, & postpositus.

Nihil agitur ab omnibus sæculis in mundo, nisi collatio Christi & Barabbæ, nisi postpositio Christi ad Barabbam: jã inde à Paradiso ipso Christus Barabbæ est postpositus: neque degeneravimus etiam hodie ab ingenio majorum nostrorum; nihil agimus usitatiùs, quàm Christi infra Barabbam dejectionem. Et faciunt hoc etiam, qui sese Christi appretiatores gloriantur.

Vera Charitas, & seria cum Deo amicitia, Christum, erubescit Barabbæ, non dico postponere, sed etiam componere. Et quis quæso aurum luto componat? Injuriam facit auro, qui illud componit luto: & non facit injuriam Deo, qui illũ postponit cuilibet desiderio suo?

XXIX. Silet Christus usque ad miraculum Pilati.

Excusatio primæva, quâ perditi olim sumus, & quâ quotidie peccata peccatis cumulamus, hanc silentii legem, an pœnam? Christo imposuit: quanquam omnia linguæ nostræ peccatorum genera, hoc ipso supplicio vindicata, credere cõvenit.

Utinam

Utinam amorem silentii, atque cultum, à Christi silentio discamus; ut nobis silere sit in desiderio, loqui in necessitate.

XXX. Persuadetur plebi, ut desideret necem Christi.

Etiam hîc malum Majorum exemplum, innumerabiles infirmos, in scelus impellit: propter hoc *potentes potenter tormenta patientur*. (Sap. 6. 7.)

In omnem partem Præsidum facta prævalent: si mala sunt, omnes malos esse permittunt, immo etiam cogunt, si autem bona sunt, omnibus quoque virtutis canonem, immo necessitatem imponunt.

XXXI. Pilatus timet Cæsarem, nisi damnet Christum.

Timor humanus, & respectus humanorum judiciorum, studium placendi, & gratiam favoremque aliorum acquirendi, vel conservandi, gravissima est, communissimaque hominibus tentatio: cui non succumbere tam difficilè quàm rarum est; unde nullus est Deus, qui frequentiùs ab hominibus adoretur, & à pluribus, etiam aliás veri Dei cultum professis colatur, quam idolum respectuum humanorum, quàm Deus qui vocatur. Quid dicent? In cultum hujusce Dei, Christus cecidit victima.

Quantas subeant jacturas bonorum suorum, æternorum inprimis, mortales miseri propter respectus, & metus, & spes humanas; & hoc Pilati exemplum, & innumera alia satis ostendunt. Poterat enim Pilatus, si voluisset tenere constantiam, ipsius Dei servatoris, servator esse, quod tamen amisit, quia in veritate non stetit, neque justitiam quam bonis exordiis cœperat servavit. Hæc infelicium in bono infirmitas, ad malum autem sectandum assiduitas: stimulo esse justis deberet, ut simili in oppositum ratione connitantur; ut nimirum timores hominum & respectus, susque deque habeant; in bono autem, immoti semper consistant, & Dei gratiæ, gloriæ, voluntatis, injuriæ, prœmiorum, suppliciorumque respectu, spe, metu, studio solidissimo teneantur. Turpe est enim constantiùs ab improbis idolum respectuum humanorũ adorari; quàm à piis verum Deum coli, plusque percelli improbos timore vano ad perniciem, quàm justos timore Divino ad salutem.

XXXII. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.

Furoris, odii, pertinacisque immanitatis, nullibi post natos homines speculum spectaculumque editum majus reor, quàm in hoc populi Iudaici contra Christum effero clamore.

Utinam verò eandem sibi familiarem vocem faciat Charitas piorum, faciat gratitudo redemptorum. Quid enim vel à scelere nos revocet, vel ad virtutem provocet efficaciùs: quàm si perpetuo in memoria retineamus, quia sanguis Iesu est super nos, &c. Hæc vox zelum omnẽ acuet, hæc vox labores omnes dulces reddet: hæc difficultatum omnes asperitates complanabit, hæc vox omnium proximorum salutem animasque nobis pretiosas faciet: quoniam sanguis Iesu super nos & super filios, fratres, proximos nostros.

XXXIII. Condemnatur Iesus ad Crucis mortem.

Quoties consentimus in peccatum, toties damnamus Iesum, & adjudicamus fieri petitionem tentationum, tradimusque illum voluntati dæmonum, ut crucifigatur.

Condemnemus etiam aliquando nosmetipsos, nostrasque cupiditates ad Crucem, & abnegationem, & mortem spiritualem: adjudicantes de nobis, & iniquitatibus, ac voluntatibus nostris fieri petitionem Dei, tradamusque nos totos Voluntati & Gratiæ Divinæ.

XXXIV. Bajulat Crucem Iesus sibi in montem.

Ita conditi sumus: ut crucem bajulemus: sed hoc faciunt alii, fugiendo, odiendo, excutiendo, calcandoque crucem, recalcitrando contra crucem, per impatientiam, immodestiam, superbiam, præsumptam innocentiam, rebellemque proterviam: quod est nihil aliud, quàm cruci addere crucem, & quidem gravi graviorem.

Portant alii Crucem exultando, & triumphando, & gloriando in tribulationibus, exaltando Deum in afflictione, facientes proventum cum tentatione: at horum exiguus est numerus: & soli isti ad montem bajulant Crucem. His tamen vicini sunt, qui estò gementes, attamen modesti, & humiles & absque murmure subjiciunt se Deo, & tollunt Crucem suam quotidie, & animas suas possident in patientia.

XXXV. Vinum felle myrrhâque mistum.

Non debuit gula, seu gulositas, intemperantiaque nostra in cibis & potibus sumendis esse impunita: quæ januam sceleribus ruinæque nostræ aperuit: ergo felle & myrrhâ purgatur in Iesu, cui morituro

rituro vinum fellè myrrhâque mistum porrigitur. Sed & quicunque benefacta corrumpunt malis admistis circumstantiis, morâ scilicet, acediâ, inobedientiâ, impatientiâ, complacentiâ, hi quoque vinum felle myrrhâque infectum Christo propinare noscuntur.

Bonum ex integra causa cùm sit, justè quod justum est persequendum, & bonum optimè peragendum est. Deus enim non usque adeò, quid faciamus, sed quomodo, & quanto cum affectu, quanta cum perfectione charitatis, quanto cum fervore exactionis faciamus, attendit & persolvit.

XXXVI. Vestium detractio, divisio, sortitio.

Detrahunt vestimenta Christo, eaquè partiuntur sibi: *quicunque* gloriam debitam Deo arrogant suæ propriæ vanitati. *quicunque* opera Dei suæ appingunt industriæ. *quicunque* in patrimoniis sanguine Christi respersis & partis lasciviunt, superbiunt, aut de iis prædas rapinasque agunt. *quicunque* Charitatem & unionem communem inter fratres, & pacem habentes jactis improbè discordiis discerpunt. Postremò *quicunque* in pauperes Christi duri & avari sunt.

Non infructuosa sunt vestimenta Iesu: operiunt illa calefaciuntque nuditatem, & geliditatem nostram, quin & ornant nos, & odorem nostri suavissimum coram Patre cælesti spargunt: quin etsi quis vel tetigerit ea, statim sistitur fons sanguinis nostri. O JESU largire nobis hæc vestimenta tua, aut tu Mater, quæ apud te domi habes indumenta fratris nostri, Filii tui, valde bona, indue nobis, & indutos introduc in conspectum cælestis Isaaci, cum escis quibus libenter vescitur. Vestes Christi, merita Christi. Escæ Patri cælesti gratissimæ, Imitatio Iesu Christi: induamus Passiones & mores meritaque Christi, & erimus acceptissimi in conspectu Patris æterni.

XXXVII. Crucifixio IESU.

Ergo hunc messuit Iesus pro omnibus bonis suis laboribusque fructum: tandem enim tandem crucifixus est, ab iis quos beneficiis suis non tantùm cumulaverat, sed etiam quos beneficiis suis esse fecerat. O ingratitudo, tu es continuata crucifixio, tu Crux perpetua Christi; A lignea illa trabe aliquando depositus est Christus mortuus: ab hac ingratitudinis nostræ Cruce; nec gloriosus, nec beatus, esse liber potest. Propter quod etiam nostra in Christum ingratitudo omnem nobis divinæ liberalitatis fontem obstruit.

Ore & corde non desunt qui compatiantur Christo, sed qui cum Christo cruci configi, qui stigmata ejus in corpore, & in spiritu portare desiderent, ac re ipsâ portent, horum exiguus est numerus: perfecta & jugis mortificatio, tam paucos habet sectatores, ut omnes una crux capere possit.

XXXVIII. Christus inter latrones medius.

Malorum conversationi, & cum peccatis alienis communicationi hanc pœnam deberi iudicavit Sapientia Incarnata, ut inter medios latrones ipsa sibi crucem defigi eligeret. Et revera nulla unquam malorum societas sine cruce Christi esse potest: nisi enim Christum crucifigeret, mala non esset.

Si latrones medium habent Iesum: nullius ego desperanda est salus & emendatio. Novit Dominus qui sunt ejus: etiam in patibulis electos habet, etiam ibi eos quærit, & apostatantibus, inque proditores degenerantibus discipulis illos substituit, atque de latronibus martyres facit. O Beatum te latro, qui prædabaris nuper, jam ipse in prædam Christi cessisti.

XXXIX. Iesus crucifixus, blasphematur ab omnibus.

Effera crudelitas & immite cor ad cōdolendum afflictis, insultatio etiam & exultatio in aliorum, estò pauperum, estò inimicorum calamitatibus, detractio & irrisio virtutis alienæ: non aliorum sunt propria quàm crucifixorum Christi: perinde enim sunt acerba coram Deo, ut istæ insultationes Iudæorum & gentilium fuêre Christo.

Ut disceremus non exambire compassiones in nostris acerbitatibus: ut autem compati consuesceremus aliis in suis adversitatibus: hæc improperia pati cum humillimo silentio voluit Dominus & Magister noster Iesus: Sicut enim vulnerat Christum, qui afflictum exacerbat ludibrio proximum, ita medicinam & solatium exhibet Christo, qui compati in malis posito novit proximo.

XL. IESUS pro inimicis orat Patrem:

Hac oratione omnes iras, odia, vindictasque jugulavit Dominus.

Eadem oratione veram charitatem inimicorum, quorum peccata etiam excusare non est gravatus, & super quos mansuetissimæ protectionis suæ nubem contra furorem Dei expandit, nobis ita Dominus

minus indixit, in luculentiore præcepto non potuerit.

XLI. In siti IESUS potatur aceto.

Dum bona malè facimus, tunc Christo acetum in siti propinamus. Malè autem bona fiunt, quando ægrè, tardè, repugnâter, oscitanter, ex usu, perfunctoriè, ad oculum, metu pœnæ fiunt.

Omnia nostra opera acetum sunt, & in Domini mensam inferri digna minimè sunt, si non condiuntur Dei voluntate, meritorum & charitatis Christi, atque fraternæ dulcedine.

XLII. Iesus à Patre derelictus.

Pusillanimitatis nostræ malo, à sua Dominus derelictione medicinam paravit: fecitque ac obtinuit, ne quis se à Deo derelictum queri posset. Itaque neminem deserit Deus: nisi ipse desertus sit à nobis.

Credamus & fidamus Deo, illique causas nostras committamus ex animo, & ipse faciet, quod voluntatis voluptatisque suæ, nostræ autem salutis esse sciverit. Nunquam enim deserit nos & nostra Deus, nisi priùs nos fiduciam & spem sustinentiamque nostram in ipsum amiserimus.

XLIII. Consummatis omnibus moritur JESUS.

Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem, tam peccatoris, quàm Christi; non enim moreretur peccator, nisi moreretur simul Christus, nec Christus moreretur, nisi priùs moreretur peccator; propterea contestatur Dominus, nolle se mortem peccatoris, sed ut vivat: ut sic etiã simul ipse cum eo vivere possit.

Nemo speret mortem in Domino, nisi consummaverit omnia quæ Divini placiti sunt. Monitum Domini est. *Cùm omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus*. Mortui sumus, mortui nobis, viventes Deo. ô amare; ô ire, ô sibi perire! ô ad Deum pervenire!

XLIV. Vulneratur in latere, & corde Iesus.

Qui peccatum peccato addit, is quasi jam mortuo Iesu insuper latus & cor ferit.

Qui post peccati mortem ad pœnitentiam compungitur, is mortui Iesu cor aperit, unde vivificetur.

XLV. Deponitur Iesus de Cruce, & ungitur.

Qui aliorum peccata, quæ vel ex officio, vel ex charitate sanare, aut ut sanarentur ab aliis, suâ manifestatione facere poterant, celando & excusando incurata relinquunt: quid aliud agunt, quam occisum Christum de Cruce deponentes ungunt? crudeliter misericordes: qui perdere malunt palpando, quàm sanare lædendo.

Deponunt de Cruce Iesum & ungunt, illi, qui infirmum fratrem mansuetudine & charitate fovent, & in spiritu lenitatis instruunt ac sanant. Veri Samaritani ad instar: oleum vinumque affundentes, & curam vulnerati gerentes.

XLVI. Sepultura Iesu.

In petra Iesum sepeliunt, advolutoque lapide claudunt & abeunt: qui postquã in profundum peccatorum venerunt, cõtemnunt, & duro impœnitentique corde, omnem correptioni, & correctioni spem, viamque obstruunt.

Iesum in petra sepeliunt: qui quotidianis pœnitentiæ operibus præteritas culpas ab oculis Dei abscondunt: quiq; constantiâ virtutis, & perfectionis solidæ, semel adeptam Iesu possessionem, sese ad gratiam consummatæ perseverantiæ Deo disponunt.

MODVS XXV.

Vigesimus quintus modus Dominicam Passionem meditandi est; Constituere sese coram Dei Iudicio, audireque accusationem sui, quam contra se instituat vel propria conscientia, vel aliqua alia creatura, una, vel plures: objecta porrò sibi Anima diluat sanguine, vulneribus, doloribus, meritis, virtutibusque Iesu Christi Domini sui Patientis pro se. Elegantem formam talis meditationis legimus in libro revelationum sanctæ Mechtildis: quam ipsis verbis, quæ ibi sunt, describo.

Lib. 1. cap. 2 Revelat. seu Spiritualis gratiæ fol. 50.

[Cùm esset Beata Mechtildis in recordatione, quòd Christus horâ primâ Præsidi judicandus adstitisset, dixit ad eam Dominus. Veni mecum ad judicium, & assumens eam ante Patrem suum Cœlestem, statuit eam secum. Tunc omnes sancti, cum omnibus creaturis super eam sunt conquesti. *Seraphim* accusabant eam pro eo, quòd divinum amorem, quo in corde fuerat accensa, sæpe in se per teporem extinxerat. *Cherubim* proclamabant eam, eò quod secundùm lumen Divinæ cognitionis, quo præ cæteris illuminata erat, non se regebat. *Throni* conquesti sunt, quòd pacatissimum Regem eorum, qui thronum suum in ea firmaverat, sæpe inutilibus cogitationibus inquie-

quietando turbasset. *Dominationes* dicebant, quòd Regi & Domino Deo suo, se cum debita reverentia non subdidisset. *Principatus* Conquerebantur, quòd Divinam nobilitatem, quâ ad Dei imaginem factâ est, nec in se, nec in aliis esset venerata. *Potestates* accusabant eam, quòd se Divinæ Majestati cum tanta reverentia & tremore, ut dignum fuerat non inclinasset. *Virtutes* conquerebantur, quòd se in virtutibus sanctis debitò modo non exercuerat. *Archangeli* dicebant, quòd suavi Dei colloquio, prout debuit, non intendisset, nec per Angelos, qui ei ministri deputati sunt, suavia & amatoria susurria ad dilectum suũ direxisset. *Angeli* querulabantur, quòd eorum ministerio indignè uteretur. *Beata Virgo MARIA* conquerebatur, quòd dulcissimo Dei filio, quem sibi genuerat, infidelis exstitisset. *Apostoli* clamabant, quòd eorum doctrinam, diligenti studio non fuisset secuta. *Martyres* dicebant, quòd impatienter pœnas & infirmitates in vita sustineret. *Confessores* eam accusabant, quòd in Religione & in spirituali exercitatione negligenter egisset. *Virgines* querulabantur, quòd tam amantissimum sponsum totis viribus non amasset. *Omnes Creaturæ* simul conclamabant, quòd eis indignè usa fuisset. Tunc benignissimus IESUS dixit ad Patrem. De omni querimonia ei objecta, ego ad singula pro ea respondebo, quia ejus amore me fateor captum. Cui Deus Pater dixit. Et quid te ad hoc coègit? Respondit, mea electio, qui eam ab æterno mihi prælegi. Tunc Anima cõfidens de gratia tanti fidejussoris sui, confidenter accepit eum inter brachia sua, dicens ad Patrem. Ecce præsento tibi Pater colende, humillimum Filium tuũ, qui Tibi plenè pro me persolvit, quidquid deliqui per superbiam. Ecce præsento Tibi etiam Filium tuum mansuetissimum, qui pro me satisfecit quidquid peccavi per iram. Præsento etiam Tibi Filium tuum amantissimum, qui est amor cordis tui: qui plenè supplevit, quidquid deliquid odio. Largiflua ipsius liberalitas, omne quod Avaritia peccavi, exsolvit. Sanctissimum ejus studium, Acediam meam, emendavit. Summa ejus abstinentia, omnem Intemperantiam meam supplevit. Ejus innocentissimæ vitæ Puritas, exsolvit pro me, quod malis cogitationibus, verbis, vel factis deliqui. Ejus summa Obedientia, quâ factus est Obediens usque ad mortem, omnem Inobedientiam meam delevit. Ejus deinde Perfectio omnem imperfectionem meam excusat. Esto igitur, sancte Pater, placabilis super nequitia mea, tantæ placationis receptâ hostiâ, & clementi pietate indignationem tuam averte a me, & recipe me in gratiam sempiternam.] Hucusque Beata Mechtildis: cujus adinstar, etiam perfectissimus quisque meditatione de Passione instituere, ex eaque patrocinium in Iudicio Divino sibi assumere, ad virtutemque & omnis Perfectionis studium, stimulos sibimet addere poterit: quòd multò etiam utiliùs facient imperfecti & peccatores in bonum animarum suarum, ut pote qui in sese longè plus materiæ reperient accusationis, & Iudicii apud Deum, si noluerit mentiri, aut blandiri iniquitas sibi.

MODVS XXVI.

Vigesimus Sextus Passionem Dominicam meditandi Modus: conferre atque contraponere Christi Domini exinanitiones & humiliationes, & Passiones pro nobis susceptas, & ex nostro mutuatas, ejusdem dignitatibus, majestatibus, plenitudinibus ex suo, hoc est, ex Divinitate habitis, atque ex hac collatione, seu contrapositione multiplices Fidei, Spei, Fiduciæ, Venerationis, Exaltationis, Dilectionis, Gratulationis, Admirationis, Gratiarum actionis, Supplicationis, Exultationis, Imitationis, similesque alios affectus haurire.

Collationis, contrapositionisque hujus specimen, ostendo in Gregorii Nazianzeni Oratione 4. quæ est de Filio, 1. ubi totam ferè Christi vitam mortalem, & non tantùm Passionem, tali contrapositione, cum gloriis ejusdem decurrit. Verba ejus sunt.

[Ut uno, rem omnem, capite complectar, quæ sublimiora sunt, Divinitati ac naturæ affectionum, & corporis experti, accommoda: humiliora composito, ac tuâ causâ exinanitio, & incarnato, immo etiam homini facto, ac deinde exaltato, ut carnalibus tuis humoque affixis doctrinis eversis, sublimior esse, & cum Divinitate sursum contendere discas, neque rebus sub aspectum cadentibus inhæreas, sed in altum cum iis eveharis: quæ mente considerantur, & quæ naturæ, quæ administrationis Christi ratio sit, cognoscas. Fuit enim aliquando quum is ipse, qui nunc abs te contemnitur, supra te esset, qui nunc homo est, etiam non compositus

positus aliquando erat. Quod erat permansit, quod non erat assumpsit. Erat in principio, & quidem sine causa: quænam enim Dei causa fuerit? Nihilominus etiam posterius natus est, propter quandam causam: ea verò erat, ut tu salutem consequeris, qui contumelià ipsum afficis, quique propterea Deitatem contemnis, quòd molem tuam in se receperit, per mẽtem intermediam, contubernio quasi carnis usus, & factus homo Deus ille inferior. Etenim temperamento quodam coaluit cum Deo, & factus est unus, cùm vicisset illud, quod erat præstantius, ut & ipse tantundem Deus fiam, quantum ipse factus est homo. Natus quidem est, sed idem etiam genitus erat: de fæmina quidem, sed eadem virgine: hoc humanum, illud divinum. Hinc Patris expers est, illinc Matris, totum hoc Divinitatis. Materno quidem utero gestatus est, sed idem agnitus à Propheta, qui & ipse materna in alvo gestaretur, quasique prosiliret coram Salvatore, propter quem factus erat. Fasciis est involutus, at idem demonstratus à sidere, à Magis cultu adorationis affectus. Solum quidem vertit in Ægyptum fugiens: sed idem Ægyptiis propria (idola) velut in exilium abigit. Nullam neque speciem, neque pulchritudinem apud Iudæos habebat, verùm Davidi venustus erat formâ, supra cæterorum hominum liberos, verùm in monte fulget, Heliâque fit lucidior, hoc ipso nos arcane deducens ad id quod futurum erit. Baptisatus quidem est ut homo: sed idem peccata solvit ut Deus: non quòd ipse lustralibus aquis egeret, sed ut aquas sanctificaret. Tentatus est ut homo, sed vicit ut Deus, sed fidenti ut animo simus hortatur, quòd mundum vicerit. Esuriit, sed idem aliquot millia pavit, sed panis vitalis & cælestis est; sitivit, sed clamavit idem, si quis sitit accedat ad me & bibat, quin etiam promisit futurum, ut ex credentibus fontes scaturiant. Fessus fuit; sed idem fatigatorum & oneratorum est requies. Somno gravatus fuit: sed in mari fit levis; at increpat ventos: at Petrum efficit levem, cùm jam mersatur. Dat vectigal, sed de pisce sumptum, sed imperat iis, qui vectigal ab ipso poscebant. Samaritanus audit, & obsessus à dæmone, sed idem servat eum, qui Hierosolymis descendebat, inque latrones inciderat: sed idem à dæmonibus agnoscitur, dæmones abigit, legionem spirituum mergit, fulguris instar Principem dæmonum cadentem videt. Lapidibus

A petitur, sed non capitur. Orat, sed idem exaudit. Lachrymatur, sed idem lachrymas sistit. Interrogat ubi situs esset Lazarus, erat enim homo: sed idem Lazarum resuscitat, erat enim Deus. Venditur, & quidem vili admodum pretio, triginta scilicet argenteis, sed idem mundum redimit, at magno sanè pretio, proprio nimirum sanguine. Tanquam ovis ad jugulationem ducitur, sed pascit Israëlem, & quidem modò universum orbem. Ut Agnus mutus: sed idem sermo est, per vocem clamantis in solitudine annuntiatus. Languorem sensit, vulneratus est: sed idem morbum omnem, omnem languorem curat. In lignum attollitur, affigitur, sed idem nos ligno vitæ restituit, sed latronem secum in crucem actum servat, sed tenebris involvit, quidquid usquam cerneretur. Acetum potûs, fel cibi loco accipit: at quis? is ipse, qui aquam in vinum commutavit, qui gustum amarum sustulit, dulcitudo ipsa, totusque desiderium. Tradit animam, sed potestatem habet rursus eam sumendi: sed velamentum scinditur (nam superna nobis ostenduntur) sed saxa rumpuntur, sed mortui ante tempus resuscitantur. Moritur, sed idem vivificat, ac morte mortem destruit. Sepelitur, sed idem resurgit. Ad inferos descendit: sed idem animas sursum ducit, sed in Cælos ascendit, sed veniet ad judicandos vivos ac mortuos] Hucusque Nazianzeno digna verba, cujus sanctissimi Patris ad instar, devotus Passionis Dominicæ Meditator, omnes & singulas Christi dolentis & morientis miserias, per succedentes (ac ut Beatus Petrus loquitur) posteriores glorias, poterit veluti adimplere, seu adimpletas à Patre æterno gaudere, atque congratulari, quin etiam pro sua parte, tam suo, quã omnium hominum, immo creaturarum nomine, affectuque partim quidem de miseriis compati, partim vero de gloriis congaudere, gloriasque cumulare, iisque miserias veluti compensare ac rependere, quin etiam (exemplo Apostoli Pauli) suis passionibus easdem adimplere, venerari, honorare, remetiri, prout unctio spiritûs meditatorem plenius edocebit.

1. Pet: 1. 11.

Colof: 1: 24

MODVS XXVII.

Vigesimus septimus Passionem Christi meditandi modus est: per applicationem sensuum internorum animæ nostræ, ad singula Passionis Dominicæ myste-

Vide supra modum 6. Med: 4.

mysteria. Dabo hunc modum, ipsis sapientissimi Patris Ludovici de Ponte verbis, qui eum sufficienter explicat his verbis. [*Primùm* Oculis Animæ aspiciendo externam Christi Domini figuram, omnes ad compassionem permoventem: & simul interiorem Animæ ejus figuram, ex una parte adeò pulchram, ex altera adeò afflictam: & admirabor dolens, quòd *qui est splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus*, sit ob mea peccata ita deformatus. *Deinde* Audiendo internè blanda illa, & amore plenissima hujus Domini verba, clamores item duros adeo, & furiosos inimicorum ejus contra ipsum, strepitum colaphorum, flagellorum ictus, & malleorum, ut sentiam in corde meo, quod sensit Christus in suo. *Tertiò* Interno odoratu percipiendo tam fætorem peccatorum, quæ mortem summo huic sacerdoti attulerunt, quàm sacrificii suavitatem, quòd ipse pro illis obtulit, & virtutum, quas ipse exercuit in hac adeò pœnali sua Passione; simulque perpendam, quâ ratione Æterni Patris ira fuerit hujusmodi sacrificio placata, qui in hujus reconciliationis signum, non jam arcum suum in nubibus, sed proprium filium arcûs instar in cruce extensum posuit, pluentem sanguinem, in signum fœderis inter se & terram. *Quartò* Gustando etiam amaritudinem, & fel illud Christi Domini, acerbitatem & mœrorem ex eis persentiscendo, atque si corpore illa degustarem; Gustando item dulcedinem illius Amoris, quo omnia illa tolerabat, & quam Deus iis confert, qui aliquid amoris ipsius intuitu perpetiuntur. Et vehementer admirabor in tanta amaritudine, tantam esse Amoris dulcedinem. *Quintò*. Demum interno Animæ tactu, contingam horrenda illa Passionis Christi instrumenta, rigorem & asperitatem funium, flagellorum, spinarum, Crucis, & clavorum, sentiens spiritu totum id, quod ipse Dominus in corpore sensit, & affectus eliciens, qui ex hujusmodi sensibus solent provenire.] Hactenus verba Ludovici, apud quem etiam fusior praxis ejus meditandi modi videri potest, eâdem Parte 4. Medit: de gestis in horto.

Parte introd: §. 3.

Heb: 1. 3.

Gen: 3. 13.

MODUS XXVIII.

Vigesimus octavus modus Passionem Dominicam meditandi est: Assumere aliqua congrua sacræ scripturæ verba, ad eaque Passionem Christi reducere, & secundùm latitudinem sensûs, quê verba assumpta pati commodè possint, omnem Passionem considerando decurrere, piosque, ac utiles, & devotos affectus elicere, atque depromere. Ejusmodi verba sententiæque esse possunt.

A

I. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*] viride, florens, fructiferum, de Cælo radicem trahens, insitum ipsi Divinitatis glebæ, plantatum atque insitum Verbum à spiritu sancto, Christus est. In eo fecerunt quæcunque voluerunt: tam qui eum amaverunt, ut Pater Æternus, quàm qui oderant, ut dæmones & impii homines. In hoc viridi ligno faciunt hæc, quæ totius Passionis series historiaque clamat: hæc quæ in horto, hæc quæ in captivitate, hæc quæ in domo Annæ, hæc quæ apud Caipham, apud Pilatum, apud Herodem, apud columnam, hæc quæ in spinea coronatione, quæ in condemnatione, patibuli bajulatione, crucifixione, in Cruce facta esse scimus. Si ergo hæc tanta, tam dira, & fera immaniaque in viridi & innocenti, & innocentia sanctitateque ipsa faciunt, facit Iustitia, facit Misericordia, facit Sapientia, facit Charitas, facit Bonitas Dei; facit malitia, invidia, odium, furor Iudæorum & gentilium; facit culpa originalis & actualis omnium hominum: in arido ligno, in Synagoga, in unoquoque impio, in omni cœtu impiorum, quid fiet? Aspice ô homo agonisantem, & sanguineo sudore ac rore stillantem IESUM, & dic tibi ipsi; si hæc in viridi ligno, Redemptore, ac Deo meo Christo; in me arido, sterili, mortifero, pestilentique ligno, carduo, spineto, ramno, quid fiet? & sic deinceps meditationis filum protrahere licebit.

B

C

II. *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete*] Christus hæc loquitur omni Animæ, omni homini, Iusto simul & peccatori. Cogitas Christum in tædio, pavore, mœstitia, usque ad mortem positum, audi illum tibi dicentem: Noli flere super me, sed super te ipsum fle. Super te, qui causam tantis angustiis meis dedisti olim, & adhuc dare non desinis, super te ingratum, super te indignum, super te mala pro bonis retribuentem, super te in obsequio meo, tam rarum, parcum, tepidum, super te tantis meis sumptibus emptum, ablutum, sanatum, super te tantò labore quæsitum, & à perditionis æternæ faucibus erutum. Et sic per reliqua Passionis Christi puncta procedendum erit.

D

III. Par Meditatio Passionis Dominicæ

nicæ fieri poteſt, ſuper illa Pilati ad Chriſtum verba. Quid feciſti?

IV. Item ſuper illa ejusdem Pilati ad Populum de Chriſto. *Ecce Homo*

V. Item ſuper illa Chriſti Domini ad Nicodemum. *Sic Deus dilexit mundum.*

VI. Item ſuper illa etiam Chriſti. *Ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

VII. Item ſuper illa Chriſti quoque verba. *Ego ſum Paſtor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis.*

VIII. Item ſuper illa unica Chriſti Domini voce. *Sitio*; quàm à Chriſto pronuntiari, cogitare licebit ad ſingula Paſſionis Puncta. Sine dubio enim quidquid Paſſus eſt Chriſtus in Corpore, & in Anima, totum ex immenſa quadam ſiti paſſus eſt. Siti, inquam, Gloriæ Paternæ, ſiti explendæ voluntatis ejus omnis. Siti ſatisfaciendi Iuſtitiæ Dei ad æqualiſſimũ redundantemque rigorem. Siti abolendi peccati omnis. Siti tollendæ omnis inter cælum & terram, inter Deum & homines diſſenſionis. Siti redemptionis, ſanctificationis, ablutionis, ſanationis, ditationis, beatificationis noſtræ. Siti demonſtrandæ & effundendæ in nos bonitatis, miſerationis, charitatisque ſuæ. Siti explendæ cupiditatis ſuæ, quâ ardebat ad humiliandum exinaniendumque ſe propter nos, ad saginandam quoque patientiá interiùs & exteriùs, charitatem ſuam, tam erga Patrem æternum, quàm erga nos. Siti dénique exhibendi nobis omnimodi, omnium heroicarum virtutũ, exempli, relinquendi quoque nobis quâ copioſiſſimi inexhauſtiſſimique meritorum ſuorum, & beneficiorum theſauri. Hanc ſitim omnem, præviam prædocemque Dominus Iesus ſecutus eſt in omni puncto Paſſionis ſuæ. Hac ſiti arctatus, dicebat aliquando ſuis. Baptiſmo habeo baptiſari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?

IX. Par Meditatio fieri poteſt ſuper illa Chriſti ad diſcipulos verba. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo?*

X. Par item fieri poteſt ſuper illa Chriſti ad Matrem ſub Cruce ſua ſtantem. *Mulier ecce Eilius tuus.* Poteſt enim quælibet anima ſeu juſta, ſeu peccatrix cogitare, ſibi dici à Chriſto Patiente quodlibet doloris genus: Mulier, Anima, Ecce Deus, ecce Redemptor, ecce Frater, ecce Spóſus, ecce Amator, ecce Dilectus, ecce Pater, ecce Medicus, ecce Dominus, ecce Rex, ecce Iudex, ecce Fidejuſſor, ecce Exemplar, ecce Paſtor tuus, ecce in ago-

A nia, ecce in ſudore, ecce ad oſculum Iudæ, ecce in vinculis, ecce in flagellis, ecce in ſpinis, ecce ſub Cruce, ecce in Cruce, ecce mortuus, ecce ſepultus, &c.

Horum ipſorum verborum Chriſti ad ſuam Matrem meditatione, uti quispiam commode poteſt, in recogitatione dolorum Piiſſimæ Chriſti Matris, ſi nimirum decurrens ac deſignans ſingulos Paſſionis Chriſti articulos, eosdem, vel potiùs Filium in iisdem poſitum oſtentans Matri doloroſæ dicat: Mulier, Ecce Filius tuus. Quo genere meditationis dolorum tam Chriſti, quàm Matris ipſius uſum

B quempiam fuiſſe, & nunquam à devotiſſimis lachrymis abſtinere ſe potuiſſe, teſtis eſt Ludolphus Carthuſianus celebris vitæ Chriſti meditator.

Poſſet quoque eorundem verborum uſus eſſe, in Meditatione Paſſionis Chriſti, ad Æternum Patrem ea referendo, & dicendo: Pater Æterne; Ecce Filius tuus: ille unigenitus, ille conſubſtantialis, ille Deus de Deo, ille ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ tuæ: in tanta abjectione, in tanta obedientia, in tanto dolorum mari, in tanto crucis probro. Ecce Filius tuus.

C Plures ejusmodi ex ſcripturis ſacris (aut etiam ex Patribus ſanctis) deſumi poſſunt ſententiæ, omnibus Paſſionis Dominicæ particulis ſubſternendæ per meditationem. Verùm haſce Paradigmatis causâ attuliſſe ſufficiet.

Vide Car: Scribanium in Christò Paſſo ad finem.

MODVS XXIX.

Vigeſimus nonus Paſſionem Chriſti meditandi modus eſt: aſſumere varias figuras veteris teſtamenti, in quibus eſt Chriſti Paſſionis veritas adumbrata, & quarum adumbratio, eſt veritate

D Paſſionis Dominicæ ad vivum expreſſa. Exploratiſſimum quippe eſt, totam Chriſti vitam, potiſſimùm verò Paſſionem, in geſtis veteris Eccleſiæ, omnino fuiſſe delineatam, adeò, ut inter cauſas mortis ſuæ, ipſemet Chriſtus, eam quoque non ſemel numeraverit: adimpletionem ſcilicet ſcripturarum. hoc eſt figurarum, & Prophetiarum in ſcripturis antiquis præmiſſarum. Ut alia verba Chriſti non recenſeam: ſufficit adduxiſſe illa Domini verba ad Petrum ante Paſſionem dicta. [*Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* Et illa ad diſcipulos poſt reſurrectionem. [*Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Et incipiens à Moy-

Matt: 26. 54

Luc: 24. 26

à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.] Cũ ergo plenæ sint voteres scripturæ Christo: & omnes omnem ejus vitam, doctrinam, mores, opera, Passionem, mortem, resurrectionem, Ascensionem, Ecclesiam, & Ecclesiæ regimen loquantur, commodè simul ac facilè possumus Passionem Christi veram in figuris veteribus elegantissimè delineatam scrutari: spectare, ac meditari. Dabo ejus rei paucula Paradigmata: quorum ad instar devotus meditator reliqua colligere poterit.

Gen. 37 28 I. Ioseph, filius Iacob Patriarchæ, odio fratrum suorum, operâ & consilio potissimum Iudæ, venditus, in Ægyptumque ductus: evidenter Christum, ab Iuda discipulo hostibus suis venditum figuravit.

2. Reg. 15: 23 II. David Rex fugiens ex Ierusalem à facie Absalonis Filii, eique adhærentium conjuratorum, torrentemq; Cedron transiens: Christi Domini, ex eadem urbe, trans eundem torrentem, cum discipulis egredientis, tumultum & turbam ciente Iuda, atque cohortes & ministros ad comprehensionem Domini Patrisque sui congregante, manifesta figura fuit.

Gen: 32 24 III. Iacob totâ nocte colluctans cum Angelo, roburque contra metum Esau fratris sui ab oratione accipiens, figuravit Christum orantem in horto, ubi & apparuit ei Angelus confortans eum.

2. Reg: 20. 9 IV. Joab Amasæ obvians, eumque osculans, &, salve mi frater compellans, interim tamen gladio confodiens: Iudâ proditorem Christi per osculum, & per vocem, *Ave Rabbi*, luculenter expressit.

Iud: 10. 25 V. Samson, à Philistæis captus, vinctus, excæcatus, ludens coram Principibus, graphice Christum captũ ab Iudæis vinctum, ad Principes Sacerdotum adductum, ibi oculis velatum, varièque indignissimis modis illusum, & blasphematum depinxit.

Iob: 2. 7. VI. Iob à vertice capitis ad plantam pedis ulcere pessimo percussus, vulnere super vulnus concisus: viva fuit imago Christi flagellati adeò immaniter, ut multis vulnerum millibus conscinderetur, ut non tam flagellatus, quàm aratro aratus, instarque terræ, sulcis prolongatis, dissectus esset.

Gen: 2. 13. VII. Aries hærens cornibus inter vepres, à Patriarcha Abraham, pro Isaac immolatus: Christum spinis coronatum expressit.

1. Reg. 21 13 VIII. David apud Regem Achis, pro insano & stulto habitus: Christi ab Herode Rege ejusque exercitu illusi, inque stultitiæ ejus signum albâ veste induti figura fuit.

Cant: 3. 11 IX. Salomon in die desponsationis suæ à Matre coronatus, & spectandus filiabus Ierusalem propositus, Iesum purpurâ indutum, spineo serto redimitum, sceptrum arundineum in manu gestantẽ, genu flexo, consputatione, alapis, Regiâ salutatione illusum, à Pilato ad Populum cum illa voce; *Ecce Homo*, productum efformavit.

Gen: 22. X. Isaac ligna in montem portans, super eadem à Patre immolandus, Christum bajulantem sibi Crucem, usque in eum, qui dicitur Calvariæ locum, ubi à Patre Æterno, propter scelus populi sui erat percutiendus, atque mactandus, immo re ipsâ est mactatus: adeo vivis figuræ coloribus depinxit: ut etiam locus loco planè respondeat: in quo enim monte, & montis colle Isaac immolandus fuerat, in eo ipso Christus re ipsâ oblatus est.

Isa: 53.

Exod: 12. XI. Agnus Paschalis anniculus, immaculatus, igni tostus, cum lactucis agrestibus, festinanter ad vesperam sacrificatus, & sine ullius ossis confractione devoratus: universum Christi in Cruce cruentum sacrificium, sacrificii ritum, atque fructum etiam, planissimè delineavit.

Num. 35. XII. Mors summi Sacerdotis: postquam revertebantur exules in Patriam impune: Christi mortem omni humano generi à Paradiso exulanti salutarem, Patriamque cælestem aperientem & restituentem demonstravit.

Gen: 2. 10 XIII. Quatuor fluvii de Paradiso egredientes, universamque terram circumeuntes, ac irrigantes: Quatuor præcipua Christi in manibus pedibusque vulnera, quæ vivens subiit præsignarunt. *Num: 35* Quinque autem Civitates refugii; *1. Reg. 17* quinque lapilli Davidici ad debellandum Goliam electi; quinque vulnera Christi ostenderunt.

Gen: 6. XIV. Ostium, in latere Arcæ à Noëmo factum: vulnus lateris Christi figuravit.

Exod: 14. XV. Mare rubrum per quod sicco vestigio filii Israel ex Ægypto, versùs terram promissionis egressi sunt, Ægyptiis omnibus interim in mari demersis ac sepultis: Redemptionem nostram, & salutem per Christi sanguinem nobis procuratam, omnem autem diaboli potestatem, omnem peccatorum nostrorum labem, in eodem sanguine sepultam & abolitam ostendit.

XVI.

XVI. Omnes denique veteris testamenti victimæ; omnis tabernaculi Mosaici & templi Salomonici structura, figura, supellex, ipsissimæ Christi Domini Passionis & mortis imagines fuerunt: quarum omnium recensendarum hic locus non est. Recensentur earum nō paucæ, in toto super Passionem Dominicam Tractatu seu Commentario: ad initium cujusque ferè Paragraphi, unà cum Prophetiis, quodlibet pænè Passionis membrum concernentibus, inde eas petere cuilibet licebit.

MODVS XXX.

TRigesimus Modus Passionem Dominicam meditandi potest esse, per modum experimentalis, desiderii, seu desiderati experimenti, practicæq́; , ac (quoad fas erit) realis communicationis Passionum Christi cum Christo, propter Christum. Est enim hic modus exercitii, tum naturâ suâ præclarissimus, Christoque optatissimus, tum nobis maximè necessarius, ac utilis, tum à Spiritu sancto crebro commendatus. Disertè enim per Apostolum loquitur: *Christi in carne Passo, & vos eâdem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: ut jam nō desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivat, temporis.* [1. Pet: 4. 1] Et rursum. *Charissimi, communicantes Christi Passionibus gaudete, ut in revelatione ejus gloriæ, gaudeatis exultantes.* [Ibid. vers: 12.] Et rursum. *Christus Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* [1. Pet: 2. 21] Omitto alias scripturas. Eodem Spiritûs sancti sensu Divus Bernardus loquitur. [Fer: 4. Hebd: Sanctæ paulo antr finem.] [Christi imitatio in laboribus & doloribus ejus: validissimum mihi argumentum est: quòd Passio Salvatoris, & similitudo humanitatis, in meam transeunt utilitatem. Hic enim sapor, hic fructus est, & laboris & doloris.) Compati ergo Christo, maximum est hujus vitæ bonum nostrum, maximus Christi pro nobis Passi cultus, maximum ejus à nobis pro sua Passione atque morte præmium: proinde & præclarissimum nostrum hoc debet esse studium, unicumque exercitamentum, ut hoc nimirū sentiamus in nobis, quod & in Christo Iesu. Cùm autem non semper liceat, nec omnino in nostra potestate sit revera, tribulationes, & Cruces, doloresque perpeti cū Christo, ac propter Christum: expedit pio & fideli Christi crucifixi servo, ejusque Crucis Amatori, saltem per meditationem practicam, desideriaque viua, & quoad fieri potest experimentalia, immiscere sese quà corde, quà etiam corpore, quà imaginatione, quà sensu, quà mentis præparatione, quà etiam efficaci quadam applicatione, Passionibus, laboribus, ignominiis, desolationibus, angustiis, universimque toti Cruci Christi. Cujus rei etsi quisque meliùs sibi effingere ideam poterit, aliquod tamen Paradigma proponere in præsenti libet.

I. Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, Spiritus sancte, unus DEUS, qui nos per Passiones & tribulationes multas, currere, ac pervenire vis ad bravium: placetque Tibi omnino, ut *delicati tui ambulent vias difficiles*: [Luc: 21. 19] & in exemplum eorum DEUS-Homo ipse esse voluisti, teque Patientem nobis in formam proposuisti, ut sic *in Patientia nostra* laboraremus *possidere animas nostras*: [Luc: 8. 15.] afferremusque Tibi fructū tricesimum, sexagesimum, centesimum in Patientia, largire mihi nunc Domine, gratiam & desiderium, & experimentum patiendi pro Te, & pro Domino, atque cum Domino nostro IESU Christo.

II. IESU Patientiæ sponse, Patiendi Magister, & Patientium Rex, qui voluisti per Patientiam intrare in Gloriam tuam; infunde cordi omnium electorum tuorum, & meo, abundantem gratiam, efficax desiderium, constans & insatiabile experimentum patiendi omnia adversa, & amara tua, tecum, & pro Te, & da ut in me regnet Crux Passioque tua, & ego sim regnum ejus omnibus diebus vitæ meæ.

III. Pretiosissima Parens ac Virgo MARIA, Martyrum Regina, Dolorumque Mater, & amaritudinum mare, cum omnibus Crucis Christi amatoribus, patiendique cum Tuo, & pro Tuo Filio, siti ac fame conspicuis electis, impetra & concede mihi gratiam, famem, sitimque omnimodæ Passionis pro Filio, & cum Filio tuo, Domino meo IESU Christo.

IV. Nunc igitur tuo Patientissime Domine IESU Christe adjutus auxilio, roboratus merito, inflammatus exemplo, colloco me in apice & excellentia omnium dolorum tuorum, externorum & internorum pro nobis, in tota quidem vita tua, sed præcipuè in tota Passione tua abs te toleratorum: in eo gradu, qui creaturæ in hac vita possibilis fuit ad tolerandum.

V. Colloco me Domine IESU Tecum, in tuo illo statu, in quo fuisti tristans usque ad mortem: agonisans usque ad sanguine-

guineum sudorem, proditus ab immiti ingratoque discipulo, derelictus à discipulis, captus & ligatus à satellibus, tractus & raptatus usque ad urbem cum omnibus indignitatum modis.

VI. Colloco me Domine Iesu Tecum in vinculis coram Anna & Caipha, & toto inimicorum tuorum crudelium cœtu, in medio conciliabuli nequam, inter falsa testimonia, inter adjurationes, consputationes, colaphos, & alapas, inter tractiones, tunsiones, irrisiones, subsannationes, insultationes; inter omnia alia innumerè injuriosa studia improbissimæ hominum fœcis.

VII. Colloco me Domine Iesu Tecum inter probra, inter contumelias, sannas, vituperia, inter rigidos & amaros affatus, sarcasmosque: inter indignas compellationes, inter sordida & inhonesta cognomina, inverecundos gestus, scurriles jocos, pudibunda ludibria, motus fœde fractos, insanos cachinnantium clamores, improbissima illiberalissimaque dicteria.

VIII. Colloco me Domine Iesu Tecũ inter omnia illa, & in omnibus illis, quæ totâ illâ nocte, verè nocte, plùs quàm indignissimè passus es Dignissimus Deus, passus es fons omnis dignitatis Deus: passus es ipsa essentialis Dignitas Deus: & passus es ab impiorum indignissimis, ab indignissimorum impiissimis, à vilissimorum vilissimis. Eaque omnia mihi quoque assumo, & ea in me quoque cum tua gratia derivo, me his ingero, in his me Tecum esse cogito, imaginor, eligo, amo, desidero, posco, gaudeo, glorior, propter Te, toto me.

IX. Colloco me Domine Iesu Tecum in judicio matutino, in quo rursus rigidè examinatus, injustè damnatus, denuo vinctus, & ad Pilatum raptus, illi oblatus, ab illo superbè cum supercilio discussus, ad Herodem tandem rejectus.

X. Colloco me Domine Iesu Tecum in viis Ierusalé, quas pertransisti, proh quantis indignitatibus, tumultuationibus, injuriarum variationibus, plenas & superplenas.

XI. Colloco me Domine Iesu Tecum coram Herode, apud quem stetisti verecundus & tacens, accusatus constanter ab Iudæis, interrogatus levissimis à Rege sermonibus, irritatus & sugillatus ab ejusdem scurris & satellitibus, ab omnibus tandem spretus, illusus, pro stulto, fatuo, insanoque reputatus, ac veste fatuorum amentiumque indutus, Pilato de-

A mum denuo remissus es. Hæc omnia Domine, ærumnarum tuarum genera, mihi quoque assumo, mihi induo, in his me esse cogito, eligo, amo, desidero, gaudeo, glorior Tecum, propter Te, toto me.

XII. Colloco me Domine Iesu Tecum denuo apud Pilatum, Tecum judicor, Tecum accusor, Tecum examinor, Tecum blasphemor, Tecum Barabbæ latroni, & seditioso insigni componor, Tecum Barabbæ postponor, Tecum ad flagella denudor, Tecum ad flagella columnæ alligor, Tecum ad columnam virgis, flagris, loris, catenis, spinisque cæ-

B dor, lividor, lanior, cruentor, vulneror, excarnificor, Tecum *castigatio mea in matutinis*, & flagellatio mea Tecum totâ die, seu quasi totius diei. Hoc Domine pati me cogito, imaginor, amo, desidero, peto, gaudeo, glorior Tecum, propter Te, toto me.

Ps. 72. 14.

XIII. Colloco me Domine Iesu Tecum inter militum cohortem, purpureâ chlamyde indutum, spineâ coronâ redimitum, abjecto in trunco saxove obvio collocatum, arundineo sceptro illusum, genu flexo adoratum, alapisatum, ridiculum Regem illusoriè salutatum, facie

C consputum, in Regem denique ac virum dolorum transformatum, & sublatâ omni hominis specie atque formâ, Ecce Homo, quasi minimè jam esses Homo, furiosæ plebi demonstratum, denominatumque. O mi Iesu! ô mi Homo! & vix jam propter me Homo: ecce & ego homo: ô si fiam Tecum & propter Te Tui simillimus Homo? Ecce me talem esse, qualem Te video esse, Tecum cogito, amo, desidero, peto, gaudeo, glorior, statuo, toto me propter Te.

XIV. Colloco me Domine Iesu Tecum coram Pilato metuente tumultum

D effrenatæ plebis, & metum suum faciente crimen tuum. Audio sanguinolentarum belluarum cruentas voces contra Te, Tecumque contra me. Tolle, tolle, Crucifige eum. Audio sanguinem tuum unico haustu exsorptum; & tam sibi, quam suæ toti posteritati ab infelici, ab ingrato, ab immani populo propinatum. Audio contra Te latum mortis verbum, audio Te traditum voluntati hostium tuorum, audio adjudicatum esse, ut de Te fiat satis petitioni inimicorum tuorum: audio de Te Majestatis Domino (Crucifigatur.) decretoriè esse pronuntiatum. Video Te Domine cruce onerari, onustum patibulo, foras produci, ad locum suppli-

supplicii, ipsum supplicium Te bajulare, cum iniquis reputatum esse; aceto, felle, myrrhaque potari, in cruce expandi, Cruci clavis affigi, in cruce sublimari, medium latronum statui & pendere. Et hoc demum est Domine Iesu, quod Tecum & pro Te, me esse cogito, imaginor, amo, desidero, peto, æstuo, sitio, efflagito, gaudeo, glorior, profiteor, debeo, debere volo, & gaudeo, propter Te, toto me.

XV. Colloco me Domine Iesu Tecum in cruce crucifixum; cum nudo nudum, cum confixo confixum, cum dolente dolentem, cum illuso illusum, cum despecto despectum, cum blasphemato blasphematum, cum irriso irrisum, cum maledicto maledictum, cum vulnerato vulneratum, cum derelicto derelictum, cum cruento cruentum, cum excruciato excruciatum, cum deficiente deficientem, cum moriente morientem, cum mortuo mortuum, per omnia Tibi socium, Tibi simslem, Tibi conjunctum, Tibi conformem, Tibi confixum, alterum Te, & unum Tecum. Et ita Tecum esse, pro nunc & pro omni vita mea, pro quolibet momento vitæ meæ, me cogito, imaginor, colloco, statuo, volo, amo, desidero, peto, ardeo, famesco, gaudeo, glorior, toto me, propter Te, propter Te toto me. Auge Domine & exple & serva desiderium meum patiendi Tecum, propter Te toto me.

Hoc aut simili modo, per internam animæ nostræ operationem, potentiarumque applicationem, possumus meditando, communicare Passionibus Domini nostri Iesu Christi, atque stigmata illius circumferre. Quo genere persentiscendæ in nobis Dominicæ Passionis, Paulus Apostolus vult nos exerceri; quando ita seu præcipit, seu hortatur. *Hoc sentite in vobis quod & in Christo IESU: qui cum in forma Dei esset*, &c. (Philip: 2. 6.) Hoc genere persentiscendæ Passionis Christi, plurimos Sanctorum legimus divinitùs fuisse dignatos, & sine dubio cum majori redundantia gratiæ cœlestis, quàm nos imaginando cogitandoque assequi possumus. Hoc profectò dono dignatus fuit Petrus, Andreas, Paulus, Apostoli. Hoc sanctus Franciscus de Assisio, hoc Sancta Catharina de Senis, hoc Beata Margarita de Cortona, Beata Angela de Fulgino, Beata Clara tam Assisias, quàm à Monte Falcone, Beata Maria de Oegnies, aliique plurimi sanctorum, de quibus legimus, peculiari privilegio indultum eis fuisse, non rarò à Christo Domino intimum quendã gustum, sensumque experimentalem Passionum & dolorum suorum.

MODVS XXXI.

TRigesimus primus meditandi Passionem Dominicam modus est: facere sibi lavacrum, seu balneum, atque baptismum, ex passionibus, doloribus, ærumnis, vulneribus, atque sanguine Iesu Christi. Notum est, quòd Dominus Iesus Passionem suam, baptismum suum, vocaverit. *Baptismo, inquit, habeo baptizari, & quomodo coarctor usq; dum perficiatur.* (Marc: 10 38. Luc: 12 50.) Paulus quoque Apostolus nos ablutos esse, & ablui in Sanguine Christi, pronuntiat. (1 Cor: 6. 1.) Similiter Joannes Evangelista Electos Dei affirmat lavisse stolas suas in sanguine Agni, easque dealbasse. (Apoc: 7. 14. Ibid 22. 14.) Quin & Jacob Patriarcha asserit, Christum, *abluturum in Sanguine stolam suam.* (Gen: 49. 11.) Beatæ Catharinæ Senensi legitur dixisse Deus, [Sanguinem Christi esse veluti salubre balneum, ad abluendas ejus & aliorum iniquitates.] (in Dial: c. 126.) De Beato Francisco, Patriarcha suo scribit Divus Bonaventura, eum in more quotidiano habuisse, animam suam à quotidianis defectibus, sine quibus hæc vita non vivitur etiam à sanctissimis, abluere, sive balneare in sanguine IESU Christi: quod etsi varie sanctissimus vir præstare potuerit, non ambigo tamen, id eum potissimum ope considerationis, & applicationis ad sese Passionum & meritorum Christi Domini tactitasse. Quare unicuique devoto Amatori puritatis internæ, studiosoque placendi oculis Majestatis Divinæ, accurrere ad Passionem Christi, ex eaque tanquam ex fonte patente tollere aquas salutis, ad ablutionem peccatricis animæ suæ licebit.

I. Aliquando ergo omnia peccata sua in unam veluti sarcinam congregans atque colligens: in rubrum Mare Passionis ac Sanguinis Iesu Christi descendet cum omnibus, & ea ibidem tanquam Ægyptios persecutores suos demerget, atque in profundum, quasi lapidem aut plumbum, eos descendere faciet. (Gen: 15. 5.)

II. Aliquando tanquam Naaman Syrus leprosus in Jordanem Passionis Christi descendet, ibi septies lavabitur, & lepram deponet vetustæ conversationis, induet autem Carnem Innocentissimi pueri, hoc est, ipsius IEsu Christi Hominis-Dei mores. (4 Reg: 5. 14.)

III. Aliquando peculiares quaslibet

noxas suas præteritas, aut præsentes assumet: & eas mananti Sanguineis rivulis Christo supponet, immerget, in eisque deterget & abluet. Superbiam & ambitionem suam, Sanguini Capitis Christi spinis horridi immerget. Tepiditatem, negligentiam, & pusillanimitatem suam, Tristitiæ, tœdio, mœrori, agoniæ, sudorique IEsu Christi intinget. Immundissimas inverecundias, voluptuositatesque carnis suæ, sanguinolento à flagellis ad columnam IEsu injiciet, & in vulneribus illius tanquam in Natatoria Siloë emundabit. Impatientias suas, iras, amaritudines, odia, invidias, perfossio clavis, & lancea Christo, deque Cruce pendulo, atque cruore stillanti supponet, in iisque fontibus, ab omni malitia & rancore, cor suum lavabit. Atque in hunc modum omnibus & singulis peccatis suis, peccatorumque pœnis, balnea assignabit in Passione Domini, & quidem vel per partes Dominicæ Passionis progrediendo, vel certè universam simul Passionem, omnemque Sanguinem, ac omne meritum IEsu Christi, huic ablutionis usui deputando.

Ioan. 6. 7.

IV. Aliquando non ad eluendas tantùm peccatorum maculas atque pœnas, sed etiam ad ornandam, divinisque conspectibus & amoribus exhibendam Animam, Passionis & Sanguinis, & meritorum Christi aquis balneoque utetur. Itaque partim sese totum cum omni sua interna & externa substantia, Passionibus ac meritis Christi immerget: partim singulas potentias suas, potentiarum actiones, virtutum habitus, & actus, Sanguini Christi intinget, eoque decorabit, & pretiosos coram Deo faciet, & quidem tam factos jam, quàm etiam faciendos.

Ester. 2. 12

V. Aliquando, quemadmodum Regi Assuero, Reginæ sponsæque suæ, unguẽtis, omnique cultu Regio præparabantur; sic & homo, Animam suam cælesti Sponso, per sanguinis IEsu Christi balneum atque unguentum præparabit, vesteque passionum ac dolorum, & meritorum ejusdem induet, & omnes unitivos, sponsalesque affectus suos, vulneribus Christi, ab ignita sua charitate sauciati, conditos, ornatos, & pretiosos faciet, ut impleatur in Anima & Christo illud. *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor illius præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido.*

Apoc. 19. 7

Ita Passionis Christi balneum serviet meditatori devoto, & ad abluendas sordes peccatorum, & ad sublimandos appretiandosque apparatus virtutum, & ad consociandam, conjungendam, conglutinandamque animam, tanquam sponsam Deo, animarum verò, vero & amabili sponso, atque amatori.

MODVS XXXII.

TRigesimus secundus PassionemChristi meditandi modus est: recogitare illam, tanquam Beatitudinẽ Christi Domini, & simul nostram. Quia enim Dominus IEsus Beatitudinem definivit, atque sitam esse docuit in Paupertate Spiritûs, in Mansuetudine, in Luctu, &c. hæc verò omnia quã maximè elucescunt, atque à Christo exercita sunt in Passione: sequitur in Passione Dominum IESUM fuisse beatissimum: sequitur etiam nostram beatitudinem quàm maximam, sitam esse in Passione Christi, & in imitatione Passionis Christi; Est autem sermo hic, non de Beatitudine simpliciter seu Patriæ, quæ consistit in visione Beatifica Dei: sed de Beatitudine viæ, quæ consistit in Participatione Passionis Dominicæ: & est medium planum ad Beatitudinem Patriæ, juxta illud Sancti Leonis. *Certa atque secura est expectatio promissæ Beatitudinis, ubi est Participatio Dominicæ Passionis.*

I. Dixit ergo Dominus IESUS. *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Quia verò Dominus IESUS, in omni quidem vita sua fuit pauperrimus, sed tamen in Passione ultimam Paupertati substantiam complexus est: certum est, Christum Dominum in sua Passione, quẽadmodum spiritu pauperrimum, ita & Regni cælestis Dominum, ac tandem & Beatissimum fuisse.

II. Dixit etiam Dominus IESUS. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Si quis in Passione Domini Mansuetudinem ejus non videt, non discit, non amplectitur, in nullo alio loco eam agnoscet, in nullo libro discet, in nullo exemplo amplectetur. Nullibi enim majora argumenta, magisque convictivas demonstrationes ad Mansuetudinem suadentes, immo cogentes reperire possibile est, quam in IESU Patiente. Atque ita hic quoque IEsus Beatissimus fuit: hic ditissimus terræ possessor, hic etiam nobis Beatissimæ mititatis ad imitandum amplectendumque persuasor, & demonstrator exstitit.

III. Dixit quoque Dominus IESUS. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Consideret jam qui vult, quis magis lugens,

gens, quàm IEsus? Ubi magis lugens IEsus, quàm in Passione? quid tam luctuosum, quàm Passio Iesu? Ubi tam lugendus IEsus, quàm in Passione, & ob Passionem? quæ magis lugenda atque luctuosa causa cogitari potest, quàm illa propter quam Passus est IEsus? & quàm hæc ipsa, quia passus est IEsus, qui quantusquantus fuit (quantus autem aut quid non fuit IEsus? totus lugens, totus luctus fuit in sua Passione: adeò, ut non tantùm oculis, sed omnibus membris, omnibus viribus, omnibus potentiis, omnibus substantiis suis, planxerit; & insuper totum universum cum omnibus suis partibus, in societatem luctûs sui assumpserit, totoque se, toto universo, in sua Passione ploraverit. Quare cùm maximè lugens sit IEsus in Passione: maximè etiam Beatus, maximè consolatus, maximè beatificatus est in Passione. Quisquis ergo beatus esse cum IEsu vult, cum IEsu lugens, instar IEsu lugens, ad mensuram IEsu lugens, sit oportet. Lugeat lugente IEsu, lugeat lugentem IEsum, lugeat causam luctûs IEsu, lugeat dedisse se causam lugendi IEsu, lugeat non lugere se lugente IEsu, lugentemque IEsum lugeat, non lugeri lugentem IEsum, & lugente IEsu: lugeat ridere & insanire nos lugente pro nobis, & super nos JEsu: Imitetur lugentem IEsum: & luctu suo consoletur luctum IEsu, & hac ratione accipiet communionem consolationis JEsu, & erit luctu suo beatus, sicut suo fuit Beatissimus JEsus.

IV. Dixit præterea JEsus. *Beati qui esuriunt & sitiunt Iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Si Iustitia est Dei gloria aut Voluntas; si Iustitia est Salus, Redemptio, Sacrificatio nostra: si Iustitia est Eruditio, & Instructio, & deductio recta ad vitam æternam, & beatam omnium nostrû. Si Iustitia est cum Deo Pax, & reconciliatio nostra: quis hanc omnem Iustitiam esuriit aut sitiit magis quàm IEsus? Ubi verò hujus Justitiæ fame ac siti exarsit, & extabuit emarcuitque magis IEsus, quàm in Passione? Hæc illa fuit sitis, quàm IEsus in Cruce etiam moriturus testatam Deo & universo voluit, cùm exclamavit, Sitio. Hæc illum Justitiæ sitis ussit, hæc fames ursit, hac fame sitique mortuus est, hac fame sitique redempti sumus. Hac siti & fame Justitiæ, beatissimus factus est IEsus. In hac siti & fame, usque modò per salutem efficacem electorum subvenitur JEsu, & satiatur JEsus. Hac siti & fame usque modò laborat JEsus, usque modò vult nos cruciari & laborare JEsus. Hac siti & fame, nos laborare gaudet IEsus. Laborate, laborate hac siti, hac fame, omnes, omnes, qui diligitis IEsum, & siti fameque vestrâ, sitim famemque restinguite in IEsu; erit enim merces operi vestro; quoniam Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam, ipsi enim saturabuntur, hic quidem salute & Iustitiâ tam propria, quàm fratrum suorum, in Cœlo autem, gloriâ & beatitudine Iesu, & omnium Electorum. Sed nos esurimus & sitimus injustitiam magis quàm Justitiam. Nauseamus potiùs Justitiam, & famem, sitimque Justitiæ; plenis autem buccis edimus & bibimus nostræ aliorũque salutis & perfectionis negligentiam, nostram aliorumque perditionem. Cadit asina, & est qui sublevet; perit anima, & non est qui vel respiciat: hæc scilicet est sitis ac fames Justitiæ beatificans & satians!

Matth: 5.

V. Dixit ad hæc IEsus. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Considera quis magis misericors, quàm Patiens IEsus? considera quæ major misericordia, quàm Passio IEsu? ubi videbis misericordiam Dei, ubi Misericordiam Deum, ubi misericordiarum Patrem Deum, ubi multitudinem miserationum Dei, si non in Patiente, si non in Passione IEsu? Ibi ergo IEsus misericordissimus, ibi misericordiam omnem universo generi humano consequutus, ibi beatissimus. Hanc tu misericordiam recogita, hanc edisce, hanc ebibe, hanc sectare, hanc imitare, in hanc transi, & transmutare: & sic miserebitur tui Deus: & sic beatus eris, sicut est beatus IEsus. Alioqui nisi quis fuerit ita misericors, sicut fuit IEsus, nequaquam misericordiam consequetur, nequaquam beatus erit ut IEsus. Misericors est Deus, misericors est etiam IEsus: sed aliter Deus, aliter IEsus. Deus misericors est, at sine miseria sua; IEsus misericors est, per miseriam, passionem, & mortem suam: qui ergo vult esse beatus miseratione, sit misericors cum sua miseria & passione. talis enim misericordia est beatitudo; tali misericordiæ, miseretur Deus; talem misericordiam, in suæ Passionis exemplo docuit nos IEsus.

Matth: 5.7

VI Dixit insuper IEsus, *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Si cor mundum habentes Beati sunt, & Deum vident: quantò magis ipsa cordis munditia vera, & sine qua, nulla est in ullo corde munditia; & à qua, & per quàm, esto-

Matth: 5.8

est omnis omnium cordium munditia, & quæ est ipsius munditiæ cor, & medulla, & substantia: beata erit, beatitudo erit, Deumque videbit: Atque talis circa omnem dubitationem est IEsus, semper quidem & ubique, at specialiter & maximè in Passione sua; in qua lavit nos ab omnibus inquinamentis nostris; & in qua mundavit sibi omnem Electorum Ecclesiam, exhibuitque eã sibi non habentem maculam aut rugam. Attende jam ô Anima, quanti constiterit Christo IEsu Cordis tui munditia? attende quanta se impendit munditia, pro expurganda tua immunditia; attende quanta fuerit tua immunditia, cui abolendæ superessudit se tanta, tota munditia? attende quantùm appretianda tibi fuerit, & sit, tànto tibi sumptu indulta, & collata munditia? *Quotquot baptisati estis, Christum induistis*, clamat Apostolus. quod est dicere; Quotquot emundationem cordium & animarum in baptismo Christi accepistis, Christi ipsius munditiam superinduistis, & per gratiam ejus sanctificantem, ad esse, naturamque filiorum Dei, transistis.

Ephes: 5, 27

Galat: 3 27

VII. Dixit quoque JEsus. *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Scimus IEsum Pacificatorem esse: immo ipsammet pacem nostram, Principemque Pacis esse; qui fecit utraque unum, reconcilians ima summis, & dissolvens maceriam, tam peccati inter nos, & Deum dividentis, quã legalium observantiarum, inter Gentes & Iudæos separationẽ statuentium. Hæc autem Pacificationis opera potissimùm in Passione & per Passionem suam adimplevit: unde meritò non tantùm Pacificus, non tantum Beatus, non tantùm Fili Dei nomine vocatur: sed verissimè Pax ipsa, verissimè Pacis Princeps, verissimè Beatissimus, verissimè Filius connaturalis consubstantialisque existere inventus & probatus est. Discamus à Pacifico nostro IEsu Christo, veram pacis viam, veram pacificationis normam, veram & supremam pacis curandæ, statuendæ, servandæ legem Patientia ducit ad Pacem, patientia docet pacificationem, patientia facit pacificatores, facit pacificos. Sicut Impatientia & impotentia seminat discordias. *Unde enim bella, lites*, (ait Apostolus) *nonne ex concupiscentiis vestris? Si adhuc Zelus* (alius loquitur) *& contentio sunt inter vos, nonne carnales estis?* Qui carnalis est, brutus etiam & bestialis est, immortificatus & impatiens est, contentiosus, zelans, & belliger est. Patientia ergo pacatum, patientia pacificum, patientia Filium Dei, patientia Passi & Pacificatoris IEsu fratrem, patientia beatum, beatissimumque facit.

Matth. 5.

Iac: 4 2 1.

1. Cor. 3.

VIII. Dixit denique IEsus. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis*: Et quis, aut ubi, majorem persecutionem propter Iustitiã passus est, quàm in Passione morteque sua IEsus? cui tam maledixerunt homines? adversùm quem ita omne malum mentientes dixerunt homines, quàm contra IEsum Patientem? & in Cruce morientem? Ergo gaude & exulta & beatissimus esto mi IEsu: quoniam qui præ omnibus, immo & pro omnibus persecutionem passus es, præ omnibus, etiam, & pro omnibus *merces tua copiosa est in Cælis*. quin & ipse factus est merces magna nimis omnium nostrûm in Cælis. Vade & tu homo fac similiter; ama, & sectare, & sustine, & veluti suavissimum bolum degluti persecutiones, maledicta, mentientium adversùm te hominum, propter justitiam, propter innocentiam, propter virtutem, propter bonitatem, propter veritatem, propter beneficentiam, propter IEsum, & beatus in tali facto eris, & gloriari in isto nomine poteris & copiosæ mercedis in Cœlo hæres eris.

Matth: 5

Matth: 5

Hunc in modum Dominus IEsus, quam nobis beatitudinem commendavit, eam ipse amplexus est: utque eam amplectamur magis facto, quàm verbo, proprio hortatus est. hunc etiam in modũ nobis, & ostendit, & complanavit, facilitavitque viam rectissimam, simul ac altissimam compendiosissimamque ad omnimodam Sapientiam, Iustitiam, Sanctitatem, & Beatitudinem: hunc quoque in modum, correxit errores nostros inveteratissimos, qui ea, quæ sunt & ipsa bona maxima, & maximorum insuper bonorum, ipsarumque adeò beatitudinum, & materia, & seges, & via, & causa, malorum & detestabilium, & miseriarum infelicitatumque nomine appellare consuevimus. Ita scilicet *quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus*, quod miserrimum est Christi, beatius est omnibus humanis beatitatibus. Utinam homines istud Sapientiæ beatitudinisque arcanum, tam ardenter, tam solide, tam constanter discant, & teneant; quàm irrefragabilibus argumentis, & irrefutabili magisterio, & irreprobabili exemplo, illud docuit in omni quidem

1. Cor. 1

quidem sua vita, sed speciatim in omni Passione sua, IEsus.

Arbitror minimè fore pio lectori vel grave, vel inutile, si eundem ipsum meditandæ passionis Christi modum, verbis Sapientissimi Patris Ludovici de Ponte hic exposuero. habent enim verba ejus succum, & efficaciam sibi solitam. Sic igitur ille, dum expendit heroicas virtutes à Christo in Passione exercitas, loquitur. [Perpendam multitudinem & præstantiam harum virtutum, discurrendo per octo heroicos actus, quos Christus Dominus in suo sermone, quem in monte habuit, beatitudines apellavit, quasque ipse in sua Passione valde eminenter exercuit.

4. Parte ed: 1. Pun- 6. n. 2. Matt: 53. & sequ.

I. Nam primò exercuit *Paupertatem Spiritûs*, dum rebus omnibus, etiam propriis vestimentis renuntiavit, nudus omnino in Cruce manens. Cum Paupertate verò simul exercuit Humilitatem, quæ in ea includitur, dum vanos honores, mundique pompas calcavit, amplexus verò est omne genus opprobriorum.

II. Exercuit etiam heroicam *Mansuetudinem*, in medio tot ferarum, quæ ipsum mordebant, & lacerabant; ipse verò tāquam agnus nec loquebatur, nec se defendebat, aut indignabatur: tantam verò simul ostendit Fortitudinem, atque si adamas esset, in omnibus quæ patiebatur.

III. Flevit amare pro nostris peccatis, *clamore valido, & lachrymis, preces & supplicationes offerens*. Etiam usque ad sanguinem, quem per omnes corporis sui delicatissimi poros sudando effudit.

Hebr: 5.

IV. *Esurivit* insatiabiliter Iustitiam, quia nunquam satiatus fuit in faciendis bonis, nec in perferendis malis, ut nos justificaret, & Sanctitatis exempla præberet, & hanc ob causam in Cruce pendens, dixit, Sitio.

V. Fuit etiam singularis in *Misericordia* erga miseros, distribuendo illis, quidquid haberet, facultates omnes, honoré, sanguinem, vitam, ut eorum miseriis occurreret. Corpus quoque suum in cibum dedit, ut eorum famem expleret, & sanguinem suum in potum, ut eorum siti satisfaceret.

VI. *Cordis Munditiam* habuit eminentissimam, conservans se in gravissimis occasionibus, absque peccato ullo, & potius occasionem accipiens ex eis, ad præstantissimos virtutum actus exercendos.

VII. Fuit excellentissime *Pacificus*, quia nos cum æterno Patre suo pacificavit, veramque pacem nobis obtinuit, quam etiam erga eos retinuit, qui bellum ipsi gravissimum inferebant.

VIII. Passus denique est propter *iustitiam* maximas persecutiones, quas ullus unquam sit passus, idque maximâ Patientiâ, quam ullus unquam habuerit: ut propterea jure optimo omnia ei præmia debeantur, quæ his omnibus virtutibus correspondent, eademque promeritus est illis, qui ipsum in iisdem virtutibus imitarentur.

O Supreme Magister, si te loquentem in primo illo monte, audivissem, cùm de his virtutibus sermonem instituisti, & vidissem postea, dum in Calvario Monte Patiens easdem exercebas! Idem ipse eras, eundemque finem, in utroque monte habebas, loquens & faciens, docens alios pati, dum ipse patereris. Concede mihi Domine, gratiam, ut audiam quæ me docuisti; & exerceam, quæ ipse exercuisti, me ipsum his quæ fecisti & Passus fuisti tecum in omnibus conformando.] Hucusque Pater Ludovicus.

MODVS XXXIII.

TRigesimus tertius Modus meditandi Passionem Christi est: Perpendere quomodo illa omnia, quæ quondam Passus est in Corpore suo Humanitateque sua, nunc etiam patiatur moraliter in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, & uniuscujusque hominis peccatoris anima atque vita. Satis notum est illud quod quibusdam peccantibus ab Apostolo objicitur, dicente eos esse *rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes*, quod si crucifigentes, quidni & denudantes, quidni & flagellantes, quidni & coronâ spineâ illudentes, quidni abnegantes, & Barabbæ postponentes, quidni vendentes, & osculi signo tradentes, &c. Neque absimilis est alia illa Apostoli ejusdem exclamatio. *Quis vos fascinavit non obedire veritati. ante quorum oculos IESUS Christus proscriptus est, in vobis crucifixus.* quâ Apostolus peccata Galatarum perstringit: quorum proprius effectus est, Mors Christi. Quid enim aliud est peccatum, nisi Christicidium, & carnificina, crucifixioque Redemptoris? quare, quotquot sunt qui peccatum in conscientia sua gerunt, & vident, ii in sese Crucifixum Christum portant & spectant: quotquot verò scelera sua aggravant & innovant, ii Christi lanienam & crucifixionem exaggerant & restaurant. Cùm ergo hoc ita sit, re-

Hebr: 6. 6.

Gal: 3. 1.

ctè Passionis Christi Meditatio sic institui potest, ut quotidiana ejus instauratio spectetur defleaturque, & quidem toties repetita, quot sunt ii qui peccant, quique peccata seu cumulant, seu renovant: & tantò etiam indigniùs sceleratiusque id faciunt, quàm olim Iudæi fecere: quia hi quidem ignorantes Dominum gloriæ mori & pati fecerunt, at isti fidem in Christum profitentes, in eundem nihilominus jam gloriosum, jamque immortalem, & mori impotentem, sceleratissimam carnificinam exercent.

Itaque hodie adhuc venditur Christus: ab omnibus turpis lucri cupidis, & quæstum pietatem æstimantibus.

In horto Christus timet, tædet, contristatur: apud omnes deliciosos voluptatumque amatores.

Et sæpè hoc in horto oliveti sustinet Iesus: apud eos scilicet, quos per misericordiam suam peculiarem, in hortum, sive Ecclesiæ, sive Religionis alicujus sacræ, induxit.

Agonisat Iesus, apud eos, qui sese peccandi occasionibus, ultro immiscent.

Sudat sanguinem: apud oppressores pauperum, & devoratores eorum, sive in abscondito, sive in aperto.

Vigilat Christus, nobis interea per socordissimam securitatem negligentiamque stertentibus.

Osculo traditur Christus, ab his qui speciem licèt pietatis præferant, virtutem tamen ejus abnegant, qui dicunt Deo, Domine, Domine, & non faciunt, quæ imperat Dominus.

Captus est Christus apud eos, qui veritatem sive fidei, sive Iustitiæ in iniquitate detinent.

Affligitur in Concilio Sacerdotum IEsus, quia, ut ait Gregorius, à nemine tantum præjudicium patitur Deus, quàm à malis Sacerdotibus.

Falsi testes in IEsum subordinantur: apud iniquos rerum, morum, causarumque æstimatores, apud innocentum calumniatores.

IEsum totâ nocte excruciant, infandæ, innominandæque turpitudines.

Tacet IEsus apud Pilatum: quia potentes ea solum audire sustinent, quæ ad illorum sensum, & intentum sunt: solis adulatoribus & palpatoribus aures accommodant; Veritatis & æquitatis sinceros enarratores, foras excludunt.

In aula IEsus pro stulto habetur, multis quæstionibus exagitatur, constanter accusatur, illuditur. Pietati enim, virtuti, sinceritati, æquitati, modestiæ, veræ prudentiæ, quis locus in aulis? Exeat aulâ, qui vult esse pius.

A

Discipulus unus Christum vendit alter abjurat, alii deserunt omnes. Quis enim cæcus, nisi Dei servus: aut quis surdus, nisi ad quem nuntii Dei, semper mittuntur? Sicut non invenies meliores, quàm qui in Religione profecerunt; sic non invenies deteriores, quàm qui in Religione defecerunt. Optima vina, in mordacissimum degenerant acetum.

Flagellis emendatur IEsus: apud omnes detractores & persecutores, invidentesque bonis alienis, & quod bonū, pium, rectum, verumque est, hoc mordacitate linguarum suarum perfricantes & flagellantes: in quibus flagellis, qui IEsus, hoc est, qui solidus virtutis amator est, is proficit, & fortior evadit: sed qui infirmus, & pusillo corde est, hic coram flagello linguæ, evanescit.

B

Coronat IEsum: superbia, vana gloria, jactantia.

Nudat IEsum. Omnis inverecundia, omnis avaritia, omnis infamatio.

IEsum conspuit convitiator, contemptorque Dei & proximi.

Alapam dat IEsu, quisquis Potestati resistit, obstrepit, quisquis impotenter Probitatem opprimit.

C

Barabbæ IEsum præponit: quisquis dicit bonum, malum: malum, bonum: quisquis creaturæ & cupiditati postponit Creatoris voluntatem & dignitatem, quisquis respicit personam, non causam.

Sanguinem Christi super se, suosque accipiunt: qui vindictam quærunt, qui implacabilibus odiis ardent, qui aliis scandalo, & ad perditionem exemplo, aut incitamento sunt.

Damnant IEsum ad mortem, quotquot pravæ voluntati suæ, aut alienæ, in peccatum consentiunt: quotquot timorem hominum timent; Deum verò offendere non timent.

D

Aceto, & felle potant IEsum: gulosi ebriosique omnes: nec non illi, qui vitæ emendationem in extremas vitæ horas differunt.

Crucem IEsu imponunt: qui in malis alienis lætantur, rident, insultant, qui imponunt onera gravia aliis, quæ ipsi digito non tangunt.

Affigunt IEsum Cruci, qui in peccatis sunt hærentque obstinati.

Inter latrones IEsum deputant: qui alios propter Justitiam persequuntur: & calumniis inter pessimos pestilentissimos-

mos-

mosque ponunt.

Occidunt IEsum in Cruce: qui aliis perseverantiam in bono, seu statu, seu opere, vel invident, vel auferunt: qui etiam impatientes sunt in adversis, & unde meliores esse per flagella debuerant, deteriores ex impatientia evadunt: qui denique in malo finaliter moriuntur.

Extra urbem JEsum ejiciunt, & necant: qui meliorum convictum exosi, eos à se, vel se ab illis subtrahunt, ne illorum cõspectu lædantur, aut eorum exemplis, ad meliora vel inviti stimulentur.

Sed Iubet hunc ipsum meditandi modum, verbis Pretiosissimæ Dei Matris, Beatæ Brigittæ propositum, hîc etiam proponere. multam enim poterit utilitatem lectori afferre. Igitur Dei Mater cùm dixisset, Christo Filio suo ab inimicis quatuor mala illata,

...r. Re-
...at: c. 37.

I. Coronam spineam impositam. II. Manus & pedes perfossos. III. Fel propinatum. IV. Latus punctum. Ita deinceps pergit:

[Sed nunc conqueror, quia Filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in mundo, amariùs crucifigitur, quàm tunc Iudæi crucifixerunt eum. Nam licèt deinceps impassibilis sit, nec mori possit: tamen cum propriis vitiis crucifigunt eum. Sed tu fortè potes quærere, quomodo crucifigunt eum? utique primò ponunt eum in Cruce, quando de præceptis Creatoris sui & Domini non curant. Et dehonestant eum, quando ipse monet eos per servos servire sibi, & ipsi hoc contemnentes faciunt quæ sibi placent. Deinde crucifigunt dexteram manum, quando tenent Iustitiam pro Injustitia, dicentes. *Peccatum non est sic grave & odiosum Deo sicut dicitur, nec Deus in æternum affligit quenquam, sed propter timorem minatus est.* Deinde crucifigunt sinistram manum ejus, quando virtutem vertunt in vitium, volentes usque in finem peccare, dicentes. *Si dixerimus in fine semel: Miserere mei Deus, tanta est misericordia Dei, quòd habebimus veniam.* Hoc non est virtus, velle peccare, & non emendare. Postea crucifigunt pedes ejus, quando delectantur in faciendo peccatum: & non semel cogitant amaram Passionem Filii mei, nec regratiantur ei semel de intimo corde, dicentes. O quàm amara erat Passio tua Deus! Laus tibi sit pro morte tua. Coronant eum deinde Coronâ derisionis: quando derident servitores ejus, & vanitatem reputant servire ei. Dant ei etiam fel bibere, quando gaudent & exultant in peccato, nec ascendit semel in corda eorum, quàm grave & multiplex sit. Pungunt latus ejus, quando voluntatem habent perseverandi in peccato.

Verè dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris, quia tales sunt ante Filium meum, injustiores judicantibus eum. Immitiores crucifixoribus ejus, impudentiores venditoribus ejus, & major pœna debetur istis, quàm illis. Pilatus scivit bene Filium meum non peccasse, nec dignum aliquâ morte, tamen quia timuit temporalem potestatem & seditionem Iudæorum, judicavit quasi invitus filium meum ad mortem. Quid autem haberent isti timere, si ei servirent? aut quid de honore suo ac dignitate amitterent, si ipsum honorarent. Ideo graviùs isti judicabuntur, & deteriores Pilato, in conspectu Filii mei; quia Pilatus judicavit eum propter petitionem & voluntatem aliorum, cum timore quodam: isti autem judicant eum propter voluntatem propriam absque timore. Usque huc Beata Virgo loquitur Sanctæ Brigittæ, videri autem possunt sequentia in eandem sententiam, quæ brevitatis causâ hîc omitto.

Hunc aut similem in modum non inutiliter Christi Passio expendi potest. Sive quis hac meditatione IEsum à se ipso, sive ab aliis Crucifixum esse, crucifigi meditetur: habebit enim ex hac meditatione uberem pœnitentiæ de suis, ac alienis peccatis materiam, habebit copiosam pro Deo, ejusque honore ac voluntate zelandi causam, habebit efficaces, ad lugenda sua & aliena, immo & Dei Christique mala, ad procurandam suam & aliorum salutem, conversionemque stimulos: habebit multam occasionem ac segetem considerandæ Dei super peccatores patientiæ ac miserationis, deprecandæ ac amovendæ ab eis justæ Divinæ vindictæ: agendi gratias Deo, à quo se fortè sentiet ex talibus in Christum lanienis vel eductum, vel certè (quod majus est) etiam præservatum, &c.

Hujusmodi Meditationem de Christi Passione quæ etiam in præsenti tempore, ab ipso sustinentur, servatâ proportione potest facere homo aliquis, minimè quidem ille malignus & gravibus mortiferisque peccatis implicatus, statui tamen suo, quem fortè profitetur, item ubertati gratiarum, & auxiliorum Dei, quibus abundanter ad perfectiora studia, insigniorenque sanctitatem impellitur, minimè uti deberet respondens, quotidianis us-

nis iisque voluntariis imperfectionibus, immortificationibus, sensualitatibus, levitatibus, otiositatibus, alienorum factorum, morum, talentorum, censurationibus, bonorum omissionibus, ac dilationibus, in bono languoribus, vanæ gloriæ, honoris proprii venationibus, de se præsumptionibus, tepiditatibus, regularum suo statui propriarum transgressionibus, ac observantiarum communium vilipensionibus, in proximos quà domesticos, quà extraneos malorum exemplorum exhibitionibus, aliisque similibus tepidorum propriis modis, Christum perfectionis Magistrum, animarumque specialiùs à se dilectarum & præventarum Zelatorem, excruciant, & ejus Passionem innovant, adeò quidem intimo & penetrativo doloris sensu, ut Dominum IESUM tactum dolore cordis intrinsecùs, non raro pœnitere necesse sit, quòd tantam gratiarum copiam, in tales profuderit, adeoque demum incipiat eos evomere ex ore suo, tantò abominandos magis, irrevocabiliterque ejiciendos, quantò id quod nauseâ compellente aliquando dejecimus, odibilius detestamur.

MODVS XXXIV.

TRigesimus quartus Meditandi Passionem Domini Modus est: assumere ad considerandum miracula, quæ in Passione Domini facta legimus: quæque nunc etiam in nobis spiritualiter fieri experimur & videmus: quæ & agnoscere, & mirari, & æstimare, & Deum in eis, pro eisque laudare, & à nobis desiderari, acceptarique, summopere nobis salutare, Deo autem & Christo Redemptori nostro honorificum est. Est autem certum, plurima valde miracula in Passione Domini facta esse: immo tota Pasßio Domini, totusque patiens ac Passus IESUS, miraculum est sanè miraculosissimum: hoc tamen loco miracula pressiore modo assumpta consideranda propono, adductis aliquibus eorum in exemplum.

I. Miraculum fuit, Christum initio Pasßionis tristatum fuisse tædioque affectum, tam valido, ut juxta naturæ cursum mori ab illa vehementia debuerit, neque tamen mortuus sit: Hoc miraculum Passio Domini operatur frequentissimè in servis suis ad obsequium Domini, à sæculari & mala vita accedentibus, quos initia conversionis, & conversationis austerioris, naturæque ad talia insuetæ repugnantis, sæpe vehementer concutiunt atque tam timore, quàm tristitiâ, quam tœdio inundant, neque tamen absorbent, Dei virtute, Passionisque Christi efficaciâ adjuvante.

II. Miraculum fuit in Pasßione, Christum sanguinem sudasse, & salvam tamen illæsamque vitam conservasse: quam cõnaturaliter in tanta naturæ violentia, & complexionis teneritudine, auferri oportuit. Tale miraculum usque hodie operatur, & ab exordio Ecclesiæ operabatur Passio Christi, tum in Ecclesia tota universim, tum in particularibus fidelium Christi, Ecclesiæque filiorum personis. Quantis enim sudoribus, atque imbribus sanguinis, Ecclesia Christi à prima sui ætate ad usque hæc tempora sudavit? quantis etiam adhuc in diebus novissimis sudabit, in pœnitentibus, in Cõfessoribus, in Martyribus? Et tamen Ecclesia Christi, quæ tantis in angustiis fluctibusque persecutionum & tyrannidum, humano & naturali sensu peritura erat: tantùm abest ut perierit, ut potius in eam, quâ orbem implevit occupavitque universum, magnitudinem excreverit. Quod etiam suo modo miraculum patrat Passio Domini quotidie in singularibus Dei servorum personis: qui dum ad Deum convertuntur: usque adeo carnem sanguinemque omnem exuunt, usque adeo curam carnis sensûsque omnis deponunt, usque adeò etiam semetipsos sibi adimunt, sibique ipsis pereunt: planè ut mortui sepultique reputentur: qui tamen interea longe meliorem, ac diviniorem vitam in Christo absconditam assequuntur & vivunt.

III. Miraculum fuit in Passione, quòd neque Iudas, neque asseclæ ipsius, Christum aliàs sibi cognitissimum, anteque oculos positum agnoscere potuerint. Ita omnino etiam nunc omnibus peccaturis peccantibusque evenit: quòd Christum, in quem peccant, non agnoscant. Si enim cognoscerent, nunquam utique ad injurias illius, necemque in suis animabus illi inferendam prosilirent, neque ejus proditores fierent; sed enim nesciunt quid faciunt.

IV. Miraculum fuit in Passione Christi, omnem illam impiorum cohortem, unico Christi verbo, *Ego sum*, retro repulsam, & in supinum casum impulsam dejectamque. Tali scilicet miraculo quotidie peccatores terræ omnes cadunt, & inimici Christi terram lingunt. Hoc solùm discrimine, quod quidam supini corruunt,

ruunt, qui ſcilicet in reprobum dati ſenſum, non reſurgunt in Iudicio, ſed in peccatis ſuis moriuntur, & Deus memor eorum non eſt ampliùs. Quidam verò proni cadunt, qui ſcilicet poſt lapſum ad veniam & pœnitentiam veniunt, & convertuntur ad cor; in quibus peccata quidem corruunt, & quaſi plumbum in profundum deſcendunt, ipſi tamen lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Nimirum Chriſtus Paſſus, poſitus eſt in ruinâ, & in reſurrectionem multorum.

V. Miraculum fuit in Paſſione, auricula per Petrum abſciſſa ſervo Chriſtum invadenti, ab eodem Domino mox ſanata. Quale miraculum Paſsionis Dominicæ paſſim experiuntur peccatores, qui quo tempore maximè in Deum ejusque legem aut gratiam aut veritatem inſanire feſtinant, ad unicum interioris Gratiæ Chriſti contactum, auriculam dextram recipiunt, & ex infidelibus fideles, ex inobedientibus obedientes, ex perſecutoribus amatores, ex lupis agni, ex peccantibus pœnitentes evadunt. Exemplo eſt ipſe Petrus, quem negantem & abjurantem reſpexit, hoc eſt, tetigit in corde Chriſtus, & ſtatim auriculam ejus ſanavit, quâ ille recordatus verbi Domini, exivit foras, & flevit amarè. Exemplo eſt Paulus, exemplo Magdalena, &c. Exemplo etiam eſt unusquisque noſtrûm ſibi: qui toties ad tactum Domini auriculas recipimus, &c.

Miracula alia, ne longus ſim, non perſequar: paucis ea cum Sancto Bernardo perſtringam, dicente. Paſſionem Domini usque in hanc diem facere ut terra tremat, lapides confringantur, & aperiantur ſepulchra, atque velum templi medium à ſummo usque deorſum ſcindatur. Qui enim Paſſionem Dominicam recogitant, ii ſi *Terra* ſunt ob affectiones terrenas, & ob culpas cordium ſuorum, commoti tam ſeveræ Dei in ipſum ſuum unigenitum Juſtitiæ timore ſancto, contremiſcunt, & ad terrenos illos affectus ſuos deſerendos, excitantur. Quod ſi *Petræ* ſunt ob duritiem cordis, emolleſcunt, & confringuntur, ob magnitudinem doloris, quem & de ſuis peccatis, & Chriſti pœnis, quas pro eis ſubiit, concipiunt. Si ſunt *Sepulchra* clauſa, fœtentia, & plena oſſibus mortuorum, ob multitudinem criminum, & ob pudorem ea confitendi, aperiuntur virtute Paſsionis in confeſſionibus, ut mortem à ſe repellentes, ad vitæ novitatem conſurgant, & veniant in ſanctam beatitudinis æternæ Civitatem.

A Omnibus denique *Scinditur Velum*, quod dividebat inter nos & Deum, ut poſſimus juxta Apoſtolum *revelatâ facie gloriam Domini*, & abyſſum cæleſtium ejus ſecretorum *ſpeculari*. Nec absque cauſa diviſum eſt velum à ſummo usque deorſum, ſed ut ſignificaretur per Chriſtum Crucifixum licere nobis contemplari altitudinem Divinitatis, & excelſas ejus perfectiones: profunditatem quoque & humiliationem ejus Humanitatis, & perfectiſſimas maximèq; exemplares ejus virtutes. Obſcuratur etiam *Sol* in morte Chriſti; vel quia ubi Chriſtus mortuus eſt, ibi proculdubio cæcitas cordis eſt, B uti in infidelibus & peccatoribus videre eſt; vel quia, ubi efficacia Paſſionis mortisque Chriſti mentes invadit ac poſſidet, ibi omnes terrenæ mundanæ ſenſualesque deliciæ, vanitates, felicitates, & claritudines evaneſcunt, & in tenebras abeunt, contemptibilesque fiunt, & tanquam ſtercora reputantur propter Chriſtum: eligiturque potiùs abjectio in domo Domini, magis quàm habitatio in tabernaculis peccatorum, & in luce proſperitatum temporalium.

VIII.

IX. 2.Cor: 3. 18

X.

His, hunc aut in ſimilem modum, devotè conſideratis: quidni cũ Divo Bernardo pia anima exclamet? [Mirabilis Paſſio tua Domine Iesu, quæ paſſiones omnium noſtrûm propulſavit: propitiata eſt omnibus iniquitatibus noſtris; & nulli unquam peſti noſtræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tuâ morte ſalvetur?]

MODVS XXXV.

TRigeſimus quintus Paſſionem Domini meditandi modus eſt: Aſſumere Paſſionem Chriſti meditandam, tanquam D Materiam ſummi gaudii, & Patris Æterni, & Chriſti Domini, & totius univerſi; faciunt ad hoc propoſitum verba Beati Laurentii Iuſtiniani ita ſcribentis. *Nihil eorum quæ in ſacro continentur eloquio, ſic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, temperare laborem, peregrinationis tædium auferre, & æternæ felicitatis ſpem immittere, quemadmodum Redemptionis humanæ ſacroſanctum myſterium. In illo ſiquidem Divinæ miſerationis reſeratur abyſſus, Cælorum aperitur janua, caritatis latitudo oſtenditur, & quantus ſit homo apertiſsimè manifeſtatur. Vile eſſe non poteſt, quod Filii Dei ſanguine comparatur. Habet in illo Homo, unde gaudeat, habet unde triſtetur*] Et poſt pauca. *Pro tuis facinoribus ô homo triſtare in Chriſto: at-*

Lib: de triumphali agone Chriſti, c. 20. ab initio.

que de ipsius tibi collatis beneficiis lætare in illo. Quibus ex Beati Patriarchæ verbis colligere est, Passionem Dominicam, esse posse meditandi materiam, tum lugubrē, quàm superiùs tractati ferè omnes modi exhibent; tum lætam, & triumphalem, quam in præsenti modo explicamus.

Primum ergo meditari licet, quomodo Passio Christi fuit materia gaudendi Patri Æterno. Nam si gaudium Domini est Fortitudo nostra; quantò magis fortitudo sui Unigeniti: at hæc fortitudo Unigeniti Dei nusquam luculentiùs apparuit, quàm in Passione; Passio igitur Christi, gaudiū fuit Patris Æterni. Pari ratione, si Deus delectatur quando nos habet sibi subjectos, & facientes voluntates omnes ejus: ob idque nos vocat Dominus juxta Cor suum: quantò magis delectatus est ex subjectione Unigeniti sui; tantâ quidem subjectione, quantam in Passione exhibitam ab illo habuit, quam descripsit Apostolus, Exinanitionem sui, & obedientiam usque ad mortem, mortem autē Crucis. Ad hæc *Deus* unicè delectatur & desiderat exaltationem nominis sui, & gloriæ suæ propagationem, atque perfectionum suarum excellentissimarum manifestationem: at hanc nemo meliùs, quàm Christus, & hic ipse, nullibi ampliùs, quàm in Passione complevit. Sine dubio igitur Passio Christi Patri Æterno peramplam delectandi, gaudendiq; materiē exhibuit. Accedit quod Deus Sacrificia antiquæ Synagogæ sæpè gratissimo animo acceptasse, odoremque suavissimum eorum odoratus esse legatur, solo intuitu Passionis Christi futuræ: quantò ergo magis acceptavit; & suavissimè odoratus est ipsammet Passionem Christi? Hæc enim fuit omnium sacrificiorum, & holocautomatum incensorumque consummatio. Ergo Passio Christi materia fuit gaudii & gloriæ Æterno Patri. *Denique certum est*, quod Deo nihil sit, post suam ipsius Beatitudinem, quâ beatus est ipse ex se, gratius, suavius, gloriosius, quàm electorum suorum salus, & beatitudo: atqui hanc Passio Christi electis procuravit: nihil igitur Passione Christi Deo gratius, gloriosius, jucundiusque, aut fuit, aut esse potuit.

Jam verò ipsi Christo Passionem suam gaudii triumphique materiam fuisse, multa quidem evincunt fidei nostræ mysteria, scripturæque sacræ testimonia, sed illud inprimis factum ipsius Domini, quando imminente jam Passione suâ, paucis ante diebus, triumphaliter ingredi Ierosolymam voluit, tanquam præludens Passioni suæ, quâ reverà triumphaturus erat de omnibus inimicis Dei, & suis, & generis nostri: quem triumphalem ingressum suum, immo & victoriosam Passionem suam, tantò ante vocaverat, diem in quo coronavit eum Mater sua, utique Synagoga, diademate spineo, ornavitque sceptro arundineo, induit etiam coccineo vestimento, ac denique collocavit in alto Crucis throno, adjectâ etiam Epigraphe, IESUS *Nazarenus, Rex Judæorum*: Vocaverat diem desponsationis suæ, diem lætitiæ cordis sui. Etsi enim dies ille minimè fuit Lætitiæ Carnis & sensûs ejus; Cordi tamen ejus dies fuit gaudii & triumphi, & desponsationis cum sponsa Ecclesia.

Ad hoc propositum servit & aliud Christi Domini factum, quando nimirum in Monte Thaboreo, paulo etiam ante Passionem suam, transfiguratus est, non solùm corpore, sed etiam ipsâ veste, non ob aliud, quàm quia illâ temporaneâ Corporis sui gloriâ voluit carni suæ patibili, gustum quendam facere, illius gloriæ, illiusque gaudii, quod & tunc jam in Anima erat, & deinde in corpore futurum erat ex fructibus Passionis suæ. Inde est, quod Dominus IESUS in sua gloriosa transfiguratione, per quandam antithesim omnem suam Passionem efformavit: quidquid enim ferme postea passurus erat, horum omnium oppositum, veluti præmium Humanitati suæ passuræ præostendit, atque prægustandum exhibuit. v. g.

I. Erat Christus in sua Humanitate passurus immanissimam vultûs sui divini deformationem, ut non esset ei species neque decor; in transfiguratione, factâ est species vultûs ejus altera: *& resplenduit facies ejus sicut Sol.*

II. Erat Christus Passurus vestis albæ, seu splendentis ludibrium: in transfiguratione *facta sunt vestimenta ejus splendentia & candida nimis, velut nix.*

III. Erat Christus in Monte Oliveto coram solis, Petro, Iacobo, Ioanne in oratione ad Patrem agonisaturus, & sudaturus sanguinem: in monte quoque Thabor, coram iisdem solis tribus, facta est, cùm oraret, species vultûs ejus altera, & totum corpus ejus gloriosum.

IV. Erat Christus ab Anna & Caipha Sacerdotum & Synagogæ Principibus, reus mortis damnandus: in monte Thabor *Moyses & Elias visi in majestate loquentes excessum ejus, quē cōpleturus erat in Hierusalē.*

V. Erat

V. Erat Christus à gente sua & Pontificibus suis tradendus & abnegandus omnino, & ab iisdem tanquam ementitus Dei Filius, in Cruce sugillandus & illudendus: In Monte Thabor, Pater cœlestis confitetur eum filium suum dilectum.

VI. Erat Christus toto corpore flagellis conscindendus, spinis coronandus, conspuendus, alapis cædendus; in transfiguratione totus effectus est, gloriâ & honore coronatus, luce majore, quàm Solis est vestitus.

VII. Erat Christus inter latrones medius suspendendus: in Monte sancto, inter Moysem & Eliam, majestate utrûque plenum, conspicitur.

VIII. Erat Christus felle & aceto cibandus potandusque; in transfiguratione gustum glorificationis suæ percepit, & calici Passionis, calice transfigurationis præbibit.

IX. Erat Christus in sua Passione obscurato Sole,& Lunâ, tenebris involvendus, & veluti à luminaribus Cæli lugendus; in monte sancto, & ipse totus resplenduit, & Moyses Eliasque in Majestate visi sunt, & discipulos nubes lucida obumbravit.

X. Erat Christus postquam in Cruce clamans exspirasset, post terræ motum, post scissas petras, post monumenta Sanctorum aperta; à plerisque glorificandus, & quòd verè Filius Dei esset: confitendus. In monte etiam Thabor adsunt sancti Moyses & Elias, & Pater cælestis, ipse IESUM filium suum dilectum atque charissimum denuntiat.

In hunc modum Dominus noster *proposito sibi gaudio, & magnificâ gloriâ & honore* in monte Thabor, *contemptâ confusione, sustinuit crucem*. Et quasi calicis unius haustus esset, suavitèr atque sitibundè,totam Passionem exhausit.

[2. 2. / 1. 12 / 18. 11]

Servit & huic Proposito, quòd Dominus IESUS Passionem suam ut plurimum calicem, aut Baptismum vocitare solitus fuerit, quasi illi Passio sua solatii, gaudii, jucunditatisque immensæ, & interminatæ, molestiæ verò valde exiguæ,& omnino transitoriæ, unicoque haustu exsorbendæ causa futura esset. Unde etiam Apostolus non dubitat affirmare, Christum Dominum, proposito sibi gaudio sustinuisse Crucem,confusione contemptâ. Iam si quis consideret in Christo Domino Charitatem, Obedientiamque erga Patrem Æternum, studium promovendæ gloriæ ipsius, tam in terris, quàm in Cœlis, per Redemptionem humani generis: quæ fuit illi singularissimè proposita ab Æterno Patre, tanquam medium unicum atque præcipuum glorificandi Patrem in oculis universitatis: dubitare non poterit, summi gaudii, exultationisque materiam fuisse Christo, Passionem suam: quam ob causam à Davide describitur Christus Dominus, *exultaße ut Gigas ad currendam viam vitæ mortalis*: Et præceptum de morte acceptum à Patre, deposuisse *in medio cordis sui*, instar amabilissimi & pretiosissimi pignoris, à Deo Patre sibi oblati: hinc dissuadentes, aut impedientes Passionem suam,nunquam non molestè audiit, nunquam non durè excepit. Nimirum Passio, fuit Christo Campus quidam ingens exercendæ charitatis suæ, obedientiæque erga Patrem: fuit materia, immo, ut ille vocare solebat, cibus unicus propriusque, explendæ fami suæ apparatus, per expletionem Paternæ voluntatis. Accessit odium peccati, quo Christus immensè flagravit, abolereque de mundo, & ab oculis Patris Æterni per sanguinis sui diluvium amovere, inter felicitates suas magnas reputavit. Accessit etiam zelus iustitiæ, quo stimulabatur ad resarciendam condignè læsam Majestatem Dei. Accessit Amor salutis nostræ, & studium reconciliationis nostræ cum Patre Æterno, & sitis ereptionis ex servitute peccati, atque diaboli, & damnationis æternæ, collocationis verò nostri in beatitudine, gratia, gloriaque cælesti. quæ sitis tantâ fuit in Christo, ut de ea dictum sit illud in Canticis. *Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnē substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* quod ad literam à Christo in Passione pro nobis suscepta impletum est; quamvis enim Passio illa fuit tanquam mare vastum, quamvis fuerit tanquam infernus hujus vitæ, quamvis omnes potestates tenebrarum, fecerint in ea de Christo quidquid tandem voluerunt, obruta tamen est omnis ista violentia, & æmulatio infernalium aquarum, & sepulta in charitate Christi erga nos: adeò ut exhausto ad imum Passionis calice, & necdum suæ Charitatis ardore refrigerato, clamaverit in Cruce insuper, *Sitio*, & licèt omnem substantiam suam, domûs suæ, Humanitatis nempe, Animâ, Carnem, Sanguinem, Vitam, reliquaque omnia profudisset, quasi tamen profudisset nihil, post resurrectionem suam oblitus

[14.36 / 2. 50. — Psal. 18. 6. — Cant. 8. 6. 7.]

tus pœnè & ignarus, quid nuper in Passionis hora egisset, interrogat duos discipulos in Emaus euntes, Quænam gesta fuissent in Hierusalem, proximis diebus. Hæc ergo Charitas Christi, volens ad plenum triumphare de Christo, quo neminem habuit unquam magis sibi subjectum atque subditum, Passionem adornavit, in qua totum Christum circumduxit, & veluti triumphabunda sese ostentavit, fecitque in eo qæcunque voluit. Mitto alia capita quæ ostendunt, Passionem fuisse Christo materiam triumphi gaudiique, quorum longa series adhuc pertexi posset: concludo illo unico, quod copiosè recenset explicatque Apostolus, qui cùm dixisset, quomodo *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccato, convivificavit nos in Christo (cujus gratiâ sumus salvati) & conresuscitavit, & consedere fecit in Cælestibus, in Christo IESU, ut ostenderet in sæculis supervenientibus divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo IESU.* cùm inquam, hæc admiranda, & planè ineffabilia dixisset, post pauca subdit. *Eratis sine Deo in hoc mundo, nunc autem in Christo IESU, vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope, in Sanguine Christi. Ipse enim est Pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso, in unum novum hominem, faciens Pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Quod est dicere, Deum Patrem, nimiâ Charitate suâ impulsum in nos, objecisse Filium unicum Passioni: Filium autem ipsum, Amore & studio pacificandi Deum cum Hominibus, Cælestia cum terrestribus, Israëlem cum Gentibus, Sanguine suo tabulas pacis conscripsisse, Passione suâ pacta conventaque firmasse, morte tandem suâ, totum fœdus testamentumque validũ & irrevocabile reddidisse, & per hoc gloriosum illud nomen cum re, Principis Pacis obtinuisse.

Ephes. 2. 4.

Ibid. v. 13.

Denique, toti universo, Passionẽ Christi, materiam gaudii esse, jam ex prædictis satis constat. Nã *inprimis* tota rerum universitas peccato primo turbata, & veluti sauciata, Passione Domini IESU instaurata est, & ordini suo, paci, statui, quietique restituta. *Deinde* Angelicæ creaturæ ruinæ, per Passionem Christi instauratæ atque impletæ sunt; haud dubiè nõ absque ejus solatio & gaudio. *Denique*, humano generi, Passio Domini materia gaudii, exultationis, lætitiæque inenarrabilis fuit, tam indubitatè, quàm indubitatum est, extremè collapsum fuisse genus nostrum, & consurgere convalescereque ex casu, nonnisi per Passionem Christi potuisse. Quocirca de Patre fidei Abrahamo, ipse Christus Dominus testatur, eum, quando pro Filio Isaac, arietem in spineto cornibus hærentem obtulit, tunc in mysterio agnovisse mortem unigeniti Dei, diemque Christi tunc vidisse, videndoque gavisum esse. Non enim Sanctus Abraham gavisus est, pro Filio arietem à se immolatum, sed potiùs exultavit tam pro se, quàm pro Filio, quàm pro universo genere humano, olim esse immolandum Dei Filium, propter quod & dedit loco illi nomen (*in monte Dominus videbit.*) Pluribus bona humano generi ex Passione Christi enata recensere, nec hujus loci est, neque necessarium est, & hæc meditando potiùs quàm legendo pius animus scrutari, ac in gratiarum actionem perpetuam, incessabilemque lætitiam, & Christi Passi Amorem inextinguibilem, magis ac magis semper accendi debet.

Ioan.

Gen.

MODVS XXXVI.

TRigesimus sextus Passionẽm Domini meditandi modus est; Partiendo eã in Laborem & Dolorem, quem Christus Dominus patiendo sustinuit. Dulciùs sapiet hæc Meditatio, à Bernardi, quàm à meis verbis: quæ proinde hic appono.

„ Duo nobis reliquerat in hæreditatem vetustus Adam, qui fugit à facie Domini; Laborem videlicet & Dolorem. Laborem in actione, Dolorem in Passione. Non hoc ipse audierat in Paradiso, quem acceperat ut operaretur, & custodiret illum: operaretur delectabiliter, custodiret fideliter sibi, & posteris suis.

Fer. sanc.

„ Christus Dominus laborem & dolorem consideravit, ut traderet eos in manus suas: immo se magis in manus eorum, infixus in limo profundi, & intraverunt aquæ istæ usque ad Animam ejus. *Vide* (inquit ad Patrem) *humilitatem meam & laborem meum, quia pauper ego sum & in laboribus à juventute mea. Laboravit sustinens, manus ejus in laboribus servierunt.* De Dolore vide quid dixerit. *O vos omnes qui transitũ per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Verè languores nostros ipse portavit.* Vir dolorũ, pauper & dolens, tentatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam actionem, & in morte Passionem activam susti-

Psal.

Thren.

Isa.

sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ.

Proinde memor ero, quàmdiu fuero, laborum illorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ per eum, & super eum, abundantiùs transierunt.

Facit ergo mihi Fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam Imitatio, ut sequar vestigia ejus. Alioquin exquiretur à me sanguis justus, qui effusus est super terram, nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Iudæorum, quòd videlicet tantæ charitati fuerim ingratus, quòd spiritui gratiæ, contumeliam fecerim: quòd sanguinem testamenti pollutum duxerim: quòd conculcaverim Filium Dei.

Sunt plerique qui laborem & dolorem patiuntur, sed necessitas in causa est, non voluntas; & hi non sunt conformes imagini Filii Dei. Sunt qui ex voluntate sustinent; sed non est eis, pars neque sors in sermone isto. Vigilat totâ nocte luxuriosus, non solùm patienter sed etiam libenter ut expleat suam voluptatem; vigilat raptor vestitus ferro, ut diripiat prædam; Vigilat fur, ut domum perfodiat alienam: sed hi omnes, & horum similes, longè sunt à labore & dolore, quem considerat Dominus. Homines autem bonæ voluntatis, qui Christianâ voluntate, divitias paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocunque ierit.

Hujusmodi autem Imitatio validissimum mihi argumentum est. quòd Passio Salvatoris, & similitudo Humanitatis, in meam transeunt utilitatem. Hic enim sapor, hic fructus est & laboris, & doloris.] Hæc Bernardus. cujus verbis, nihil præter uberiorem & intimiorem mentis considerationem addendum arbitror.

MODVS XXXVII.

TRigesimus septimus Passionem Domini meditandi est. Assumere ad cósiderandum quinque præcipua genera rerum in Christi Passione elucescentium; qualia sunt. 1. Dolores interni Animi Christi. 2. Dolores externi Co^r^poris Christi. 3. Virtutes excellentes & Heroicæ in Passione à Christo exercitæ. 4. Opera & labores admirandi à Christo, tam in vita quàm Passione perfecti. 5. Excessiva Charitas Christi, quâ omnia priora perfecit patravitque. Hæc quinque Capita, possunt per totidem vulnera Christi distribui, in eisque expendi, adorari, aliisque actibus piis, ac utilibus honorari. Hoc meditandi Passionem Christo modo, usus est, & aliis tradidit Pater Joannes Argentus, vir in Societate nostra, magnæ perfectionis atque Sapientiæ Spiritualis: tum verò de hac nostra Polona Provincia optimè meritus. Cujus exercitium hoc libenter insero, tum grati animi mei in virum illum studio, tum quia illud ad profectum Spiritualem, in cujuscunque statûs persona promovendum perutile judico, qua etiam de causa, totam exercitii hujus dispositionem & praxim, prout eam à prudentissimo illo Patre traditam in adversariis meis asceticis ante annos triginta notatam habeo, in præsenti exhibere volo. Sic igitur Praxis & dispositio illa se habet.

I. *Consideratio*, Dolorum internorum Animæ Christi in vulnere sinistri pedis ejusdem. Saluto te, adoro, glorifico, gloriosum sinistri Pedis vulnus Domini mei IESU Christi, & in honorem tuum genuflexione hâc adorationem facio, illo toto affectu, quo te omnes creaturæ adorant, adorareque debent in æternum.

Sequatur contemplatio Dolorum Animæ Christi internorum; qui fuêre tædia, timores, contristationes, agoniæ, contemptus, odia, confusiones, contumeliæ, calumniæ, blasphemiæ, desolationes, insultationes, ingratitudines, indignitates, furores, injuriæ, &c. Expendā quam intensi, quàm puri, quàm longi, à quibus, pro quibus, propter quæ peccata fuêre suscepti? Ex quibus considerationibus, surgent in me affectus gratitudinis, compassionis, admirationis, deprecationis, confusionis, imitationis, atque instructionis, quomodo nimirum ad hujus Exemplaris in Christo elucescentis normam, regendæ sint mihi passiones meæ, potentiæque interiores Animæ, tū omnes, tum eæ potissimùm, quarum inordinatione frequentiùs delinquo.

Propter merita gloriosi adorandique hujus vulneris tui mansuetissime IESU, postulo à Te misericordiam, & gratiam tuam copiosam, & efficacem, ad mortificandas in me passiones meas: ad mode-

randam in me curiositatem intellectûs: malitiam & effrenitatem voluntatis, labilitatem & brutitatem memoriæ: ad expellendam quoque ex me superbiã mentis, inobedientiam, impatientiam, vindicandi temeritatem, gulam, tepiditatem, inconstantiam, omnemque omnino inordinationem, effervescentiam, rebellionem partis inferioris, & superioris, Animæ.

Neque solùm mihi, sed etiam omnibus amicis, benefactoribus, tam privatis, quã communibus meis; omnibus quoque, quos Tu Domine scis & vis esse, in Te & propter Te meos, omnibus denique proximis meis, ista peto, ut Tibi una mecum, ab omni sensuum passionumque perturbatione, ab omni sæculi & sui amore liberati, integro corde, pleno affectu, sincera inhæsione serviant in æternum.

Porro mi Iesu omnes istas Sacratissimæ Animæ Tuæ extremas acerbitates, amabili tuo cordi offero. Offerens Tibi simul, per Te autem Æterno Patri Tuo, Spirituique Sancto meipsum totum, petens à Te, & Patre Tuo, Spirituque Sancto, ut hanc oblationem mei ipsius suscipientes, repleatis me Spiritu veræ de peccatis meis contritionis, passionum quoque mearum mortificationis, & solidissimæ mansuetudinis. *Pater noster.* & *Ave Maria.*

II. *Consideratio,* Dolorum externorum Corporis Christi in vulnere Dextri Pedis ejusdem.

Saluto Te, adoro, glorifico, suavissimum dextri pedis vulnus, Domini mei Iesu Christi: & in honorem tuum, hanc genuflexionem adoratoriam facio, toto illo affectu, quo Te creaturæ omnes adorant, & adorare debent in æternum.

Sequitur Contemplatio affectiva Dolorum externorum in Corpore à Christo susceptorum, statuendo omnia Passionis genera, & instrumenta ob oculos, Iesumque his omnibus subjectum. Nunc ergo Iesus Sanguinem sudans, nunc inter militum manus, nunc in carcere nocturno, nunc ad columnam, nunc Homo ille purpuratus coronatusque, nunc sub cruce gemens, nunc in cruce pendens, nunc in sepulchro cadaver jacens, &c. horumque omnium, opus, modus, causa, dispiciatur. Inde autem ego discam quàm severè corpus meum, sensusque meos tractare, quam avide saginari incommodorum corporalium patientiâ, & Crucibus debeam pro Christo. Propter merita hujus Tui in dextro Pede vulneris suavissi-

A mi, mi Iesu, postulo gratiam tuam, ad sustinendum aliquid pro Te hodie, & semper, cum omni patientia, & alacritate, cum gaudio & fame, ampliora patiendi; postulo amorem sincerum, omnium meorum inimicorum, ingratorum, malefactorumque: plenam etiam & veram injuriarum oblivionem, ac propter Te condonationem, Tibi verò earum donationem: postulo ut omnia adversa tanquam prospera, nec tanquam à creatura, sed tanquam à tua manu Divina in me Paterno affectu collata & immissa acceptem, manum tuam exosculer, ipsique me humiliter subjiciam.

B Quod ipsum postulo omnibus quocunque modo, etiam per inimicitiam odiumque mei, meis, quosque Tu Domine vis & scis esse in Te, & propter Te meos: ut Tibi unà mecum, pleno & fideli corde, servire, propter Te omnia mansuetè perpeti, ac in ferventi tui dilectione perseverare valeant in æternum.

Super hæc omnia verò, propter omnes hosce tuos mi Iesu cruciatus Corporis tui, suscipe me à me in donum, Patrique Tuo Æterno, & Spiritui Sancto me similiter in donum simul cum doloribus tuis omnibus exhibe: ac mihi unà cum illis C veram patientiam, cordis munditiem, ac puritatem, cumque vestra Divinissima voluntate concordiam æternam elargire. *Pater noster. Ave Maria.*

III. *Consideratio,* Heroicarum virtutum Christi, in vulnere sinistræ manus ejusdem.

Saluto, adoro, glorifico, Te dignissimum sinistræ manus vulnus Domini Iesu Christi, & in honorem tuum, genuflexionem hanc adoratoriam facio, illo toto affectu, quo Te omnes Creaturæ adorant, adorareque debent in æternum.

Sequatur contemplatio Heroicarum D Christi virtutum, in Passione elucescentium. Summa nempe in Deum & proximum, etiam inimicum, & interfectorem Charitas, summa Humilitas, summa mansuetudo, patientia, obedientia, resignatio, paupertas, puritas, silentium, modestia, compassio, innocentia, justitia, miseratio, constantia, prudentia, abstinentia, moderatio, zelus Dei gloriæ, & salutis animarum, mortificatio, fortitudo, fiducia, perseverantia. Ex quarũ omnium virtutum contemplatione, accendar desiderio & studio similium in specie, & in gradu, in me, & in aliis, perpetuâ praxi, & exercitatione, in quavis occasione plantandarum.

Propter

Propter merita hujus Tui dignissimi in sinistra manu vulneris, piissime Iesu, postulo gratiam tuam, ad cognoscendam, exoptandam, exercendam, obtinendamque, heroicarum tuarum virtutum omnium perfectionem. Postulo humilitatem internam, odium & contemptum mei, mansuetudinem, obedientiam, fidem, spem, inimicorum amorem, injuriarum oblivionem & condonationem, Dei timorem, animarum zelum, prudentiam & spirituum discretionem, fervorem, constantiam, modestiam, perseverantiam in bono & perfectione finalem; omniaque omnino alia bona, quæ me Tibi gratiorem reddere possunt.

Neque soli mihi, sed omnibus etiam, quoscunque meos esse scis & vis, ista eadem postulo, ipsosque in hoc tuo pretioso vulnere abscondo, ut Tibi, mecum unà, in omnium virtutum plenitudine, potissimùm in plena Christianaque Sanctitate, serviant in æternum.

Eam ob rem ô Dulcissime Iesu, totam Animæ, cordis, ac voluntatis meæ substantiam, Tibi in præsenti dedico, & cõsecro, in habitaculum, in thronum, in templum. Simul autem id ipsum Tibi ô Pater Æterne, Tibique ô Sancte Spiritus facio, dedicans me totum Tibi, per omnes Iesu Christi virtutum ac meritorum gratissimos oculis tuis thesauros. Accipe, quæso, ô Æterne Pater, thesauros istos immensos cum hoc minuto meo, dedicationisque meæ, & ad me servum tuum cũ Filio & cum Spiritu Sancto, in plenitudine virtutum gratiarumque veniens, gratam Tibi & æternam fac in me mansionem. *Pater noster. Ave MARIA.*

IV. *Consideratio*, Mirabilium operum, & laborum Christi in Dextræ manus vulnere ejusdem.

Saluto, adoro, glorifico Te speciosum venerandumque, dextræ manus vulnus Domini mei Jesu Christi, & in honorem tuum, hanc adoratoriam genuflexionem facio, toto illo affectu, quo Te omnes creaturæ adorant, adorareque debent in æternum.

Sequatur contemplatio, mirabilium, & nostræ saluti utilium Iesu Christi operum, & laborum, ab ejus dextera patratorum, tum in omni vita, tum in omni Passione, atque morte potissimùm. Talia sunt: Prædicatio, itinera, jejunia, vigiliæ, orationes, fatigationes, perpessiones famis, sitis, æstûs, frigoris, morositatis, & ruditatis, & importunitatis humanæ, insidiarum quoque & dolositatum, & violentiarum. Talia quoque sunt Miracula omnis generis, ab ortu suo usque ad mortem, Instructio, institutio, redemptioque Ecclesiæ, nec non Ordinis ejusdem, Sacramentorum quoque & Sacrificii, tum præceptorum, consiliorum, votorum, perfectionum, mysteriorumque, &c. Ex quibus consurget in me vehemens desiderium faciendi laborandique, quàm plurima & quàm dignissimè: estò sint vilia & abjecta in hominum oculis, estò contradictionis, & confusionis, & crucis plena, pro Gloria Christi, pro voluntate Dei, pro salute animarum.

Propter merita hujusce speciosi ac venerandi vulneris in dextra manu tua mi Iesu, postulo misericordiam tuam, ad operandum & laborandum semper aliquid, tum hodie, tum in omni vita mea, quod sit Tibi Deo meo gratum, & gloriosum, mihi autem & proximis meis, tuo pretioso sanguine redemptis salutare. Ac, si indignus sum, aliquid aliud operis propter Te facere, opto saltem, ut me, & omnes redemptos tuos facias in Sanctitate, donorumque perfectione magnos: opto ut Ecclesiam tuam universam idoneis operariis, ac secundùm cor tuum, per omnia factis locupletes; opto denique, ut nos redemptos tuos omnes, in gratia tua stabilias, confirmes, perseverare & mori in dilectione tua facias: quos omnes ideo, mecum unà in hoc specioso vulnere tuo demergo, & Tibi in eo protegendos committo, ut Tibi mecum in magnis & Sanctis laboribus, cum magno gloriæ tuæ incremento, cum longa & laboribus multis magnisque pari valetudine & vita deserviant in æternum.

In quem finem mi Iesu, Tibi, & per Te Patri tuo Æterno, Spirituique Sancto, me unà Tecum Sacrifico, tuoque quod in ultima cæna & in ara Crucis (Sacrificium ipse & Sacerdos existens) obtulisti, Sacrificio, meum hoc Sacrificium unio & dignifico, petens à Te, Tuoque Æterno Patre, & Spiritu Sancto, ut hoc meum de me ipso Sacrificium, in odorem suavitatis accipientes, me nunquam ab isto, me ipsũ vobis, per multos, magnos, assiduosque labores sacrificandi munere ac opere, cessare faciatis. *Pater noster. Ave Maria.*

V. *Consideratio*, Charitatis, amorosissimique Cordis Iesu Christi in vulnere Cordis ejusdem.

Saluto, adoro, glorifico Te Amorosissimum lateris & cordis, vulnus Domini mei Iesu Christi: & in honorem tuum genuflexionem hanc adoratoriam facio,

toto

toto illo affectu, quo Te omnes creaturæ adorant, & adorare debent in æternum.

Sequatur Contemplatio humilis, sed ardens & diligens Amorosissimi Cordis Iesu Christi, ejusque vulneris. Mirabor ignes illos & æstus excessivos ac verè divinos, quibus Dominus Iesus, erga humanum genus, & erga Patrem Æternum arsit in Passione sua. Hic verò etiam ipse accendar desiderio ignito, respondendi tantæ Charitati, flagrando eâdem incessabiliter, practicè, quam maximè.

Propter merita Amorosissimi vulneris in latere & corde tuo, mi Iesu, postulo gratiam & misericordiam tuam, ad redamandum Te, puro corde, amore casto, forti, fideli, dulci, prudenti, humili, ignito, efficaci, æterno. Quod si non licet tanto qui sit par tuo, tanto saltem qui sit simillimus, & dignissimus tuo. Quod non soli mihi, sed etiam toti universo, toti Ecclesiæ, toti Regno, toti Provinciæ, Urbi, domui, communitati, ordini huic, omnibus præcipuè, quos meos in Te, & propter Te scis, & vis, humillimè ardentissimeque postulo, & illos omnes in hoc centrum, officinam, & mare amoris, in vulnus scilicet ignitissimi tui cordis, mecum unà injicio, & demergo; ut in eo tanquam in centro immobiliter maneamus, tanquam in mari plenissimè absorbeamur, tanquam in officina exactissimè perficiamur. Ut Tibi Deo, Redemptori, Patri, Sponso, Amori nostro, omnes & singuli ardenter, perseveranter, superabundanter, consummatè ad usque mortem, & post, per omnem æternitatem deserviamus. Quod ut fiat, postulo tam mihi, quàm omnibus, guttulas Sanctissimi Amorosissimique Sanguinis tui, quas in cordibus nostris perpetuò circumgestemus, iisque ad inextinguibilem, & incessabilem Amorem tuum, semper magis ac magis accendamur.

Propter quod mi Dulcis & superadmirabilis Amator Iesu, ego me Tibi Tecumque, ac per Te Patri Æterno, Spirituique Sancto, super altare Cordis Tui, igne Tuæ Charitatis, in Patrem, in Mundum, in Electos, in me, holocaustum facio; pure ad gloriam tuam, Patrisque Tui, & Spiritûs Sancti. Petens & rogans à Te suppliciter, ut me ignito amore tuo, & Tui, in favillam redigas, meque totum in vulnus Amoris, in amoremque ipsum, quantùm in toto me capax sum, quantùm verò Tu cum Patre & Spiritu Sancto in toto Te dignus es, convertas, neque ab hoc vulnere unquam sanari, cessareque sinas, sed potiùs illud in me semper vivum, recens, ampliùs ampliusque recrudescere, per omnem æternitatem facias.

Pater noster. Ave Maria. Credo. Anima Christi, &c.

MODUS XXXVIII.

Trigesimus octavus modus meditandi Passionem Christi esse potest. Si assumendo Passionis Dominicæ partes ad expendendum, Anima conetur Christo Domino Passionem suam compensare, vicemque quàm maximè Christo gratam, animæ verò salutarem rependere. Modum hunc meditandæ Passionis, docuit Christus Dominus ipse, Beatam Gertrudem, istâ, quæ sequitur, ratione.

Insin. Divin. lib. 4 ante

[Dum in die Sancto Parasceves circa memoriam Dominicæ Passionis suaviùs afficeretur Beata Gertrudis, vicemque Amoris Dilecto ex intimo cordis affectu rependere desideraret, dixit ad Dominum. Eja, doce me ô unica spes, & salus animæ meæ, quomodo Tibi, pro tua Passione, saltem aliquam possim reddere vicem? Ad quod Dominus.

Si quis alienum sensum sequitur, & nõ suum: ille mihi Captivitatem, quâ, horâ matutinali, captus, ligatus, multisque injuriis affectus sum, pro salute humana, rependit. Qui verò humiliter culpabilem se reddit, Iudicium, quo, horâ primâ, multis, falsisq; testibus accusatus, & morti adjudicatus sum, mihi recõpensat.

Qui autem sensus suos continet à delectabilibus: flagella, quæ sustinui horâ tertiâ, mihi rependit.

Et qui se subdit discolis Prælatis, spineam coronam mihi alleviat.

Qui verò læsus primus ad pacem humiliatur, Crucis mihi bajulationem restituit, seu recompensat.

Si quis autem supra posse se extendit, ad opera Charitatis erga proximum; Extensionem, quâ, horâ sextâ, in Cruce acriter distentus sum, mihi rependit.

Qui etiam non fugit gravamen contumeliæ vel tribulationis, ut proximum retrahat à culpa, mortem meam mihi rependit, quam pertuli horâ nonâ, pro salute humana.

Qui autem convitiatus (ab alio) humiliter respondet: Me quasi de Cruce deponit.

Qui

Qui verò proximum sibi præfert, reputans ipsum majori honore vel commodo, vel alio bono se digniorem: ille sepulturam mihi rependit.] Hæc Dominus, ad dilectam suam sponsam Gertrudem.

Cujus ad instar, poterit facile Anima devota plures compensationes Dolorum & Injuriarum Christi sibimet adinvenire, & proponere, & easdem exercere v. g. ut Christo Sanguineum sudorem compenset: studeat laborare pro Christo usque ad defatigationem &c.

Ut proditorium Iudæ osculum rependat: mansuetè & benevolè suscipiat & alloquatur, eos etiam, quos malè sibi affectos alias scit.

Ut nocturnas Christo injurias resarciat: exequatur illud Psalmistæ monitum: In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.

Ut nudum Christum vestiat: vestiat pauperem.

Ut Herodianas illusiones Christo rependat; velit esse stultus propter Christum, & velit stultus haberi, & existimari. Atque in hunc modum, poterit totam Passionem Christi, eidem Christo multiplicibus virtutum actibus recompensare: cum multo suo profectu interiori, & contentatione Cordis Divini: quẽadmodum tum res ipsa per se indicat; tum etiam Christus Dominus, eidem Beatæ Gertrudi, dignatus est significare.

Cum enim hæc Sancta ex memoria, quòd Dominus horâ tertiâ spinis coronatus, ad columnam dirè flagellatus, suis fessis cruentisque humeris crucem dignatus est bajulare, vehementius fuisset succensa, dixissetque ad Dominum. Ecce Amator mi dulcissime, ad respondendum Amori tuo, pro tam indebita amaritudine Tuæ innocentissimæ Passionis, exhibeo Tibi Cor meum, desiderans omnem amaritudinem, & dolorem dulcissimi Cordis, & immaculati corporis tui perferre ab hora ista, usque in horam extremi exitûs mei, orans, ut quomodocunque ex humana fragilitate, horum recordatio à mea labitur memoria, facias me corporalem dolorem cordis sentire, qui dignè respondeat amaritudini tuæ Passionis. Respondit Dominus. Talis voluntas, & Fidelitas cordis tui, satis sufficienter respondet mihi. Sed ut plenam in corde tuo possim habere delectationem, da mihi libertatem faciendi, & continendi in eo quæcunque volo, non disponens utrũ dulcedinem, sive amaritudinem tibi infundam.

MODUS XXXIX.

Trigesimus nonus meditandi Passionem Dominicam modus est: Assumere ad meditandum selectos Christi Domini dolores. Etsi enim omnes & singuli, quantumlibet opinione nostrâ minuti Christi cruciatus, fuere Christo Domino summè dolorifeti, ratione Dignitatis, Innocentiæ & Teneritudinis ipsius, tam interioris quàm exterioris; sine dubio tamen fuit, inter dolores istos, ex aliis, aliisque pœnis & tormentis (quæ majora alia aliis fuisse evidens est) enascentes & intensionis & extensionis gradus. Hos ergo excellentiores in intensione acrimoniaque dolores, meditari licebit. Cũ autem sint dolores Christi duplices, Interni scilicet & Externi quorum illos potissimum in Anima, etsi per Corpus; hos verò potissimum in Corpore, etsi per Animam quoque persensit, ideo utrique assumi ad meditandum possunt.

In præsenti ergo modo, internos solùm assumere & expendere, metiri, & persentiscere, admirari, & imitari, gratiarum actione & adoratione prosequi licebit. Quamvis autem unusquisque juxta suum proprium vel sensum, vel affectum, poterit hunc delectum, Excellentiorum Animæ Christi dolorum facere, appono tamen ego hic eos, in quibus, meo sensu, præcipuâ quâdam ratione, si bene inspiciantur, excellentia ista dolorum internorum Animæ Christi Domini elucescere videtur. Modicum autem interest, sive hæc capita, quæ recenseo, vocentur dolores, sive dolorum causæ: dummodo introgrediamur, per horum considerationem, ad statum & sensum intimum Animæ Christi cognoscendum ac delibandum.

I. Primus ergo dolor Christi internus, seu prima Causa Doloris interni Animæ Christi, fuit. Desiderium, & Exspectatio, & Dilatio Baptismi, seu Passionis. Etsi enim Dominus Iesus, omnia vitæ suæ momenta ita disposita habuit, ut omnia certâ & inviolatâ serie à primo instanti conceptionis, usque ad ultimum instans mortis semper egerit; etsi etiam ad omnẽ voluntatem Patris, ex qua totius prædictæ seriei ordo manavit, fuit semper resignatissimus: hoc nihilominus non obstante, certum est, Christum Dominum nunquam à sua memoria, nunquam à mẽtis suæ oculis Passionis suæ totam fabricam deposuisse, sed in ejus perpetua recogitatione, totâ vitâ suâ perdurasse:

 adeò

adeò quidem cum viva & intima ejusdem Passionis, quoad omnia & singula ejus membra penetratione, ut maximum miraculum censeri debeat, quòd Christus Dominus non fuerit totâ suâ vitâ, illo ipso modo affectus, quo in horto post ultimam Cænam, imminente jam & ingruente Passionis horâ: revera enim nisi virtute interiore suâ, & habitâ ratione eorum, quæ inter homines agere statuerat, se cohibuisset, illo ipso modo, quo in Horto affectus erat, quo tristis, pavidus, tædiosus, agonisans, sanguinem sudans fuerat, totâ antecedente vitâ suâ affici debuerat. Quamvis autem hunc in modum affici Christum, exteriùs non apparebat, neque enim Christus id sinebat foras erumpere: in Animæ tamen ejus sanctissimæ, simulque sapientissimæ, ac omnium futurorum scientissimæ, recessibus, non aliter omnino semper fuit per totam vitam, quàm fuit semel sub illam in Horto moram. Id Dominus Iesus de se ipso fateri dignatus est aliquoties (prout aliàs notatum est) ut in illis verbis. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* (Luc. 12. 50.) Quod coarctationis verbum cum suo interrogatorio modo, non solùm tantùm dicit, quantum quis cogitando assequi potest, sed etiam longè ampliùs; tantum scilicet, quantum solus Christus capere ac sentire, nemo autem alius mente comprehendere posset. Id ipsum alia quoque verba Domini attestantur, illa nimirum duobus filiis Zebedæi dicta. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo?* Quæ præsentis temporis locutio, clarè demonstrat, Christum, quod semel in horto passus est exteriùs, semper in omni vita passum esse interiùs: immo verò illa loquendi ratio evincit, totum hoc, quod Dominus Iesus in tota Passione sua, ab ingressu in hortum, post Cænam, usque ad mortem in Cruce perpessus est exteriùs: totum, inquam, hoc, per omnia vitæ suæ momenta perpessum esse interiùs, & quidem non per solam reminiscentiam jugem rerum tolerandarũ, quæ sola sufficeret ad maximam internorum dolorum segetem atque simul messẽ, verùm per realem & vivum Animæ Innocentissimæ sensum.

His positis consideratisque, licebit meditatori, metiri, quanti doloris interni fuerit causa ista? Meum propositum hìc non est ista fusiùs explanare, sed meditatoribus locum dare: quam ob causam, in sequentibus recensendis capitibus succinctus esse volo.

II. Doloris interni Christi excellentis, Causa fuit. Conspectus in Horto Calicis illius, in quo totam Passionem suam, cum omni fœculentia ejus vidit, & gustavit, cum quanto interno horrore portionis inferioris: ea quæ gesta in horto sunt, satis demonstrant: quæ ego Meditatoribus, tanquam nota ex Evangelio, relinquo.

III. Causa Excellentis Christi Doloris interni, Potestas & hora tenebrarum: quæ ab osculo Iudæ initium sumens, deinde totis furiarum diluviis in Christum refusa est, usque ad articulum mortis. Cogitare possumus, illo tempore quo Dominus Iesus ad discipulos dixit: *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet*; quando dixit ad suos hostes: *Hæc est Hora vestra & potestas tenebrarum*: illo, inquam, tempore, velut alter ille Ionas dixit; *Mittite me in mare*: (Ionæ) seu potiùs, Misit se ipse in Mare Passionis, in Mare tartareæ potestatis, in Mare Iudaici furoris, in Mare pœnarum peccatis totius mundi debitarum, in Mare Iræ Dei, contra omnia omnium scelera exardescentis. In quo passu, quis fuerit sensus Innocentissimæ Christi Animæ, qui potest capere capiat. Sensum certè illum, nullius nostrûm, ac ne omnium quidem nostrûm sensus capere sufficit. Qui tamen animæ Christi sensus, toto Passionis tempore, non tantùm non cessavit, sed perpetuò immensis augmentis per omnia instantia crevit.

IV. Excellentis Doloris Christi interni Causa, fuere studia inimicorum suorum: de quibus ad Patrem suum, per os Ieremiæ dixit: *Domine, tu ostendisti mihi studia eorum.* (Ier: 1[illegible]) Quæ etiam studia, per Davidem expressit multiplici explicatione. Inimicos enim suos vocat aliquando *Tauros pingues*, (Psal: [illegible]) aliquando *Canes multos* (Psal: [illegible]) Aliquãdo *Leonem rapientem & rugientem.* (Psal: [illegible]) Aliquando *victores captâ prædâ exultantes.* (Isaiæ [illegible]) Aliquando *vitulos multos.* (Psal: [illegible]) Aliquando *Lupos vespertinos*: (Hab: [illegible]) Aliquando *inimicum terribilibus oculis intuentem.* (Iob: [illegible]) Aliquando *Leonem in sylva, qui dederit contra se vocem*: (Ier: [illegible]) aliquando *persecutores, aquilis Cæli velociores*: (Thren: [illegible]) quibus, innumerisque aliis descriptionibus, expressit Dominus studia contra se inimicorum suorum; quæ cum & illi expresserint in omni Passionis Christi progressu plùs quã luculentissimè, facientes in Christo quæcunque voluerunt, seseque pœnis ejus & malis satiantes: & cùm Christo Domino essent comprehensive perspectissima, immensum dolorem Cordi Christi infundebant. Unde illa tenerrima simul ac amarissima

rissima

rissima Domini ad hosce maledictè sui studiosos allocutio, *Popule meus: quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi, responde mihi in quo contristavi te, &c.*

V. Causa Excellentis Doloris Interni Christo fuit. Negatio & ruina Petri. Columna Cæli ceciderat tunc, Petra Ecclesiæ, Ferventissimus Amator, Patris Æterni primus revelationum Discipulus, Caput Apostolorum. Vicarius suus, corruerat, ad cujus ruinam Christus oculos suos convertere quasi coactus est, eumque collapsum respicere. Et sicut ipse de se testatus est, quòd ruinam Luciferi spectarit, dixit enim. *Videbam Sathanam tanquam fulgur cadentem de Cælo*: ita prorsus dicere poterat. Videbam Petrum (quem aliquando etiam Christus Sathanam vocarat) tanquam fulgur cadentem de Cœlo Apostolatûs, Charitatis, Ecclesiæ meæ. Maximi certè doloris fuit seminarium Christo Domino hæc tanti Apostoli ruina: revera enim maximus Princeps cecidit in Israel tunc temporis, neque unquam alias majus damnum passus fuit, aut etiam est, Christus in sua Ecclesia.

VI. Causa Excellentis Doloris interni Christo fuit. Exiguitas efficacis fructûs dolorum suorum quantumlibet tam per omnia exaggeratorum, redemptionisque suæ quantumlibet plùs quàm copiosæ. Etsi enim Christi Passio sufficiens est pro totius mundi peccatis, immo & pro infinitorum hominum mundorumque iniquitatibus eluendis & expiandis: Nihilominus ductâ proportione fructûs efficacis, qui de facto est, cum eo, qui esse absolutè, attento valore Passionis Christi potuit, exigua valde erit illius proportio ad hunc, & planè finiti ad infinitum nulla: quod etiam ostendit indubitata reproborum multitudo; & electorum paucitas: de qua inter alias Scripturæ exaggerationes, illa est apud Isaiam. [*Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: Quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.*] Hanc ergo paucitatem efficaciter à se redimendorum Christus sciens, & valori Passionis suæ collatam minimè proportionatam cernens, immenso dolore cordis angebatur: non quòd non esset perfectissimè contentus Patris Æterni decreto, atque voluntate, sed eam esse ingratitudinem mortalium videret, à quibus justo Dei judicio Efficacitas Passionis suæ arceretur. Hunc Dolorem expressit Dominus Iesus apud Prophetam dicens. *Terra, terra ne operias sanguinem meum.* Multitudo quippe reproborum, quos sacra scriptura, terræ nomine, sæpe compellat, perditione suâ absorbent, & sepeliunt, operiuntque fructum sanguinis Christi. In quem etiam finem, putatur Dominus Iesus in Cruce pendens dixisse illa verba: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Item illam vocem: *Sitio*, qua de re suo loco vidimus.

VII. Excellentis Doloris Christi in Passione Causa fuit. Offensa Dei Patris in nece sua: omnia enim alia peccata etiam simul accepta, respectu hujus unius, quod in nece Christi patratum est, prope modum venialia, & absoluta, & nulla sunt. Quodsi peccatum originale, tam enormem, ac planè infinitam inexhaustamque offensam Dei peperit, ut pro ejus unius expiatione, necesse fuerit mori Christum: quantò magis hoc Deicidii peccatum, omnem excedebat offensæ Divinæ limitem & modum. Et quia Christus, per sapientiam suam noverat omnem malitiam hujus sceleris plenissimè, sciebatque quantum vulnus Majestati Dei hoc scelere singulari inferebatur, amabatque summa cum appretiatione & intensione, honorem Patris sui; inde factum, ut hoc scelere, quod in sui occisione tam dira patrabatur, plus quàm omni alio scelere, plus quàm omnibus aliis simul, plùs quàm omni Passione suâ cruciaretur & doleret. Propter quod, non dubito, præcipuè Christum Dominum in Horto apud Patrem tanta cum diligentia mortem deprecatum esse, ne scilicet suæ mortis scelere patrato, & Pater offenderetur insolentissimo genere injuriæ, & Christus ipse doloris causam, omni Passione majorem, haberet. Propter eandem etiam causam, orans Patrem pro Crucifixoribus suis, dicere non dubitavit: *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.*

VIII. Causa Excellentis Doloris in Passione Christo fuit. Præsentia dolentis, dolorque præsentis Matris, Cruci adstantis. Summus enim Amor quo Iesus & Matrem amabat ipse, & à Matre amari sciebat se; Intima quoque illa notitia, quâ Iesus & sciebat à Matre suos dolores sciri sentirique, & Mater vicissim sciebat à Filio sciri, & perferri dolores suos, ex causa Filii: eum in utriusque corde dolorem causabat, & incendebat, qualem neque nos ratione vestigare & assequi possumus, neque Iesus & Maria, puris humanis viribus, salvâ vitâ sustinere potuissent. Quo factum, ut cùm Iesus ad manum haberet nihil, quo extremos

Margin notes: Mich. 6. 3. — Luc. 10. 18 — Isai. — Ierem. / Ioel. 16. 19. — Matt. 27. 46 — Ioan. 19. 28

Matris dolores leniret, in quantulumcunque solatium Ioannem illi, & cum illo omnem Ecclesiæ cœtum substituit, vicissim autem Mater cùm jam tota anima in Crucifixo, seu veriùs in Filio crucifixa esset, Corpore etiam quantùm potuit se Cruci admovens, juxta Crucem stetit, & sic tota in Crucifixum Filium transiit.

IX. Causa Excellentis Doloris interni Christi in Passione fuit, Derelictio Paterna: cujus sensum gravissimum, adeò affectuosis verbis, adeò luctuosis vocibus ipse Dominus testatus est, ut in omni vita ejus, in omnibus verbis ejus, nihil simile invenire liceat. Quæ autem illa fuerit Christi à Patre derelictio; alibi fusiùs explicatum est: hoc loco eam solùm Divi Leonis verbis insinuo, & explico: qui sic habet. *Ideo IESUS voce magnâ clamabat dicens. Quare me dereliquisti? ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sævientium manibus derelinqui, hoc est, Salvatorem mundi fieri & omnium hominum Redemptorem: non per miseriam, sed per misericordiam, nec amissione auxilii, sed definitione moriendi.* Quia ergo Pater per suam immutabilem definitionem dereliquit Christum in damnatione mortis, hoc non potuit non tenerrimè sentire innocentissimus filius, nõ quia & ipse mori nolebat, qui utique cum Patre & Spiritu sancto suam mortem decreverat; sed quia quod statuerat, quodque etiam efficacissimè volebat superior authoritas, hoc valde sentiebat, & naturaliter horrebat inferior infirmitas. Atque ita dispensatio derelictionis non fuit aliud quàm necessitas mortis, in qua se positum sic doluit Christus in Cruce, sicut non poni se in ea supplex deprecatus fuerat Patrem, in Oratione dicens. Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Et quemadmodum ibi dixit Patri. *Si non potest hic Calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua:* ita hîc agnoscens non suã, quam reliquerat, sed Patris, quam elegerat, voluntatem impletam, dicit ad Patrem, quare me dereliquisti? Nimirum *causam & rationem, quâ sit relictus, id est, non exauditus, inquit, ut ostendat altum esse illum quẽ ex æterno placito Patris, pro mundi reconciliatione præelegit, unde ipsa vox non exaudito, magni est expositio Sacramenti, quod scilicet nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat, nostra obtineret infirmitas.* Hæc igitur hunc in modum explicata derelictio, sicut ex parte potestatis victricis, fuit summè placita & gloriosa: ita ex parte infirmitatis patientis, summè fuit amara & dolorosa.

Serm: 17. de Passione. Matt: 27.

Matt: 26. 42

S. Leo ser: 16. de Passione in fine.

A X. Excellentis Doloris interni Causa Christo fuit, dissolutio tam Nobilis & unici in rerum natura existentis Compositi Dei-Hominis, quæ fiebat per Animæ à corpore separationem. Quia enim unus solusque Christus toto universo visibili simul ac invisibili præstantior ac nobilior fuit: uniusque ejus jactura, totius universi interitu, sine ulla dubitatione justissimè redimi debuit, Christus qui suum pretium & dignitatem, excellentiamque inæstimabilem plenè noverat, interitum suum per mortem sine dubio gravissimè sentiebat. Quod si Dominus ipse unum hominem toti mundo, non solum confert, B sed etiam præfert: dicens. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur,* se autem perdat, quantò id ipsum de ipso Christo sentiendum est, qui & hominibus, & Angelis, & mundis omnibus dignior, pretiosior est, magis infinitè, quàm cogitatione assequi possumus. Nec obstat, quod Christus Animam suam posuerit pro nobis: hoc enim non ideo fecit, quasi viliorem se nobis putaverit: sed ideo, quia in pretium nostræ redemptionis, & in ostensionem suæ erga nos Charitatis, hoc impendere voluit, quod pretiosissimum habuit, seu quo pretiosius nihil habere C potuit: ut ex immensitate impensi ab eo pro nobis pretii, immensitatem quoque & ejus erga nos æstimaremus amoris, & nostri erga ipsum infinitudinem metiremur debiti. Hoc verò totum, evidenter ostendit, summè fuisse gravem dolorosamque Christo, Animæ suæ à Corpore separationem; per quam nimirum res omni purarum Creaturarum, etiam possibilium genere pretiosior, præstantior, dignior perdebatur. Ex quo facilè colligere est, unius soliusque Christi mortem nobis deflendam esse amariùs, quàm jacturam parentum, filiorum, fratrum, amicorum, D opum, honorum, regnorum, & uno verbo, plùs quàm omniũ simul rerum. Hinc etiam facilè est colligere, Christo ipsi, plùs amaram fuisse mortem suam, quàm esset, si totius simul mundi supercælestis & subcælestis Machina universitasque dissolveretur, & in suum Chaos primævum redigeretur. Hinc etiam facilè est colligere nostræ ingratitudinis enormitatem execrabilitatemque, quâ Christi mortem non tantùm condignâ grati animi significatione non prosequimur, verùm etiam omni genere ingratissimæ malitiæ, malitiosissimæque ingratitudinis, perpetuò, passim, & ubique, & omnes despicimus, despuimus, conculcamus. O

Matt

qu is

quis sapiens: & intelliget hæc!

MODVS XL.

QUadragesimus Meditandi Passionē Christi Modus est: Assumere insigniores Christi Dolores externos: quos etsi unusquisque ex proprio sensu non difficulter seligere poterit: ego tamen, quos mea fert opinio fuisse præ aliis excellentes, exponam: & quidem nulla fere adhibita (secus quam in proximo modo feci) explicatione aut exaggeratione. Cùm enim isti dolores externi sint, & sensui pateant: non est difficile cuivis eorum excellentiam assequi propriá meditatione: ut proinde explicatio superflua futura esse videatur.

Primus ergo Dolor Christi externus insignior præ aliis fuit, Agon ille totus in Horto: qui adeò durum præludium fuit Passionis, ut ipsi Passioni æquivaluerit, & sudoris sanguinei guttas decurrentes in terram ex toto Christi corpore expresserit. Certè, si de sola tristitia sua non dubitavit Dominus asserere, eam esse parem inferendæ sibi morti: longè id de toto illo Passionis futuræ rudimento magis affirmare potuit.

Secundus Dolor Christi externus fuit insignis, carcer ille nocturnus in Caiphæ domo, gestaque per totam illam noctem: quorum cùm initium narrâssent Evangelistæ: quemadmodum postquam omnes condemnaverunt eum esse reum mortis, tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, & velaverunt eum & percutiebant, & alapis eum cædebant, & palmas in faciem ejus dederunt, & interrogabant eum dicentes, Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit? reliquum tandem nocturnorum dolorum & probrorum, aliorumque gestorum in compendium redigens unus eorum concludit: Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Ut minime mirum sit, nullius pii scriptoris, aut meditatoris parem esse cogitatum hisce nocturnis Christi injuriis & doloribus explicandis, in quibus explicandis, ipsius Sancti Evangelistæ calamus, videtur defecisse.

Tertius Christi externus dolor maximè insignis fuit. Denudatio ad flagella, & flagellatio ipsa. Denudationem suam volens exprimere Dominus, quàm sibi fuerit onerosa: usus est per Prophetam illo loquendi modo: *Operuit confusio faciē meam.* Non ait, se confusum pudore, & verecundiâ affectum, sed omnem veluti confusionem, quæ uspiam fuisset aut esse posset, in suam: tunc faciem convolasse, & præ enormitate erubescentiæ eam omnino operuisse. Eandem confusionem exprimit idem Propheta ex sensu Christi dicens. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Quibus verbis eandem Passionem suam, quam ex nuditate perpessus est gravissimam, declaravit. Non absimilem sensum flagellationis suæ enormissimæ, per eundem Prophetam sæpius declaravit Dominus noster; nunc quidem dicendo: *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Ubi mirificè flagellationis suæ diritatem expressit, adducens in medium, flagellorum multitudinem, seu congregationem super se: si enim multa flagella, sine dubio & multi flagellantes, & longe magis multa ipsa flagellatio: nunc verò dicendo: *Et fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis.* Quâ voce, nihil exaggeratius dici videtur posse. Non enim Dominus totâ die à mane flagellatus legitur, sed tanta fuisse tamque enormis illa flagellatio significatur, qualis esset illa, si quis tota die à summo manè flagellatus fuisset. Nec minor est illa ejusdem diritatis in flagellatione expressio, quâ dicit Dominus: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Alia lectio habet, *araverunt, & sulcum suum produxerunt.* Ut enim fabri super incudem ferrum tundunt sine ullo metu, ut aratores sulcos trahunt per agrum, ita impii vulnera super Christum.

(Psal. 68. 8) (Ps. 43. 16.) (Ps. 34. 15.) (Psal. 72. 14) (Ps. 128, 3.)

Quartus. Immanis Dolor fuit Externus Christi, à Corona Spinea, quæ ad intimas usque Capitis partes, aculeos suos plures adactos habuit, & cum semel imposita, aut potius infixa fuisset, nequaquam ita permansit, sed iterum iterumque detracta & imposita est, cum multiplici vulnerum dolorumque innovatione. Accessit spineo serto, purpura, arundo, consputatio, colaphorum impactio, genuflexio, & irrisio; quibus omnibus dolor dolori additus, & contumelia omnimodis exaggerata est.

Quintus. Immanis quoque Dolor Christi fuit externus, Mora, seu, Trihorium in Cruce: quo toto tempore agonisavit Christus, & universa membra ejus, sedibus suis evulsa sunt, pectus vero cum costis suis, ita distractum distentumque, ut hunc unum solumque pectoris in Cruce convulsi dolorem, quisquis debitè aliqua ex parte considerârit, fuisse præ o-

mnibus gravissimum, atque maximè dirum, & intolerandum necessariò affirmaturus sit.

Sextus, Dolor Christi externus insignis fuit à venenatissimarũ linguarum aculeis, quibus intima & extima Christi depasti sunt inimici ejus, insultantes ei verbis, quando jam verberibus non potuerunt, ut dicere potuerit Dominus Iesus hostibus suis illud: *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis: quid locuti sumus contra te? dixistis. Vanus est qui servit Deo: & quod emolumentum quia custodivimus praecepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem aedificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.* Quid enim minus ab his dixerunt illi, qui dixerunt. *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum. Christus Rex Israel, descendat nunc de Cruce, & credimus ei. Dixit enim quia Filius Dei sum.*

Mal. 3. 13. Marc. 15. Matt. 27.

Septimò. Ad insigniores Dolores Christi externos, pertinuit quoque Detractio ultima vestium Christi ad Crucem affigendi; vestes enim ad saucium plurimis in locis Corpus adhaeserant, ita, ut avelli à crucifixuris Christum, cum ingenti carnificina, cumque avulsione partium adhaerescentis sanctissimae & oblaesae carnis, cum multa sanguinis effusione debuerint: per quod & renovatus dolor, & vulnera dilatata necessariò fuerint in Christo. Hujus Doloris enormitatem ipsa cujusque non dico experientia, sed etiam imaginatio, facilè docere meditantem potest.

Octavus. Dolor enormis Christi Exterior fuit. Potus in siti oblatus Christo, conflatus felle, myrrhâ, & aceto. Novercale revera poculum, de quo Dominus tantò ante, per Prophetam conqueri non omisit, dicens. *Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.* Quomodo illud non sathanico majus odium fuit, quod homini ad extrema dèducto (cujuscunque tandem conditionis fuerit ille,) homini inquam prae doloribus, & sanguinolentis vulneribus exhausto, animamque agenti, ac inter Crucis tormenta morienti, pro aquae haustu, acetum porrigere, & extremum illud coporris miserrimè excarnificati membrum, fauces scilicet atque linguam, sitis ardore exustam, ultimato, & ad odii sui exsaturationem, adinvento poculo, cruciare? verè, *Fel Draconum, vinum eorum, venenum aspidum insanabile.*

Ps. 68. 22. Deut. 32. 33

Nonus. Dolor externus Christi enormis fuit, à conspectu & orbitate Matris.

A *Decimus* Dolor Externus fuit Christi à Morte Corporis, etenim cum summa violentia à Corpore illo dissolvebatur recedebatque anima: utpote quod optimè dispositum habebat, & quod diutissimo tempore informare naturali cursu debuerat. Utrumque hoc punctum, in praecedenti modo utcunque exaggeratum est, propterea hoc loco ampliùs nihil addo: sed campum meditatoribus piis suum relinquo.

MODUS XLI.

B Quadragesimus primus Meditandae Passionis Domini Modus esse potest, Contemplari Passionem ipsã, in doloribus & compassione Beatae Mariae Virginis: expendendo scilicet, quos & quantos illa dolores sustinuit, ob dolores Christi Filii sui, & ex his illos, vicissimque ex illis hos metiendo, ponderando, ac perpendendo, simulque Matrẽ condolenti ac Filio dolenti, intimo ex corde nostro compatiendo: quin etiam nostra peccata, nostram malitiam, nostrã ingratitudinem, nostram indignitatem, nostram obligationem recognoscendo, ex C hoc, quia non solùm Christum peccatis nostris crucifiximus, & occidimus, verùm etiam Matri Christi eâdẽ operâ maximorum luctuum dolorumque causam dedimus. Nisi enim nostra peccata Christum mori coëgissent, Mater, nullas tantorum dolorum causas habuisset. Quare peccata nostra sicut dolorum Christi, ita Matris ejus causa fuerunt: & nos, sicut Christo pro nostris peccatis dolenti, ita & Matri ejus, occasione eorundem peccatorum afflictae, compassionis, gratitudinis, imitationis, amoris debitores sumus. Ad quam rem, id est, ad ejus de-D biti cognitionem, consequenterque exsolutionem, ut efficacissimè excitemur, expedit mensuram dolorum Beatissimae Matris penetrare: ad hanc porrò penetrationem duplici viâ pervenire licebit. *Primò*, Si expendatur Amor Sanctissimae Matris in Filium suum: quantò enim hic fuit major, tantò etiam necessariò & dolor debuit esse, ac re ipsa fuit gravior: amoris namque hoc est propriũ, ut Amantem in Amatum transferendo, atque trãsformando, faciat illum participem & compotem, complicemque eorum omnium, quae fiunt acciduntvè Amato. Sive illa sint bona & prospera, sive mala & adversa: quo fit, ut qui alterum amat, ejus

ejus bonis lætetur, tanquam suis, ejus malis crucietur, tanquam suis: sæpe etiam plusquàm suis, pro magnitudine scilicet, puritate, intimitateque amoris. *Secundò*, Penetrabimus in dolorum Beatæ Matris mensuram immensam, si expenderimus cognitionem dolorum Christi, quam habuit Beata Mater de illis: quo enim cognitio ista fuit magis intima, vivax, & omnium conditionum circumstantiarumque Patienti & Passioni annexarum possessiva, & comprehensiva, hoc fuit evidentior comprehensio enormitatis dolorum Christi, & consequenter, hoc fuit atrocior dolor in Matre dolente, Filium cognoscente.

Attingo breviter aliquot fontes Amoris Beatæ Virginis erga Christum Filium, qui considerati, ostendent ejus magnitudinem, & ex hac notam quoque facient dolorum ejus Excellentiam.

Primus, Præcipuusque Fons Amoris fuit MARIÆ Matris in Christum Filium, qui erat Christus, simul ejus, & simul Dei Filius: adeò, ut quantum ad Personã Christi, non fuerit alius Filius Dei, & alius ipsius, sed unus omnino idemque individualiter & Hypostaticè: ex quo fiebat, ut MARIA esset vera Dei Mater. possetque dicere longè veriùs, ac justiùs de se, deque sua Maternitate, quàm alia illa dixerat. *Possedi hominem per Deum*: vel etiam possedi hominem-Deum. Ex hoc fonte Amor MARIÆ erga Christum, fuit specialis cujusdam sicut generis, ita etiam ordinis, ac altitudinis, diversæ nimirum, & ab ea quæ continetur in præcepto diligendi Deum super omnia, seu ex toto corde, tota anima; & ab ea, quæ continetur in præcepto diligendi proximum sicut se ipsum; & adhuc ab ea, quæ continetur in præcepto instinctuque naturali Parentum ad diligendum suos filios: quoniam MARIA Christum dilexit, non tantùm ut Deum suum, nec tantùm ut hominem purum, proximum suum; nec denique tantùm ut hominem solum filium suum, sed dilexit eum ut Mater Dei, Deum Filium, Deum Hominem, Filium suũ. Superaddens, vel certè intermiscens dilectioni suæ jus maternum, quo attingebat non tantùm humanam in Christo de se sumptam naturam, sed etiam Divinam, suo sanguini hypostaticè unitam personam. Quale motivum amandi sive Deum, sive Hominem, sive Filium, nulla unquã creatura, habet habuitque; ac proinde, amori MARIÆ in Christum, nullus est, nullusque potest esse similis, nullus par, in ulla, immo in omni simul creatura. Omnes enim creaturæ si amabunt condignè Christum, non possunt aliter cõdigniùs, quàm amando illum ut Deum-Hominem, ut Dei Filium, ut MARIÆ Filium: at MARIA, ultra & supra totum id, amat Christum Hominem, Deique ac suum verum Filium. Cujus motivi Excellentiã sicut sola Virgo MARIA possidet, ita sola etiam ejus mensuram cognoscebat, & sola etiam hanc mensuram amoris sui vehementiã & excellentiã implebat. Et quia in Passione tam indigna atque amara, Filium suum ita dilectum demersum planissimè videbat, jam qui potest capere capiat, quantum ex Passione illa sui Filii MARIA capiebat dolorem. Mihi certè nullus creatus intellectus par videtur, ad abyssum istam subintrandam, nedum penetrandam.

Secundus, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit: Conceptio ejus de Spiritu Sancto: juxta illud Angeli ad eam dictum: *Spiritus Sanctus superveniet in te*: & juxta Symbolum fidei: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*. Cùm ergo Spiritus Sanctus, sit Author conceptionis atque Maternitatis MARIÆ; is verò sit substantialis amor: quemadmodum Spiritus Sanctus operatus est in MARIA conceptionem, ita etiam idem illi indidit dilectionẽ Christi: ita, ut MARIA habuerit in se, & Humanitatis Christi de suo sanguine formatorem, & Charitatis etiam erga Christum inflammatorem, unum eundemque Spiritum Sanctum. Quia ergo MARIA ex eodem Spiritu Sancto concepit & carnẽ & Charitatem Christi: inde est: quòd sicut non habet similem MARIA in Conceptione Carnis Christi, ita etiam parem non habeat in Charitate ac dilectione ejusdem Christi. Quod evidenter evincit ulteriùs, nullum quoque socium, nullum parem fuisse aut esse posse, MARIÆ in persentiscendis doloribus Christi.

Tertius, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit. Quia Christus MARIÆ verus, connaturalis, consubstantialisque & quidem solius MARIÆ, filius: Christus enim sicut in Cælo, seu in Divina generatione Matrem non haber, ita in terra, in humana conceptione, Patrem non novit: sed in sola atque una MARIA Matre, dilectio tam Patris quàm Matris erga Christum, resedit: quo factum est, ut in MARIA major fuerit dilectio erga Christum, quàm in ullis parentibus unquam fuerit, erga aliquam suam prolem. Atque hinc etiam factum est, ut MARIÆ dolor,

[margin: ...m: 4.] [margin: ...10. 27.] [margin: Luc: 1. 35.]

dolor, fuerit major, dolentis ob dolores Christi, quam ullius Patris vel Matris esse potuerit ac possit, ex dolore prolis suæ.

Quartus, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit, Magnitudo & multitudo beneficiorum Christi erga Matrem suam: quæ tanta fuit, ut puræ creaturæ divinitus majora contingere non potuerint, perinde ut pura creatura nulla, Matre Dei, major esse potest. Quia verò beneficentia solet amorem conciliare inter beneficiarium & benefactorem, inde conficitur, maximum fuisse amorem in MARIA erga Christum, quoniam constat, maxima fuisse & esse, beneficia Christi erga MARIAM. Quæ autem ea fuerint vel sint beneficia Christi Domini erga Matrem suam; dicere nihil attinet, cùm sint vulgo satis nota, & uno Maternitatis beneficio satis comprehensa. Porrò amor beneficiarii in benefactorem suum, talis esse solet, (& debet) ut obligatione gratitudinis, velit, gaudeat, curetque, omnia bona benefactori evenire ac inesse: contra autem, nolit, impediat, & doleat quidquam mali & adversi eidem accidere. Necesse itaque fuit, MARIAM summè cruciari malis filii sui; quæ se noverat, totam quanta quanta esset, beneficium esse filii sui.

Quintus, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit, Dignitas, Sanctitas, Innocentia, Sapientia Filii sui. Vera quippe Charitas, quæ in dilectionem alicujus rei fertur propter solum Deum, eam rem necessariò solet atque debet plùs diligere, in qua plus elucescit Dei sive naturæ, sive bonitatis, atque perfectionis: quoniam ergo in Christo: non tantùm plurimum fuit Bonitatis Divinæ, sed plane tota Divinitatis plenitudo, in eo habitabat corporaliter, quòd MARIAM minimè latebat: inde fiebat, ut MARIA Christum summè amaret, æstimaret, veneraretur, appretiaret; accedente præsertim eo, quòd Christus esset simul aliquid suum proprium, Filius nimirum suus proprius, unigenitus, ex purissimis suis sanguinibus, operâ Spiritûs Sancti conceptus, de se natus, educatus, &c. factum est inde necessariò, quod MARIA summè Christum dilexerit; factum etiam, quòd eadem summè injurias ejus senserit, & amarissimo animo tulerit.

De Cognitione, quàm MARIA habuerit de doloribus Filii sui, dicere nihil attinet, cùm satis constet, illam & fuisse naturâ suâ sapientissimam, & mysteriorum Scripturæ, maximè Filii sui, valde gnaram, & luce Spiritûs Sancti illustratam: ac proinde dolores Christi intimè cognoscentem, consequenter, eosdem vivacissimè penetrantem, ac sentientem. Quam penetrationem Simeon explicare volens; Gladium animam pertranseuntem vocavit, &c.

Ex his igitur duobus capitibus consideratis, Amoris scilicet ac Cognitionis, quæ fuit in MARIA erga Christum Filium suum, licebit nobis subintrare aliquantulum atque metiri immensitatem Dolorum Matris Virginis, ex doloribus Christi: ita ut non dubitemus accommodare verba illa Prophetæ dicentis: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Non dubitabimus etiam, eam compassivo affectu, alloqui verbis illis ejusdem Prophetæ: *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Ex his quoque duobus capitibus bene perpensis, discemus; nos ideo dolores Christi Domini, tam parum sentire, quia & in cognitione stupidi, & in dilectione, frigidi valde sumus, tam ejus, qui patitur, quàm earum rerum, quas patitur. Inflâmemus ergo nos amore Christi: & exerceamus nos in Cognitione illius, dolorumque ejus: & dabitur nobis gratia bibendi cum ipso Calicem Passionis ejus: quæ est vera & unica beatitudo hujus vitæ, omnium fidelium servorum ejus.

MODVS XLII.

Quadragesimus secundus Modus Passionem Christi meditandi est; Considerando & vestigando illam, in & ex virtutibus perfectissimis, planèque Heroicis MARIÆ Matris Christi, quas illa tempore Passionis ipsius exercuit, & exercuit, ad nostrum omnium speculum & exemplum. Duæ sunt enim rationes cognoscendi Passionem Domini IESU Redemptoris nostri per Matrem ipsius: una quidem considerando dolores ipsius Matris, quos illa ex dolente, & cum dolente filio, sustinuit: quam rationem in præcedenti modo, utcunque exposuimus, ostendendo duas vias seu radices investigandæ mensuræ dolorum Maternorum: Amorem scilicet, & Cognitionem ejus, quam habuit de Filio suo, deque doloribus ipsius: altera porrò est ratio, considerando insignes maximè virtutes ejusdem Matris, quas illa exercuit, in tam dura

dura & insolita occasione, qualem nulla unquam creatura exercendarum suarum virtutum habuit: hunc ergo modum in præsenti proponere aliquatenus volumus.

Prima itaque virtus, quam MARIA in præstanti gradu heroicoque exercuit, patiente Filio suo, est Fides atque Fiducia. Fide enim credidit omnia credenda de Filio suo, contra omnem humanarum rationum evidentiam. Neque enim propterea minor fuit Fides Beatæ Virginis, quàm ullius Sancti, quia fuit Mater Christi: sed potius hoc ipsum exaggerat Fidem ejus, quâ totam Christi Ecclesiam sustinuit, quia in fide non vacillavit, sed credidit omnibus Scripturis, quæ de Christo erant. Credidit Christum Redemptorem esse mundi, qui humanitus, nec sibi ipsi opem ferre posse vidabatur. Similiter, in spem contra spem fiduciam habuit in ipsa morte, perditione, exinanitione, extinctioneque Filii sui; non dicebat, ut illi duo: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Sed potiùs dicebat. *In Te Domine speravi, non confundar in æternum.* In Te, Fili, captivum, in Te contemptum, in Te vermem, & non hominem, opprobriumque hominum & abjectionem plebis, in Te damnatum, occisum, sepultum: & scio, quia hæc, quæ sunt instrumenta perditionis tui, sunt media Salvationis Mundi.

Secunda, Virtus MARIÆ Virginis in Passione Filii exercita fuit. Modestia & Patientia: nihil enim patientius, nihil modestius, apparuit unquam in mundo, Patiente suo & Dei Filio, Matre Virgine MARIA: immo dico, nulla unquã in occasione modestiam, patientiamque Virginis MARIÆ eluxisse, quàm in Passione Filii; quod facile credet, qui advertet nil unquam gravius, adversius, & ad turbandam omnem mediocritatem aptius, oblatum fuisse MARIÆ, vel ulli creaturæ offerri potuisse, quàm Passionem mortemque talem, talis ac tanti Filii. Itaque alibi, alias MARIÆ Virginis licet discere virtutes, sed in Passione Filii, Patientiam, Modestiam, & animi æquitatem singularissimè.

Tertia, Virtus MARIÆ Virginis in Passione eluxit Humilitas, atque sui Contemptus, & Vilificatio. Quid enim testabat MARIÆ tanta ingenuitate, tantâ mentis præstantiâ ac generositate pollenti, quàm sub forma pessimi vilissimique latronis posito ac pereunte Filio, subtrahere, subducere, occultare sese; at hoc

A longè abfuit à MARIA: immo verò, neque cum discipulis fugit, neque cum Petro negavit, neque cum notis & amicis timens à longe stetit, sed potius Matrem ultro se impii, improbi, pessimi, Barabbâ & latronibus pejoris, furciferi, crucifixique, Matrem, inquam, se professa, stabat juxta Crucem, parata, & cupida, & gaudens se digito ostendi, se sugillari, se irrideri, se carpi, se confundi, se notari talem, talis filii genitricem. Hic, si quid ego judico, MARIA humilior fuit, quàm tunc, quando se Ancillam Domini, coram Angelo professa fuit.

B *Quarta*, Virtus MARIÆ Virginis patiente Christo eluxit; Magnitudo & Fortitudo animi. Certe plusquam in Iahel, plusquam in Iudith, plusquam in Debora, plusquam in illa Machabæa, septem filiorũ Martyrum Matre: Furor enim Iudæorum & gentilium, qui in Christum MARIÆ filium desæviebat, longe fuit immanior, longè robustiorem magnanimitatis, & roboris materiam præbuit MARIÆ, quam illi supradictarum Matronarum, adeò ut longe justiùs dici possit de MARIA, illud quod dictum est de Machabæa. *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntem filium* C *sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat.*

Quinta, Virtus MARIÆ in Passione Christi emicuit, Charitas plane ardens, plane ardua; Charitas inquam, Dei, cujus honori, & gloriæ Filium suum deservire, immolarique elegit. Charitas etiam proximorum, & quidem peccatorum, & quidem Filii sui interfectorum, quorum odiis, injuriis, sceleribus, usque adeò non D passa est animum suum infringi, aut inflecti in odium, ut potiùs in tenerrimum robustissimumque conversa amorem, optaverit, petierit, probaverit, Filium suum, pro iis ipsis, proque eorum salute mori, à quibus, & à quorum manibus ac rabie, ipsum videbat mori. In quo passu, ipsius Filii sui charitatem æmulata, & proximè assecuta est: qui pro iis ipsis sanguinem suum fundere amabilissimè voluit, à quibus illum effundi patientissimè permisit.

Sexta, Virtus MARIÆ in Passione Filii admirandæ Heroica eluxit, Obedientia ac Resignatio in omnem Dei voluntatem: quâ virtute, ita se & hominem & Matrem oblita est, planeque exuit, ut tota solam unamque Dei voluntatẽ & gloriam intuens atque amplectens, non tantùm non tulerit molestè adeò amaram, & per

Luc. 24. 2.

Psal. 70. 2.

2. Machab 7. 20.

per omnia exquisitissima tormenta diram mortem sui simulque Dei Filii unici, sed etiam præ ardore, altitudine, vehementia, plenitudineque Obedientiæ & Resignationis, cumque Divina Voluntate conformitatis, parata fuerit, si Deo ita ordinare placuisset, ipsa suis manibus maternis Christum Filium, & conspuere, & pedibus manibusque tundere, & ad columnam flagellis cædere, & spinis coronatum ludibrio habere, & cruce impositâ onerare, & propriis manibus crucifigere, de Cruce deponere, ac sepelire, in hostiam & holocaustum Deo.

Has virtutes aliasque plures, MARIA, Patientè exercuit Filio: ita ut in eis totam depinxerit Passionem Filii, nobisque eam, unâ secum ad imitandum proposuerit, &c.

MODVS XLIII.

QUadragesimus tertius Passionem Domini meditandi Modus esse potest; Considerando illam in Sacrosancto Missæ Sacrificio expressam & repræsentatam. In hunc enim præcipuè finem, Sacrum Missæ Sacrificium, atque etiam Eucharistiæ Sacramentum institutum à Christo, ex signantibus ipsius Christi verbis novimus, ut in eo & per illud recogitemus, repræsentemus, renovemus, Sacrificium ejusdem Cruentum in Cruce, cum tota ipsius Passione. Quocirca non tantùm perutilis & laudabilis, sed etiam ab ipso Christo Domino institutus desideratusque modus est meditandi Passionem ejus, sive per Sacrificium Missæ, quod Sacerdotes præcipuè faciunt, quoties Sacrum faciunt, sive in Sacrificio Missæ, quod omnes facere debent, quotiescunque Sacrum audiunt. In eum usū, hoc loco, pono perpetuam omnium eorum, quæ in Sacro Missæ Sacrificio geruntur, cum ipsa Passione, quæ gestis illis repræsentatur, collatione, ut sive in ipso, dum peragitur, Sacro, sive etiam extra illud quolibet loco & tempore, Passio Christi ad Missam, Missa ad Passionem relata, fructuosè & devotè recoli possit.

1. Præparatio Sacerdotis in Sacrario ad Sacrificandum: commemorat & repræsentat valedictionem Christi, quâ, iturus ad Passionem, valedixit Sanctissimæ Matri, nec non aliis amicis, consolans illos, sesèque ad Passionem accingens, & ab omnibus aliis negotiis expediens, totumque animum ad negotium Passionis convertens.

2. Egressus Sacerdotis è Sacrario ad altare. Signat egressum Christi de Cœnaculo versùs Hortum, & Oliveti Montem.

3. Depositio, & Dispositio Calicis atque Corporalis super altare, nec nō Missalis: signat Ruminationem illam Christi pergentis in Gethsemani, & incipientis interea pavere, tœdere, contristari, mœstitiáque arctari, ac dicere. *Tristis est Anima mea usque ad mortem.*

4. Mora Sacerdotis aliqua ad medium altaris, inclinatioque Capitis, recessus ab altari, & descensus ad infimum gradum: signat relictionem discipulorum, quâ Christus eos reliquit, & ab eis avulsus est quantum jactus lapidis, orationis faciendæ gratiâ.

5. Psalmus, Confessio, aliæque orationes: significant orationem Christi repetitam; prostrationem in genua, & in faciem, confortationem Angelicam, agoniam, sudoremque sanguineum.

6. Accessus ad Altare: signat occursum & processum obviam hostibus. *Surgite eamus: ecce appropinquavit, qui me tradit.*

7. Osculum Altaris: signat osculum Iudæ, quod retulit ab eo Christus, eique dixit. *Amice ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis?* (Matt. 26. Luc. 22.)

8. Introitus Missæ, & signum Crucis. Significat sermonem Christi ad Iudæos. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis*, &c. *Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* (Marc. 14. Luc. 22.)

9. Sacerdos in medio Altari Kyrie eleison repetens: Signat Captivitatem Christi, & injurias ejus, derelictionemque ac fugam discipulorum omnium.

10. Gloria in excelsis: signat exultationem & insultationem hostium, quâ capto Christo exultàrunt, sicut solent victores captâ prædâ, in Palatio Annæ & Caiphæ.

11. Osculum Altaris, & Dominus vobiscum: Signat Examen Christi de doctrina, & de discipulis, responsumque Domini, ob quod enormem alapam accepit ab uno ex ministris.

12. Epistola: Signat accusationes, falsaque testimonia, adjurationes, injurias, condemationes Christi apud Caipham, ab universo Concilio.

13. Graduale & Tractus: signat blasphemias, oculorum velationem, consputationes, colaphisationes, quas pertulit Dominus in eadem Caiphæ Domo.

14. Evangelium, & osculum Missalis atque signatio: signat Confessionē Christi, quâ se Christum, Dei Filium, insu-perque

perque Iudicem universorum confessus est.

15. Credo : signat Petri Negationem, & conversionem, & amaras lacrymas, respiciente Petrum Domino : tum etiam : pernoctationem totam Domini, infandis injuriis plenissimam.

16. Osculum Altaris, & Dominus vobiscum ; signat Matutinum Concilium Iudæorum, in quo de novo Christus est Examinatus, Confessus, Damnatus.

17. Offertorium : signat deductionem Christi ab Iudæis ad Pilatum : Signat etiam Iudæ pœnitentiam, & abjectionem sanguineæ pecuniæ.

18. Oblatio Panis & Vini super Altare : Signat interrogationes Pilati, accusationes Iudaicas, silentium, & demum responsa Christi ad Pilatum.

19. Ablutio manuum; Signat remissionem Christi ad Herodem, Herodis exinde gaudium, Christi silentium, contemptum, & illusionem ejus ab Herode & Herodianis. Vestem albam, &c.

20. Oratio, post ablutionem manuum, in silentio; Signat Pilati cum Christo sermones, pro Christi innocentia & liberatione conatus, collationem cum Barabba latrone, homicida, seditioso.

21. Osculum Altaris : & Orate Fratres; Signat Christi nudationem, flagellationem, coronationem, ad populum productionem, cum *Ecce Homo*.

22. Secretæ Orationes ante Præfationem ; Signant persuasionem Principum Iudaicorum, quâ suaserunt populo, ut peterent Iesum crucifigi, tum clamores populi varios, Tolle, Crucifige, Sanguis ejus super nos, &c. Cunctationem Pilati. Ejus uxoris denuntiationem.

23. Præfatio ; Significat Damnatum Jesum, & traditum voluntati Iudæorum, ad crucifigendum, promulgationem quoque feralis sententiæ in Iesum.

24. Sanctus, Sanctus, Sanctus; Signat triumphos Iudaicos de obtenta in Christum sententia, festinationem ad ejus executionem : signat verò multò magis gaudium cordis Christi, ex decreto Patris Æterni, de salvando genere humano per suum sanguinem.

25. Oratio post Sanctus, & Cruces tres; Significant bajulationem Crucis à Christo, adjuvante Symone Cyrenæo.

26. Memento vivorum, (ut vocant ;) Significat sermonem Domini, seu Prophetiam ad mulieres lamentantes super ipsũ. *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me*, &c.

27. Communicantes, Signat Perventionem Domini in montem cum Cruce, obviationem quoque cum Matre dolorosissima. Vini quoque Myrrhati, cum felle misti oblationem.

28. Manus Sacerdotis expansæ super oblatas hostias. *Hanc igitur oblationem*, &c. Signant Positionem Nudati super Crucem. & oblationem illam quam Christus tunc fecit Patri Æterno, de se ipso, finaliter se ejus voluntati ad redimendũ in Cruce humanum genus resignans.

29. Variæ Cruces formatæ quinquies. Signant affixionem Christi ad Crucem.

30. Consecratio tam Panis quàm Vini: & utriusque Elevatio. Signat affixum jam Jesum, & elevatum cum Cruce, statutumque in sublimi, cum titulo : Jesus Nazarenus Rex Judæorum.

31. Orationes Sacerdotis post Elevationem Hostiarũ, expansæ manus & Cruces variæ : Signant Jesum in Cruce pendentem jam, inter latrones medium, multitudinis adstantis varios affectus & sensus.

32. Alia Oratio Sacerdotis extensis manibus, *Supra quæ propitio*, &c. Signat Christi orationem pro crucifixoribus. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

33. Oratio Sacerdotis positis super Altare manibus : osculum altaris & cruces super hostias: Signant verba Christi ad Matrem & Joannem, proque ambobus solicitudinem. Sitim quoque Domini, & acetum in Spongia & Hyssopo porrectum.

34. Memento mortuorum ; Significat conversionem latronis : Christique super eum misericordiam : indurationem alterius latronis, & perditionem.

35. Sacerdos percutiens pectus, & aliquot verba clariùs pronuntians. *Nobis quoque*, &c. Signat Orationem Christi factam ad Patrem in Cruce cum lacrymis & clamore valido.

36. Cruces variæ à Sacerdote formatæ super hostias & genuflexio : signant incredibiles & infinitas blasphemias, insultationes, injuriasque Christo pendenti ab hostibus irrogatas.

37. Oratio Dominica: Signat clamorem Christi ad Patrem. *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti.*

38. Sacerdos frangens hostiam per medium, & Cruces faciens. Signat terræ motum, obscurationem Solis, scissionem petrarum, ruptionem veli, apertionem sepulchrorum.

39. Particula hostiæ Sanguini & Calici imposita: Significat verbum illud Domini,

mini, *Consummatum est.*

40. Pax Domini, sit semper; Significat commendationem quam fecit Dominus, Spiritûs sui in manus Patris.

41. Agnus Dei qui tollis, &c. Signat Christum inclinato capite exspirantem, & populos à Cruce Christi revertentes, & percutientes pectora sua, ac dicentes: *Vere Filius Dei erat iste.*

42. Domine non sum dignus; Signat supplicantem Josephum Pilato, pro Christi Corpore deponendo.

43. Sumptio Sanctissimi Sacramenti: Signat apertionem lateris Christi, è quo Sanguis exivit cum aqua, loco confractionis ossium, quæ Christo non est facta.

44. Convolutio Corporalis; Signat depositionem Christi mortui de Cruce, inunctionem ejusdem, & involutionem in syndone munda.

45. Communio, & altaris osculum: Signat occupationem Beatissimæ Matris, aliarumque piarum personarum, circa Jesum mortuum ante sepulturam.

46. Post communiones seu orationes atque collectæ ultimæ; Signant Sepulturam Jesu.

47. Osculum Altaris; Signat advolutionem lapidis ad ostium monumenti.

48. Ite Missa est, & Dominus vobiscum; Signat discessum amicorum à monumento Jesu.

49. Osculum Altaris ultimum & benedictio super populum: Signat descensum Christi ad Inferos.

50. Evangelium ultimum & discessus Sacerdotis ab Altari; Significat varios sermones hominum de nece Christi, ejusdemque gesta in resurrectione, visitatione discipulorum, missione eorundem in orbem universum.

Hunc in modum, tota Passio Missæ, tota Missa Passioni, admensurari potest, interque ejus celebrationem illâ meditatione recoli. Non desunt apud optimos Scriptores, aliæ accommodationes Missæ, ad totam vitam Christi, aut etiam ad Passionem ipsius, quas liberum erit, devoto Passionis Christi meditatori sequi: erit tamen fortè, cui, & hæc in minutiores articulos Passionem Missamque partiens Meditatio, minimè displicebit.

Illud tantummodo monitum velim, ut solâ commemoratione articulorum Passionis nemo sit contentus: sed interim affectus etiam aliquos erga Patientem Dominum, tum Actus virtutum aliquarum congruarum; tum denique proposita aliqua bona & seria eliciat, prout sibi opportunum videbitur. Nisi enim hoc fiat, nuda illa commemoratio, erit quidem illa coram Christo meritoria nonnihil, sterilis tamen permanebit, neque animam impinguabit oleo devotionis, neque verum meditationis nomen sortiri poterit.

MODVS XLIV.

Quadragesimus quartus Passionem Domini meditandi Modus esse potest: Meditatione illam repræsentando Patri Æterno, pro se, suis, proximorumvé omnibus internis & externis necessitatibus, ac miseriis sublevandis. Cujus repræsentationis Exemplar, ex Davide Ecclesia desumit, verba illius usurpans. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* (Psal. 8[illegible]) Ejusdem Paradigma devotissimum, legere est apud Augustinum, quod hoc loco apponere non gravabor, ut ex eo meditator non erudiri solum, verùm etiam inflammari possit. Sic igitur Augustinus, Patri Æterno Passionem Filii, sive Filium Passum repræsentat.

(Med. cap.) „Aspice pie Pater, Piissimum Filium, pro me tam impio Passum. Respice Clementissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est mi Domine innocens ille, quem, ut servum redimeres, Filium tradidisti? Nunquid non author vitæ hic est, qui ut ovis ad occisionem ductus, Tibique usque ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis Dispensator, quia hic est ipse, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Verè hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam, Crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium.

„Reduc Domine Deus meus oculos tuæ Majestatis, super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum, toto corpore extensum. Cerne manus innoxias, pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrârunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere, benignus, omnes vias iniquitatis. Viam iniquitatis amove à me, & fac me propi-

propitius viam veritatis eligere.

Oro Te Rex Sanctorum per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem mei; fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam Spiritu uniri, qui meâ non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis, Pie Pater, adolescentis Filii Charissimi Caput, niveâ cervice deflexâ pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice mitissime Conditor, dilectissimæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem.

Candet nudum pectus: rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose Genitor, gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.

Hic est Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licèt ipse sit dilectus, in quo Tibi bene complacuisti. Hic est ille innocens, in quo dolus non est inventus, & tamen inter iniquos deputatus est.] Hucusque Augustinus.

Ad cujus normam licebit meditanti, totam Passionis Christi seriem, ab horto usque ad sepulturam decurrere, & ita eam, sive ipsum Christum in ea positum, Patri Æterno repræsentare, ut simul peccata propria, vel etiam aliena denarret Deo, ipsaque deflens, iis veniam petat, supplicia eorum averti postulet, emendationem proponat, affectus compassionis, laudis, admirationis, gratitudinis, deprecationis, aliosque similes exerceat: virtutum variarum in Christo patiente elucescentium actus, imitatione exprimat; dona denique interna, juxta ac externa, tam sibi quàm suis, quàm toti Ecclesiæ, totique humano generi, à divina manu deposcat, &c. Nec poterit hæc talis repræsentatio non esse in oculis Deitatis grata, aut ad impetrandum valida, quandoquidem tam efficax & apta divinæ miserationi expugnandæ machina per eam admovetur. Cui divina pietas, impossibile videtur, ut resistat.

MODVS XLV.

Quadragesimus quintus Passionē Domini meditandi modus esse potest A considerando in Passione Domini, insignes maximè quinque actus Christi, quos ille in ea pro nobis ad gustum Æterni Patris exercuit: sunt autem hi. 1. Oblatio. 2. Donatio. 3. Dedicatio. 4. Sacrificium. 5. Holocaustum. Qui actus etsi in tota Passione Domini elucescunt: nihilominus in quibusdam partibus Passionis, alii atque alii cumulatiùs apparent, ac proinde etiam commodiùs & dulciùs considerari possunt. Quocirca secundum hos quinque actus, quinque partes Passio Domini habere, secundum que easdem expendi potest.

B I. In his omnibus quæ à Christo Domino in Horto gesta sunt, in Oratione, Genuflexione, Agonia, sanguineo sudore, Resignatione in voluntatem Patris: elucescit mirificum exemplar Oblationis; quà se Dominus Jesus Patri Æterno obtulit, ad omnes Passionis, & Mortis usque adeò horribilis, labores. Quidni etiam homo, tanto eruditus exemplo, tantoque animatus & invitatus spectaculo, sese animosissime resolvens, offerat Deo, ejusque Sanctissimæ ac suavissimæ voluntati ad omnem ejus usum & nutum, ad humiliationem & abnegationem sui, ad exaltationem vero Dei quam maximam. C Certè milites in gratiam suorum Imperatorum atque Ducum, immanes quasdam, & periculi certi plenissimas, faciunt oblationes: Jesus Imperator noster tanto suæ oblationis proposito nobis exemplo, nonne merebitur, nonne felix adeò erit apud nos, ut ad ejus imitationem, in ejusque gloriam faciamus ei unam nostrî Oblationem generosam? &c.

II. In Captivatione sui Dominus Jesus, quando super se dedit Potestatem potestati tenebrarum, furorique & rabiei militum (quibus etiam ultro obviam processerat, seque ultro illis manifestaverat) D exercuit in gratiam Æterni Patris, inque nostram salutem, unam Heroicam, & planè Deo-Homine dignam Donationem, quâ se, vitam, animam, sanguinem, totâ prorsus substantiam suam elargitus est profusissimè atque prodigalissime: ita ut videretur se totum sui dominio, curâ, æstimationeque exuisse, alienæ per omnia potestatis fecisse, & insuper se, suaque omnia, pro dilectione quasi nihilum computasse & despexisse. In quo Domini Jesu facto, habes, ô homo, tum luculentissimum exemplum, tum etiam stimulum efficacissimum, ad unam & integram aliquam tui, tuarumque omnium rerum donationem & largitionem, faciendam Deo, pro-

propterque Deum, omni creaturæ, ad omnem nutum & usum; estò ad humiliandum, ad exinaniendum, ad crucifigendum te Deus per se, vel per aliquam creaturam uti vellet. Non enim decet, ut tibi pretiosior sis tu, homuncio utique abjectissimus, putredo, & vermis, & merum nihil, quàm unigenitus Dei Filius, qui est Gazophylacium totius substantiæ Divinæ, in quo sunt omnes thesauri Patris Æterni depositi & reconditi: quem tamen vides, quàm sese tibi, & Patri Æterno propter te, ad omnia dira, liberaliter donaverit.

III. Christus Dominus tanquam Augustissimum quoddam Deitatis templum (ut etiam ipse se nuncupavit, teste Joanne Evangelista, loquens de templo corporis sui, à Iudæis per illam mortem dissolvendo) tunsione plurimâ per omnia corporis sui sacrati membra, in totius noctis injuriis, in immanissima flagellatione, in crudelis coronæ impositione aut potiùs infixione, in Herodiana alba veste, in coccinea chlamyde, in arundineo sceptro, in alapis, consputationibus, genuflexionibus & colaphis expolitus, & ædificationi aptatus, ac fabricantibus super dorsum ejus (ut dicit Propheta) peccatoribus, in magnificum Dei templum constructus: productus per Pilatum ad populum, atque publicâ & communi omnium voce damnatus ad mortem, ipsemet promptâ & devotâ suâ voluntate, ipsissimis illis Pilati verbis, *Ecce Homo*, dedicavit, consecravitque se Patri Æterno. Habes & tu hac in re ô homo paradigma insignis dedicationis tuæ, quam tu tui ipsius, facere Deo propter honorem illius debes. Obtulisti te Deo, donasti, sequitur ut etiam dedices, ut inscriptione & titulo, & stemmate divino te insignias, ut omnes, qui te deinceps viderint, agnoscant, legant, intelligant, dicant: Domini est iste. Et illud: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Satis superque portata sunt hactenus insignia inimici Dei. Satis inscriptiones affixæ declarârunt, usque huc ad partes diaboli te pertinuisse: narrabat id superbia, avaritia, ira, arrogantia, invidia, aliæque similes monstrosæ imagines. Ecce jam Christus, exemplo suo, novam dedicationis formulam instituit. Ecce inclamat, Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: scribe jam manu tuâ Domino: Domini ego sum.

IV. Dominus Jesus postquam bajulasset sibi Crucem, in eum qui dicitur Calvariæ locum, in eaque confixus, in altum elevatus, & constitutus, tanquam hostia super altare, superque lignorum struem positus fuisset: fecit de se sacrificium cruentum Patri æterno, pro peccatis nostris. Intuere ô homo hostiam istam, sacrificiumque istud, sacerdotem istum, & altare istud, & ad instar exemplaris hujus sacrificii, tu quoque te sacrifica Domino Deo tuo; ad immolandum enim Domino venisti, perge viam trium dierum in desertum, Ægyptum, & opera luti laterumque, cepas quoque & allia, & carnes ollasque Ægyptiacas, fermentum etiam vetus ejice & expurga, accipe insuper spiritualem secundam in Galgala circumcisionem: tum sacrifica Domino Deo tuo: sacrifica te ipsum, in ara cordis, in igne charitatis, in lignis mortificationis. Esto ipse Sacerdos, ipse altare, ipse hostia, ipse flamma, & operam da, ut sic fiat sacrificium tuum in conspectu Domini, ut placeat Domino, odoreturque odorem suavissimum Dominus Deus tuus.

V. Dominus Jesus in ara Crucis positus, non quale quale sacrificium fuit, sed fuit Holocaustum plenum & absolutum. Conditiones holocausti erant istæ. 1. Ut esset ex carnibus animalis masculi. 2. Ut esset animalis mundissimi. 3. Ut totum sine diminutione, sine reservatione, sine interruptione, igne cremaretur, ad gloriam honoremque Dei: omnes conditiones istas Dominus Jesus in sese habuit, quando holocaustum hoc suum explevit, ideoque traditis omnibus, quæ extra se habuit, puta vestibus, Matre, amicis, discipulis, sanguine, corpore, meritis, ultimo demum illum, quem solum relictum habebat spiritum suum, sive animâ suam, sciens quia jam omnia consummata essent, quæ de ipso in lege & Psalmis, & Prophetis scripta erant, cùm dixisset, Consummatum est, in manus Dei Patris recommendans, inclinato etiam capite, tanquam supremo & ultimo defunctus, in Patrem venerationis officio tradidit. Aspice & attende ô homo, & fac secundum exemplar hoc, quod tibi in isto Monte Moria monstratum, & ad imitandum exprimendumque propositum est. Holocaustum te esse oportet, holocaustum te tu ipse facere debes Deo tuo, cui divisiones, diminutiones, non placent. Dominus est, odio habet rapinam in holocausto, neque pilos, neque ungulam, neque caudam deesse vult in eo, quod sibi totum

bi totum

fi totum integrumque consecratum, destinatum, devotum, oblatum est. Exple omnes conditiones holocausti in te, ut tota Passi Jesu Christi imago, in te coram Deo reluceat: consummatumq; sit omne tuum in Deum officium, tandemque in manus Patris cœlestis, Spiritum tuum tradas, Spiritui Christi æternaliter uniendum.

Ita præstantissimorum quinque actuum e Passione desumi potest exemplum: omnibus quidem Christi fidelibus, maximè tamen hominibus exactam perfectionem professis, perque vota, divino obsequio, & imitationi Christi, destinatis, incumbens ac necessarium. Inveniet autem Lector hos eosdem quinque actus devotionis in Deum, insertos supra in Modo trigesimo septimo.

MODUS XLVI.

Quadragesimus sextus Meditandi Passionem Domini Modus esse potest; applicando ad eam Examen, sive illam Examini Conscientiæ: quæ applicatio etsi variè, & pro cujusque libitu fieri possit: hoc tamen loco illam ego rationem ostendam, quâ quinque Passi Christi vulnera, quinque partibus, seu Punctis Examinis innectuntur.

In 1. Examinis Conscientiæ Puncto, aguntur gratiæ Divinæ Bonitati pro beneficiis. Primum quoque Christi vulnus sit nobis Gazophylacium, in quo beneficia nobis collata reponantur.

In 2. Examinis Puncto, petitur à Deo lumen, ad cognoscendas Animæ latebras atque noxas; secundum quoque Christi vulnus, sit nobis Sol Iustitiæ illuminans, à quo postuletur, sumaturvè radius veritatis, ad illuminandas Cordis nostri tenebras.

In 3. Examinis Puncto, indagantur peccata, defectus, errores, imperfectionesq; commissæ Tertium quoque Christi vulnus, sit nobis velut speculum sine macula, ad quod Anima sese intueatur, & omnia dicta, facta, cogitata, omissa speculetur, obliquitatemque morum suorum, cum Christi rectitudine conferat, ut contraria juxta se posita magis elucescant, meliusque corrigantur.

In 4. Examinis Puncto, contritione & detestatione, peccata omnia, potissimùm autem recens commissa abluuntur: quod quia sine Christi sanguine meritisque non fit, ideo quartum Christi Domini vulnus sit nobis contritionis & lacrymarum balneum, in quo laventur omnes iniquitates cordis.

In 5. Examinis Puncto sit propositum firmum Emendationis in futurum, postulaturque ad id Divinum auxilium: eapropter quintum Christi vulnus sit nobis Petra refugii, & quædam firma munitio, ad quam Anima confugiat, ut sit à tentationibus & habitibus suis malis tuta, &c.

Hæc Examinis cum Christi vulneribus Conjunctio, auget sine dubio in Anima pietatem ad Jesum pro nobis vulneratum, reddit ipsum Deo gratiùs, & ad peccata expugnanda efficacius, Animam etiam ad profectum excitat atque confirmat, ipsum denique Examinis laborem facit suaviorem. Porrò videtur mihi, & gratum, & utile lectori futurum, si praxim etiam ipsam hujus Examinis cum vulneribus Christi Domini conjuncti apposuero.

Praxis Examinis Conscientiæ, cum Christi Domini Vulneribus Conjuncti.

I. Punctum Examinis, & 1. vulnus Christi in Pede dextro.

Vulnus Sacratissimi Pedis tui dextri Dulcissime JESU, sit mihi Gazophylacium omnium donorum tuorum præsentium, præteritorum, & futurorum, communium, & particularium, Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, quibus abusus sum, quæ pro bonis, ac beneficiis non reputavi, quibus etiam abs te, tuaque Gratia donandus eram, & essem, nisi me indignum fecissem, & facerem; ac denique omnium omnino, quæ Tu meliùs nosti, beneficiorum, totius vitæ meæ. Ut in isto vulneris tui Gazophylacio, mihi integrè & cum augmento conserventur. Apud me enim bonis tuis malè est, utpote qui prodigi ad instar filii, dignè illa æstimare nesciens, temerè illa negligo, dilapido, deperdo.

II. Punctum Examinis, & 2. vulnus Christi in Pede Sinistro.

Vulnus Sacratissimi Pedis tui Sinistri Dulcissime Jesu, sit Sol meus, qui lucis veritatisque suæ radium emittat in Animam meam, ut cognoscam, quis Tu sis Domine, quis Ego, quid feceris mihi, quid

quid debeam Tibi, quid sit mihi Tecum, & quid sine Te; utque pervadam omnes perversi cordis mei latebras, & perspiciam omnia Peccata mea, defleam illa digne, & hujus tui vulneris pretioso sanguine eluam luculenter.

III. *Punctum Examinis,& 3. Vulnus Christi in manu sinistra.*

Vulnus Sacratissimæ manus tuæ Sinistræ Dulcissime JESU, sit speculum meum, in quo videam & considerem, peccatorum, vitiorumque meorum multitudinem, gravitatem, fœditatem. Hoc enim vulnus a Te pro peccatis meis susceptum est, unde & meritò in eo dispici, ex eoque pensari debent. Videam ergo in hoc nitidissimo Iustitiæ speculo,

I. Particulares meos defectus, cum quibus in Examine particulari hoc tempore specialiter decerto: an eorum emendandorum proposita pro assignato numero & tempore elicuerim, an occasiones habuerim, an in occasionibus debitè me gesserim?

II. Videam quoque cogitationes meas, an fuerint otiosæ, vanæ, superbæ, impuræ, gulosæ, vagæ, acediosæ, iracundæ, absorptivæ, frustra solicitæ, murmuratoriæ, censurativæ, suspicaces, inconstantes, pusillanimes, respectuosæ, & ad spes, judicia, timoresque humanos attendentes? An fuerint sublimes, puræ, in Deum intentæ, ac directæ, Deo placere cupidæ, studiosæ, à quæsitione & respectu ad me ipsum nudatæ & absolutæ, Deo inhærentes, a rationibus æternis eductæ?

III. Videam verba: An fuerint superba, tumida, mordacia, iracunda, perniciosa, præcipitata, inconsiderata, nimiùm exaggerantia ac superlativa, ironica, sarcastica, hyperbolica, immansueta, detractoria, contumeliosa, convitiatoria, mendacia, ambigua, falsa, simulata, adulatoria, importuna, otiosa, superflua, ridicula, officiosa, impura, &c.? An contra, fuerint moderata, brevia, suo tempore, loco, modo, necessaria, utilia, proximi ædificativa, pietatem redolentia & aspirantia audientibus?

IV. Videam Opera. An fuerint nulla, non rectâ intentione facta, ad hominum gratiam, spem, laudem, metum, cõmoditatem propriam directa: non debito ordine, loco, modo, tempore; sine debita attentione, diligentia, devotione, præsentia, reverentiaque Dei, sine invocatione opis Divinæ, sine prævia electione, deliberatione, non ad Dei, regularum, obedientiæ, rationis mentem: non item ad regulas perfectionis, & sublimitatis; sine observationibus solitis aut placitis, ex mero usu, casu, temerè: præter usum, & vitam, disciplinamque communem, contra officium, atque propositum proprium, cum molestia, injuria, præjudicio, scandalo aliorum, cum remorsu conscientiæ, cum languore, tædio, dilatione, nausea, distractione animi, ex judicio, placito, voluntateq; propria, contra fraternam charitatem, aut absque illa, cum effusione mentis, absque præsentia & dominio mei; cum festinatione, perturbatione importuna, in angustiis temporis, sponte vel errore causatis?

V. Videam omissa per negligentiam, inscitiam, effusionem ad unum aliquid nimiam; ob affectûs impotentiam, ob levem, frivolam, & affectatam causam, ob dilationem, respectum, metum, difficultatis, censuræ, ac linguæ alienæ, ob neglectum ordinis, & temporum, & actionum, cùm tamen debuerint, potuerint fieri, in Dei gratiam & gloriam, in commune & proximi bonum, in meum profectum ac meritum, propter Obedientiam, Charitatem; exemplum, disciplinam vitamque communem.

VI. Videam quoque Aliena, mihi tamen imputanda, ob occasionem datam, ob imperium, consilium, exemplum, authoritatem, dissimulationem, indulgentiam, vel ejus spem, experimentumve, ob protectionem, participationem, non impeditionem, negligentiam in officio notam, probatam, speratam. Item aliter, aliena quidem, sed tamen mea facta à me, propter indagationem, vituperationem, censuram, reprehensionem, non cui intererat narrationem, cui intererat non narrationem, ob imitationem, & æmulationem, ob invidentiam, ob non datum auxilium, favorem, promotionem, stimulum, quo adjecto factum fuisset bonum, vel non factum malum quodpiam vel simpliciter, vel commodiùs, vel faciliùs, vel utiliùs, vel perfectiùs, vel Deo gratiùs, gloriosiùsque.

VII. Videam denique Ordinem temporum, & actionum, perfectionem quoque & sublimitatem earum. An v.g. factæ sint suo, & debito tempore, ordine, modo, an punctualiter, an cum adhibitione perfectionum communium, quales sunt Prævisio, Electio, Intentio, Diligentia, Fervor, Efficacia, Constantia:

particularium etiam, quales esse possunt sublimis & defœcata Intentio, conatus heroicus totalis, gradus perfectionis ultimæ, ardens, Seraphica, Mariana, Christi-divina, charitas, puritas. Resignatio itẽ, nuditas, gratuitas, & ab omni mercede, commodoque proprio etiam spirituali, etiam æterno, in quantum proprium sit, absolutio. Conatus totius, mei totius, universi, omnium electorum, &c. Conatus & fervor major & major dignus Deo. Unio ad merita omnium Electorum, Pretiosissimæ Parentis, Christi Humanitatis, quàm adæquatissimè ad Dei dignitatem, voluptatem, gustum, & ad alias rationes æternas, quas unctio docet.

IV. *Punctum Examinis, & 4. vulnus Christi in manu dextra.*

Vulnus Sacratissimæ Manûs tuæ dextræ Dulcissime IESU, sit mihi Contritionis Balneum, cujus virtute, & efficaciâ, & merito, defleo, & doleo, Emundoque omnia peccata mea admissa commissione, & omissione, in Te, in me, in superiores, in Regulas, in vitam communem, in officium, in proximum æqualem, in inferiorem, in quamcunque creaturam. Cui ablutioni & dolori meo, peto vel guttulam unicam, sacratissimi tui sanguinis, ex hoc Manûs Tuæ dextræ vulnere admisceri, eumque sic tuo Divino conspectui per Sanctum Angelum Custodem meum offerri, à Te autem Domino meo benignissimo acceptari, mihique veram & constantem, & perfectam vitæ, ac morum meorum emendationem & emundationẽ, misericordissimè indulgeri.

V. *Punctum Examinis, & 5. vulnus Christi in Latere & Corde.*

Vultus Sacratissimi Cordis Tui Dulcissime IESU, sit mihi refugium, munitio, defensioque contra Iram tuam, contra fragilitatem meam, contra peccata mea omnia, æquè magna, atque parva, contra fraudes Dæmonum, atque tentationes, contra Mundi & Carnis, & sensuum, & proprii amoris illecebras, contra damna, & pericula corporis, contra damnationem æternam. Sit etiã mihi abyssus peccatorum meorum omnium, in quã ego, cum plena & vera, & æterna cordis detestatione atque dolore abjicio, & demergo omnes omnino imperfectiones meas, nunquam inde extrahendas, aut revocandas, sed potiùs tuâ abundanti misericordiæ ratione, meâ verò per auxilium gratiæ tuæ constanti emendatione, ampliùs & ampliùs demergendas & obruendas. Tu tantùmmodo Dulcissime IESU largire mihi ex purissimi Cordis tui vulnere, vel unicam guttulam sanguinis Tui pretiosi, atque ibi me detine, excoque, exure, emunda, accende, ignefac, sublima, in Cordis Tui naturam perfectè converte, ad Purissimi Cordis Tui gustum, & placitum, ad puram & plenam annihilationem meam, Amen.

Ad hunc Examinis cum Passione Christi conjungendi modum, præclare quoque accommodari potest Modus 22, supra positus: in quo Christus Dominus Beatæ Angelæ de Fulgino, totius sui Corporis, omniumque membrorum pœnas, contraponit ejusdem peccatis diversimodè ab ea commissis. Potest etiam eidem proposito bene deservire Modus 23. quin. 24, & 25, & alii quidam; quos facili negotio licebit ad Examen Conscientiæ inflectere, cùm ferme illud in se contineant. Nec id mirum, cùm Examen Conscientiæ nihil aliud sit, quàm Modus quidam orandi meditandique utilissimus, qui si etiam à Passione Domini seu Passo Domino robur, pretium, efficacitatemque acceperit, non facilè quis alius meditandi & orandi modus, illi comparari in sua utilitate poterit.

MODVS XLVII.

Quadragesimus septimus meditandi Passionem Domini Modus est, considerare Passionem in Eucharistiæ Sacramento, tanquam in suo memoriali delitescentem, an elucescentem? non facile dixerim. Non sine causâ certè canit de illo Sacramento Ecclesia. O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Novit nimirùm, in hunc usum præcipuè, Sacramentum hoc, cum suo usu atque ritu institutum à Christo esse, ut quotiescunque manducent Panem hunc, aut Calicem bibant Fideles, toties mortem Domini annuntient, toties id faciant in ejus commemorationem. Cùm ergo hoc ita sit, ex mente certè Christi erit, hunc meditandi Passionem ejus modum desumere, atque usurpare, nempe Passionem ipsam in Eucharistico convivio, tanquam in vivacissimo memoriali considerare. Cujus considerationis normam, ex Ludovico

de Ponte, Lectori propono, abbreviatis alicubi, dilatatis etiam alicubi, Scriptoris illius, spiritûs sapientiâ clarissimi, verbis.

Med: 62 Parte Med: 41.

Desiderans Redemptor noster, conservari in Ecclesia perpetuam memoriam Passionis suæ, ac supremi per eam nobis collati beneficii, instituit Sanctissimum Eucharistiæ Convivium, in quo nobis quotidie dat in cibum & potum, Corpus & Sanguinem suum, sub accidentibus Panis & vini. Circa hanc Fidei nostræ veritatem, perpendendæ primùm sunt causæ, ob quas voluerit Christus Dominus noster, Passionis & mortis suæ ignominiâ & dolore plenissimæ, signum & memoriam esse convivium suavitate plenissimum. Videtur enim magis ad rem facturus fuisse, si in memoriale hujus Passionis, nos nostrum Sanguinem funderemus: ut in circumcisione fiebat; aut si cibum aliquem amarum, lactucas nempe agrestes sumeremus, aut vinum myrrhatum cum felle acetoque mistum biberemus: sed his omissis, Dominus noster, in Pane & Vino eam memoriam instituit.

Primo quidem, ut nobis suam paternam suavissimam bonitatem aperiret, quâ ipse quidem sibi delegit pœnam & dolorem, nobis verò solam relinqueret memoriam, idque in rebus suavissimis conclusam, hac simul ratione nos molestiâ liberans, fructu tamen molestiæ non privans. Simul etiam nos instruens, ut Divini honoris & proximorum salutis, fraternæque charitatis gratiâ, nobis deligeremus asperiora, fratribus verò & proximis deferremus jucundiora.

Secundò, Ut ex hoc cognosceremus, quantâ ille suâ voluptate, passionis labores pertulerit, quatenus ii nostræ utilitati & saluti deserviebant. Etsi enim Passio illa suâpte naturâ erat acerbissima, quia tamen nobis eam sciebat salutarem, inde illi erat gratissima. Ad quod manifestandum, memoriam ejus nobis in solenni convivio reliquit, & in epulis suæ gratissimæ cum Ecclesia Sponsa desponsationis.

Tertiò, Ut agnosceremus, in Passione ipsius, non solam esse acerbitatem, sed summam etiam suavitatem: utque etiam disceremus, passiones ab eo nobis immissas, jucundâ mente ejus causâ tolerare; & tanquam panem suavem manducare. Certè si aliud esset nihil in Passione atque Cruce nostra, quàm hoc, quia illam prior nostrî causâ Christus subiit: id plusquam satis esse deberet, ad excitandam in nobis, non tantùm suavitatem sed etiam famem atque Sitim Crucis.

Deinde considerandæ sunt Causæ, ob quas voluit Dominus noster ipsemet realiter ac vere permanêre in hoc Sacramento, ut illud esset Passionis suæ memoriale: ad quod realis præsentia minimè erat necessaria, sed sufficiebat esse Panem ac Vinum ad id ab ipso destinatum, sicut in Baptismo sufficit pura aqua, ad significandam ejus mortem ac sepulturam.

Rom: 6.

Sed Causa ejus rei fuit *Prima*. Ut nobis Dominus ostenderet quanti suam ipse Passionem faceret: ut qui voluerit ipse propriâ sua personâ, realique præsentiâ esse ejusdem memoriale. Sic enim nos obligavit quàm maximè ad summam ejus beneficii æstimationem, & ad continuam ejus memoriam, & ad perpetuam pro eo gratitudinem. Cùm enim idem ipse sit qui Passus est pro nobis, & simul qui Passionis suæ memoriam per semet exsuscitat in nobis, qui fieri potest, ut nobis Passionis ejus, aut oblivio, aut ingratitudo obrepat, habentibus tantum contra utrumque, & remedium, & excitamentum.

Altera Causa fuit, ut ostenderet, quanto desiderio non æstuârit solùm olim, sed etiam nunc quoque æstuet, patiendi pro nobis: quamque non tantùm olim ardenter desideraverit mori, & pati, sed nunc quoque paratissimus sit omnia iterùm iterumque tormenta, si opus ac expediens foret, repetere: idcirco, quandoquidem jam nihil attinet eum de novo vere atque cruente pati, atque mori, delectat sese tamen patiendo atque moriendo, saltem per mortis Passionisque suæ repræsentationem in Missæ Sacrificio, atque Eucharistiæ Sacramento. Ita ut Agnus, qui ab origine mundi occisus est, in figuris animalium oblatorum, sic etiam nunc idem Agnus occidatur usque ad finem mundi in Eucharistico Sacrificio. E qua sua suavissima adinventione, ut & nos participare audeamus, gaudeamus de morte & Passione & Cruce illius, propter Amorem ipsius fratrumque nostrorum: *Semper mortificationem IESU in corpore nostro circumferentes. Mortificemur totâ die, atq; tanquam oves occisionis æstimemur, morientes quotidie propter Dei & fratrum gloriam.*

2. Cor. 4. Rom. 8. 1. Cor. 15.

Tertia Causa fuit, ut hac suâ præsentiâ reali suppleret defectus gratitudinis nostræ, cujus debitores sumus supra modum, non tantùm pro beneficio Redemptionis, sed etiam pro innumeris aliis beneficiis, de manu Dei acceptis: quæ quoniam infinita

finita sunt, gratitudine nostrâ à nobis dignè compensari nullo modo possunt. Idcirco ipse per seipsum in hoc Sacramento se sibi & Patri Æterno exhibet gratum pro omnibus beneficiis, exhibet autem planè *gemitibus*, affectibus, affectibusque *inenarrabilibus*: excitans tamen simul nos secum ad eandem gratitudinem, cùm cæteris virtutum affectibus exhibendam. Qua de Causa hoc Sacramentum Eucharistia, seu bona gratia, atque gratiarum actio nuncupatur, in qua ad literam impletur etiam illud Psalmi verbum. *Confeßio & magnificentia, opus ejus*. Verè enim ipsemet sibi confitetur, & laudes gratiasque agit pro beneficiis suis: neque ad hoc opus quisquam ex puris creaturis est idoneus, præterquam ipse solus. Nos enim aliud possumus nihil; quàm illud ejusdem Psalmistæ. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo* atque glorificabo, gratiam gratiâ cumulans, & ipsâ gratiarum exhibitione novus majorque gratiarum actionis debitor existens.

Tertiò, Considerandæ sunt Causæ, ob quas Christus voluerit sub Panis & Vini speciebus esse memoriale Passionis suæ, cujus in ipsis speciebus est nec una, nec modica similitudo.

Prima Igitur Causa fuit ut significaret, quòd sicut in hoc Sacramento conjungitur Christus cum speciebus Panis & Vini, quorum ille conficitur ex multis granis, ex sua spica paleaque excussis, deinde confractis & contritis igneque tostis; hoc autem ex multis botris & uvis in torculari calcatis, atque pressis confluit: ita Sacratissimum Christi Corpus, in Passionis area fuit excussum, trituratum, contritum flagellis, pugnis, calcibus, spinis, clavis, calcatum quoque contemptibus, convitiis, contumeliis, tormento, torculari que Crucis, ita ut toto sanguine effluente, Corpus ipsum exsangue remaneret Quare, has species Panis & Vini, vult esse nobis repræsentatrices totius Passionis suæ, omniumque laborum & dolorum, qui in ea fuerunt. Atque ita dum Sacratissimi Sacramenti Panem Vinumque sumimus, simul etiam sumamus, nobisque incorporemus, Passionis, Crucis, Mortisque ejus pœnas, seu pœnarum sensum, gustum, amorem, imitandique atque experiendi studium.

Altera Causa est: ut significaret, quòd sicut, qui in Sacramento species Panis & Vini accipit, eas quodammodo in sese sepelit; ita per hanc Sacramenti, seu potiùs, sui in Sacramento intra nos sepulturam, Christus Dominus, mortem sepulturamque suam repræsentat; repræsentando, etiam in nobis iterat, repræsentans quomodo ille in sua Passione, suorum persecutorum dentibus furiosis fuerat contritus, atque à morte devoratus, ac in sepulchro collocatus; simul verò communicanti suo Sacramento, præsentialiter assistens, immo immanens, eumque Spiritu fidei, reverentiæ, charitatis implens, communicat ei fructus suæ Passionis atq; Mortis.

Recordare igitur ô fidelis anima, quòd quoties communicas, toties efficeris Christi Domini sepulchrum, recipis enim illum & concludis, viventem quidem in sese, attamen secundum repræsentationem mortuum. Attende ut sis tu quoque Domini hujus *sepulchrum gloriosum*, propter excellentiam virtutum: attende ut sis *novum*, ob Spiritûs fervoris novitatem: attende ut sis *excavatum de petra*, ob imitationem vivæ Petræ, quæ est Christus. O Christe Dulcissime, Sanctifica hoc Animæ meæ, quod toties ingrederis sepulchrum, ut quamdiu in illo moraberis, digna tibi sit in ipso habitatio. Et sicut in illo saxeo Arimatheæ sepulchro nullus fuit alius, ante, & postea, unquam positus: ita quæso & in hoc cordis mei sepulchrum, nullus unquam deinceps ingrediatur, qui illud profanet, sed semper illud tibi novum conserva, & purum, ad gloriam nominis tui in æternum.

Quarto Consideranda est causa, ob quã Christus Sacramentum suum Eucharisticum, in distinctis Panis & Vini speciebus institutum, esse voluerit memoriale Passionis suæ; licet enim verè & realiter sub utraque specie est Corpus atque Sanguis simul sese comitantes, directè tamen, & ex vi verborum, sub specie Panis, est principaliter solum corpus, sub specie quoque vini, directè & ex vi verborum, principaliter est solus sanguis.

Causa igitur ejus rei præcipua est, ut Dominus significaret, suum sanguinem totum fuisse à corpore in Passione separatum. Ingentibus enim doloribus & tormentis, propter nostram redemptionem & ablutionem, illud effudit. Quare dum sacrum facio, vel illi intersum, & dum Sacramentum in Sacrificio sumo tanquam Sacerdos: videns seorsim hostiam, & postea calicem seorsim elevari, meminisse debeo, illius totalis separationis Sanguinis Christi à Corpore: attendens totum illum effusum collectumque contineri in calice simul. Qui quidem sanguis quin-

Marginalia: Rom. 8. 23 — Psal. 110. 3 — Psal. 115. 13. — Isaiæ 11. 10. Math. 27: 60. — Ex 4. Partis Meditaione. 13 Puncto 15. 2.

quies potissimum fusus legitur. 1. Sudore in Horto. 2. Flagellis ad Columnam. 3. Spineâ Coronâ. 4. Clavis in Cruce. 5. Lanceâ post mortem.

Quæ omnia meditatione percurrenti, licebit in singulis colloquia & petitiones cum amoris affectibus, & dolore, & gratiarum actione instituere, hoc, vel simili modo.

O Sanguis Christi Pretiosissime, sudore per omnes Corporis poros effuse, præ angustia & mœrore Animæ ingenti: gaudeo, te in (isto) Calice contineri, ut à fidelibus adoreris; en ego te, quantum possum, adoro; supplicans, ut me ab anxietatibus tristiisque æternis liberes, quas ego peccatis merui, & Tu Sanguine tuo abluisti.

O Calix Pretiosissime, Sanguine illo plene, quem Dominus meus ex toto corpore flagellis conscisso effudit. Eo item, qui ex ejus dignissimo capite spinis perforato effluxit: inebria me divino istius Sanguinis liquore, ut totus in ejus amorem convertar, qui te pro mei amore cum tanta sua acerbitate profudit.

O Amantissime JESV, qui in isto Calice Sanguinem illum tuum reposuisti, quê per clavorum, & lanceæ vulnera effudisti, *quid tibi retribuam pro omnibus quæ retribuisti mihi? nisi Calicem salutaris accipiens.* Sanguinem hunc tuum in eo contentum tibi offeram, sanctumque tuum nomen invocans glorificem.

Psal. 115. 13

Non absimiles his, affectus & actus, postulataque fieri possunt, ad, & super Corpus JESV Christi, contentum & præsens sub specie Panis, ut saucium, lacerum, exsangue, lividum, discerptum, à crudelibus feris; pessimisque laniatum, ac pænè devoratum, in Cruce pendens, mortuum, depositum, sepultum, &c.

MODVS XLVIII.

QVadragesimus octavus Passionem Domini meditandi modus esse potest; per collationem ejus cum aliis vitæ Christi mysteriis: quæ ratio meditandi, hanc præter alias, utilitatem habet, quòd unâ eâdemque operâ, complures simul vitæ Christi partes & actiones, commemorat atque considerat. Ejusmodi aliquam speciem propono.

1. JESVS nascens in Nazareth (quæ vox florem sonat) ex Virgine de Spiritu Sancto conceptus est.

Moriens in Horto à Iuda discipulo, A consilium traditionis in cor ejus mittente diabolo, traditus est.

2. JESUS nascens, nocte mediâ, cùm medium silentium teneret omnia, in Bethleem, (domo panis) inter nos homines prodiit, & noctem in diem vertit.

Moriens, mediâ etiam nocte, in Horto Olivarum (Symbolo misericordiæ & Pacis) comprehensus & captus, & in urbem deductus est: in Meridieque moriens, noctem mundo induxit.

3. JESUS nascens lachrymas fudit, parvoque lacte pastus est.

Moriens sanguinem sudavit, & membris planxit omnibus vino; felle misto, B acetoque potatus est.

4. JESUS nascens in præsepio inter bovem & asinum positus est.

Moriens, in Cruce positus, inter duos latrones appensus est.

5. JESUS nascens, pannis involutus est.

Moriens, vestibus exutus, nudus pependit.

6. JESUS nascens, fasciis ligatus est.

Moriens, ligatus vinculis, & catenis, & clavis confixus est.

7. JESUS natus, à multitudine Militiæ cælestis Salvator dictus, & adoratus est.

Moriens, à multitudine furente sedu- C ctor, blasphemus, reus mortis, Cruce dignus dictus est.

8. JESUS natus, à stella cælesti Magis demonstratus est.

Moriens, à Sole & luna & toto universo planctus, & defletus est.

9. JESUS nascens, à Regibus sive Magis adoratus & muneribus cultus.

Moriens, à Principibus illusus, contemptus, morti traditus est.

10. JESUS nascens, à pastoribus ovium agnitus salutatus est.

Moriens, à Pastoribus Synagogæ, abnegatus est.

D 11. JESUS nascens, octavo die circumcisus est.

Moriens toto corpore in flagellatione, coronatione, crucifixione sauciatus est.

12. JESUS nascens nomen JESUS, ab Angelo antequam nasceretur nuncupatum accepit.

Moriens, à Pilato titulum JESU Nazareni, super crucem appositum retulit.

13. JESUS nascens, à Simone in templo oblatus est.

Moriens, à Principibus Sacerdotum in Calvario Monte crucifixus est.

14. JESUS nascens, ab Herode Patre persecutionem passus est.

Moriens ab Herode filio spretus, illusus,

sus, pro stulto & insano judicatus est.

15. Jesus nascens, fugâ vitam servavit. Moriens, ultro hostibus obviam processit.

16. Jesus duodennis, in medio Doctorum interrogans & audiens eos, inventus est.

Moriens, à Concilio legisperitorum interrogatus, & reus mortis, blasphemus, damnatus est.

17. JESUS à Ioanne Baptisatus est in Iordane.

Moriens, baptisatus est in Passione.

18. JESUS de Cœlo à Patre æterno testimonium accepit, quòd esset Filius Dei.

Moriens falsis testimoniis accusatus, & quia Filium Dei se fecit, occisus est.

19. Jesus in deserto tentatus est.

Moriens potestati tenebrarum traditus est.

20. Jesus vivens, ad pœnitentiam invitavit, & Regnum Cœlorum appropinquasse docuit.

Moriens, pœnitentiam pro nostris peccatis egit, & Regnum Cœlorum suo Sanguine aperuit.

21. Jesus doctrinam suam ascenso monte promulgavit.

Moriens, eandem legem suam in montè super crucem, morte suâ sanxit.

22. Jesus vivens ad Regnum quæsitus est.

Moriens purpurâ indutus, coronatus spinis, arundinem gestans, ut ambitiosus Rex, illusus & salutatus est.

23. Jesus in vita stultus, insanus, furens, dæmoniacus creditus est.

Moriens veste albâ ut fatuus indutus & illusus est.

24. Jesus vivens, aquam in vinum convertit.

Moriens, vinum in sanguinem suum transmutavit.

25. Jesus vivens, carnem suam in cibum, sanguinem in potum dare promisit.

Moriens, in ultima cœna id exhibuit.

26. Iesus vivens, dæmonia ex hominibus ejecit.

Moriens, dæmonia vicit, arma eorum spoliaque in quibus confidebant, diripuit.

27. Iesus vivens, per Herodem, vocem (Ioannem) amisit.

Moriens, apud Herodem mutus stetit.

28. Iesus vivens, mortuos ad vitam revocavit.

Moriens, pro mundo, omnes ad vitam revocavit, & chyrographum mortis, Cruci affixit.

29. Iesus vivens, in Monte Thabor transfiguratus est.

Moriens, in Monte Calvario deformatus, sine specie, & decore factus est.

30. Iesus asello gestatus, acclamante populo, Urbem ingressus est.

Moriens, ipse suâ cruce onustus, triumphantibus inimicis, extra Urbem ductus est.

31. Iesus vivens, à Magdalena ad sepeliendum unctus est.

Moriens, sputis fœdè illitus, mortuus, à Iosepho & Nicodemo cum aromatibus sepultus est.

32. Iesus vivens, ubi caput reclinaret non habuit.

Moriens, inclinato, seu pendulo capite expiravit, & alieno in sepulchro conditus est.

Hunc in modum omnia ferè opera, & præcepta, consilia, miraculaque Christi Domini, possunt alicui parti Passionis Christi, vel comparando, vel contraponendo, conferri: sed hæc in speciem attulisse sufficiet.

MODVS XLIX.

QVadragesimus nonus Passionem Christi meditandi modus esse potest, conferendo illam cum judicio, quod Christus cum toto humano genere exercebit in fine Mundi, quando reddet unicuique secundùm opera sua.

Est autem advertendum, constare ex Scripturis Sacris, ac potissimùm ex ipsiusmet Christi Domini sensu, atque verbis, Passionem Christi, quoddam Iudicium fuisse: non illud tantùm, quo ipse ab impiis iniquè judicatus & damnatus est, sed etiam illud, quod ipse partim in ipsa Passione exercuit, partim quod in mundi fine exerciturus est. Factum à se judicium in Passione testatur ipse Christus dicens. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* (Ioan: 12.31) Mundus ergo & mundi princeps diabolus in Passione Christi, à Christo judicatus, damnatus, ejectus foras, triumphatus, spoliatus, traductus, & iniquâ Tyrannicâque potestate, & captivitate exutus est. Porrò exercendi olim à se judicii in omnes homines, luculentam Dominus prædictionem denuntiationemque fecit apud universum Concilium, & coram summo Pontifice Caipha, à quo cum esset adjuratus, ut diceret essetné Filius Dei & Christus? ita respondit. *Tu dixisti. Ego sum: verumtamen*

tamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cæli: Quod ipsum iterum posterâ luce in eodem consessu Iudicum & Principum, Doctorumque repetens, confirmavit. Causa verò, propter quã ita Christus cum Passione sua Iudiciariam simul suam potestate mactumque ejus à se exercendam cohærere vel voluerit, vel ostenderit: sine dubio partim illa est una, quia Passione suâ, quam ex iniquissimo Iudæorum & Gentilium judicio decretoque sustinuit, Iudiciariam Potestatem Majestatemque sibi merebatur, juxta illud Prophetæ dictum. *Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.* partim etiam illa altera, quia Passio Christi, revera quædam imago & delineatio viva luculentaque fuit eorum omnium, quæ in judicio Christi extremo cum peccatoribus fient. Ad quod nescio an non planè respexerit Dominus Iesus, in illis verbis, quæ mulieribus super se lamentantibus atque plorantibus dixit. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui nõ genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos: & collibus, operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quæ Domini sententia, ac prædictio, etsi respicere videatur vastationem eversionemque Ierosolymæ, quæ post mortem Domini, quadragesimo anno facta est, indubitatè tamen etiam respexit judicium universale, & eversionem ultimatam Babylonis, seu omnis Reipublicæ impiorum: cujus figura fuit ipsa illa Ierosolymæ devastatio, per Romanos facta. Maximè autem hoc evincit illa Dominica sanè pathetica, & comparatio, & interrogatio, & exclamatio. [Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?] Hic enim Dominus lignum viride, ligno arido, factis in viridi ligno, futuris in arido confert; & à minori ad majus arguens, indubitatè miserabiliora eventura denuntiat ligno arido, id est cuilibet impio, quàm evenissent, aut quandoquidem tam miserabilia evenissent ligno viridi, & fructifero, ipsi nimirum Christo.

Matt. 26. 64
Marc. 14, 62
Luc. 22. 69
Iob. 36. 17.
Luc. 23. 28.

His ita declaratis, Meditatio institui poterit per comparationem viridis ligni cum arido, & simul gestorum in viridicum gerendis in arido. Cujus collationis aliquantulam speciem hoc loco exhibeo.

I. IESVS venditus est & traditus in manus peccatorum.

Vnusquisque peccator & omnis turba peccatorum venundabitur infelix: & diabolus stabit à dextris cujuslibet, & jam ex tunc dicetur tam his, quàm illis. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.*

Luc. 22. 53

II. IESVS factus est tristis usque ad mortem, & sudavit etiam sanguinem.

Sudabit etiam omnis turba peccatorum, sudabit & præ angustia Spiritûs gemet, eritque ejus Animæ tristitia usque ad mortem sine morte. Arescentibus nimirum hominibus præ timore & expectatione, Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

III. IESVS captus est & vinculis ligatus tanquam latro, &c.

Omnes peccatores terræ, ligati vinculis & compedibus peccatorum suorum, non tantùm in animabus, sed etiam in corporibus, separabuntur tanquam hædi ab ovibus, & à sinistris collocabuntur.

IV. IESVS accusatus, examinatus, reus mortis judicatus est.

In Iudicio peccatorum, aperientur libri conscientiarum. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, sive bonum, sive malum. Tunc erit conscientia impii quasi mille accusatores, & quasi mille testes, tunc nemo respondebit Iudici Christo unum pro mille; tunc Iudex arguet, & statuet unumquemque contra faciem ejus.

V. IESVS ad flagella nudatus, & flagellis cæsus est.

Stabit & quilibet peccator in oculis totius Cæli, & Terræ, nudus, tam animâ, quàm corpore, & dicetur de eo. Ecce Homo & opera ejus, & operiet confusio faciem illius, & flagellum peccatoris veniet super eum, nunquam per omnem æternitatem recessurum ab eo.

VI. IESVS coronatus, illusus, consputus est, & cum voce *Ecce Homo* monstratus est.

Coronabitur caput omnis peccatoris, spinis peccatorum suorum, & sicut diploidem induet confusionem, & illudet ei omnis creatura, armabiturque contra eum à quo servire sibi compulsa fuit ad malum. Tunc omnia solatia hujus vitæ, vertentur in spinas, tunc spes omnes, in cassam arundinem convertentur: tunc dicet de peccatore Tyrannus & Captivator ejus diabolus *Ecce Homo*, & scelera ejus: tunc à planta pedis ad usque verticem supergressas eum iniquitates ostendet, dicens & amare improperans, per singula scelera, *Ecce Homo* ille, qui pro

eo quòd

eo quòd Deum factorem & salvatorem suum colere debuit & amare, me suum & Dei hostem amavit, mihique ad voluntatem meam servivit. Ecce Homo ille, qui Christum Dei Filium Hominem pro se factum atque crucifixum ostentui habuit & crucifixit. Ecce Homo ille, qui Dei & Christi legem noverat, beneficia acceperat, tot auxilia salutis, tanta pœnitentiæ spatia habuerat, par tamen gentilibus, immo pejor gentilibus vixit. Ecce Homo qui annos vitæ in sceleribus traduxit, qui toties rediit ut canis ad vomitum, ut sus lota ad votalubrum luti, qui speravit in incerto divitiarum, cui Deus venter erat, qui pauperem & pupillum devorabat, &c.

VII. IESVS à Pilato manus lavante, & à populo sanguinem Christi super se & filios assumente, damnatus est mortis sententiâ.

Lavabit etiam Iesus Iudex manus suas in sanguine omnis peccatoris: & sanguinem cujusque dabit super caput ejus, & dicet: *Nescio vos, discedite à me operarii iniquitatis maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Succlamantibus inter hæc creaturis omnibus; *Tolle, tolle, crucifige, crucifige,* sanguis ejus super caput ejus, tollatur impius ut non videat faciem Dei.

Matt. 25. 12. Luc. 13. 27. Matt. 25. 41.

VIII. IESVS felle & aceto potatus est, atque onustus cruce locum mortis petiit.

Tunc etiam peccatoribus omnia in fel amaritudinis, & in obligationem iniquitatis commutabuntur, ipse etiam Deus, ipse Christi sanguis, ipsa Misericordia, Bonitas, & Charitas: tunc portabunt omnes improperium damnationis æternæ. Tunc aperiet terra os suum, & deglutiet eos infernus vivos; & descendent in infernum sicut plumbum aut lapis, unus ex eis non remanebit, & ascendet fumus tormentorum eorũ in sæcula sæculorum.

IX. IEsus clavis Cruci affixus est.

Confignentur etiam & affigentur impii omnes in carne & anima clavis æternæ damnationis, & sententiæ abjectionisque immutabilis, & ibunt in combustionem æternam, cujus non erit finis, nisi quando Deus, qui semper est Deus, desinet esse Deus.

X. Iesus ab omni genere hostium illusus & blasphematus est in Cruce pendens.

Et peccatori omnis creaturarum populus, omnis natio electorum, omnis turba damnatorum, dæmonum, improperabit, & illudet, quoniam *noluit benedictionem & elongabitur ab eo*, elegit maledictionem & veniet ei, & implebitur ab ea.

Psal. 108. 18

XI. Iesus se à Deo derelictum clamavit.

Clamabit & omnis peccator quod olim Caim dixit Deo, *Ecce ejicis me à facie tua*: clamabit Deo. Deus ut quid dereliquisti me? Deus autem respondebit: Dereliqui te quia dereliquisti me, fontem aquæ vivæ, & fodisti tibi cisternas dissipatas, & ecce relinquetur tibi domus tua deserta in æternum. Clamabunt insuper etiam dæmones, Deus dereliquit eum. Euge Euge devorabimus eum;

XII. Iesus in Cruce clamavit *Sitio*, & aceto potatus est.

Reprobi quoque omnes in flãmis ustulati, & igne saliti, cum epulone illo guttam aquæ petent, propter cruciatum flammarum, neque tamen obtinebunt in æternum.

XIII. Iesus, in Cruce dixit Consummatum est.

Peccatores damnati & in infernum amandati, inque æternam combustionem absorpti, desperatis vocibus dicent, consummatum est, quia in inferno nulla redemptio. Consummabitur peccator, & consumetur, & descendet in infernum vivus, & claudetur puteus abyssi, clavẽ autem clausuræ ejus accipiet Deus, deponetque illam in æternitate & immensitate oblivionis, ut nunquam memoretur illorum ampliùs.

XIV. Iesus inclinato capite tradidit Spiritum.

Peccatores miseri, dejectis & obstipis capitibus, tradent corpora animasque suas, diabolo, & Angelis ejus. Mors secunda, mors æterna, mors vivens depascet, & pascet eos, & sepeliet in terra oblivionis, inter illos, quorum Deus non est memor ampliùs.

XV. Iesu mortuo, petræ scinduntur, & sepulchra aperiuntur, & velum templi scinditur, & homines percutientes pectora sua revertuntur.

O Peccatores, ne sitis mortuis mortui magis, ne petris duri magis, ne terræ mole immobiles magis. Memores estote Iudicii Iesu: sic enim erit & vestrum: sed longè majore cum differentia, infinite cum dispari exitu. Iesum enim post baptismum Passionis gloriâ & honore coronatum, in Cœlis Thronus ad dexteram Patris accepit, at vobis in duro & impœnitente corde sepultis, supereri t

semper

semper æterna damnatio, lamentatio, maledictio. Ita quod factum est in ligno viridi, fiet longè miserabilius etiam in arido: sed ne fiat in arido factum est in viridi, si tamen lignum, aridum studuerit sese in vitæ, & motum, & passionis imitatione conformare ligno viridi.

Sed libet hunc modum, ipsius Christi Iudicis ad peccatorem verbis concludere, quibus eum loquentem facit Sanctus Augustinus.

Serm: 181. de temp.

Quid faciet (peccator pœnitentiæ remedia nunc negligens & contemnens) in illo metuendo Iudicii die, cum tremente mundo, Dominus, præcinentibus Angelorum buccinis, in illo majestatis suæ throno circumdatus, cælestis militiæ luce consederit, ibique de terræ gremio, & antiquo pulvere suscitato humano genere, astante conscientiæ testimonio singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis, justorumque præmiis, rationem vitæ cœperit postulare, & plùs jam justus, quàm misericors, severitate Iudicis, contemptæ misericordiæ reos cœperit accusare, & dicere: Ego te homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi Spiritum, ego tibi imaginem nostram similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter paradisi delicias collocavi; tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quam Deum maluisti. Cùm expulsus de Paradiso, jure peccati, mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis pariendus introivi, in præsepio expositus, & pannis obvolutus jacui, infantiæ contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet, ut te mihi similem facerem, pertuli: irridentium palmas, & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi, & perfossum vulneribus latus; suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, suscepi mortem, ut tu in æternum viveres. Conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in Cœlo. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuntiasti? Non ego te de morte tua quæro? Redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi; redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis. Cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus, ascendi. Cùm essem impassibilis, pro te pati dignatus sum, sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, & quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari.

Qui tunc erit stridor dentium, cùm Sanctorum multitudine ad dexteram Regis, & ad gloriam segregatâ, peccati populus, in profundo tartari, sine ulla miserationis ac veniæ spe demersus, excludi se tenebris suis, à Beata Sanctorum luce viderit, & in profundi sinum sine fine descendens, urgente os suum puteo, æterna supplicia, & perpetuam mortem, non moriturus aspexerit. Hactenus ex Divo Augustino.

MODVS L.

Quinquagesimus meditandi Passionem Dominicam modus esse potest ille, quem usurpâsse traditur Divus Augustinus: quando nimirum constituens sese devotissimus Pater contemplatione, medium inter Christum Passum, & inter Matrem ejus sacratissimam, nunc huc, nunc illuc, sese affectu devoti & amantis cordis obversans, atque utrobique, immensam beatæ pietatis materiem cernens, quin & hauriens, animi veluti dubius devotissimè dicebat. Positus in medio, quò me vertam nescio: hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere.

In Chronic. & in vita D. Augustini scripta per Cornel: Lancell: l. 3. c. 31. Et apud Valdensem in theatro Rel: fol: 18 & 358.

I. Ad hunc enim modum, licebit cuique Pass. IESU, ejusque Matris MARIÆ amatori, sese medium amborum cum reverentia & pietate, corpore simul animoque statuere, atque alternante devotionis æstu, nunc ad JESUM passionibus vulneribusque cumulatum, nunc ad Matrem ejusque Misericordiæ ubera promentem sese obvertere, & utriusque piissimam redundantiam, opportunitatem, commoditatem spectando expendendoque, animo veluti dubium fluctuare, demirari, hic, illicque hærere, morari, ac rursum redire, rursumque anhelare: utrique sese humiliare, submittere, donare, utriusque amorem, obsequium, gratiam, protectionem, familiaritatem, delicias, opesque ambire, exorare, capere.

II. Ali-

II. Aliquando licebit oculos cordis corporisque, nunc in IESUM Passum, omnis miserationis Patrem, nunc verò in MARIAM misericordiæ Matrem defigere, & aut suas necessitates internas externasque, alterutri vel utrique denarrare sublevandas, aut communia quædam publicaque negotia recommendare, aut singularia pro se, proque aliis beneficia deposcere, aut pro collatis nunc olimve beneficiis, plenas gratias agere, aut promeritas pœnas deprecari.

III. Aliquando licebit IEsum Passum (Patientemve) indigna omnia, Matri ejusdem; vel contra, Matrem Misericordissimam IEsu Passo ostendere & exhibere, & animam propriam utriusque erga alterum affectibus & amoribus pascere, aut ab IEsu per MARIÆ ubera, aut à Maria per IEsu vulnera, totum quidquid piè sanctèque collibuerit exposcere, immo & exigere, interposità alterius apud alterum tanquam pignore, illâ amoris redundantiâ, illâ conjunctionis Filii Matrisque naturâ, illâ ad miserandum reciprocâ propensione, ac veluti obligatione.

IV. Aliquando licebit suo cum animo, quamnam in partem primò, in quam autem secundò sese convertat & affigat deliberare: deliberationis materiam nó levem suggerentibus, indè quidem turgidis omni gratiarum dulcedine uberibus, illinc verò fœcundis omni sanitatum & bonorum fructu vulneribus, tandem autem deliberatione conclusa, alterutram partem arripere, & sese in ea saginare, saginatum verò in unà, ad alteram, novâ & irritatâ tantummodo fame, sitique sese applicare inibique demergere.

V. Aliquando licebit uni parti supplicem fieri, ut supplicantem alteri commendet, ejusque oculis & curâ dignum, de suis thesauris abundè faciat: vicissim verò, licebit, ab altera alteri parti commendatum ditatumque remanere apud ipsam, eique adhærere.

VI. Aliquando licebit, vas cordis proprii, nunc Christo vulneribus sanguineque redundanti, nunc Matri misericordiæ stillanti exponere ac supponere, ut ab utriusque pretiosissimo efficacissimoque fonte, vel tanquam pollutum abluatur, vel tanquam inane, omni bono repleatur, vel tanquam miserè saucium morbidumque, perfectè sanetur, vel tanquam frigidum accendatur, vel tanquam aridũ & sterile, irrigetur ac fœcundetur.

VII. Aliquando licebit dare Animã Matri Misericordiæ, ejus ut misericordiis lactata & nutrita, à lacte parvulorum, transmittatur ad solidum Passionis Crucisque Christi cibum; vicissim verò licebit dare eandem Animam Christo Patienti, ut solido Crucis, vlnerum, improperiorumque ejus cibo saginata, apud ubera Gratiæ Maternæ recreetur, sicque Anima & lactis particeps sit, & ramen solidi cibi non expers.

VIII. Aliquando licebit duobus his (IESU Passo, & MARIA Matre) veluti Paradisis aut Cælis gloriantem, utriusque fructibus gaudentem ac divitem, per eos ad tertium Cœlum consummatæ charitatis, perfectæque unionis & conformitatis cum Deo, non solùm aspirare, sed etiam gradum facere, ac introire; juxta illud Christi verbum, *per me si quis introierit, ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*; gloriam nempe sanctissimæ Trinitatis, ejusque magnalia contemplando, *transformabitur de claritate in claritatem*.

Ioan: 12: 9
2. Cor. 3. 18

IX. Aliquando licebit in vulneribus Christi ubera, in uberibus MARIÆ, vulnera commutatis vicibus reperire, atque ab uberibus vulneratum maternis, inter ubera vulnerum IEsu sanari, ab uberibus autem vulnerum IEsu inebriatum, inter vulnera maternorum uberum, sobriam Spiritûs ebrietatem bibere.

X. Aliquando licebit cum adolescentulis animabus, primitias ferventis Spiritus ad obsequium Dei apud materna ubera emendicare ac exsugere: cum solidis autem atque perfectis apud vulnera Passi, Pauperis, Contempti, Stulti, Crucifixi IESU supereminentem scientiam, veramque sapientiam in plenitudine cordis haurire, & *Charitatis longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profundumq; subingredi, ac penetrare cum omnibus sanctis*.

Ephes. 3. 18

XI. Aliquando licebit passis brachiis manibusque Animæ, IEsum hinc, MARIAM illinc, complecti: atque coram Cœlo & terra, coram Deo & Angelis Sanctisque ejus, in Domino gloriari non insipienter, de tam beata sua sorte: hoc est, de possessione IESU, & MARIÆ, de thesauris, de sanitatibus, de virtutibus, de meritis, de gratiis, de protectione, &c. Licebit etiam confidenter omnibus infernalibus potestatibus insultare atque dicere v. g. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. Ecce Mulierem, quæ calcaneo suo contrivit caput tuum ô serpens antique. Licebit Apostolico animo dicere. Quis nos separabit à Charitate Christi, & à dilectione ejus Matris, cer-

tus sum quia neque mors, neque vita, &c. Licebit abrenuntiare omnibus mundi rebus, possessionibus, atque hujus vitæ curis: solâque hac duplici hæreditate contentari; inter IEsu & MARIÆ providentiæ pietatisque plenissimas manus securum in pace id ipsum dormire atque requiescere. Et huic uni curæ superimpendi quomodo IESU & MARIÆ per omnia conformeris, atque complaceas amplius & amplius assiduò.

XII. Aliquando licebit prostratum coram IESU & MARIA utrosque variis & heroicis, seu virtutum præcipuarum, seu affectuum ferventium, seu mortificationum, victoriarumque internarum externarumque actibus coronare, cumulare, venerari, deprecari, extollere, gratiarum actione prosequi, ad usque expletionem famis tuæ. usque ad contentationem oblectationemque cordis & desiderii amborum.

Plura hu[illegible] modi ad imitationem Sanctissimi ac Devotissimi Patris Augustini, inter vulnera IESU, interque ubera MARIÆ multis mirisque modis deliciantis, atque diffluentis excogitare atque usurpare licebit cuique, exercitiorum genera. Hæc duodecim in exemplum dedisse sufficiet.

MODVS LI.

Quinquagesimus primus Passionem Dominicam meditandi modus esse potest; Considerando gradus quosdam in ea, alios aliis quodam modo altiores, per quos sese tum charitas Christi Patientis, tùm acerbitas Passionis ejus, in immensum extulit: nobisque viam aperuit, gradusque disposuit, per quos erga Christum in amore, in gratitudine, in admiratione, in imitatione, in Compassione crescamus & ascendamus usque ad summum. Explicat hosce gradus tam Passionis Christi, quàm nostræ compassionis, Pater Thomas Massutius in opere suo de cælesti conversatione, ex quo etiã, contractis nonnullis, eos hoc loco apponere visum est.

Massutius de cal: convers: lib. 6. c. 5. 2. Reg: 10. 18. Cant: 3. 9.

[Sex gradibus ascendebatur ad summitatem throni, quē magno sumptu Rex Salomon sibi construxerat. Sint igitur pro devotis animabus sex, piæ compassionis, gradus, in mente firmati vivâ fide, & ordinati fervidâ charitate, erga Dominum ac Redemptorem nostrum, per quos illum usque ad Crucis solium comitemur.

A Est autem Primus Compassionis gradus ascendendus, per considerationem summæ Innocentiæ Christi Patientis. Tantò enim major Compassio in corde suscipietur, quantò dolor illatus immerenti, propter quem dolemus, indebitus magis, indigniorque judicabitur. Quid autem indignius, quam multiplicare afflictiones, veluti reo maximorum scelerum, cui ne levissima quidem culpa justè unquam imputari potuit? Job Sanctus, ajebat. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Neque tamen Sanctus ꝑ [illegible] culpam negabat omnē, B immo agnoscebat. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* Dicebat tamen pœnam culpæ comparatam, si ad lancem vocaretur, videri sibi longè graviorem, & exinde magná amicorum commiseratione dignum. Sed quæ Innocentia, Iustitia, Sanctitas, componi potest Innocentiæ, Iustitiæ, Sanctitati, Redemptoris? qui antonomasticè vocatur Iustus, Sanctus Sanctorum, Agnus Dei, Innocens, segregatus a peccatoribus. Unde & per solennissimum Agni Paschalis Sacrificium, figurabatur. Certè, si quis infantem, quo nihil apud nos solet esse in- C nocentius, videret, quasi convictũ atrocis sceleris, crudelissimè torqueri, & interfici: intelligens, parvulum id ætatis nihil omnino committere mali potuisse, ex corde illi compateretur: atqui omnis sive Angelorum, sive hominum Innocentia, in unum coalita, unam Christi Innocentiam nullatenus æquaret, sed ab ea plurimum deficeret. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus.* In aliis omnibus creaturis rationalibus, peccatum (ex quo pœnæ dignitas seu reatus manat) aut jam est, aut aliquando fuit, D aut certe absolutè esse potuit ex intrinseca ratione personæ: estò ob aliquam extrinsecam suppositionem exclusum sit. At in Christi persona neque culpa neque culpæ pæna ulla, ullo modo esse potuit, *sed in naturæ humanæ susceptione, facta est gratia illi Homini naturalis, quod nullum peccatum posset admittere* Si ergo juxta majorem Innocentiam patientis, major alterius erga ipsum debet esse commiseratio, quis digne expimet, quantùm de nostro affectu sibi vendicet, primus hic gradus compassionis.

Iob: 6. 2. *Iob. 9.* *Isaiæ 53. Apoc. 19. 6. Dan: 9. Hebr. 7. 2. Ioan: 1. 29.* *Hebr: 7. 26.* *August: Enchir: c. 40. & 41.*

Secundus Compassionis gradus altior priore, ob motivum altius, est ex dignitate Patientis. Considerando enim illum

qui

qui patitur non solùm innocentissimum esse, & absque omni demerito, sed etiam tanti esse meriti, tantæque dignitatis & majestatis, ut omni honore, reverentia, obsequio, ab omni creatura sit dignissimus: eum verò tamen indignissimè tractari videndo, necesse est compassionis affectum in compatiente, plurimùm excrescere. Faciamus quempiam Regium juvenem, nullius quidem culpæ omnino reum, potiùs autem ob summam virtutē, probitatem, sapientiam, heroicas actiones, nobilitatem generis, utpote Regis filium, regnique hæredem, omnium honore, cultuque dignissimum, eum tamen, cum facinorosissimis indignè tractari, cruciari, patibulo affigi, sine ulla ut causa, ita & procul omni reverentia,probrosissimè haberi si videamus: nonne tygridibus essemus crudeliores, si nos tantæ personæ, tam miserabilis indignusque status & aspectus, ad summam commiserationem, non vehementer commoveret. Atque hæc omnia in Christo concurrisse agnoscimus. *Qui habet in vestimento, & in femore scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium,* quem Pater Æternus *constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*, cui Angelorum millia ministrant & assistunt, hic tamen à mancipiis creaturisque suis, durissimè simul ac vilissimè illuditur, laniatur, inter latrones cruci affigitur, & necatur. Parvusne hic ad commiserationem gradus?

Apoc. 19. 16. Heb. 1. 2. Dan. 7. 10.

Tertius Compassionis gradus conscenditur consideratione cujusdam nostræ cum Christo Patiente relationis, seu propinquitatis. Considerando enim hunc qui patitur, non solùm innocentissimum, non solum dignissimum esse, sed etiam nobis conjunctissimum: sive ut pleniùs res exprimatur, nos illi plurimis relationibus devinctissimos: magis quàm fratri; plùs quàm Matri & Patri amantissimo, plùs quàm amico fidelissimo, benefactori per omnia beneficiorum genera beneficentissimo, Domino supremo, Creatori, Gubernatori, Conservatori summo: uno verbo. Nulla excogitari potest amoris conciliandi ratio, & relatio, quæ inter nos Deumque (ad quem sumus, à quo sumus, propter quem sumus) eminentissimè non contineatur. Si ergo una aliqua relatio, amandive ratio, tantum potest inter homines, quantum quotidie videmus & attestante scriptura scimus: (ut inter Jacobum & Ioseph, inter Davidem & Ionatham, inter eundem David & Absalonem, licet perduellem, quia tamen filium: quantùm non poterit, posse certè debebit, illa universitas relationum, excellentiaque simul earum, nobis cum Christo Patiente intercedentium, quantùm inquam, non poterit in nobis excitare affectus, seu dilectionis, seu compassionis.

Quartus Compassionis gradus, assurgit ex consideratione, quod Christus tantus ac talis, taliterque nobis conjunctus, omnia illa quæ patitur: propter nos solos, & non propter ullos alios patitur. Propter nos, inquam, non in eo solum sensu, quia in nostrum bonum, & propter nostri amorem: sed etiam in eo, quia patitur ea, quæ nos pati debuimus; patitur, ne nos patiamur; patitur, ut sua passione, avertat à nobis mala nostra, malisque suis propriis ea extinguat, & ad nos accedere non sinat. Mihi certè debebantur illa vincula, illa flagella, illæ spinæ, illa crux, ludibria, opprobria, utpote servo, & mancipio iniquitatis, non Domino, & Regi Majestatis. Sed horum ignarus & securus [ludebam ego foris in platea, & in secreto Regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus Dei, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte sit damnatus servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem, stupeo novitatem, causam percontor, & audio. Quid facturus sum? adhucne ludam & deludam lacrymas ejus? plane nisi insanus sum, & mentis inops, non sequar, & simul cum lugente lugebo.] Esdram olim de transgressione populi sui, quem Babylone reduxerat in terram suam, scissis vestibus, amarè lugentem cernens populus, collectus est ad eum cætus grandis nimis virorum & mulierum, & puerorum, & flevit populus fletu multo, & illum innocentem, se verò noxium proclamabat. Poterat hoc in populo illo efficere spectaculum Esdræ lugentis: spectaculum Christi Filii Dei pro nobis & lugentis & dolentis, & vulnerati, & sanguinolenti, & crucifixi, & mortui, non ingenerabit nostro, quantumlibet durissimo cordi, sensum intimæ tum compunctionis, tum compassionis?

Bernardi serm. 3. de natal. Domini. 1. Esdr. c. 9. 5. & c. 10. 21.

Quintus gradus Compassionis, nascitur ex consideratione eorum, quæ & qualia patitur: ad quod faciendum, ipse Dominus noster Patiens, invitavit illis Prophetæ verbis. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Fuit autem dolor tantus, ut (juxta

Thren. 1. 12. D. Thom. 3 p. q. 46. a. 6

communem Theologorum Sententiam) superaverit dolorem cujuscunque Martyris. Quamvis enim in aliquo genere pœnarum, aliquid gravius, aut diuturnius alicui Martyri contigisse negari non possit, nemini tamen adeo multa, & ex tot partibus dolorifera, nisi grandi miraculo, & causarum valde inusitato concursu, qualis tantùm in complendo opere nostræ redemptionis permitti debuit, evenire potuissent.

Primò enim, patiebatur Redemptor noster in suo corpore, formato opere Spiritûs Sancti, ac proinde habitudinis super omnes filios hominum delicatissimæ & perfectissimæ, in ætate triginta trium annorum, quæ est vivacissima & florentissima, ac ideo dolorum maximè sensitiva.

Deinde in quatuor partibus corporis, manibus scilicet & pedibus ferreis clavis mortiferè sauciabatur: ubi propter omnium ferè nervorum concursum, intensissimus est dolor: toto præsertim ex illis clavis pondere corporis moribundi, & flagellis undique lacerati pendente, capite spinis coronato: ut etiamsi in mollissima culcitra, illa sic deformati corporis species, visa esset, exprimere tamen debuisset à quovis humano corde maximam compassionem: quantò magis dum à tribus, quatuorve clavis è dura trabe pendens, laxantibus sese assiduò vulneribus sanguinemque copiosum fundentibus, in oculis versatur.

Neque interim ullus sensus corporis, carebat suo proprio cruciatu. Visus enim, adstantium hostium ludibriis & sannis; auditus, blasphemiis, sibilis, exprobrationibus, odoratus; fætore cadaverum circumjacentium; gustus, aceti & fellis acerbitate; tactus, flagellorum, clavorum, spinarum, crucis asperitate, torquebatur.

Et hæc quidem erant mala ex parte corporis! sed ex parte Animæ quasi in immensum dolor, & tristitia cordis augebatur, propter perfectissimam cognitionem omnium, & singulorum, totius humani generis, peccatorum, pro quibus susceperat plenissimè satisfacere. Dolebat ex corde, pro gravissima culpa suorum crucifixorum, pro ingratitudine, cæcitate, reprobatione Iudæorum, pro infelici sorte aliorum omnium reproborum, quibus ipsorummet culpâ, nihil omninò adeò pretiosus sanguis tanto dolore, & tantâ charitate, etiam pro illis profusus, nihil tamen erat profuturus. Videbat se ab omni personarum genere, aliquo modo perpeti: à Gentilibus, à Iudæis, à Principibus, à Plebeiis, à Militibus, à Sacerdotibus, ab amicis quoque, à notis ac familiaribus, & non solùm ab extraneis & inimicis. Considerabat se ab uno discipulorum scelestissimè proditum, ab Apostolorum Primate negatum, ab aliis derelictum, quin etiam quodam modo ab Æterno Patre ipso desertum, cui propterea dolens clamabat: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Solùm ab afflictissima Matre sua, non tam ad leniendum, quàm ad augendum replicandumque ex illius dolore proprium dolorem, comitatus, & à dilecto discipulo Ioanne, à quo nullam poterat exspectare consolationem. Sentiebat se pati in omnibus hujus vitæ bonis atrocissimè, in fama per improperia, in honore per irrisiones, in gloria per contumelias, in rebus per exspoliationem ab omnibus, etiam vestibus ipsis, in vita quam agnoscebat majori dilectione dignam, quàm omnium hominum simul, eò quòd esset vita Divinæ Personæ; & tamen illam morti pro omnibus nobis exponebat, juxta illud Ieremiæ. *Dedi dilectam animam meam, in manu inimicorum ejus.* (*Ier. 12.*) Erat præterea Animæ tristitia excessiva maximè: quia non mitigabatur (ut fit in aliis communiter) ex consideratione aliquâ solicitæ mentis & sibi providæ rationis. Unde à superioribus animæ viribus, per redundantiam in vires inferiores, nonnulla ingeritur ad temperiem tristitiæ consolatio. Ut enim pleniùs pro peccatis totius humani generis satisfaceret, ejusmodi redundantiam occulto & perpetuo miraculo interiùs cohibebat, sinebatque unamquamque vitium animæ agere. Quare in hac Salvatoris Passione, contrarium eveniebat, quàm in aliorum Martyrum tormentis. (*Damasc. fid. c.*) Pro Martyribus enim miracula fiebant, ut sensus tormentorum minueretur, & ipsa tormenta sæpè deficerent, dextræ carnificum arescerent, feræ mitescerent, ac blandirentur, igniti carbones in rosas, laminæ ignitæ in violaria, lanienæ in refrigeria verterentur. Martyres ipsi in sensitiva parte, propter redundantiam supra dictam, cælesti consolatione repleti, quandoque nihil dolorum, aut exiguum quid sentirent. At in Martyrum Rege Christo, potiùs miracula fiebant, ad hoc, ut ejus dolores augerentur nec lenirentur, tristitia intenderetur, vita, quæ vi cruciatuum abrumpi debuerat, prorogaretur, ad acerbiora perferenda mala. Unde meritò ab Isaia vocatus est *Nó-*

Isa. 53. 3. *vissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem.*

Sextus Gradus Compassionis, consurgit ex altissimo quodam motivo, nimirum ex consideratione sitis, desideriique, ad patiendum etiam plura & graviora, & diuturniora. Paratus enim fuit, immo & desideravit Dominus, pluribus diebus, immo annis, immo usque ad judicii diem, si opus fuisset, aut Æterno Patri placuisset, in illo intolerabili Crucis tormento, eâdem insuperabili patientiâ perdurare. Nec mirum, aut incredibile id videri debet. Si enim de ullius hominis charitate patienti, verè dicitur à Spiritu Sancto. *Lampades ejus, lampades ignis, atq; flammatum: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: quantò hoc magis verè de Christi charitate dicendum: quam Apostolus *Nimiam charitatem*, quâ dilexit nos, vocare non dubitat: & Sanctus Lucas, excessum appellat. Verè enim in Crucis mysterio & morte, excessus magnus fuit: qui ideò & Iudæis scandalum, & Gentibus stultitia visus est: & Apostoli ipsi, Dominum de eo disertè loquentem intelligere, capereque ejus verba non potuerunt, *sed erat verbum istud absconditum ab eis*. Quamvis autem in reali Passione suâ, Christus reverâ excessit modum & mensuram, magis tamen hoc fecit in desiderio ampliùs ampliùsque patiendi. Id enim sonant illa ejus verba. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*, Pascha enim erat illi quædam introductio ad Passionem figurata, & ut loquitur Chrysostomus, *post illud Crux imminebat*. Idem sonant etiam illæ Domini voces. *Baptismo habeo baptisari: & quomodo coarctor, usque dum perficiatur!* Item illæ Sancti Ioannis de eo: *Sciens IESUS, quia jam omnia consummata sunt: ut consummaretur scriptura, dixit, Sitio*: Non desiderabat Dominus potum ad refocillationem, qui sciebat siti suæ fel acetumque ad pœnam paratum esse, unde prædixerat. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Neque illum ut homo optavit, quia ut Deus illum se petiturum ab æterno præscivit. sed potiùs se ideò præscivit petiturum, quia sponte erat petiturus, hoc est, ex ardenti desiderio patiendi plura propter nos. Hujus verò sitis, illa ratio reddi potest, quia Anima illa Sanctissima, Deum super omnes alias ardentissimè amabat, ex quo fiebat ut valdè doleret ob offensas Majestatis ac Bonitatis ejus à peccatoribus illatas, ab origine mundi, & inferendas ad usque ejus

Cant: 8. 7.

Ephes: 2. 4

Lucæ 9. 31

Luca 18. 34

Luca 22. 15

Lucæ 12. 50

Ioan: 19. 28

A finem. Et quia hic internus dolor, cum aliis passionibus tormentisq; nostrâ causâ toleratis, erat legitima pro nostris peccatis satisfactio; sicut in culpis quandam veluti infinitatem agnoscebat, ita etiam desiderium pro illis patiendi; & satisfaciendi, extendere in immensum quodammodo voluisset. Deinde quia ex amore Dei, amor proximorum nascitur, tantoque est iste major, quantò ille est ardentior: quandoquidem Christus immenso quodam in Deum ferebatur amore; consequens erat, ut & in nos consimili ferretur, superabundavit ergo dilectio Christi, ex qua se ipsum obtulit à

B primo instanti suæ Conceptionis Æterno Patri, vivam hostiam, & Sacrificium in altari Crucis, semel quidem cruentè, in aliis autem altaribus incruentè, quàm sæpissimè, usque ad finem sæculorum immolandum. Tertiò, ex eadem ardentissima dilectione sequebatur, ut sicut Anima illa, omnium mentium creaturarum illuminatissima, perfectè cognoscebat valorem gratiæ Divinæ, pondus item & pretium sublimissimum gloriæ sempiternæ: ita nullis sumptibus, pro illa nobis quàm cumulatissimè conquirenda parcere voluisset. Mirabatur Propheta, quòd

C Christus in medio *duorum animalium cognosci* & adorari voluisset in sua nativitate: quantò magis mirandus stupendusque Christus inter duos facinorosos de Cruce pendens, non agnitus neque adoratus, sed rejectus, despectus, blasphematus, opprobriis saturatus, & nihilominus amplius pati sitiens. Hactenus supra nominatus author.

Abac: 3. 2. juxta 70.

His sex gradibus addi potest *Septimus*.

D Ex Consideratione Resignationis Christi Domini, quam ille habuit in anima interiùs, nec non etiam in opere exteriùs, ad Patris Æterni voluntatē: opus omne Incarnationis & Vitæ, & Passionis, & Mortis suæ appretiantem, non omninò, nec præcisè adæquatâ æstimatione & appretiatione: sed quâdam valdè moderatâ, inadæquatâ, & modicâ, respectu omnimodæ dignitatis, quâ, opera ejus nō illa tantùm gravissima, verùm etiam omnia & singula minutissima, & levissima æstimari prorsùs dignum & justum erat, à judice quantumvis rigidissimo & justissimo. Certum siquidem ac indubitatum est, propter Divinam *Verbi* Personam, Humanitati hypostaticè conjunctā in Christo, omnia ejusdem Christi, tanquam Theandrici Suppositi opera, etiam tenuissima, (qualia sunt motus digiti, ictus

oculi, aspiratio, & respiratio, aliaque ejusmodi) ejus fuisse dignitatis, ut posità, eorum à Christo, ad finem nostræ redemptionis applicatione, & Patri Æterno oblatione, potuerint, & debuerint condignè satis esse ad nostrum omnium salutem conficiendam, vitamque æternã nobis emerendam, cum efficaci ejusdem ab omnibus nobis consecutione. Atqui fide constat, neque Incarnationi, neque vitæ, neque laboribus, neque ærumnis ullis, neque Passioni, neque Crucis tormento, nec ipsi morti Christi Domini, datum hoc esse à Patre Æterno, ut omnes homines efficaciter redimeret atque salvaret, sed efficax fructus mortis Christi ad solos duntaxat electos, ad reprobos verò tantùm sufficienter pertingeret: ipsos autem electos, perexiguus valdè numerus (si cum non electis conferantur) definiret. Igitur constat, justissimo quidem ac sapientissimo per omnia consilio, absoluto tamen & absconso omnium creaturarum sensibus decreto, opera Christi, & Passionem, & Mortem a Deo Patre levissimè & moderatissimè taxata esse; valdeque pro exiguo fructu esse eidem, quantùm ad nostræ salutis realem effectũ compensata. Qua in re Dominus Jesus usque adeò se mitem, subjectum, humilem, resignatumque Patris Æterni voluntati & decreto exhibuit: ut quantùmvis pro parco electorum numero, in præmium laborum suorum omnium sibi assignato & dato, fuerit non contentissimus solùm, sed etiam desideraverit (prout supra vidimus) pro illo eodem perexiguo electorum suorum, grege, ampliùs & ampliùs in totam suam vitam, immo ad mundi usque finem perpeti. Quin etiam paratus fuit Dominus Jesus, pro una solum Electi alicujus anima, totum suæ Incarnationis opus perficere, & Passionis calicem exhaurire. Addo præterea, paratum fuisse Christum Dominum, eadem omnia, quæ pro humani generis universi salute peregit & pertulit, peragere atque perpeti pro unius culicis aut muscæ vitâ, & incolumitate tantisper servanda, si ita fieri à Patre Æterno statutum decretumque fuisset. Hæc Christi Domini ad tantorum suorum sumptuum, adeò levem & parcam, à Patre ipso Æterno factam æstimationem, resignatio, quemadmodum est omnium nostrûm imitatione, & amore dignissima, ita incredibilem in unoquoque nostrûm compassionis teneritudinem vehementiamque jure suo exigit. Maximè si ad prædicta omnia, adjungamus aliam longè vulgatissimam simul ac indignissimam Passionis & Mortis Christi vilipensionem contemptionemque, quàm ille à tot hominibus (qui fuerunt, sunt, erunt ad diem judicii) ingratis, & contemptoribus redemptionis suæ, sustinet, sustinebitque: quam omnẽ, cum suæ enormitatis indignitatisque excellentissimâ acerbitate, comprehensivè tunc noverat, quando Passionis & Mortis labores, pro hisce ipsis indignis, inimicis, ingratis, contemptoribusque exantlabat. Sensisse Christum vehementer hanc nostram ingratitudinem, demonstrant illa ejus apud Prophetam verba. *Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ. Et. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere. Cucurri in siti.* Ista igitur una nostra in Christum, ejusque Redemptionis nobis impensæ labores ingratitudo, infinitam quandam omnibus nobis, ab ipso redemptis, potest & debet, meritissimo jure inferre & ingenerare, ex parte quidem nostrâ confusionem ac ruborem, ex parte vero Christi, super ipsũ condolentiam, & commiserationem: simulque incensissimum quoddam, ad hujus ingratitudinis contemptionisque abolendæ invenienda media, studium & conatum.

Psal: 34. / Psal: 61.

His similibusque considerationibus, inducti viri Sancti, talem compassionis affectum, erga Christum Passum concipiebant, ut corde intimo saucii (aliqui etiã corpore) nulla ferè alia de re cogitare possent, sed cum Apostolo dicerent. *Christo confixus sum Cruci. Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini IESU Christi in corpore meo porto.* Hoc ipsum sibi volunt, illa Bernardi plenissima pietatis verba. *In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Has olim Sanctus David cum fletu requirebat. Venient mihi* (inquiens) *miserationes tuæ & vivam. Has & alius quidam Sanctorum cum gemitu memorabat, dicens. Misericordiæ Domini multæ. Et ego, fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum myrrhæ colligere, & inter ubera mea collocare statui: collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei.* Usque huc Bernardus.

Gal: 2.19. / Gal: 6.14. / Gal: 6.17. / Bernard. serm: 43. in Cantica.

MODVS LII.

Quinquagesimus secundus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest; conferendo illam cum pecca-

peccato Adami commiſſo, ab eo in Paradiſo, quo omnem ſuam propaginem perdidit. Quidquid enim ibi Adam malè agendo commiſit, hoc totum providentiſſimâ quâdam contrapoſitione Dominus Jesus Paſſione Doloribusque ſuis, exceſſivo quodam dilectionis & afflictionis modo, abolevit & expiavit.

1. Adam in Paradiſo, ſeſe vendidit abjectiſſimè diabolo, & ejus poteſtati: pro quo ut Chriſtus ſatisfaceret, ipſe quoque vendi voluit, adeò abjecto, & vili pretio, vendendique modo, ac ſi vile non mancipium, ſed jumentum inutiliſque aliqua beſtia foret. Ad hoc propoſitum ſervire poteſt vox illa Oſeæ. *Circumdedit me in negotiatione Ephraim: & in dolo domus Iſraël.* (Oseæ 11. 2.)

2. Adam in Paradiſo, licentioſè extendit manus ſuas ad decerpendum prohibitum arboris fructum. Chriſtus ideo manus ſuas ad vincula dedit, ut iſtam manuum Adæ caſtigaret audaciam.

3. Adam excuſſo divinæ legis jugo, voluit eſſe liber ſicut Deus. Chriſtus hanc audaciam expiaturus & injuriam Dei reſarcturus, omnium ſeſe voluntati, quin & pedibus ſubjecit, in totâ quidem Paſſione ſuâ, ſed potiſſimùm in comprehenſione. Unde illa vox ejus: *Conculcaverunt me inimici mei totâ die.* (Psal. 55. 12.)

4. Adam peccando fecit ſe dignum, ut probroſe exturbaretur è Paradiſo. Ideo etiam Chriſtus ignominioſiſſimè & violentiſsime extractus abreptusque eſt ex horto Olivetano.

5. Adam peccando, ſubjecit ſe ſuis terrenis & brutis appetitibus & affectibus, ut ſerviliter raptaretur ab eis pro eorum libidine; etiam contra rationem & voluntatem: ita ut dicere debuerit, quòd unus ex ejus filiis, *Video aliam legem in membris meis, &c.* Hoc Chriſtus expiare in ſeſe volens, voluit captus & vinctus ex horto ad urbem, per urbem deinde, à tribunali ad tribunal, non duci ſed trahi, raptarique per terram, ſine ullo reſpectu: *Sicut exultant victores captâ prædâ. En iſta eſt dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus.* (Tiĕrem:)

6. Adam peccato incurrit maledictionem, in labore & ſudore vultûs ſui, & ſterilitate terræ, à qua panem ſuum erat extorturus potiùs, quàm obtenturus. Huic vultus ſudori, atque labori oppoſuit Dominus Jesus ſudorem ſuum ſanguineum, & agoniam deprecationemque ad æternum Patrem, & proſtrationem ſuper faciem ſuam in terram.

7. Adam ſuo peccato ita inhonoravit Deum, ut quodam modo ipſi Deo manu ſuâ alapam inſixerit. Imaginem certè Dei ad quam creatus erat, in ſe planè deformavit, ut nulli minùs eſſet ſimilis deinceps, quam Deo. Propter hanc alapam, Deo per Adam peccantem inflictam, voluit Chriſtus ſibi multas quidem alias ſed unam illam nominatiſſimam, à Pontificis miniſtro infligi. Quæ quidem alapa ex ſuis circumſtantiis, adeò fuit inſolens & dura, ut eam fuerit impoſſibile & ab Angelis, & ab omni creatura diſſimulari, niſi Chriſtus Dominus omnibus patientiam imperâſſet, & totum Paſſionis ſuæ decurſum, pacatè ſpectari juſſiſſet.

8. Adam, cùm peccaſſet in Paradiſo, requiſitus à Deo: quid? quare feciſſet? ſe quidem omni ratione excuſavit, in Deum autem culpam ſuam conjecit, eum authorem peccati fecit, ſuum peccatum agnoſcere confiterique noluit: unde, neque Peccavi, neque, Deus propitius eſto, dixit; Chriſtus, eâ de causâ, ſiſti judicio Caiphæ primum voluit, ibi examinatus, adjuratus blaſphemiæ & mortis reus dictus eſt, conſputus in faciem à procaciſſimis miniſtris eſt. Deinde ſtetit apud ſudicium Pilati, ibi accuſationes, & falſa crimina ſibi objecta audiit, ut pro ſe diceret cauſam, à Iudice monitus eſt, ne ut tamen reſpondit unum verbum, multò minùs in ullum culpam conjecit, quod utique potuit.

9. Adam in Paradiſo peccavit deſiderio ſapiendi, & ſciendi ut Deus. Chriſtus Æterna Sapientia, & theſaurus ſcientiæ Dei, voluit pro ſtulto judicari & haberi, & tanquam talis tractari. Et veluti mente captus irrideri: & quidem ab ipſo Rege Herode, ejusque univerſo ſatellitio, & tanquam talis toti Hieroſolymæ propinari.

10. Adam candidiſſimam innocentiæ veſtem, originaliſque Iuſtitiæ, & gratiæ ſtolam amiſit. Eam Chriſtus veſte albâ, ab Herode indutus, eidem recuperavit, nobisque communicavit in Baptiſmo induendam.

11. Adam peccando poſtpoſuit Creatorem creaturæ; Deum, uxori ſuæ, cujus voci plùs obedivit, quàm Divinæ. Propterea Chriſtus ſatisfacturus Patri, poſtponi voluit Barabbæ ſeditioſo, homicidæ, latroni. O verè ſemen Chanaan & non Iuda, *in manu ejus ſtatera doloſa. calumniam dilexit. Projecit Iſraël bonum, inimicus perſequetur eum.* (Oseæ 12. 7.) (Oseæ 8. 3.)

12. Adam in Paradiſo perdidit libertatem filiorum Dei: fecit autem ſe mancipium diaboli, & ſervum peccati, à quo

enim

enim quis superatus est, hujus & servus est. Propter hoc, Dei filius, vilissimi ad instar mancipii jumentique tractari sese permisit: submisit se flagellationi servili, sive servorum, & quidem nequam propriè: qui tamen fuit omnis & libertatis & ingenuitatis fons.

13. Adam in Paradiso furtum commisit, quantùm in ipso fuit. Non solùm quia fructum sibi à Domino prohibitum gustare clanculum præsumpsit: sed quia semetipsum, naturâ per omnia Dei servum & subditum, obedientiæ & potestati Domini sui naturalis subtraxit, immo & Divinitatem rapinam arbitratus, non minùs malitiosè, quàm stultè appetiit, & invito Domino invadere voluit: Hoc totum furtum Christus in eâdem flagellatione, absolutissimo modo exolvit, & licèt esset æqualis Dèo, non per rapinam, sed per identitatem, formam servi accepit, & scelus hominis in se ipso castigavit, consequenterque adæquatè sanavit.

14. Adam naturalis Rex fuerat totius mundi inferioris: futurus etiam olim mundi superioris: debebantque eum creaturæ omnes Dominum & Principem suum agnoscere: at jus istud fere totum ita perdidit, ut loco servitii, omnes creaturæ eum fugiant, eique rebellent. Damnũ hoc hominis, reparaturus Christus, verus cæli, & terræ Rex & Dominus, voluit fieri efformarique Rex quidam dolorose ridiculus, & ridicule dolorosus, sordidâ purpurâ indutus, coronâ spineâ coronatus, genuflexione, consputatione, alapis, capitis percussione sceptro arundineo, salutatione illusoriâ illusus: & ex Rege Regum, Rex virque dolorum factus.

15. Adam per suum peccatum, tam grandem confusionem incurrit, ut suam ipsius nuditatem erubescens, voluerit se ipsius Dei oculis abscondere. Hanc probrosam nuditatis ignominiam devoraturus Christus, voluit in specie pænosi, illusi, semi, immo plenè nudi Dolorum Regis, universo populo ostendi, succlamante Pilato, *Ecce Homo*. quæ nuditas repetita est plenius in Crucifixione.

16. Adam per peccatum incurrit reatum mortis æternæ: à qua ut eum Christus liberaret, voluit ipse reus mortis judicari, damnari, tum ab Iudæis, tum à Pilato, tum ab universo populo, qui exclamavit, *Crucifigatur. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

17 Adam datum sibi præceptum, unicum, facillimum, servare noluit, sed illud tanquam indignum se jugum, excussit, confregit, & abjecit. Christus Dominus in ejus contumaciæ remediũ, subiit onus grave crucis, grave, inquam, non tantùm naturali suo pondere, non tantùm probrosissimæ & crudelissimæ mortis ratione, sed etiam omnium totius mundi scelerum superimposita ipsi sarcinâ.

18. Adæ perditionis occasio fuit una arbor scientiæ boni & mali. In una quoque arbore Christus crucifigi morique voluit pro redemptione Adami, suique totius generis, & sic delicias unius ligni, doloribus alterius ligni expiavit.

19. Adam gulâ peccavit, seseque cum suo genere perdidit. Christus pro eo peccato, fel in escam accepit, & aceto potatus est, insuper extremâ siti cruciatus est, adeò, ut eam inter summos alios dolores, unam solam præcipuè confessus & questus sit.

20. Adam adhæsit latroni diabolo, & ipse latro factus: unde illi dicitur: *Videbas furē, currebas cum eo*; sicut enim diabolus appetiit esse similis Altissimo in gloria: ita homo cupiit esse sicut Deus in sapientia. ProptereaChristus verus licèt per omnia Deus, inter duos tamen latrones crucifigi, inter illos pendere, cum illis deputari, & instar eorum mori voluit. (Ps. 49.)

21. Adam per peccatum suum separavit se à Deo, eumque dereliquit, & à facie ejus fugit, seque abscondit: propter hoc abolendum, Christus separari voluit ab omnibus discipulis, amicis, creaturis: denique etiam ab ipso Patre Æterno. Unde ait. *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* (Matt. 27.)

22: Adam per exiguum brevemque gustum peccati infelicis, ex immortali factus est mortalis, amisso jure ad beatam immortalitatem, incurrit reatum mortis immortalis. Christus cùm esset Deus & vita immortalis, induit mortalitatem naturæ nostræ, & in ea etiam verissimam mortem subiit, propter Adamum ejusque posteros omnes, morte suâ eos vivificans in æternitatem beatam.

Hæc omnia considerata diligenter, ostendunt Adæ peccatum prorsus ex proposito suscepisse Christum sibi expiandum, & secundùm omnes malitiæ ejus gradus, Passionis quoque suæ gradus è contrario in medelam ejus disposuisse. Ostendunt etiam, Adamo illi veteri, Christum Adamum novum, per omnia esse oppositum, adeoque vitam veteris, esse mortem novi, vitam novi, esse mortem veteris in nobis: propterea sicut portavimus

vimus imaginem veteris aliquando hominis: ita exspoliantes nos eam, oportet omnino portare imaginem novi Adæ, qui secundum Deum creatus est. Ostendunt præterea Charitatem Christi eamque omninò supra modum, & usque ad nimietatem excessivam erga nos: quippe qui omnes reatus Patris nostri, & omnium etiam nostrûm, non qualicunque modo sed cum infinito excessu expiavit abolevitque: oppositissimis autem bonis & gratiis nos vicissim cumulavit: ut verè ubi abundaverat delictum, superabundaret & gratia: & non esset sicut delictum ita & donum, sed infinities superaret misericordia miseriam, gratia offensam, redemptio culpam.

Ostendunt denique hæc eadem supra dicta, fæcunditatem malitiæ & virulentiæ omnis peccati: quidquid enim in hoc unico Adæ peccato reperitur mali, hoc totum ferè in unoquoque peccato reperitur; excepto, quod illud fuerit peccatum capitis, virus suum in progeniem descendentem traducentis: alia verò peccata sui transfusivâ malignitate sint destituta.

MODVS LIII.

Quinquagesimus tertius modus meditandi Dominicam Passionem esse potest, conferendo omnes vel plerosque Passionis Dominicæ articulos ordine historico ab Evangelistis descriptos, cum Prophetiis veteris Testamenti, in quibus exactè sunt à Sacris vatibus prænuntiati. Est istiusmodi collatio apud Sanctos Patres non infrequens, saltem partialiter usurpata: quâ ex occasione Sanctus Hieronymus Isaiam Prophetam vocat Evangelistam veteris testamenti. Et Sanctus Augustinus etiam alicubi tractans locum Isaiæ, quo Christi Passio, non minùs graphicè quàm ab ipsis Evangeliis enarratur, non dubitat exclamare [*Evangelium, est an Prophetia?*] Qualis exclamatio posset fieri & de S. Job dictis, & de Davidicis quibusdam Psalmis, & de Ieremiæ Prophetæ non paucis sententiis, immo capitibus. Sanè in solis Threnorum ejus quatuor capitibus, invenire est totam Passionis Dominicæ historiam, quemadmodum subjectum Paradigma, satis, ni fallor, cômodè rem ostendet.

Passio Domini nostri JESV *Christi.*

Secundum Evangelistas.	Secundum Hieremiam Prophetam in Threnis.	
Egressus est JESUS cum discipulis suis.	Et egressus est à filia Sion, omnis decor ejus.	*c. 16.*
Tristis est Anima mea, usque ad mortem.	Multi sunt gemitus mei & cor meum mœrens. Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea.	*c. 1. 22. c. 3. 20.*
Procidit in faciem suam, & orabat. ut si fieri posset, transiret ab eo hora.	Ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum: ante conspectum Domini.	*c. 3. 29. c. 2. 18.*
Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.	Levemus corda nostra cum manibus, ad Dominum in cælos.	*c. 3. 28.*
Ecce Iudas, & cum eo turba multa, &c.	Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Ursus insidians factus est mihi; leo in absconditis. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere.	*c. 4. 19. c. 3. 10. c. 4. 18.*
Ut dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.	Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.	*c. 4. 20.*
Tunc accesserunt, & injecerunt manus in JESUM.	Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. Venatione ceperunt me quasi avem, inimici mei gratis.	*c. 1. 14. c. 3. 54.*

Passio Domini nostri JESV Christi.

Secundum Evangelistas.		Secundum Hieremiam.	
Tunc discipuli ejus relicto eo fugerunt omnes.	A	Abstulit omnes Magnificos meos Dominus, de medio mei,	c. 1. 15.
		Longe factus à me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quia invaluit inimicus.	c. 16.
		Quomodo dispersi sunt lapides sanctuarii.	c. 4. 1.
Unus assistens ministrorum, dedit alapam Jesu.		Dabit percutienti se maxillam.	c. 3. 30.
Summus Sacerdos ait illi. Adjuro te per Deum vivum.		Ut declinaret judicium viri: in conspectu vultûs Altissimi. Ut perverteret hominem in judicio suo. Dominus ignoravit.	c. 3. 35.
Ego sum, & videbitis filium hominis venientem in nubibus, &c.	B	Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio.	c. 3. 47.
Reus est mortis: tunc expuerunt in faciem ejus, &c. & alia multa blasphemantes dicebant in eum.		Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis.	c. 3. 30.
		Et fregit ad numerum dentes meos.	Ibid: 16.
		Vidisti Domine iniquitatem illorum adversùm me, judica judicium meum. Vidisti furorem omnem universas cogitationes eorum adversùm me. Audisti opprobrium eorum. Ego sum psalmus eorum.	c. 3. 59. ibid: 63.
Et ut factus est dies, convenerunt seniores, &c.		Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversùm me totâ die: sessionem eorum & resurrectionem eorum vide.	c. 3. 62.
Jesus autem stetit ante Præsidem. Sprevit autem illũ Herodes cum exercitu suo.	C	Non crediderunt Reges terræ.	c. 4. 12.
Persuaserunt plebi, ut magis peterent Barabbam. Iesum verò perderent.		Filii Sion inclyti, amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.	c. 4. 2.
		Repulsa est anima mea: oblitus sum bonorum.	c. 3. 17.
		Qui nutriebantur in croceis, amplexata sunt stercora.	c. 4. 5.
Tunc apprehendit Pilatus Iesum & flagellavit.		Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.	c. 3. 1.
		Tantùm in me vertit & convertit manum suam totâ die. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.	ibid: 3.
	D	Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.	ibid: 12.
		Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum.	c. 2. 6.
		Præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus, & replevit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.	ibid: 5.
		Manum suam misit hostis, ad omnia desiderabilia ejus.	c. 1. 10.
Plectentes coronam dè spinis, imposuerunt capiti ejus.		Tradidit Dominus in opprobrium & indignationem furoris sui, Regem & Sacerdotem.	c. 2. 6.

Ecce Quo-

Passio Domini nostri JESV Christi.

Secundum Evangelistas.		Secundum Hieremiam.	
	A		
Ecce Homo.		Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus?	c. 4. 1.
		Hæccinè est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ?	c. 2. 15.
		O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.	c. 1. 12.
Tolle, tolle: Crucifige.		Aperuerunt super te os suum inimici tui, sibilaverunt & frenduerunt dentibus.	c. 2. 16.
Non habemus Regem, nisi Cæsarem.		Regem ejus, & Principes in gentibus, perdidit & contrivit.	c. 2. 9.
	B	Non est lex, & Prophetæ ejus, non invenerunt visionem à Domino.	
Tradidit JESUM voluntati eorum.		Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit & non pepercit, & lætificavit super te inimicum: & exaltavit cornu hostium tuorum.	c. 2. 17.
Exivit JESUS bajulans sibi crucem.		Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus involutæ sunt, & impositæ collo meo.	c. 1. 14.
		Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.	c. 3. 27.
Et dederunt ei bibere vinum myrrhatum cum felle mistum.		Et circumdedit me felle & labore.	c. 3. 5.
		Replevit me amaritudinibus, implevit me absynthio.	Ibid. 15.
	C	Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthii & fellis.	Ibid. 19.
Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros flete: quia venient dies, &c.		Meliùs fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam illi extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.	c. 4. 9.
		Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.	Ibid. 10.
		Ergone comedent mulieres fructuum suum, parvulos ad mensuram palmæ?	c. 2. 20.
Et crucifixerunt eum.		Circumædificavit adversùm me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.	c. 3. 7.
		Eradicationem & abjectionem posuisti me in medio populorum.	Ibid. 45.
	D	Expandit Sion manus suas! non est qui consoletur.	c. 1. 17.
Prætereuntes autem blasphemabant eum: moventes capita sua: dicentes. Vah qui destruis templum Dei.		Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt, & moverunt caput suum.	c. 2. 15.
		Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt. Devorabimus. En ista est dies, quam exspectabamus, invenimus, vidimus.	Ibid. 16.
Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.		Dabis eis scutum cordis: laborem tuum.	c. 3. 65.
Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?		Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.	c. 3. 44.

Passio Domini nostri JESV Christi.

Secundum Evangelistas.	Secundum Hieremiam.	
	A Idcirco tu inexorabilis es.	Ibid: 42.
Sine, videamus, an veniat Elias, ad deponendum eum.	Audierunt quia ingemisco ego: & nõ est qui consoletur me.	c. 1. 21.
Nos quidem justè: nam digna factis recipimus.	Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? scrutemur vias nostras, & quæramus & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. Nos inique egimus, & ad injuriam provocavimus.	c. 3. 39.
Stabat autẽ juxta Crucem Mater ejus.	Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Hierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion: B Magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?	c. 2. 13.
	O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus! quoniam vindemiavit me, ut locutus est in die furoris sui.	c. 1. 12.
Sitio.	Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti.	c. 4. 4.
Consummatum est.	Fecit Dominus quæ cogitavit, & cõplevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis.	c. 17.
Tenebræ factæ sunt, per totam terram.	Me minavit & adduxit in tenebras, & non in lucem.	c. 3. 2.
	In tenebrosis collocavit me: quasi C mortuos sempiternos.	Ibid: 6.
In manus tuas commendo Spiritum meum.	Invocavi nomen tuum Domine, de lacu novissimo.	c. 3. 55.
Inclinato capite, tradidit Spiritum.	Occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion.	c. 2. 4.
Et ecce velum templi scissum est.	Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.	c. 2. 7.
Terra mota est.	Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est.	c. 1. 8.
Posuit eum in monumento & advolvit lapidem ad ostium monumenti.	Lapsa est in lacum vita mea: & posuerunt lapidem super me.	c. 3. 53.

Hunc in modum totam Christi Passionem invenire est apud Hieremiam Prophetam, vel in solis quatuor capitibus Threnorum ejus: hunc in modum verbis historiæ Evangelicæ Hieremias dat admirabilem interpretationem atque lucem: vicissimque eandem ab Historia Evangelica recipit.

Hunc in modum ex omnibus Sacræ paginæ veteris testamenti textibus, conflari posset uberrima Historiæ Passionis Christi Domini, non solùm prædictio, verùm etiam explanatio, & elucidatio: & meditationum affectuumque devotissimorum uberrima farrago. Cujus rei specimen aliquod dedisse satis est; nam id pluribus agere, præsentis instituti non est.

MO-

MODVS LIV.

QUinquagesimus quartus meditandi Passionem Domini nostri, modus esse potest, per comparationem gratia. Potest quis per totam seriem Dominicæ Passionis pergendo expendere quas & quantas glorias pro singulis doloribus & injuriis nunc in Cœlo habeat. Quem in sensum cadit illa Sancti Iob sententia. *Causa tua quasi impii judicata est: causam & judicium recipies.* Expressiùs porrò id ipsum loquutus est Isaias. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur, & in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Paulus quoque Apostolus non minùs copiosè & signanter hanc ipsam sententiam exprimit, dicens inter alia. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris.* Et rursus ait: *Dum autem, in modico quam Angeli minoratus est, videmus IESVM propter Passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Rectè ergo potest quis in meditatione Dominicæ Passionis contraponere laboribus Christi præmia ejusdem: doloribus beatitudines, injuriis honores, ignominiis glorias: & in illis quidem Christo compati in his autem congaudere: de illis tristari, has verò, gratulari; illas sibi ad imitandum degustandumque proponere & assumere: has autem sperare & exspectare. *Si enim compatimur & conglorificabimur.*

[Iob. 30. 17] [Isa. 53. 10] [Philip. 2. 8] [Hebr. 2. 8] [Rom. 8. 17]

Potest etiam quis Passiones Domini una ex parte recolens, ex altera eundem gloriâ & honore circumdatum considerans: variis & sublimibus modis ad Christum utroque in statu affici: maximè autem & potissimè Patienti & oprobriis saturato adglutinari, & eum talem eidem ipsi glorioso & beato quodammo- A Christi Patientis cum eodem Glorioso & in Cælo regnante: ita ut dolores ignominiæque illius in Passione, cum gloria, potestate, & excellentiis ejusdem in beatitudine collatæ, multam meditanti varietatem, pussimorum, tum affectuum, tum profectuum, suppeditent. Exempli do præferre: salubrioremque & conventiorem profectui suo pro nunc præsentis vitæ statu decernere & pronuntiare. Etenim revera hic ordo esse debet in amore, possessione, conformationeque Christi. Ut nimirum priùs patienti, deinde glorioso afficiamur: & per conformitatem consortiumque crucis ejus, gradum faciamus ad consortium conformitatemque gloriæ ejus. B Hinc est Pauli illud dictum. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus, & ego mundo, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitratus sum ut stercora* in quem sensum alibi sæpissimè loquitur. Significans beatitudinem viæ cōsistere in tolerantia crucis: Patriæ verò in Possessione æternæ felicitatis. Atque eodem spiritu Chrysostomus sine dubio abundans, audet dicere, se malle cum Christo esse in cruce, quàm cum eodem in Cœlo, nimirum pro convenientia præsentis statûs, cui labor competit, non autem prœmiorum receptio: ut proinde C beatior sit ille, qui in præsenti vita cum Christo & pro Christo passionibus laboribusque atteritur, quàm qui otio, quiete, solatiisque etiam spiritualibus, recreatur. Hoc enim hujus vitæ non est. in qua homo natus est ad laborem, ad mercatum, ad negotiationem, ad certamina, ad cursum, non autem ad mercedem, ad prœmia, ad quietem. *Neque enim electis suis (ait Gregorius) in hac vita Deus promisit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, ut medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem salutis æternæ redeant.* D Sed his immorari nihil attinet, cùm sint vitæ Christianæ elementa, nulli prorsus ignoranda, nulli negligenda. Comparationis hujus, de qua hîc sermo, & in qua modus præsens meditandi statutus est: aliquod paradigma proponere forsitan operæ pretium erit, ut faciliùs considerationes & affectiones congruæ à meditantibus excitari possint. Sit ergo Paradigma primum.

[Galat. 2. 18] [Gregor: lib 9. Epist: 39]

Christus in Passione.	*Christus in Gloria.*
1. Christus in horto tristis & pavens.	Christus in Cœlo lætitia Angelorum & Sanctorum.
2. Christus orans & prostratus in faciem suam.	Christus in Cœlo faciens voluntatem timentium se.
3. Christus in agonia sudans sanguinem.	Christus in Cœlo agonotheta & confortans.
4. Christus venditus & osculo traditus, captus.	Christus in Cœlo solvens compeditos; Merces magna nimis.
5. Christus ante tribunalia & Iudices reus.	Christus habens potestatem in Cœlo & in Terra; Iudex vivorum & mortuorum, habens claves vitæ & mortis.
6. Christus illusus, velatus, consputus, colaphisatus.	Christus in Cœlo, cui adstat exercitus Angelorum, & in quem desiderant Angeli prospicere.
7. Christus nudatus, & ligatus ad flagella.	Christus amictus lumine, sicut vestimento.
8. Christus flagellis concisus.	Christus regens populos in virga ferrea.
9. Christus dolorum & contumeliarum Rex, spinis coronatus.	Christus in Cœlo: & in capite ejus diademata multa, habens scriptum in femore Rex Regum, Dominus Dominantium.
10. Christus illusoriè adoratus in purpura.	Christus in Cœlo adoratus, à viginti quatuor senioribus dicentibus: Dignus est Agnus, qui occisus est accipere Divinitatem, &c.
11. Christus Barabbæ postpositus.	Christus excelsior Cœlis factus, electus ex millibus.
12. Christus damnatus ad crucem.	Christo tradita sunt omnia à Patre: & accepit nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.
13. Christus bajulans sibi crucem in montem.	Christus portans cuncta verbo virtutis suæ, in dextera ejus longiturnitas vitæ, gloria & divitiæ in domo ejus.
14. Christus felle & aceto potatus.	Christus torrente voluptatis potatus & potans suos, ducensque illos ad vitæ fontes aquarum.
15. Christus crucifixus inter latrones.	Christus sedens ad dexteram Patris, ubi millia millium ministrant ei.
16. Christus orans pro hostibus & crucifixoribus.	Christus habens inimicos suos, positos scabellum pedum suorum.
17. Christus Sitiens.	Christus fons aquæ vivæ.
Christus latroni dans Paradisum.	Christus Pater futuri sæculi.
19. Christus à Patre derelictus in Cruce.	Christus unigenitus in sinu Patris: ipse in Patre: & Pater in illo.
20. Christus animam Patris manibus tradens.	Christus in dextera sedētis super thronum, Liber scriptus intus & foris, signatus sigillis septem: idemque accipiens librum, & solvens signacula ejus.
21. Christus mortuus.	Christus semper vivens ad interpellandum pro nobis.
Christus sepultus.	Christus Rex sæculorum immortalis, invisibilis, solus Deus, ipsi gloria in sæcula.

Libet etiam addere Paradigma secundum, hujus collationis atque Modi.

Christus

Christus in Passione. A

Abjectissimus. Abjectio plebis.
Blasphemus & Blasphematus.
Contumeliis & calumniis affectus.
Dolorum vir, derelictus ab omnibus.
Exterminatus, execrabilis.
Fœdissimus, factus in derisum & canticum omnibus.
Gravis etiam ad videndum.

Homo humiliatissimus, humilis corde.
Illusus, injuriis saturatus.

Latronibus annumeratus. B

Miserrimus. Maledictum pro nobis factus.
Negatus, ad nihilum redactus.

Odio habitus, opprobrium hominum.
Parvulus in gentibus, percussus à Deo.
Rex Dolorum.

Seditiosus, scandalosus à Sathana infessus.
Tentatus per omnia, absque peccato.

Vermis & non homo. Vulneratus propter peccata nostra. C
Zelo Domûs Dei consumptus.

Christus in Gloria.

Altissimi Filius. Altissimus.
Beatissimus. Benedictus Deus.
Candor lucis æternæ.
Deliciæ Patris, dignissimus Deus.
Excelsior Cœlis factus.
Felicissimus: Felicitas æterna Sanctorum.
Gloriosissimus & Rex gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere.
Honorificentia populi Dei.
Jesus Christus, qui est in gloria Dei Patris.
Legifer noster, in manu ejus ignea lex.
Lucem habitans inaccessibilem.
Majestate & misericordiâ ejus, plena est terra.
Natus ante sæcula: ante omnem creaturam.
Omnipotens nomen illi.
Pater futuri sæculi: Princeps Pacis.
Rex sæculorum, cujus Regni non erit finis.
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.
Tradita habens à Patre omnia. Totus desiderabilis.
Vivens semper ad interpellandum pro nobis. Vita æterna in voluntate ejus.
Zelans & Zelotes Deus.

Ecce talis est dilectus meus ex Dilecto. Dilectus meus candidus in vita, rubicundus in morte, *electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, ipse est amicus meus.*

Christum ergo in Passione & in Gloria diversum atque eundem considerans anima, variis (ut supra dixi) affectionum generibus, prosequi, complecti, exaltare potest: sed ni fallor ille erit utilissimus affectus, si patientem interim pro hac vita, glorioso regnantique prætulerit: præeunte hac in parte sibi Beato Bernardo, ac ita loquente. D

[Bernard: ... 1. in ... ania.]

[Ecce quasi saccum plenum Misericordia suâ misit in terram: Saccum inquam in Passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet pretium nostrum. Saccum utique etsi parvum, sed plenum. Parvulus siquidem datus est nobis, sed in quo habitat plenitudo divinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo Divinitatis. Venit in carne, ut vel sic carnalibus exhiberetur: ut apparente humanitate, benignitas agnosceretur. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quam suscipiendo carnem meam. Meam inquam, non carnem Adam: id est, non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei Verbum propter nos factum est fænum? Domine quid est homo quia reputas eū, aut quid apponis erga eum cor tuum? Hic attendat homo quanta sit cura ejus Deo, hinc sciat quid de eo cogitet, aut quid sentiat. Non interroges ô homo ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te passus est agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. Quantò enim minorem se fecit in humanitate, tantò majorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est.] Hucusque Bernardus egregiè ab excessu humiliationis Christi Domini, tum miserationis ejus erga nos redundantiam, tum nostræ in eum propter hoc affectionis tenerrimam ubertatem, uberrimamque teneritudinem decerpens. Christus siquidem in passionibus suis nobis propriissimè bonus, nobis impensus, & in commodum nostrum effusus est, at verò in Gloriis & Hono-

Honoribus, ſuus quodam modo magis eſt quàm noſter: & exaltatio ejus magis illi ipſi quàm nobis commodat: quocirca mirum non eſt, ſi ampliùs & teneriùs in patientem quam in glorioſum ſecundum hujus vitæ ſtatum ferimur atque afficimur. Miſericordia enim miſeris plùs placet, quia etiam plùs prodeſt.

Accedit, quòd inter noſtras & Chriſti Domini miſerias ſit una permagna differentia, ob quam neceſſe eſt aliter longè noſtras, aliter verò Chriſti Domini miſerias, & ſentire & æſtimare. Noſtræ ſiquidem miſeriæ, nihil aliud ſunt niſi miſeriæ; at verò miſeriæ Chriſti, ſunt ejusdem maximæ ſuper nos & ſaluberrimæ nobis miſericordiæ, quibus ab infinitis, hoc eſt, ab omnibus miſeriis noſtris, divinâ prorſus charitate ſeſe in nos eviſcerante, liberamur atque ſanamur. Dignum eſt ergo nos miſeriis Domini tanquam miſerationibus noſtris ſumma cum teneritudine affici, ſumma cum appretiatione earum adglutinari. Tantò enim ab hominibus digniùs honorandus eſt Deus, quantò pro miſeris hominibus etiam indigna ſuſcepit. Et omnia quæ infirmiſſima ſunt Salvatoris noſtri, tantò magis nos ambire æſtimareque convenit, quantò & ipſi magis infirmi eſſe noſcimur. Plus enim ibi recipimus ſanitatis noſtræ, ubi amplius Redemptorem noſtrum infirmitatis & dignationis ſubiiſſe reperimus pro nobis. Magna quippe Salvatoris noſtri infirmitas, magna etiam eſt infirmitatis noſtræ ſanitas: & ibi eſt maxima noſtra exultatio, ubi maxima eſt Salvatoris noſtri humiliatio, atque dignatio. Quare manifeſtum eſt, poſſe, & debere nos ejuſmodi affectu & ſenſu affici erga Chriſtum poſitum in Paſſione, cujuſmodi, affici nos non convenit erga eundem poſitum jam in Beatitudine.

Greg. homil. 6. in Evang.

MODVS LV.

Quinquageſimus quintus meditandi Paſſionem Dominicam modus eſſe poteſt, per varias animi noſtri affectiones, quas ipſius Paſſionis conſideratio in conſiderante neceſſariò nec non fructuosè, ſimulque ad Domini placitum pergratè excitat. Sufficiet enumeraſſe hoc loco ſeptem præcipuas: quas deſumo a Patre noſtro Franciſco Coſtero: poſitas ab ipſo explicataſque in Præfatione ad ſuas de Paſſione Dominica meditationes. Ait igitur ille, ſeptem affectiones poſſe in nobis per Paſſionis Dominicæ meditationem concitari.

Prima eſt Compaſſio, hoc eſt animi affectio, quâ patienti condolemus, ejuſque dolores quaſi in nos transferimus, & eos ſi non corpore, ſaltem animo ſentimus: eâque affectione videtur quaſi diviſus & communicatus dolor ejus qui patitur, leviorque & mitior effectus. Uti etiam gravior eſt moleſtiorqve, ſi patientem vel irrideas, vel malis eius nil movearis. Chriſtus ut dolores noſtros leniret, pati pro nobis, & compati nobis voluit, teſte Apoſtolo. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia.* Et quidem, licet Chriſti dolores jam abſolutos, mitigare nos noſtro dolore non poſſumus, grata eſt tamen ei noſtra compaſſio, qua ejus dolores, quaſi noſtros facimus, nobiſque applicamus, per hoc enim idonei conglorificationi eiusdem efficimur, ſiquidem compatimur, ut ait Apoſtolus. Cæterum duo ſunt, quæ ad hanc Compaſſionem faciunt. Primo, Perſonæ Conditio, Secundo, Gravitas Pœnarum.

Quantùm ad Perſonæ Chriſti Conditionem, ſi compaſſione moveri volumus: expendemus quod is qui patitur, ſit 1. Dignitate Deus, qui majeſtate replet Cælum & Terram. 2. Homo nobilis ex Regia Davidis ſtirpe ortus, de Spiritu Sancto in Virginis utero conceptus. 3. Idem ſi intellectum ſpectes; ſapientiſſimus, doctiſſimuſque. 4. Si voluntatem; Sanctiſſimus, qui nec in Deum nec in hominem peccatum unquam fecit. 5. Si converſationem; graviſſimus: qui nunquam ridere, ſæpiùs flere pro noſtris peccatis miſeriiſque viſus ſit. 6. Si merita & beneficia: de omnibus optimè meritus omni genere meritorum. 7. Si formam totiuſque corporis ſpeciem ac dignitatem; præ filiis hominum ſpecioſus, complexione tenerrimus. 8. Si officium & munus; Rex Regum, Dominus Dominantium, Meſſias, Pontifex ſummus, Legislator, Magiſter & Doctor, Redemptor & Salvator.

Quantùm verò ad Pœnarum gravitatem, expendemus. 1. Nihil omnino in Chriſto vacuum fuiſſe cruciatu maximo: totum enim corpus, omneſque corporis ſenſus: Anima item eiuſque potentiæ ſuas pœnas ſuſtinuerunt. 2. Pœnæ iſtæ fuerunt acerbiſſimæ, tum ob tenerrimam complexionem; tum quod nullo interno ſolatio ad ferendum mitiùs, ſublevaretur. Hinc Theologorum eſt certiſſima doctri-

doctrina: Neminem in hac vita sustinuisse unqnam tales pœnas, quales Christus sustinuit. Anne igitur decet nos condolere Filio Dei, tanta propter nos sufferenti?

Secunda Affectio est. Compunctio, sive Dolor de peccatis, quando ad horrorem detestationemque peccatorum, ex meditatione Passionis Dominicæ inducimur, quod commode fiet. Si 1. Peccati malitiam. 2. Quid peccatum Christo attulerit, consideremus. Et malitia quidem in Deum, utpotè in Deum infinitum, est infinita, tantaque ut (salvâ justitiâ Dei, quæ violari non debuit) deleri nisi re infinitâ nō possit. Igitur vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam finitam convenire nequit, vel tempore infinito, quomodo luunt damnati in inferno: vel personæ infinitæ Dignitatis patiendum erat, hoc est ipsimet Deo infinitæ majestatis; alia enim persona nulla infinita exstat. Hinc ulteriùs progrediamur, attentèque consideremus: quid Deum de Cœlis in terram traxerit, atque ad Passionem induxerit? Peccata scilicet nostra. Nisi enim peccasset homo, nec nasceretur, nec pateretur, nec moreretur Deus in mundo. Proinde sicut peccatori sua peccata in inferno sedem parant; & sicut furi suum parant furta supplicium: sic cujusque nostrûm peccata, Christo moriendi necessitatem intulerunt. Detestanda est igitur malitia peccati, quæ Deum quoque ipsum ad Crucem adegit. Ne verò putes, extenuari hinc peccati gravitatem, quòd non pro tuis solius, sed pro totius mundi peccatis, Christus sit passus: scire debes per hoc non minui malitiam peccati, sed virtutem Passionis Dominicæ magnam indicari; quæ non unius, non paucorum, sed mundi universi peccata deleverit. Etenim meritum Passionis cùm sit infinitum, nullâ malitiâ potest superari: sed tamen etiam ad peccati gravitatem indagandā, hoc vel unum sufficit, quod nisi Infinito Christi merito non potuerit aboleri. Ut ergo solis huius lucem, si unus solusque tantùm spectes, non magis ille tibi lucet, quàm si cum infinitis aliis communiter eam spectaveris; utque non minùs homini mortem inferas, solus cor eius perfodiendo, quàm si cum sociis pluribus idem facias: ita unicum etiam peccatum mortale, ad quod expiandum opus fuit Morte & Passione Filii Dei, à nobis commissum, non est minus causa mortis Domini, quam conjunctum cum peccatis omnibus omnium hominum. Neque Passio Christi, minùs tibi uni utilis est ob id, quòd pro omnibus obita sit, quam si pro te solo obita fuisset. Et nunquid modica tibi causa est detestandi peccata tua dolendique de iis?

Tertia Affectio est, Imitatio. Ut nimirum desideremus ea sequi imitarique, quæ in Christo contemplamur, monente Apostolo. *Christus passus est pro nobis; Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Et. *Christo Passo pro nobis in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Duo sunt autem in Passione Domini imitanda. Unum est desiderium patiendi pro Christo, qui tam acerba pertulit pro nobis prior. Alterum est. Virtutum cumulus, qui si usquā alibi, in Passione certè eluxerit, ita ut tametsi verbis siluerit Dominus, exemplo tamen de hac quasi cathedra Crucis omnes virtutes & quidem perfectissimas doceret, tum quia nullâ fovebatur internâ consolatione, ut nos solemus foveri, internâ gratiâ comitante nostras actiones virtuosas, tum quia, non deerat Christo magna & justa recusandi repugnandique occasio. Nobis itaque, in qualibet Passionis Christi meditatione, investigandum erit, quæ in ea virtus potissimè commendetur. tum quomodo eam tunc Dominus exercuerit: demum excitandum est desiderium propositumque firmum, eiusdem virtutis quærendæ & adipiscendæ, modusque excogitandus eius comparandæ, & Christi ipsius per hanc eius virtutis actionem gratia imploranda ad id, quod proposuimus, perficiendum. Elucent autem in Passione Domini omnes quidem virtutes, sed potissimùm illæ, quas nobis toties scripturæ commendârunt. Humilitas, Mansuetudo, Obedientia, Charitas, Misericordia, Contemptus mundi, Perseverantia.

1. Pet. 2.

1. Pet. 4.

Humilitas. Quâ multimodis irrisus spinea coronâ redimitus, latroni Barabbæ postpositus, in medio latronum crucifixus, aliaque plura id genus contemptuum perpessus, demisè semper se habuit.

Mansuetudo. Quâ benignum se omnibus moderatumque semper exhibuit; mala, patientissime toleravit, & admirabili silentio ad omnes injurias, convitia, ludibriaque conticuit, excusationes nullas adhibuit, neminem suâ loquacitate offendit, nihil unquam dixit asperiùs cuiquam nihil fecit.

Obedientia. Quæ tunc sanè vel maximè commendationem meretur, quando & difficilia, & ab impiis, & modo moreque aspero imperantur. Fuit autem Christus

non solùm Patri obediens usque ad mortem crucis: sed impiis quoque judicibus & tortoribus: quibus,ut vestes exueret, purpuram indueret, spineam coronam sumeret. Crucem humeris ferret, ad clavos manus pedesque porrigeret, & alia pleraque imperantibus, simpliciter, alacriter, & constanter obtemperavit.

Charitas. Quæ tum demum suis absoluta numeris videtur, cùm propter Deum non solùm amicos, sed ipsos quoque hostes, nobis pessimè volentes, & summo prosequimur amore, & eos pro hostibus nunquam, sed pro amicis habemus: quod cumulatissimè Dominus præstitit: qui de perfectissima sua in nos charitate loquens. *Majorem* (ajebat) *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Cùm autem major videatur esse adhuc charitas, si animam ponas pro inimicis: major tamen ea est charitas, quæ nullos agnoscit inimicos, sed ipsos etiam hostes reputat pro Amicis, eisque non minùs quàm Amicis benefacit, & animã suam pro eis ponit. Itaque Christus eã suos inimicos charitate complexus est, ut quo plura ab eis sustineret, hoc magis semper in eos amore inardescerer, majoribusque beneficiis cumularet: non aliter quàm igni oleum superfusum, vel felle agitatus carbo magis incalescit. Igitur toto quidem Passionis tempore, pro inimicis Patrem exorabat, juxta illud: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam*; mente, si non voce. Sed cruci ab eis affixus elatã voce pro crucifixoribus oravit; demumque exspirans, corda illorum ad fidem & pœnitentiam salutarem, summã charitate commovit.

Misericordia. Quã nobis Dominus omnia sua, seque ipsum, vestes, honorem, famã, boni nominis existimationem, florentem ætatem, vires, sanitatem, sanguinem, animam, corpus, vitam & mortem donavit.

Contemptus mundi. Quo illa omnia, quæ mundus admiratur, & in bonis habet, repudiavit: suscepit autem illa, à quibus mundus abhorret, pro divitiis extremam elegit Paupertatem; pro honoribus, cõtemptum; pœnas pro deliciis; pro favoribus irrisionem.

Perseverantia. Quã nec Matris dolore victus, nec Amicorum tristitiã motus, nec hostium irrisione superatus, nec corporis tormentis fractus, nec indignitate, aut ingratitudine exasperatus, de cruce descendere, Passionisque & amoris beneficium deserere voluit, quod semel pro salute nostra peragendum assumpsit.

A

B

C

D

Quarta Affectio est, Gratiarum actio. Quã beneficia in nos collata contemplantes, in laudes prorumpimus, non verbis modò, quæ propriè laus est, & actio gratiarum minima: sed corde potius & operatione, ut & mente acceptum beneficium recolentes, magni illud faciamus, & ab omni offensa benefactoris caveamus, & omnibus in rebus occasionem rependendi ne prætermittamus. Quinque porrò sunt quæ ad gratitudinem movere solent. 1. Malum quod evasimus. 2. Bonum, quod beneficio accepimus. 3. Dignitas Benefactoris. 4. Modus collati beneficii. 5. Conditio personæ, in quam beneficium confertur. Ut ergo ad Gratitudinem inducamur erga Christum hæc nobis cogitanda sunt. 1. Mala à quibus hac Christi Passione erepti sumus. Peccatum omnium malorum maximum. Mẽtis cæcitas. Cordis durities. Servitus diaboli. Fœditas animæ. Præsens æterni ignis periculum; qui ita gravis est, ut cogitationem superet; ita diuturnus, ut finem nesciat; ita certus, ut absque Christo evitari nequeat. 2. Bona quæ accepimus. Gratiam, Iustitiam, Adoptionem filiorum Dei. Sacramenta, Sacrificium, Virtutes, Promissionem vitæ æternæ. Denique omnia bona corporis & animæ, interna & externa, quæ omnia nobis Christi Passio vel donavit vel conservavit. 3. Personæ Dignitas. Ut enim solet propter dignitatem majus dari stipendium Doctori vel Homini nobiliori, pro exiguo quamvis officio, quàm rustico, pro labore licèt gravi: ita majores gratiæ sunt habendæ digniori. Quæ tandem ergo Christo, qui infinitæ Dignitatis est, exhibebitur gratitudo? 4. Modus præstiti beneficii: gratis & non sine summo labore. Cœlum Terramq; condidit Deus, verbo solo; redemit autem te doloribus, sanguine, & vitã suã, pro quibus collatis omnibus, nihil à te præter laudem, memoriam, & gratiarum actionem requirit. 5. Personæ cui beneficiũ præstatur conditio: si vilis, si hostis, si ingratus. Nos porrò quid sumus? Si orbis terrarum, ante Deum est sicut gutta roris antelucani, qui descendit in terram, quid erit ad Deum collatus homuncio unus? qui nihil est si cum universa orbis mole conferatur. Vilitatem nostram expressit Sanctus Iob. *Putredini dixi, Pater meus es: Mater mea, & soror mea, vermibus*. Iam verò non solùm viles sumus, sed etiam hostes, alieni & aversi à Deo, gratiam eius nec quærentes, nec petentes, quin potiùs respuentes oblatam.

Sap. 11.

Iob. 17.

Hæc

Hæc igitur expendens. 1. Ereptum te ex summis, certissimis, æternisque malis. 2. Donatum summis infinitisque bonis. 3. A summo & infinitæ majestatis Deo. 4. Tantis eius laboribus doloribusque, quantos nulla mortalis creatura unquam sustinuit, consideratis, an nō æquum sit, tam abjectam creaturam, in laudes & gratiarum actiones dissolvi?

Quinta Affectio est, Spes & Fiducia. Trium rerum consideratione spes nostra infringi solet. 1. Consideratione splendoris, qui ad vitam æternam requiritur, in quam nihil intrabit inquinatum. 2. Consideratione Examinis exacti Iudicis illius, qui etiam de otioso verbo exigit rationem, penetrabitque usque ad divisionem Animæ & Spiritus, scrutabiturque cogitationes & intentiones cordis. 3. Consideratione vilitatis nostræ: qui & quotidianis peccatis Dei justitiam offendimus: & pleni concupiscentiis vitiisque vivimus, & cordis nostri interiora ipsimet non penetramus: *Et si simplex fuero* (ait Iob) *hoc ipsum ignorabit anima mea.* [Iob. 9. 21.] Huic diffidentiæ medetur Passio Christi, animumque peccatoris in spem erigit. Nam 1. Etsi Regnum cœlorum magnam munditiam requirit: tamen etiam Christi Passio & sanguis lavat omnes iniquitates nostras, animam sole clariorem reddit, efficit filios Dei, dat jus ad vitam æternam, ut jam eam non tanquam in alienam, sed veluti in nostram hæreditatē ingrediamur. Est quidem districtum Christi judicium, sed Passionis hujus merita severitatem hanc perferre possunt: cùm major sit satisfactio quàm debita; & peccata quidem sint numero finita, merita autem magnitudine infinita: & denique, quia Iudex erit qui fuit Advocatus, Mediator, Redemptor: qui ut tibi Cœlum daret, ipsemet eius pretium tibi obtulit: sanguinem, inquam, pro te fusum, cuius ipse, quē magno labore fudit, non ignorat dignitatem. 3. Vilitas nostra est magna illa quidem, ut qui *ex nobis nihil possumus quasi ex nobis*, [2. Cor. 3. 5] sed tamen gratia, Passionis merito, nobis communicata, admirabilem addit animis nostris splendorem, dimittit peccata omnia: addit vires & facilitatem operandi, operibus nostris sufficit dignitatem, ut vitam æternam mereamur. Spes igitur nostra erigetur, si omnes opes Christi, eius omnia merita, omnia jejunia, labores, pœnas, & quæcunque demum vel fecit, vel sustinuit cogitemus, non aliter nostra esse, quàm mariti bona ad uxorem pertineant, quibus ipsa ad suorum solutionem debitorum, aliasque necessitates uti possit.

Sexta Affectio est, Amor Dei. Amorem porrò excitat. 1. Rei ipsius quæ amatur Dignitas, Nobilitas, & Pulchritudo. Quomodo pulchritudine virtutum vel scientiarum ad earum amorem inardescimus. 2. Amor, si nimirum priores diligamur. Cæterum ad amorem augendum conducit. 1. Si non verbis modò, sed magnis quoque beneficiis sit amor testatus. 2. Si magno labore & incōmodo Amantis, hæc beneficia comparentur. 3. Si injuriâ affectus, repulsamque sæpiùs passus Amans, nihilominus amorem concidere non patiatur. 4. Si his omnibus molestiis & laboribus suis nihil quærat, quàm redamari. Et hæc quidem omnia Christus suá Passione exhibuit. 1. Dilexit enim nos opere & veritate, omniaque bona nobis donavit. 2. Magno suo incommodo, pro nobis factus egenus, ut nos ditaret, omnia mala assumpsit, ut nos repleret omni bono. 3. Toties à nobis repulsus, nihil tamen de amore nostri remittit. 4. Denique à nobis præter Amorem nihil requirit. Ama (inquit) & sufficit. Ut ames porrò, servandæ erunt leges & conditiones amantis, quas hac Passione suâ Christus expressit, 1. est. Ut de re amata perpetuò cogitemus; sicut Christus, ut nostri memoriam nunquam deponeret, in manibus suis nos inscripsit, vel potiùs insculpsit. 2. Ut de ea frequenter loquamur, *ex abundantia enim cordis os loquitur:* Quomodo Christus etiam in ipsa Cruce de nobis locutus est cum Patre, eumque pro nobis oravit. 3. Ut nihil æquè vereamur quàm Amatum offendere, quod nos Christus docuit, qui suam Passionem, omniaque sua, eo retulit, ut in sui nos amorem provocaret. 4. Ut totos nos impendamus in rebus Amici commendandis, & promovendis. Christus enim non sibi sed nobis laboravit. 5. Ut Amici præsentiam deposcamus: sicut Christi deliciæ sunt esse cum filiis hominum: & nos in terra, in mari, in aëre, in inferno quæsivit, ut nos sibi in æterna beatitudine conjungeret, suamque nobis Divinitatem communicaret.

Septima Affectio est, Admiratio. Quæ excitari solet re aliquâ novâ, insolitâ, & incredibili. Quatuor porrò sunt, quæ Domini Passionem faciunt incredibilem vehementer. 1. Quod sit passus ille, qui est gloria & gaudium Sanctorum, cuius est dignitas infinita, vita æterna, sublimitas immensa; & in cuius majestatem passio non ca-

non cadit. 2. Quòd pro illis sit passus, à quibus patiebatur, hominibus vilibus, hostibus, ingratis. 3. Quòd talia sit passus, qualia nullus mortalis homo: tam si cruciatus spectes, quàm si ignominias, irrisiones, paupertatem, aliaque vitæ mala. 4. Quòd cùm hac Passione genus humanum redemerit, ad hoc perficiendū usus est modo admirabili. Nam 1. Cum summa corporis infirmitate, summam, quâ diabolum mundi hujus Principem prostravit, conjunxit potentiam. 2. Summa Iustitia, cum summa misericordia convenit, nam homini faciens misericordiam, in se sustinuit Divinæ Iustitiæ severitatem. 3. Summa sapientia eluxit in ea, quæ hominibus putaretur summa stultitia. Siquidem *Crux Christi, Iudæis quidem est scandalum: Gentibus stultitia.* Magna porrò fuit sapientia. 1. Callidissimum hostem arte & patiendo superare, iisdemque armis quibus superior evaserat dejicere. 2. Tali supplicii genere nos liberare, in quo & medicinam reponeret omniū morborum nostrorum, & exempla omnium virtutum proponeret, & flammas amoris excitaret. Siquidem nihil usq; adeò nos provocat vel ad imitationem Christi, vel ad Amorem Dei, quàm ista acerbissima Dei nostri pro nobis Passio. Hactenus Pater Costerus, de affectibus animi nostri, qui in Passionis Dominicæ meditatione excitari possunt, ac debent.

MODVS LVI.

Quinquagesimus sextus modus Passionem Dominicam meditandi esse potest, Considerando Passionē ipsā, tanquam ingratissimorum hominum in Deum injurias, quibus illi beneficia sibi à Deo facta indignissimè rependerunt. Tali Considerationis modo, utitur ipsa Ecclesia, in die Sancto Parasceves, eumque appellat Improperia: idque ideo, quia in eo inducitur Deus improperans ingrato populo suo, beneficia sua maxima à se illi facta, iniuriis acerbissimis sibi ab eodem retributa. Describo ideam Modi hujus aliquantulam, primùm verbis Thomæ de Truxillo, qui ita inducit Christum *doloribus mortis undique vallatum, atque dicentem. o vos omnes, qui transitis per viam, attendite si est dolor, sicut dolor meus. Videte, me à Discipulo Iudæis traditum, flagellis cæsum, & denique Crucifixum. Hæc Civitas, quam ego magnâ coronavi gloriâ, me coronavit spinis. Hic populus, quem variis spoliis Ægypti ditavi, me spoliavit. Ego ipsi mare aperui variis divisionibus, ipse verò carnes meas lacerat, & rivos sanguinis mei effundit. Ego nube eos operui, ne sole læderentur; ipsi vero faciem meam velant, ut me subsannent. Ego eos pavi cælesti cibo, ipsi verò potaverunt me aceto. Ego ex petra dedi aquam, quâ sitim sedarent; ipsi vero ictu lancea latus meum aperuerunt.* Hactenus ille. At enim graphicè, atque etiam copiosè magis rem hanc cognoscemus ex ipsis Ecclesiæ verbis.

Concio Quadrag. tomo 2. Feria 6. in Passione Domini Conc: 3. prope initium.

Psal: 13[illegible] Exod: 1[illegible] Psal: 4[illegible] Num: Ex Mi[illegible] Roman[illegible] ria 4. Parasc[illegible]

Popule meus quid feci tibi? aut in quo contristavi te? Responde mihi.

Quia eduxi tè de terra Ægypti, parâsti Crucem Salvatori tuo.

Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, & mannâ cibavi te, & introduxi te in terram satis bonam. Parasti Crucem Salvatori tuo.

Quid ultra debui facere tibi, & non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, & tu facta es mihi nimis amara.

Aceto namque sitim meam potâsti: lanceā perforâsti latus Salvatori tuo.

Ego propter te flagellavi Ægyptum cum Primogenitis suis, & tu me flagellatum tradidisti.

Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum: & tu me tradidisti Principibus sacerdotum.

Ego ante te aperui mare, & tu aperuisti lanceā latus meum.

Ego ante te prævivi in columna nubis. Et tu me duxisti, ad Prætorium Pilati.

Ego te pavi mannâ per desertum: Et tu me cecidisti alapis & flagellis.

Ego te potavi aquâ salutis de Petra. Et tu me potâsti felle & aceto.

Ego pro te Chananæorum Reges percussi. Et tu percussisti arundine caput meum.

Ego dedi tibi sceptrum regale Et tu dedisti capiti meo spineam coronam.

Ego te exaltavi magnâ virtute. Et tu me suspendisti in patibulo Crucis.

Popule meus quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Hactenus Improperia Domini: propriè Iudæorum ingratam gentem spectantia. Similia his in meditatione formare possumus, tanquam fiant à Domino ad Populum Christianum, vel ad animam peccatricem.

Popule meus (Redempte meus) quid feci tibi? aut in quo contristavi te? Responde mihi.

Ego eduxi te de captivitate diaboli: tu autem parâsti crucem Salvatori tuo, & mala omnia pro omnib' bonis retribuisti.

Ego

Ego propter nimiam Charitatem tui de Cœlis descendi: tu odio habuisti me gratis.

Ego æstimavi te pluris quàm Animam meam: tu creaturas viles mihi in amore præposuisti.

Ego redemi te morte æterna sanguine meo: tu & meum sanguinem, & Animam tuam diabolo vendidisti.

Ego te à peccatorum vinculis absolvi: tu me vinculis peccatorum tuorum usque & usque onerâsti.

Ego fide meâ oculos tuos illuminavi: tu oculos meos velâsti; & tuos, diligendo magis tenebras quàm lucem, excæcasti.

Ego te veste gratiæ meritorumque meorum indui: tu me ad flagella nudasti,& te gratiâ meâ spoliâsti.

Ego te ab æternis flagellis subduxi; multaque alia flagella peccatorum tuorum tibi condonavi: tu me flagellâsti linguositate, carnalitate tuâ, aliisque sceleribus tuis quotidianis.

Ego te Coronâ & Stolâ gloriæ meæ indui: tu me spinis coronâsti, purpurâ superbiæ induisti, arundine vanitatis, sputis, & alapis impudentiæ tuæ illusisti.

Ego omnia subjeci sub pedibus tuis: tu me Barabbæ latroni, & latrocinantibus cupiditatibus tuis subjecisti.

Ego tibi suave jugum legis meæ imposui: tu mihi Crucis trabem & scelerum tuorum sarcinam imposuisti.

Ego te ad vitam æternam prædestinavi: tu me quotidiano in peccata consensu, ad mortem Crucis damnâsti.

Ego tibi corpus meum in cibum, sanguinem in potum dedi: tu dedisti in escam meam fel, & in siti mea potâsti me aceto amaritudinis, invidiæ, fraternique odii tui.

Ego te in Paradisum reduxi, cælumque tibi referavi: tu me domo cordis tui ejectum Cruci addixisti.

Ego te amplecti venientem volens, expandi brachia mea: tu brachia mea affixisti obstinatione tuâ, ne amplecti possem te.

Ego pro te Patrem oravi: tu & me & Patrem meum blasphemâsti, & blasphemari fecisti.

Ego Animam meam pro te posui: tu te mihi ereptum sponte tuâ diabolo & damnationi eius tradidisti.

Ego tibi Cor meum in quo te conservarem patefeci: tu me in tua impœnitentia, recidivisque sceleribus tuis, sepelivisti.

Popule (Redempte meus) quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Hucusque verba improperantis Dei gravissima certe, & ipsas conterere adamantinas petras idonea. Quis enim sustineat immotus audire taliter sibi improperantem Deum? Et tamen quis non cogitur taliter improperantem audire sibi: si suam in mentem reduxerit, quantâ beneficia Dei in se, quantâ ingratitudinis malignissimæ rependit fæcunditate, tum in omni vita sua perditè transacta, tum specialiter in abusu Passionis Christi, quo toties Dei Filium iterum iterumque crucifixit, & sanguinem pretiosissimum eius pollutum & duxit, & fecit. Et populo quidem Israelitico Deus improperat beneficia temporalia, terrena, carnalia à se præstita, vicissim vero injurias, potissimum etiam corporales,ab illo sibi exprobrat redditas. Cæterum Animæ Christianæ peccatrici, exprobrat Deus beneficia & temporalia quidem,sed potissimùm spiritualia, cœlestia, æterna, quæ incomparabiliter temporalibus sunt excellentiora: quibus beneficiis Anima rependerit injuriarum, contemptuum, ingratitudinum, omniumque enormissimorum scelerum, proditiones, vincula, consputationes; & ad ipsius Divinitatis intimum cor penetrantes, & ipsam illam Passionē Christi,cum omni suo merito (quantum in eis est) stirpitus eradicantes, atque cum Anima ipsa in profundum æternæ damnationis demergentes, inibique sepelientes. Quo nihil potest contingere, cogitarique in Christum injuriosiùs atque indignius. Sicut enim Animam in æternum salvari morte suâ, Christi præmium supremum, & ultima gloria est; sic Animam cum sanguine & morte sua in æternum perire, suprema & ultima injuria est, extremumque meriti sui & gloriæ Patris Æterni damnum. Et quod potest esse tam ferreum, tamque rupeum os, quod possit coram Deo talia improperante vel ad momentum subsistere? Igitur Anima hujusmodi Passionis Dominicæ meditatione utens, non poterit non efficacissimos concipere stimulos ad Pœnitentiam fructusque dignos pœnitentiæ, ad humiliationem sui,ad gratiarum actionem, ad solicitudinem melioris & Sanctioris in posterum vitæ consectandæ, ad redamandum ardentissimè atque insatiabilissimè eum, quem in se tam beneficum, tam malitiose tamque indignè hactenus à se habitum agnoscit. Et hunc ego puto

esse sensum ipsius Ecclesiæ: quæ post recensita illa improperia ex parte Dei, illico ex parte sua, effunditur in admirabiles gratitudinis erga Deum affectus. Subjungit enim.

A [Crucem tuam adoramus Domine, & Sanctam resurrectionem tuam laudamus, & glorificamus: Ecce enim, propter lignum venit gaudium universo mundo.] Et cætera quæ sequuntur.

MODVS LVII.

QUinquagesimus septimus modus Dominicam Passionem meditandi esse potest, per quosdam titulos Christi Domini, sive officia ejus circa nos, & propter nos, in Passione sua mirabiliter exercita. Est v. g. Christus nostrarum animarum Sponsus, est noster Filius, Frater, Magister, Pastor, Pater, Deus, &c. Videatur quomodo hæc omnia officia Dominus IESUS in Passione sua exercuit & explevit propter nos. Ex hoc enim copiosa consurget Materia, & Seges, tum piissimarum meditationum, tum solidissimorum documentorum, tum affectuum resolutionumque Domino gratissimarum. Proderit specimina aliqua dedisse, saltem juxta prædictos septem titulos.

I. *Christus, Animæ Sponsus.* Legimus à Christo Domino dictum. [*Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* (Marc: 10, 7.) Itéque ab Apostolo. [*Viri diligite uxores vestras: sicut Christus Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret.*] (Ephes. 5. 25.) Rursum etiam ab Apostolo. [*Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*] (2. Cor: 11. 2.) Ex quibus facilè patet, Christum esse Sponsum animæ cuiusque nostrûm: quæ etiam meritò dicere potest illud. [*Christus dilexit me & sponsavit me sibi in fide: & tradidit semetipsum pro me, & lavit me in sanguine suo,* ut exhiberet me *sine ruga & sine macula.* (Oseæ 2. 20. ad Eph: 5.) O Anima, quis est qui dilexit te? Deus utique de Deo, Lumen de Lumine, Delicium Æterni Patris, Exspectatio gentium, Beatitudo Sanctorum. Hic tantus ac talis, quantùm dilexit te? Is qui nullius creaturæ indigus est, cùm sit ex semetipso omni bono plenus, immo omne & summum bonum tui amore captum se sentiens, de sinu Patris Æterni descendit, & vestimento gloriæ deposito, servorum & exulum propriam lacernam, quin & ipsam peccatorum speciem induit, ut hac ratione commodiùs congruentiùsque sponsus tuus fieri posset. Et certè nullo tuo merito, nullâ tuâ dignitate induci potuit: sed suâ solâ supremâ, miserationumque plenissimâ charitate. Initum ergo est atque contractum matrimonium, expressusque consensus verbis illis ad Patrem. [*Ego pro eis Sanctifico me ipsum: ut & ipsi Sancti sint in veritate.*] (Ioan: 17.) At quam? & quantam dotem attulisti sponso tuo ò bona sponsa? audiamus. Cœpit pavere & tœdere, contristari, & mœstus B esse, & factus in Agonia prolixiùs oravit. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tunc cœperunt conspuere eum, & dabant ei alapas, & colaphis eum ceciderunt, & exclamaverunt universi dicentes; Reus est mortis. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Hæc & reliqua omnia quæ subsequuta deinceps sunt, dos tua sunt ò Anima, quam Christus tecum accepit. Et quam pro hac vicariam contra dotem speres? Sanè ex æquitate, non tibi deberetur, nisi æternæ damnationis super omnes miserias malitiasque tuas C proprias assignatio atque inscriptio. At hoc amor sponsi tui erga te passus non est, sua potiùs bona omnia propria tibi obligavit, universa scilicet merita, omnes labores, cunctas Passiones, omnia Sacramenta sua, ipsum etiam Corpus & sanguinem suum, ut eorum omnium bonorum ejus tanquam legitima hæres & consors possessione & fructibus gaudens atque fruens, ex ipso, dignè ipso diteris. Insuper assignavit tibi Beatissimæ & Beatificæ Trinitatis æternam fruitionem, confecto instrumento, & quinque vulnerum suorum signaculis appensis munito, D & in perennem propriamque hæreditatem cessit, ita ut tui arbitrii sit, & cum auxilio gratiæ ejus possessionem hanc adire, & etiam, si fortè ita libeat, eam commutare, aut alienare à te. Quanquam id minimè expedit tibi. Væ etiam tibi, si ita insanias. Agnoscisne tandem ò anima amorem sponsi tui erga te? quo quidem ille non ab heri & nudius tertius, sed ante mundi constitutionem, charitate æternâ & perpetuâ dilexit te miserans tui, quasi non priùs ipse esse, quàm & te simul diligere cœperit. Tuus verò ò sponsa, tuus ò Anima, erga hunc sponsum tuum, erga Amatorem tuũ qualis est, quando cœptus est, quàm constans est Amor?

II. *Christus, Filius Hominis.* Dictum à Domino.

mino IESU Christo est. *Omnis qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & Mater est.* Quàm vereor mi IESU, ut tibi tanta multitudo, tanta facilitas Matrum, bene & honori cedat. Pœnè suasor sim, tanto eas numero ne requiras, ne admittas. Quid enim, si in tanto hominū numero, quos tu matres tuas esse, quorum tu filius esse, disponis, reperiatur aliquis non unus, qui & olim, & nuper fuerit contemptor voluntatis Dei Patris tui, tu ergo tam infamis (quid enim peccato, & voluntatis Divinæ prævaricatione magis infame?) tam infamis inquam matris sustinebis esse, dicique filius? Nonne partus sequitur ventrem? non vereris ne tu ob Matrem peccatricem inter peccatores & iniquos reputeris?

[Matt. 12. 50]

Olim te in Nazareth educatum scientes, non dubitârunt dicere, *à Nazareth potest aliquid boni esse? à Galilæa Propheta non surgit.* Etiam Ioseph ac MARIA in *probrum* quondam cesfere Christo: quid putamus futurum, si cujuspiam improbæ & infamis Matris (animæ v. g. meæ) filius audiat IESUS: quàm ille contemptibilis hoc nomine fiet? quàm parvulus valde in populis & gentibus?

[Joan. 1. 46]
[Joan. 7. 52]

Sic est o Anima: agnosce, & mirare consilium Dei, consilium Sapientiæ. Volebat quondam Deus te filiam sibi habere, ideo creavit te, ad imaginem & similitudinem suam. Sed tu imaginem ejus in te deturpasti, similitudinem ejus in abominationem convertisti. Deus ergo volens restaurare te, & tam sibi, quam tibi restituere, mutavit vices rerum, ipse in similitudinem tui factus, & habitu inventus est ut homo: factus est Filius hominis, factus est denique Filius tuus, ex te sumens similitudinem imaginemque hominis peccatoris, etsi absque peccato, nō tamen absque fructu, id est, supplicio peccati.

Vide enim, vide in tota Passione ipsius, & adverte an filius tuus sit, qui talem tui similitudinem in sese gestat? Tuane est est illa similitudo & imago expressa in IESU tristante & pavente usque ad mortem, in IESU agonisante & sanguinem sudante. In IESU tradito, capto, ligato, accusato, damnato blasphemato? In IESU colaphisato, consputo, concusso, livido, sanguinolento? Tuane (ô Anima) lineamenta sunt illa in IESU saucio & conscisso flagellis, confixo spinis, illuso sannis, postposito maleficis, addicto ad patibulum crucis? Anima! Ecce Homo. Vide illum & inspice, speculum tibi est, tu in eo reluces, tu notaris illo dicterio. *Egredimini filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua* non alia certe, quàm tu o Anima. Intuere quæso te, livores illos, vulnera illa, sanguinem illum, gusta fel, myrrham, acetum illud, tracta clavos, tolle crucem, excipe opprobria, convitia, ludibria, contumelias, contemptus, nuditatem, dolorem, confusionem. Quid hic non tibi simile? quid hic non tuum? quid hic non instar tui? Ergo iste IESUS filius tuus, filius hominis, filius peccatricis Matris est! Ecce dolent super eum, sicut doleri solet in morte unigeniti. Tibine soli, non erit filius iste, & filius quidem tuus iste, ac talis, non erit in planctum? Immo verò videant & aspiciant eum cæteri, quasi unigenitum à Deo Patre vel à virgine Matre, plenum gratiæ & veritatis, speciosumque formâ præ filiis hominum; at tu peccatrix Mater, hunc unigenitum tuum, aspice quoque virum dolorum, percussum à Deo, & humiliatum, captum, & attritum in peccatis tuis. Genuit illum Cœlestis Pater, Deum de Deo, consubstantialem sibi, coæternum, coæqualem, candorem lucis æternæ, & figuram substantiæ suæ; Genuit illum & virgo Mater, etiam in splendoribus Sanctorum, exspectationem gentium, desiderium collium æternorum, Salvatorem Mundi, Principem pacis & Patrem futuri sæculi. Tu autem ô Anima, quem genuisti eum? nonne Filium Doloris, Filium amaritudinis, Filium iræ & luctûs? Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, contemptibilem valde, & abjectionem plebium, sementem & messem myrrhæ & confusionis, atque luctûs æterni electis omnibus. Ecce hic est o Anima Filius tuus, ecce tu talis Mater ejus.

[Cant. 3. 11.]

3. *Christus, Filius noster.* Ipse enim est primogenitus in multis fratribus: neque confunditur vocare nos fratres suos, quos scit dilectos esse Patri suo ante mundi constitutionem: & quibus data est potestas Filios fieri Dei, ejusdemque hæredes, cohæredes autem suos.

Licet hoc loco cogitare omni homini, quomodo hic amantissimus nostri frater, Deus-Homo Christus IESUS unumquemque nostrum in Baptismo per sanguinem suum ablutum adscivit sibi in fratrem, & admisit ad propriā sibi hæreditatem gratiæ & dilectionis, & beatitudinis æternæ. Hæc est enim hæreditas, & non rapina ipsius, quam quidem hæreditatem, partim re, partim spe adiit quisque nostrûm

strûm in regeneratione, eâque frui poterat, & debebat, tum hic tota vita suâ, tum in altera vita, per totam æternitatem; at ego insipiens quasi pertæsus tanti boni, tamque opulentæ possessionis, abii cum filio prodigo in regionem dissimilitudinis valde longinquam, & ibi dissipavi omnem substantiam meam, & demum extremam ad inopiam redactus, cùm nec porcorum cibus mihi suppeteret, incidi sponte quidem meâ in manum, de quâ nõ poteram ullis meis aut creatis viribus surgere, multoque minùs ad Patrem, aut ad fratrem meum, hæreditatemque deperditam redire.

Quid hic faceret ille, cujus natura bonitas, cujus viscera miseratio & charitas? fecit, quod fratrem decuit? Factus est supplex Patri pro me, in sanguine suo lavit me, debita omnia mea à se de suo solvenda recepit in se, vulnera mea excepit in corpore suo, & me, quantumvis præ mentis inopia periculi mei ignarum, præ vulnerum enormitate, dolorisque acerbitate stupidum, & sensûs sani expertem, velut peritissimus medicus, simulque amantissimus frater atque Pater, integræ, suo licet impendio & dispendio, restituit sanitati.

Gratiæ tibi Domine IESU, & immortales quidem gratiæ, quando enim ludebam ego foris in platea, tunc in secreto regalis cubiculi ferebatur in me mortis sentẽtia. Audiit hoc unigenitus Dei, & posito diademate, sacco indutus, respersus cinere caput, nudus pedes, flens, & ejulans, quod morte damnatus essem ego frater, magis autem servulus ejus: nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Filius Virginis, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut pretiosissimo sanguinis sui balsamo, vulneribus meis medeatur. Si hæc non fuissent ad mortem, non fuisset necesse pro iis Dominum IESUM Christum mori. Et adhuc ne ludam, & deludam lacrymas, immo sanguinem, vulnera, mortem ejus?

Matth: 21. 16. 4. *Christus, Magister & Doctor noster.* Illi dictum est. *Magister, scimus quia verax es, à Deo venisti Magister: & viam Dei in veritate doces.* *Isa. 30. 20.* Huic testimonium dedit ipse de Cœlo Pater, ipsumque *audiri* præcepit, cui & consonat oraculum Prophetæ dicentis. *Psal. 4. 7.* *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Et quidem dubitandum non est, Deum fuisse ab initio conditi hominis Præceptorem ac Magistrum, in ipsa siquidem creatione, *signatum est super nos lumen vultûs Divini*: & in ipso Paradiso præceptum homini posuit eruditionis ejus gratiâ. Deinde vero in lege veteri, ad docendum populum suum viam Iustitiæ, tradendamque legem disciplinæ, descendit in montem Sina, ibique digito suo scriptam in tabulis legem, eidem porrexit, adjectis tum comminationibus suppliciorum, tum promissionibus præmiorum. Cæterum per illa tempora, paucos admodum dociles diligentesque habuit discipulos Deus, adeò ut ausi sint dicere aliquando. *Non loquatur nobis Dominus.* quin *Exod: 20.* etiam eo progressi sunt, ut dicerent Deo, *recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* *Iob: 21.* Indocilitatis hujus causa non postrema fuit, invisibilitas magistri, vocem enim audiebant, sed loquentem atque doctorem non videbant, inde fastidium, inde tœdium, inde vilipensio, non tantùm doctrinæ, sed etiam Doctoris ipsius. *Novissime ergo cœpit nobis loqui Deus in filio,* *ad Hebr. 1. 2.* ipsa Dei sapientia, in vero homine apparuit, & nos viam prudentiæ docere instituit. Postquam ergo vel primam in stabulo & præsepi lectionem suam prælegit suâ paupertate, nuditate, contemptu mundi & sui, pannis suis, fasciis suis: subitò efficacia ejus doctrinæ sese prodidit: mox enim discipuli novi conspirant dicentes. *Luc: 2.* *Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est, & Dominus ostendit nobis.* Quid multa? Hujus sapientiæ vita universa in carne, magisterium fuit nostrum: dicente ipsâmet: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* *Matth: 11. 29.* & rursum. *Vos (ait) vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim. si ergo ego Magister & Dominus, lavi pedes vestros; & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* *Ioan: 13.* Maximè tamen in Crucis Cathedra, hoc suum cæleste magisterium Doctor & Magister noster nobis exhibuit & consummavit: ibi enim omnis suæ Sapientiæ, omnis doctrinæ, omnis eruditionis specimina exemplaque exhibuit: & exhibita tandem ultimatè per vocem illam, *Consummatum est*, conclusit. *Ioan: 19. 30.* Restat ergo, ut omnis, quicunque viam salutis invenire, & addiscere vult, quisquis se jam discipulum Magistri hujus profitetur, ad Crucifixum Dominum accedat: & eum tanquam Magistrum discipulus audiat, tanquam librum lectionum legat, tanquam speculum, & exemplar imitetur, atque in se exprimat. Idem enim est unusquè nobis, & Magister, & Liber, & exemplar omnis doctrinæ, seu veritatis atque virtutis, Iustitiæ, atque Perfectionis. Vis ô

homo

homo discere Charitatem Dei, & Obedientiam? audi, lege, imitare: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite eamus.* Vis dilectionem proximi etiam inimici? audi, lege, imitare. *Majorem hac dilectionem habet nemo, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Vis Paupertatem nuditatemque Evangelicam? audi, lege, exprime. *Vulpes foveas habent, volucres Cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Vis Contemptum tui, & neglectum etiam ab amicis & notis? audi, lege, imitare. *Venit hora, & nunc est, ut unusquisque dispergamini in propria, & relinquatis me solum.* Et. *non sum solus, sed qui misit me Pater, mecum est.* Vis sterilitatem & exilium cordis, in laboribus, in doloribus, in conatibus, propter Dei gloriam, & salutem hominum? Audi Magistrum, lege librum, imitare & exprime exemplar. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

...14. 31 — ...15. 13 — ...23. 34 — ...8. 29 — ...16. 32 — ...27. 46

5. *Christus, Bonus Pastor.* Hunc ipse sibi indidit honoris gratiâ titulum. *Ego* (inquiens) *sum Pastor ille bonus, & animam meam pono pro ovibus meis, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. Propterea diligit me Pater quia ego pono animam pro ovibus meis.* Jam attende o Homo, an hæc magnificentius dixit, quàm fecit Bonus iste Pastor? attende quando, attende qualem, attende ubi, cognoverit te ovem suam Pastor iste bonus? Nonne tu eras *Ovis illa perdita, errans, vaga, desperata?* Nonne tu eras Ovis illa in faucibus & dentibus, & visceribus lupi diaboli, lupi inferni, lupi peccati? Nonne tu eras Ovis illa, cujus gratiâ, in montibus Pastor bonus *reliquit nonaginta novem oves*, & descendit ut quæreret, inveniret, è faucibus perditionis erueret, in humeros suos tolleret, & ad caulas ovium suarum aliarum deportaret te? gaudiumque faceret amicis suis de inventa te? Nostin Pastorem hunc tuum ô Ovis! Nosti quantis se objecit lupis, apris, ursis, molossis, leonibus, omnibusque aliis feris pessimis, pro te? Nosti quomodo dilamatus sit, devoratusque sit, propter te? Confer quæso te, tuam vilitatem cum Pastoris dignitate, tuam inutilitatem cum Pastoris pro te sumptu, tuam ingratitudinem, cum Pastoris pro te generositate. Tantus ille, pro te tantilla ovium, rabidarum ferarum præda factus est, ne tu ullius earum præda esses.

...10. 11. &c. — ...15. 4

Et quid desiderat talis iste Pastor tuus à te? Aliud omnino nihil, quàm ut cognoscas eum: quàm ut audias, & noveris vocem ejus: quàm ut alienum non sequaris, ipsum autem solum & unum & semper sequaris. Quæ quidem est tua *æterna vita: nosse nimirum solum verum Deum, & quem misit ille IESUM Christum.*

Ioan. 17. 3.

Attolle oculos Anima mea, Christi ovicula; attolle, & in Crucis ligno defige. Viden? illum in Cruce virum dolorum & scientem infirmitatem, illum despectum & quasi leprosum, illum vultu absconditum, & novissimũ virorum, illum à planta ad verticem sine sanitate, illum attritum & percussum à Deo, illum maledictum factum, illum vermem & non hominem, opprobrium hominum & plebis abjectionem? Quid tibi videtur de spectaculo isto? Videsne, agnoscisne, quomodo fera pessima peccatorum & suppliciorum tuorum devoravit, laniavit, absorbuit Pastorem tuum? Vides quomodo, & ad quantam usque delassationem depugnavit pro te Pastor tuus: Vides quanta ex voragine, quantis ex abyssis perditionis, extraxit te, & eripuit te, Bonus iste Pastor.

Væ cæcitati meæ si hæc necdum agnosco. Væ ingratitudini meæ, si adhuc ingratus Pastori meo invenior. Væ malitiæ meæ, si adhuc peccatis meis, voluntatibus meis, voluptatibus meis, ruinis meis, vel per umbram afficior? Væ stultitiæ meæ, si necdum adverto, necdum æstimo, quantùm Pastor meus æstimavit me, quantùm laboravit pro me, quantum pretium effudit in me.

Audite vocem Pastoris Boni, Pastoris vestri, oves quotquot estis Christi. Vox ejus illa est. *Sancti eritis, quoniam & ego Sanctus sum.* Vox ejus est illa. *Perfecti estote, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est* Vox ejus est illa. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Vox ejus est. *Qui non bajulat Crucem suam, & venit post me, non est me dignus.* Vox ejus est illa. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Ecce notas, ecce indolem ovium Christi, Interrogemus conscientias nostras: quomodo respondeamus Pastori nostro, quantùm progressi simus ambulantes post Pastorem nostrum, bajulantes Crucem nostram, abnegantes nosmetipsos propter ipsum? Heu quàm infelix est Pastor noster, quantam sterilitatem retributam à nobis habet, quàm nullam segetem bonam, præter lolium, lappas & zizania colligit, quàm nos non oves sequaces, & obedientes, sed

Levit. 19. 2. — 1. Pet: 1. 16 — Matt: 4. 48 — Ioan: 13. 15 — Luc: 14. 27 — Matt. 8. 7.

Mmmm hædos,

hædos, malèque olentes hircos experitur & queritur.

6. *Christus, Pater noster.* Illius hæc est professio: dicit enim. *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva.* Usque ad senectam ego ipse, *& usque ad canos ego portabo. Ego feci & ego feram, ego portabo & salvabo. Quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei.* Verè Deo nostro, Patrique nostro, nec Deus nec Pater similis est. Quis enim unquam Pater posteaquam genuit filium, nihilominùs eum in utero suo portavit? at quod est insolens hominibus, hoc quotidianum immo genuinum atque proprissimum est Deo Patri nostro. *Genus enim sumus ejus: & in ipso vivimus, movemur & sumus.* Et quidem non tantùm pusiones innocentuli, immaculati, ipsâ innocentiâ primævâ amabiles, & commendati, sed nos filii mali, nos generatio mala atque perversa, nos infideles filii, nos generatio prava & exasperans nos inveterati dierum malorum, nos in sanguinibus geniti, atque volutati, nos neque aquâ loti, neque circumcisi, nec oleo foti, nos filii prodigi, adulteri, spuria vitulamina, nos denique nihil filiorum (nisi fortè filiorum diaboli) habentes: nos tamen tales, portamur ab utero Patris nostri, cui quotidie dicere audemus. *Pater noster qui es in Cœlis.*

Isa: 46. 3. *Ibid. v. 9.* *Act. 17. 28 29.* *Matt: 6. 9.*

Heu me Deus meus, heu me Pater meus: ut quid me genuisti filium doloris tui & ignominiæ tuæ? Ergone ego filius, ego tuus dicar: à te habebor, à tuis visceribus portabor! Ego qui te Patrem, Nutritiumque & Bajulum meum, adeò amantem, diligentem, sedulum, indefessum, tantis affeci molestiis, tantis replevi contumeliis, tantis oneravi injuriis, tantis exasperavi iniquitatibus, tantis repuli contemptibus, tantis saturavi opprobriis, tantis concidi vulneribus, tantis affixi crucibus, tantis jugulavi mortibus.

Heu me Pater mi! ecquid ego in te Paternum unquam recognovi, quo ego te unquam Patrem filius sceleratus honore affeci? quibus ego tuis Paternis unquam mandatis obedivi? Ostendit & clamat hoc universa Passio tua, dura Crux tua, cruenta mors tua, quam ego egregius scilicet filius tuus, tibi Patri meo intuli; clamat inquam & ostentat, qualis ego, & quàm dignus te filius tuus.

Tu genitor meus; ego autem interfector tuus. Tu author vitæ meæ; ego author mortis tuæ. Tu salus mea; ego perditio tua. Tu me nutrivisti, omni nutritore fideliùs; ego nutrimentum tuum in venenum meum, in nauseam tuam converti. Tu dedisti mihi non partem, sed omnem substantiam tuam; ego prodigalissimus filius, prodegi omnem illam, vivendo luxuriosè. Tu ô benignissime gerule, gestabas me in ulnis tuis; ego autem petulantissimus pusio, ad usque sanguineum sudorem adegi te insolentiis meis. Tu super genua blandiebaris mihi: ego verò stolidissimus puer faciem tuam paternam, & unguibus laceravi, & palmis pugnisque cecidi, & insuper sputis conspurcavi. Tu me ad ubera applicabas, pectusculo tuo admovebas, brachiis tuis tibi adstringebas: ego verò insolentissimus puerorum, omni protervià excutiens teneros amplexus tuos, fodi & perfodi manus tuas, pedes tuos, latus tuum, laniavi pectus tuum, cruentavi vultum tuum, sauciavi caput tuum. Tu me magis tuis oculis, tuo corde magis, magis tua vitâ, amabas, & æstinabas; ego autem & insidiator, & proditor factus sum vitæ tuæ, factus sum parricida & Deicida tuus. Sic sic Tibi o Pater, ô amabilissimè Pater, bellè successit, omnis tua paterna circa me benignitas, sedulitas, dignatio, indulgentia, pietas. Neque tamen tu isto adeò infelici successu fractus, deseris circa me paternam suavitatem tuam. Sed usque in finem diligens me, inclinas caput & os tuum, porrigens mihi osculum, & veluti proloquens benedictionis & gratiarum actionis verbum, quòd me expertus sis adeò protervum, adeò refractarium, adeò truculentum. Vale (inquis) fili mi, cujus manibus & sceleribus occidor: an fortè quondam ingratitudinem tuam hanc mutabis in dilectionem: an fortè quondam pudebit te facinorosæ adeò impudentiæ tuæ: & eam convertes in ambitiosam benevolentiam atque pietatem; an fortè abhorrebis tam rabiosam crudelitatem tuam in me, eamque transformabis in germanè filialem charitatem tuam erga me.

Videte, ô universi filii hominum, immo verò, omnes Filii Dei, omnes filii hujus tam boni Patris; videte inquam, charitatem ejus, & impietatem vestram. Ille sic dilexit nos; at idem sic despectus est per nos. Ille sic omnis Optimi Parentis partes implevit; nos contra sic omnes improbissimorum filiorum partes superimplevimus, & superexcessimus.

Et quamdiu hoc erit? quamdiu sic certabimus impietate nostrâ cum ejus pietate? O tandem tandem, ab hac infatigabili

tigabili Patris nostri erga nos dilectione ac sedulitate, condiscamus invincibilem incessabilemque erga Patrem nostrum observantiam atque charitatem.

7. *Christus, Deus noster.* Isaias hoc testatur dicens. *Parvulus natus est nobis, & factus est Principatus ejus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, &c.* Hic Deus per omnia quidem & Deus, & magnus Deus, & admirabilis Deus est: at specialissimè talis est in opere Redemptionis nostræ. quod idem ille Propheta Isaias à longè quidem, attamen in spiritu Evangelico prospiciens simul & admirans, explicavit, hisce verbis: *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, stabit Dominus & irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum peregrinum est opus ejus ab eo.* Quid sibi vult ista loquendi ratio? Si suum opus, quomodo alienum ab eo? si opus suum? quomodo idem opus peregrinum ab eo? si faciet opus suum, quomodo alienum, quomodo peregrinum à se erit quod faciet? sed nimirum hæc est natura Redemptorii operis: ut & Dei sit, & alienum ab eo sit. Videamus hoc paucis.

Isa. 9. 6.

Isa. 28.

Proprium est Deo: amare seipsum amore sibi adæquato: alienum opus ab eo, sibimet ipsi quodammodo irasci; attamen in Redemptionis opere Deus adversùm semetipsum sustinuit contradictionem. & Pater Filium suum in pœnis peccatisque nostris dereliquit, percutiens eum propter scelera, te quidem vera nostra, ipsi tamen in pœnam imputata.

Proprium est Deo Patri, coæqualem habere Filium, cumque eo spirare coæqualem sibi Spiritum Sanctum, & dicere illi. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Alienum opus à Deo dicere, & re ipsâ facere, Debitor & reus meus es tu, hodie occidi te, propter scelus populi mei, & super te posui vindicaviq; iniquitates omnium.

Proprium est Deo: justum cum impio non perdere, multò minùs pro impio. *Sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur; Pater autē non portabit iniquitatem filii, &c.* Alienum opus à Deo pro impio punire Iustum, pro nequam servo tradere dilectum Filium, pro redimendo peccatore homine, occidere & innocentem, & Deum, & hoc factum videmus à Deo.

Ezech. 18.

Proprium Deo: gloriam suam alteri nemini dare, sed eam ut sibi per omnia debitam omnem exigere. Alienū à Deo, tradi ad illudendum, conspuendum, flagellandum, crucifigendum, occidendum. In opere Redemptionis hoc fecit Deus.

Proprium Deo, ut sit *in pace locus ejus,* ut beatus, felix, securus sit per omnia. Alienum, pavere, tœdere, contristari, mœstum esse usque ad mortem, agonisare usque ad sanhuineum sudorem, pati, deficere, languere, lacrymari, mori. Omnia hæc sunt opus Redemptionis.

Proprium Deo est, Dominum & Principem Regemque Regum esse, in sua ditione cuncta posita habere. Alienum ab ea est, in laboribus esse, à juventute sua: servire in peccatis alienis: induere formam servi usque ad mortem Crucis. Denique dicere & re ipsâ præstare. *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Opus Redemptionis tale est.

Psal. 72. 23.

Denique Proprium est Deo: nulli debere quidquam. Quis enim prior dedit illi, & restituetur ei? Alienum à Deo, esse debitorem, & quæ non rapuit, exsolvere nihilominus usque ad rigorem, ad novissimum quadrantem, ad infinitum insuper excessum. Hoc tamen in opere Redemptionis factum est.

Hæc omnia, similiaque opera fecit Deus: & fecit quasi iratus, & irascens. Simul tamen etiam miserans & ignoscens. Irascens peccatis eaq; vindicans. Ignoscens peccatoribus eosque salvans. Huic plusquam meritò occine anima mea. *Fortitudo mea, & laus mea, Dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus Patris mei, & exaltabo eum.*

Exod. 15 2.

Plures hujusmodi Patientis Christi titulos poterit quisque per se non difficulter reperire: & à nobis alio loco plures collecti, atq; aliquantulùm explanati sūt.

MODVS LVIII.

Quinquagesimus octavus modus meditandi Passionem Domini nostri esse potest; conferendo ea, quæ cū Christo, & à Christo gesta tolerataque sunt in Passione, cum his quæ in morte cujusque hominis (Iusti impiive proportionaliter) geruntur, ab eove tolerantur: ut ex his meditator, & condiscat negotium mortis, quàm arduum sit, simulque artem & modum mortis, quo idem negotium peragendum sit. Dabo ejus meditationis aliquod specimen, quod perficere pro suo arbitratu atque gustu cuique pronum erit.

Iesus ergo ante Passionem & mortem suam, lavit pedes discipulorum suorum. Homo quilibet Morti se vicinum sentiens, rationabiliter lavare debet, & quàm absolutissimâ Sacramentali confessione, pœnitentiâque expiare conscientiam suam. Memor illius, quòd sapientissimus Augustinus monuit tam verbo, quàm exemplo proprio. Quantumlibet perfectum sacerdotem, neminem debere sine pœnitentia, ex hac vita decedere.

Possidius in vita August. c. 31.

Iesus ante mortem admirabile Humilitatis, tum præceptum, tum exemplum edidit. Moriturus homo, quàm maximè sese ad mortem humilitate mentis, contritione cordis, contemptu mundi, vilipensione, & diffidentiâ sui demittere, & communire, & solidare debet.

Iesus moriturus Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, tanquam viatico extremo, sese pavit; & suos discipulos cōfortavit. Moriturus homo absque hujus sacratissimi viatici provisione eaque confortatione, item absque Sacræ, & ad mortis, & diaboli, tali maximè horâ sævientis insidiantisque luctam, extremæ simul ac utilissimæ unctionis munimine, progredi non debet.

Iesus moriturus gravissimis & suavissimis de Charitate unioneque cum Deo & proximo sermonibus, affectibus, ignibus, sese, omnesque præsentes suos, inflammavit. Et moriturus homo, omni quidem statui animæ suæ congruo affectuum & cogitationum genere, at potissimum Divinæ & proximorum Charitatis studiis, exercere atque saginare animam suam quàm maximè curabit. Nunc quidem corde contrito & humiliato universalem pro suis omnibus & singulis peccatis planctum indicendo. Nunc ignitos Charitatis affectus in Divinum cor de corde suo ejaculando. Nunc desideriis assiduis, è corporis vinculis, peccatorumque laqueis evolandi, ad Deum verò perveniendi, æstuando. Nunc sese plenissimâ suâ voluntate in omnem Dei circa se voluntatem, & ordinationem resignando. Nunc omnes ab aliis quibuscunque, quomodocunque, offensas oblatas, ex corde suo eliminando, in sanguine vulneribusque Christi sepeliendo, & propter Charitatem Dei medullitus condonando.

Iesus Passionis & Mortis suæ primordia ab Horto Getsemanico & Oliveti Monte, exorsus est. Nimirum peccatorum & mortis humanæ miseria calamitasque, in Paradiso horto inchoata, in loco vicissim initium remedii sumere debuit, ut inimicus noster, qui in horto vicerat, in horto quoque vinceretur. Sed & homines discere oportet, nusquam mortem non timere, nusquam non meditari, nusquam ob memoriam oculosque non habere, etiam in horto, etiam in Paradiso voluptatis, & in statu felicissimæ Dignitatis.

Iesus in Horto cœpit pavere, tædere, contristari, & mœstus esse. Ista est imago moribundorum Hominum in quovis statu degentium, & ad mortem pergentium: quis est enim, qui si sua mala ut par est nôrit, non repetat cum Sancto Job. *Tædet animâ meam vitæ meæ?* Quis mortalium præsertim amantium hanc vitam, & habentium pacem in substantia sua, est talis, qui ad nuntium mortis amaritudine non repleatur, non metu & mœrore concutiatur?

Iob: 10 Eccl: 4

Iesus initia Passionis Mortisque suæ oratione ad Patrem, avulsione à discipulis, solicitudine pro iisdem, & ad eosdem revisione, consecrat. Id ipsum præstandum mori piè & Christianè volentibus: avellant omnem animum, affectum, à rebus hujus sæculi, & curas suas ad æternitatem procurandâ transferant. Totos sese voluntati Divinæ, & orationi impendant, quæ verò muneris & obligationis ipsorum sunt, ita non omittant, ut etiam talibus licèt in horis suæ curæ commissos ad Deum ducere, ad meliora hortari, contra tentationes munire, non negligant: scientes nulli quàm obedientiæ actioni sanctiùs Dei servos & Christi imitatores immori posse.

Iesus ab Angelo confortatur. Inter morborum & mortis pericula laboresque maximè opus est Angelicâ custodiâ atque præsidio: tunc ergo maximè Sanctorum Angelorum emerenda præsidia, tunc exposcenda contra adversarias potestates eorundem auxilia.

Iesus Imagine & memoriâ Mortis dolorumque illius perculsus agonisat. Si tantus gigas tantùm horrore mortis, percellitur: quis miretur, percelli homines misellos & ipsâ fragilitate fragiliores? Magis mirandus plerorumque mortalium lapideus stupor, qui mortis memoriâ usque adeò non percelluntur, non ad meliora consilia, à pessimis profligatissimisque studiis, & moribus pertrahuntur, ut abjectum nescio quid & plebejum dictitent, ob metum ingruentis mortis, animo piè commoveri, agitare conversionis ac pœnitentiæ consilia, rationes cum con-

scientia & Deo in inire, æternæ damnationi remedium quærere, Deo reconciliari velle. O brutam generositatem! ò ipsis dæmonibus ridendam,an lugendam! animi, scilicet, firmitatem. O verè *cor impiorum indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.*

Job: 41. 15.

Iesus sanguinem sudat moriturus. O incredibiles morientium & agonisantium hominum angustias. Dominus Iesus, ipsa licèt Innocentia, atque Sanctitas, Deus licèt simulque Homo: licèt per sese robustissimus, licèt ab Angelo etiam confortatus, tamen appropinquans ad portas mortis, & in agone positus, sudat & sanguinem quidem sudat, præ cordis & sensûs totius angustia. Quid quæso hominibus miseris, fragilibus, flagitiorum conscijs, de salute periclitantibus, undique circumseptis, partim doloribus mortis, partim gemitibus inferni, partim angoribus conscientiæ, partim diabolicis tentationibus, partim Divini districtione Iudicii, quid inquam hominibus angustiarum in illa hora non accidit? Utinâ hoc præcogitent mortales morituri, moribundique homines.

Iesu agonisante dormiunt discipuli. Sic sic hominibus in morte positis accidit quotidie, agonisat ille vel ille, æternitatis vias ingreditur, morborum doloribus in mortem urgetur, interea verò domestici ejus de statu animæ morientis tam sollicitè agunt, quàm dormientes vigilantium curam gerunt. Et illi quidem corpori medelam provident, illi steriles fundunt lacrymas, illi ad spem propinquantis hæreditatis, in corde lætantes, ne tardè moriatur, nève convalescat moribundus, solicitudinem intra se gerunt: propinquam certamque mortem plerique dissimulant, nec tali nuntio infirmum scilicet percellere audent. *O inimici hominis domestici ejus.*

Matth: 10. 36.

Iesus osculo ad mortem traditur. Ita est: Amores nostri tyranni nostri, deliciæ nostræ venena nostaa: ibi maximè lethaliter vulneramur, ubi suavissimè deliciamur. Inde nobis laqueus mortis nectitur & injicitur: unde omnia secura, tuta, amica, blanda, salubria exspectabamus spondebamusque: quàm sæpè dum ludimus lædimur, dum maximè vitam nobis vivere ingredique medullas ejus videmur, ipsas mortis fauces nos subintrasse experimur. Denique omnes creaturæ, omnia bona hujus vitæ, quid sunt, quid agunt nobiscum, nisi nos Iudæ traditoris osculo osculantes, in mortis extremæ perniciem præcipitant. Osculatus est, gustavit pomum primus Adam, sed illo gustu & ipse mortem hausit, & toti generi suo, nobis scilicet omnibus propinavit, immo nos inebriavit. Discite homines inter blandimenta creaturarum à Christo dicere, & discernere, Amice ad quid venisti? Iuda osculo Filium hominis tradis? osculo homicidium perpetras?

Iesus capitur, ligatur, rd Iudices & examen trahitur. Iudicatur, damnatur, plectitur. Hæc tota gestorum circa Dominum nostrum series, imago, & idea est hominis morientis atque mortui. Etenim tunc miser homo funibus peccatorum suorum in anima constrictus, prætereaque morborum vinculis dolorumque in corpore ligatus, ab infernalibus lictoribus, tanquam à leonibus præparatis rugientibusque ad escam, ante tribunal Iudicis Dei sistitur. Ah quid non ibi objectant misellæ Animæ, amarissimi exprobratores, accusatoresque? O quomodo non facta infectaque, vera & falsa in medium proferunt? quomodo non omnia in majus augent? quomodo non desperationis laqueos nectunt? quomodo de conscientiæ libro depromunt? Nos audivimus, nos vidimus hunc dicentem, committentem, delinquentem. Heu quoties inclamant contra miserum hominem? Reus est mortis, reus est. Blasphemavit, Deum contempsit, Majestatem violavit, voluntatem transgressus est. Huic accusatorum furori, si merita mala Animæ, si æqua Iudicis sententia suffragatur: heu quomodo tunc exclamatur, quomodo insultatur, quomodo exspuitur in faciem, quomodo colaphisatur, palmis cæditur, & denique totâ æternitatis nocte plectitur torqueturque, Anima infelicissima!

Iesus flagellis cæditur, sive ut Pilatus ajebat corripitur & emendatur. Idè spinis coronatur, Miserrimus Rex dolorum illuditur. Hæc omnia & sunt hominibus documenta moriendi, & Paradigmata morientis. Quàm enim multiplex numerosusq; carnifex Conscientia? quâ innumeris succincta flagellis obstrictam Animam surdo quidem, at sævo verbere cædit? Omni cum veritate dicere potest. *Totâ die flagellatus sum, & castigatio mea in matutinis*, & in vespertinis, & in profundis usque noctibus. Iam quantæ spinæ, hujus vitæ curæ? quàm vacuæ & inanes arundines, hominum spes fallaces? Porrò quid melius consultiusque fecerit homo sanctè & piè moriendi cupidus, quàm

Ps. 72. 14

ut, dum tempus habet operetur bonum, & semetipsum judicet, corpus suum castiget, totum se in servitutem redigat, semetipsum coarctet, & constringat, viasque suas omnes spinis circumsepiat, ut non cum hoc mundo à Domino judicetur, damnetur, corripiatur. *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis.* (ad Heb. 10.)

Iesus ad Crucem postulatur, addicitur, eâdem oneratur, eidem affigitur, in eadem quantumvis acerbissimè linguis cōfigitur, acetoque potatur, constantissimè tamen & mansuetissimè perseverat. O Hominem ter felicem, cui hæc ad mortem panditur, paratur, donatur via! Crucis scilicet atque crucifixionis, & in Cruce constantissimæ mansuetissimæque fortitudinis, atque consummatæ mortis. Quid huic ad salutarem sanctamque mortem desit: qui ipsissima premit vestigia Domini Crucifixi? In Patientia vestra (ait Dominus) possidebitis Animas vestras. Igitur quisquis ad societatem sanctæ & beatæ Christi mortis anhelas, tolle Crucem post Iesum, mortificationem Iesu Christi in corpore tuo, magis autem in spiritu tuo circumfer. Sit tibi mundus crucifixus & tu vicissim mundo; absit tibi gloriari, in ullo alio bono, nisi in Cruce Domini Iesu Christi. Cui etiam configaris in eadem Cruce, & omne acetum tribulationum, omne fel amarissimarum linguarum, omnem myrrham detrectantis sensûs, ne refuge, sed exhauri, adeò avidus, ut etiam superabundante desiderio Crucis Domini, animosè clames, Sitio Sitio. Sitit enim sitiri Crucem suam, à servis suis Iesus Crucifixus.

Iesus in Cruce Patrem pro Crucifixoribus exorat. Paradisum latroni largitur. Matrem discipulo, discipulū Matri commendat. Suam & sitim non minùs Amoris, quàm Doloris & à Patre derelictionem manifestat. Omnia consummata esse in se, & à se, protestatur; denique Spiritum suum purissimum piissimumque, in manus Patris tradit, & dimittit, sed in Cruce, sed de Cruce. Et hic esse regulam ideamque Sanctæ & consummatæ in Domino mortis, evidentius est, quàm ut explicatione longiori egeat. Sancta mors usque adeò non fovet inimicitias, ut etiam pro inimicis in bonum eorum sit solicitissima, apud Deum Sancta mors, nihil sibi reliquum reservat, sed vel ipsa Paradisi bona, in egentes & petentes distribuit. Ad Sanctam mortem nullum tempus vitæ importunum est, dummodò, vel in extremo halitu Iesus crucifixus ametur, & crux ejus sincero corde acceptetur. Quid vero ad sanctam mortem tam requisitum, quàm Patrocinium & refugium Dei Matris? Quis sanctiùs atque securiùs mori potest, quàm cui Mater Maria, quàm qui Filius factus Mariæ eam, accipit in sua, & habet inter bona hæreditaria sua. Semper quidem esuries ac sitis Iustitiæ, beatitudinem parit, at eam vel maximè appropinquante fine nostro, in cordibus nostris excrescere convenit. Voluntas enim nostra bona non secundùm quod non habet, sed secundùm quod habet, id est, perficere exoptat, accepta est, & præmium habet apud Deum. Jam verò semper quidem nos habitare in adjutorio Altissimi, & commorari in protectione Dei Cœli, necesse est; at verò circa terminos vitæ, confiniaque mortis quàm maximè, quàm obstinatissimè: tunc enim si quando insidiatur draco, circuit rugiens leo, devorandi avidus, sciens quia modicum tempus habet. Dum ergo tempus breve est, dum particula boni diei elabi festinat: sub umbrâ alarum Domini confugiendum, dicendumque Deo est. *Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum, Libera me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* (Psal. 9[illegible]; Eccl. [illegible]) Et usque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me.

Atque hoc etiam diligenter procurandum est, ut à negotio temporeque mortis inveniatur in nobis non consummata, sed consumpta omnis malitia, virtus autem & omnis bona operatio non consumpta, non etiam inchoata solùm, sed consummata, sed perfecta, sed omnibus numeris absoluta. Ut non sit necesse dicere. *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Sed potiùs dicendum sit de nobis, *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Alioqui væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis.* (Iob. 5.; Matt. 13) Optimum autem & planè beatum est: quando *quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* (Iob. 1[illegible])

Denique quis potius magis securus, quæ statio magis fida? quam in manus Æterni Dei, Æterni Patris commendare, & tradere Spiritum? sed Spiritum Christi, Spiritum simillimum Spiritui Christi, Spiritum purificatum, vestitum, ornatum, dotatum, & gratiis, & meritis, & prærogativis, Spiritûs Christi, ipso demum Spiritu Christi. Sicut enim *qui Spiritum*

ritum Christi non habet, hic non est ejus, neque Patris ejus; ita vicissim qui Spiritum Christi habet, in cujus corde *diffusa est Charitas Christi per Spiritum Sanctum* Christi, hic est omnino ejus, & Patris ejus, & Spiritûs Sancti ejus.

ad Rom. 8. 9.

MODVS LIX.

QUinquagesimus nonus Modus Domini Passionem meditandi esse potest, per collationem quandam Nativitatis Christi, cum Passione ejusdem vel potiùs nati & Infantuli Christi, cum illo ipso patiente, crucifixo.

Derivo Modum istum devotissimæ teneritudinis, tenerrimæque devotionis plenum, ex Beata Brigida: quæ in suis revelationibus affirmat modum hunc, Beatissimæ Dei nostri Matri fuisse usitatum jam tunc, quando adhuc recens nati Filii sui tenella membra fovebat, fasciisque alligabat, & lacte virgineo nutriebat. Verba Sanctæ Brigidæ sunt hæc.

» Verissimè credendum est, quod *Quando Virgo Dei Filium* (postquam eum peperit) primò suis manibus tractare cœpit, subitò ejus menti occurrit, qualiter ipse Prophetarum Scripturas adimplere debebat: *quando autem* ipsum pannis involvebat, tunc in corde suo considerabat, quàm acutis flagris, totum ipsius corpus lacerandum erat. *Recolligens* quoque Virgo sui Filii parvuli manus & pedes, leniter in fascia, recordabatur, quàm duriter ferreis clavis debebant perforari in Cruce.

» Aspiciens faciem ejusdem Filii sui speciosi formâ præ filiis hominum, meditabatur quàm irreverenter ipsam, impiorum labia sputo debebant maculare. *Revolvebat* etiam sæpius in animo, quantis opprobriis, & contumeliis, ejus benedictæ aures replerentur. *Modò* considerans qualiter ipsius oculi, ex proprii cruoris influxu caligarent. *Modò* qualiter ipsius ori fel aceto admistum infunderetur. *Modò* ad mentem reducens, qualiter ipsius brachia funibus ligari oportebat, nervi etiam, & venæ, omnes compagines, quomodo in Cruce immisericorditer debebant extendi, præcordia ejus in ipsa morte contrahi, totumque ipsius corpus gloriosum, qualiter intus, & foris, omni amaritudine, & angustia, usque ad mortem oportebat cruciari. Sciebat enim Virgo, quòd exhalato in Cruce Spiritu, ipsius Filii latus lancea acutissima perforaret, & ipsius cor per medium transfigeret. Unde sicut omnium matrum erat lætissima, quando Dei Filium jam de se natum videbat; ita etiam omnium matrum erat mœstissima ex ipsius amarissimæ Passionis præscientia.]

Usque huc verba sunt Sanctæ Brigidæ, ex quibus verbis (ut alia quæ possent utiliter deduci omittam) derivo Modum Passionem Christi Domini meditandi, eum omnino ipsum, quem hæc Sancta affirmat, fuisse usitatum Beatissimæ Matri jam inde à tempore nati in mundũ Christi. Potest enim quisque hoc ipso modo, tenellum Christum atque Infantem velutî contemplans, ex ordine, tam exteriora corporis, quàm interiora Animæ, atque Personæ illius, eademque insimul in adulto jam & Patiente, & Crucifixo inspiciens, uberrimam eamque suavissimam tenerrimorum affectuum, ac simul documentorum materiem & farraginem sibi desumere, animamque suam utilissimè occupando pascere. Quod ipsum potest quisque facere contuendo Christum jam Adultum, jam speciosum formâ præ filiis hominum, jam apud omnes ob verba gratiæ procedentia ex ore ejus admirabilem, jam miraculis coruscantem, jam turbas auditorum post se trahentem, simul etiam contemplari agonisantem in horto, traditum à discipulo, captum à turbis, derelictum à suis, de doctrina, & discipulis examinatum, reum mortis judicatum, gentibus traditum, consputum, flagellatum, illusum, morti crucis addictum, crucifixum, denique & in Cruce mortuum. Insuper id ipsum quisque præstare potest, si Christum Dominum ex una parte ab Horto Olivetano ad usque sepulchrum in altero horto, circumducat meditatione; ex altera autem parte eundem ipsi sibi ut Patienti, seu Passo talia, comparet & componat Gloriosum, Regnantem, Beatum, Triumphantemque in cœlis. Ita ut illum cogitet quis, hic quidem in terra supplicem Patri, prostratum in faciem suam, agonisantem, & præ agonia sudore sanguineo madentem, animæ tristitiâ ad mortè usque pressum, timentem, tœdentem; at verò, nunc in Cœlo jam in dextera Patris considentem, Angelos lætificantem, totique Cœlo cælestes delicias, divitias, & glorias ministrantem. Pari ratione, licebit Christum contemplari; hic quidem à Iuda proditum osculo proditorio,

vide suprà Modum 26. 35. 54.

torio, captum à nefariis lictoribus, absq; omni reverentia raptatum & tractum, ad subsellia Annæ, Caiphæ, colaphis alapisque cæsum, velatum oculis, consputum in facie, blasphematum multis modis blasphemiæ, & simul mortis reum pronuntiatum, negatum à Petro, totâque illâ nocte pessime habitum. Eundem è contra nunc Dominum universorum, Dominum compeditos solventem, Dominum gloriæ, ab Angelorum plus quàm duodecim legionibus honoratum, toto Cœlesti Regno beatum, & gloriosum. Oculis suis universam Aulam Regiamque Cœlorum collustrantem, & lætificantem, & talem omnino in quem desiderant perenniter Angeli, & Homines beati prospicere, ducentem suos omnes, ad vitæ fontes aquarum, præcinctum quoque & ministrantem amicis suis, & universæ Ecclesiæ Beatorum. Licebit quoque, illum Christū, qui stetit coram Pilato, & Herode, reus, accusatus, contemptus, & despectus, illusus, & irrisus, nudus, & flagellatus, coronatus spinis, & consputus in facie, atque cæsus, & arundine percussus caput, vestemque coccineam circumamictus, contemplari nunc in Cœlo, vivorum & mortuorum Iudicem, omneque judicium in manu habentem, atque adeò exercentem, coram quo curvantur omnes qui portant orbem, cui flectitur & curvatur omne genu, cui scabellum sunt pedum suorum omnes inimici ejus terram lingentes; qui gloriâ & honore coronatus est æternaliter, qui in capite suo habet diademata multa, & in fæmore suo habet scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, quem viginti quatuor seniores adorant prostrati in facies suas, & coronas capitibus suis detractas, sub pedes ejus prosternunt. Licebit quoque contemplari Christum in terris quidem Barabbæ compositum & postpositum, ad Crucem universi populi suffragio postulatum, Pilati decreto addictum, Cruce onustum, incedentem ad supplicii locum, felle & aceto tractatum, nudum, crucifixum, de Cruce pendulum, inter latrones medium constitutum, mordacissimè derisum & illusum, ab universa creatura plāctum & defletum, inter extremos cruciatus mortis, pro hostibus Patri supplicem, Spiritum Patri commendantem & tradentem, atque demum mortuum; eundem verò in cælis super Angelorum omnes ordines evectum, & excelsiorem cœlis factum, Primogenitum omnis creaturæ, ejusdemque Factorem & Dominum pronuntiatum, Mediatorem Dei, & Hominum, Cælestibus terrena, Angelis Homines consociantem, & utraque unum facientem, cœlis terrisque jura dicentem, & quæ in Cœlis, & quæ in terris, & quæ in inferis gubernantem, Electorum Dei, redemptorumque suorum salutem efficaciter, potenter, suaviterque procurantem. Ecclesiæ militanti æque ac triumphanti Dominantem, vitamque æternam tam Gratiæ, quàm Gloriæ subministrantem. Vitæ & Mortis, Cœlorum & inferorum clavem habentem. Denique cum Patre Æterno, & cum Spiritu Sancto, unum in Trinitate, Trinum in unitate Deum, Solum, Potentem, Beatum, Immortalem, Invisibilem, Æternum, Sanctum, Gloriosum in sæcula sæculorum.

Ex his porrò collationibus licebit unicuiq; devoto meditanti procedere nunc in affectus indicibilis compassionis, commiserationisque; nunc in contritionis, erubescentiæ, doloris, nunc in admirationis, gratiarum actionis, humiliationis, nunc in desiderii, amoris, imitationis, nunc verò in exultationis, & lætitiæ, in honoris & reverentiæ, in gratulationis & gaudii, in dilectionis & desiderii, in spei & fiduciæ, in resignationis & subjectionis. In unionis & transformationis &c. &c. prout Spiritus Sanctus dare voluerit affici unicuique, & prout vasa idonea invenerit, unctioneque suâ docuerit.

MODVS LX.

Sexagesimus Modus Passionem Domini Nostri meditandi esse potest; assumere & attendere Passionis Christi vel omnes, vel complures, vel aliquas, & nunc has, nunc illas partes, itemque ipsius Domini aut vulnera, aut opprobria, aut dolores, aut virtutes, aut opera; tanquam loquentia, immo (ut scriptura loqui solet) clamantia, sive ad Patrem Æternum, sive ad Peccatores, pro quibus patitur; sive ad hostes à quibus cruciatur; sive ad Animas fideles, & pias, quæ ipsi placere, & assimilari desiderant. Si enim sanguis Abel, si peccata Sodomorum, si Moysis silentium, si merces operariis dilata, clamare ad Deum, & in Cælum possunt; quidni etiam ærumnæ, dolores, contumeliæ, vulnera Christi Domini

mini clament ad Patrem Æternum, ut misericors & placatus fiat generi humano: ad peccatores, ut omnes ubique pœnitentiam agant, neque tantam negligant salutem: ad crucifixores occisoresque suos, illud quod est in Propheta. [*Si affiget homo Deum, quia vos configitis me, vos maledicti estis, & vos me configitis, gens tota.* Et. *Quia videbunt olim, in quem transfixerunt.* Et. *Quia videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli, tum virtute & potestate magna.* Et quia: *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid demum fiet?* Ad pias & fideles Animas, ut obligationem suam agnoscant, ut diligant sicut & dilectæ sunt &c. Ad omnes denique vel homines vel etiam creaturas illud Prophetæ. *O vos omnes, qui transitis per viam,* (hujus vitæ) *attendite, si est dolor, sicut dolor meus:* aut illud: *Quid potui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* aut illud. *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi.* Empti estis non auro, nec argento, neque corruptibilibus, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati IESU Christi. Illustrabit hunc meditandi modum Beatus Chrysologus verbis suis, disputans de Lazaro ulceribus pleno, ante januam epulonis divitis jacente, & micas panis medicante. Verba Sancti hæc sunt. [Deus, quia obturatis

Zach: 3. 8

Mich. 6. 3.

A auribus, clamor unius oris nihil erat clamantis ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite, tot essent Pauperis ora, quot vulnera, solvuntur viscera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, sanies effunditur, & tota Pauperis caro componitur in scenam pietatis, ut quem vox esurientis non moverat, vel suspiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret; sed dives superbo oculo, & insatiabili corde, hæc omnia & audire, & videre, & sentire contemnit.] Hic apparatus Divinus per Lazarum ulcerosum ad Epulonem immisericordem expugnandum, potest procul dubio commodissimè parodicè accommodari ad Christi Domini sive tormenta, sive opprobria, sive vulnera, sive mortem, sive instrumenta Passionis, quibus omnibus Dominus noster satagat expugnare animum, tum Æterni Patris, tum corda peccatorum, tum odia inimicorum, tum amantium in amando & compatiendo, & imitando teporem, tum hominum ingratitudinem, sterilitatem, oblivionem. Quæ tamen omnia utinam homines passim audire, videre, sentire, non contemnant!

Chrysolog serm: 121.

B

C

MODVS LXI.

SExagesimus Primus meditandæ Passionis Dominicæ Modus esse potest, colligere atque expendere eorũ animalium proprietates, quibus Christus Dominus, præsertim Passus ac Mortuus comparatur in Sacris litteris, ita ut proprietatibus illorum explicetur exprimaturque, tam ipsa Christi Passio, quàm virtutes ab eo exercitæ in Passione. Complura sunt ejusmodi; hîc satis erit pauca attulisse.

1\. Dicitur ergo Christus, Ovis: quæ est pecus lanigera, admodumque mansueta, lana, & pelle homines vestiens, carne verò pascens, lædere nescia, ejus in sacrificiis divinis plurimis erat usus, præcipuè ad pacem hominis cum Deo faciendam, itemque ad purificationem partûs: propter hæc omnia Ovis passim in scriptura typum Christi gerebat. Oblatus est enim Dominus noster, & ductus velut Ovis ad occisionem, coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, ad omnes injurias & plagas, & ad ipsam mortem. Ut Ovis facile absque ulla repugnantia tradit

Is. 53. 7.

accipienti quidquid habet, ita Christus totum se, omniaque sua, etiam Animam ipsam tradidit, & nobis, & pro nobis: Vestivit nos meritis suis, cibavit carne suâ, lavit & purificavit in sanguine suo. Denique vult omnes nos esse velut oves, in hac quidem vita, occisionis & abnegationis, patientiæ, humilitatis & mansuetudinis, obedientiæ, & mutuæ dilectionis. In altera autem illa vita futura, Oves electionis, ab hædis separatas, à dextris judicantis collocatas.

D

2\. Dicitur quoque Christus, Agnus; eâdem ferme, quâ & Ovis similitudine atque proportione: specialiter Agnus tener est, & ferè anniculus, sine macula, qualis est Christus, qui tollit peccatum, non suum, quo prorsus immunis fuit, sed mundi, pro quo oblatus est velut Agnus mansuetus. Eum figurârunt duo Agni, unus in holocaustum, alter pro peccato offerri solitus. Item alii duo Agni quotidie offerendi, unus manè, alter vespere, Christum significabant, venturum primo adventu ad redimendum, altero ad judicandum

Ier: 11. 19.

Levit: 14. 10

candum genus humanum. Agno mansuetius nihil, nihil obsequentiùs; injurias non novit, nedum ulciscatur. Et Christo, quis in his conditionibus præstantior? factus obediens Patri usque ad mortem Crucis; cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem se omni percutienti injustè, pro transgressoribus omnem malitiæ modum in sui nece excedentibus oravit &c. Ad extremum, Agnus Paschalis assus voratus cum festinatione, cum lactucis agrestibus, instar eorum qui sunt viæ accincti, cujus sanguine postes ostiorum inuncti, arcent interfectorem primogenitorum Ægypti; in quo os non comminuitur, neque quidquam crudum comeditur, aut usque manè relinquitur, manifestè Christum ab universo populo ad Crucem postulatum, & in Cruce suspensum designat.

3. Dicitur præterea Christus, Columba: quæ felle amara non est; neque morsu, neque unguibus sævit, humana consortia & hospitia diligit. Mundum animal, perspicax, & insidiantes accipitres observans super aquas, atque effugiens, immunda loca abhorrens. Hæc attulit Noëmo, rediens ad arcam sub vesperam, ramum olivæ ore portans: his omnibus Christum designans, pacificatorem, & misericordiæ Paternæ, ad nos aquis diluvioque peccatorum destinatos, ramum deferentem. Hæc nostra Columba volat altissimè, propter divinam sapientiam, atque sanctissimam doctrinam; gemitum habet pro cantu: quia Prædicatio, vita, Passioque & Mors ejus ad pœnitentiam vocat, à pœnitentia incipit, in fructibus dignis pœnitentiæ perficitur. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Dei. Nisi Pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.* Columba in foraminibus petræ, & in cavernis maceriæ, est Christus ex Divinitate & Humanitate compositus. Columba in altissimis nidificans & gemens, est Christus in Cruce pro nobis Patiens, Plorans, satisfaciens.

Matt: 4.17
Luc: 13.5.

4. Dicitur adhuc Christus, Turtur: unde orat: *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi*, juxta 70. quod Hieronymus vertit: Ne tradas bestiis Animam erudientem lege tuâ.] qui est Christus, qui à Deo venit Magister, ut dixit Nicodemus alii autem vertunt. *Ne des congregationi inimicorum, Animam Turturis tuæ.* Hæc Turtur est Christus supplicans Patri in Horto, & in Cruce. Turtur est amica solitudinis: & Christus in desertum ductus est a Spiritu Sancto, eratque cum bestiis, & mansit in

Ps. 73.19.

A desertis locis, & ascendebat in montem solus orare, & dicebat discipulis, Venite seorsum & requiescite pusillum. Turtur invenit nidum sibi, ubi reponat pullos suos; Christus in Cruce fixus est, in qua omnes redemit, & quasi in nidulo eos parturiens reposuit. Turtur offertur in Sacrificiũ, Christus oblatus pro salute nostra. Turtur castissima volucrum est; & nos Apostolus despondit uni viro virginem castam exhibere Christo. Turtur Christus, ex quo exivit à Patre, & venit in mundum, nulli unquam viridi ramo felicitatis humanæ insedit, sed in laboribus & ærumnis ab adolescentia sua, immo ab B infantia usque in totam vitam vixit.

Levit: 1

5. Dicitur insuper Christus, Passer: qui invenit domum sibi, scilicet Christus Ecclesiam condidit. Duo Passeres pro emũdatione leprosi offerebantur: significabantque Christi, vel Corpus & Animam, vel Divinitatem cum Humanitate. Passer vivus dimittebatur: nã Divinitas Christi nihil passa est; aut certè Anima, quæ cùm sit immortalis extincta in Passione nõ est, sed in manus Patris tradita est, à moriente Christo. Unus ex Passeribus offerebatur in vase fictili super aquas viventes: Christus enim in Corpore nostro de C terra formato immolatus, passus, mortuusque est, factus ex muliere, factus sub lege, idque super aquas viventes Misericordiæ, & Charitatis, in cujus signum exivit de latere Christi sanguis & aqua: sanguis quidem, quia Iustitiæ Dei satisfaciebat: Aqua autem, quia nos à peccatis nostris, gratiâ & miseratione suâ lavabat. Passerculus noster Christus transmigravit in montem, quia de synagoga, quæ alioqui erat domus ejus, avolavit, & sese ad Ecclesiam Gentium transtulit. Idem est Passer solitarius in Tecto: quia solus in Cruce & Passione, & Redemptionis D opere; torcular enim (ait) calcavi solus, & de gentibus non erat vir mecum: Denique, Passeris nostri Anima erepta est de laqueo venantium. Venit enim Princeps hujus Mundi, & in me (ait Christus) non habet quidquam. Idem dicit. Quis ex vobis arguet me de peccato? Quid me tentatis hypocritæ? & postremò ait. Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum, & inclinato capite emisit Spiritum.

Psal: …
Levit: …
Psal: …

6. Dicitur etiam Christus, vitulus saginatus; quem Pater Clementissimus filio prodigo revertenti ad se, jussit adduci, & occidi, conviviumque ex eo apparari. Verè saginatus vitulus Christus, in eo enim

Luc: …

enim inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Verè saginatus, quia plenus gratiâ & veritate. Verè saginatus, quia de plenitudine ejus accepimus omnes nos. Idem est vitulus immaculatus, quia Christus peccatum non fecit, & in Cruce inimicos nostros ventilavit & expugnavit. Idem est vitulus de Bobus ortus, quia scilicet ex Patriarchis originem duxit. Idem est vitulus nesciens jugum, peccati scilicet proprii, & quia omnia data ei in manus: & quia data est ei omnis potestas in Cælo & terra. Propterea Christus est vitulus novellus, cornua producens & ungulas, in vita quàm vixit à Nativitate, usque ad Baptismum Ioannis. Vitulus tenerrimus de armento, prædicans jam Evangelium Regni, & Ecclesiam fundans, per doctrinam, virtutumque & miraculorum opera. Est etiam vitulus saginatus atque adeò immolatus in sacrificium pro peccatis nostris, nō pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Hujus ad instar, nos quoquè debemus esse vituli novelli, per opportunam conversionem ad Deum, condignosque conversione hac effectus. Vituli de armento esse debemus, per Profectum in obsequio Dei, ut procedamus de virtute in virtutem. Denique vituli saginati esse tenemur, per consummatam virtutem, completamque pro statu hujus vitæ perfectionem, Charitatis in Deum & Proximum plenitudinem, atque pinguedinem. Atque hos vitulos immolare debemus Deo nostro, superque altare ejus imponere, ut dicitur Psal: 50. Ad extremum Dominus Iesus noster vitulus est, *qui immolatur coram Domino. & sanguis ejus funditur per altaris circuitum, & pelle detractâ in frusta concidi ur, & super altare membra ejus componuntur, atque supposito igne comburuntur in holocaustum, & suavem odorem Domino; qui autē offert eum Domino. ponit manum suam super caput ejus, ut sit placabilis atque in expiationem ejus proficiens.* Hæc enim omnia pœnè ad literam in Domino nostro per Passionem ejus cōpleta sunt. Certè ita Caro ejus conscissa fuit, ut detracta pellis videri, membraque ad invicem divulsa conspici, ossaque dinumerari omnia possent; cujus Capiti omnes manum imposuimus, qui morti illius omnes per nostra peccata causam dedimus. Hæc hostia igne odii hostilis, magis autem incendio propriæ suæ, ejusque nimiæ erga nos charitatis supposito, absumpta est: nobisque placatum Patrem reddidit, & in expiationem nostram profecit.

Lepit: 1. 5.

A Dicitur quoque Christus, vermis. Ita enim de ipso in Persona ipsius Propheta loquitur. *Ego autem sum vermis & non homo.* Vermis est enim Christus, propter nascendi similitudinem ex intacta virgine, sine ullius consortio. Unde etiam dicitur vermis, & non homo; quia etsi quantum ad Matrem homo sit, quantum ad Patrem tamen, homo non est. Vel certè dicitur non homo, propter negationem veteris hominis, qualis non fuit Christus homo; siquidem fuit novus homo. Quāquam autem Dominus Iesus per totam vitam suam quasi vermis fuit contemptibilis valde, & cujus rationem ac pretium B vix aliquis unquam habuerit; maximè tamen in Passione sua vermis esse visus est, & vermis conditionem habuisse. An non velut vermiculus per terram serpebat, quando non positis tantùm genibus, sed etiam in faciem suam prostratus, Æterno Patri humillimè supplicabat? An non vermis instar fuit, quando captus à lictoribus & ministris, ligatusque funibus & catenis per terram ab horto usque ad urbem, usque ad Palatia Annæ & Caiphæ tractus raptatusque est? An non vermis fuit, quando per vias Ierusalem à C Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab hoc rursum ad Pilatum, non tam incessit, quàm repsit, & violenter raptus tractusque est? Non fuit vermis, quando flagellatione immani contritus est? Non vermis quoque fuit, quando illusoriâ simulque dolorosâ coronâ, purpurâ, arundineo sceptro, adoratione scurrili, totus ab homine demutatus, ipsi etiam Pilato visus est, adeò ut eum populo ostentandum, &, *Ecce Homo*, quasi minimè Homo esset, appellandum duxerit? Nonne tanquam vermis reptavit cum pondere Crucis in Montem Calvarium? Non vermis fuit quando Cruci admensus, & D illi affixus est? Non vermis instar in Cruce suspensus, & veluti serpens Mosaicus elevatus est? Christus fuit ille tenerrimus ligni vermiculus, qui sexcentos interfecit impetu uno: quia omnes hostes Patris & suos & nostros debellavit. Christus fuit ille vermis, qui Ionæ umbram, legem scilicet Mosaicam veterem, umbram legis novæ destruxit. Christus fuit vermis Iacob, specie quidem apud omnes contemptibilis, sed virtute & potentiâ admirabilis: qui universam terram repleverit doctrinâ suâ. Christus fuit vermis de Manna genitus; vel quia ex virgine, vel quia ex synagoga natus est. Denique Christus vermis fuit, quia sicut

Psal. 21.

contritionem vermis nemo metuit, nemo sentit, nemo dolet, nemo advertit, nemo vindicat; ita Christus apud suos hostes, & Crucifixores, usque adeò nihil fuit, ut morte ejus nemo commoveretur, nemo eam sentiret, nemo ejus damno & amissione tristaretur, sed potiùs exultârunt omnes in scelere suo, & in contritione Christi, perinde ac si deinceps nullus superfuturus esset mortis ejus, vel sensus, vel luctus, vel ultor, vel memor. Unde dicebant, Eradamus eum de terra viventium. Nomen ejus non memoretur ampliùs: confidit in Deo, liberet nunc si vult eum. Attamen secus omnino cecidit Iudæis quàm putabant, vel volebant, B Christus enim vermis factus est, & remansit Iudæis usque in hodiernam diem: qui vermis eorum non morietur unquam, qui vermis usque hodie conscientias eorum rodit & torquet, & torquebit in æternũ. Quid illud fuit, quòd Iudæi sequenti mane post necem Christi adierunt Pilatum petentes, ut juberet custodiri sepulchrũ? quid est illud, quòd dicebant, Domine recordati sumus quia seductor ille &c. Quid est, quod signaverunt lapidem monumenti, cum custodibus? Nonne jam tunc mordebit eos vermis Christus?

Sed de his nunc satis; plura ejusmodi Christi Passionis symbola, promptum est ex sacris literis derivare: ista in specimen adduxisse sufficiet.

MODVS LXII.

SExagesimus secundus Modus meditandi Passionem Domini esse potest, expendere ea nomina, quibus sacra scriptura Hostes & Interfectores Domini nostri appellavit, ideo ut illorum malitiam, odium, iram, furorem, sævitiem, implacabilitatem, hostilitatemque explicans, Passionis simul Dominicæ acerbitatem nobis explicaret: propter hoc enim hostes Christi vocat Leones, Tauros, Lupos, Canes, Serpentes, Aspides, Tygrides, Agros, Unicornes, Ursos, Dracones, Herodios &c. Ut harum bestiarum conditionibus, enormem rabiem hostium Christi in persequendo, & affligendo Christo designaret; simulque incogitabilem dolorum Christi vehementiam ob oculos nostros aliquo modo poneret.

1. *Psal. 21. 14.* *Ier. 51. 38.* Vocantur ergo Christi Domini Hostes, Leones & Catuli Leonum rugientes & rapientes prædam. Sic Leo rugiens adversùs Christum fuit Caiphas; & Leones, Principes Sacerdotum alii, Scribæ quoque & Pharisæi, sicut Ministri & plebes, catuli leonum. Omnes isti dederunt rugitum contra Christum, sive clamantes, Reus est mortis, sive, Crucifige, crucifige, tolle, tolle, nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Leo quoque rugiens fuit Pilatus dicens Christo; nescis quia potestatem habeo crucifigere, & potestatem habeo dimittere te? Idem Leo fuit, & quasi Leo rugiit, quando IESUM flagellis cæsum, tradidit potestati & voluntati Iudæorum ut crucifigeretur. Catuli Leonum rugiebant & rapiebant illi, qui in Horto interrogati, *quem quæritis*, responderunt iteratò JESUM NAZARENUM, JESUM NAZARENUM, ad quem capiendum, & vinciendum venerant cũ gladiis, & fustibus, cum facibus & lucernis, tanquam latro aliquis insignis esset comprehendendus. Omnes isti quasi Leo vastator in sylva, rugierunt, & vocem C contra Christum dederunt, eumque, quãtùm in ipsis erat, dentibus & unguibus furoris odiique sui dilaniârunt.

2. *Psal. 21.* *Psal. 67.* *Ier. 50.* Vocantur adhuc Christi inimici, Tauri Pingues & Vituli multi, qui circumdederunt, & obsederunt Chriistum. Ut ipse ait in Psalmo 21. De quibus etiam dicitur, *Effusi estis quasi vitulus super herbam, & mugistis quasi Tauri.* Quantùm enim in Iudæis omnibus, eorumque præsertim senioribus fuit, ii Christum depascere conati sunt, quomodo Boves Vitulique herbam ad ipsam usque radicem depasci solent. Et partim consiliis privatis, partim calumniis convitiisque & opprobriis publicis clamorosisque, mugierunt tanquam D Tauri, quando surgens omnis multitudo eorum, condemnaverunt Christum esse reum mortis, quando quærebant falsum testimonium contra IESUM, quando stabant constanter accusantes Christum coram Pilato, & Herode, quando persuaserunt plebi, ut magis peterent dimitti sibi Barabbam, IESUM verò perderènt. O quãtus mugitus! quàm taurea & belluina fuit vox illa omnium, Sanguis ejus super nos, & super filios nostros? Christo autem ad locum supplicii cum Cruce procedente, insultatorii & exultativi de ejus tandem obtenta ad Crucem damnatione, clamores, &

res, & cachinni, atque mutuæ adgratulationes, nonne Taurorum mugitus fuere? Jam verò de Cruce suspenso Domino, atque sublevato in altum, cùm Iudæorum tam Principes, quàm plebes, unà cum militibus circumstantes, & circumeuntes Crucem, capitaque agitantes, & Dominum blasphemantes: quid aliud vel fuerunt, vel egerunt, quàm Tauri pingues Christum obsederunt, & mugierunt; & veluti in baratrum miseriæ perditionisque abominandæ, cornibus odiorum suorum ventilatum dejecerunt, & demerserunt, ungulisque contritum perdiderunt & deleverunt.

3. Vocantur etiam Inimici Domini Nostri, Lupi rapaces, voraces, insatiabiles, imò velociores lupis vespertinis, ad prædam erumpentes, post famem totâ die in latibulis suis toleratam, quâ ferocissimi effecti sint. Sic enim Iudæorum Principes fatigati desiderio necis Christi, cùm capere in sermone, & aliquid in quo accusarent eum, habere non possent, tandē sanguinem ejus à discipulo ejus mercati sunt: tandem per nocturnas insidias violenter eum captivârunt, tandem uno verbo, jugulum ejus petierunt, reum mortis veluti blasphæmum in Deum, veluti seditiosum, & ambitiosum, veluti Cæsaris hostem, & potestatis eversorem, rebellemque pronuntiârunt, neque destiterunt, donec sanguine illius pasti planè & inebriati sunt usque ad mortem. Et tamen Lupi cùm essent cruentissimi, in vestimentis ovium procedebant contra Dominum: nunc eum de doctrina & discipulis examinantes, nunc per Deum vivū adjurantes, atque veluti auditâ immani blasphemiâ ex ore illius, præ dolore Divini Numinis læsi, vestimenta sua scindentes, nunc in domum Gentilis Pilati intrare abstinentes, ne contaminarentur, sed mundi & innocentes manducarent Pascha: Nunc affirmantes sibi non licere interficere quenquam: Nunc legem sibi esse, secundùm quam deberet Christus emori, quia se Filium Dei fecit allegantes. Nunc honorem Potestatemque Cæsaris læsam à Christo zelantes, & nece illius sancientes: sub his ovillis pellibus nefarii lupi intrinsecùs rapacissimi, & sanguinis innocentis cupidissimi, lanienam suam insatiabilem composuerunt, & occultârunt: attamen re ipsâ, plus quàm lupinâ ferocitate bestialitateque perfecerunt. Lupos ferunt consectari vestigia Leonum prædantium, & quæ Leones dimiserint diripere atque absumere.

Luc. 1. 8
Soph. 3. 3.

A Fecerunt hoc ipsum Iudæi, quæ Leoni Herodi, Leoni Pilato, catulis Leonum militibus, de Christi laniena & persecutione superfuerunt, hæc Iudæi consectati sunt. Neque tantùm consectati, sed ipsos etiam Leones illos contra Christū sævire coëgerunt: quin etiam plus illis sævierunt. Nam Christum ad Crucem postulârunt apud Pilatum, judicante illo dimitti. Eundem Christum ab Herode damnari urserunt, à quo tamen nihil dignū morte tactum est illi. Pilatus Barabbam occidi, Christum dimitti voluit; Iudæi contra persuaserunt, homicidam seditiosumque dimitti, Christum autem occidi. B Pilatus lavit aquâ manus dicens, Innocens ego à sanguine justi hujus: at omnis multitudo Iudæorum exclamavit; sanguis ejus super nos & super filios nostros. Milites, Christo Crucifixo, nihil ampliùs in eum sævierunt, quin & mortuo crura non fregerunt, & Pilatus Corpus Sepulturæ donavit: at Iudæi in Christum jam de Cruce pendentem, maximè rictus suos sanguinarios aperuerunt, & demerserunt, lupino furore ferocientes, & extremum odii exerentes, exercentes, atque exsatiantes.

4. Vocantur adhuc Canes, inimici Domini C Nostri: contra quos orat Dominus, dum ait: *Erue à framea DEUS animam meam, & de manu (aliàs, ore) Canis unicam meam.* Nempe, Dominus, Iudæos expertus est sui sanguinis cupidos, veluti canes famem patientes, & circumeuntes civitatem, tam extra muros suæ urbis Christum quærentes, & capientes, quàm per diversas urbis partes, à palatio ad palatium, & demum usque ad montem Calvariæ discursantes. Canes, ajunt, esse sanguinis humani saltem lingendi avidissimos: quàm avidi fuerint sanguinis Christi Principes Judæorum, notum est satis. Cane rabido D nihil venenosius ferociusque, domari nequit, nulli, ne suo quidem, parcit: sævit in obvios: Judaicâ rabie in Christū, quid majus, aut notius, aut venenosius? Impudentissimi, & saturitatem nescientes, & irritati his ipsis, quibus eos mansuescere oportebat. Nam Pilatus Christi ærumnis post flagella & Coronæ spineæ dirum ludibrium, ratus plus nimio sævitum in Christum esse, ac proinde Iudæos pœnis ejus satiari, mansuescereque, & à morte ejus petenda supersedere posse, adduxit eum foras, & totum, quantus quantus erat, miserabilem inspiciendum dedit, addens. *Ecce Homo.* Scilicet, plus quàm miserrimus, ideò misericordiâ po-

Psal. 21. 21

puli dignissimus: tantùm abest ut mitiores facti sint Iudæi conspectu Christi miserabili, & nihil hominis humanique habentis specie, ut potiùs Canum instar efferati, rabidique magis facti sint, exclamaverintque, Tolle, tolle, Crucifige eum; & opponente Pilato. Quid enim mali fecit: illi ad talia omnia surdi, solo suo furore rabidi, famemque sanguinis & vitæ Christi patientes ut Canes, magis tumultuabantur, magis clamabant, magis vocibus magnis instabant, Crucifigatur. Et quæ tandem cogitari potest rabies magis rabida, seu magis canina, quàm ista Iudaica? Verè, Domine Iesu, circumdederunt te Canes multi, canes sævi, canes rabidi, canes insatiabiles, canes impudentes, canes mortui, canes sancto indigni, canes quorum pretium infernus, canes quibus ingredi in Domum Domini sit nefas, canes ad vomitum suum redeuntes, eoque solo pastu digni.

5. Vocantur adhuc Domini nostri persecutores, Ursi. Ita se ipsos vocant dicentes. *Rugiemus quasi Ursi omnes.* (Isa: 59. 11.) De iisdem dicit Dominus. *Ursus insidians factus est mihi* (populus) *Leo in absconditis.* (Thren: 3. 10) esse dicitur Ursus animal invidentissimum, adeoque invidiæ typus, est sævum, solitarium, inquietum. quod si alliges stipiti, perpetuò in gyrum cursitat, aut si subsistere coges, caput tamen incessabiliter agitat. Quid invidiâ Iudaica seu notius seu nocentius contra Christum? Ipse Pilatus compertissimum habebat, quòd per invidiam tradidissent eũ, & mortẽ ejus obstinatissimè appeterent. Itaque sicut invidiâ diaboli mors intravit in orbem terræ: ita invidiâ Judæorum mors Christo irrogata est, & Filium Dei omnibus utique mundis nobiliorem, digniorem, innocentiorem, utiliorem, invasit atque perdidit: ut tantò major sit Iudaicæ invidentiæ malitia quàm diabolicæ, quantò Christus præstat universæ creaturæ. Ajunt autem Hebraisantes, Ursi nomen Hebraicum [Dob, vel Diba] desumptum esse & significare oblocutionem, detractionem, infamationem, murmur, & truculentiam infamem: quæ omnia sunt invidiæ progenies, & nulli alteri æquè ac Judæorum contra Christũ malevolentiæ, æstuantibusque odiis conveniens. (Ballester lib. 4. Hierologiæ: 4. n. 18.) Gens fuit solitaria Iudæorum, gentibus reliquis omnibus tam inimica, quàm & exosa, atque contempta. De ejus inquietudine satis sit, quòd Christus Pharisæis objicit: quia *Circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & faciatis eum filium gehennæ duplo quàm vos.* (Matt: 23. 15) Ursi à melle devorato, & ab alvearibus perruptis, apibusque absumptis dicuntur medicinam sibi quærere. Et Judæi, suæ ut insaniæ superstitionique consulerent, tam Christum ipsum, alvear certè melle nobilissimo plenissimum, quàm Ecclesiam ejus destruere devorareque sunt, quamvis frustra, conati, & ideo *Deo non placent & hominibus omnibus,* salutique inprimis eorum, *adversantur usque hodie,* (1. Thes: 2.) neque ipsi introeuntes, neque alios introire, (quantùm in ipsis) sinentes. Horum ergo rabiosæ in Christum invidiæ, mors Christi filia est: illa est, quæ Deicidii parturiit injustitiam, concepit dolorem, & tandem peperit iniquitatem, vix in cor hominis, atque dæmonis ascendentem, cogitationique creaturæ aut capacitati impossibilem, nisi re ipsâ perpetrata esset.

6. Vocantur insuper Inimici Dei Nostri, Apri. Aper de sylva, & singularis ferus, (Ps: 79.) qui nostram vineam cultissimam, Dominoque plus quàm dilectam, depastus est, Judæorum populus cum Principibus suis est. Suâ enim efferâ feritate, totis viribus in hoc incubuit, ut quidquid Christi esset inprimis, deinde quidquid post Christum Christi superesset, fideles, discipuli, Ecclesia, Nomen, Doctrina, Miracula, & demum omnia, funditus, radicitusque evelleretur, & aboleretur, & periret. Præeuntes ferme hac in parte, & in hoc studio, conatuque, ipsis dæmonibus, qui ab ipsis Iudæis videbantur didicisse, quomodo, & quousque Christum persequerentur, alioqui enim verecundati fuissent, (maximè post ejus ad inferos descensum) tantâ rabie desævire in Christianos, nisi à sævitie ipsorum in Christum Judæorum edocti animatique fuissent. Dæmones teste Apostolo, *si Christum plane cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* (1. Cor, 2.) Hi autem & *cognoverunt, & oderunt Christum, & Patrem ejus: sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis.* (Ioan: 15.) Itaque isti feri efferi, isti singulares feri, fecerunt peccare in Christum, non tantùm gentem suam, non tantùm Pilatum, Herodem, gentilesque, verùm etiam dæmones ipsos. Nunquam certè legimus, Dæmones tantùm fuisse ausos, ut Christum dæmoniacum, vel dæmonis consortio utentem, appellarent, immo diabolus, qui eum in deserto & portavit, & tentavit, reverenter eum & innocuè gestavit, & sine ejus concessione, ne, ipsos quidem porcos attingere ausi sunt, atque etiam eum adorare, & deprecari soliti fuerunt: isti verò singulares feri Iu-

feri Iudæi, omnia sensêre, & dixêre contraria, affirmantes, & in vulgus spargentes, Christum dæmoniacum esse, dæmonium habere, in principe Beëlzebub ejicere dæmonia: propter quod judicati sunt à Christo, peccare *in Spiritum Sanctum*, *tali peccato, quod neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendū eis foret*. De quo etiā peccato peculiariter dicit Dominus noster per Jeremiam. *Tu Domine demonstrâsti mihi, & cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi Agnus, mansuetus qui portatur ad victimam.* Studia Iudæorum vocat, ut exaggeratam eorum in se, & contra se malignitatem rabiei explicet: Studia vocat, deliberatè conceptam adultamque invidentiam: studia eorum vocat, implacabile & insatiabile odium: studia eorum vocat viscerosum cordialemque nocendi, & perdendi omni acerbiore modo & arte conatum, atque diligentiam. Pro quibus studiis eorum, induxit Dominus super eos etiam *Annum visitationis eorum*, hactenus nec dum terminatum.

Ier. 11. 18.

Ibid. v. 23.

Hactenus de nominibus atque comparationibus, quibus Spiritus Sanctus in sacris literis enormitatem passionum Christi delineat, per crudelitatem ferocium bestiarum. Plures hujusmodi comparationes ex Sacris Scripturis depromere, & in meditationem adhibere non erit difficile. Ex his autem varios affectus, varias vitiorum quidem Judaicorum detestationes, varias quoque virtutum Christi æstimationes, & imitationes desumet Meditator pius, ut fructum competentem meditationis habeat. Omnes enim peccatores, bestiæ alicujus, aut etiam plurium simul, feritatem, peccatis & affectibus suis repræsentant, iisdemque suo modo in Christū desæviunt. Superbi enim & crudeles, & subjectionis debitæ excussores, Leones sunt. Potentes, & aliorum præ se ipsis contemptores, suique nimii amatores, tauris meritò pinguibus comparantur. Ursos porrò, meritò sanguinariis, murmuratoribus, detractoribus, invidis assimiles. Gulosis & crudelibus, lupos assignes congruè. Impudicos, mordaces, sordidos, iracundos, canibus similes nemo negaverit. Tepidos, somnolentos, quorumque adhæsit in terra, & adglutinatus est venter, itemque avaros, & sordidè parcos, singularibus feris comparare congruè licet: atque sic de aliis similibus, de quibus omnibus jure dicas, illud Moysis, esse illos *dentes bestiarum cum furore trahentium super terram atque serpentium* à quibus tantò ampliùs, indigniùs, crudeliusque tractatur Christus nunc, licèt jam in Cœlis gloriosus & regnans, quàm olim à Judæis, Gentilibusque, nostris in hac vita infirmitatibus obnoxius, quantò scelestius est, à suis scilicet fidelibus, atque professione cultoribus, cognitum, compertumque, & cultum, nihilominùs contemni, & despici Deum, quàm ab infidelibus, & impietate cæcatis inimicis, incognitum, inæstimatumque violari hominem. sive quantò absurdius est, Gloriosum iu Cælo Deum, quàm ærumnosum in terra, contumeliosè & injuriosè tractari.

Deut. 32. 24

MODVS LXIII.

Modus sexagesimus tertius meditandi Passionem Domini Nostri esse potest: ita Passionem Dominicam recogitando meditandoque decurrere, ut Deo Patri tanquam Principali Redemptionis nostræ, per Passionem Christi Authori, pro eadem Passione, eâdem ipsâ Passione tributum dependamus. Dabo explicationem hujus meditandi modi, ipsumque adeò modum, ex probatissimo scriptore, tametsi non ad verbum ex eo desumptum.

Aloysius Novarinus lib. de Tributo Divino §. 31. 32. sive, Tributo 15.

Debitores sumus Deo nostro Patri Æterno, tributi compassionis pro Passione, quam pro nobis pertulit unigenitus ejus, & Dominus Noster Iesus Christus. In qua compassione, minimè nos esse parcos convenit, quando & Dominus noster Iesus Christus in sua pro nobis Passione minimè parcus, summè autem liberalis fuit: idque à primo conceptionis suæ instanti, usque per totam vitam suam: propter quod etiam gratitudinis nomine debemus illi hunc compassionis affectum, sive tributum, toto quo possumus cordis affectu illum exercendo.

1. Ac primò colligemus in unum omnes actus, sive Compassionis, sive Gratiarum actionis, quoscunque unquam aliquæ creaturæ persolverunt Deo, præsertim pro Redemptionis suæ, Passionisq; Christi beneficio, atque omnes hos actus, affectusque quanti quanti sunt, denuo Deo in tributum offeramus, quantumvis aliàs dudum eidem oblatos.

2. Secundò. Desideremus habere & exercere talem compassionis affectum, qui sit par Christi Passioni, nostræ pro illa erga ipsum obligationi; quem quia in effectu habere

habere non possumus, saltem in desiderio illum habere studeamus.

3. Tertiò. Studeamus ampliùs semper cognoscere atque exercere oblationem illam vitæ ac Passionis Christi, ejusque modum, quem ipse Dominus Iesus tenuit in offerendo semetipso Passioni, & idem ejusdem desiderium & amorem, quo partim Passus est, partim pati amavit, & optavit.

4. Quartò. Consuescamus Passionem Domini repræsentare in omnibus (quoad repræsentari potest) actionibus, occupationibusque nostris. v. g. Dum ambulamus, repræsentemus quasi Christum cum Cruce ambulantem, dum manus brachiaque expandimus, effingamus Christum in Cruce expansa brachia expandentem: dum in lecto sumus, Christum in Cruce positum repræsentemus; dum loquimur, Christi verba inter patiendum referamus: dum tacemus, silentio nostro, Christi in Passione silentium veneremur. Par de aliis actionibus ratio.

5. Quintò. Offeramus Deo omnes dolores, quos aut alii passi in morte sua sunt, aut patientur, aut etiam nos patiemur in morte nostra: respiciendo in illis, conjungendoq; illos doloribus Christi, quos in Passione, & morte sua pro nobis sustinuit.

6. Sextò. Coacervemus in nostrum Cor cum omni affectu nostro, omnes fructus, qui ex Passione Christi, & nati sunt, & nasciturі: eosque omnes offeramus ipsi Christo, cum singulari quadam complacentia, atque congratulatione ex eis, & quòd Christus per suam infinitam sapientiam, eos ex sua amara, & probrosa, pro nobis Passione, cruce, & morte educere scivit.

7. Septimò. Convertamus cælesti quâdã spiritualique alchimiâ omnes nostros, & omnium reliquarum creaturarum dolores, compassiones, tristesque affectus, & sensus, qualitercunque habitos, & toleratos, in affectum quam maximæ compassionis pro Passione, & super Passionem Christi.

8. Octavò. Omnes item dolores, afflictionesque nostras, acceptemus à Deo, & sustineamus cum omni modestia, & hilaritate, propter amorem Iesu passi, ejusque Passionis pro nobis; optando ut omnes creaturæ id ipsum faciant, atque etiam earum hac in parte vicem quantùm ex nobis supplendo, Deumque in omnibus omnium afflictionibus laudando, omnes pro eis perferendo, atque Christi passionibus uniendo, & ut ipse illas uniat desiderando, atque rogando.

9. Nonò. Si quando in aliquam imperfectionem defectumque labimur, subitò pro illo lapsu nostro offeramus Deo totum illud, quod innocentissimus Agnus Dei pro nostris peccatis pertulit. Et quantò erunt majores lapsus nostri, tantò diligentiùs pro omnibus illis intendamus, consuescamusque, tam Patri Æterno, quàm ipsius Domini Iesu cordi, offerre Passionem Christi, & quidem pro ejusdem corde.

10. Decimò. Oremus Amabilissimum Redemptorem nostrum, ut sibimet ipsi offerat pro nobis totum id, quod passus est pro nobis. Itemque oremus, & Sanctos omnes, ut offerant pro nobis Passionem Christi, ipsimet Christo.

11. Undecimò. Supplicemus Pretiosissimæ Dei Matri Virgini Mariæ, ut totum hoc, quod in Passione Filii sui perpessa ipsa est, offerat eidem Filio pro nobis passo. Vicissim verò offeramus, & repræsentemus Christo, Mariæ Matris Filio, id totum, quod illa cum ipso, & pro ipso passa est, quodque ipse cum Matre, & in Matre sua Maria perpessus est, & denique etiam ipsi Matri hoc offeramus, quod Filius ejus in ipsa perpessus est.

12. Duodecimò. Demus operam, ut non sit ullum verbum, non spiramentum, non cogitatio, non actio, non passio, seu mutatio ulla in nobis, vel à nobis, cui inserere non intendamus, supra dictos actus, in infinitum multiplicatos, & secundùm quod Deus scit, aut potest facere, fierique multiplicatos; adjungendo extensioni, & numero actionum, intensionem quoque majorem, ac majorem, perfectioremque semper.

Supradicti Actus, etsi meliùs affectibus Cordis, quàm vocibus oris exercebuntur, poterunt tamen etiam hisce sequentibus, vel aliis his similibus verbis exprimi, & exerceri.

13. Benedictus sis ô Pater Æterne, & sit benedicta infinita charitas tua, quæ te impulit, ut unigenitum Filium tuum dares ad assumendam nostram mortalitatem, in qua pati & mori pro nobis posset. Benedico te, & in omnem æternitatem benedicere volo, pro eo, quòd sicut Filium tuũ ab æterno ex tua substantia genuisti; ita etiam eundem ab æterno ardenter voluisti nasci ad patiendum pro nobis. Atque utinam prævaleam adeò gratus esse Majestati tuæ pro hoc beneficio, quàm magnus est Amor ipse tuus, quem in ipso

isto beneficio demonstrâsti nobis.

2. Nunquam volo permittere mihimet, ut ex memoria mea deleatur recordatio beneficii hujus Domini mei Jesu Christi, quod præstitit mihi patiendo pro me, ac si prorsus mei solius causâ pati venisset, aut passus esset.

3. Volo etiam ex nunc ad te Dominum meum dirigi omnes operationes meas, omniumque aliarum creaturarum, omnes cogitationes, locutiones, respectus, intentionesque, immersas, & absorptas, & appretiatas, in sanguine atque Passione Jesu Christi, cùm omnibus actibus gratiarum actionis, & compassionis, & devotionis, tuæ Majestati unquam exhibitis, à quocunque servorum tuorum, in unione Passionis ejusdem Domini nostri, Filii autem tui, Jesu Christi.

4. O Domine Jesu Christe, nunquid ego tanta pati possum pro Te, quanta Tu passus es pro me? Non equidem possum, attamen in compensationem qualem qualem hujus impotentiæ meæ, offero tibi totaliter, quidquid passus unquam sum, quidquid adhuc patiar, quidquid passi sunt homines universi, atque adhuc aliquando patientur, quacunque de causa, & quocunque motivo. Quod totum volo, & intendo, ut fiat propter amorem tuum, & propter amorem totius Passionis tuæ pro nobis.

5. Æterne Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi, omnes defectus, omniaque delicta, & mea, & omnium creaturarum tuarum, quæcunque unquam commisimus displicita tuæ sanctissimæ voluntati: nunc quidem ego, quantùm in me est, agnosco, confiteor, & retracto, coram Te, simul autem Bonitati tuæ offero totum id, quod Dominus noster Jesus Christus Filius tuus passus est, pro omnibus delictis nostris, simulque oblationi huic meæ, adjungo illam ipsam oblationem, quâ tibi Æterno suo Patri, Dominus Jesus obtulit suam omnem pro nobis Passionem.

6. Desidero, statuo, & intendo, omnibus & singulis actionibus meis repræsentare, ac etiam quantùm mihi fas fuerit, exercere totam Christi Passionem, omnesque Passionis partes ac modos, & actiones. Sic volo, ambulationibus meis, dolorosas Christi per suam Passionem, ad usque Crucifixionis suæ locum ambulationes referre, illasque his associare, & hoc ipsum quod sensit in suis Jesus, ego quoque in meis propter ejus amorem sentire. Sic etiam volo omnibus verbis ac sermoni-

A bus meis venerari omnes Domini mei inter patiendum pro me, locutiones. Pariter, silentium omne meum, admirando illi silentio Domini mei conjungere, eodemque illud exornare volo. Omnem quoque cibum & potum meum, quem aliquando propter obsequium tuum divinum sumam, intingere volo in felle, myrrha, aceto, totaque calicis amaritudine, quem Dominus meus Jesus Christus in sua Passione bibit & ebibit. Vestitum meum conjungo, Domini mei, partim spoliationi & nuditati, partim candidæ Herodianæ vesti, partim illusoriæ purpuræ, quâ illusus est pro nobis, &c. Denique

B somnum meum, & lectum, associo duro Crucis Christi lecto, mortisque somno, quem in Cruce obdormivit pro me. Ad extremum, protestor me intendere, proponereque omnem sive corporis, sive animi actionem, atque Passionem meam, quin &, quantum in me est, omnis creaturæ, in conjunctione, respectu, & honore, atque veneratione amarissimæ simulque pretiosissimæ Passionis ac Mortis Domini Nostri Jesu Christi peragere.

7. Recipe etiam Pater æterne, de manibus meis totum id, quod pretiosissima Filii tui, Dei Dominique nostri Genitrix,

C in Passione Filii sui, Tuique, perpessa est. Recipe inquam, sed potiùs de manibus illius ejusdem Matris illud ejus sacrificium, quod illa Mater omnis pietatis, fecit, & obtulit cordi tuo Divino pro nobis, tam ex se ipsa, quàm ex Filio suo, eodemque Tuo, ac Redemptore nostro.

8. Congrego in unum, atque comprehendo toto cordis mei affectu, omnes effectus fructusque Passionis Domini Nostri Jesu Christi, præteritos, præsentes, ac futuros, in omni tempore, ac tota deinceps æternitate: eosque omnes quanti quanti sunt, Tuæ ô Pater Æterne, Maje-

D stati offero, & in hac oblatione permanere volo, omnibus, & singulis momentis vitæ meæ, ipsam istam permanendi in hac oblatione voluntatem in ea comprehendo, atque ut sit quasi unus ex Passionis Christi Jesu fructibus intendendo, ut tantò acceptior sit tuæ Divinæ voluntati, Majestati, voluptati.

9. Quâlibet respiratione & aspiratione, totius vitæ meæ, offerre intendo, & re ipsâ actualiter offero, vitam omnem meam, actionemque omnem vitæ totius meæ, tuæ pro me in ligno Crucis exspirationi, & per punctum illud instansque mortis meæ, quo actualiter moriar, propono, & intendo, pro Te Domino meo mori, ut

hac ratione morte meâ correſpondeam aliquantula ex parte Morti tuæ, inſtantique mortis tuæ, quo tu omnis vitæ author in Cruce exſpiraſti pro me: Atque ad hanc ipſam intentionem, quantùm poſſum, dirigo omnem quoque, omnis mortalis, & mortuæ, morituræve creaturæ mortem.

10. Accepta ô Æterne DEUS, pro tributo à me nunc tibi exhibito, oblationem illam, quam tibi de ſeipſo fecit pro me JESUS, quamque de eodem Domino JESU Filio ſuo, ſimulque tuo, tum ſimul & de ſe ipſa fecit Mater Domini JESU, itemque illam, quam & ipſe IESUS, & ejus Mater MARIA fecerunt Tibi pro me, & pro omni creatura. Et inſuper intendo per omnia eſſe totus tuus, toto illo modo, quo tuum eſſe Filius tuus fecit, tantoque me ad hoc amplius obligavit, quantò ipſe plus pro me pertulit.

Uſque huc Novarini modus atque ſenſus quantum per me licuit ex ejus Italico expreſſus: ſitque hoc interim ſatis, de tributo ſolvendo pro Chriſti Domini Paſſione, Deo Patri Æterno, &c. &c.

MODVS LXIV.

SExageſimus quartus Modus meditandi Paſſionem Domini noſtri, eſſe poteſt, ejuſmodi, quem adumbratum legimus in Eſdra de quo ſcribitur. [*Congregatusque eſt omnis populus quaſi vir unus ad plateā, quæ eſt ante portam aquarum. Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorū & mulierum, cunctiſq; qui poterant intelligere. Et legit in eo apertè, de mane uſq; ad mediam diem in conſpectu virorum & mulierum, & ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum. Stetit autem Eſdras ſcriba ſuper gradum ligneum, quē fecerat ad loquendum. Et ſteterunt juxta eum ad dexteram ejus & ad ſiniſtram ejus. Et aperuit Eſdras librum coram omni populo, ſuper univerſum quippe populum eminebat. Et cùm aperuiſſet eum, ſtetit omnis populus.*] Ad hunc ergo modum, & juxta hanc figuram, Chriſtus Dominus noſter Sacerdos, & ſcriba ſummus, atque ſapientiſſimus, cogitari poteſt, ſtans ſuper gradum ligneum, nempe ſuper Lignum Crucis ſuæ affixus, pendens, aperire Librum Legis, qui ipſe idem Dominus eſt, tum Liber, tum Lex, tum etiam Legiſlator. Qui liber ſcriptus intus & foris. Carmine, væ, & lamentationibus, in paſſione, partim clauſus, & obſignatus, partim etiam apertus & lectus eſt: neque ab alio ullo, quàm ab ipſomet Chriſto Domino meliùs: nam alii hunc ignorantes, voces Prophetarum *quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt.* Ad hunc ergo Lectorem Legis Divinæ, ad hunc Sacerdotem, & ſcribam, ſuper gradum ligneum, ſuper Cathedram Crucis ſuæ ſtantem, omnis Anima fidelis *meritò concurret, & aures ejus ad Librum erunt erectæ.* Optimè enim & appoſitè ad propoſitum præſens dixit, Auguſtinus. *Crucem Chriſti, non ſolùm eſſe lectulum morientis, ſed etiam cathedram docentis.* Libeat ergo Animæ fideli cuicunque vel legere propriis oculis librum hunc, vel audire legentem ſemetipſum Librum ipſum: miro quidem per omnia, tamen vero modo, quoniam in rei veritate, & Liber, & Libri, & verba, & Lex, Lector Libri, & Legiſlator, unus, ac idem eſt Dominus noſter IESUS Chriſtus: poteſtque, immo debet, ſive legi, ſive lectus audiri, ab omni Anima fideli, Credendo, Amando, Compatiendo, Obediendo, Laudando, Gratias agendo, Adorando, Servando, & Explendo, atque Imitando.

2. Eſdræ 8. — Ezech: 2. 9. — Act: 13. 27 — Auguſt: Tr: 119. in Ioan.

Porrò quid ſit in hoc Libro legendum non eſt quidem difficile noſſe, tum ex ipſa Paſſione; tum ex modis ſupra jam adductis, & præcipuè *Modo* v. g. 20. ubi agitur de Opere, Modo, & Cauſa. Item *Modo* 36. De labore & dolore Chriſti in Paſſione. *Item* 24. De quavis Parte Paſſionis Chriſti, & de peccatis eam cauſantibus, deque virtutibus & earum doctrinis, in ea nobis propoſitis &c. &c. Poſſunt nihilominus ſive legi, ſive etiam tanquam lecta audiri in eo Libro, ea ipſa verba æternæ vitæ, quæ Chriſtus ſicut vivens docuerat, ita Patiens, atque Moriens, ipſo Paſſionis & Mortis ſuæ actu exercebat, exercendoque prædicabat. v. g. docebat Chriſtus vivens. *Pœnitentiam agite*, appropinquavit enim Regnum Dei: id ipſum luculenter, & legere, & audire eſt, ex hoc Libro, & ab hoc Lectore ſuper gradum ligneum, ſeu lignum Crucis ſtante, legente, prædicante, demonſtrante.

2. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſū & tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Lege hoc ipſum in libro iſto, & audi ab Eſdra Chriſto in Crucē prælegente. (Luc. 9.)

3. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in Cælo.* Lege hanc vocem, & vocatio- (Matth: 19. 27.)

cationem in isto libro.

Luc. 13. 24 4. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

5. *Contendite intrare per angustam portam, quia arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Matt. 11. 29

Ioan. 12. 24. 6. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

7. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Luc. 12. 8. 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis Dei, qui autem me confusus fuerit* (aut erubescet) coram hominibus, *confundar & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis ejus.*

Ioan. 13. 13. 9. *Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim; Si ergo ego Dominus & Magister vester, lavi pedes vestros,* (hæc, & talia pertuli pro vobis) *& vos alter alterius debetis lavare pedes. exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis.*

Ioan. 14. 30 10. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.*

Ioan. 3. 14. 11. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic enim Deus &c.

Ibid. v. 16. 12. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Ioan. 15. 13 13. *Majorem charitatem habet nemo, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis.*

Ioan. 10. 11 14. *Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis.*

Ioan. 4. 34 15. *Meus cibus est ut faciam* (patiar) *voluntatem Patris mei, qui in Cælis est.*

Luc. 6. 27. 16. *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui Solem suum facit oriri, super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

Luc. 23. 31 17. *Si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?*

Luc. 8. 15. 18. *Qui autem in terram bonam* (id est, qui sunt terra bona, semen verbi Dei excipiens) *hi faciunt fructum multum in patientia.*

Matt. 10. 22 19. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Luc. 21. 19 20. *In Patientia vestra, possidebitis animas vestras.*

Luc. 14. 28 21. *Omnis qui non bajulat Crucem suam quotidie, & venit post me, non est me dignus.*

Luc. 9. 59. 22. *Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos, Filius autem hominis, non habet ubi caput suum reclinet.*

Matth. 13. 16 23. *Hæc oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*

A 24. *Non est servus major Domino suo: sed sufficit illi si sit sicut Dominus ejus. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?*

Hæc omnia docuit Christus vivens inter homines, hæc eadem omnia, legere est in ipso eodem Christo velut in libro super Crucem expanso, hæc omnia audire potest, ac debet, Anima quævis, ab eodem, de Crucis gradu cathedraque prælegente: hæc omnia docet Christus patiens, & moriens, & quidem non jam solis verbis, sed ipsis operibus, atque adeò doloribus, & vulneribus, ut dicere videatur: *Si verbis meis non creditis, operibus credite*; & ea operibus vestris complete. Ioan. 10. 38.

B Hæc ipsa nostri Esdræ de ligneo Crucis gradu seu cathedra legem Dei edocentis, præcepta, ad alia pauciora prioribus, non minùs tamen prægnantia capita revocari possunt. In Christi enim Crucifixi & Passi volumine legi possunt e. g. hæc. Eph. 2. 4.

1. Amor Dei, atque ut Apostolus loquitur nimia Charitas Dei erga nos. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, &c. Ioan. 3. 16.

2. Amor Christi Domini etiam erga eosdem nos. *Qui dilexit me, tradidit se ipsum pro me.* Gal. 2. 20.

C 3. Via ad Cœlum unica, & recta, & tuta, per Crucem & passionem propter Christum.

4. Odium immensum Dei contra peccatum, zelusque justitiæ ac furoris ejus contra ipsum. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum in mortem.* &c. Rom. 8. 32

5. Immanitas pœnarum inferni, destinatarum peccatis & peccatoribus. *Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollet eum, & in ignem mittet, & ardet.* Luc. 23. 31

D Denique immanitatem illam hoc luculenter ostendit, quia sanguine Christi eam extingui oportuit.

6. Immensitas Cœlestis gloriæ, quam adeò pretioso, id est divino sanguine cõparari necesse erat. *Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælo.* Sed Christi sanguine exarata. Mat. 5. 12.

7. Pretium animarum nostrarum, quas Christus, non utique insipiens Mercator, sanguini, & vitæ suæ præferre non dubitavit, quod sanè ampliùs est longè, quàm illud ejusdem Domini dictum. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur,* &c. *Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Certè Christus pro ea dedit suam. Matth. 16. 26.

Vide ergo quanti æstimavit alterutram?

8. Exemplum omnino imitandum omnibus. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Qui non bajulat Crucem suam & non sequitur me, non potest meus esse discipulus.*

Ioan. 13. 15 Luc: 14. 27.

Nicolaus Lancicius, accuratus vitæ spiritualis Magister, tomo I. Operum Spiritualium. Opusculo 10. Meditatione 29. ad quatuor capita revocat omnia, quæ præcipuè in Christi Passione, Passique Christi libro legenda sunt. I. est. Gravitas peccatorum nostrorum. 2. Liberalitas Christi in nos, eandem vicissim à nobis in Christum requirens. 3. Amor efficax Inimicorum, & ingratorum, & indignorum. 4. Renuntiatio omniũ commodorum personalium, propriorum: quæ apud ipsum fusiùs legere est.

Lancitius opusc. 10. med: 29.

Libet hunc Modum concludere Beati Laurentii Justiniani verbis, quæ supra dictis lucem dabunt. Nihil eorum, quæ in sacro continentur eloquio, sic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, temperare laborem, peregrinationis tœdium auferre, & felicitatis æternæ spem immittere, quam redemptionis humanæ mysterium. In illo miserationis divinæ reseratur abyssus, cœlorum aperitur janua, charitatis latitudo ostenditur, & quantus sit homo apertissimè demonstratur. Pro tuis itaque facinoribus, ô homo, tristare in Christo. Te agnosce in illo, tua in ejus afflictionibus metire delicta, debita tua, in Christi lege membranis. Ipsius attritio, livor, & passio, nostræ sunt calamitatis indices, & adeptæ pacis speciales testes. Hanc itaque (pacem) non in membranis, non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio in sua carne conscripsit. Librum hunc, ut ab universis legatur publicè exposuit, nõ sermone composito, vel humanæ sapientiæ exaratus est verbis, sed hominum interveniente malitiâ, digito Dei scriptus; nempe sævientibus inimicis depictus est foris: Charitate autem & sapientiâ Christi, formatus est intus. Habet foris, simplex & indoctus quid legat, habet spiritualis & perfectus quid intus intelligat. Legit simplex & lætificatur, atque compungitur, exercitatus vero intelligens irradiatur, atque accenditur. Quis, nisi Sapientia Doctrix poterat tam multa paucis colligere, abbreviatam legem, legalia Sacramenta, charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, & totum Redemptionis humanæ Modum, in hoc Corporis sui conclusit volumine. Quamobrem cùm scribere complêsset, nihilque superesset scribendum, dixit: *Consummatum est.* Hæc Beatus Laurentius.

Laur. Iustin. lib. de Triumphali Agone Christi cap: 20.

MODVS LXV.

Sexagesimus quintus meditandi Passionem Domini Modus esse potest; si assumatur Christus Patiens vel Passus, atque meditanti proponatur, ita, ut totus quantus est Christus, opponatur homini, velut quidam accusator, expostulatorve, ac simul Iudex, simulque etiam Medicus, aut Parens indulgentissimus. Opponatur autem secundùm omnia exteriora & interiora ejusdem hominis. Explicatione, & exemplo res fiet clarior. Igitur ô Christiane pone tibi ob oculos cordis tui Christum Deum tuum, in conditione quidem quâ voles, & videtur utilissimum efficacissimumque futurum, si Patientem aut Passum pro te tibi proposueris. Rursum verò coram Christo pone temetipsum abjectum & prostratum in genua vel faciem, (prout æquum est) vel prout commodiùs videbitur meditationi. Tum audire tibi videaris Christum dicentem ad te illa. *Narra si quid habes, ut justificeris.* Conclusio tractatûs istius, erit illa Beati Job. *Non respondebit ei unum pro mille.* Vel etiam illa. *Non justificabitur homo compositus* DEO. Audi ergo homo quomodo Christi exteriora stent contra te, & accusent te? *Ecce Caput Christi* confixum spineo serto, conquassatum, depilatum, laceratum, humiliatum: accusat caput tuum, illudque secum in judicium vocat, quia est sibi valde dissimile: nam est superbum, delicatum, calamistratum, concinnatum, & cincinnatum, pingue, & unctum, erectum, & cervicosum. *Frons Christi* veneranda, tuam effrontem frontem immodestam, & superbam arguit. *Oculi Christi* modesti, demissi, verecundi, suffusi, & caligine sanguineâ obtenebrati, oculos tuos nutibus suis ambulantes, & usque ad fines terræ porrectos, vagos, vanos, lubricos, curiosos, molles, procaces, volubiles, in judicium vocant. Defende si potes, ex casa, atque causam oculorum tuorum, frontis tuæ, capitis tui; quod si non potes, si quàm longissime (quod est per omnia verum) absunt à Christi exterioribus, quid restat, nisi ut denique te ipse conde-

Isa: 43. 27 Iob: 9. 3. Iob: 25.

condemnes, & dicant contra te iniquitates tuæ testimonium ? sic enim tantùm evadere potes horribile Dei judicium. Nam si accusas te, justificas: quod si justus es? sequitur Christum iniquum esse. Atqui sic contra Deum facis, & justior es factore tuo. Si autem accusas te, & condemnas, cum Deo facis, exaltas quidem Christum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula: Tibi autem solùm faciei confusionem (quæ revera sola tua est, tibique debetur) inducis & indicis, & per hoc justus efficeris. Quod de Capite, Fronte, Oculis Christi dixi, de tota Corporis Christi, compage meditandum est, sed hoc in præsenti (ubi modos tantùm meditandi non meditationes scribimus) locum non habet. Atque etiam id ipsum cogitandum de Christi interioribus; ita, ut Anima Christi animam nostram incuset, Memoria memoriam, Intellectus intellectum, Voluntas voluntatem, Phantasia Phantasiam, Iudicium & æstimativa, itemque consultiva & electiva facultas Christi, nostram judicativam, æstimativam, consultivam, & electivam vim in jus vocet. Pariter Amor amorem, Timor timorem, Tristitia tristitiam, Ira iram, Odium odium, Fuga fugam, omnis denique appetitus Christi, nostrum appetitum accuset. Præterea, Charitas charitatem, Contritio contritionem, Obedientia obedientiam, Paupertas paupertatem, Puritas puritatem, Humilitas humilitatem, Mansuetudo, Patientia, Modestia, mansuetudinem, patientiam, modestiam. Constantia, Fortitudo, Perseverantia, Fervor, Devotio, nostram constantiam, fortitudinem, perseverantiam, fervorem, devotionem inculpet, & de ea coram Deo Patre, vel ipso Christo, vel conscientiâ tanquam Iudice, coram sanctis conqueratur; quòd nempè tantâ sit inter sua & nostra differentia, dissimilitudo, ut præter sola nomina, nullo modo in comparationem venire possint. Nam v. g. quæ comparatio nostræ charitatis ad Charitatem Christi, nostræ mansuetudinis ad Mansuetudinem Christi, nostræ orationis ac religionis, ad Orationem & Religionem Christi? Par de aliis judicium, par & sententia, decretumque esto. Et tamen Professio, vocatio, obligatioque nostra magnam similitudinem promittit, & profitetur, & exigit: & tamen auxilia subsidiaque gratiæ, itemque opportunitas & occasiones, itemque exẽpla tum Christi Domini, tum Sanctorum, tum eorum, quot inter vivimus, à quibus & habemus data, quibusque obligamur dare, longè alia virtutum, perfectionumque argumenta, jure suo exposcunt. Hac tali meditatione, collatione, dijudicationeque Christi ad nos, nostrique ad Christum, præsertim Passum ac Patientem, instituta atque peractâ, cum debita applicatione atque serietate, quæ, vel cujus nostrûm erit Anima, in qua non enascantur competentes, hoc est, maximè resoluti, accurati, obfirmatique affectus, & conatus ad meliora, ad perfectiora, ad Christo similiora, vivendi, agendique studia? Atque, nisi me mea fallit opinio, talis dijudicatio, atque (ut sic loquar) Christi nobiscum, nostrique cum Christo confrontatio, illis potissimùm usurpanda est, qui perfectionis Christianæ, vel actualem possessionem, vel actualiter continuatam consectationem profitentur statu suo, rationeque vivendi, & vocationis instituto. Gentilibus enim, maximè cum lumine rationis naturalis contendendum erit in judicio, cui scilicet obluctati sunt, & veluti exuto rationis freno, bestiali libertate vixerunt. Christianis & Mandata quidem Dei lumine rationis cognita, ac insuper à Deo proposita, sed præterea etiam fidei Christianæ præcepta sine dubio opponentur in judicio, & ad illa, ipsorum vivendi ratio strictè examinabitur. At verò Christi perfectam imitationem professis: totus quantus est Christus, totaque virtutum ejus sinceritas, sublimitas, heroicitas, atque exemplaritas, ob oculos statuetur, & ad earum normam, vitæ, virtutumque, nec non singulorum operum, omniumque morum perfectio, & sinceritas, & sublimitas expendetur: nõ utique sine grandi confusione ejus, qui inventus fuerit minus habens. Sicut etiam non erit absque magna, ac omnino divina consolatione, exultationeque illius cujusque, quicunque inventus fuerit quã exactissimè prototypo, exemplarique Christi Domini respondisse, ad illiusque similitudinem proximè accessisse. Quare hoc genus meditationis, sui nempe cum Christo collationis, & tam ab ipso, quàm omnibus quæ sunt in ipso, nostrarum rerum, virtutum, partium, affectionum Accusationis, Examinationis, Dijudicationis: faciat unusquisque nostrûm, qui vocatione statuque perfectionem, & perfectam Christi imitationem profitemur, sibi valde familiarem. Sic enim fiet, ut magnis, & perpetuò continuatis passibus, atque progressibus, stadium perfectionis christianæ decurrisse nos, decurrereque expe-

experiamur, assequamurque illud felicitatis, quod sponsæ in Canticis obvenisse legimus: quæ omnibus illis encomiis, à sponso suo vicissim recommendatur exactè, quibus ipsa sponsum suum copiose & sigillatim dilaudat. Ad hoc certè studii genus Beatus Petrus videtur exhortari fideles, omnes quidem, at revera virtutis perfectionem professos præcipuè, cùm ita monet. *Christo in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* quibus verbis Apostolus, & admonet nos obligationis nostræ, quæ in nobis exsurgit, ex eo præcipuè, quòd Christo Crucifixo, Passoque pro nobis nomen dedimus: ejusque obsequio nos dedimus: videlicet ad imitationem ejus in Passione & sufferentia adversitatum quarumcunque: & præterea demonstrat, quantò cum studio, animique applicatione, & obligationis appretiatione hanc ipsam obligationem exequi, tenere, & conservare debeamus: ea scilicet, quâ videmus militiæ consecratos homines, arma sua sive defensiva, sive offensiva solitos esse conservare, tueri, æstimare. Cogitationes enim de Patiendo pro Christo, & cum Christo, & exemplo Christi, vocat armaturam nostram, contra omnes, non tantùm adversitates, sed, etiam adversarios ipsos. Denique etiam Beatus Apostolus fructum nobis indicat ejusmodi cogitationum, atque ad patiendum (exemplo Domini nostri Iesu Christi) resolutionum: videlicet securitatem, & ab omni vulnere immunitatem, siquidem talibus cogitationibus non aliter quàm invincibilibus armis, & protegemur ipsi, & hostibus formidini erimus. Quocirca Christo in carne sua Passo, armemus & nos carnem nostram patiendi resolutionibus. Christo in Anima sua Passo, armemur & nos proposito patiendi cum ipso in animabus nostris, Christo humiliato, contempto, vulnerato, cruentato, illuso, exinanito, cum iniquis deputato, à Patre derelicto: & nos similium perpetiendorum desiderio proposito, studio, inquisitione, æstimatione armemur: ut humiliari, despici, affligi, crucifigi, cum latronibus & impiis reputari, ipsum etiam cordis à Deo exilium perpeti concupiscamus, quæramus, ambiamus, gaudeamus.

Cant: 4. 1
Cant: 5. 9.

MODVS LXIII.

Sexagesimus sextus Passionem Domini meditandi Modus esse potest, recogitando, & devotis cum affectibus expendendo, qualiter Dominus Iesus semper quidem alias in tota mortali vita sua; ac specialiùs Passionis suæ, mortisque tempore, omnem quidem infirmitatem, & miseriam, atque vilitatem humanæ conditionis, quam assumpserat pro nobis, luculenter ostendit: contra autem omnem Divinitatis majestatem à persecutorum suorum oculis abscondit. Exhibet istum Modum meditandi Gregorius Magnus, ubi verba illa Beati Job: [*Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium.* ad Christum Dominum accommodans, ita loquitur. [Quæ scilicet verba, si ad mysticum intellectum pertrahimus, in eis citius operationem nostri redemptoris invenimus. Ipse quippe ad multitudinem nimiam non expavit, dicens. *Ego sum.* Ipsum despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis suppliciis liberans, palmas in facie æquanimiter accepit. Ipse tacuit, & ostium egressus non est, qui sub ipsa jam hora Passionis, cùm humanitatis infirma pateretur, Divinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe Dei & Hominum quasi ingredi ostium fuisset, si cùm teneretur ut Homo, Majestatis suæ potentiam voluisset ostendere: & per Divinitatis Magnitudinem susceptæ carnis infirma transire. Ut autem apertus Homo mori posset, Deus mansit occultus, quia si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non est ergo egressus ostium, qui & requisitus à Pilato tacuit, atque inter crudeles persecutorum manus, & corpus Passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, & resistentibus noluit demonstrare, quod erat. Unde etiam per Psalmistam dicitur: Posuerunt me abominationem sibi, traditus sum & non egrediebar. Cùm enim despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit, in eo quod persecutoribus suis incognitus mansit, ad eos minimè exivit. Qui tamen ad electos exit: quia Divinitatis suæ suavitatem quærentibus aperit. Unde etiam per Prophetam dicitur. Exîsti in salutem populi tui ut salvos facias Christos tuos. Hæc Sanctus Doctor.

Job: 31. 34.
Greg: lib. 22. Moral: c. 12.
1. Cor.
Psal: 87.
Abac:

Lice-

Licebit ergo ad hunc Modum Passionem Dominicam contemplari, ut videlicet in infirmitatibus, & abjectionibus Salvatoris, quæ in oculis omnium fuerunt, & quæ Salvatorem æstimationi malignorum atque hostium vilissimum & contemptissimum per omnia exhibuerunt, scrutemur, admiremur, deploremus, exaltemus, magnificemusque ea, quæ sunt Divinitatis, quæ Majestatis, quæ Gloriæ, Dignitatisque ejusdem, sic enim Anima pertranseundo, nunc priores & manifestas ignominias atque dolores, nunc *posteriores* & occultatas gloriæ majestatisque divitias; *egredietur, & ingredietur, & pascua inveniet.* Pascua (inquam) uberrima piissimorum atque devotissimorum affectuum, tum circa, & erga Dominum suum Redemptorem, tum circa, & erga semetipsam ab ipso redemptam.

Pet. 1. 11 *[illegible] 10. 9*

Ita si Anima fidelis contempletur Christum in Horto Patri supplicem in terram positis genibus, totoque corpore prostratum, Calicem Passionis, cum summa suæ voluntatis abnegatione, deprecantem, atque præ angustiis sacratissimæ suæ Animæ agonisantem, atque sudore sanguineo manentem: Non hoc tantùm, quod deforis patet, in Christo suo spectabit, atque deflebit, verùm etiam ad interiora Iesu introibit, & videbit in Christo, qui orat, Christum ipsum; qui etiam oratur: in Christo Calicem Passionis deprecante, Christum calicem Passionis porrigentem; in Christo per Angelum confortato, Christum Angelorum fortitudinem & beatitudinem; in Christo agonisante, Christum Agonothetam; in Christo sanguineis guttis sudante, Christum infatigabilem in se, & omnium pro se fatigatorum recreatorem. Utraque porrò istorum tam scilicet forinseca infirmitatum & miseriarum Jesu, quàm Interiora gloriæ & majestatis ipsius, docebunt, & deducent Animam, ad complectendum fide, spe, charitate Iesum, ad ejus adorationem atque reverentiam, ad compatiendum condolendumque ipsi, ad patiendum & sustinendum omnia adversa propter ipsũ, ad suæ propriæ voluntatis translationem in ipsius beneplacitum, ad laborandum & sudandum infatigabiliter propter Nominis ejus gloriam, ad humiliandum & abjiciendum sese sub potenti manu Dei.

Eadem Anima fidelis si contempletur Christum suum aforis quidem proditum, derelictum, captum, vinculis constrictũ, & ad tribunalia Annæ & Caiphæ raptatum, ibidem indignissimis injuriarum & contumeliarum modis saturatum, blasphemiæ damnatum, reum mortis uno omnium Pontificum, Sacerdotum, Legisque-Doctorum, ore, & decreto pronuntiatum. Simul etiam eundem intuebitur oculo fidei ad interiora Iesu pertingente, eundem judicem coram reis, discretorem & scrutatorem cordium inter hypocritas impios, ultorem & vindicem omnis non blasphemiæ tantùm, sed absolutè cujuscunque iniquitatis, Sanctum Sanctorum, & Candorem Lucis æternæ, Iustitiamque omnem impium justificantem, quicunque illi sese subdere voluerit, & subdendi datam sibi ab eo gratiam & voluntatem non abjecerit. Ex quibus utriusque, discet Anima, brachiis fidei, spei, charitatisque suæ, intimè complecti Christum suum, discet gratias agere corde, voce, & inprimis opere, Christi Majestati, in tanta sepultæ, suâ causâ, opprobriorum, & indignitatum enormitate. Discet respicere, timere, revereri, atque demereri Iudicem suum olim futurum, cujus causam veluti impii advertit ab impiissimis judicari, discet explere honoribus, & æquare laudibus conari, atque studere eũ, cujus Animam intuetur omnibus inhonorationibus, & contemptionibus inimicorum pro se inundatam, atque prorsus obrutam, & absorptam. Discet in medio impiorum pietatem exhibere, in medio perfidorum veritatem profiteri, in medio nocentium innocentiam servare, in medio hypocritarum dolorosam simplicitatem tenere, in medio persequentium & contradicentium constanter stare: in medio terrentium atque affligentium non timere: in medio inimicorum Dei pro Deo certare, & cum Deo esse.

Itidem si voluerit Anima fidelis & amans, contemplari infirma Salvatoris sui in Pilati examine, Iudicio, & Decreto, in Herodis fastu, ludibrio & contemptu, in comparatione cum Barabba: In flagellatione æquè crudeli ac probrosa, inveniet Christum judicibus hominibus, à maximis ad minimos, malefactorem, seditiosum, rebellem, læsæ Majestatis reum, fatuum, atque stultum, conditione, scelere, supplicio servum, vitâ & terrâ, & nomine etiam, memoriâque inter homines indignum. Rursum autem eundem ipsum Christum suum, quamvis hoc modo plus quàm miserabili conditionatum, in interioribus ejus contemplans, reperiet Christum omni potestate absolutum & majorem, reperiet testem veritatis, doctoremque, imò ipsissimam veritatem, reperiet Domi-

Dominum ac Regem supra hunc mundum, reperiet sapientiam, & sapientiæ fontem ex ore Altissimi promanantem, reperiet vestitorem Syderum, Cælorum, terrarum, rerumque omnium, vestimento tam naturæ, quam gratiæ, quàm gloriæ, reperiet verbum, quo conditi & formati sunt cœli omnisque virtus eorum, verbum virtutis continens omnia, atque stabiliens, reperiet sanitatem & salutem universarum infirmitatum nostrarum, cujus livore nunquam sanati fuissemus, nisi prius æternâ charitate dilecti, & miseratione perpetuâ præventi fuissemus. Hæc verò utraque, nostri Salvatoris, tam patentia, quam latentia adjuncta, animam considerantem docebunt, Christum suum fide, spe, charitate complecti, stultitiam Christi non erubescere, imò eam propter Christum & ambire, & amplecti; comparari, imò & infraponi pessimis, abjectissimisque, non tantùm silenter, sed etiam gaudenter, fieri pauperem usque ad nuditatem, castigari tota die vitæ præsentis, & pati flagellationes manuum, linguarum, judiciorum propter Christū, propter virtutem, propter veritatem, propter justitiam, propter aliena sibi imputata delicta, denique subdi omni creaturæ propter Deum ad usque servilissimam conditionem, in laboribus, in doloribus, in suppliciis, in contemptibus, in contumeliis, in calumniis, in injuriis, in oblivionibus hominum, in ingratitudinibus, in malorum pro bonis exhibitionibus, interim autem, hæc inter omnia obfirmatè silendo, & hæc universa in taciturnitate sepeliendo; ut quod piè patitur dextera, vanè vel amarulentè non clamet sinistra.

Quod si Anima fidelis circumspicere voluerit Christum suum Redemptorem, ludibrio crudeli, & crudelitate ludicrâ coopertum, nimirum in serto spineo, in chlamide coccinea, cum sceptro arundineo, facie concussum simul & consputum, in Regem miseriarum, in virum dolorum, in monarcham contemptuum, in scientem infirmitatem, deformatum: ab universo populo suo abnegatum ad patibulum Crucis, non tantùm maximâ clamorum instantiâ, verum etiam suimet suorumque infelicium filiorum jacturâ & perditione, sive expostulatum, sive extortum, demumque effæminato Præsidis Pilati timore, supplicio, mortique Crucis, & (quod est miserius) voluntatibus inimicorum suorum donatum, traditumque; si inquam hæc circumspectare in Salvatore Anima fidelis, piaque voluerit, sanè nihil ad exaggeratissimas calamitates miseriasque, tanquam extremi homuncionis Dei sui desiderabit. Attamen interea sagacissimâ fide, fidentissimâque charitate, in his ipsis calamitatibus vermis & non Hominis, opprobrii hominum, & abjectionis plebium, indagabit, & inveniet Regem in decore suo, cujus vultum desideret universa terra, & in quem desiderent semper, cessent nunquam, Angeli prospicere. Inveniet Dominum excelsum, & elevatum, & Majestate gloriæ suæ terras cœlosque replentem: cui adstantia Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus, incessabiliter decantent. Inveniet Dominum regnantem, indutum decorem, indutum fortitudinem, atque præcinctū. Inveniet Regem Salomonem, universa in sanguine suo pacificantem, redimitum diademate, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis ejus. Inveniet Filiū Dei, non fictitium, neque creatum de nihilo, sed ex utero Patris, in splendoribus Sanctorum, atque Sanctitatum genitum, & unigenitum, eundemque ex semine David, in tempore definito, ex virgine factum, & natum. Inveniet fortissimum Deum Sabaoth, qui solus habet immortalitatem, potentiam atque virtutem, cui omnis fortitudo creata arundinea est infirmitas. Inveniet Leonem Agnum, (nēpe Deum-Hominem, Verbum carnem) coram quo viginti quatuor Seniores, & animalia quatuor sancta procidunt & coronas capitum suorum, pedibus ejus advolvunt, Seraphim autem alis suis faciem ejus velant, decorem & majestatem vultûs ejus contueri non prævalentia. Porrò anima contemplans fideli charitate hæc tam Infirma, quam Gloriosa Salvatoris sui, habet unde lactetur si infantula est, habetque unde solido cibo fortium pascatur, si jam idonea est. habet sugere mel de petra, oleum quoque habet de saxo durissimo. habet unde suam quidem superbiam, & tumorem vanæ mentis confundat, & contundat in ignominis Redemptoris: habet unde totam se profundat in exaltationem, atque magnificationem ejusdem Majestatis. Habet unde in imas abyssos demergatur propriæ vilitatis, dum in tanta despectione demiratur Dominum, & fontem omnis Dignitatis. Audit inclamantem furiosæ multitudini Pilatum, *Ecce Homo*: sed vicissim reponit auribus omnis creaturæ inclamans, Ecce Deus. Abhorrescit audiens infernalem ra-

Apoc: 4. Isa: 6.

lem ra-

lem rabiem dicentium. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros; & nihilominus adverso, id est, cælesti Spiritu repetit, & expetit, veniat, & sit sanguis ejus super nos, & super filios nostros in salvationem. Agnoscit omnem suam, & quamcunque creatam virtutem, & excellentiam, atque potentiam arundineam prorsus esse, per omnia, nisi à manu Dominica robur, & vegetationem perenniter influentem accipiat. Denique peccatis quidem suis, atque adeò toti sibi ex animo, & ex veritate inclamat assiduò, Tolle, tolle. Crucifige, crucifige: at verò Salvatori suo, Deo, Domino, totis medullis, totisque viribus suis inclamat, & insonat jugiter; *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Benedic anima mea Domino,& omnia quæ intra me sunt nomini Sancto ejus. Magnificate omnes creaturæ Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Quantumcunq; potestis, glorificate eum; nec deficiatis, supervalebit enim adhuc.*

Psal. 33. 1. Psal. 10. 2. 1. Psal. 33. 4. Eccl. 43. 32

Quodsi tandem fidelis Anima contemplari voluerit damnatum ad Crucem JESUM, & cum iniquis deputatum, & ipsum sibi bajulantem supplicium suum usque ad mortis dirissimæ locum, cinctũ innumerâ multitudine spectatorum, præsertim hostium; felle acetoque potatum, nudatum, aut magis excorticatum, totum tamen Cruore, vulneribusque suis vestitum, in Cruce expansum, eique admensum, & affixum, tandem in alto montis vertice, medium latronum constitutum, omnibusque creaturis miserabile, saxis ipsis, rupibusque lachrymabile, solis hostium amarissimorum odiis oculisque desiderabile, & oblectabile spectaculum, virulentissimarum linguarum aculeis, spiculisque, magis, quàm tota fuerit antegressa Passio, excruciatum, in extrema, funestaque siti, novercali aceto recreatum, demumque inter omnia miseriarũ, dolorum, depretiationum, exacerbationum, proscissionum volumina, fluctusque plusquam decumanos, velut in altitudine maris, furentiumque tempestatum vortices demersum: tandem mortuum, sepulchralia omnia, ipsamque etiam sepulturam passum, & ingressum: Nunquid aliquid desiderare poterit Contemplatrix Anima infirmitatum & miseriarum JESU? Interim tamen per ista omnia forinseca IESU, quæ impios traxerunt ad contumelias, tormenta, & contemptum, & necem Christi, deveniet ipsa ad intima viscera Misericordiæ, Bonitatis, Charitatis, Justitiæ, Majestatis, Gratiæ, Gloriæ, Divinitatis, Beatitudinisque ipsius. Inveniet Deum in Christo, & per Christum reconciliantem sibi mundum. Inveniet Dominum regnantem à ligno, & per contemptibile Crucis lignum, atque supplicium ex diluvio peccati, atque mortis, eruentem omnem humanam creaturam. Inveniet in rubro mari Passionis Christi, demersos quidem Ægyptios, Salvatos verò Hebræos. Inveniet in sanguine testamenti ejus eductos in fortitudine vinctos, de lacu, in quo non erat aqua. Inveniet architectum salutis humanæ in medio terræ. Inveniet Æternum unigenitumque Filium, Patri Æterno exsolventem pretium Redemptionis nostræ, copiosâ supra omnem modum, supraque omnem Iustitiæ rigorem redemptione, & quidem non impenso auro, aut argento, sed pretioso sanguine Agni immaculati profuso. Inveniet supereminentem scientiam charitatis Christi, atque cum omnibus sanctis comprehendet, quæ sit longitudo, & latitudo, quæ sublimitas & profundum salvationis nostræ, & glorificationis Dei, & exaltationis Christi, in Cruce, perque Crucem peractæ. Inveniet illam plenitudinem beneficii DEI *& Patris qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.* Inveniet eum, *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso sunt condita universa, in cælo, & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Inveniet *quia ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, qui est Principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt.* Inveniet ad extremum, *Mysterium, quod absconditum fuit, à sæculis, & generationibus, nunc autem in* crucifixo Salvatore, *manifestatum est Sanctis ejus, quibus DEUS voluit notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus, quod est Christus; spes gloriæ:* Ista omnia inveniet & degustabit fidelis Anima in Cruce, & Morte, & sanguine, & vulneribus, & opprobriis Christi Crucifixi, procedens ab exterioribus infirmitatibus ejus, ad interiores & inenarrabiles divitias gloriæ ac virtutis ejus, *per illuminatos oculos cordis sui: quibus &* cogno-

Colos. 1. 12 Ibid. 1. 15. Ibid. 1. 18. Ibid. 1. 26 Ephes. 1. 18

cognoscit, quæ sit spes vocationis, agnitionis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Ex quibus omnibus *corripitur & docetur in omni sapientia*, exhibeturque *perfecta in Christo* I E S U. Etenim parum foret omni Animæ, sive intueri exteriores miserias Christi Crucifixi, sive contemplari interiores Divitias Divinitatis ejus in Cruce absconditas, nisi simul etiam ipsa recipiat in sese imaginem, & similitudinem, & amorem, & gustum, & virtutem, & Possessionem Crucis ejus in ipso, ut absit ei gloriari in ullo penitus, præterquam in Cruce Domini nostri J E S U Christi, transformeturque in eum ipsum, & configatur, conformeturque cruci ejus, in omnibus, & per omnia. Ipsi gloria in sæcula sæculorum.

Colossi 1.28.

MODVS LXVII.

SExagesimus septimus Modus Passionem Domini nostri meditandi esse potest, per recogitationem, allegationem, exprobrationem piam atque devotam ipsimet Domino Iesu, omnium earum indignitatum, quas ipse, sive in omni vita, sive potissimum in Passione & Morte sua pro nobis dignantissimè subire, seque illis, & (ut ait Tertullianus) eorum patientiâ, saginare voluit. Collaudando interim Christum, compatendo ei, gratias exhibendo ipsi, appetiendo similia perpeti, & offerendo ac præparando nosmet ad consimilia toleranda cum ipso, pro ipso, tenera quâdam devotione, atque devota teneritudine cordis, veluti exprobrando hæc indigna Christo, re autem verâ illum tenerrime laudando, & exaltando, in istis, & propter ista, atque adeo per ipsa ista, allegando ea tanquam argumenta petitionum nostrarum pro nobis, proque aliis, à Christo Domino obtinendarum.

Vixit Cracoviæ in Polonia ante annos non ita multos Virgo nomine Susanna, illustri, sed hæreticâ labe infecto genere, orta. Hæc cum fidem Catholicam amplexa esset, neque ullis artibus propinquorum suorum ab ea abduci posset, deserta, spreta, & omnibus mundi subsidiis destituta, inter summæ paupertatis, omnisque austerioris vitæ ærumnas, in obsequio divino ferventissima constantissimaque ad mortem perseveravit. Vix ulli mortalium cognita, inter absconsos Christi sponsi thesautos secura, quia in humilitatis agro sepulta delituit, tantò uberiùs interioribus divitiis à Domino Deo suo cumulata, quantò minùs vulgo nota, quantò ampliùs soli & uni pœnè Deo & perspecta, & complacita exstitit. Texere pleniorem de ejus virginis virtutibus, cæterisque divinis muneribus narrationem, hujus neque loci, neque propositi est. Quod meo servit proposito id refero. Ejus scilicet esse modum hunc, Passionem Domini meditandi, cumque Domino Passo & Crucifixo agendi, & causas suas tractandi, quem in præsenti, & jam retuli, & uberiùs pro piarum animarum vel solatio, vel eruditione, refero. Narrant ergo (qui noverant) virginem hanc, familiarem hujusmodi orandi Christum, & agendi cum Christo modum usurpâsse. Accedebat ad Crucifixi Salvatoris imaginem (& in specie ad illam, quæ in templo Cathedrali Castri Cracoviensis prope Sacrarium prostat, antiquitusque multâ hominum veneratione colitur, & Beatæ Hedvigi Poloniæ quondam Reginæ locuta miraculosè perhibetur) coram illa, in genua provoluta, aut certè humi considens, in eum denique deveniebat orandi modum, ut reverentissimâ, tenerrimâ, devotissimâque simul audaciâ enumeraret, & veluti objectaret, exprobraret, improperaretve vocibus, atque nominibus seu compellationibus Christo Domino, quæ illi pro nostra salute dignantissimè ab inimicis potissimùm suis oggesta, aut etiam ex conditione humili, quam inter nos tenuit, adnata fuêre. Eum itaque alloquens ajebat. O Tu seductor, & impostor. Tu Pseudopropheta, Tu Blaspheme, Tu seditiose, Tu Regnum ambitione quærens, Tu ad columnam manu & loris carnificum ligate, & verberate, Tu conspute, & vultu sordide, Tu patibulo addicte, archilatro. Tu Potator vini, Tu Peccatorum, & Publicanorum Conviva, Amice, Sodalis, Tu dæmonium habens, Tu insane in furorem verse, &c. His similibusque titulis velut insignibus encomiis, sive

sive memoriâ de scripturis, sive mentis piæ affectibus suggerentibus, Christum cùm fatis appellitasset, effundebatur in pias tum lachrymas, exteriùs, tum laudes, amores, gratias, postulationes, obsecrationesque interius: suorum plerumque votorum facta compos, quæcunque tam piis sarcasmis condita Christo proposuisset.

Arbitror non defuturos inter pios devotosque Christi Passi cultores, amatores, oratoresque, quibus hic Modus cum Deo suo agendi interdum saltem arridebit. His proinde, ut pro modulo meo subserviam, contexo uberiorem talium Domini Nostri Iesu Christi pro nobis Passi, encomiorum indiculum, quem recolens tenera pietas, devotaque, sese, & si fortè non planè satiare, at saltem retovere possit.

1. Conceptionem obscuram & pænè suspectam habens.	B	Joseph cum esset vir justus, & nollet eam traducere.	Mat: 1. 19
2. A publico diversorio excluse.		Non erat eis locus in diversorio.	Luc: 2. 7
3. In stabulo nate, puer, infans.		Invenietis Infantem, positum in Præsepio.	Luc: 2. 12
4. In Præsepio reclinate.		Reclinavit eum in Præsepio.	
5. Pannis involute.		Pannis involutum.	Luc: 2. 12
6. Fugâ nocturnâ Herodis furori elapse.		Surge, & fuge in Ægyptum: futurum est enim ut Herodes quærat puerum.	Matt: 2. 13
7 Circumcisionis stigmate notate.		Cùm completi sunt dies octo, ut circumderetur.	Luc: 2. 21
8 Nazarene.		Habitavit in Nazareth, quoniam Nazaræus vocabitur.	Matt: 2. 23
		A Nazareth potest aliquid boni esse?	Ioan: 1. 45
9 Subdite putato Patri, & Matri homini.	C	Et erat subditus illis.	Luc: 2. 51
10 Inter peccatores baptismo pœnitentiæ ablute.		Venit Iesus in Iordanem ad Joannem, ut baptizaretur.	Mat: 3. 13
11 Famem, esuriemque patiens.		Cùm jejunâsset quadraginta diebus, & noctibus, esuriit.	Mat: 3. 13
12 Tentate à diabolo.		Et accedens tentator dixit, si Filius Dei es.	Ibid: 43
13 Ab eodem gestate.		Tunc assumpsit eum diabolus.	Ibid: 4. 5
14 Fatigate itineribus.		Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic.	Ioan. 6
14 Non recepte à civitatibus.		Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Ierusalem.	Luc: 9. 53
16 Timide, & latibula quæritans.		Iesus autem exivit de templo, & abscondit se.	Ioan: 8. 59
17 Mendicans aquam ad bibendum.	D	Mulier, da mihi bibere.	Ioan: 4. 7
18. Novam doctrinam disseminans.		Quænam est doctrina hæc nova?	Marc: 1. 22
19 Phantasma.		Existimârunt eum phantasma esse.	Mar. 6. 49
20 In furorem verse, & ligande.		Voluerunt ligare eum dicentes, quia in furorem versus est.	Mar: 3. 21
12 Insane.		Insanit iste. quid eum auditis.	Ioan: 10. 20
21 De quo nescitur, unde sit.		Hunc nescimus unde sit.	Ioan: 9. 29
		Unde es Tu?	Ioan: 19. 9
23 Nihil boni.		A Nazareth potest aliquid boni esse?	Ioan: 1. 46
24 Dæmonium habens.		Nonne benedicimus nos quia dæmonium habes.	Ioan: 8. 48 52.
25 Samaritane.		Et Samaritanus es.	Ioan: 8. 48
1. Cujus testimonium non est verum.		Tu de te ipso testimonium perhibes, & testimonium tuum non est verum.	Ioan: 8. 13
2 Homo faciens te ipsum Deum.		Tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.	Ioan: 10. 33
3 Lapidibus appetite.		Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.	Ioan: 8. 59

4 Homo non à Deo.	A Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit.	*Ioan:9.*
5 In quem nemo ex Principibus credidit.	Nunquid aliquis ex Principibus credidit in eum?	*Ioan:7.*
6 Seducens turbas.	Alii dicebant quia bonus est, alii autem quia non, sed seducit turbas.	*Ioan:7*
7 Cum Publicanis & peccatoribus manducans.	Quare cum Publicanis & peccatorib9 manducat & bibit, Magister vester.	*Mat:9*
8 E Synagoga ejecte & Civitate.	Ejecerunt eum extra Civitatem.	*Luc:4*
9 Præcipitande de montis supercilio.	Duxerunt ad supercilium montis, ut præcipitarent eum.	*Luc:4*
10 Tradite gentibus ad illudendum.	Tradent enim eum gentibus ad illudendum, & flagellandum.	*Mat:*
11 Lachrymans.	Et lachrymatus est IESUS.	*Ioan:*
12 Filius hominis.	Quem dicunt homines esse filium hominis? B	*Mat:*
13 Tributis serviens.	Da illis pro me, & pro te.	*Mat:*
14 Ascendens super asinam, & pullum ejus.	Ecce Rex tuus venit tibi, sedens super asinam.	*Mat:*
15 Peccator.	Nos scimus, quia hic homo peccator est.	*Ioan:*
16 Mendicus & pauper.	Ego autem mendicus sum & pauper.	*Ps: 39.*
17 Vermis, & non homo.	Ego autem sum vermis, & non homo.	*Ps: 21.*
18 Opprobrium hominum, & abjectio plebis.	Opprobrium hominum, & abjectio plebis.	*Ibidem*
19 Filius Fabri.	Nonne hic est fabri filius, filius Joseph.	*Ioan:*
20 Faber.	Faber.	*Marc:*
21 Filius MARIÆ.	Et filius MARIÆ.	*Ibidem*
22 Quem Herodes quæsivit interficere.	Exi hinc, quia Herodes quærit te interficere. C	*Luc:13*
23 Pauperior vulpibus & avibus.	Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos.	*Luc:9*
24 Non habens ubi caput reclines.	Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.	*Ibidem*
25 In Beelzebub ejiciens dæmonia.	In Principe Beelzebub ejicit dæmonia.	*Mat:12*
1. Blasphème.	Hic blasphemat. Blasphemavit.	*Mat:9. 26. 26.*
2 Amice Publicanorum.	Amicus Publicanorum.	*Luc:7*
3 Amice Proditoris Iudæ.	Amice ad quid venisti?	*Mat:*
4 Tanquam latro comprehense.	Tanquam ad latronem exîstis cum gladiis.	*Mat:26*
5 Suspecte de doctrina.	Interrogavit eum de doctrina.	*Ioan:18*
6 Vorax, & Potator vini.	D Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt vorax & Potator vini.	*Mat:11*
7 Vilis merces, vilissimi pretii.	Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos.	*Mat:26*
8 Deserte & derelicte à tuis.	Discipuli relicto eo, fugerunt omnes.	*Mat:26.*
9 Cum juramento, anathemate, & detestatione, abnegate.	Tunc cœpit detestari, & jurare, & anathematisare.	*Mat:26. Mar:14.*
10 Blasphemiæ in Deum convicte.	Qnid adhuc desideramus testes: audistis blasphemiam.	*Mar:14.*
11 Reus mortis ab universo concilio pronuntiate.	Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.	*Ibid: v.*
12 Pseudopropheta.	Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit.	*Mat:26.*
13 Cujus vultus, consputationis locus.	Tunc exspuerunt in faciem ejus.	*Ibid: v.*
14 Malefactor publicè & notorie.	Si hic non esset malefactor, nō tibi tradidissemus eum.	*Ioan:18.*

Non

Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ, inventa est Humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri voluit super omnia elatus: Redemptor autẽ noster Magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed meliùs elationis causam detegimus, & humilitatis fundamenta aperimus, si brevi commemoratione perstringimus, quid mortis author, quid vitæ conditor dicat: illę namque ait: In cælum ascendam: istę autem per Prophetam dicit: repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit: ille dicit: super astra cæli exaltabo solium meum: iste humano generi è Paradysi sedibus expulso, dicit: Ecce venio citò, & habitabo in medio tui. Ille dicit. Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Iste dicit. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominis & abjectio plebis. Ille dicit. Iste cùm in forma Dei esset nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; & per membra sua loquitur dicens. Domine quis similis tibi? Ille per membra sua loquitur dicens. Nescio Dominum, & Israel non dimittam: Istè per semetipsum dicit; Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax, sed novi eum, & sermonem ejus servo: Ille dicit; Mea sunt flumina, & ego feci ea. Iste dicit. Non possum à me ipse facere quidquam. Et rursum. Pater meus, in me mauens, ipse facit opera. Ille regna omnia ostendens dicit: Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam eorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Iste dicit. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Ille dicit. Eritis sicut Dii scientes bonum & malum. Iste dicit. Non est vestrum nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Ille, ut voluntas Dei despici, & ut possit propria suaderi, dicit. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis ex omni ligno paradysi? & paulo post. Scit enim Deus, quod in quacunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri. Iste dicit: Non quæro voluntatem meam: sed voluntatem ejus, qui misit me. Ille per membra sua loquitur dicens, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, coronemus nos rosis, antequam marcescant, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ. Iste membris suis pronuntiat dicens: Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia tumore mentis transcendere, societatem hominum omnium, altâ elatione transire, ac sese contra potentiam Conditoris erigere, sicut de illis per Psalmistam dicitur. Trãsierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt. Iste ad sputa, ad palmas, ad Colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam atque mortem veniens, membra sua admonet dicens: si quis mihi ministrat, me sequatur. Quia igitur Redemptor noster regit corda humilium, & Leviathan iste rex dicitur superborum, apertè cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum superbia est: at contra; *Humilitas electorum.* Hucusque Gregorius singulari contrapositione, diaboli quidem in superbia perversitatem, Christi verò in Passionis humilitate rectitudinem meditationi subjecit. Cujus ad instar facilè erit, meditando dispicere, quomodo idem Dominus Noster Jesus Christus, per Passionem suam docuerit nos, Obedientiam, Patientiam, Mansuetudinem, Charitatem sive in Deum, sive in Proximum, Constantiam, Longanimitatem, Animi Magnitudinem, Mundi & nostri ipsorum contemptum, Mortificationem, Perseverantiam, cæterasque omnes virtutes & perfectiones, quibus ab ipso jam Paradyso diabolus propinaverat omnem scelerum virulentiam, puta Rebellionem, Inobedientiam, Impatientiam, Dei & Proximi Contemptum, Mendacium, Levitatem & Mollitiem, tam Carnis quàm Mentis, Invidiam, Gulam, omnéque sensuum indulgentiam. Quo ex genere meditationis, devota mens, tum plurimas alias utilitates percipiet, tum illam inter has, quas idem Gregorius eodem loco suæ jam adductæ meditationi subjungit, his verbis. *Cum ergo quam quisq; (virtutem Christi, aut malitiam diaboli) habeat, cognoscitur, sub quo Rege, (Christo an diabolo) militet inveniatur. Unusquisq; enim, quasi quendam titulum portat operis, quo facilè ostendat, sub cujus serviat potestate Rectoris.*

MODVS LXIV.

SExagesimus nonus Modus meditandi Passionem Domini esse potest, disceptationem cum Christo Domino instituendo de jure quod ad Passionem habeat Christus, & Homo, & evincendo, sibi quidem jus ad patiendum omne penitus suppetere, atque adeò incumbere, à Christo verò illud omnino alienum esse. Venit in mentem modus hic Sancto Bonaventuræ, qui quodam in loco piam hanc devotamque litem movet Redemptori: contenditque & planè evincit, sibi quidem omni juris & debiti obligatione, debitam esse omnem quam Christus subiit, sibique arrogavit Passionem: Ipsi verò Christo nullo jure debitam, imò potiùs omni jure indebitam fuisse. Mirabilis per omnem modum, & digna Seraphico Contemplatore cogitatio: cujus intima si quis timetur: nihil in ea deesse ad humilitatem humiliationemque hominis, nihil ad exaltationem Redemptoris, nihil ad viscerosum Amorem, nostri nimii & excessivi Amatoris, nihil ad irrefragabile efficacissimumque Christi in sua Passione imitandi, atque adeò æmulandi incitamentum deesse reperiet.

Statuamus enim in medio, universam Dominicæ Passionis congeriem, & cui demum ea subeunda sit, Christone, an Homini cuilibet, inquiramus: nonne omnino citra dubitationem, aut longiorem inquisitionem respondebit Humanum Genus universum, decernetque illâ pii Latronis voce: *Nos quidem justè: nam digna factis recipimus. hic autem quid fecit?* vel illa Præsidis Pilati, Iudaicum furorem, Christum ad Crucem efflagitantem, retundentis. *Quid enim mali fecit? Nullam invento mortis in eo causam.*

Luc: 23. 41
Luc: 23. 22
Ioan: 18. 38
Ioan: 19. 6.

Nam quomodo, quove jure, quodque supplicium, injuria, tormentum, despectio, contumelia, dolor, cruciatus, vulneratio, mors, debebatur Personæ usquequaque Innocentissimæ, Justissimæ, Sanctissimæ, Religiosissimæ, Beneficentissimæ in omnes, Dignissimæ super omnes, Dominæ Dominatricique omnium, potentiâ absolutâ, & omni potestate super omnia præditæ; denique Divinæ, atque adeò ipsimet vero & summo Deo? utique nulla potest habere hìc locum vindicta & punitio, ubi non tantùm nulla culpa, nullum delictum, nullus error, malitia nulla, dolus nullus, intervenire potest: sed etiam potius ubi quidquid placet æquitas est, & eo quidem solo æquitas est, quia sic huic tali Personæ placet: ut pote, quia ita tali voluntati atque Personæ placet, cujus velle est Lex, & omnis legis fons, omnis æqui, recti, & justi regula, omniumque causarum, rationum, disquisitionum silentium. Qualis Persona, cùm Dominus noster JESUS Christus sit, quo illi jure pœnæ, supplicia, despectiones, tormenta, vulnera, dolores, cruces ullæ, vel deberi, vel inferri potuere? & non potiùs omnis & summus cultus, omnis glorificatio, omnis honor, amor, veneratio, exaltatio, benedictio, dilectio, æstimatio, subjectio, & obedientia, ab omnibus, & singulis tam hominibus, quàm creaturis competebat? Quid igitur Christo cum vinculis, quid cum carceribus, quid cum specie rei, malefici, & impii: quid cum accusationibus, quid cum Iudicum Præsidumve subselliis, quid cum examinationibus, testibus, scrutiniis? quid cum correptione, quid cum suppliciis, cum flagellationibus, cum percussionibus, plagis, livoribus, vulnerationibus? Quid cum postulationibus ad mortem, quid cum damnatione, & ad Crucis supplicium addictione, quid cum deputatione cùm impiis, cum societate latronum? Quid cum bajulatione proprii patibuli ad locum supplicii? quid cum morte, mortisque genere solis sceleratissimis debito? Attamen hæc omnia, & quidquid his immanius probrosiusque excogitare furor Judæorum, atque dæmonum potuit, Christus Deus noster non solùm perpessus est, verùm etiam habitu, & specie, & titulo, nomineque publicè sceleratissimi rei, convictissimi, contestatissimique latronis, seditiosi, rebellis, blasphemi, impii, læsæ majestatis in Cæsarem, in Deum comperti, totiusque Iudææ gentis à summis Pontificibus, Sacerdotibus, Legisperitis, & Doloribus, usque ad infimam plebeculam, suffragiis, unâque communi & sententiâ, & voce condemnatissimi, demumque sententiâ & decreto, supremi Præsidis, Proconsulisque Romani addicti, inque manus carnificum ex lege & forma traditi? Quo quidnam iniquius, & injustius, insolentiusque inveniat humana cogitatio? planè ignoro.

Jam autem ex parte altera, quomodo, & quo jure, & quodnam non debeatur supplicium, pœna, despectus, illusio, crux, mors, sive hominum multitudini universæ, sive homini speciali, qui naturâ

turâ filius est iræ, mortis & gehennæ: naturâ pabulum supplicii infernalis; homini, prius justissimo Dei judicio damnato quàm nato; homini, qui non prius in rerum naturam prodire, quàm simul scelestus, rebellis, raptor, fugitivus, proditor, & perditus potuit esse? Homini Majestatis Divinæ læsæ, contemptæ reo? Homini prævaricatori, & transgressori Divinæ voluntatis, & omnis legis. Homini conculcatori Authoritatis, Majestatis, Dignitatis Dei. Homini superbo in Deum, ingrato in Conditorem, contumaci in Dominum, rebelli in Regem, eversori omnis æquitatis, pietatis, subjectionis, modestiæ, juris. Homini furi & interversori universæ Gloriæ Divinæ. Homini apostatæ & transfugæ à legitimo suo Principe, ad tyrannum, ad hostem, ad rebellem Deo diabolum. Homini demum (ut verbo concludam) totius universi perturbatori, totius boni inimico, totius veri hosti, omnis impietatis amico, omnium scelerum conceptaculo, omnium malitiarum authori, reo, convicto, damnato. Quæ huic homini cruces satis sint? quæ illius improbitati condigna supplicia? quid acerbitatis & vindictæ indebitum? quid infernalium pœnarum, atque æternarum damnationum non accumulandum, exaggerandumque?

Nunc igitur Domine mi JESU, Deus meus, & Rex meus, stemus simul. Narra si quid habes culpæ, propter quam patiaris, non tanta solùm, sed vel quælibet minutissima: tu quidem peccatum non fecisti, nec dolus inventus est in ore tuo, plenus gratiâ & veritate, Sanctus Dei. At verò ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei: supergressa sunt peccata mea arenam maris: computruerunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ; & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Quid ergo Domine tibi, & Passioni? aut quid mihi, & impunitati? Tune igitur quæ non rapuisti exsolves, ego qui raptor sum, & in flagranti scelere teneor, immunis abibo & illæsus? Tristaberis tu, augustiaberis, timebis, attædiaberis, ego verò lætus, solutus, securus, lotâ facie, & uncto coronatoque capite incedam? Tu deprecaberis supplicium peccatorum meorũ, apud tui amantissimum alioqui Patrem: ego autem interim propriis onustissimus delictis ne quidem Judicem meum deprecabor? Tu præ interiore angustia usque

A ad sanguineum sudorem pro me agonizabis, ego verò justi laboris exsors, otio, & desidiâ in tuis etiam ipsis obsequiis torpescam? Tu Domine osculo proditorio in manus hostium venies, ego autui proditoris partes agam? Te captum & vinctum raptabunt, ego & extra vincula ero, & insuper te raptantium socius, aut etiam dux efficiar, &c. Domine Deus meus absque omni refragatione, & suffragantibus mihi omnium æquitatum rationumque sententiis: nihil, nihil omnino tibi, & suppliciis istis. Mea est Domine, mea est, sicut omnimoda malitia, atque culpa, sic etiam ultio, sic &

B vindicta: mea est castigatio, meum odium, mea execratio, & detestatio mihi debitissima. Quia etiam mea sunt scelera, mea crimina, meæ transgressiones, meæ iniquitates, meæ superbiæ, meæ concupiscentiæ, turpitudines meæ, fœditates malitiæque meæ, reatus omnis meus: plenum contra me testimonium dicunt: & me reum esse omnis pœnæ, omnis mortis clamant.

Aut ergo Domine recede à Passionibus tuis nullatenus tibi debitis, & per omnia tibi indebitis: aut da mihi quàm plenissimè tecum communicare de illis?

C Si enim tibi suffragatur ad patiendum hæc omnia, sola superficies atque species assumpta peccatoris; magis certè mihi favet ad passionem & supplicia, res ipsa & substantia peccatoris, corpusque peccati, & habitans in me peccatum: propter quod à planta pedis usque ad verticem capitis, non est in me sanitas: non est pax ossibus meis, non est spes, non est modus satisfaciendi aliquando pro malitiis meis. Si Tibi Domine satis est Innocentia tua & Sanctitas, ad perpetienda omnia tam dira, multò me magis ad extrema omnia sustinenda adigit omnis

D Impietas, omnisque Injustitia mea. Si Tibi satis est, ad patiendum juris à charitate erga me tua: magis me certè obligat ad patiendum, & tibi satisfaciendũ, tum universus Iustitiæ rigor, tum obligatio inexpleta redamandi te. Si ad supplicium Crucis sufficit tibi à Synodo Judæorum conclamatum esse adversum Te. Reus est mortis: vel ab universa multitudine Iudaica vociferatum esse, Tolle, Tolle, Crucifige eum; Sanguis ejus super nos & super filios nostros: vel à timido inconstantique Præside adjudicatum te esse petitioni furentium Iudæorum, ut crucifigereris: ego igitur magis pati debeo, quem non furor, sed æquitas; non

invidia sed justitia; non metus Iudicis iniqui, sed rigor Divini judicii, filium mortis atque perditionis pronuntiavit. Si ad Passionem sufficit tibi, quia Pater tuus æternus posuit in te iniquitatem meam, & propter scelus meum percussit te; quantò magis ad me spectat Passio, qui in Patrem tuum cœlestem peccavi, & nimis quidem peccavi; & iniquitatum mearum clamor ascendit in cælum, & terra commota est à facie peccatorum meorum. Denique si satis est causæ tibi ad patiendum, quia Tu pati vis, & quia ita placitum est ante te, ut ponas animā tuam pro ovibus tuis; sufficiat igitur, & longè ampliùs quàm sufficiat etiam mihi, ad subeundam Passionem tuam, quia & debetur omni jure mihi, & ego mereor illam ex omni origine mea, & tota cæli terræque justitia, id exigit ex me, & exemplum tuum invitat me, & amoris servitus, quâ obligor tibi, ad id cogit me, & hæc est voluntas tua de me, & demum hæc quoque est voluntas mea, quam habeo ex miseratione tua coram te. Exemplum quippe dedisti mihi, sed & præceptum imposuisti mihi, ut Te in carne Passo pro me, ego quoque eâdem cogitatione obarmer ad patiendum tecum, & pro te, supplicia tua, Tua inquam, non quia ullatenus tibi debita, sed tua, quia quæ omnibus modis mihi debita erant, meaque per omnem modum erant, Tu fecisti tua perpessionis dignatione, & jussisti, fecistique meæ esse imitationis æquitate, & condignitate.

Da ergo mihi Domine Jesu, da locum, da partem aliquotam saltem in Passione tua, ex dignatione tua, quoniam in rei veritate, in æquitatis rigore, in Iustitiæ debito, magis illa est mea quàm tua, magis inquam mihi quàm Tibi debita, imò omnimodis mihi, nullatenus autem Tibi debita. Tibi etenim Domine gloria, Tibi laus, Tibi adoratio, Tibi exaltatio, Tibi majestas, Tibi omnis honor, tam ab ipso Te, quàm ab omni creatura: Mihi verò omnis confusio faciei, omnis contemptus, omnis ira, furor, abjectio, derectio, oblivio, infernus, & æterna damnatio atque perditio. Quid ergo magnum dabis mihi, etiamsi Passionem tuam dabis, imò reddes, restituesque mihi, quando adhuc totas inferni pœnas, ex Iustitia debebis mihi?

Sed enim ut tandem finem pertractandi cum Dèo meo faciam, qui sum pulvis & cinis: deest quidem mihi undique Innocentia, ut cum illa, & ex illa, & pro illa patiar: at non deest iniquitas & malitia, ut pro illa justum supplicium sustineam: deest mihi magna charitas ut ex illa patiar: at non deest multa & magna peccatorum meorum enormitas, propter quam patiar: deest mihi Sanctitas, & Iustitia tua, ut propter illam patiar, at non desunt mihi merita Judæ & Barabbæ, vel Latronis, ut pro illis patiar. Noli ergo me excludere à Passione tua, Tu, qui inter latrones medius dignatus es pro me, proque salute & justificatione mea consummare Passionem tuam.

Liceat hunc Modum meditandi concludere expositione quatuor conditionum Passionis Dominicæ, quæ illam exaggeratissimam fuisse evincunt, & observantur alicubi ab eodem Seraphico Doctore, hisce verbis. Sciendum est, quòd Christus assumpsit non tantùm naturam hnmanam, sed etiam defectus circa naturam humanam. Assumpsit enim pœnalitates corporales, ut famem, sitim, lassitudinem; assumpsit & spirituales, ut tristitiam, gemitum, timorem, & dolorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium. Nec omnes spirituales: sicut sunt ignorantia, & rebellio carnis ad spiritum, & contra. Nec eas qualitercunque assumpsit: quia sic necessitatem patiendi assumpsit, ut nihil pati posset invitè; nec secundùm Divinitatis voluntatem: nec secundùm voluntatem rationis, licèt Passio fuerit contra voluntatem sensualitatis & carnis.

In natura passibili sic assumpta, passus est Passione generalissimâ quantùm ad naturam humanam, quia non solùm secundùm omnia membra corporis principalia, verùm etiam secundùm omnem Animæ potentiam: licèt nihil pati posset secundùm naturam Divinam.

Passus est Passione acerbissimâ: tum propter complexionis æqualitatem: tū propter sensuum vivacitatem, tum propter suspendii continuitatem: tum quia doluit propter vulnera ut patiens: tum quia doluit propter nostra delicta, ut compatiens.

Passus est Passione ignominiosissimâ, propter patibulum Crucis: quod erat supplicium latronum & pessimorum; & propter consortium iniquorum, latronū scilicet, cum quibus reputatus est.

Passus est tandem Passione intemptoriâ, per separationem Animæ à Corpore, salvâ tamen unione utriusque cum Divinitate.] Hæc Sanctus Bonaventura.

MO-

MODVS LXX.

Septuagesimus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest. Assumere Passionem Christi sive universam & totam, sive etiam per partes distributam, & advertere, ruminare, degustare, experiri, & admirari, & glorificare ejus admirandos, & paradoxos effectus, dimanantesque ex ea fructus, quos protulit & profert proferetque in finem usque mundi, imò & in omnem æternitatem. Primò quidem in corde Patris æterni. Deinde in corde Christi ipsius patientis, seu qui passus est. Tertiò. In corde etiam Divinæ Matris. Quartò. In corde Electorum & Beatorum. Quintò. In corde reproborum & damnatorum. Sextò. in corde persecutorum. Septimò. In omnibus creaturis. Octavò. In ipso Meditatore Passionis.

Quantùm ad Æternum Patrem, Passio Christi operatur & Iustitiam & Misericordiam: provocat enim Deum ad iram & vindictam enormitate sceleris, quæ est in Deicidio: & in occisione adeò funesta unigeniti sui; & rursùm tamen provocat eundem Deum Patrem, ad Indulgentiam, Miserationem, & veniam, & insuper ad dilectionem eorum, quicunque fuerunt causa qualiscunque, necis & Passionis Filii, sive promerendo illam peccatis suis, ut omnes singulique homines, omnibus, singulisque suis peccatis; sive eam studiis, odiis, manibus, rabieque suâ procurando, quærendo, exercendo, inferendo: uti sunt, dæmon cum omni potestate tenebrarum. Gentiles quoque ut Pilatus, Herodes cum suis ministris & militibus. Omnes enim isti eo ipso, quem profuderunt Christi sanguine, redempti & reconciliati sunt Deo Patri, etiam pro ipso illo profusionis necisque Christi perpetrato scelere. Quod patuit post mortem Christi, tam ante Resurrectionem, quando mortuo Jesu, *videns centurio quia sic clamans exspirasset in Cruce, & visis signis quæ fiebant: confessus est, quia verè Filius Dei erat iste*, & multi de populo revertebantur à loco mortis Domini, *percutientes pectora sua*: quàm & post Resurrectionem, quando ad Petri prædicationem illi ipsi qui tempore Passionis clamaverant. *Crucifige, Tolle, secundùm legem debet mori*. Ad pœnitentiam, fidemque, & amorem in Crucifixum à se Christum conversi sunt, effundente nimirum super eos Patre Æterno misericordiam, & gratiam suam, à Christo sibi o illis apud se per Passionem & mortem promeritam, atque obtentam. Itaque Passio Christi est similis Arcui cælesti in nubibus, qui & est naturâ suâ nubium imbribus fœcundarum portio, & simul diluvii exundantis non futuri coram Deo memoriale & signum.

[Marginal notes: Luc. 23. 47; Act. 2?. 18, 21; Ioan. 19. 7; Act. 2. 37; Act. 4. 4; Gen. 9. 13]

Quantùm ad Christum ipsum Patientem, Passio ejus fuit cordi ejus & desiderabilis, & formidabilis; fuit peccatum & pœna peccatorum, & remedium eorundem, propter quorum primum, Christus eam noluit: propter secundum eam in se suscepit, propter tertium eam amavit, & Patri obtulit, & in nos redundare fecit, propter quod Apostolus affirmat, quòd *Christus mortu chyrographum nobis contrarium sustulit, & delevit affigens illud Cruci*. Præterea Passione suâ & morte Christus est exinanitus usque ad formam servi, & impii, & latronis, & crucifixi; & per eandem exaltatus atque glorificatus est, dataque est illi omnis Potestas in cœlo, & in terra, & intravit in gloriam suam, accipiens nomen quod est super omne nomen, factus omnibus causa salutis æternæ; Patri autem cælesti, Gloriæ & exaltationis æternæ.

Quantùm ad Pretiosissimam Christi Matrem, Passio Christi Filii, erat illi gladius doloris ipsam animam ejus pertransiens. fuit illi omnis probri, & contumeliæ materia. fuit illi magnæ, instar maris, contritionis, & afflictionis seges, imò messis, & occasio; fuit illi unicæ & irrepatabilis incompensabilisque orbitatis causa; simul autem eadem Filii Passio, contulit illi ut esset primogenita omnium redemptorum à Christo, simulque compars quædam, & comparticeps præcipua Passionis, Patientisque Christi, simul quoque suo modo Corredemptrix mundi, quatenus sanguine Christi ejus Filii, ex ea desumpto, redemptus est mundus, ipsâ simul cum Filio eum offerente Patri cælesti pro mundo universo, simul denique facta est Mater omnium nostrûm, tot scilicet filiorum, quot sunt in numero redemptorum. Nō enim de solo Ioanne dixit Christus Matri. *Ecce Filius tuus*: Sed in Jonnne uno datum est Matri in filios totum humanum, Christi sanguine redemptum, genus.

Quantùm ad Electos atque Beatos: etiam in horum corde operatur Passio admirandos effectus: quia illos & sibimet ipsis, viles, abjectos, omni pœnâ, & suppliciis etiam æternis dignos demon-

ſtrat, & nihilominus eosdem coram Deo pretioſos, amabiles, amicos, beatitudinis partim candidatos, partim poſſeſſores facit. iſti intimo cordis ſenſu Paſſionem Dominicam & ſentiunt, & partim lugent, in ſeipſosque derivari cupiunt, ſibi eam potiùs, & non Domino ſuo deberi confitentes, partim (lugere cùm per ſtatum beatitudinis non poſſint) eam in ſuæ ſalutis beatitudinisque bonum aſſumptam, & adhibitam eſſe intuentur, mirantur, & obſtupeſcunt. Rurſum verò ſimul ſe ejusdem Paſſionis Chriſti efficacem fructum, condignum prœmium, finem ſingularem, atque pretioſum intuentes & agnoſcentes, de doloribus, contumeliis, paſſionibus, vulneribus, & morte, & cruce Chriſti gaudent, lætantur, gloriantur, cumque Chriſto gratulantur, & pro ea Patri æterno æternas gratias agunt. Denique una, & eadem Paſſio Chriſti Eccleſiam quidem ædificavit, Synagogam verò deſtruxit.

Quantùm ad Reprobos & damnatos. His Paſſio & mors Chriſti, quantùm ex ipſa, ſalus eſt, & vita, remedium & liberatio à perditione tam peccati, quàm inferni; quantùm verò ad ipſosmet, eadem illis eſt in ruinam & perditionis æternæ exaggerationem, quoniam dilexerunt magis ſemetipſos quàm Deum, diaboli ſervitutem quàm Dei voluntatem, concupiſcentiam ſuam, quàm Chriſti Charitatem. *Noluerunt benedictionem, elegerunt verò maledictionem, & elongata eſt ab eis illa, venit autem illis iſta.* (Pſ. 108. 18)

Quantum ad Perſecutores. Horũ quidam ſatiati ſunt pœnis Chriſti, quidam molliti ſunt cruciatibus Chriſti: eum Iudas ad mortem vendidit, Joſeph mortuum a Pilato impetravit; & quem viventem confiteri timuerat, mortuum audacter à Præſide ſibi donari poſtulabat. eundem Petrus cum deteſtatione, juramento, & anathemate negaverat, latro ei concrucifixus, ipſum, & contra ſocium blaſphemum defendebat, & univerſis adſtantibus innocentem prædicabat, & ejus confitebatur à morte regnum, quem juxta ſe videbat affixum ad lignum, ab eoque accipiebat Paradyſi ſocietatem, cum quo pariter ſuſtinebat Crucem, & crucis mortem.

Quantùm ad omnes creaturas. Mors Chriſti ſenſum ſui indidit omnibus, quæ ſenſum ſui nullum habebant. Luxit enim eum ſol, & luna, & ſtellæ, & nox, & dies. Luxerunt eum petræ, & terra, & mare, & cœli. Luxerunt eum mortui, & ab inferis redivivi. Angeli quoque pacis eum amarè flebant patientem, univerſa etiam mundi machina in ruinam feſtinabat Domino Patiente, quæ tamen omnis interea reſtaurationem ſui recipiebat ab eodem Domino moriente; ad extremum, quæ creatura ſerviebat inimicis ut ſævirent in Dominum, eadem patientem ſentiebat & plangebat Dominum.

Quantùm ad Meditatorem Paſſionis Dominicæ, in eo, quàm miros, quàmque diverſo operatur Paſſio Chriſti effectus, malo id non meis ſed Divi Bonaventuræ explicatum ſit verbis.

O Paſſio deſiderabilis! ô mors admirabilis! Quid mirabilius? quàm quod mors vivificet, vulnera ſanent, ſanguis album faciat, & intima mundet; nimius dolor, nimium dulcorem inducat, apertio lateris, cor cordi conjungat? ſed adhuc mirari non ceſſes, quia ſol obſcuratus plus ſolito illuminat, ignis extinctus magis inflammat: paſſio ignominioſa glorificat. Sed verè mirabile eſt, quòd Chriſtus in Cruce ſitiens inebriat, nudus exiſtens, virtutum ornamentis ornat. Sed & manus ejus ligno conclavatæ nos ſolvunt, pedes confoſſi, nos currere faciunt: emittens ſpiritum, vitam inſpirat: in ligno decedens, ad cœleſtia vocat. O Paſſio amabilis & mirabilis: quæ ſuum meditatorem alienat & immutat, & non ſolùm reddit Angelicum, ſed divinum. Nam per meditationem, commorans in Chriſti tormentis, etiam ſe ipſum non videt: ſemper intuetur Dominum ſuum paſſum, vult ſecum crucem bajulare, & pro ipſo leviſſimè omne bonum & malum vult portare, & ipſum in corde portat, cœlum & terram pugillo tenentem. Vult ſecum ſpinis coronari, & ipſe ſpe gloriæ coronatur: vult ſecum in ligno ſine veſtimentis frigeſcere, & nimio amoris ardore ſuccenditur: vult ſecum acetum guſtare, & vino inenarrabilis dulcedinis potatur: vult ſecum in Cruce exiſtens ſibi illudi, & ipſe ab Angelis honoratur, & à Beata Virgine in filium adoptatur: ſecum volens triſtari lætatur, ſecum volens affligi conſolatur, & nimium jucundatur. Cum Chriſto vult in cruce pendere, & eum Chriſtus dulciſſimè amplexatur, ſecum vult faciem, mortis pavore perfuſam inclinare, & ejus caput Chriſtus elevans ſuaviſſimè oſculatur. O mors amabilis, ô mors delectabilis.] Hæc Bonaventura, non minùs dilucidè quàm devotè explicans effectus (In ſtim. amoris, te 1. c.)

& præ-

& præclaros & admirandos, & veluti paradoxos insperatosque, quos in suis meditatoribus Passio Christi Domini operari apta est, & operatur, dum animas mentesque idoneas talibus effectibus invenerit, sive ut (veriùs dicã) perfecerit.

MODUS LXXI.

Septuagesimus primus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest. In præcipuis Iesu Christi Passi, aut Patientis membris ac vulneribus, recognoscere aliquam congruam & Christo dignam perfectionem, tum Christo indignam passionem, tum piissimam nostræ salutis operationem. Circa quodlibet tale Christi membrum consideratione & meditatione tantisper immorando, donec mens congruis veritatibus erudiatur, affectibus pascatur, virtutumque actibus perficiatur, prout animam gratia & unctio Spiritûs, nec non ipsius animæ pia devotio disposuerit. Appono compendiosam ejus modi designationem. Pes Christi sinister vulneratus est, qui omnia sustinet. Pes dexter vulneratus est, qui omnia possidet. Manus Christi sinistra saucia est, quæ omnia fecit. Manus Christi dextra saucia est, quæ omnia regit. Cor Christi vulneratum est, quod omnia vivificat, Caput Christi spinis horridum est, quod omnia coronat. Scapulæ Christi vulneratæ sunt, quæ omnia protegunt. Brachia Christi vulnerata sunt, quæ omnia amplexantur. Pectus Christi cruentum est, quod omnia fovet. Vultus Christi despectus est, qui omnia lætificat. Sanguis Christi effusus est, qui omnia redimit & abluit. Caro Christi lacerata est, quæ omnia pascit. Anima Christi afflicta est, quæ omnia sanctificat. Deus in carne passus est, qui omnia beatificat.

Devotus ergo Meditator coram Christo Passo & Crucifixo constitutus, singula horum quæ enumerata sunt, piè devotèque expendat: & v. g. ad pedem Christi sinistrum constitutus, advertat quid Christus, qui est Potentia Patris, fecerit in cœlo & terra, & in omnibus abyssis. quòd cœlum ipsum, & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt fecerit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, per eum facta sunt & sæcula, & Angeli, & Sidera, & Homines, & quidquid infra hos est. Hujus Christi Pes sinister vulneratus est, quasi quidam abyssalis thesaurus omnipotentiæ Dei apertus est. Hunc pedem prosternendo se adoret, osculetur, pio fletu conspergat, admiretur, gratiarum actione repleat, laudibus coronet, intus in eum corde subintret, ac interiora ejus scrutetur. Ab hoc, imò sub hoc pede discat humiliari infra omnia, pati adversa corporis, & Animæ, & Fortunæ omnia: subjiciat se omnipotentiæ ejus, infatigabilis esse in labore pro eo, & in obsequio executioneque voluntatis ejus condiscat, constituat, incipiat, & nunquam desinat per omnia. Hoc aut simili modo progrediatur meditando circa alias Christi Passi partes. Veritatibus intellectum convincendo, affectibus voluntatem pascendo, effectibus seu operibus virtutum internis externisque instruendo, & perficiendo.

Ex hoc meditandi Passionem Domini modo, videtur illa Sancti Patris nostri Ignatii desumpta, & ab aliis plusculum aucta oratio.

O Divinitas Christi, inhabita me. O Persona Christi, indivina me. O Anima Christi, sanctifica me. O Corpus Christi, salva me. O Cor Christi accende me. O Sanguis Christi, inebria me. O Aqua lateris Christi, ablue me. O Sudor & agonia Christi, conforta me. O Passio Christi, sana me. O Bone Jesu, exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ, voca me. Et jube me venire ad te. Ut cum sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Hujus Orationis ad instar, devotio alicujus ex Doloribus Divinæ Matris talem confecit meditationem sive Orationem, quam nec ingratam, nec inutilem pietati fore existimo.

O Afflictissima Virginis Mariæ Anima, solare me.

O Dolentissimum Dei Matris corpus, conforta me.

O Amarissimæ Reginæ Cœli lachrymæ, purificate me.

O Gemitus Deiparæ, conterite me.

O Tribulatum cor Angelorum Dominæ, recrea me.

O Luctuosi Dominæ nostræ sensus, sanate me.

O Angustiæ Matris gratiarum, liberate me.

O Dei genitricis orbitas, aſſocia me.
O Mors genitricis vitæ, vivifica me.
O Maria amarum Mare, ab omni culpa & pœna, erue me.

O Martyrum Regina inſervũ & mancipium tuum recipe me, & in hora mortis meæ ſuſcipe me: ut cum omnibus Dei electis, potiſſimumque tuis dilectis, diligam & glorificem te, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hujus quoque Modi eſt Meditatio illa.

O Pes potentiæ, pro me vulnerati Jesu, humilia me, exalta Te.

O Pes Juſtitiæ, pro me vulnerati Jesu, quamvis dignus ſim, ne abjicias me.

O manus Gratiæ, pro me vulnerati Jesu, ſine te nihil ſum, adjuva me.

O Manus Miſericordiæ, pro me vulnerati Jesu, Tibi ſoli peccavi, ſicut potes, ſcis, & vis, miſerere mei.

O Cor & Latus, pro me vulnerati Jesu, ſedes amoris, accende me, ut inceſſabiliter amem Te.

O Caput, Sedes Sapientiæ, pro me vulnerati Jesu, illumina me, ut noverim Te, & noverim me.

O Verbum Caro pro me factum, & in carne pro me paſſum, habita in me, & habitem in Te, in æternum & ultra. Amen.

Singulis hiſce Punctis manifeſtum eſt, ſuas easque copioſas ineſſe meditationum, reflexionum, affectuum, propoſitorum, poſtulationum, virtutiſque actionum materias: ut haud dubiè multiplici cum ſpirituali fructu, atque guſtu, pii meditatoris animus, eas verſare poſſit; quod plenius ab experimento ſuo, quàm à ſtylo meo, ut diſcat plurimum eidem exopto.

MODVS LXXII.

Septuageſimus ſecundus meditandi Paſſionem Domini Noſtri Modus eſſe poteſt: Meditari eam tanquam admirabilem incredibilemque Chriſti Redemptoris & Hominis redempti concertationem, colluctationemque tantam, ut ex parte quidem Chriſti Redimentis atque Patientis, nihil poſſit cogitari in miſericordia & commiſeratione, charitatiſque ſuper hominem profuſione invincibilius atque dulcius: at verò ex parte Hominis, qui hac Paſſione redimitur, ſeu redẽptus eſt, nihil poſſit reperiri in eodem Redemptore, ejusque Paſſione contemnenda, abjicienda, repellendaque, ſceleſtius, barbarius, ingratius, execrabilius.

Dandum eſt aliquod ſpecimen hujusmodi, Lectori devoto.

Ab initio ſui in mundum adventûs Redemptor noſter ſuſcepit Hominem: quia Verbum Caro factum eſt & habitavit in nobis. Homo autem, non ſolùm ab initio mundi, ſed etiam venientem in mundum abjecit Deum, & naſciturum etiam diverſorio communi excluſit, ad ſtabulumque compegit. In propria venit, & ſui eum non receperunt.

Redemptor venit ſalvare Hominem à peccatis ejus: teſtante Angelo ad Joſephum. *Vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* at Homo quæſivit adhuc infantem Deum ad necem. *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*

Matt: 1. 21
Matt: 2. 13

Redemptor venit ab exilio revocare Hominem ad Patriam; Homo Deum in exilium ejecit, tum cogens eum fugere in Ægyptum, (ut modo dictum) tum ejicieus eum extra Civitatem Nazareth, & præcipitare volens de montis ſupercilio, tum extra urbem eum crucifigens.

Redemptor Hominem quæſivit: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Homo Deum fugit, & ab eo ſe elongavit, dicens; *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Et. *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Et. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbã.*

Luc: 19
Luc: 19
Ioan: 19
Luc: 2[3]

Redemptor Hominem ad Pacem & amicitiam ſecum invitavit ineundam, & ſe mediatorem inſtituit. Homo Dei amicus eſſe, cumque eo pacẽ habere noluit, inimicus eſſe elegit, dicens. *Recede à nobis. Dixit populus meus: receſſimus. Non veniemus ultra ad te.*

Iob: 21
Ierem: 2

Redemptor venit de Poteſtate diaboli Hominem eruere: Homo elegit in poteſtate Diaboli eſſe. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & opera Patris veſtri vultis facere. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; ſi veniet alius in nomine ſuo,* (ſcilicet Diabolus & Antichriſtus) *illum accipietis.*

Ioan: 8
Ioan: 5
Ioan: 3
Matt: 2[7]

Redemptor eruit Hominem de tenebris ad lucem; *Homo dilexit magis tenebras, quàm lucem.*

Ioan: 9

Redemptor hominem docuit viam vitæ & veritatis. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Homo Dei veritatem & vitæ ſalutiſque viam à ſe repulit,

Ioan: 1

pulit, dicens; *quia non est à Deo, sed seducit turbas & dæmonium habet, & testimonium eius non est verum.*

Matt: 11. 18

Jam verò in ipso Passionis Dominicæ tempore.

Redemptor, seipsum tradebat Homini in cibum & potum, quem sumens *vitam haberet æternam in seipso.* Homo, Deum tradidit & vendidit osculo ad mortem: & abnegans eum postulavit ad Crucem.

Joan: 8. 13
Joan: 6. 55

Redemptor, per Divinum suum Sacramentum in viscera Corporis & Animæ, realissimâ Dignatione descendit. Homo autem post Buccellam Sacramentalem diabolum in cor admisit.

Redemptor, inquinatos & sanguinarios hominis pedes, manibus suis lavit, tersit, osculatus est. Homo, pedes suos ad festinandam citiùs quam moliebatur proditionem Domini sui expedivit.

Redemptor, Homines gravissimo suo, & opere & verbo cohortatus & obtestatus est, ad exhibendam exercendamque in sese mutuò humilitatem, charitatem, atque unionem. Homo, neque Humilitatis, neque dilectionis, unionisque mutuæ memor, congregat & armat cohortes lictoresque in Deum.

Redemptor, de salute Hominum solicitus, tristitiâ, tœdio, pavore, conflictatur usque ad agoniam, usque ad sanguineum sudorem, usque ad ipsam mortem. Homo interea partim contra Dei salutem, totam tenebrarum potestatem solicitat; partim de proditione, per osculum peragenda, Deicidas informat.

Redemptor, orat, & repetitò orat, & tertiò orationem repetit: seque ad omnia fanda infandaque pro Hominum salute, prostratus humi in faciem suam, devovet ac immolat. Homo, interea totus dormit, & unâ horâ nec pro Dei voluntate, nec pro sua salute vigilare potest: an potiùs non vult?

Redemptor, propter Hominum redēptionem sese hostium manibus & rabidæ potestati sponte offert. Homo, Deum in manibus hostium videns, relicto eo fugit, aut si tantisper sequitur, à longè, & abnegaturus, abjuraturus, detestaturusque sequitur.

Redemptor, ingenuè se Christum Deum, judicemque omnium in majestate & gloria venturum ac futurum profitetur Hominibus, pro ipsis Hominibus. At Homo, Deum blasphemiæ & mortis reum pronuntiat, & condemnat.

Redemptor, Homines à morte corporis & animæ, temporali & æterna, culpæ & pœnæ, liberare satagit. Homo, Deum ad mortem & crucem exposcit. Nullius non sceleris reum proclamat, latronibus coæquat in scelerum merito, latroni & hosti publico postponit, adeò, ut homine judice, Barabbas Christo melior sit.

Redemptor, habens in se omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauros absconditos, per sapientiæ altitudinem & absconditum à sæculis Sacramentum, perque non investigabiles vias suas, salutem humani generis operatus est in medio terræ, hoc est in assumpta nostra carne. Homo verò, Deum sprevit & illusit, & veste fatuorum stultorumque induit.

Redemptor, ut Homines à flagellis peccatorum, quæ innumerabiliter multa & gravia sunt, eriperet, Iustitiæ se & vindictæ divinæ subjecit, estque propter scelus populi sui percussus & attritus, & disciplina castigatioque pacis nostræ super eum deposita, & exercita remansit. Homo autem Deum Redemptorem probrosissimæ flagellationi subjecit; eumquè vulnere super vulnus concidit, & super dorsum ejus aravit, sulcisque crudelibus Divinam ejus carnem intersecans prolongavit iniquitatem suam.

Redemptor, Hominem gloriâ & honore coronavit, & super caput ejus coronam de lapide pretioso posuit, deditque illi sceptrum regni, & constituit eum super omnia opera manuum suarum. Coronavit etiam eum in misericordia & miserationibus, signans eum lumine vultûs claritatis suæ. Homo autem, plectens coronam de spinis imposuit, & infixit eâ in capite Majestatis Dei sui, dans arundinem in manu ejus, & eâdem caput spinis horridum percutiens: faciem ejus Angelis ipsis reverendam alapis percussit, & fœditate buccæ suæ consputavit.

Redemptor, ut Hominem ab æterna & temporali morte atque damnatione eriperet, sanguini suo pretioso non pepercit. Homo, Dei sui sanguinem in se malitioso furore suscepit, ut Deum suum morte turpissimâ crucis, interficere posset.

Redemptor, Hominibus vitam æternam, & à constitutione mundi paravit, & impendio vitæ suæ Divinæ acquisivit. Homo, Deum vitæ authorem, atque fontem, manibus suis inter Crucis tormenta trucidavit.

Jam autem post Passionis tempora, qualiter se jam Glorioso, & super Cælos regnanti, & ad Iudicium vivorum, mortu-

orum-

orumque sese accingenti Redemptori suo, redemptus homo exhibeat, videamus & perpendamus. Libet de hoc audire ipsummet Hominem de se Redemptori suo confitentem apud Beatum Bonaventuram hisce verbis. [Nonne & hoc nequissimum est, quòd post tam admirabile & fructuosum tuæ Domine Iesu Passionis beneficium, non cesso peccare in conspectu oculorum tuorum, perinde ac si Tua Passio nihil esset. Te mihi dedisti, & Te renuo: tenebras animæ meæ effugâsti, & ego ipsas sponte incurro; Mundum, & quæ mundus amat abjecisti, & ego ipsum eligo, & diligo. An non vides Patientissime Domine Iesu, quòd semper nitor facere Tuæ contrarium voluntati; & in faciem Tibi resisto apertè. Si dicis mihi: Nolo ut hoc facias, dico ego, volo. Si dicis, volo ut hoc fiat, dico ego, nolo facere. Scio Te Dominum meum summum Bonum esse; & ego ad Te, ac si aut nihilum aut valde malum aliquid esses, non aspicio, sed converto cordis & corporis mei faciem ad ea, quæ vana sunt & perniciosa, & nihil sunt; & aliquando ad ea, & ad talia, quæ turpe est dicere, incongruum nominare, & siccis cor meum vinculis amoris colligatur, ut ad Te, cujus est, nequeat elevari. Et hoc certè detestabilis abusio est. Valde autem exile est, quod dicitur hæc esse detestabilis abusio: quamvis verbū quo graviùs ponderosiùsque hominum christianorum, credentiumque, tam proterva barbaries, tam barbara ingratitudo in suum Redemptorem explanetur, exprimaturque, pro merito, invenire difficilè sit.

Nam quibus tandem verbis exagitetur hæc indignissima malitia, malitiosissimâque indignitas Hominis in Deum suum?

Deus propter nimiam charitatem suam in hominem, descendit de cœlo, ut hominem perditum, & morti æternæ addictum, ad cœleste Regnum, beatamque æternitatem reduceret, in eumque finem, totum se, quantus quantus est Deus, & totam substantiam domûs (id est Divinitatis & Humanitatis) suæ profudit, atque prodegit, & veluti nihilum præ dilectione, & salute Hominis, despexit eā. Homo autem, homo inquam christianus, hæc de Deo suo credens, atque confitens, hunc eundem Deum suum, & eandem omnem impensam sibi ab eo dilectionem, profusamque suâ causâ substantiam; voluntariâ, & sciente, deliberatâque despectione negligit, & negligentiâ despicit, & quidem millies repetitò despicit. Neque despicit tantùm, sed etiā pessima quæque, pro tantis bonis reponit: committens ea in oculis Dei sui, quæ novit illius cordi Divino esse ingratissima, illius voluntati contrariissima, illius Dignitate indignissima, illius meritis indebitissima, illius Bonitati atque Charitati inimicissima, illius Iustitæ & æquitati displicitissima. Et quidem, si faceret hoc infidelis & Redemptorem nesciens, sustinendum esset utique; sed fieri talia à Noscentibus, à Credentibus, à Confitentibus, & fieri ex proposito, atque ex professo, fieri assiduò, & omni vitâ, fieri in oculis ipsius Divinæ præsentiæ, atque Majestatis, quis hoc satis capiat, cogitet, explicet?

Redemptor propter Hominem humiliavit, & exinanivit semetipsum. Homo superbus, & inflatus incedit, magnificans se ipsum, nec est finis superbiæ, & tumoris ejus.

Redemptor propter Hominem factus obediens usque ad mortem crucis: Homo in Deum & ejus mandata, & voluntatem est contumacissimus, ducitque sibi ignominiæ, obedire Deo; laudem reputat suam, mandata Dei audacter transgredi.

Redemptor Hominem, & verbo, & exemplo suo docuit, quia mitis est & humilis corde: Homo planissimè tam humilitatem, quàm mansuetudinem cordis fugit, detestatur, irridet, ac si omnino à Deo iracundiam, impatientiam, elationemque cordis edoctus esset.

Redemptor omne carnis vitium, & ipse nescivit, & Hominem nescire docuit, atque præcepit. Homo in carnis lasciviam, in omnemque inverecundiæ turpitudinem, ab ipsa tenella pueritia sua profunditur; Ita ut infelices pusiones, prius fiant impudici & prostituti, quàm pudoris sint capaces, & verecundiæ. Ergo inter Christianos, inter fideles, inter castitatis puritatisque laudatores, atque professores, reperies obviè, atque passim, tanta turpitudinis lasciviæque mala, quanta nec inter gentes quidem: & quanta si inter gentiles reperirentur, reperirentur, quia licita reputarentur, at inter Christianos, ipsorummet fide magistrâ, Conscientiâ doctore, lege duce, confessione & professione exactore, ista omnia illicita, turpia, probrosa sunt; & qui talia agunt, regnum Dei non posse possidere sciuntur, & fide creduntur fiunt nihilo-

nihilominus, & fiunt usque adeò profligatè, & effrenatè, non fecus, quàm si lege Christianâ hæc omnia indignitatum genera sancirentur. Certè si (per impossibile dictum sit) si inquam sancita essent, vix effrenatiùs à Christianis fierent, quàm nunc lege Christi per omnia repugnante, à Christianis fiunt.

Redemptor noster dilectionem fraternam sanxit, adeò solicitè, adeo tenere, adeo perfectè, atque consummatè, ut etiam inimicos, & persecutores jusserit ex corde diligi, ex corde illis beneficia exhiberi, ex corde injurias quaslibet condonari. Quod præceptum suum, novum, magnum, omnium majus, & nunquam excidens: multùm quidem verbis & sermone, at longè magis magisque commendavit & promulgavit opere, ac sanguine, atque Crucis morte. Atqui Homo istam adeò demandatam commendatamque charitatem mutuam, usque adeò ex corde negligit, ex corde nihili habet, ex corde radicitùs proscribit; ut pro eo quod inimicos ipsos verè diligat: ne amicos quidem & omni sanguine conjunctos sincero amore foveat. Itaque hodie vix par hominum invenias, qui sese invicem christianâ charitate, revera, & per omnia diligant. Itaque etiam hodie tam vulgata inter christianos cernas, non odia tantùm, aut injurias, dolos aut invidias, calumnias & contumelias, verùm

A etiam cædes, & homicidia adeò vulgata, adeo facilia, adeo in immensum aucta & familiaria, ut in omnibus durantis humani generis sæculis non facilè reperias unum aliquod, in quo tam facile fusus sit sanguis humanus, quam hodie funditur Christianus. Non quæritur hodie bellis pax, sed bella ex bellis feruntur, neque pacis nomen in honore est, sed in probro, quodsi interdum quæpiam ad speciem pacificatio ineunda videtur, ea ita peragitur, ut tamen seminarium belli residuum servetur, quo sæviùs recrudescat cùm collibuerit: & misera pacificatio non desiderio pacis, sed studio belli crudioris fiat. B Ita nimirum hodiernis christianis, Christi sui de charitate mutua cordi & in pretio sunt, tum mandata, tum exempla.

Sed imponendus est finis, Modi hujus expositioni: atque aliæ multæ *detestabiles abusiones* Hominum & quidem christianorum, quibus passim, & perpetim Deo Redemptori rebellatur, & obedientiæ, observantiæque, imitationis, & gratitudinis loco, retribuitur, silentio damnandæ: quoniam in præsenti scriptione hoc non agitur ut mores sæculi deplorentur, sed ut Passionem Dominicam meditandi C varietate, adjutæ piorum animæ, in Domini Redemptoris amorem, obedientiam, imitationem, aliosque Passionis fructus deducantur.

MODVS LXXIII.

SEptuagesimus tertius meditandi Passionem Domini modus est, superiori oppositus: quia scilicet in eo consideratur dulcissima & profusissima Christi in electos suos redimendos per Passionem ac mortem propensio, liberalitas, atque plane prodiga sui charitas, & vicissim Hominum Redemptorum, electorum, justorumque erga Jesum pro salute sua Passum profusissima, atque heroica, & usque ad exinanitionem perditionemque suimet (cum Christi tamen gratia, & auxilio, sine quo nihil, nihilque sunt omnes conatus hominum quantumcunque Sanctorum) exhibitio, & exhaustio & profusio.

Quod intellectum sic volo, ut nemo opinetur posse Hominum aliquem, vel etiam totum genus humanum, uni, vel minutissimæ Christi super nos beneficentiæ, aliquid æquale, & condignum reponere. Vere enim Bernardus dixit. *Amat nos Charitas, amat Immensitas: nos autem vicem rependimus cum mensura* infinities improportionata; sed hoc dictum volo, ut discamus ab electis, sanctisque Dei, quibus illi studiis, conatibus, industriis, liberalitatibus, Redemptori suo, omniumD que nostrum, laboraverint gratos se exhibere, excessivæ super se miserationi & charitati illius.

Quantâ profusione Charitatis sese nobis & pro nobis profuderit Dominus Jesus, arbitror opus non esse multis explicare iis, qui verè fideles sunt: imò iis quicunque mysteriorum christianæ fidei rudes omnino non sunt. Pauculis ergo tantùm indicanda, & strictim solùm attingenda est ista Domini profusio. Et quidem si scripturas attendamus sacras: novimus per rubrum mare, in quo salvatus populus Domini, demersus autè cum omnibus suis Pharao, designari Passionem Christi, in qua omnis diabolica Tyrannis,

Exodi 21. 27

rannis, fexque peccatorum disperiit, genus verò humanum universum, in littus salutis, & vitæ æternæ pertransiit. Atque sicut mari profusius est nihil, ita per hoc figuratum est, Passionis Christi efficaciâ, atque in ea in charitatis ejusdem profusione, nihil copiosius esse. Ob quod David loquitur confidenter. *Copiosa apud DEUM redemptio.* (Ps: 129. 7) quid enim copiosiùs, quàm quod omnibus hominibus, omnibus sæculis, omnibus peccatis abluendis sufficit, & redundat, & omnibus præmiis, per omnem æternitatem amplius & excessivius est? Itaque Moyses & Elias cum Christo in monte Thabor colloquentes, *loquebantur excessum ejus.* (Luc: 9. 31) Excessum inquam, non tantùm quasi excessum etiam immensæ & nimiæ charitatis, per quem excessit omnem modum, omnē mensuram, omnem efficaciam, omnem fidem, & spem, omnem retributionem, omnem denique possibilitatem; neque enim ullus major excessus charitatis possibilis est, vel ipsi omnipotentiæ Dei; unde bene Apostolus vocat hanc Dei *charitatem nimiam.* (Eph: 2. 7) quia, ut idem loquitur, supereminet & transgreditur omnem longitudinem, omnem latitudinem, omnem sublimitatem, omne denique profundum. Etenim si attendamus quis sit & quantus qui profudit? quid altius cogitabitur, aut quæ altitudo tanta erit, quæ non exæquetur & excædatur? Si attendamus. Quid profudit, & quantum? nempe Deum-Hominem: Dei-Hominis Majestatem, Dignitatem, Perfectionum plenitudinem, Animam, Vitam, Sanguinem, Gloriam, Honorem, & quidquid Deus-Homo erat, in seque habebat: Et quam latitudinem hæc profusio sumptuosissimæ Charitatis non circumplectetur, non superexcedet?

Quodsi attendamus, pro quibus? Nempe pro nobis hominibus, pro nobis vilitate ipsâ vilioribus, pro nobis scelerositate ipsâ scelerosioribus, pro nobis indignitate ipsâ indignioribus, pro nobis in æternùm damnatis, atque ab omni bonitate, miseratione, æquitate in perpetuum reprobatis, nec ullâ possibili virtute creaturarum, etiam simul omnium, remedii & auxilii capacibus, denique pro nobis ipsâ ingratitudine ingratioribus, omniumque ingratorum & odiosorum pro omnibus Dei super nos bonis eidem Deo retributoribus; ecquod invenire poterimus profundum, tam profundum, tam abyssale, tam ultimum, ad quod ista charitatis Christi super nos, & in nos, & propter nos, profusio non penetravit, non accessit, non excessit? Ad extremum, si attendamus, in quem, & qualem usum, fructum, modumque hæc charitatis Christi profusio facta sit, quænam Longitudo ei æquabitur? Duret per æternitatem humanum genus, peccent omnes & singuli Adæ filii, per æternitatis omnia sæcula exaggerent malitias malitiarum suarum, usque, & usque: omnibus his profusa Christi Charitas sufficit, omnibus major est, omnes istas excedit, excedit autem plus quàm mundus iste atomum, quàm omne mare guttam, quàm omnis æternitas momentum. *Si fuerint* (ait iste Redemptor Deus) *peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana alba erunt.* (Isa: 1. [18]) Non ponit numerum hominum, non numerum peccatorum, non mensuram enormitatis scelerum, non qualitatem specierum, non temporum sæculorumque spatium, non iterationum recidivationumve limitem. Quod totum Apostolus expendens, excessivus planè & ipse est, in hujus excessivæ charitatis Christi deprædicatione. Hujus rei gratiâ. *Flecto* (inquit) *genua mea ad Patrem Domini nostri IESU Christi: ex quo omnis Paternitas in cælo, & in terra nominatur: ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari, per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* (Eph: 3.) Dixerat autem superiùs. *Deum, qui dives est in misericordiâ; propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificâsse in Christo, ut ostenderet in sæculis supervenientibus, abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo IESU*, (Eph: 2.) quas etiam vocat nulla ratione *investigabiles divitias Christi.* (Eph: 3.)

Sed de Charitatis Christi super nos profusione excessiva, atque nimia, hæc sint satis; præstat siquidem de ea multa meditari, quàm loqui. Videamus jam, & æmulemur Sanctorum Charitatis quoque suæ erga Christum (ex gratia Christi) profusionem. Atque huc veniunt omnes & singulæ Sanctorum Christi, propter Christum, sive actiones, sive Passiones.

1. In hunc censum venit Fides in Deum, & quem misit ille in mundum, in JESUM Christum, quæ Fides vincit mundum, & omnem Sapientiam, Potentiam,

Dul-

Dulcedinem ejus, arbitrans omnia bona ejus, tanquam stercora, atque detrimenta. Hæc fides, in captivitatem redigit omnem intellectum, in obsequium suum, ut quæ sunt apud homines impossibilia, confiteatur possibilia apud Deum, imò faciat omnia possibilia credenti, sitque sperandarum substantia rerum, & argumentum atque convictio non apparentium. Hanc Fidem Catholica Christi Ecclesia exhibet Christo per sexdecim & amplius sæcula, inconcussam: nulli parcens labori, sumptui, difficultati, periculo suo, suorumque.

2. Venit in eundem censum, spes in Christum; quæ facit ut omnes Fideles Christi, etiam in spem contra spem sperent, & confidant Deo, sive spiritualia, sive corporalia, sive æterna, sive temporalia, bona, & auxilia. Spes remissionem peccatorum, spes victoriam tentationum, spes conculcationem omnium infernalium aspidum, & leonum, & draconum, spes oblivionem carnis, & sanguinis, spes Iustificationem & gratiam, spes filiationem & hæreditatem Dei cũ Christo, spes resuscitationem ex mortuis, spes consessum in cœlestibus, spes ipsam æternam vitam, possessionemque Regni à constitutione mundi, præparatam, ex Christi meritis, & sanguine gratiaque derivans, nihil præsentium, nihil inter manus ipsas oculosque positorum aut amat, aut appetit, aut possidet; sed totâ firmitate certitudinis fertur in abscondita, in invisibilia, in futura, in promissa; firmiusque & inconcussâ magis adhæsione, ista, etiam adhuc in ista vita possidet, quàm si re ipsâ omni jure, mundi universi bona possideret. Imò quod est ampliùs, atque mirabilius; ideo universis hujus mundi bonis inhærere, vel capillo tenus recusat, ut tantò firmiùs immobiliusque futura illa sperans, illa eadem sperando possideat. Neque solùm spes nostra in Christũ hoc agit, quod bona præsentia omnia profundat, & bona futura possideat: verum insuper, omnia mundi mala, & incommoda aggreditur, atque perpetitur, ut futuris prœmiis bonis, per invictam adversitatum incommoditatumque tolerantiam pertrui mereatur. Existens per hoc, in Christum suũ liberalissima: quòd quantò se ampliùs ad bona à Christo sperata exspectataque capaciorem sperando, & per spem operando bona, sufferendo adversa reddit, tantò ipsum Christum quodammodo reddat in bonis super se profundendo, inque prœmiis exhibendis, gloriosum magis, beatum magis, demumque coram & a Patre suo cœlesti remuneratum magis. Est enim gaudium Domini, fortitudo nostra, & gloria est Christi glorificatio nostra.

3. In hunc quoque censum venit, Fidelium Christi in Christum dilectio. Neque enim ullâ aliâ re condignius Amor, quàm amore compensatur. Quidquid dederis, si amorem subtraxeris, nihil dedisti. *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihilum despiciet eam.* Dilectio siquidem talis est res, quæ sola bona, sola per se, & se ipsa bona est; omnia reliqua facit bona, & sine hac una, omnia alia quæ videntur non sunt bona. Quomodo autem Fideles Christi retribuant dilectionem Christo? videre licet, & specimen capere, ex uno Apostolo Christi, vero amatore Christi. *Quis ergo nos separabit* (ipse loquitur, & quidem non in sua tantùm, sed in omniumvere amantium Christum persona loquitur) *à charitate Christi. Tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* (*Sicut scriptum est. Quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis,*) *sed in his omnibus, superamus propter eũ, qui dilexit nos: Certus sum enim, quia neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro.*

Ne autem quis putet in solis magnificis verbis Amorem Pauli erga Christum sistere, audire liceat operosum amorem ejus. [*In quo quis audet,* (*in insipientia dico*) *audeo & ego. Ministri Christi sunt,* (*ut minus sapiens dico*) *plùs ego; in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, unâ minus accepi; ter virgis cæsus sũ, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore, & ærumna; in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor, quis scandalisatur & ego non uror?* En quomodo Paulus charitate suâ sanè oporosâ Christi charitatem æmulari connisus est? Qui etiam non dubitat profiteri de seipso: *Gaudeo in Passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro*

Rom: 8. 35

Ps. 43. 22

2. Cor: 11. 21.

Col: 1. 24

corpore ejus, quod est Ecclesia.

Atque hæc quæ fecit, quæque de se professus est Paulus, fecere Apostoli, Apostolorumque successores: fecere Martyres, fecere Anachoretæ, fecere in simili fideles ab origine Christi Ecclesiæ, & faciunt usque huc, facturi usque ad consummationem sæculi. Quid enim agit universa Christi Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa? quid egerunt tanti exercitus Martyrum, qui pro testamento Dei sui tradiderunt in omne carnificinarum & mortis genus animas suas, suoque sanguine mundum idololatriâ, & omnigenis iniquitatibus fœtidum abluerunt,& emaculaverunt? Quid egerunt innumera illa priscorum Monachorum, Eremitarumque examina? Quid agunt hodieque infinitorum cœnobiorum incolæ sexûs utriusque? De quibus omnibus justissimè, quia & verissimè, dicas id quod Paulus loquitur de Sanctis fidelibusque veteris testamenti. *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem, alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* [Hebr. 11. 33] E quibus omnibus nunquid est aliquid, quod non præstitum sit, quodve non etiam præstetur à fidelibus Christi propter Christum in Ecclesia Catholica?

Vixit Pauper Christus ita, ut non haberet ubi caput reclinaret suum? vivunt fideles ejus absque ullo dominio & proprietate super rem etiam tenuissimam, adscitâ etiam per votum Deo factum incapacitate Dominii, & Paupertatis æternitate.

Vixit Christus virgo? Habet in Ecclesia imitatores: qui in carne non secundum carnem militant, nulla carnis blandimenta admittunt, & insuper virgines continentesque, æterni voti sponsione sunt.

Vixit Christus obediens usque ad mortem Crucis? innumeri sunt, qui totos se submiserunt alieni regiminis jugo, superaddentes sibi votum obedientiæ perpetuæ propter Christum.

Humilis fuit Christus, & Mitis? Discunt ab eo, æmulanturque in ipso Humilitatis & Mansuetudinis viam, viventes sine querela & offensione, omnem humilitatem invicem insinuantes, & honore invicem prævenientes.

Passus est Christus? & fideles ejus eâdem cogitatione armantur, atque in patientia offerunt ei fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum; gloriantur in tribulationibus, atque omne gaudium existimant, cùm in varias tentationes & persecutiones inciderint.

Bajulavit Crucem suam Christus, tam internam quàm externam. Sunt fideles, qui verè fideles sunt, qui abnegant semetipsos, & tollunt crucem suam quotidie, & mortificationem Christi jugiter in corporibus, & animabus suis circumferunt, adeò, ut profiteantur, nihil se scire, nisi Jesum, & hunc crucifixum, in nullo gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem eis mundus crucifixus est, & ipsi vicissim mundo.

Christi Cibus fuit facere voluntatem Patris? Et Christi fideles, in lege Domini meditantur die ac nocte, inquirentes & exequi satagentes, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta; omni horâ, totisque cordibus clamantes Domino: fiat voluntas tua, sicut in cœlo,& in terra. Non mea Domine voluntas fiat, sed fiat voluntas tua.

Christus non suam, sed Patris Cœlestis gloriam quæsivit? Et fideles Christi, in eo fidelitatem, fidemque suam Christo commendant,atque comprobant: quia sive comedunt, sive bibunt, sive aliud quid faciunt, omnia in gloriâ Dei faciunt; sic faciunt coram hominibus opera sua bona, ut ea videntes glorificent Patrem, qui in cœlis est. His clamant jugiter Deo, Magnificat anima mea Dominum. Clamant jugiter. Exaltetur Deus salutis meæ. Clamant jugiter. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum. Clamant jugiter: Omnia ad Majorem Dei Gloriam.

Christus de manu Patris sui elegit vestitum humilitatis, confusionis, contemptûs, elegit Crucem, & Crucis mortem, confusione, & ignominiâ ejus contemptâ, proposito licèt sibi ex partè altera; gaudio,gloriâ & honore? Et fideles eju s eligunt abjecti esse in domo Domini,magis quàm gloriosè habitare, delicatè vivere in tabernaculis peccatorum. *Exhibentes se sicut* veros Christi discipulos, *Deiq; ministros, in multa patientia, in tribulationibus,* [2. Cor.]

nibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ, à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, &c.

Christus Bonus Pastor, animam suam posuit pro ovibus suis. Et Christi fideles pro Christo legatione funguntur, tanquam Deo exhortante per eos. *Obsecramus* [2. Cor. 5. 20] *pro Christo, reconciliamini Deo;* quoniã ipse, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Hi die noctuque stant succincti lumbos, & lucernas tenent in manibus suis, tanquam boni dispensatores, & fideles ministri, super familiam Domini constituti, ut dent illis in tempore tritici mensurã, & custodiant vigilias super greges suos, atque ad instar Principis Pastorum, etiam mercenarios, & fures, & lupos, ovilibus Domini propulsant, etiam fortunarum, etiam famæ, etiam sanguinis, etiam vitæ prodigi, pro Animarum Christi sanguine redemptarum salute.

In summa: habet Christus imitatores suarum virtutum, exsecutores suorum mandatorum, custodes suorum consiliorum, æmulatores suarum perfectionum, zelatores suæ gloriæ, dispensatores prudentes, qui sciant familiæ Domini sui dare tritici mensuram in tempore suo, negotiatores industrios, & diligentes, qui unâ Domini sui mnâ, decem lucrentur. Operarios laboriosos, qui non refugiunt portare pondus diei, & æstus, in vinea Domini excolenda: servos denique fideles qui, cùm omnia fecerint, quæ præcepta sunt eis, nihilominùs dicunt. *Servi* [Luc. 17. 10] *inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Neque verò ab hoc redamatorum Iesu Christi Redemptoris, profusissimique nostri Amatoris, cætu excludendi sunt alii fideles ejus, credentes in eum, & ex fide viventes, operantesque opera dilectionis & justitiæ, servantesque mandata Domini, ut mereantur ad vitam æternam ingredi. Et hi enim esurientem Christum pascunt, sitientem potant, nudum vestiunt, peregrinum hospitio excipiunt, captivum redimunt, infirmum visitant, incarceratum solantur, mortuum sepeliunt. Hi quoque oculus fiunt cæco, & pes claudo, & Patres sunt Pauperum, mœrentium consolatores, non negant, quod volunt, pauperibus, neque oculos viduæ exspectare faciunt, neque comedunt buccellam suam soli, sed eam cum pupillis partiuntur, post aurum non abeunt, neque sperant in pecunia & thesauris, neque dicunt obrizo, fiducia mea; qui benefaciunt malefacientibus, benedicunt maledicentibus, orant pro persequentibus, non vincuntur à malo, sed vincunt in bono malum, nec dant ad peccandum guttur suum, ut maledicant odientibus se. Denique utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; abundant in operibus bonis, & jugiter inclinant cor suum, ad faciendas justificationes Domini in æternum propter retributionem. Vide sis patrimonia quæ dederunt pauperibus Christi; monasteria, quæ ædificarunt filiis excussorum Christi; templa, quæ fundarunt honori Christi; altaria, quæ exstruxerunt & instruxerunt sacrificio Christi; Cantus & psalmodias, quibus per templa Christi providerunt resonare laudes Christi. Thesauros auri, argenti, gemmarum, vestiumque pretiosarum, quibus repletæ sunt domus Christi, ornatæ fulgent augustiùs cruces, altaria, imagines Christi. Et hæc omnia sunt patrimonium Christi, sunt merces sanguinis Christi, sunt protestatio flammescentis in cordibus fidelium dilectionis Christi.

Et fatendum est quidem, quia hæc omnia, quæ breviter enumerata sunt, nihil omnino sunt, si conferantur charitati, quâ excessivè, & superabundanter dilexit nos Christus: attamen etiam negandum non est, attentis viribus nostris, & tenuitate facultatum nostrarũ, hæc quoque pro magnis reputanda esse, ut pote fructus multùm ebullientis per corda nostra redamationis Christi, quam in eis constanter efflorescere facit charitas redundans in Passione Christi.

Hæc recogitans pia anima, recordetur se quoque unam esse, ex his, quas profusè prodigèque amavit Magnus amator Christus, & animetur ad hoc, ut omni conatu virium suarum, satagat, ad semper, semperque ampliùs, profusius, prodigaliùs, effundendum se in amorem, & fructus amoris Christi.

MODVS LXXIV

Septuagesimus quartus Passionem Dominicam meditandi Modus est. Speculari in ea, atque discere exemplariter elucescentem observationem Divinorum mandatorum. Etsi enim tota Domini nostri vita, morum nostrorum fuit disciplina, nec non speculum executionis præceptorum Dei, atque voluntatis ejus, attestante id, ipso de se Domino: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Itē. *Ego, quæ placita sunt ei facio semper,* nihilominus hæc Christi ad Divinam voluntatem subjectio, mandatorumque plenissima execútio, perfectissima, & (prout dixi) exemplari, consummativâque ratione elucescit, atque residet in Dominica Passione.

Ioan: 14. 31
Ioan: 8. 29

Licebit ergo pio meditatori, universa decalogi præcepta, à Christo in sua pro nobis Passione accuratissimè adimpleta pervestigare, & in sedulam imitationem observantiæ sibimet assumere.

I. Præceptum est. Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Servavit & adimplevit Christus Dominus mandatum hoc, in Passione sua, quia Patri suo, hoc est, Deo vero, eum exhibuit honorem atque cultum in Passione sua, qui & uni, & soli Deo debetur, estque omnium cultus eminentissimus: obtulit enim sacrificium & holocaustum Deo, non quale quale, non taurorum aut arietum pinguium millia, sed semetipsum, vitam suam ponens, pro obedientia Dei Patris. Quod olim diabolo adorationē sui suadenti, respondit; *Dominum DEUM adorabis, & illi soli servies:* hoc quàm plenissimè præstitit per Passionem & mortem suam, soli Patri sese non tantùm in servum, sed & in holocaustum & sacrificium immolando. Docens nos in Dei nostri cultum profundere, non omnia tantùm nostra, sed etiam ipsos nos, impendendo, honori & obedientiæ, illi à nobis debitæ, etiam sanguinem, etiam honorem, etiam libertatem, etiam vitam.

Exod: 20. 2
Matt: 4. 10

II. Præceptum. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nunquam Christus otiose, nunquam falsò juravit, ac etiam observare est in vita Christi, rarissime ipsum Dei nomine usum, nec nisi cum speciali aliquo adjecto reverentiam Dei sonante. In tota Passione sua solummodò bis, terve Deum nominavit, idque cum singulari affectu, tum dilectionis, tum reverentiæ, tum fiduciæ, tum obsecrationis, dicens: Deus meus, Deus meus &c. Inter eandem Passionem per nomen Dei vivi adjuratus: eam fecit sanctissimo nomini Dei reverentiam, ut propter eam confessus sit luculentissimè, se Christum Dei Filium, sessurum à dextris virtutis Dei, venturum in nubibus cæli; (esto noviĺlet, confessionem hanc capitalem sibi futuram.) Ad hæc: Passione sua Christus, illa omnia quæ Patribus Deus promiserat, & per semetipsum juraverat, fidelissimè præstitit, persolvitque; usque dum in Cruce protestaretur diceretque *Consummatum est:* quidquid nimirum ad Dei Patris honorem, promissorum fidem, salutem nostram, obedientiam & charitatem suam attinebat. Quo exemplo, docuit nos Dominus summa cū reverentia, humilitate, veneratione, parcitate Divinum nomen sermonibus nostris interserere, nec sine interiore pietatis, religionisque sensu illud usurpare.

III. Præceptum. Memento diem Sabbati sanctifices.] Videri poterat, & de facto Iudæis visus erat Dominus Sabbatum non custodire, quæ fuit (ut videri volebant) iisdem causa singularis, odiorum atque persecutionum in Christum. Sed insanam superstitionem Iudæorum, satis refutavit Dominus. Maximè cùm ipse esset Dominus etiam Sabbati. At nihilominus exactam Sabbati custodiam in Passione sua demonstravit, tum quando in cruce, corpus suum per Sabbatum remanere, tum quando in Sabbato noluit sibi à fidelibus ullum mortuale obsequium exhiberi, tum denique quia toto die mortem suam sequente, Sabbatisavit, requiescens in sepulchro. Consummato salutis nostræ opere, nec non condito Ecclesiæ suæ mundo: prout olim condito mundo hoc visibili, septimo die requierat. per hoc instituens nos: ut dies cultui Divino destinatos, non solùm habeamus, sed habitos revereamur, & Divino obsequio laudatione, gratiarum actionibus, orationibus, sermonibus sacris audiendis, nec non aliis salutaribus operibus, sanctos, & Deo consecratos placitosque reddamus. Ne hostes nostri dæmones, derideant sibi Sabbata nostra, prout hodie (pro dolor, & probrum Christi!) fieri apud Christianos amat, quibus, nulli magis ad omnem licentiam morum, ad omnem turpitudinem exercendam, de more atque instituto destinati sunt dies, quàm festi, quàm sacri, quàm

Deo scilicet dicati, ejusque cultui destinati, quasi hoc esset Sabbatum quod Dominus elegit, quodve à suis christianis Christus requirit.

IV. Præceptum. Honora Patrem tuum & Matrem tuam.] Constat Dominum nostrum totam vitam suam impendisse honori, cultui, obsequio, obedientiæ Patris æterni, idque sub ratione Patris: quem & ideo sæpissimè hoc gratioso Patris nomine compellare gratissimum & usitatissimum habuit. Constat etiam, ab eodem Domino Nostro Matri suæ ad usque annum vitæ trigesimum, obsequium & subjectionem filialem exhibitam, nihilque officii, quod Pietas in parentem posceret omisisse. Josephum quoque Patrem putatum, affectu veri Filii, quoad vixit coluisse. Sed hoc tamen præcipuè demonstravit in Passione sua, in qua licèt undique calamitatibus obseptus, vereque vir dolorum, & sciens atque experiens infirmitatem esset, Matris tamen Cruci suæ adstantis curam minimè prætertiit, sed eam Joanni commendans, eidem in eam filialem suum affectum amoris, & curæ indidit: unde & Joannes ex illa hora accepit illam in sua. Patri verò æterno tum suam Passionem ac mortem, mortisque ignominiam, in honorem, obsequium, mandatique illius exsecutionem impendit, tum in extremo vitæ periculo, inclinato per summam devotionem, venerationemque capite, animam suam recommendans, atque tradens in ejusdem Patris manus, exspiravit. Sciens, & nullo se loco meliùs spiritum suum, quàm in Paternis manibus depositurum; & nullo se gratiore pignore manus Paternas, quàm sui Spiritûs in eas depositione daturum. Hac eâdem operâ erudiens nos: tum omnem vitam, nostrâ cultui honorique summè boni, summè pii, summeque venerandi, Patris nostri cœlestis, & nostro, & omnium creaturarum nomine consecrarre, tum debito, Parentes, Magistratus, Majoresque omnes honore, ac veneratione, pietatisquè officiis colere. Sibi enim hoc vel impensum vel negatum protestatur, quod Majoribus impensum negatumve fuerit, quod in nullius alterius præcepti sui observatione, aut violatione attendit Deus, idque adeò delicatè, quasi pupillæ oculi sui res sit.

V. Præceptum. Non occides. Nullum occidit Christus, imò omnes mortuos peccatis, Passione suâ morteque vivificavit, insuper resurrectionem ex mortuis nobis omnibus promeruit. Unum solummodò, hostem nostrum occidit, mortem videlicet tam corporis, quàm animæ, tam temporalem, quàm æternam; de qua per Prophetam olim comminatus fuerat dicens. *Ero mors tua, ô mors; & morsus tuus inferne.* Ad hæc etiam peccatum in suo mortali corpore interfecit, una cum chyrographo mortis *affigens illud Cruci.* Cujus figuram olim gessit & expressit David Philistæum interficiens, & suo ipsius eum gladio truncans, demumque *velut tenerrimus ligni vermiculus sexcentos*, hoc est, innumeros, & universos nostros hostes *interficiens impetu uno.* Atque per hoc etiam nobis fidelibus suis legem fixit, ut proximum quidem, etiam inimicum, & odientem, unusquisque nostrûm diligat sicut seipsum propter Deum, cum peccato autem & diabolo, & mundo, & carne internecinum geramus bellum: donec eos virtute Passionis, Crucis, & mortis ejus conteramus sub pedibus nostris.

Col. 2. 14.

1. Reg. 17. 51.

2. Reg. 23. 8

VI. Præceptum. Non mæchaberis.] Christus Deus Noster, de Spiritu Sancto conceptus, deque intemerata semper Virgine Matre, virgo natus est, virgo vixit, virgo mortuus est, ut pœnè absurdum sit, aliquid pro virginea Christi integritate asserenda laborare. Nihilominus ille sponsus sanguinum factus est Ecclesiæ suæ, quam sibi per sanguinem, crucem, & mortem acquisivit, & exhibuit non habentem rugam, neque maculam: ex cujus mortui latere, tanquam ex novi Adæ costa, ædificavit sibi uxorem, eamque fecit Matrem omnium viventium, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nascuntur filii Dei viventis; Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ob quod Dominus Jesus, Pater futuri sæculi meritò nuncupatur. Atque hic nobis amabilissimè denuntiat dicens, *sponsavi te mihi in fide.* Et ejus Apostolus. *Despondi vos* (ait) *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ergo videat quisque nostrûm, ut possideat vas suum, non in passione desiderii, sed in sanctificatione, & munditiâ, ut sit virgo & carne, & Spiritu, ut virgo sit, sed prudens, habens lampadem non solùm fidei & spei sinceritate ornatam, verùm etiam oleo bonorum operum plenam, charitatisque igne succensam.

2. Cor. 11. 2

VII. Præceptum. Non furtum facies.] Attestatur Apostolus de nostro Domino Jesu Christo: quia non est rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo; quin potiùs cùm dives, imò Deus, & in

forma

forma Dei esset, propter nos egenus factus est, ita ut neque ubi caput reclinaret suum, neque ubi pedem poneret, habuerit: insuper autem quæ non rapuerat; furta primorum parentum, omniumque nostrûm, in passione exsolvit. usque ad novissimum quadrantem, in omni rigore justitiæ, nec ad æqualitatem solùm, verùm etiam usque ad copiosum excessum. Et tamen non omisit Dominus exercere rapinam spoliaque diripere ex hostibus tam suis quam nostris: propter quod nomen illi inditum narravit Propheta. *Accelera, spolia, detrahe. Festina, prædare.* Ergo fortem armatum invasit, vicit, vasa ejus diripuit, & ab ipsis inferis captivam captivitatem eduxit, infernum & diabolum iniquè rapta possessione, justè spoliavit. Ideo decantatum est illi: *Hæc est præda David, accipite de benedictionibus Domini.* Et illud. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, accepit & dedit dona in hominibus.* Hæc rapina, hæc spolia, hæc captivitas Christi, nos sumus, & utinam esse amemus, esse curemus, esse perseveremus. Quid enim felicius? sed heu, quàm multi amantes peccata sua, diligunt mortem; & tradunt se diabolo in servos, eligentes maledictionem, & negligentes benedictionem. Filii Levi, filii potentes, filii excussorum, accingimini, & estote robusti, eruite pretiosum è vili. *Ite ad gentem convulsam & dilaceratam & gementem sub tyrannide, tot dominorum, quot vitiorum. Afferte Domino filii Dei, afferte filios arietum,* diligit enim Dominus noster talem *rapinam in holocausto.*

Isa: 8.1.3.
2.Reg.30.20
Eph: 4.8.

VIII. Præceptum. Non falsum testimonium dices. Absit ut Christus veritas, ut verax, & testis in cœlo fidelis, & qui cum veritate judicat, & vincit, falsum testimonium dixerit aliquando. Passus est tamen falsos testes, falsa testimonia contra se audivit, in hora Passionis suæ. Insuper autem potestatus est coram Pilato, *se in hoc natum esse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati.* Et præstitit perhibuitque sanè quàm abundè, factaque sunt testimonia ejus credibilia nimis, virtute operum, evidentiâ miraculorum, veritate verborum, ita ut inimici dicerent ei: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Nihilominus inimici ejus mentiti sunt ei, & verissimum testimonium ejus quod dedit veritati coram Caipha Pontifice, & universo concilio, appellaverunt falsum, atque blasphemum, & ob illud proclamatus est, *Reus mortis.* Sicque testis veritatis, factus est victima falsi testimonii, neque ullam habuere Iudæi procurandæ & urgendæ mortis Christi causam, aut gravem & speciosam magis, aut falsam ementitamque magis. Et per hoc docet nos Dominus Jesus, esse nos per omnia servos veritatis, cultores, amicos, prædicatores, professores, tutores.

Ioan: 18.37
Matt: 22.16
Matth. 26.66.

IX. & X. Præceptum est. Non concupisces quidquam eorum, quæ proximi tui sunt. Non uxorem, non servum, non bovem, &c. Quomodo Christus Dominus aliquid nostrum concupisceret, qui ad hoc in mundum venit ut sua omnia, & se ipsum nobis impenderet, nobisque daret? Profudit ergo, & plane prodegit, in nos, inque usum nostrum omnia sua, & Divinitatem, atque personam cum omni gloria ejus, & corpus, & sanguinem, & famam, & vitam, & animam, & matrem, & merita, & opera, & virtutes, & passionem; denique totū se, quidquid erat, quantus-quantusque erat: ita ut etiam illud quod in latere & corde adhuc sanguinis & aquæ post mortem superfuerat, per vulnus lateris aperti effundi, atque in nostræ salutis Sacramenta transire fecerit. Solâ duntaxat cruce reservatâ sibi, à qua nonnisi alienâ manu; alienâ potestate, & mortuus quidem, depositus sit. Et hæc est disciplina nostra, magisteriumque nostrum, nobis à summo doctore, ex cathedra crucis tra ditum, ut simus in mundo isto tanquam filii excussorum, nihil concupiscentes eorum, quæ in mundo sunt, nihil commune habentes cum mundo, omnia impendentes saluti nostræ, auxilio proximi, dilectioni Christi, gloriæ Dei, solam crucis, & paupertatis, & Passionis, & stultitiæ Christi possessionem, hæreditatemque nobis usque ad mortem imitatione retinentes, vindicantesque; solo hoc ex Christi bonis patrimonio in hac vita, divites, gloriosi, beati.

M O-

MODVS LXXV.

SEptuagesimus quintus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest, advertere quomodo in Dominica Passione eluceat observatio consiliorum Christi. Erit operæ pretium, eum meditandi modum in aliquot consiliis Christi declarare.

Ac I. Quomodo octo Beatitudines quæ propria Christi consilia sunt, in ejusdem Domini nostri Passione reluceant, declaratum est superius, Modo 32. *Matth. 5. 3*

2. Consilium voluntariæ Paupertatis totâ quidem vitâ suâ Dominus exactissimè consectatus est, adeò, ut ab ipso per nativitatem in mundum hunc, vitamque mortalem ingressu, non invenerit ubi caput reclinaret suum; præcipuâ tamen ratione, in tota Passione sua eluxit ejus erga Paupertatem amor, atque observantia. *Luc. 9. 58* Nudissimus enim in Cruce pependit. Vestimenta sua inter crucifixores partita esse voluit, capite pendulo, & fulcimenti indigo, mortuus est. In siti sua, guttam aquæ non habuit, alienâ sindone involutus ad Sepulturam, alienâ stipe mortui corpus inunctum est, alieno denique in sepulchro conclusus, & conditus est. Nullum successorem bonorum, nullam è suis rebus possidendam hæredi reliquit; nisi alienâ miseratione de Cruce depositus, tumulatusque fuisset, esca futurus erat, aut volucrum, aut bestiarum rapacium, sive in Cruce relictus, sive sub cruce projectus. Atque hæc omnia Christo tam fuêre voluntaria, & electa spontanee, quàm quidquam spontaneum.

3. Consilium voluntariæ virginitatis atque Puritatis, in omni vita servavit, sed specialiter in Passione & morte complevit Dominus noster. In medio enim virginum, hoc est, Matris, & discipuli mortuus est, & virginem suam carnem, exquisitis subjecit, tum verecundiæ, tum mortificationis occasionibus, & afflictionibus. Et id quidem in pœnam & expiationem omnium & singularum totius humani generis execrandarum obscænitatum; tum etiam ad emerendam apud æternum Patrem corruptissimæ, & in turpitudinem luxuriæ projectissimæ naturæ nostræ, omnis castitatis, potissimùm verò virginalis puritatis, & gratiam, & amorem, & studium, & præmium, atque triumphum. Nisi enim Christus virgo, virgineam suam carnem, carnis voluptatibus subtraxisset, doloribus autem subjecisset, nequaquam virginum sponsus, & Rex puritatis omnis, castique consilii seminator exstitisset.

4. Consilium voluntariæ obedientiæ, cujus cùm stupendum inprimis Amorem, cultum, exemplumque in Passione Domini nostri videre est, tum etiam votum, professionemque cognoscere. Quemadmodum in primo instanti Incarnationis suæ, ingressûsque sui in mundum momento, professus est Dominus noster Æterno suo Patri obedientiam omnem, asserente id post Psalmistam Apostolo. [*Ideo ingrediens in mundum dicit. Holocaustum & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi,* &c. *Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* contestans se nullâ sua usurum libertate, quantumlibet sibi à Patre permissâ, & relictâ, saltem quoad circumstantias, & conditiones mandati de morte subeunda pro nobis, idque voto perpetuo confirmans, & sanciens. Ad eundem modum etiam ex mundo exiens, atque ad Deum vadens, & sciens quia omnia dedisset ei Pater in manus, nihilominus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Atque cùm hic jam prospiceret terminum tam suæ Passionis, quàm Paternæ voluntatis, minimè autem suæ ad obediendum ultra promptitudinis: non dubitavit Paternam voluntatem provocare, ad suggerendam adhuc alacritati suæ patiendi ac obediendi materiam, propter quod inclamavit in Cruce, *Sitio*; in quo nimirùm ampliùs Patri obedire, & suæ ad obtemperandum fami sitive obsequi posset. Cùm verò animadverteret Patri Æterno nullam ampliùs esse imperandi sibi voluntatem: ergo filiali simul humilitate, simul subjectione, persimilis querenti, ait, ad Patrem. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Obliviscens famelicæ sitibundæque promptitudinis meæ ad obedientiam, Tibi ô Pater, quia nullam mihi jam dignaris suppeditare præcepti materiam. Quocirca quoniam obedire ulteriùs, non possum Tibi, *& consummata sunt omnia* quæ placuerat imperare mihi, si itaque finis vivendi, quandoquidem est finis obediendi. Non enim lubet ultra vivere, quoniam non licet ultra obedire. Ergo *in manus tuas Pater commendo Spiritum meum,* ut eadem sit mihi clausula vivendi, quæ & obediendi. Atque in hac quoque *voluntate san-*

Ioan. 19. 28
Luc. 23. 46

tate sanctificati sumus per oblationem corporis IESU Christi.

Hebr: 10. 19

Luc: 18. 1. Luc. 21. 36

5. Consilium Christi. *Oportet semper orare & non deficere. Igitur vigilate omni tempore orantes.* Hoc consilium suum Incarnata Sapientia Christus, totius quidem vitæ suæ decursu exercuit, sed maximè illi in sua Passione deditus fuit: quin imò Passionem suam totam, fecit orationem perpetuam. Cùm enim tota ejus Passio, crux, & mors, aliud nihil sit, quam sacrificium, atque adeò holocaustum, quod pro omnium salute, unigenitus Dei, Deo Patri obtulit, constat autem sacrificium esse præstantissimam orandi speciem, sequitur quidquid in Passione Christi est, seu quidquid Christus Passus est, id totum orationem ejus fuisse. Et præter hoc, initium Passionis Christi, oratio perquam accurata fuit in horto Getsemanico. Deinde per totius Passionis cursum, illa perpetua Christi oratio fuit: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Jam verò in Cruce per tres horas cùm penderet vivus: *preces & lachrymas cum clamore valido obtulit Patri:* quas Psalmo suo toto David Rex prophetaverat, ad extremum totam vitæ periodum orando, & in manus Patris Spiritum suum commendando tradendoque absolvit.

Luc: 23. 34

Hebr: 5. 7. Psal: 21. toto.

Luc: 14. 11

6. Consilium Christi. *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & omnis qui se exaltat humiliabitur.* Hoc consilium a Christo in Passione completum, qui non agnoscit, planè nihil in ea, nihil in Christi fide, nihil in ipso Christo agnoscit. Ad hoc explanandum sufficit illam Apostoli tum enarrationem, tum etiam simul exhortationem adducere. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESU: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quibus verbis graphicè Paulus & exinanitionem humiliationemque Christi, & ejusdem exaltationem, & denique nostram obligationem, atque etiam exspectationem complexus est.

Phil: 2. 5.

7. Consilium Christi. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus vos, benedicite maledicentibus vos.* Et quid est tota Christi Passio, si non hujus consilii praxis, atque executio? Nã præter illam inauditæ mansuetudinis vocem, qua Dominus in medio acerrimarum passionum, orabat ad Patrem non se postulans vindicari, sed crucifixoribus suis petens ignosci; utique tota Passio fuit inimicorum & dilectio, & cum irati Dei justitia reconciliatio. *Etenim cum adhuc inimici essemus reconciliati sumus Deo per Christum,* perque mediantem ejus Passionem, & mortem. Quare etiam usque hodie in singula momenta, & usque ad mundi finem Passio Christi præcipuè operatur unam dilectionem inimicorum, reconciliationem injuriosorum, veniam peccatorum, gratiam ingratorum, amorem persecutorum, provocationem infidelium, justificationem iniquorum. Ita ut sine Passione Domini, pacem cum Deo habere nemo possit, cum ea verò nemo non possit. Adhuc ergo hodie Christus clamat de Cruce pro nobis ad Deum. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quæ vox nisi semper in paternis auribus, per vulnera & mortem unigeniti personaret, indubitatè totus mundus in suarum eluvione iniquitatum disperiret. Sed oratio Patientis Domini pro peccatoribus, scutum est atque protectio peccatorum ab justo furore Domini irascentis.

Matt: 5

In hunc modum, cætera consilia Christi in Passione Christi elucescentia, pio meditatori considerare licebit, hæc autem in exemplum dedisse hoc loco sufficiat. Alia consilia Domini sunt. *Quæ tua sunt, ne repetas. Si quis percusserit te in unã maxillam, præbe illi & alteram. Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Qui major est vestrûm, fiat sicut minister. Gratis accepistis, gratis date. Dimitte, mortui sepeliant mortuos suos. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et alia ejusmodi.

Luc: Matt: Matt: Matt: Matt: Matth Matt: 19

MODUS LXXVI.

Septuagesimus sextus Passionem Domini meditandi Modus est: applicando nostras ad illam, vel illam ad nostras passiones, sive affectiones, tam quæ in concupiscibili quàm quæ in irascibili appetitu resident. Habent enim si diligenter attendimus omnes nostræ affectiones in Passione Christi, in ipsoq; Christo Passo, pabulum suum, speculum suum, exemplar suum, frenum suum, regulam suam,

suam, locum suum, prœmium suum, quæ omnia devoto meditatori in Christi Passioni scrutari licet. Ejus rei partem aliquam in Paradigma dabimus. Quia verò ut duplex est noster appetitus, nempe concupiscibilis, & irascibilis, ita duplices quoque reperiuntur in nobis passiones. In appetitu concupiscibili reperiuntur passiones sex. Amor, desiderium, delectatio, seu gaudium & fructus. Item Odium, fuga, tristitia, seu dolor. In appetitu irascibili est Ira, spes, desperatio, audacia, timor. De utrisque hisce passionibus, quatenus circa Dominicam Passionem occupari possint, dicemus. Et quidem in præsenti modo, de passionibus appetitûs concupiscibilis, in sequenti verò de passionibus irascibilis appetitûs tractabimus, ne videlicet unius modi tractatio æquo longiùs excrescat.

Hi ergo omnes affectus reperiuntur in naturæ nostræ parte inferiori, quâ cũ brutis communicamus. Rationalis autem voluntas, quæ in superiore nostrî portione est, unica licèt sit in se, omnibus tamen iisdem affectionibus suo modo æquivalet, & supra dictis utitur; sed interdum ita, ut eis obsequatur, & ab eis abripiatur, obluctante ratione, & tunc mala est: interdum autem ita, ut eis ipsa dominetur, easque juxta lumen, & dictamen rationis ac divinæ legis, fideique regulam gubernet, & tunc bona est. Unde illud vulgare sed laudabile dictũ. Voluntas si rationem sequitur, virtus est; voluntas si rationem non sequitur, vitium est. Ut ergo voluntas nostra cum passionibus suis rationem sequi condiscat, & consuescat, & delectetur, ad Dominicam Passionem sese convertat, & exinde omnem sui, passionumque disciplinam desumat & exhauriat.

I. Amor in Passione Domini plùs quã luculenter addiscit, quid amare debeat, quid non amare. Quantum amare: & propter quid amare, & quomodo amare oporteat. Passio enim Christi clamat, nobis amorem Christi in Deum, & amorèm nostri propter Deum, & quomodo amatus sit Deus à Christo, super omnia, quomodo amati nos à Christo propter Deum. Et hoc suo clamore eadem Passio Christi edocet nos, pari modo, & à nobis amandum esse Deum super omnia, super vitam, super animam, super famam, super dignitatem, super totum mundum, super libertatem, super bona omnia: Nos autem & proximos nostros, amandos esse à nobis, propter Deum, & secundùm Deum, ejusque voluntatem, atque gloriam. Quocirca Passio Domini est ipsissima schola, disciplina, regula amoris, in qua nihil magis inclamatur: quàm illud. Dilige, quia dilectus es. Dilige, quomodo dilectus es. Dilige, quantùm dilectus es.

II. Desiderium, habet eruditionem pabulumque suum, in Dominica Passione. Desiderando quod Christus desideravit, quomodo Christus desideravit, ad quid, & quantum Christus desideravit. Desideravit Christus Deum, & ejus gloriæ amplificationem, Majestatis, ac perfectionum notitiam, & manifestationem. Voluntatis, & legis ejus, beneplacitique, tum cognitionem, tum amorẽ, tum adimpletionem. Desideravit quoque Christus suimet quà Deus-Homo est, apud homines notitiam, fidem, amorem, præceptorum, & consiliorum amplexionem, vitæ morumque imitationem, sanguinis, meritorum, mortis, & Crucis studium, nobisque communicationem, & à nobis appretiationem: ad extremum Redemptionem nostram à captivitate diaboli, & damnationis æternæ necessitate, ablutionem à peccatis eorumque veniam, justificationem, sanctificationem, acquisitionem vitæ æternæ. Et propter hæc omnia supra dicta, desideravit omnem exinanitionem sui, ex forma Dei usque ad formam servi, formam peccatoris, formam maledicti, formam ab hominibus exterminati, contempti, stulti, nudi, egentis. afflicti, crucifixi, in cruce mortui, atque sepulti. Propter hæc omnia desideravit in stabulo nasci, profugus & exul nutriri, pauperculus extremè vivere, subdi hominibus, jejunare, sitire, totis noctibus in oratione pernoctare. fatigari, laborare, persecutiones, invidias, opprobria, calumnias, contumelias, insidias perpeti, cum publicanis, cum peccatoribus, cum vilissimorum hominum fæce conversari: ad extremum dura, & horrida, & probrosa omnia, ipsamque mortem inter iniquos sustinere, & obire. Hæc Christus desideravit, & desideravit desiderio, per totam vitam suam, continuato; ardenti; & (ut ipse Christus loquitur) arctante ipsum præ vehementia sui, desiderio cum notitia plena omnium desideratorum conjuncto, desiderio constante & perseverante, efficacique usque ad mortem. Desiderio puro, nulli temporali bono permisto, sed toto divino, æterna sapiente, in Deum, & ejus gustũ, gloriamque defixo, neque abrupto aut

finito, priusquam ad exitum deductum, consummatumque esset. Desiderium hujusmodi Christus nobis tota suâ vitâ, & Passione,& Cruce, & morte, commendavit. Tale desiderium nostrum omne esse vult, tali desiderio nos vivere, pasci, saginari, immori, vult, & mandat. Omnia alia desideria nostra, quæ hoc non redolent, neque huic supervivunt, reprobat, & respuit, noxia nobis esse, damnabilia, & in laqueos diaboli inducentia, inque æternum interitum mergentia denuntiat.

3. Gaudium sive Delectatio atque fructus, habet item eruditionem suam pabulumque in Passione Domini. Est enim Passio Domini Exaltativa & glorificativa Dei, ejusque Potentiæ, Iustitiæ, Sapientiæ, Misericordiæ, Bonitatis,Charitatis, Veritatis, Majestatis, Longanimitatis, reliquarumque plurimarum ejus perfectionum. Est item eadem Passio Domini, exaltativa & commendativa nobis, & omni rationi creaturæ, ipsiusmet Christi, tanquam Dei-Hominis, propter voluntatem Patris, propter misericordiam suam, propter salutem æternam nostram, Incarnati, Nati, Passi, Crucifixi, Mortui. Est quoque eadem Passio Domini, nostra salus, & vita æterna, estque ablutio & absolutio à peccatis; est condonatio reatûs æterni; est liberatio à morte tam temporali, quàm æterna; est redemptio à servitute diaboli; est victoria tentationum; est exterminium omnis malitiæ; est confortatio ad laborem; est excitatio, & corroboratio ad passiones; est justificatio ab iniquitate; est fons gratiarum, & virtutum, & meritorum; est jus ad omnem veniam, ad gratiam, ad justitiam, ad filiationem Dei,ad fraternitatem Christi, ad cohæreditatem ejusdem,ad inhabitationem Spiritûs Sancti, ad amicitiam, charitatem, desponsationemque Dei, est denique clavis ad cœlum, porta ad Regnum, Meritum ad præmium, tessera ad victoriam, via ad palmam, reductio ad Deum, introductio ad vitam & Beatitudinem, & Gaudium Æternum. Et estne aliquid excogitare, quod ad Gaudii nostri vel formam, vel materiam desit, & in Passione Domini non sit? Adhucne Gaudium nostrum, pabulum sibi quæret alibi extra Dominicam Passionem? Adhucne stultæ mortalium Animæ vagabuntur per creaturas, à quibus emendicent suas consolationes? Adhucne insipiens homo gaudere appetet de terrenis? de sordidis, de vanissimis, non bonis, sed veriùs bonorum umbris, bonorum fecibus, bonorũ somniis, atque fallaciis? Utinam toti humano generi libeat exclamare: Mihi absit gloriari, absit gaudere, absit exultare, & lætari, & quiescere, nisi in Cruce, nisi in Passione, nisi in morte Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus quidem crucifixus, & contemptus,exosusque est, & ego vicissim mundo. Ipse verò Dominus meus Jesus Christus, gaudium meum, & gloria mea, & corona mea est, & ego vicissim Christo.

4. Odium quoque habet disciplinam & pabulum suum in Passione Christi, quemadmodum Patiens Passusque Dominus noster docuit nos, quid, quantum, quomodo, & propter quid amemus, desideremus, gaudeamus: ita etiam eâdem operâ docet nos quid oderimus, fugiamus, & detestemur. Oderat Christus omne id, quod sciebat esse Dei Patris gloriæ, atque voluntati, inimicum, nostræque saluti,& beatitudini æternæ perniciosum. Oderat peccatum, oderat amorem mundi & ejus vanitatem, oderat carnis desideria & opera, oderat propriam voluntatem, proprium amorem, & superbiam cordis, oderat mortem nostrã, & temporalem, & multò magis æternam, oderat diabolum Patrem mendacii, & omnis peccati, & homicidam. Hæc Christus oderat, horumque odio factus est Deus-Homo, Contemptor per omnia omnis concupiscentiæ oculorum, concupiscentiæque carnis, & superbiæ vitæ. Horum odio,sectatus est extremam rerum omnium penuriam & neglectum,insatiabilem & invictam innocentissimi corporis mortificationem, vexationem, dolorem, planè ut vir dolorum, & sciens infirmitatem, meritò vocaretur: denique intimam, cordialem,& exinanitivam suimet humiliationem, & contemptuum cõtemptum, honorumque & omnis apparentiæ humanæ fugam. Horum odio, totum quidquid in ortu, vita,Passione,morte, honore, & virtute, & Personâ, & Dignitate passus est, totum hoc inqnam horum odio passus est. Horum odium & contemptum suo nobis adeò luculento, adeò efficaci, adeò irrefragabili, exemplo suasit, & indixit, ut luculentius, efficacius, convictiviusque,neque nos effingere, aut exspectare, neque ipse exhibere & adhibere potuerit. Et hæc cùm ita sint: adhucne odiet homo ea, quæ amavit Deus? aut amabit adhuc ea, quæ odio habuit Deus? adhucne amplectetur Christianus, quæ aversatus est Christus? aut ad-

aut adhuc aversabitur Christianus, quæ amplexatus est Christus? O filii hominum usquequo gravi corde! usquequo diligitis odienda, odistis amanda, & reprobatis quæ sapientia æterna probavit, acceptatis quæ eadem sapientia incarnata redudiavit, & vos repudiare docuit! docuit verò non persuasibilibus & futilibus humanæ stultitiæ verbis: sed inauditis, atque soli sapientiæ Increatæ Incarnatæque congruis & condignis, exemplorum argumentis, & argumentorum exemplis, qualia quidem in Passione potissimum Christi, omni sole clariùs elucescunt.

5. Fuga sive Aversatio. Quam similiter erudivit Domini nostri Passio, & Crux, & Mors, atque etiam antegressæ vitæ tum facta, tum dicta. Ex dictis Domini est illud: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Dico vobis, non consummabitis omnes civitates Israel,* fugiendo ex una in aliam, *donec veniat dies Domini.* Et alio loco dicit Dominus. *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme, neque in Sabbato.* Facto autem Dominus fugam probavit, toties manus hostium lapidaturas, præcipitaturas, comprehensuras effugiendo, nec non sese abscondendo. Non solùm autem fugam nostram Dominus instruxit quasi Corporalem, sed Spiritualem: ut cùm monuit. *Attendite à fermento Pharisæorum. Attendite à falsis Prophetis. Cavete: ne justitiam vestram coram hominibus faciatis. Attendite ne corda vestra graventur à crapula & ebrietate. Nolite jurare omnino. Nolite irasci. Nolite judicare. Nolite condemnare.* Porrò diabolum suadentem sibi præcipitium, rejecit Dominus, opponens, non esse tentandum Deum; similiter eundem adorationem sui à Domino mercantem, pro omni gloria mundi, rejecit atque aversatus est, vibrans in eum fulmineum illud: *Vade Sathana, Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* Sunt plures in verbis Domini nostri ejusmodi informationes, fugam nostram erudientes. At præterea reperire est, alterius quoque ordinis & generis fugæ nostræ informationem in Christi factis, dictisque, ac potissimùm in Passione. Non jam, scilicet, fugiendo mala & adversa, sed potius fugiendo & aversando fugam adversorum. Tale est dictum illud Petro, avocanti Christum à cogitatione Passionis suæ. *Vade retrò Sathana: scandalum es mihi. Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Tale & illud eidem Petro dictum, prosilienti ad defensionem sui in Horto: *Converte gladium tuum in vaginam &c. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* &c. Tale & illud dictum ad discipulos, cùm ante captivitatem suam obviam iret Iudæ, & ministris comprehensuris eum. *Surgite eamus, ecce appropinquat qui me tradet.* Quo verbo, absterſit omnem illam quæ in portione inferiori residebat fugam, aversationem, deprecationemque Passionis, in cujus tanquam mare sese demersit dicens paulò post hostibus suis. *Hæc est hora vestra: & potestas tenebrarum.* Stetitque Dominus per totam Passionem suam in hoc firmitatis gradu, & fugæ omnis abjectione. Quâ confessus est Pontificibus & Concilio, venturum se judicem cum majestate magna in fine mundi. Quâ rejecit Pilatum jactantem potestatem vitæ & necis super se: rejecit Herodem, cui non respondit verbum, ad sermones ejus multos; rejecit etiam mulierum plangentium super se parùm opportunam humanitatem: rejecit denique suadentes descensum de Cruae, & fidem in eum promittentes. Sic Dominus noster fugam nostram erudiit, docuitque verbo & facto, fugere quæ verè & meritò fugienda sunt. Non fugere, quæ propter Deum salutemque æternam fugienda non sunt.

6. Habet quoque in Passione Domini pabulum suum Tristitia nostra, quâ Dominum in Passione sua laborâsse, testes sunt Evangelistæ, dicentes cœpisse *Dominum pavere, tædere, contristari, & mæstum esse.* testis est ipse Dominus, de se discipulis suis enuntians: *Tristis est Anima mea usque ad mortem*: quibus suis verbis, non tantùm durationem, verùm & vehementiam tristitiæ suæ significavit, asserens tristitiam suam, & lethalem mortiferamque esse, & nonnisi cum ipsa morte cessaturam. Qui autem fuerint fontes Tristitiæ tantæ Domini, non est difficile eos invenire & assignare. Tristatus enim est ob omnes, & singulas iniquitates omnium nostrûm: enatasque ex eis injurias & offensas Patris Æterni, nec non justissimas, nullis autem creaturæ viribus & conatibus expiabiles, placabilesque vindicis iras. Tristatus est de indubitata ac irremediabili humani generis totius perditione. Tristatus est de impossibilitate remedii, quo salvari genus humanum justè & condignè posset: præterquam per suam Passionem & mortem in Cruce pro hominibus in hunc, salutis scilicet, finem suscipiendam. Tristatus est, Hoc salutis redemptionisque Humanæ, per suam mortem remedium, nonnisi mediante Deicidii inaudito scelere, ab ipsismet ho-

Marginal references: [Ma]tt: 24. 20; [Lu]c: 12. 1.; [Ma]tt: 8. 15; [Ma]tt: 6. 1.; [Luc]: 21. 34; [Ma]tt: 7. 1.; [Ma]tt: 4. 10; [Ma]tt: 16. 23; [Ma]tt: 26. 52; Ioan: 18. 11; Matt: 26. 46; Luc: 22. 53; Matt: 26. 37; Ibid: v. 38.

met hominibus perpetrato, in exsecutionem venturum. Tristatus est ob exiguum numerum eorum, quibus sua Passio & Mors efficaciter ad salutem æternam suffragatura, immensam autem multitudiné eorum, qui propriâ suâ culpâ excidere debebant à fructu redemptionis, videlicet à salute æterna, potiusque eis, mors sua & Passio, in cumulum & augmentum damnationis æternæ convertenda erat. Tristabatur de propria Passione & Morte, tanquam Dei-Hominis, tanquam Capitis humani generis universi, tanquam Principis, Regis, Domini, Hæredisque rerum omnium, & quidem de adeo amara, probrosa, immani, omnibusque modis exaggerata morte. Tristabatur de dilectissimæ Matris suæ omnium dolorum dolorosissimo dolore, orbitate, probrositate. Tristabatur de Ecclesiæ suæ, tanto sumptu à se quæsitæ, tanto labore constitutæ, & ædificatæ, prope modum ruinâ, & extinctione, nisi in unicæ Matris suæ inconcussa stabilitate fidei, spei, & charitatis consisteret atque perduraret. Tristabatur de indignissima exosissimaque ingratitudine, abusu, contemptioneque omnium pæne hominum, etiam credentium, quâ illi & in Salvatorem, & in salutem suam, per omnes ætates usq; ad mundi finem propriâ voluntatum impietate grassaturi erant. Tristabatur de hostium suorum simulque nostrorum, potissimùm dæmonum consolatione & insultatione, quam habituri & exercitaturi erant, de tanta sanguinis atque mortis suæ inutilitate, sterilitate, contemptu, perditione, evacuatione. Eligentibus innumeris hominum myriadibus, dæmonibus potiùs adhærere, obsequi, obedire, sub eorumque tartareo jugo, gemere, demumque æternaliter cum ipsis perire; quam Christo Redemptori, & Salvatori, & Deo, & Domino legitimo, simul & amabilissimo, præmiatori liberalissimo servire, & serviendo, sese gratissimos Passionis ac Mortis Dei sui fructus exhibere, Filios Dei, fratresque, & cohæredes Christi præstare, ac tandem æternæ beatitudini idoneos, condignosque reddere. Quæ quidem res, tantam indignitatem ex se, tantamque enormitatem habet ex multitudine, ut Dei Christi tanta pro hominibus Passi, tanta autem ab iisdem hominibus indigna perenniter patientis, ipsos dæmones capiat miseratio, si vera testantur historiæ, referentes, ipsorum dæmonum, de hoc confessionem. De his omnibus tristabatur Christus tristitiâ inenarrabili, in agoniam extremam cruentumque sanguinem desinente, ut qui hæc omnia & habuerit menti suæ præsentissima, & per animi sui sapientiam perspectissima, atque suis momentis expensissima, & exploratissima. Hæc eadem omnia Tristitiæ nostræ occupandæ, erudiendæ, pascendæ, sola idonea sunt, sola sufficiunt, sola denique debita sunt, aliarum autem rerum omnium jacturam, rectus animus, vix ad tristitiæ suæ sensum admiserit.

apud ... rentius Ponte ... Matth. cap. 1. Moral. n. 24.

MODVS LXXVII.

Septuagesimus septimus Modus Dominicam Passionem meditandi fit, reliquarum passionum seu affectionum nostrarum, quæ in appetitu irascibili sunt, in eadem Passione Domini investigatio, occupatio, instructio, atque ad normam Christi compositio.

Prima harum est Ira. Hæc in Dominica Passione discit: quomodo irascendum sit peccato: illudque vindicandum. Quomodo portanda sit ira Dei: quomodo proximorum & inimicorum iracundia, malevolentia, & invidentia, & omnia injuriarum genera sufferenda sint: quomodo iræ modus ponendus sit. Etenim in Domini Passione elucescit magnitudo Iræ & Zeli Divini contra peccata. In Passione quoque Christi, discimus à Christo, quomodo is iram Patris æterni, pro nostris peccatis, in se, pleno diluvio effusam supportavit, ac simul quomodo & à nobis ira Domini supportanda sit, nos edocuit. Item in Passione Domini discimus, mansetissimam & invictissimam Patientiam, insuper etiam dilectionem inimicorum, pro ipsis ad Deum supplicationem, eorumque excusationem. Ex Passione quoque Domini discimus, in quàm absurdos furores, & in quam belluinam, tartareamque rabiem, ira & invidia præcipitare possit homines, si eî frena laxent. Una enim Ira, & invidia, & Odium, omnes Iudaici populi ordines, ab infimis usque ad supremos, ad usque Deicidium deduxit, in illudque furoris baratrum (quod expressere, tum verbis Prophetæ; *Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.*

tum

tum propriis. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros)* præcipitavit. Ex Passione ergo Domini nostri, discimus fugere irã Dei, irasci peccatis tam nostris, quàm etiam (cùm id nostrâ intereſt) alienis. Supportare iram Domini humilitate & patientiâ: proximorum iras mansuetudine, & beneficentiâ frangere, nec vinci à malo, sed in bono malum vincere, locumque Iræ proximi non resistendo dare. Denique propriæ iræ ita dominari, ut nec sol occidat super eam, nec in voluntatem veniat alienatio à proximo, etiam ingrato, etiam adversario, etiam maledico, atque malefico. Hæc omnia, si nos Passio Domini non edocet, nulla certè disciplina docendæ, domandæque iræ nostræ sufficiet.

Secunda Passio est Spes. Hanc, sola pro omnibus, Passio Domini, & fundat, & format. Ex Passione Domini etenim, & venia peccatorum, & Gratia virtutum, & Meritum æternæ vitæ, & victoria tentationum, & certitudo præmiorũ, & invitatio ad labores, & solatium in afflictionibus, & auxilium in difficultatibus, & robur, contra nostras infirmas; hostium autem robustas vires, & indubius exitus futurorum promissorum velut ex fonte inexhausto promanant. Etenim si Pater Æternus proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus, tradidit illum: quomodo non etiam omnia nobis cum ipso donavit? Si Christus tradidit se ipsum, & animam suam in mortem pro nobis, quid ei superest, quod nobis negaturus sit? Si Passione & morte Christi deletum est etiam illud singulare Deicidii peccatum, quod erit peccatum, quod non eâdem Passione expiabile sit? Quis desperabit salutem, sciens se habere Deum Salvatorem, & pignus salutis ejusdem Passionem atque mortem? Si quis hominum major est peccator, quàm Christus Redemptor atque Salvator, dubitet de venia peccatorum suorum. Qui dedit pro nobis vitam suã Divinam, quomodo non dabit nobis vitam æternam, quam ut negare non posset, anticipato dedit in pignus, imò in pretium ejus, vitam suam. Quid multa? Mors & *Crux Domini nostri, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*] In qua veluti in mari residet atque redundat copiosa redemptio, inexhausta miseratio, nimia Charitas. Quam nulla obruunt peccata, nulla exhauriunt promerita, nulla fatigant aut definiunt sæcula.

Leo Ser. de Passione.

Tertia Passio est Desperatio. Et huic Passioni est in Cruce morteque Domini, sua eruditio. Quantum enim illa profundit nobis de spe, tantum detrahit de desperatione. Ubi enim totum occupat certitudo spei, ibi nullus relinquitur locus desperationi. Idcirco infelicissimus est omnium Judas proditor, qui elegit potiùs decurrere ad desperationis laqueum, quàm exspectare de Passione & Morte proditi a se Magistri ac Domini, spei & miserationis remedium. Felix Petrus, cui abnegatio & abjuratio Domini sui, sicut non præclusit viam ad amaram pœnitentiam, ita non denegavit locum ad veniam. Felix & latro in Cruce, qui ad latus Domini pendens crucifixi, ex latrone Apostolus, ex blasphemo confessor factus & Martyr, dum a Domino verecunde postulavit sui in Regno memoriam, consequi meruit à Domino & cum Domino Paradysi gloriam. Nemo ergo desperet peccatorum veniam, nisi qui cũ Juda in laqueo agit pœnitentiam. Alio porro modo Passio Domini desperationem nostram format. Injiciendo nobis desperationem omnem salutis obtinendæ aliter, quàm per gratiam miserationemque Dei, & per fidem, spemque in Christum, per participationem gratiæ, charitatis, sanguinisque & mortis ejus, per communicationem meritorum in Ecclesia & Sacramentis ejus, per observationem mandatorum ejus, per imitationem morum, & virtutum, & exemplorum ejus. Propter quod ipse Dominus noster dixit, *Hac est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESUM Christum.* Et iterum. *Ego veni, ut oves meæ vitam habeant, & abundantius habeant.* Et iterum. *Oves meæ, vocem meam audient: & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Idem asseruit post mortem resurrectionemque suam. Apparens enim discipulis ait illis. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes.* Neque alia fuit omnium Apostolorum Prædicatio, ut ita omnium vice testatus est Petrus Apostolus, adducens insuper testimonium Prophetiæ Moysi dicentis. *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus DEUS vester, de fratribus vestris, tanquam me: ipsum audietis juxta omnia quæcunq; locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Rursus verò etiam idem

Ioan: 10. 10

Ibid: v. 27

Luc: 27. 46

Act: 3. 22

Act. 4. 11. idem Petrus de Christo Domino. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Quarta Pafsio est Audacia. Et hic affectus noster in Domini nostri Pafsione eruditur quàm maximè; Dominus enim noster sicut animosifsimè negotium patiendi ac moriendi in Cruce pro nobis suscepit, ita pari constantiâ animi, illud exsecutus est, atque consummavit. Propter quod ultro prodiit hostibus suis obviam, seque permisit voluntati eorum, Luc. 22. 53 dicens. *Hæc est hora vestra & potestas tenebra-* Matt. 26. 64 *rum.* Propter hoc etiam adjuranti se Caiphæ Pontifici, non tantùm Christum se esse filium Benedicti Dei, (quod interrogabatur) disertè professus est, verùm addidit, venturum, futurumque se Iudicem omnium. Pilato quoque oggerenti suam super ipsum vitæ necisque potestatem: audaci & rotundo verbo respon- Ioan. 17. 7 dit. *Non haberes potestatem adversùm me ullam: nisi tibi datum esset desuper.* Fuit & illud Audacis animi constantisque verbum ad mulieres eum plangentes, quo illas à se quidem plangendo dehortatus est, adhortatus verò ut potiùs super se ipsas, & super filios, flerent: quoniam superventuri essent eis extremarum calamitatum dies. Quid verò, quod in media positus morte, inque Crucis patibulo, latronum medius, tanquam latronum maximus, latroni nihilominus Regnum appromittit, & largitur? Denique, cùm ob id præcipuè ad mortem Crucis à Iudæis adactus esset; *quia filium Dei se fecit,* & quia *Patrem suum dicebat Deum:* nihilominus in auribus Principum omnium, & populi universi, de Cruce voce magnâ succlamans, eandē repetiit Divinitatis unius ejusdemque cum Patre professionem. *Pater, in manus* Luc. 23. 46 *tuas commendo Spiritum meum; & hæc dicens exspiravit.* Post Resurrectionem autem suam, sistens se discipulis, hanc ipsis animi audaciam & constantiam, attulit, indixit, inspiravit. *Pax vobis, Ego sum. Nolite* Luc. 24. 36 Ioan. 16. 33 *timere.* Et iterum. *Confidite. Ego vici mundum.* Et rursum accedens ad eos locutus est eis dicens. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi.* Quibus verbis, ad firmandam formandamque nostram audaciam in Divinæ gloriæ atque voluntatis, item in nostræ atque pro- A ximorum salutis negotio atque studio, accedentibus ejusdem Domini Passionis tum meritis, tum exemplis, nihil efficacius, nihil optabilius.

Quinta Passio est. Timor. Habet hic quoque in Dominica Passione institutionis pabulum. Ubi enim homo potest expressius, efficaciusque discere timenda, & non timenda, quam in Passione Domini, & Passo Domino? Asseruerat aliquando Dominus discipulis. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animæ autem non habent quid faciant. Ostendam autem vobis quem timere debeatis, Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehen-* B *nam. Ita dico vobis, hunc timete.* Quod asseruit verbo, hoc expressit exemplo. Non timuit timorem hominum, non invidias, non linguas, non contumelias, non insidias, non potentiam, non violentiam, nō armatos, non gladios, non tormenta, non falsa testimonia, non flagellationes, non spinea serta, non livores, non vulnera, non famem, non sitim, non extremam pauperiem, non infamiam, non probra, non Crucis patibulum, atque tormentum, non insultationes inimicorum, non denique crudelissimam & violentissimam mortem. Unius ac solius Patris Æterni Reveren- C tiam, Honorem, voluntatem, & obedientiam, atque Pietatem, & nostræ salutis studium, istis omnibus opposuit, & præposuit. Immo tantum abfuit ut illa timuerit, ut potiùs ea totis suis viribus, omnibusque vitæ momentis desiderio desideraverit, & gaudens lætabundusque ad ea festinaverit, atque etiam inter beatitudines suas, inter exaltationis suæ beatificæ necessaria media reputaverit. *Oportuit* (ait ipse Dominus) *exaltari filium* Ioan. 3. *hominis.* Et rursum. *Nonne hæc oportuit pati* Luc. 24. *Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et ejus Apostolus de eodem. *Qui proposito* Hebr. 12. D *sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ,* ac ne quidem attentâ, sed potiùs totâ Passionis acerbitatum eluvione, calicis unius instar haustûsque loco reputatâ. Ob quod dixit ad Petrum. *Calicem,* Ioan. 18. *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum.* Ita Dominus noster & ipse timuit, & nos etiam timere docuit, aliud nihil, quàm Patris Æterni majestatem, atque voluntatem, & animarum nostrarum salutem neglectam. Quibus in integro positis, omnium creaturarum, sive violentiam, sive virulentiam, sive jacturam, nauci pilique esse faciendam. Timor ergo noster, ab exemplo Domini nostri patientis, solum Deum timeat, ne ejus voluntatem & gloriam

gloriam lædat, timeat & æternam animæ perditionem, ne illam peccando incurrat, timeat timere creaturas, ne propter earum timorem, â Dei timore tantillum deflectat. Tunc enim solùm timor noster rectus, ordinatus, & sanctus est, quando timet Deum non timere, & quando creaturas timet timere. Adhuc autem timor noster aliam habet sui in Dominica Passione eruditionem, quam ipsemet Dominus noster in decursu Passionis existens, nobis intimandam putavit. Cùm enim Crucem sibi bajulans Dominus pergeret in eum Calvariæ locum, qui dicitur Golgotha, eumque piæ quædam animæ lamentantes comitarentur, conversus ad eas dixit. *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles* &c. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* Quâ sententiâ Dominus evidenter denuntiavit, omnibus peccatoribus quanta illos maneant pro suis sceleribus supplicia, conjectandum, imò oculis spectandum, manibusque palpandum esse in sua Passione. Si enim tam enormiter in Innocentissimo Agno, in Unigenito Dei filio aliena peccata sunt castigata; quid fiet ipsis scelestis & impiis, iniquitatum patratoribus? Deus qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus impiis tradidit, atque adeo ipse percussit & castigavit, & in dolore atque in infirmitate contrivit illum: quid faciet impiis, & iniquis, & peccata sua diligentibus, neque dignos pœnitentiæ fructus constanter facientibus? Utique exspectat illos ignis accensus *in furore Domini, qui vastabit usque ad inferni novissima: montium quoque fundamenta comburet, combustione,* (ut ait Christus) *æterna*. Præter hoc verò, habet in Passione Domini impietas Iudæorum grandem & inevitabilem timoris materiam. *Horum enim mentis & carnis aspectibus, in Crucifixo à se Domino, nonnisi illa species occurrit, de qua Moyses ad illos dixit: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos die ac nocte: & non credes vitæ tuæ. Isti enim in Crucifixo Domino, nihil præter facinus suū cogitare possunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur.* Consimili timore timebunt omnes impii in Iudicii universalis die, quando *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate & majestate*: quando *apparebit signum Filii hominis*. quando *videbunt in quem transfixerunt, & pupugerunt*. quando *dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.*

Luc. 23.27 — *Deut: 32.22* — *S. Leo ser: 8. de Passione.* — *Deut: 28.66* — *Luc: 21.27* — *Matt: 24.30* — *Ose: 10. 8.* — *Luc: 23.30*

MODUS LXXVIII.

SEptuagesimus octavus Passionem Dominicam meditandi Modus est. Considerare quomodo in ea elucescant & efflorescant virtutes Theologicæ: scilicet Fides, Spes, Charitas.

Eluxerunt enim luculentissimæ tres istæ virtutes in Passione Domini, non tantùm ideo, quia Christus mortuus & Passus est pro hisce virtutibus asserendis, pro fidei suæ veritate, quam prædicavit & docuit; pro spei certitudine de salute & vita æterna, quam, credentibus in se, promisit; pro charitate, quâ, nos usque in finem, & usque ad mortem pro nobis obitam dilexit. Sed etiam quia licèt alias in omni vita sua, hasce tres virtutes fundavit firmavitque, potissimùm tamen eas Passione & morte suâ sanxit, atque veluti testamento suo corroboravit.

Et quod ad Fidem attinet: etsi in Domino nostro fides non fuit; neque locum habuit, propter omnium, quæ nos fide Divinâ credimus, evidentem scientiam atque cognitionem ex Divinitatis consortio, ipsi necessariò inexistentem, & quia illè nullam veritatem ex revelatione cognovis, sed ipsemet omnis veritatis revelator fuit, imò ipsemet omnis veritas exstitit, dicente ipso. *Ego sum veritas*. Nihilominùs dum pro sua veritate nobis revelata, & ad credendum proposita, passus & mortuus est, fidem Passione suâ nobis adstruxit, indubiamque reddidit: maximè quantum ad fundamentalem articulum fidei suæ, qui est de ejus vera Divinitate atque Humanitate, quem ille in Passione præcipuè, atque etiam Passione asseruit, & comprobavit; ita ut quamvis nuda & pura Christi assertio magis probet, & hunc, & omnem alium articulum fidei, quàm ulla vel opera, vel miracula: nulla enim esse potest veritatis probatio major, quàm quia à Deo asserta est; tamen quoniam Christo placuit ad suæ veritatis adstructionem, & dicere, *si verbis meis non creditis, operibus credite*: & facto ipso opera miraculaque exhibere, ac facere, quæ nemo alius fecit. Ex omnibus istis sive operibus sive miraculis, nullum luculentiùs articulum fidei, de Christo vero Deo, vereque Homine probat, quam

Ioan: 14.6 — *Ioan: 10.38*

quàm Passio & Mors ejusdem Domini. Quod ita paucis. Christus Deum se & Hominem verum esse asserit: Hoc ut probaret atque demonstraret, ad Deitatem veram probandam miracula operatus est: ad Humanitatem verò demonstrandam, concipi ex homine, nasci infans, crescere, manducare, bibere, dormire, sitire, esurire, demum pati, mori, sepeliri voluit. Nisi opera Dei seu miracula pro potestate fecisset: non fuisset unde Deus verus crederetur: si opera hominis seu humana non fecisset, neque subjisset, non fuisset unde Homo verus agnosceretur, Passio Christi, tam miracula Dei, (ut est prostratio satellitum in horto, cognitio sceleris Iudæ, sanatio auriculæ Malchi, discipulorum evasio: tū verò tenebræ per totam terram: terræ motus, scissio veli, petrarum, apertio monumentorum; surrectio mortuorum, &c.) quam miserias hominis continet. Passio ergo Domini, Dominum, tam Deum verum, quàm Hominem verum demonstrat. Deinde Christus Passus mortuusque est pro salute nostra æterna, (sub quo nomine comprehendo, totum opus Redemptionis nostræ, ut est remissio peccatorum, Iustificatio, & Sanctificatio, & Filiatio adoptiva credentium, Vitæ, & virtutum sanctitas, atque perfectio, Mandatorum atque consiliorum propositio, receptio, exsecutio, denique vitæ æternæ consecutio, & hæreditatio) atqui salutem nostram æternam operari nō poterat nisi Deus verus, & Homo verus fuisset: Deus enim, nec pati pro nobis nec mori poterat: Homo autem verus quidem, sed purus, etsi pati ac mori poterat, ejus tamen Passio & mors nobis ad salutem nostram æternam nihil proderat. Opus ergo erat Christum, & Hominem verum esse, ut pati morique posset, & Deum verum esse, ut Passione morteque suâ nobis prodesset, nosque salvaret, Quocirca Passio Christi Christum fuisse & esse Deum verum, Hominemque verum & nostrum Salvatorem demonstrat. Neque hoc argumentum eludi elidive potest dicendo, gratis assumi asserique, Christum Redemptorem esse nostrum, & redemptionis nostræ causâ, pati morique voluisse: cùm hoc ipsum probandum sit, & sit figmentum Christi, qui ut crederetur esse verus Deus, Redemptor videri & haberi voluerit, ideoque pati & mori, & omne miseriæ genus subire non abnuerit. Ut proinde tam fictitius sit Redemptor hominum Christus, quàm falsus fuit, & est Deus. Sed enim isti impugnationi evidenter ipsa Christi Passio, Mors, cæteræ acerbitates, in ortu, in vita, morte, toleratæ satisfaciunt. Nam si Christus verus Deus non fuit, neque verus Redemptor, sed per redemptionis nostræ speciem veri Dei opinionem de se captavit: fatendum est objicienti horum alterum inprimis: Nempe Christum aut fuisse verum hominem, aut falsum etiam, & fictitium, & phantasticum. Si verus homo non fuit Christus, quomodo ergo omnes humanas conditiones in eo homines viderunt, & tam sensibus palpârunt, quàm & intellectu adverterunt? Viderunt enim Infantem natum, circumcisum, lactentem, crescentem per annos corporaliter, manducantem, bibentem, dormientem, famescentem, sitientem, fatigatum, postremò captivum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, consputum, cruce onustum, cruci affixum, in cruce mortuum, de cruce depositum, sepultum. Hæc non sunt hominis fictitii & phantastici: veri ergo; ac proinde Christus verus homo fuit, & verè meritòque se filium hominis vocitavit, nec non ob hominibus vocitatus est. Quodsi verus homo Christus fuit; jam vel fuit purus solùmque Homo, vel fuit simul etiā Deus, & compositus ex Deo & Homine unus Christus. Si hoc secundum asseritur. Sufficit. Siquidem habetur intentum, & nihil superest probandum, ambigendumve de Christo vero Deo & Homine, consequenter Redemptionis nostræ Authore, & salutis æternæ Administro. Si autem purus omnino, & solùm Homo Christus fuit, & solum pro Deo haberi, colique affectavit, ad idque speciem fictitii Redemptoris, proque hominibus Passi, & mortui assumpsit; sequitur Christum, 1. quidem superbissimum. 2. stultissimum fuisse. Superbissimum quidem fuisse necesse est: quia Deum se jactaverit, & pro Deo vero coli voluerit curaveritque: in quo, cùm & mendax atque impostor ante homines, & in Deum verum impius, atque idololatra, & blasphemus exstiterit, meritò à Iudæis ea de causa ad mortem probrosissimam adactus est, ut qui cùm homo esset, faceret se ipsum Deum, & diceret, quia Filius Dei sum, quia ego sum Christus, quia venturus esset in nubibus cum potestate & majestate, &c. quod extremæ superbiæ, mendacitatis, impietatis, imposturæque sine dubio fuerit. Porrò etiam stultissimum & vanissimum, Christum fuisse

isse

isse opus erit fateri, qui ad hoc, ut Deum verum se hominibus persuaderet, nihil quidem Deo & Divinitate dignum egerit, feceritve, quin neque honesto, & spectabili, aut æstimatione hominum dignum hominibus exhibuerit in se, & in suo genere, vita, statu, comitibus, sermonibusque suis: exhibuerit verò omnia contraria, nempe abjectionem, pauperiem, miseriam, impotentiam, convictum non tantùm abjectorum, & rudium piscatorum, hominum sine literis, & omni splendore ac dignitate, sed etiam peccatorum, publicanorum, infamium, & malæ notæ apud omnes. Insuper verò subiit fanda infandaque ab æmulis & hostibus suis convitia, vincula, accusationes, damnationes, flagella, ludibria, carceres, cum latronibus comparationes, probrosæ mortis sententiam officiosam, patibuli portationem, affixionem ad Crucis patibulum, inter latrones duos, tanquam omnium latronum maximus, denique crudelem & abominabilem maledictamque in Cruce mortem, postremoque sepulturam ipsam. Quorum omnium & toleratio & ostentatio, inefficacissimum sanè medium erat ad probandam & persuadendam hominibus Divinitatem suam: imò nihil fuit efficacius ad eam abrogandam & negandam; ut meritò Iudæi volentes ostendere ipsi etiam Christo, quòd Deus verus non esset, castigareque in eo condignè confictam & falsò arrogatam jactatamque Divinitatem, quasi verus Deus esset, meritò inquam assumpserint, pro merito competentissimo, consilium, & curam, & exsecutionem necandi ejus in Cruce. *Nos* (inquiunt Summi Sacerdotes, & omne consilium, populusque universus) *legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Stultissimus ergo, & planè vanissimus fuit Christus, si non fuit re verâ verus Deus qui per Passionem adeò diram, & per mortem adeò probri & tormenti plenam, voluerit probare, & putaverit se posse probare, quòd ipse esset Deus verus: cùm per hoc medium non tantùm non licuerit probare illi, quòd verus Deus esset, sed neque quòd honestus, aut probus, aut aliquo honore æstimationeque dignus homo esset; quin immo per hoc infelix, & non minùs miserabile, quàm detestabile medium assequeretur, ut etiam homo non esset, quippe qui in Cruce mortuus, & in Sepulchro conditus, de numeroque hominum sublatus esset; verè nemini magis quàm sibi ipsi imposuisset Christus, si propterea miserrimè nasci, vivere & mori, sepelirique voluisset, ut credi posset verus Deus, & magno nimis mercatus esset opinionem falsam veri Dei: si propter eam delegisset è numero etiam hominum viventium, probrosissimâ quamvis morte deleri. Si extremè insanit, qui putida poma mercatur bono auro: quomodo non etiam ultra extremam insaniam insanit, qui verum falsi Dei mendacium, omnium bonorum, & sanguinis, & vitæ, & famæ crudeli impendio dispendioque licetur? Quod cum omnino in Christum Deum Redemptoremque nostrum non cadat, neque cadere possit; necesse est ut dicamus, Christum verè, & verum Deum esse: & verè per hominem assumptum, Redemptionem nostram, in vita, in Passione, & morte crucis peregisse. Etsi enim puri hominis mors nihil prosit, neque prodesse potuit redemptioni nostræ, potuit tamen prodesse, & re ipsâ profuit Mors Dei-Hominis, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, & omnipotentiæ ejus nihil est impossibile, & Charitati nihil indignum, & sapientiæ nihil impeditum, & voluntati nihil non justum. Passio ergo Christi Divinitatem & Humanitatem ejus probat, & efficacem saluti nostræ facit, & fidem nostram, omnē quidem sed præcipuè in articulo fundamentali, de Christo, Deo vero, & Homine vero, Redemptoreque nostro, indubiam facit.

Eadem Passio Christi est spei nostræ lapis fundamentalis, & petra inconcussissima. Quando enim Passionem Christi habemus, quid jam sive à Patre æterno, sive ab ipsomet Christo non habituri sumus? Optimè argumentatur Paulus. *Si Deus Pater, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non omnia cum ipso nobis donavit?* (Rom: 8. 32) Et licet pariter in argumento pergere. Si Christus sibi ipsi non pepercit pro me, quid mihi suorum bonorum negabit? Est ergo Passio Domini nostri fundamentum spei nostræ, est arrha, est pignus omnium promissorum, est pro merito, & pretium eorundem, pro iisdem mihi elargiendis admensum: admensum autem ita largè, ita supra debitum, ita supra condignam æquitatem, ut injuria sit Christi Redemptoris, non exhibita retributio servis redemptis. Non confundit ergo nos spes nostra? salvi facti sumus jam spe nostrâ, quoniam Passio Christi, est pro Deo fidejussio nostra.

Et quamvis aliud est retributionem esse promissam, & aliud re ipsa exhibitam. Non tamen certior est retributionis divinæ, qui illam jam habet exhibitam, quam qui illam adhuc solùm exspectat promissam. Utrumque enim æquè impossibile est, tam non haberi à Deo quæ promisit; quàm quod jam dedit. Denique tam securi certique sunt Christiani de his obtinendis, quæ illis Passione suâ pro ipsis meruit Christus; quàm certus est de promeritis suis per Passionem suam idem ipse Christus. Et ille enim in spē gloriæ corporis sui, in spem universæ salutis nostræ, in spem omnium bonorum Ecclesiæ electorumque suorum, in spem omnis potestatis in cœlo & in terra, in spem nominis sui, super omne nomen exaltandi, atque omni genu cœlestium, terrestrium, & infernorum adorandi, in spem judiciariæ super vivos mortuosque authoritatis & potestatis, in spem Capitis Ecclesiæ, Passionis suæ laborem subiit: dicente ipso Domino; *hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Gloria autem Christi, omnia prædicta, & his similia sunt. Quidni ergo Passio Christi spem nostram fundet, firmet, radicet, fæcundet, solidet: si etiam ipsi Christo laborum suorum incentivum & solatium stimulusque fuit? Quod etiam pridem Propheta, & illi, & de illo prænuntiaverat. *Dominus conterere eum voluit in infirmitate* Passionis: *Si posuerit pro peccato animā suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium spolia dividet, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Quibus verbis veteris testamenti Propheta, non tam Propheticè quàm evangelicè, & Passionem Christi, & spem, præmiaque Passionis ejus, copioso, & exacto stylo denarravit. Denique si Apostolo licuit dicere, *propter spem Israel catenâ hac circumdatus sum.* Multo justius licuisset Christo

Isa: 53. 10

Act: 29. 20

A Domino profiteri, propter spem meam, & populi mei Cruci huic affixus sum, &c. Passio ergo Christi, & Crux, & Mors, anchora spei nostræ est.

Eadem Passio Charitatem Christi erga nos demonstrat, & nostram erga Christum evincit. Nihil enim est aliud Passus, & Crucifixus, mortuusque Iesus, præterquam Filius Charitatis Æterni Dei, *qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut mundus salvaretur per ipsum.* Et idem est victima dilectionis suæ. *Oblatus est enim quia ipse voluit, & qui dilexit me tradidit semetipsum pro me.* Et, *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ille autem posuit eam pro nobis *cum adhuc inimici essemus.* Ob

B quod etiam est Clibanus Amoris, in quo & Seraphim ardent, & corda nostra in æternum succendi, & ardere debent. At enim. Heu portentum sive Divinæ super nos, erga nos pietatis, sive nostræ erga benignissimum piissimumque Deum ingratitudinis. Deus in nobis vilissimis, ingratissimis, inimicissimis, perque omnia nihili, & nequam homuncionibus, invenit, ob quod nimiam suam charitatem effunderet in nos, utque etiam suæ propriæ Divinæ Personæ, sui Divini

C sanguinis, suæ Divinæ vitæ impendio, nos amaret. Nos autem in toto quantusquantus est Unigenito Dei, & Hominè Deo, in omnibus bonis & beneficiis collatis in nos à Deo, in ipso charitatis & miserationis ejus nucleo, medullâ, thesauro, mari, & abysso, nempe in Passione ejus, atque Crucis morte pro nobis suscepta, reperire tamen non possumus propter quod Deum verè, constanter, ac dignè amemus; aut si reperimus, nihilominus eundem (quod quidem in immensum improbius, & indignius est) nihilominus (inquam) eundem non amamus,

D imò aversamur, repellimus, conculcamus, contemnimus; potiùsque & sinceriùs, atque constantiùs diabolo, Dei pariter, ac nostro capitali inimico, quàm ipsi omnis Bonitatis & Majestatis, & Charitatis fonti, adhærere eligimus.

Quis audivit talia horribilia?

Ioan: | Isa: | Gal. | Ioan: | Rom.

MODVS LXXIX.

SEptuagesimus nonus Passionem Domini nostri meditandi Modus esse potest. Vestigando in ea exercitationē virtutum Cardinalium, cæterarumque moralium ab illis dimanantium, quomodo nimirum eæ, & à Christo Domino in Passione sua exercitæ, & à nobis exercendæ in vita nostra sunt.

Prima ex Cardinalibus virtus est, Prudentia. Hæc utique in vita, at potissimùm

mùm

mùm in Passioue Christi eluxit. In illa enim admirando, & omnem humanam Angelicamque cogitationem excedente modo, sapientia Dei, malitiam vicit diaboli, exsecuta est consilium suum, perfecit voluntatem Patris, perrupit omnia obstacula salutis nostræ, vastavit infernum, mortem subegit, mundum calcavit, cæli & terræ dissidia conciliavit, æterni regni portas aperuit; Diabolus suis propriis artibus elusus est, suismet laqueis captus, in foveam quam foderat præcipitatus, peccato quo vicerat victus, per lignum, per quod triumphaverat, triumphatus, morte, qua humanum genus infecerat & interfecerat, ipse quoque confectus est. Libet de hoc argumento Beati Leonis Papæ orationem attexere. [Dei Filius secundùm plenitudinem temporis; quod Divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam authori suo naturam generis assumpsit humani; ut inventor mortis diabolus, per ipsam quá vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus, cum sævissimo hoste, non in sua majestate, sed in nostra congrediiur humilitate, objiciens ei eandem formam, eandemque naturam, mortalitalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.] Idem Sanctus, hoc ipsum alibi tractans argumentum, ita de eo loquitur. [Quid inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ, & oblectat, & superat, sicut Passio Salvatoris? Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, & sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, & infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nôsse potuisset, Iudæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm injustis odiis studuisset accendere, ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas sua. Intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo, & pretium esset, & poculum. Suscepit Dominus, quod secundùm propositum suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium: quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori.] Hæc Sanctus Pontifex, egregiè complexus investigabilem prudentiam sapientiamque consiliorum Christi in nobis per Passionem suam redimendis exercitam. Possunt autem plura particulariùs Prudentiæ hujus in Passione Dominica apparentia adverti, atque expendi. Prudenter siquidem Dominus, & elegit, & disposuit Passionis suæ, & Tempus, & Locum, & Modum, & Ministros, & Authores, in quibus omnibus, frustra sese vel humana vel diabolica laboravit interponere, sive malitia, sive astutia, atque præcipitatio. Quæsierat Herodes Pater, infantuli Christi animam: quæsierat & Herodes Filius. Volebant Nazarethani de montis supercilio præcipitare, conabantur Iudæi, tum per submissos cum suis ministris Herodianos, tum per semetipsos lapidibus Christum trucidare: at hæc similiaque frustra fuêre, quia necdum venerat hora ejus, & quia nequaquam talis erat de sua Passione, atque morte dispositio ejus. Quæ dispositio ita erat ordinata, ut ad minutissima momenta actionum, passionum, temporum, locorum, personarum, circumstantiarumque omnium sese extenderit, & in omnibus ad figuras, ad prædictiones scripturarum adimplendas totius Passionis series processerit, ita ut neque unus apex, neque unum jota, quod non adimpleretur, remanserit. Accessit illud admirandæ Prudentiæ opus, quòd Dominus noster in Passione sua ita hominem quem gerebat objecit tormentis, ab hominibusque à dæmonibusque excogitatis & adhibitis, ut interea temporis, neque dæmones, neque homines, furore suo livoreque excæcati, interlucentem Divinitatem, virtutes evidenter summas, & verè divinas, prophetiarum concursum, & scripturarum executionem, impletionemque, ipsius Christi prædictionum de sua morte veritatem, innocentiæ patentissimum fulgorem, miraculorum fidem, odii sui invidiæque virulentam, non minùs quàm manifestam in Christum rabiem, dispicere, seseque recolligere in scelere, atque ab eo refrenare valuerint, aut voluerint. Vidit, & confessus est Sacerdotibus Judas peccatum suum. Pilatus quoque contestatus est multis modis, & Christi innocentiam, & Judaicam invidiam, imò & infamiam, laboravit plurimùm pro ejus indemnitate & vita, uxor quoque Pilati, & preces, & consilium, & periculum suum apud virum interposuit, plebs ipsa nisi à Principibus

...m. 1. de ...tiv. Domini.

...11. de ...sione.

cipibus persuaderetur, & prævio exemplo traheretur, obnitebatur. Mulieres lamentis suis, facti & iniquitatem, & enormitatem declarabant. Denique ipse defectus causæ, ob quam Christus morti, vel speciose saltem addiceretur, ab ipsomet Judice sæpius enuntiatus, vim animis conscientiisque perdere cupientium Dominum, inferebat. Solis Judæorum Principibus, odio & livore invidiæ excæcatis sol intelligentiæ non potuit illucescere, sed auribus suis graviter audientes, atque cordibus suis indurati, ad facinus animo destinatum, tanquam equus impetu vadens cucurrerunt, & usque ad Deicidii scelus persuaserunt. Proinde Dominus sic usus est parata inimicorum nequitiâ, ut ex ea produceret universorum redemptionem, & de peccato damnaret peccatum, ac per mortem suam pararet omnium nostrûm vitam. Sic ergo vicit sapientia malitiam, & ubi perversitas peccantium seminavit iniquitatem & mortem, ibi Prudentia Domini Salvatoris messuit justificationem & vitam. Neque ullum fuit consilium hominum contra Dominum, quod Dominus converterit in salutem & redemptionem hominum.

Altera virtus Cardinalis est, Justitia. Hæc quoque in Passione Domini maximum locum, praximque plurimam habuit: adeò, ut Christus propter Passionis laborem exhaustum, peculiari nomine atque ratione vocetur Iustitia nostra. Passione siquidem, satis, & super satis fecit Justitiæ Dei pro nobis, cui nos in immensum obligati eramus, solvendo autem & satisfaciendo, nullo possibili nobis modo sufficiebamus. Passione, item, omnem jacturam honoris & cultûs Deo per nos debiti illatam, abundè restituit, Passione obedientiam & servitutem subjectionemque à nobis Deo debitam, sed rebelli protervâque voluntate denegatam, ipse supplevit, atque plenissimè explevit. Passione quoque debitum & reatum damnationis æternæ, quo eramus universim omnes obstricti, abolevit; adeò, ut nulla deinceps damnatio sit iis omnibus, qui sunt in Christo Jesu. Passione etiam Mortis & æternæ & temporalis chirographum, quod erat nobis valdè contrarium, è manibus mortis extorsit, & cruci suæ affixit atque delevit. Passione etiam, omne, estò Tyrannicum jus servitutis, captivitatisque, quo à diabolo, tam viventes, quàm mortui tenebamur, debellatis nostris Tyrannis, evacuavit & nullum reddidit, nosque omni libertati asseruit. Passione item suâ Dominus jus nobis adoptionis Filiorum Dei comparavit, dans nobis omnibus, quotquot eum reciperemus, ut ex Deo renasceremur, adoptionemque filiorum Dei assequeremur. Passione nos hæredes Dei, omniumque bonorum ejus, suos autem cohæredes, & fratres instituit. Passione perditum jus ad vitam, & ad Regnum æternum, beatitudinemque æternam nobis obtinuit, recuperavit, & restituit. Passione cœlestes portas nobis reseravit. Passione nos ex iniquis justos, ex rebellibus subditos, ex impiis Sanctos & devotos, coram Deo fecit. Passione non solùm ipse nobis amicitiam & gratiam, & sanctificationem, & æternam gloriam obtinuit, sed insuper ut nos quoque nostris operibus, in fide, spe, & Charitate ejus factis, eadem illa bona mereri nobis possimus, promeruit, & nobis æquitatem justitiæ dedit, adeò, ut liceat nobis dicere. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ita Dominus Jesus Passione suâ non solùm omnem implevit & exæquavit, placavit, admensusque est justitiam: Non solùm omnia jura nostra in integrum restituit, non solùm omnia quæ debebamus Deo exsolvit: verùm etiam insuper debitorem nobis Deum fecit, ut repræsentatis meritis Passionis ejus, exigere possimus à Deo, & peccatorum veniam, & justificationem, & Gratiam, atque amicitiam, & Gloriam vitamque æternam. Et id quidem non septies, neque septuagesies septies, sed quoties toties, sed infinities. Nunquam, ne in æternùm quidem, deficiente nobis thesauro meritorum Christi, & jure quod habemus, & nos, & opera nostra, ex benedicta & nunquam exhauriendi valoris Passione Christi. O Homines, amate hanc Redemptoris vestri justitiam; servate jus ex ea vobis manans; vivite & augescite in ea, & nunquam recedite ab ea, nunquam excidite ex ea: Passioni autem Domini omni devotione inhærete, & immanete. *Et grati estote, omnia enim bona venerunt nobis ex ea: & omnibus bonis per eam repleti sumus.*

De Tertia Cardinali virtute, nempe Fortitudine, quomodo in Christi Passione emineat, & quomodo à Christo Patiente exercita sit, pœnè superfluum est fidelibus dicere. Quid est enim Passio Domini, nisi opus Fortitudinis excellentis,

lentis, heroicæ, Theandricæ. Cui nulla humana fortitudo, ne quidem Martyrum, etiam simul omnium, in comparationem venire ex æquo posſit. Et cùm ex toto illa admiranda ſit ſtupendaque, ex illo tamen capite plùs quàm ſtupenda eſt, quia Dominus noſter, fortitudinem ſuam, non in omnipotentiæ ſuæ Divinæ virtute fundatam exercuit, ſed in infirmitate, in impotentia, in miſerrima miſerabilitate & abjectione, roborisque omnis defectu, exhibuit, & per eam omnes humanas vires, artes, audacias, furoresque, omnes tartareas poteſtates, nihil non audentes, nihil non tentantes, nihil non in effectum, juxta rabiem deſideriorum ſuorum deducentes, ſolâ ſuæ infirmitatis exhibitione compeſcuit, confregit, confudit, in nihilum redegit, & velut lutum platearum conculcavit delevitque. Non ſecus ac omnes fluctus tumidiſsimi furioſiſsimique maris, ad molliſsimam arenam illiſi contriguntur, & in ſalivam ſpumamque deficientem diſpereunt. Ita nimirum, *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, atque dæmonibus & creaturis omnibus: quemadmodum etiam, *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, & omnibus quantumcunque ſapientibus. Sicut ergo *ſtultitiam fecit Deus ſapientiam hujus mundi*, ſic etiam omnem ejus potentiam & virtutem mundi, infirmitate ſuâ & fragilitate contrivit. Non ſecus, ut ille lapis exciſus de monte ſine manibus, vaſtam tamen ſtatuam confregit, comminutaque ſunt pariter in pulverem, aurum, argentum, æs, ferrum, & teſta; lapillus autem crevit in montem, toti mundo occupando parem. Paſſus Dominus noſter Deus-Homo, omnem hujus mundi ſapientiam, Gloriam, fortitudinem, poteſtatem, voluptatem, & quidquid mundus eſt, humilitate & infirmitate Paſsionis atque Crucis, & Mortis ſuæ, in nihilum redegit, & totum poteſtati ſuæ ſubjecit, atq; ſibi omne genu curvari coëgit. Nam *quia in Dei ſapientia non cognovit mundus, per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*. Ita etiam, quia in Dei Potentia, non honoravit per Potentiam mundus Deum: placuit quoque Deo per Infirmitatem Paſsionis confundere mundi ſuperbiam & potentiam, humiles autem exaltare, & virtutem in infirmitate perficere. Atque hæc ſapientia & virtus Chriſti eſt, quam abſcondit Pater à ſapientibus & Prudentibus hujus ſæculi, revelat autem parvulis, minimis corà mundo, ſtultis propter Chriſtum, amicis Crucis Chriſti, & glorantibus in Cruce Chriſti, confixisque cum Chriſto in Cruce.

1. Cor. 1. 25. *v. 20.* *2. 34.* *1. Cor. 1. 21.*

Quarta Cardinalis virtus eſt, Temperantia. quæ etiam ſicut per omnem vitam, ita vel maximè per Paſsionem ejus univerſam comitata eſt Dominum noſtrum. Quid enim non dico voluptatis, aut conſolationis, ſed vel modicæ quietis admiſit Dominus in tota Paſsione ſua? Sublimitatem perfectionemque Temperantiæ Chriſti in Paſsione, potiſsimùm hoc demonſtrat, quod moriens in extrema afflictione Animæ & Corporis totius, ex bonis, & ſolatiis commodisque hujus ſeu mundi, ſeu vitæ, ne unicum veſtigium poſt ſe reliquerit, alicui habendum. Non opes, non poſſeſsiones, non pecunias, non dignitates, non honores, non donum, non amicos, non quidquam abſolute rei. Sola poſt eum remanſit Crux, ignominia, & execratio hoſtium, ſolus dolor ſibi notorum & affectorum, ſola confuſio, diſperſio, deſperatio diſcipulorum, ſola ſepulchri & ſepulturæ inopia & indigentia. Usque adeo Dominus noſter nihil neque cum mundo, neque cum ejus bonis commune habuit, ut potiùs abſolutè, & plenè nihil, & nihil de hoc mundo habuerit: neque tantillo quidem terræ ſervato ſpatio, in quo caput ſuum reclinaret. Magno utique omnium fidelium ſuorum magiſterio, ut ſciamus ſatagendum nobis, ne ullum penitus cum mundo, & carne, & creaturis ullis, adeòque ipſismet nobis, adhæreſcentis ad nos affectûs, privatique ac proprii amoris habeamus, ſed ut nudi nudum, exſpoliari, & mortui, perditi & annihilati à nobis ipſis, & ab omnibus (quantùm ad amorem) creaturis, exinanitum Chriſtum imitemur, æmulemur, quàm viciniſsimè comitemur. Ut hac ratione inſtar grani frumenti, nos quoque emortui, multum fructum afferamus. De virtutibus cæteris, quæ ad haſce quatuor, de quibus diximus, revocantur, exiſtimo opus non eſſe ut ſigillatim agamus. Id enim & prolix m nimis foret, & ſcopum noſtrum excederet, & ex ſupradictis facilè patet, & actum ſupra de iis eſt, & denique peculiaris nihil habet neceſsitatis, ut exponatur. Manifeſtum eſt enim in Paſsione Domini exercitas eſſe virtutes omnes Chriſto dignas, unâquamque in ſummo, heroico, perfectiſsimoque gradu. Summam Charitatem Dei & Proximi, Humilitatem, Patientiam, Obedientiam, Manſuetudinem, Modeſtiam,

Supra Modo Octavo.

stiam, Taciturnitatem, Magnanimitatem, Longanimitatem, Abstinentiam, Resignationem, Paupertatem, Orationis studium, Solicitudinem pro suis, Inimicorum dilectionem, Constantiam, Religionem, Devotionem, Pietatem, omnem denique Perfectionem, Christo quidem dignam, Christianis autem ad imitandum necessariam.

MODVS LXXX.

OCtogesimus Modus Passionē Domini nostri meditandi est: dispicere in ea, & discere ex ea exercitium operum misericordiæ, tam spiritualium, quàm corporalium. In præsenti modo res nobis erit de operibus misericordiæ spiritualibus, quæ ad septem Capita revocantur.

I. Docere Ignorantem. Docuit Dominus noster ignorantes, in omni quidem vita sua, sed specialiter in sua Passione: cùm se Christum & Dei Filium, & Iudicem venturum, in Concilio asseruit. Cū Pilatum & de ejus potestate, & de suo Regno edocuit.

II. Corrigere errantem. Depinxit egregio symbolo Dominus hoc opus suum, quando se assimilavit homini habenti centum oves, è quibus cùm ei una periisset, reliquit nonaginta novem in montanis, descendit autem ad quærendam unam perditam, & erraticam oviculam; quâ inventâ, sustulit eam in humeros suos, & ad reliquum gregem reportavit. Unusquisque nostrûm, seu genus humanum universum, tanquam una ovicula clamabat Deo: *Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum*: quæsivit in tota vita sua, quæsivit in Passione, quæsivit & invenit in Cruce, semivivam & adhuc vix spirantem, eam ergo ad ovile suum reduxit imò reportavit in jumento suo, & curam illius egit.

Ps. 118. 176

III. Solari mœstos & afflictos. Quis mœrens & afflictus, si non humanum genus, si non omnes nos; tantò etiam afflicti magis, quantò sensu malorum nostrorum destituti magis. Sed qui consolatur humiles Deus, consolatus est & nos in adventu Christi, & in vita, in doctrina, in sacramentis, in meritis, in Passione, in vulneribus, in Cruce ejus, in morte ejus. Propter quid enim facta est anima ejus tristis usque ad mortem, nisi ut tristitia ejus consolatio nostra esset? Cōtristabant nos vulnera nostra: vulneratus est propter ea, & vulnera ejus facta salus & solatium nostrum. Contristabat nos perditio & mors nostra, & captivitas nostra. Captus est ille in peccatis nostris, & periit in Passione usque ad mortem; & vincula ejus, facta sunt libertas nostra; Mors ejus, facta est vita nostra; & in conversa captivitate nostra, facti sumus sicut consolati.

IV. Consilium dare dubitanti & indigenti. Et cujus nos consilio Prudentes facti sumus: nisi illius, qui magni consilii Angelus, nisi qui consiliarius est, Qui consilia salutis evulgavit in Evangelisatione, confirmavit in miraculorum manifestatione, exemplo approbavit in Passione, sanxit demum in morte. Quid salubriùs quàm audire consilium dicentis. *Vigilate & orate; ut non intretis in tentationem*. Et illud. *Si quis venit post me, & non bajulat Crucem suam, non potest meus esse discipulus. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Matt: 26. Luc: 14. Matt: 11.

V. Patienter ferre injurias. VI. Remittere offensas. Quid verò est universa Domini Passio, nisi quantùm ad inimicos, immanis & inauditæ enormitatis injuria atque offensa? quantùm verò ad ipsum Dominum nostrum, Invicta quædam Patientia & supra modum liberalis mansuetissimaque cōdonatio atque oblivio, atque etiam obliteratio. Delevit enim ipso peccato peccatum, ipsâ offensâ sanavit offensam, ipsâ injuriâ compensavit injuriam. Ita ut ille reatus, qui reos & debitores faciebat persecutores & peccatores, factus sit solutio, factus venia, factus indulgentia persecutorum atque peccatorum. Denique pro inimicis & crucifixoribus orare in Cruce, hoc est in ipso æstu furentium inimicorum, suorum autem cruciatuum non contentus, etiam nos excusavit tanquam ignorantiâ potiùs, quàm malitiâ delinquentes.

VII. Orare pro vivis & defunctis. Atqui Passio Christi, oblatio est, & victima, & Holocaustum, pro omnibus. Audet Apostolus dicere: quia IESUS, *Christus ipse est propitiatio pro peccatis nostris; & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi*. Et iterum idem loquitur. *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis: quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per*

1. Ioan: 2. 1. Ioan: 4.

mus per eum. Quod attinet ad studium moremque Christi Domini orandi, & satagendi pro mortuis: Est hoc speciale secretum cordis atque Spiritûs Christi, nimirùm, dum hic viveret, & potissimùm dum pateretur pro mundi salute, tenerrimè affici erga animas purgatorii, quod etiam fuit sanctissimæ Christi genitricis hîc viventis, & quidem ab ipsa amborum in mundum conceptione & ortu. Huncque Spiritum teneræ affectionis erga animas illas, Dominus amicis suis communicat speciali dono. Nec immeritò; cùm enim nullæ magis animæ desolatæ & destitutæ sint auxilio, & sint summè calamitosæ, miserationisque indigæ, non debet esse cuiquam mirum, quòd Christus, qui est misericordiarum Pater, totiusque consolationis Deus; Mater quoque Christi, quæ est misericordiæ Mater; specialem affectum gerant per se, suisque amicis ingerant gerendum pro subsidio animarum illarum. Et videtur hoc sæculum præsens in Ecclesia Dei, esse ejusmodi, in quo singulariùs vult & facit Deus efflorescere exercerique copiosam charitatem erga animas illas, ut per eam pietatem specialiùs efflorescant amici Dei nunc in Ecclesia militantes, ipsaque Ecclesia Deo suo sese hoc genere pietatis probet, atque commendet, sibique misericordiam a Deo promereatur. Sed hæc hactenus obiter sint dicta.

Concludo Modum hunc meditandi Passionem Christi, repetendo eam esse totam exercitiũ misericordiæ operum spiritualium, quippe in ea Dominus noster omne miseriarum nostrarum spiritualium genus persanavit. Simulque luculentissimum nobis exemplum exhibuit, ut & nos pro cujusque nostrûm facultate, toti simus in operibus istis exercendis. Non enim est reperire hominem fidelem, qui si non in omnibus, in pluribus certe, saltem in aliquibus hisce operibus exercere se, & erga Deum proximumque pietatem probare possit: ad quod persuadendum nobis, si exemplum (Passionis præsertim) Christi efficax non est? quid demum efficax futurum sit, non equidem inveniri puto posse.

MODVS LXXVI.

OCtogesimus Primus Modus meditandi Passionem Dominicam est, advertere & expendere exercitam à Domino, in ea, septem operum corporalium misericordiam.

Recensuit hæc opera Dominus ipse in Evangelio suo, tanto quidem cum pondere divini sui sensûs, de hujusmodi operum exercitio vel frequentato, vel neglecto, à fidelibus suis, ut absque sacro quodam horrore Evangelium illud relegi audirive non possit. Scilicet exercuisse illa, salus: neglexisse, perditio certa æterna esse à Domino asseritur: additâ illâ admirabiliter ponderosâ in utrãq; partem causâ. *Quod uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis*: Et *quod uni ex his minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis*: ac proinde vobis quidem facientibus salus, vobis autem non facientibus perditio eventura est. Sed jam videamus, quomodo hujus misericordiæ praxis in Passione potissimum Domini eluceat. Atque inprimis considerandum est, quomodo Dominus noster omnia septem miseriæ humanæ genera, in semetipso subierit, sustinueritque propter nos.

Matt: 25. 40

I. Esurivisse Dominum sæpius, Evangelistæ testantur, neque certè aliter evenire potuit ei, qui in tanta sua pauperie, alienâ duntaxat misericordiâ sustentaretur, atque à suo, ex materna domo ad Baptismum Joannis, & ad prædicandum Evangelium, excessu, nunquam deinceps ad eam accesserit, pedemve in eam intulerit, ne dum aliquid ex ea victûs sustentationisque acceptârit: sed etiam Passionis ærumnæ, earumque temporis longitudo, non minùs famem quàm sitim in eo excitare validam potuerunt.

II. Sitim verò suam peracerbam ardentemque Dominus ipse satis declaravit, quando in medio tormentorum suorum exclamavit: Sitio. quæ quidem non tantùm fuit interior sitis à charitatis ardore, ab obediendi & patiendi ampliùs studio, ab Redemptionis nostræ desiderio profecto, verùm etiam realis, atque lethalis fuit, contracta ex tantis fatigationibus, ex tantis doloribus, ex tantis sanguinis profusionibus, ex tantis tamq; & variis & conglobatis, & diuturnis ærumnis. Proinde ex illa Domini de siti sua contestatione, cognoscimus certò, tam sitiendi causas, quàm sitim ipsam fuisse summè graves, summèque intolerabiles, atque excruciativas, tenerrimæ & exhaustissimæ Christi naturæ.

III. Nuditate Domini nostri, quid vel acerbius, vel certius. *Partiti sunt vesti-* *Ioan: 19. 24*

menta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem, ait Dominus ore Prophetico, opere autem & experimento proprio. Itaq; cùm aliàs sæpe inter patiendum nudatus est, tum specialiter nudus omnino cruci affixus, & in Cruce usque ad mortem pependit, nec nisi Sindone Nicodemi ad sepulturam involutus est.

IV. V. Captivatus & Incarceratus est quoque Christus, à prima comprehensione in Horto,usque dum Annæ,Caiphæque, & universo concilio præsentatus, reliquâ nocte carceri inclusus mansit. Summo autem mane, ex specu illo iterum productus ad concilium, iterum damnatus, onustus vinculis Pilato traditus est. Sed nullus Christi carcer gravior, quàm Crucis, cui affixus pependit: omniumque & carcerum, & compedum, & cruciatuum, & vicem retinuit, & modum excessit.

VI. Peregrinum & Hospitem in Passione Christum habitum fuisse, illud satis demonstrat, quia illum universus populus ante faciem Pilati abnegavit, & ne quidem nomen ejus, vel audire, vel eloqui sustinuit. Insuper Barabbas latro, seditiosus, homicida, plùs illis placuit, quàm Jesus. Ad hæc,ex proposito non à suis, suorumve popularium, sed a Gentilium manibus illum occidi, illudi, crucifigi delegerunt, ac demum professi sunt, quòd non habemus Regem nisi Cæsarem, titulique seriem à Pilato conceptam exosi, noluerunt scribi, *Rex Iudæorum*, sed *quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.* (Ioan: 19. 21) Quod quàm senserit acerbè Dominus noster, testatur apud Prophetam. *DEUS Israel, propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* (Ps: 68. 8.)

VII. Ultimò. Mortuus est Dominus noster, & sepulturæ indigentissimus fuit: & omne sepeliendi obsequium, ipsumq; sepulchrum,alienum illi beneficium fuit. Ecce quomodo noster Dominus: omnium nostrarum miseriarum particeps fuit? quis nostrûm nollet in his omnibus Domino nostro fuisse aliquo subsidio? Quis nollet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, redimere captivũ, visitare infirmum, & vinctum, excipere peregrinum, sepelire mortuum? Nemo nostrûm queratur, nemo obmurmuret. Non abstulit nobis quoque hanc dignationem,obsidem tenemus ejusmet sententiam: quâ dixit *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; quod uni horum facietis, mihi facietis.* (Matt: 25. 40) Non dignamur pascere pauperes famelicos, potare sitientes, &c. quis credet facturos nos fuisse, vel esse in persona Christo, siquidem non dignamur hoc facere in suis minimis id ipsum eidem Christo? Et sic quidem Christus Dominus miseriæ nostræ particeps, misericordiæ verò indigus esse voluit. Jam videamus, quomodo in Passione sua nostris miseriis misericordiam impendit?

1. 2. Esurivimus, & sitivimus. Et Dominus noster dedit nobis manducare & bibere. Corpus videlicet, & sanguinem suum pretiosum, cum reliquis bonis suis in Sacramento atque Sacrificio Eucharistico, dedit & gratiam suam, de qua ipse testatus est: quoniam qui biberit ex aqua, quam ille dabit, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ vivæ salientis usque in vitam æternam.

3. Operuit etiam Nuditatem nostram vestimento meritorum suorum, atque tunicâ inconsutili, Ecclesiæ suæ, cujus filios nos esse fecit,& in cujus gremio veste gratiæ charitatisq; vestimur. Et beatus qui custodit hæc vestimenta, ne nudus ambulet, neve careat veste nuptiali, sine qua nemo dignus nuptiis Filii Regis æterni, sed ligatus mittitur in tenebras exteriores.

4. Captivos quoque nos redemit è potestate, è carcere tyrannidis tam diabolicæ, quàm peccati, quàm mortis; quin etiam descendit in illum carcerem, qui erat in inferioribus partibus terræ, & inde eduxit in fortitudine sua vinctos,captivamque Patrum Sanctorum captivitatem; quorum vincula dissolvit sanguine suo, alligavit autem fortem illum serpentem vecte.

5. Visitavit etiam nos infirmos, & multum temporis in infirmitate & languore habentes: impenditque nobis curam suam, visitans nos in salutari suo, & infuso vino, oleoque suæ veritatis & charitatis alligavit vulnera nostra, & usque ad sanitatem perduxit. Insuper autem languores nostros ipse in se suscepit,& eos pertulit,& vulnera nostra ipse portavit, factus vir dolorum, & sciens infirmitatem. Nos autem livore ejus sanati sumus.

6. Insuper peregrinos nos, imò profugos à Domino, & in regionem longinquam digressos filios à Patre, prodigos, & omnis substantiæ profusores, ipse collegit, & in hospitio Ecclesiæ suæ collocavit. In cujus figura, cùm ei se quidam valde peregrinus, atque adeò latronum secum crucifixorum unus obtulisset, non asper-

aspernatus eum, excepit non tantùm hospitio Gratiæ & miserationis suæ, verùm etiam Paradyso atque Regno suo: dicens ei, & re ipsâ complens. *Hodie mecum eris in Paradyso*, quod verbum etiam nobis in salutem est, sicuti & latro est exemplum. Et nos enim latrones fuimus, rapinam arbitrantes gloriam Dei, & patrantes opera tenebrarum, fuimus inimici, & peccatores, & naturâ filii iræ, socii magni illius furis, filii autem alterius; sed interest, agamusne pœnitentiam, & confiteamur tum Domino peccata nostra, tum Dominum, confitendo gloriam & misericordiam ejus, atque ab eo mendicando gratiam, & memoriam nostri in Regno ejus.

Luc. 23. 43

7. Ad extremum Dominus noster vespillonem egit, sepeliens omnes mortuos nostros in rubro mari, sanguinis, meritorum, dolorum, & mortis, crucisque suæ. propter quod Apostolus ait de omnibus nobis, quod *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Unde quemadmodum *quod Christus mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo; ita & nos existimemus. Nos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo IESV Domino nostro.* Sepelivit nos ergo Dominus noster in sanguine, morte, Cruce sua. Nos inquã, peccatores, filios iræ, filios Adæ veteris. Vivificavit autem nos in Resurrectione sua, & complanavit eidem resurrectioni in vitam æternam.

Rom. 6. 4.

Ibid. v. 10.

Ita ergo Dominus noster opera misericordiæ omnia exercuit circa nos, & quidem Passione suâ pretiosâ. Utique A erudiens nos, ut pariter & nos Minimos Christi, sive potiùs ipsummet Christum in minimis suis, Esurientem pascamus, Sitientem potemus, Nudum operiamus, Captum, Infirmum, Peregrinum visitemus, colligamus, redimamus, consolemur, mortuis sepulturæ honorem, vel etiam sepulturam ipsam impendamus. Dignus certè Christus est, qui talia pro nobis, imò nobis, tanto suo impendio fecit, ut etiam in membris suis, in fratribus nostris, imò verò, ut ipse loqui dignatur, fratribus suis, recipiat à nobis. Ut olim cùm venerit in majestate & virtute multa, gloriaque Patris, cum Angelis Sanctis, judicare sæculum per ignem, atque B discernere populum suum à non suo, Oves segregans Pastor ab hædis, audire liceat nobis. *Quia esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi potum, nudus eram, & cooperuistis me, captivus eram, & redemistis me, infirmus eram, & visitastis me, hospes eram & collegistis me, mortuus eram, & sepelivistis me, in minimis fratribus meis, quibus quidquid fecistis propter me, mihi fecistis. Venite ergo benedicti Patris mei, possidete paratum vobis à Patre meo Regnum à constitutione mundi.* O quomodo in illa die vellemus ipsimet esurisse, sitivisse, nudi incessisse, cæteraque ejus- C modi opera bona, usque ad nostram defectionem, Christo nostro in pauperibus ejus propter eum impendisse. Hoc igitur nunc faciamus, hoc nunc frequentemus, & vel saltem superflua, minusque necessaria nostra, in hos usus impendamus, ut *quod nobis superest*, pauperibus autem deest, *eleemosynam dantes, omnia* peccata nostra, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, *munda sint nobis.*

Matt. 25. 35

Luc. 11. 41

MODVS LXXXII.

Modus Octogesimus secundus meditandi Dominicam Passionem est. Scrutando in ea septem dona Spiritûs Sancti, nec non duodecim fructus ejusdem, quos omnes, indubitatum est requievisse super Christum semper, & eluxisse in omni vita, Passione, & Morte ejus. Et de donis quidem attestatur Isaias, cùm disertè loquens de Christo. *Et egredietur (ait) virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quibus verbis manifestè loquitur Propheta de Messia Christo ex Virgine D MARIA, Iesseæ propaginis filia nasciturо, & inter nos in mundo conversaturo, & in Cruce exaltando, ubi & efflorescere debuit, in Nazarenum Regem Judæorum, & abundantiâ donorum suorum & fructuum repleturus universum orbem terrarum, ramosque suos expansurus usque in fines terræ: ad instar arboris illius apud Danielem Prophetam, *cujus altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius, in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cæli.* Cui arbori longè justiùs comparari debet Dominus noster JESUS Christus, quàm Babylonis Rex. Jam verò de

Isaiæ 11. 1.

rò de fructibus ejusdem Sancti Spiritûs in Cruce potissimùm Christi requirendis, & inveniendis luculenter etiam asserere videtur Paulus Apostolus, qui cùm dixisset, quod *fructus Spiritûs est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas*; hoc inquam cùm docuisset, mox subjecit. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Per hoc procul dubio indicare volens, fructus Spiritûs per crucifixionem sui, & per participationem Crucis Christi esse conquirendos, utpote ibidem potissimùm à Christo reservatos, atque propter suos fideles electosque tum depositos, tum exhibitos, inibique ab iisdem requirendos & decerpendos, qua de re licebit meditari hunc in modum Passionem Domini.

I. Igitur in Christi Passione elucescit Spiritus Timoris Domini. Cùm enim Christus Passus sit pro peccatis nostris,& Justitiæ Dei pro iis plene, & supra mensuram debitam satisfecerit, omnemque severitatem & rigorem iræ Paternæ in se exceperit, mortemque, & mortem quidem Crucis, omni genere probri, amaritudinisque exaggeratam subierit. Quis non videt ex tanto spectaculo, quanta sit vel peccati enormitas, malitiaque, vel rigorositas Justitiæ Divinæ, vel pœnarum peccatis nostris, aut potiùs, propter peccata nostra, nobis debitarum magnitudo, quandoquidem necesse fuit Christum Dominum unigenitum Dei tanta perpeti, & tam crudeliter probrosèque emori. Ex quo tanto exemplo, nonne meritò Spiritus Timoris Dei concipitur, parturiturque, ut tandem pariatur spes salutis: Qui est, declinare ab omni malo, neque defluere in concupiscentiam delectabilium, tam Carnis, quàm mentis vanitatum, nec adeò pœnam metuere peccatorum à Deo, quàm potiùs peccatum ipsum abhorrere in Patrem, propter cujus reverentiam, tam dira sustinuit unigenitus ejus in Cruce. Ad hoc Timoris casti donum spectat fructus *Modestiæ*, moderans animam, fructus item *Continentiæ*, frenans sensualitatem: denique fructus *Castitatis*, sciens possidere vas suum in sanctificationem.

II. Elucescit quoque in Passione Domini nostri *Donum Pietatis* unà cum fructu *Bonitatis atque Benignitatis*. Quid enim Pium, quid Bonum, atque Benignum magis cogitari potuit, aut potest, quàm Dominus noster Jesus Christus? qui usque

A adeò in Deum, & in proximum pius benignusque apparuit, ut propter pietatem hanc, etiam pro peccatoribus, pro inimicis, pro indignis, pro ingratis, pro inutilibus, tam amaram Passionem sustinere non dubitaverit. Ubi quæso, & ex quo exemplo Christianus discet pietatem, in Deum, in proximum, in seipsum, si ab exemplo Christi Domini, Magistri, ac Regis sui eam non discet? Ubi discet habere Christianus voluntatem pronam, ad volendum bene, & promptam ad faciendum benignè cuilibet proximo propter Deum, si eam à Patiente, & in Patiente Domino suo non discet?

B III. Elucescit quoque in Passione Domini Donum *Fortitudinis*, simulque fructus *Patientiæ*: cujus opus est, pericula vitæ, arduos labores, detrimenta bonorum, jacturas honoris, aliaque his similia hominibus vulgò pretiosa, contemnere, & aggredi, & appetere, & perferre, & vincere propter Deum, eo modo quo videmus Dominum Jesum, in Passione potissimùm sua, hæc, plùs quàm heroicâ fortitudine patientiâque, non solùm aggressum esse, verùm etiam plenissimè debellâsse. Hoc suo exemplo erudiens fideles suos, nihil omnino in hoc mundo C formidare, præter unum ac solum Deum, qui solus revera timendus est, & quem solum formidare, vera est Fortitudo, & magnanimitas maxima.

IV. Elucescit quoque in Domini nostri Passione, *Consilii Donum*, fructusque *Longanimitatis*. Contempsit enim Dominus noster omnia, quæ hic mundus æstimat, & totis viribus quærit, atque concupiscit, & coacervat. Sive quæ ad concupiscentiam oculorum, sive ad concupiscentiam carnis, sive ad vitæ superbiam fastumque pertinent, vitam denique ipsam & famam, & incolumitatem omnē D postposuit, uni Divinæ gloriæ, salutique nostræ. Per hoc dans nobis exemplare consilium, quo salubrius nobis esse potest nullum. Ut scilicet impendamus nos Deo, ejusque obsequio, præ omnibus aliis desideriis, studiisque nostris; imò omnia illa exuamus penitus, ut in hoc solum toti vacemus. Etiamsi eâ causâ esset nobis exhauriendus calix totus vilificationum, dolorum, mendicitatis, contradictionis, persecutionis, odiorum, & periculorum, & quidquid est demum in Passione Domini nostri; ut ejus ad instar simus, totique in illum contemptum, pauperem, stultificatum, dolentem, crucifixum, omnique opprobrio-

rum ac

rum ac miseriarũ genere saturatum transformemur, gaudentes nos ejus dignationibus indutos esse. Nullum enim salubrius & gloriosius consilium Christiano esse potest, quàm indui Dominum suum JESUM Christum, & in eum penitus visceraliter transformari. Ad hæc docet nos Dominus Passione suá pro nobis, illud consilium, ut studeamus juvare miseros in eorum necessitatibus, ut & ipsi mereamur juvari in nostris à Domino. Quia enim labor & dolor invenerunt & possederunt nos in ista vita, *& nisi quoq; adjuvetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat: idcirco est justum consilium, ut qui se à Potentiori adjuvari vult, adjuvet ipse infirmiorem, in quo est ipse potentior.*

g: lib. 1. Serm. ... in ... te c. 4

Elucescit in Passionè Domini etiam *Donum Scientiæ, Mansuetudinisq;* fructus. Sive enim hæc sit illa scientia supereminentis charitatis Christi, quâ scitur Longitudo, Latitudo, Sublimitas, & Profundum Crucis Christi, sive sit scientia ineffabilium secretorum & causarum Dei, quibus mota Sapientia, Potentia, Bonitas, Misericordia, Justitia, Charitas, veritasque ejus, per Incarnationem Filii Dei, salutem nostram operari, gloriam suam manifestare, omnia, quæ per peccatum in cœlo & terra destructa erant, morte Christi reparare, & constituit, & re ipsâ perfecit: Sive etiam sit scientia sacrarum scripturarum, quatenus illæ, Christum, partim expressè, partim figuraliter, non minori artificio, quàm dulcore prorsus divino, ubique sonant, ut ubique in eis Christus, maximè Passus, inveniri possit. Sed Sacram Scripturam non superbè discutere, neque arroganter reprehendere oportet, verùm humiliter inclinatâ cordis cervice, jugum ejus eloquii, fluentaque mysteriorum interiorum, in quibus & Elephas tumidus natat, & Agnus mansuetus ambulat, subintroire; rogando, & pulsando cum Sponsa Domini, ut introducamur in cellas vinarias ejus. Sive etiam scientia hæc sit Cognitio visibilium istarum rerum, quas inter versamur, quibus etiam utimur; & quibus, si modò novimus & volumus, neque obluctantes lumini fidei nostræ sumus, tanquam per scalarum inferiores gradus ad Superiores ascendimus, & tanquam per exteriores portas atriaque, ad interiores aditus habitationesque, tanquam per materialia ad spiritualia, tanquam per creata ad divina, tanquam per visibilia & circumscripta, ad invisibilia, & lumine circumscripto latenter patentia, introgredimur, aut potiùs à Spiritu magistro, veluti manu ducimur. Omnibus his scientiæ sive generibus, sive partibus Passio Domini Nostri redundat, & contemplatorem sui humilem, devotum, mansuetumque replet, juxta illud quod dictum est. *Docebit mites vias suas.* *Psal. 24: 9*

VI. Elucescit in Passione Domini Donum *Intellectûs, & Fidei fructus.* Cùm enim Passionis Dominicæ penitiora ingreditur Anima, cujus cor fide purificatum est, sanguine Christi ablutum, vulneribus charitatis saucium, Cruce Christi signatum, morte vivificatum, redditur anima idonea ad percipiendas penetrandasque veritates illas, ob quarum confirmationem Christus in Passionis labores, atque adeò in ipsam mortem, mortem autem crucis descendit. Intelligit specialiter Anima in Domini Passione erudita, pretium sui, & quidem non à qualicunque æstimatore, sed ab ipsa sapientia Æterna, atque Prima Veritate: cujus judicio atque sensu, de pretio & valore sui, ex Passione Christi cognito, agnoscit se unam solam, universo mundo pretiosiorem, agnoscit nullam esse ponderationem, quæ sibi comparari possit, agnoscit nullam in creaturis etiam simul omnibus, commutationem posse fieri, sciens disertè dictum à Veritate Æterna. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut, quam dabit commutationem homo pro Anima sua?* *Matt: 16. 26* Agnoscit adhuc se pluris æstimatam esse, quàm ipsummet sanguinem, vitamque Christi, quandoquidem ille sanguinem pro ea fudit, vitam suam in mortem dedit. Agnoscit quoque per sui unius reparationem, reparari quoque omnia, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra, adeò ut ipsæ Angelicæ ruinæ, ab hac reparatione, sui quoque instaurationem & expectent, & accipiant. *Placuit enim Deo instaurare omnia in Christo:* *Eph. 1. 10.* per mortem quidem Christi, per vitam verò Humanæ Animæ. Agnoscit denique viluisse propemodum sibi ipsum Deum propter Animam, cætera quidem pauperem, & planè per omnia miseram, attamen Dei æstimatione quasi Deo, & Unigenito ejus pretiosiorem, ita ut non vereatur dicere. *Qui dilexit me, tradidit seipsum pro me.* *Gal: 2. 20.* Et quidni præsumat hæc, quando audit ipsum Dei Unigenitum profitentem. *Sic Deus dilexit mundum* (Animas utique Amatrices, inquilinas hujus mundi) *ut Filium suum unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum.* *Ioan. 3. 16.*

Hæc omnia anima discit perquam luculenter, atque superplenè, ex unico Passi Christi in Cruce expanso libro. Unde etiam intelligit omnem obligationem suam, quâ obstricta est, tanto amatori, tanto appretiatori, tanto emptori, & Servatori suo. Intelligit, illud se potissimùm debere, ut nihil sciat aliud, nisi JESUM, & hunc Crucifixum. ut nihil possideat nisi JESUM, & hunc Crucifixum. ut nihil repræsentet in se, in moribus, in sermonibus, in vita, nisi JESUM & hunc Crucifixum, ut nihil inhabitet, nisi JESUM & hunc Crucifixum: nihil induat nisi JESUM, & hunc Crucifixum. ut nihil spiret nisi JESUM & hunc Crucifixum. ut denique nihil vivat, nisi JESUM, & hunc Crucifixum. O Bone JESU Passe pro me, da mihi intellectum, & vivam Te JESUM, & hunc Crucifixum.

VII. Elucescit etiam in Passione Domini. *Donum Sapientiæ, & simul fructus Charitatis, Pacis, & Gaudii.* In Christo enim Passo, si quid elucet, elucet maximè sapientia Dei, adeò, ut eam ibi agnoscere & degustare, consummata sapientia sit, quam non potest non comitari Charitas, & Pax, & Gaudium, exsuperans omnem sensum, omne votum, omnem captum. Fieri enim nullo modo potest, ut quis ingressus cellaria sapientiæ Dei, in Christi scilicet vulnera intromissus, non statim repleatur vino Charitatis, Bonitatis, Miserationis, Liberalitatis, Justitiæ, Potentiæ, Veritatis, & omnis denique Divini Boni, atque adeò ipsiusmet Divinitatis, tam quoad essentiam, quàm quoad Personas, quàm denique quoad Incarnationis Verbi œconomiam universam. Adhuc autem in Christi Passione, seu Christo Passo, repræsentatur multiformis sapientia Christi, secundùm quam ille sese erga Deum Patrem suum gessit, nullam omnino speciem refugiens, quâ assumptâ posset gloriæ & gustui Patris subservire. Ergo se Christus Patri gessit ut Deum æqualem Deo, ut Unigenitum & Filium, ut Regem Regum, & Dominum Dominantium, gessit etiam se ut servum, ut mancipium, ut jumentum, gessit se ut egenum, ut vilem, ut stultum, ut blasphemum, ut impiis improbiorem, ut amicum publicanorum, ut legis dissolutorem. Gessit se insuper ut peccatorem, ut peccatum, ut maledictum. Gessit se ut totius mundi scelerum reum, ut quasi non filium, quasi à Deo derelictum, quasi infamem, & probrosum, & dæmoniacum, in furorem versum, pseudoprophetam, non à Deo hominem, demumque in patibulo Crucis in medio latronum mortuum, tandemque sepultum. Quis adeò multiformem formam Christi nostri intuens assequatur, & eloquatur sapientiam Dei, quis affirmet hac ratione agi salutem mundi, sic redimi genus humanum, sic aboleri peccatum, sic diabolum vinci, sic mundum calcari, debellari carnem, superari mortem, spoliari infernum, reserari cælum, iram Dei placari, aboleri offensas, justitiæ satisfieri, rebus pacem dari, exaltari Deum, gloriam ejus propagari, misericordias effundi, veritatem probari, promissa compleri? Quis credat his mediis ad illos fines pertingi? Quis speret his argumentis inveteratissimos errores mundi confutari, convinci, dedoceri, stultitiam prædicationis amplecti, & in probro scandaloque Crucis gloriari? Crucifixum inter latrones, ut Deum agnosci, coli, exaltari, omnibus viribus, omnibus operibus, omnibus impensis, sanguinis, honoris, libertatis, vitæ, inter omnes gentes, in omnibus regionibus terræ, in omnibus sæculis temporum? Ergo unum solumque Christum Crucifixum nosse tota sapientia est, eum autem solum ignorare, absoluta stultitia. Quoniam verò sapientia saporem habere debet, quo si careat, sapientia nec esse, nec dici potest; totum hoc, quod sapientia agnoscit intellectu, etiam voluntate sapere, gustare; atque veluti manducare debet. Itaque quisquis supra dicta in Christo Passo, & ex Christo Passo cognoscit, eadem etiam voluntatis affectibus juxta cujusque exigentiam tenere, atque saporare, seu sapere debet: potissimum autem, Deum super omnia æstimando, proximum sicut semetipsum diligendo, ad sui contemptum omnimodum, exemplo Christi, & desiderio similitudinis ejus anhelando, peccatum super omnia mala odiendo, & fugiendo. Dei voluntati cordialiter æternaliterque secundùm ipsammet voluntatem Dei inhærendo, deque ejus obedientia tam summè gaudendo, quam de inobedientia medullitùs dolendo, denique secundùm imaginem Crucifixi JESU ita omnia in Anima, & corpore, inque omnibus viribus horum, ita inquam ordinata, pacata, Christo conformia habendo, ut nullus in homine motus adversùs rationis lumen, adversùs fidei ductum, adversùs exemplaris Christi regulam, rebellis sit; sed cuncta obtemperent homini in homine, prout & ipse homo plene obtemperet

Deo:

Deo : ſicque fruatur & gaudeat homo ipſo ſe ſibi ſubjecto, ſicut fruatur & lætetur idem homo, Deo ſibi benignè familiari, & familiariter benigno.

Hunc igitur in modum Paſſio Chriſti Donorum fructuumque Spiritûs, & ſpeculum, & magiſtra, & largitrix eſt iis, quibus interiora ejus pateſcunt. Pate- A ſcunt autem illis, qui in Paſſione Domini, obſtinatâ aſſiduitate erudiri laborant, & gaudent, in exaltatione Dei, in dilectione proximi, in vilificatione, & exinanitione & perditione ſui, in odio peccati, in imitatione Jesu Chriſti, propter Jesum, & hunc Crucifixum.

MODVS LXXXIII.

OCtogeſimus tertius Paſſionem Dominicam meditandi Modus eſſe poteſt; Conſiderare illam, quomodo omnia ſeptem Sacramenta Eccleſiæ ab ea manant, efficaciamque omnem ſumunt. Cùm enim Paſſio Domini ſit una & ſola, & univerſalis medicina vulnerum, apotheca pharmacorum, balneum puritatis, debellatio & victoria hoſtium, armatura contra omne inimicorum genus, ſacrificium pro peccatis, & holocauſtum, mors vitiorum, vita virtutum, theſaurus meritorum, fons gratiarum, officina ſanctificationis, reſuſcitatio mortuorum, conciliatio pacis, teſtamentum fœderis æterni, placatio Patris æterni, clavis cæli, jus ad beatitudinem æternam, & deniq; totum id, quidquid ad ſalutem noſtram pertinet. Sacramenta autem ſint totius Paſſionis hujus, omniumque in ea contentorum bonorum receptacula, & veluti gazophilacia ex quibus Eccleſia pro uſu, neceſſitatibusque filiorum ſuorum depromat, ut incolumitatem, copiam, opulentiamque filiorum ſuorum promovere omni tempore, loco, occaſione, poſſit. Manifeſtum eſt Sacramentorum virtutem omnem à Paſſione Chriſti eſſe.

Hoc autem multò etiam pleniùs affirmari & credi debet, de Sacratiſſimo Sacrificio Miſſæ, in quo non tantùm eſt efficacia Paſſionis, ut in Sacramentis eſſe diximus; ſed eſt ipſamet Paſſio, ipſaque Chriſti realis oblatio, & immolatio, & ipſe Chriſtus in Perſona ſua, actu offertur à ſemetipſo in illum eundem ſalutis noſtræ finem, in quem ſuper aram Crucis, in monte Calvario olim, oblatus fuit. Et quanquam etiam in Sacramento Euchariſtiæ, realiter eſt Chriſtus præſens totus: non eſt tamen ibi cum Sacrificatione oblativa ſui, (eſtò per eam ibi conſtituatur) ſed per ſolam præſentiam ſuam inſtar convivii, cibi, potusque ad nutrimentum animarum noſtrarum.

[Margin: ...le ſupra ...lum 43]

His poſitis non eſt difficile pro meditatori, pervidere omnia Sacramenta Eccleſiæ in Paſſione Chriſti, eorumque ex ea dimanationem, efficacitatis derivationem.

B Baptiſmum eſſe in Paſſione, & ex Paſſione Domini ſatis conſtare poteſt vel ex eo, quòd illam Dominus ipſe noſter vocet Baptiſmum ſuum. *Baptiſmo* (inquit) *habeo baptiſari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Et Petrus Apoſtolus cùm dixiſſet, temporibus Noe per contemptibile lignum (Arcam ſcilicet) ſalvatas fuiſſe octo Animas à diluvio, mox ſubdit, etiam nunc fideles Chriſti per Baptiſma ſimile illi Noëtico ſalvos fieri, alludens ſine dubio, hanc ſimilitudinem inter Baptiſmum noſtrum & diluvium Noe in eo eſſe, quod utrumque fieret per contemptibile lignum, nempe per Arcam ibi, hic verò per Crucem Chriſti, quo ſatis C oſtendit Apoſtolus: Baptiſmi virtutem, à Cruce & Paſſione Chriſti eſſe. Unde alius Apoſtolus, ait ad nos, per aquam & ſanguinem veniſſe Filium Dei.

[Margin: Sap: 10: 4. 1. Pet: 3. 20 — 1. Ioan: 5. 6.]

Confirmationis Sacramentum etiam ex Chriſti Paſſione tum manare, tum vim ſuam deſumere, ad baptiſatorum Animas confirmandas, atque militiæ Chriſti contra Carnem, Mundum, Diabolum authorandas, dubitari non poteſt. Cùm conſtet *Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia, ſed ſpiritualia & eſſe potentia Deo*: & inſuper non tam eſſe *contra carnem & ſanguinem* licèt & contra hæc ambo, ſed tamen primariò *ad-* D *verſus principatus & poteſtates, & adverſus mundi Rectores tenebrarum harum.* Iſtos autem hoſtes non poſſe debellari à nobis, niſi virtute Paſſionis & Crucis, Mortiſque Chriſti; quâ ſcilicet & ab ipſo Chriſto Domino Noſtro ſunt debellati, dicente ipſo Domino, *quòd cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: cùm autem fortior ſupervenerit, & vicerit eum, arma ejus & ſpolia in quibus confidebat, auferet, & vaſa ejus diripiet.* Quod totum, à Chriſto Domino, diaboli, hunc mundum tyrannide prementis poteſtati factum eſt: debellatus eſt enim, victus, armis & ſpoliis fiduciæ

[Margin: 2. Cor: 10. 4 — Eph: 6. 12. — Luc: 11: 21]

duciæ suæ privatus: & non per aliud nisi per Christi sanguinem, Crucem, vulnera, mortem. Exinde ergo etiam milites Christi robur sumunt, exinde athletæ unguntur, & firmantur, arma Deo potentia, dæmonibus formidanda accipiuntur, exinde unguntur, exinde ad luctam idonei redduntur.

Eucharistiæ Sacramentum in quo ipse Christus totus realiter præsens est; non tantùm ex Christi Passione vim suam sumit, sed ipsum in se Passum Dominum, ipsam Passionem ejus, atque mortem, & repræsentat, & continet, & exhibet in Cibum, atque Potum, in saginationem atque impinguationem Animarum nostrarum, in vitam gratiæ sanctificantis, & in vitam quoque Gloriæ beatificantis. Unde optimè filii Ecclesiæ canunt exultantes; O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Pœnitentiæ quoque Sacramentum, in quo est Medicina morborum vulnerumque nostrorum: non aliunde nisi ex sanguine morteque Christi. Sicut enim sanguis ille pro peccatis nostris fusus est; ita etiam eorundem peccatorum vulneribus idem sanguis unica medicina est. Quæ quia fuerunt ad mortem, ideo necesse fuit propter eorum sanationem ipsũ unigenitum Dei occidi. Hoc Sacramentũ exercuisse videtur Dominus noster in Latrone pænitẽte, & scelera sua confitente. Ad exercitium quoque hujus Sacramenti potest pertinere videri, descensus Animæ Christi ad inferos, ubi animabus in purgatorio pœnas omnes indulgentia plenaria relaxavit, easque cum cæteris Sanctis participes beatitudinis fecit.

Ordinis Sacramentum, quemadmodum ad dispensationem, imò verò etiam ad confectionem, & sacrificationem sanguinis atque Corporis Christi, meritorumque illius, in totum Ecclesiæ Christi corpus institutum est, ita nonnisi ex Passione atque Morte Christi potestatem, authoritatem, efficaciamque habet; propter quod Dominus Jesus, etiamsi pridie quàm moreretur Sacramentum Ordinis instituit, ad ejusdem Passionis suæ memoriale perenne: Memoriale autem non sterile & vacuum, sed cùm repræsentatione ejus reali, atque actuali, sed cum quotidiana ejus restauratione atque repetitione: ita ut quod in die Parasceves cruento peractum est sacrificio in altari Crucis, à Summo Sacerdote Christo, A hoc ab initiatis Sacramento Ordinis, fiat reverâ, & actualiter quotidie in Ecclesia per sacrificium incruentum Altaris.

Matrimonii Sacramentum, ex sponso quoque sanguinum, hoc est ex Christi Incarnatione & Passione vim suam sumit. Imò verò ejus quædam imago est; dicente Apostolo, quòd *Sacramentum hoc* (Natrimonii scilicet) *magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sicut enim Christus sponsam suam Ecclesiã, & quæsivit, & lavit in sanguine suo, *ut exhiberet eam sibi absque eruga & macula*, & sic sanguine suo sanctificatam atque dotatam, *sponsavit sibi in fide:* verè *sponsus sanguinum existens;* B ita in virtute hujus desponsationis Christi & Ecclesiæ, Christianum Matrimonium gloriam Sacramenti, & gratiam efficaciamque habet, ad filiorum Ecclesiæ, fideliumque Christi propagationem, qui quamvis in peccato, etiam post Sacramentum nascuntur, virtute tamen Sacramenti jam tunc signantur ad gratiam, & adoptionem filiorum Dei, & ad filiorum Ecclesiæ numerum communionemque designantur, propiori quodam jure, quo infidelium filii carent.

Unctionis extremæ Sacramentum, est quoque Passionis Christi fructus: quo C Sacramento, & completur sanctificatio nostra, perfectioque ad Deum instruitur & peccatorum reliquiæ abolentur, & Animæ pro ultimo cum hostibus nostris luctamine inunguntur, & corporum morbi (si ita expedit) sanantur, certè alleviantur, & tolerabiliores infirmis fiunt: Hoc autem totum, virtus est Passionis & Mortis Christi, cujus sanguis, oleum est miserationis, & balsamum unctionis, & robur infirmitatis, & certaminis tessera, & omen extremæ victoriæ, & tutela transitûs, ex hac vita, ad alteram æternam vitam.

D In hunc ergo modum in Passione Christi Sacramenta omnia considerare licet, & quomodo ex vulneribus Passi Iesu omnia promanent, virtutemque sumant, agnoscere. Non solùm autem hoc, verùm etiam si superiores modos meditandi rectè expendimus, omnia quæ in Christiana vita, Christique Ecclesia continentur, elucescere in Passione Domini advertimus, sive præcepta Decalogi, sive Consilia Evangelica, sive Opera Misericordiæ, sive virtutes Theologicas, atque Morales, sive Dona & Fructus Spiritûs Sancti, sive Sacramenta septem, sive sacrificium omnis generis. ut verissimè affirmetur Christum, in sua, imò, suâ

suâ Passione genuisse, desponsâsse, ornâsse, & dotâsse sibi Ecclesiam, cum omni illius perfectione, sanctitate, & ornatu, prout ex prædictis, facile patet.

MODVS LXXXIV.

Octogesimus quartus meditandi Passionem Domini Modus esse potest: considerando quomodo in Passione sua Dominus noster Angelicas perfectiones, atque proprietates, nec non ministeria, nobis ex scripturis sacris nota, & exercuerit, & expresserit, & insuper etiam excesserit.

Angelos Sanctos, præcipuâ ratione nobis commendat pietas, quam Dominus Deus noster *mandavit illis* de nobis *ut custodiant* nos, *in omnibus viis nostris, ne unquam offendamus ad lapidem pedes nostros, utq; super aspidem & basiliscum ambulemus, & conculcemus leonem & draconem*. Neque id solum, verùm etiam, ut ducant nos per viam, qua ambulemus ad patriam, præbendo lumen in tenebris, præsidium in periculis, solatium in mœroribus, robur in difficultatibus, refectionem in laboribus, stimulum & animum in cessationibus, eruditionem & revelationem in ignorantiis. Hæc omnia longê plenius est nobis Dominus noster IESUS Christus, qui est verus Testamenti Angelus, est Agnus qui solvit signacula libri, septem Sigillis clausi, & ipse liber scriptus intus & foris. Ille Passione potissimùm suâ revelavit nobis mysteria abscondita a constitutione mundi. Propter quod Petro ad Passionem suam impediendam nonnihil procedenti & conanti, dixit inter alia. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Idem Dominus noster piissimâ Passione suâ, & liberavit nos, & assiduò liberat, ab omnibus incommodis periculisque salutis, & corporis quidem, sed potissimùm Animæ, liberat autem purgando, illuminando, inflammando, confirmando, protegendo, consolando, adjuvando, ornando, ditando, gratiis, meritis, omnique genere beneficiorum, usque ad possessionem vitæ æternæ, quæ non nisi per ipsam obtinetur.

Archangelorum, prout ipsum nomen sonat, munus est, majora & graviora Divinæ voluntatis decretorumque annuntiare. Quis autem & quando nobis grandiora mysteria & arcana revelavit quàm Christus in sua Passione, ac per Passionem. Christus Passus atque Crucifixus, revera Michaël fuit: qui nobis, quod nemo esset *Sicut Deus*, ostendit. Christus Passus etiam verè Gabriel fuit, qui fortitudinem Dei in nostra licèt infirmitate absconditam exercendo nuntiavit. Christus item Passus Raphael, seu Medicina Dei nobis exstitit, quoniam ille Passione suâ, totius mundi sanitatem fecit. Denique Christus Passione & morte suâ, Patrem nobis reconciliavit, cælum aperuit, mortem nostram vicit, mundum calcavit, peccata delevit, vires diaboli confregit, vitæ æternæ nos hæredes constituit. Hæc si quis Spirituum cœlestium nobis facta vel futura nuntiasset, meritò à nobis Archangelus dici debuisset. Christus ista omnia nobis nuntiando fecit, & faciendo nuntiavit, ita ut verissimè dixerit, tum Apostolis. *Omnia quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis.* tum Iudæis. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Horum verò operum, maximè vocalissima est Passio Christi, & vulnera, & Mors. Ipsa est enim exsecutrix omnium, ipsa lingua omnium, ipsa sigillum & obsignatio omnium. Noster ergo Archangelus fuit Passus IESUS, & omnium Archangelorum Princeps, atque Dominus.

Virtutes hoc muneris habent, quòd operentur mirabilia atque miracula supernaturalis Ordinis, quin etiam ordinarium supernaturalitatis modum superantia. potissimùm in Hominum ad Deum, ejusque Gloriam & voluntatem, subjectionem, tum verò ad ipsorummet illorum salutem æternam, accommodata, atque ordinata. Totus, & semper, & ubique fuit talis Virtus, Christus; at maximè, & specialissimè efficacissimèque in Passione & Cruce, atque Morte. Quod ipse luculenter affirmavit aliquando Iudæis dicens. *Ego, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Et traxit revera omnia quidem nostra peccata, ut ea deleret; omnia nostra vulnera, ut sanaret; omnium nostrum mortem, ut vivificaret; omnium nostrûm condemnationem, ut rescinderet. Traxit omnem furorem hostium, dæmonum, & hominum, ut patiendo vinceret. Omnem iram Patris Æterni, ut placaret; omne Iustitiæ debitum, ut solveret. Omnium nostrûm corda, ut

Ioan: 12. 32

da, ut obligaret. Omnium nostrûm Animas, ut beatas faceret. Præter hoc autem, Virtutis Passionis Christi atque Mortis fuit, Terræ motus, obscuratio solis in medio die & plenilunio per universam terram, Petrarum scissio, sepulchrorum apertio, Mortuorum resuscitatio, veli templi rescissio. Passionis quoque ac Mortis Christi virtus fuit: Conversio latronis, Confessio Centurionis, Populorum pœnitentia, Clamor validus in morte, Oratio pro Crucifixoribus. Virtus etiam Passionis Christi & Mortis fuit, victoria mundi, evacuatio inferni, Alligatio diaboli, Confusio mortis, Justificatio impiorum, Pacificatio cælestium atque terrestrium, reseratio cælorum. Virtus Passionis & Mortis Christi est, Conversio Humani generis ad fidem, ad legem, ad consilia, ad doctrinam, ad spé, & fiduciam, ad æmulationem & imitationem, ad confessionem & dilectionem Christi, etiam per vulnera, per sanguinem, per mortem pro Christo, & quidem Christo Crucifixo, Mortuo, & sepulto. Hæc Christi Passionis virtus, omnes excedit virtutes, omnesque virtutum operationes. De Passo Christo dici potest, quod de vivente dictum est. *Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* (Luc: 6. 19.)

Principatus, habent hoc propriũ sive naturæ, sive muneris, quòd repræsentent Deum tanquam Principem, principiumque rerum omnium creatarum, quæ omnes ex Deo tanquam ex fonte aquæ, tanquam ex mari flumina, tanquam ex terra germina, progrediuntur, ideoque etiam Deo subsunt, atque ab eo gubernantur. Christus Dominus noster longè justiùs pleniùsque repræsentavit nobis, tam in vita, quàm in morte Passioneque sua Divinum suum in omnia Principatum. Propter quod Evangelista de illo asseruit, quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Quod factum est, in ipso vita erat.* (Ioan: 1. 3.) Propter hoc etiam, cùm dormiente Domino in navicula, descendisset procella & venti in stagnum in quo navigabant, *surgens increpavit ventum, & tempestatem, & mari dixit, tace, obmutesce; & cessavit, & facta est tranquillitas, dicebantq; homines timentes ad invicem. Quis putas hic est, quia & ventu & mari imperat, & obediunt ei?* (Luc: 8. 23.; Luc: 4. 41) Pari ratione tam morbis, quàm mortuis, quàm etiam ipsis dæmoniis imperabat, expellebatque ea, & *increpans non sinebat ea loqui.* Porrò in Passione sua, quantopere Principatum suum demonstravit, obscurum esse non potest. verbo suo prostravit universos

A milites, ministrosque & Sacerdotes, qui ad eum capiendum venerant. Verbo cohibuit eosdem, ne ullum ex discipulis suis apprehenderent; solo tactu, auriculam Malchi abscissam sanavit. Coram Concilio Iudæorum se Dei filium Christum, & Judicem venturum in gloria denuntiavit. Coram Pilato Regem se esse professus est, estò non de hoc mundo: ejusdem minas repressit, dicens. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* (Ioan: 19) Quid multa? Principatus Christi, super humeros Christi fuit, tum quando exivit bajulans sibi Crucem; tum quando Cruci affixus est, & titulo

B Crucis Regem se testatus est, & Latroni Regnum Paradysi appromisit, contulitque, & totum universum in planctum Passionis suæ Mortisque convertit. Denique Passio ejus universa, atque Mors in Cruce, aliud fuit nihil, quàm exercitium Principatûs sui, debellatio Tyrannidis diabolicæ, cui extorsit delevitque chyrographum decreti, *quod erat contrarium nobis, & illud affixit Cruci, exspoliavit quoq; Principatus & potestates, & illos traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso,* (Col: 2.) passo, humiliato, exinanito, obediente, crucifixo, mortuo atque sepulto, demumque

C glorioseè redivivo. Hæc eadem Domini Passio, fuit Principium & fons reconciliationis nostræ cum Deo, fuit fons sanctificationis, & justificationis nostræ, fuit fons filiationis, seu adoptionis nostræ in filios, & hæredes Dei, fuit clavis adaperiens cœlos & portas justitiæ, per quas ingrediatur gens justa, id est Electi, in beatam æternitatem. Ad extremum Passione suâ Dominus Jesus quæsivit sibi, meruitque Principatum super omnia bona sua, juxta illud ipsiusmet dictum: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* (Luc: 2)

D Potestates Angelicæ, sunt repræsentatrices Omnipotentiæ Dei, tam respectu existentium, aut exstiturarum, quàm etiam respectu possibilium solum rerum. Quæ Deo plenissimè subsunt, non solum quoad esse & exsistere, sed etiam quoad posse, etiam quoad vires & potestates earum: ita ut non sit potestas in ulla creatura nisi à Deo, cujus potestati, nemo prorsus, ne ad momentum; ille autem quovis momento, omni simul potestati resistere potest, eamque pro suo arbitrio moderari. Ejusmodi Potestas fuit, & excelluit in Christo, etiam Patiente, & quidem eminentiùs, atque naturaliùs, quàm in omnibus simul Angelicis Potestatibus. Habuit & exercuit Potestatem Domi-

Dominus ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, neque ullus eam potuit tollere ab eo. Sæpius tentarant inimici Dominum tenere, comprehendere, præcipitare, lapidare; sed nihil proficere poterant, quia hora ejus necdum advenerat. Venit hora, aut potiùs ab ipsomet adducta est hora, & tunc prævalere in eum visa est potestas tenebrarum, & hora inimicorum, & odium, invidia, rabiesque persecutorum: sed tamen etiam in hoc ipso viguit Potestas Christi Domini, quia illæ manus impiorum atque hostium, quas ille in sese permiserat, ita suo incumbebant sceleri, ut tamen famularentur obsequerenturque Redemptori. Perfecta est virtus infirmitate, Sanitas Passione, Redemptio Crucifixione, vita Morte, Gloria confusione, Justificatio iniquitate, Reconciliatio offensione. *Denique ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia.* In infirmissimis ergo infirmitatibus Passi Iesu, summa & absolutissima, & Divina Potestas exercita est, omnisq; diaboli potestas contracta, arma ejus ablata, spolia ejus detracta, præda erepta, ipse alligatus à superveniente fortiore, infirmitatem licet, & ignominiam, & vulnera, & passionem, & mortem ipsam induto: quia quod infirmum & stultum erat Dei nostri, hoc fortius fuit, atque sapientius omnibus non solùm hominibus, sed etiam dæmonibus, quorum omnis rabies, & astutia devorata est in Christi Patientis & mortui infirmitate & stultitia Hæc Potestas Dei nostri, pro nobis Passi usque hodie perseverat, semperque perseverabit usque ad finem sæculi; quia omnes, tam hominum, quam dæmonum inimicas potestates, omnes errores, & persuasiones stultas, omnes tentationes & impugnationes violentas, omnes mundanas superbias ac vanitates, omnes concupiscentiæ carnalis licentias, & effrenitates, quibus superandis omnis in creaturis potestas est impar; Passionis tamen Dominicæ efficaciâ & potestate, per nos in nihilum rediguntur, & sicut lutum platearum delentur: adeò, ut tantum possimus, quantum confidimus in virtute Passionis Christi. Qua de re triumphatissimè loquitur Apostolus inter plura alia. *Certus sum enim, quia nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESU.* [n: 8. 38] Neque mirum; cùm habeamus etiam Domini ipsius hac in parte munificentiam. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & Scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* [: 10, 19]

Dominationes, Dominium Dei absolutum supremumque repræsentant, quo ille essentialiter omnium Dominus est, & in quo à nemine dependet, aut limitatur, sed omnia ab ipso. Christus Dominus noster, Dominus universorum fuit, non per modum dominationis alicujus participativè, aut repræsentativè; sed essentiâ atque naturâ suâ inprimis: unde in ejus femore scriptum est; *Rex Regum, & Dominus Dominantium:* [Apoc: 16. 14] deinde fuit Dominus omnium meritoriè; quia enim *formam servi accipiens exinanivit semetipsum factus obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter hoc & Deus Pater exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESU omne genu flectatur,* [Philip: 2. 6] ejusque Dominium, atque Regnum recognoscat. Et recognovit sanè tota universitas rerum Dominium ejus semper quidem, at maximè in Passione illius, quando illo in Cruce pendente, atque moriente, tota rerum universitas, planxit mortem ejus, tribus horis, ita ut in omnibus elementis, in saxis, & rupibus, in mortuis denique ipsis, sensus mortis, Domini sui, planctusque apparuerit. Meritoriam hanc Dominii super omnia à se quæsitionem, & acquisitionem, complevit Dominus, atque consummavit, tum pro potestate arbitrioque voluntatis suæ, inclinato capite Spiritum emittens, atque moriens; tum ad inferos, tanquam inter mortuos liber, & sicut vivorum, ita & mortuorum Dominus, tartarearumque potestatum debellator descendens; tum tertiâ die, propriâ suâ virtute, à mortuis ad vitam resurgens; quâ completâ potentiâ suâ apparens discipulis profitetur dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* [Matt: 28. 18] Quia enim potestatem quam ex natura habuit, in Incarnationis, ac potissimùm in Passionis, Mortisque suæ dispensatione, ipse sibi quoad usum exercitiumque quodammodo subtraxit, ideo post transactam subjectionis suæ horam, ad eandem potestatem, tanquam ad laborum suorum servitutisque præmium rediit, id ipsum congratulantibus ei cœlestibus ordinibus universis, & dicentibus; *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo.* [Apoc: 5. 12.]

Throni, sunt Spiritûs repræsentantes Divinam Æquitatem, Justitiam, Majestatem, atq; Reverentiæ illi debitæ Profundi-

funditatem. Undè Throni dicti sunt illi Spiritus, tum quia in eis Deus resìdet, quietissime omnia judicans, discernens, concludens, atque decernens, immotus, ac imperturbatus ipse: tum quia in submissione humilitateque profundissima illorum Spirituum; Deus ipse cum quadam securitate conquiescit, magnifice in eis adimplens, quod super humiles atque trementes ad suos sermones descendat, atque in eis requiescat. Christus Dominus noster, absque omni dubitatione, & Thronus fuit ipse, & Passio ejus fuit Thronus ejus. Fuit Thronus, quia Divinitas ejus resedit, requievitque in Humanitate ejus. Christo enim omne *judicium dedit Pater, quia Filius Hominis est; & ipse constitutus est a Deo Patre, Iudex vivorum & mortuorum, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.* (Ioan: 5. 22. 27. Act: 10. 42) In hoc Throno sive Solio, vidit Isaias *Dominum nostrum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & majestate ejus plena erat omnis terra.* (Isaiæ 6. 1.) At etiam Dei-Hominis Christi Thronus fuit Passio tota, & in specie Crux ejus. Tota enim prævia vita Christi cursus fuit, unde ex itinere fatigabatur, unde pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Neque conquievit nisi in Passione sua actuali affirmante ipsomet ac dicente. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Perfectus est Baptismus in Passione & Cruce: ibi ergo resedit, ibi conquievit Dominus; ad quod etiam ipse respexit cum diceret. *Ecce ego ejicio dæmonia & sanitates perficio, hodie, & cras, & tertia die consummor,* (Luc: 13. 32) atque perficior, & conquiesco. Maximè verò hanc suam, in Passione & Cruce, veluti in Throno sessionem, quietem, Iudiciariæque Potestatis exercitationem expressit Dominus, quando affirmatè dixit, præsertim per Prophetam. *Tu cognovisti sessionem & resurrectionem meam:* (Psal: 138. 2) sessionis nomine Passionem & mortem Crucis, sepulturamque suam significans; partim per semetipsum. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* (Ioan: 12. 31) Et. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, hoc autem dicebat significans quâ morte esset moriturus.* Judicavit ergo Christus in sua Passione atque Cruce diabolum, judicavit mundum, judicavit peccatum, judicavit mortem, tam temporalem, quam æternam. Hoc judicio periit Iudas traditor, conversus est Petrus abjurator: hoc judicio damnatus est latro impœnitens, salvatus latro confitens; hoc judicio damnata sunt peccata, salvati autem peccatores; hoc judicio excusati sunt apud Patrem crucifixores, quia ignorabant quid facerent; & concussione totius universi, recessione veli ad Sancta sanctorum, damnati & deserti sunt impii & incorrecti cætus Sacerdotum, & Pharisæorum. Quod si ad humilitatem Christi reverentiamque, quâ se Christus submisit Patri, respexerimus; & hæc utique Thronus Christi consummatissimus fuit. In hoc ille humilitatis, reverentiæ, mansuetudinis, exinanitionisque throno residens clamabat omnibus; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* In hoc throno tam per omnes gradus mensurasque excessit, ut omnibus simul collectis creaturis, etiamsi omnes essent Divinæ Parenti dignitate pares, omnibusque earum humilitatibus, ac reverentiis sub Deo congregatis, non tantùm non sint adæquaturæ, sed neque satis imitaturæ Humilitatē Christi. Alia enim est, alia per omnem modum, alia infinities infinitè humilitas, qua se vilificat creatura, quæ est absolutè nihil, & nihil; & alia Humilitas, quâ se exinanivit Deus-Homo, & exinanivit factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Humilitate sua quantacunque nunquam excedit creatura vilitatem nihili sui; at Deus-Homo, si se vel ad latum unguem humiliet, limites immensæ Dignitatis suæ transit. Quàm enim vilitati creatæ debita est omnis vilificatio: tam Dignitati Increatæ nulla omnino competit humiliatio, multoque etiam minùs exinanitio. Quare nemini magis Thronus fuit Humilitas, & erga Deum Reverentia, quam Christo sua Exinanitio, & descensio.

Cherubini, suo nomine sonant scientiæ atque sapientiæ plenitudinem; quia nimirum repræsentant hi spiritus semetipsis Divinam omniscientiam, omniumq; veritatum consummatam, comprehensivam, intimam intelligentiam, in quacunque conditione, & suppositione. Non quod Cherubini ipsi Deum comprehendant, ejusque scientiam & sapientiam cognitionibus suis adæquent, sed quod naturis suis ostendant Deum talem esse, qui omnia nôrit, intueatur, comprehendat. Dominum nostrum JESUM Christum, omnes Cherubinos sapientiâ excessisse facilè confitebitur qui noverit de eo dictum ab Apostolo; *quia in eo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* (Colos: 2.) Item. *quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* (Colos: 2.) Nunquam autem magis fuêre isti thesauri absconditi & latentes, (quan-

(quantùm ad hominum, seu hostium oculos) quàm in Patiente & Moriente Christo: quamvis alioqui revera tunc maximè elucescebant iis, qui oculos ad dispiciendum idoneos habebant. Unde Apostolus idem affirmat: *quia nos prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*: deq; eadem re alibi idem dicit: quia *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Quid enim stultius cogitetur, quàm Deum pati, crucifigi, mori, voluntate, atque spontaneo consilio, propter nulli usui sibi futuras causas, & quas potuerit longe faciliori, honestiorique consilio expedire? sed quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus, omnibusque hominum sapientiis: quæ omnes in hac una Dei stultitia devoratæ, eversæ, confusæ, & exinanitæ sunt. Propter quod Apostolus nullam aliam sapientiam, atque scientiam, sibi vel optavit, vel gratulatus est, *quàm scire IESVM, & hunc Crucifixum.* Neque id soli sibi, verùm & omnibus aliis exoptavit, & precatus est. Sic enim ait. *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IESU Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari, per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare, per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati; ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hæc est Apostolica pro omnibus fidelibus ad Deum postulatio, quâ postulat omnibus, Passionis atque Crucis Christi, plenam perfectamque scientiam, & in ea, absconditam licèt, supereminentem tamen charitatem, qua consequatur impletio in omnem plenitudinem Dei. Et profectò Passio Christi est, illa *Clavis David*, quæ cui aperit mysteria seu Fidei, seu Scripturarum sacrarum, seu etiam aliarum veritatum atque scientiarum, huic nemo claudit; cui verò illa claudit (sicut claudit omnibus non credentibus, & negligentibus, & contemnentibus) huic nemo aperit, ad nihil inquam ei proficit omnis humana sapientia, sed & ipsa fidei lux, tenebræ sunt illi, & scripturarum lumine excæcatur potiùs, atque induratur, quàm in salutem proficit. Christus ergo noster verus Cherubim: & plus quàm Cherubim est.

[Margin: 1. Cor. 1. 24. — 1. Cor. 1. 25. — 1. Cor. 2. 2. — Eph. 3. 4. — Isa. 22. 22. — Apoc. 3. 7.]

Seraphinorum munus est, ardere Charitate, & hoc ardore repræsentare Charitatem, quæ Deus est, quâve diligit ipse semetipsum, & omnia in se, propter se, ac semetipso. Dominum nostrum Jesum Christum si dixero non arsisse amore Seraphico, in Patrem suum Æternum, & in nos, injurium me Charitati ipsius divinæ profiteri cogar; de quo enim aliquando Seraphinorum dictum est, quod Dominus noster de sua Patrisque in mundum charitate dixit. *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum.* De cujus charitate dictum est. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* De cujus item Charitate scriptum est. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihilum despiciet illam?* Hoc utique Christus Dominus re ipsa fecit, in omni quidem vita sua, incipiendo ab inde, quando *VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis*, usque quando in Cruce pendens *tradidit in mortem Animam suam.* de qua Charitate ipsemet judicium tulit, quando dixit, *quia majorem hac dilectionem habet nemo, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Exaggerat vero hoc ampliùs Paulus, qui dicit nos non amicos, sed *cùm adhuc inimici essemus*, dilectos esse, *atque reconciliatos Patri per Christum*: Quam etiam Charitatem idem Paulus *nimiam vocare* nô veretur, sicuti & Lucas excessivam aut potiùs *excessum* ipsum. Porrò totam hanc suam erga nos charitatem ipsemet Christus suæ erga Patrem dilectioni attribuit, tanquam ei, cujus solius gratiâ nos ille dilexit. Nos enim cur amaret omnino nullam aliam causam habuit, ideo sese Passioni accingens dixit discipulis. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

[Margin: Ioan: 3. 16. — Cant: 8. 6. — Ioan. 1. 14. — Isa: 53. 12. — Ioan: 15. 13. — Rom: 5. 10. — Eph: 2. 4. — Luc: 9. 31. — Ioan: 14. 31.]

Plus quàm ergo Seraphicam exercuit charitatem Dominus Jesus Christus Salvator noster, in omni quidem vita, at potissimùm in Passione, & morte sua. Neque potest cogitari actus ullus magis Seraphicus, ipsâ Christi Passione: cujus comparatione omnes Seraphinorum actus, omnesque ardores, merum gelu, merumque frigus sunt.

OCtogesimus quintus meditãdi Passionem Domini, Modus esse potest. Considerando quomodo Passione suâ Dominus noster nos homines aptaverit, ad restaurandas implendasque Angelicorum Ordinum ruinas. Constat enim cum Lucifero, seu Dracone rebelli magnam quoque multitudinem Angelorum apostatâsse à Deo, neque *servâsse suum principatum, sed rudentibus inferni in tartara detractam.* Hanc etiam Apostasiam constat non ex uno tantùm aliquo ordine choroque Angelorum contigisse, sed ex diversis, atque probabile esse, quòd ex omnibus. Constat denique ad Dominum nostrum JESUM Christum pertinuisse, atque adeò etiam re ipsâ peractam esse hanc reparationem ruinarum Angelicarum: ratione cujus reparationis, Christus, Caput & Dominus est etiam Angelorum, ut sit totius Civitatis Cœlestis Hierusalem Princeps, & Caput, & Rex. Cujus rei plures videntur esse assertiones in divinis literis. Talis est, cùm David loquitur de Christo: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas;* Angelicas haud dubiè, supplemento ex hominibus à se redemptis accepto. Qui etiam Propheta Deum precatur pro eadem instauratione Angelica, cùm ait: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem,* cælestis utique non terrenæ: neq; per alios, quàm per homines illuc aptatos, inibique dispositos. De qua eadem Civitatis Cælestis per homines à Christo redemptos completione Apostolus Paulus sæpiùs loquitur; ut cùm ait: *Accessistis ad Sion montem, & Civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum.* Et alio loco ait. *Deus proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Plura adducere testimonia Sacra, supervacuum duco, unum tamen afferre libet, de Christi Domini Principatu etiam super Angelos, de quo graphicè videtur loqui Apostolus quando commemorat *Dei Patris operationem potentiæ virtutis, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius & plenitudo ejus.* Clara sunt Apostoli verba, si cui tamen luce videntur egere, Interpretes adeat. Nunc ego quomodo per Dominicam Passionem homines disponuntur præparanturve ad reparationem Angelicarum ruinarum, paucis attingo.

Iudæ 6. 2. Pet. 2. 4. Psal. 109. Psal. 50. 20. Hebr. 12. 22. Eph. 1. 9. Eph. 1. 19.

Inexhausta siquidem Pietas & Mansuetudo Christi, præcipuâ quâdam ratione in Passione ipsius elucens, quâ etiam inter alia pietatis opera, & operam dare se protestatus est Æterno Patri non se perdere quenquam ex his quos ille sibi dedisset, præter filium perditionis; & in ipso æstu furentium in se hostiũ Malcho auriculam restituit, Petrum verò nimio terrore, à suæ confessionis promissâ constantiâ dejectum, benignissimo oculorum suorum conjectu, ad pœnitentiam sauciavit, & lamentatrices suas piissimè affatus, consolatusque est, & in Societate cruenti crudelisque supplicii consortem Regni Æterni Latronem invenit, an potiùs fecit, & denique pro Crucifixoribus suis trsnsgressoribusque Patrem rogavit, hac pietate plùs quàm Angelicâ, Angelicam nos pietatem, erga nostros proximos docuit, reparandæque Angelorum ruinæ idoneos fecit. Pietas enim in fovendis proximorum præsertim animabus Angelica virtus est; sicut odium proximorum, proprium est dæmonum.

Jam verò Prædicatio veritatis, & testificatio atque enarratio mysteriorum fidei, pro cujus doctrina & assertione Dominus JESUS animam suam posuit, nosque ad ejus testificationem coram principibus, & populis terræ, tam verbo, quàm magis exemplo animavit, dicens; *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis.* Hac ratione ordinavit instruxitque nos, ut ad Archangelos pertingere possimus, quibus in eo similes reddimur, quia ad Justitiam Dei alios erudimus, & viam Dei, ejusque tum præcepta, tum consilia, in veritate docemus, atque prædicamus.

Matt. 10.

Porrò dum in Passione Dominica virtutum heroicas operationes, generosamque Christi Crucifixi imitationem, atque Crucis ejus post ipsum bajulationem, opprobriique ejus portationem addiscimus, & eam quà verbis, quà operibus, quà mentis affectibus adimplemus, virtutum Angelicarum ruinis instaurandis idonei reddimur. Ubi enim dilucidiùs virtu-

virtutes Christi Domini heroicæ, atque etiam exemplares, vel elucescunt, vel ad sui æmulationem provocant credentium animos, quàm in ejus vita, ac potissimùm Passione? Quare ab ea specialissimè parte tum in animo virtutibus ornamur, tum etiam in cœlis virtutum choro inserimur.

Ad Principatus autem conscendimus, quando ex *Christo Passo in Carne, & nos eâdem cogitatione armamur, mortificationemq; Christi in Corpore nostro jugiter circumferimus*; atque juxta Apostoli monitum, *in carne passi*, & in sensibus nostris edomiti *desinimus à peccatis, ut jam non desideriis carnis*, neque desideriis sensuum, neque etiam *desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivamus temporis*, tenente principatum ratione ac fide, & regente vitam conversationemque nostram divinâ lege, & exemplorum Christi imitatione.

Pet: 4. 1

Cor: 4. 10.

Ad Potestatum Chorum explendum, disponit nos Passio Domini nostri, quando fide, virtute, exemplo, meritisque illius roborati, atque *in potentia virtutis Domini confirmati, nec non armaturâ Dei nostri superinduti, stamus adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio* (tantùm) *adversus carnem & sanguinem, sed etiam adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Quemadmodum enim, nunquam, & nullibi magis potestas tenebrarum, atque universa diaboli fortitudo contrita & confracta est, quàm in Passione, & à Cruce Domini nostri Jesu Christi: ita quoque & nos, quicunque in Christo baptisati, & cum eodem consepulti sumus, nullo ex armamentario arma potentia Deo, ad resistendum nequissimis potestatibus uberius atque certiùs depromimus, quàm ex Christo, & eo quidem Crucifixo.

Dominationum ruinis explendis à Passione & Cruce Domini nostri idonei reddimur. Crux enim Domini atque Passio, est *virga illa virtutis ejus, emissa ab ipsomet ex Sion ad dominandum in medio inimicorum suorum*, atque etiam nostrorum. Cùm verò inimici nostri, sint domestici nostri, ac vel maximè nosmetipsi; ideo istud est præcipuum dominium nostrum per Christum, ut sciat unusquisque nostrûm possidere vas suum in sanctificationem, non in passionibus desideriorum infrunitorum, nec in animo irreverenti, sed in disciplina & correptione Domini, quam ille nobis in semetipso, ad imitandum sustinendumque proposuit, quando atritus est propter scelera nostra, & disciplina pacis nostræ facta est super eum. Et quidem ille peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus, neque inventus est quisquam, qui argueret eum de peccato; ut testati sunt de eo, vel ipsi inimici ejus, Judas, & Pilatus, & Herodes; at verò nos in peccatis concepti atque nati, regnans habuimus peccatum in nobis, & dominata est nobis injustitia, & obedivimus concupiscentiis nostris, servientes eis ad voluntatem earum, & exhibentes tam membra nostri corporis, quàm potentias animæ, arma injustitiæ ad iniquitatem: propter quod Passio Domini hoc in nobis efficere, & nos in hoc instruere maximè debet, quia est sola potestas, ut dominemur ipsis nobis, omnibusque tam potentiis, quàm membris; omnibus tam vitiis, quàm cõcupiscentiis, ita ut mens nostra nihil sinat, quin & (quoad fieri potest) neque sentiat in se inordinatum, nihil superfluum, nihil non ad suam, divinæque legis regulam. Deus autem plenè dominetur nostri, juxta voluntatem suam sanctam, beneplacentem, & perfectam, ut in omnibus, tam prosperis, quàm adversis, fiat voluntas ejus, & nos exemplo Domini nostri, quæ placita sunt ei faciamus semper. Sic enim verè & nos domini erimus, & Dominus dominabitur nostri: & inter Dominationes Angelicas erit habitatio, atque gloria nostra.

Ps. 109. 2.

Ad Thronos Angelicos sublevat nos etiam Domini nostri Passio & Crux. Quemadmodum enim Christus per Crucem & Passionem suam, planè in novissimo loco consedit, tribuens id humilitati, atque erga Patrem observantiæ, & reverentiæ prorsus abyssali, ut esset novissimus virorum, adeòque non homo, sed opprobrium hominum, & abjectio plebis, neque nidum, neque foveam, neque ullum omnino in mundo terræ palmum, vel cespitem, in quo suum caput reclinaret, vel pedem poneret, habens, sed inclinato, atque demisso, & pendulo capite mori debuerit: propter quod exaltatus est à Deo Patre, & ad dexteram eius consedit, habens omnia sibi ab eo subjecta, tam quæ in cœlis, quàm & quæ in terris, quàm quæ & infra sunt. Ita & nos facere oportet, humiliari per omnia, & propter reverentiam honoremque Majestatis, subjici omni creaturæ, *cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem*. Exemplum enim dedit nobis Dominus, ut quemadmodum

Eph: 4. 2.

modum

modum ille fecit, & nos similiter faciamus, accenseamurque illis, de quibus profitetur, quia non respiciet *nisi ad pauperculum & contritum corde, & trementem sermones ejus.* Denique ait. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Isaiæ 66. 2
Apoc: 3. 21.

Cherubicis spiritibus associamur adæquamurque etiam per Passionem Domini. Hæc est enim vera & sola sapientia scire Jesum, & hunc Crucifixum. In Christo enim Crucifixo omnium est sicut congregatio, ita & elucidatio, atque etiam completio veritatum. Propterea Dominus Jesus ut plurimum impletionem scripturæ Dei, per Passionem suam urgebat: & quando post resurrectionem aperiebat sensum Apostolis, ut scripturas intelligerent, dedit eis veluti clavem ad hunc intellectum, Passionem suam, *dicens eis: quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis.* Atque id ipsum fecit cum duobus illis Emmaunta proficiscentibus: quibus ut ostenderet *quia hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Nimirum Passio & Crux & Mors Christi, totius est Divinæ sapientiæ thesaurus, omnium veritatum gazophylacium, omnis scientiæ atque disciplinæ magisterium, in quo quantò quis ampliùs proficit; tantò ampliùs sapientiæ Cherubicorum spirituum appropinquat; quorum Sapientia universa, Christus est.

Luc: 24. 46
Luc: 24. 26

Seraphicis denique mentibus æquiparamur, & adaptamur à Passione & Cruce & Morte Christi. Etenim ubi majora, ubi (inquam) omnibus Seraphicis flammis atque ardoribus majora, vel reperire, vel concipere est incendia, quàm in Dominica Passione. Quid est Passio Christi, nisi excessus Amoris Divini? quid est Crux Christi, nisi schola dilectionis divinæ? quâ ita Deus dilexit mundum, ut non pepercerit filio suo propter ipsum. Quid denique est mors Christi, nisi nimia Dei charitas, quâ cum exæstuâsset immensitas illa, omnes transgressa est limites, & usque ad nimietatem accessit? Quis quæso Seraphinus, quis ordo Seraphinorum etiam totus, me ita Charitatem ac dilectionem docebit, saltem verbis: quomodo in illa erudior, à Christi Passione, in immensum exaggeratis exemplis, exemplorumque divinæ charitatis potentis? Omnes Seraphinorum, atque etiam omnes omnium creaturarum conversi in Deum amores, amorumque ardores, Divinæ Majestati, Dignitati, Amplitudini collati, vix sunt, ac ne quidem sunt, unius instar scintillæ oculo conspiciendæ; at verò una Passio Domini nostri Jesu Christi, tantum ebullit & eructat dilectionis Dei, atque proximi, quantum Divino per omnia licèt immenso cordi exsatiando sit satis. Nisi enim satis esset, nunquam Passio Domini Jesu, nos inimicos, nos naturâ iræ filios, nos in servitute peccati, & diaboli sepultos, Deo reconciliasset, nunquam filios Dei fecisset, nunquam Divinæ consortes naturæ reddidisset, nunquam hæredes Dei, cohæredes autem Christi constituisset. Nunc autem omnia hæc sumus, & quidem per charitatem Christi Crucifixi sumus.

Et quamvis hoc ita se habeat tamen (ah probrum vel dicere, sed plus quam probrosissimum ita esse) tamen (inquam) nos inter tanta charitatis Christi erga Deum, & erga nos propter Deum, incendia, torpescimus, gelascimus, rigescimus, & tales quidem infiniti sumus? vix aliqui, & admodum sanè pauci, qui vel modicum quiddam, de istis sempiternæ charitatis flammis concipimus atque fovemus. Ita nobis ex Redemptore nostro, pro nobis in Cruce mortuo, patet ad omnem non tantùm salutem, sed etiã celsitudinem beatitudinis aditus, & via, nisi eam nostra nobis incogitantia, ingratitudo, & peccatorum amor insatiabilis obstrueret.

MODVS LXXXVI.

Octogesimus sextus Passionem Dominicam meditandi Modus esse potest. Considerare quomodo Passioni Domini nostri respondet gloria Beatorum in cælo. Dupliciter autem respondere potest. Primò meritoriè, ita ut expendamus, quam partem beatitudinis, quâ parte Passionis suæ Dominus noster promeruerit. Etsi enim totâ Passione, & qualibet ejus parte, totam promeruerit gloriam cœlestem Beatis suis Dominus, assignari tamen possunt per piam considerationem, certæ partes Passionis, habentes quandam proportionem, ad certas par-

tas partes gloriæ, quæ per illas promeritæ videri possint. Altero modo responderé potest Passio Gloriæ Beatorum nempe exemplariter, de quo modo, in sequenti proximè agemus. Nunc autem priorem proponemus.

Beatitudo Cœlestis hominum beatorum (de horum enim agimus) complectitur hæc. I. Beatitudinem Animæ, quæ consistit in visione Dei intuitiva, Amore beatifico, & gaudio, fruitione, possessioneque, seu tentione Dei æternâ. Estque hæc beatitudo Essentialis atque substantialis. II. Complectitur beatitudinem corporis. quæ consistit in quatuor ejus dotibus, nempe 1. Immortalitate seu impatibilitate. 2. Claritate. 3. Agilitate. 4. Subtilitate. III. Complectitur Laureolas, quæ sunt triplices. 1. Virginum. 2. Martyrum. & 3. Doctorum. 4. Complectitur glorias accidentales, quæ beatis adveniunt frequentissimè ex variis occasionibus & causis, connexionibusque ipsorum Beatorum cũ ipsis. ut v. g. quoties alicujus Beati exemplo, seu doctrinâ, proficiunt viatores in Dei & proximi amore, & obsequio, in studio virtutum, in exercitio pœnitentiæ &c. toties illi Beato obvenit accidentalis gloria, juxta illud Domini nostri verbum. *Gaudium est Angelis DEI in cælo, super uno peccatore pœnitentiam agente:* de hac etiam accidentali gloria intelligendum illud. *Gaudium Domini, fortitudo nostra.* Istæ omnes Beatitudinis portiones, habere possunt partes suas, in Passione Domini, quibus emeritæ, & acquisitæ sunt Beatis. Has partes, assignare quisque pro suo ingenio arbitriove potest, ego partim minuendi laboris, partim paradigmatis causâ, sic designo.

[Margin: *Luc. 15. 7*]

[Margin: *Esdræ 8. 10.*]

Primùm ergo, Possessionem Dei beatificam, emit nobis Dominus noster venditione atque traditione sui, quam à Judâ discipulo in manibus inimicorum subiit. Emit etiam traditione illâ, quâ denum à Pilato traditus est voluntati Iudæorum, & denique illâ à suo populo sui sanguinis super se, & super filios eorum acceptatione.

Deinde visionem beatificam & intuitivam Dei sicuti est, emit nobis Dominus Comprehensione & Captivitate sui ab inimicis, circumductioneque illâ ad subsellia Judicum, tam Iudæorum, quàm Gentilium.

Tertiò. Gaudium & Fruitionem Tentionemque Dei beatificam promeruit nobis Dominus, desiderio suo, quo flagravit, patiendi pro nobis, item affixione ad Crucem per manus, atque pedes. Siti quoque & fellis ac aceti gustatione. Oratione quoque ad Patrem pro transgressoribus, ac demum derelictione sui a Patre, quam testatus est ipse.

Quartò. Corporis gloriam in universum promeruit nobis partim sudore sanguineo in horto, partim verecundiâ in tot repetitis nudationibus, partim cruentissimâ, crudelissimâque flagellatione, atque laceratione corporis sui.

Quintò. Immortalitatis seu Impatibilitatis dotem meruit nobis Cruciatibus suis in Cruce, Agoniâ trium horarũ, & deniq; morte in eadẽ funesta trabe.

Sextò. Agilitatis Dotem meruit nobis ultroneo occursu hostibus suis, ad se capiendum venientibus. Item vinculis toties sibi injectis auctisque, usque dum crucifigeretur.

Septimò. Claritatis Dotem obtinuit nobis, nocturnis pœnis in domo Caiphæ, ubi velaverunt faciem ejus, & dabant ei alapas, & colaphis eum ceciderunt, & prophetisare jusserunt, & alia multa blasphemantes in eum dixerunt, demumque totâ illâ nocte, indignissimis crudelissimisque modis habuerunt.

Octavò. Subtilitatis Dotem acquisivit nobis Dominus, Oratione & agoniâ in horto: pavore & tristitiâ, & tædio cordis, vulnere lateris, & sepulturâ.

Nonò. Laureolas promeruit nobis Dominus illusione tum per vestem albam Herodianam, tam chlamide coccineâ, tum spineâ coronâ, & arundineo sceptro, totâque illâ consputatione, alapis, illusoriis salutationibus, & in specie dum in Cruce consummavit martyrium, caputque exstitit martyrum; dum ex Cathedra Crucis docuit, perdendam potiùs vitam, quàm obedientiam, dum inter Matrem Virginem, & discipulum, ipse quoque Virgo mortuus est, tres omnes in se laureolas dedicavit.

Decimò. Accidentales glorias promeruit Dominus noster omnibus Passionis suæ accessoriis conditionibus, atque circumstantiis, tum exterioribus, tum maximè interioribus, Christo soli notis. ac potissimùm inexplebili amore Dei Patris, & propter illum etiam amore salutis nostræ; accessit dolor compassivus super ruina populi sui, tam Spirituali & æterna, quàm etiam corporali: similis dolor super lapsu Petri, super maternis doloribus, super aliorum amicorum suorum luctu.

Undecimò. Gloriam quinque sensuum, corporis meruit Dominus noster afflictionibus suorum quoque sensuum externorum: quâ de re pleniùs dicetur in fine modi sequentis.

Ex his pii Meditatoris Animus cognoscat fructus Passionis Dominicæ, qui se etiam in Beatos, beatitudinemque eorum effundunt: cognoscat suam & omnium hominum, & inprimis beatorum obligationem, tum ad agendas gratias adeò profusæ Domini nostri in nos charitati: tum ad faciendas quoque de suo aliquas impensas, Christi hisce impensis unitas, ad propriæ beatitudinis acquisitionem. Agnoscat quoque & accuset, & defleat & emendet, emundetque suam, & aliorum infinitorum ingratitudinem, negligentiam, mollitiem, in respondendo tantis Christi, nostrî causâ susceptis laboribus, exhaustis doloribus, profusis sumptibus, quæsitis & acquisitis beatitudinibus &c. Agnoscat denique & accendatur, ad quærendos Christo eos, qui beatitudinis ab illo ipsis promeritæ participes sint, disponendosque eosdem quam maximè, ad summam capacitatem participationemque Beatitudinis, ita sibi à Christo quæsitæ. In hoc namque studio consistit & excellit zelus, non tantùm erga proximos Christi sanguine redemptos, verùm etiam erga ipsiusmet Christi gloriam, quam ille pro suis omnibus passionibus potissimùm ex nostra ultimata beatitudine percepit, tanquam præmium & mercedem. Neque possumus excellentiùs nostram in Christum vicissim protestari depromereque charitatem, quàm si plurimos, & quantum ex nobis, omnes adnitamur exhibere Christo plenissimè glorificandos. Hoc enim est maximam, quæ fieri possit, procurare Christo mercedem laborum, & Passionum, & meritorum suorum.

MODVS LXXXVII.

Octogesimus septimus Modus Passionem Domini meditandi esse potest, Considerare qualiter Passio Christi respondet exemplariter Beatorum præmio, atque gloriæ in cælo, & hæc vicissim illi. Cùm autem dico exemplariter respondere, in eo sensu dico, quia quædam partes Passionis Dominicæ correspondent partibus Beatæ gloriæ proportione quâdam, non tantùm propter similitudinem, aut identitatem, verùm etiam propter efficientiam, atque adeò & propter contrarietatem.

Primò. Abscondita sapientia, veritasque contempta, & partim falsitatis, partim stultitiæ velamine obscurata, respondet visioni Dei intuitivæ, quâ jam Beati non per speculum, & in ænigmate, sed revelatâ facie ad faciem, sicuti est, Dei essentiam per ipsam essentiam intuentur.

Secundò. Charitas Christi Domini erga Deum Patrem, nec non erga nos homines propter eundem, quâ dilexit nos, & tradidit se ipsum propter nos, excessivè (ut loquitur Evangelista) itemque nimiè (ut loquitur Apostolus) respondet Amatori beatifico, eidemquo fruitivo, incessabili, & necessario, quo beati diligunt Deum, eoque fruuntur, absorpti & transformati totâ voluntate in Amorem Dei, ita ut nihil diligant, nihil diligere velint, nihilque diligere possint, nisi unum & solum Deum; semetipsos autem ac omnia alia, nonnisi in Deo, & propter Deum, & quatenus in eis relucentem vident Deum.

Tertiò. Subjectio Domini nostri, quâ se & Patri, & creaturis usque ad traditorem, ad hostes, ad crucifixores, propter excellentiam, propter reverentiam, propter obedientiam, propter dilectionem ejus, submisit, humiliavit, à forma consubstantialitatis Dei, ad formam & habitum servi, & peccatoris, & maledicti, usque ad exinanitionem, prout loquitur Apostolus, respondet, vel respõdentem sibi habet possessionem atq; tentionem beatificam Dei. Nulla etenim virtus, sive affectio nostra, accessum facit vel nobis ad Deum, vel Deo ad nos, etiã in illa beatitudine, nulloque modo immobilius Deus in nobis, & nos in Deo habitamus, nullo etiam jure, intimiùs, atque naturaliùs, securiùsque Deum tenemus, possidemusque, ab eodemque vicissim tenemur, ac possidemur, quam exinanitione nostrî, & perditione, quæ possit esse annihilativa nostri, exaltativa autem & æstimativa Dei. Quocirca, rectè in Christi propter nos, coram Deo Patre humiliatione, statuitur proportionatissimus quidam locus, æquissimumque jus possidendi Deum beatificè.

Quartò. Desiderium & sitis famesque Christi ad patiendum pro gloria Patris & pro

& pro salute nostra, quâ, totâ vitâ se arsisse testatus est ipsemet Dominus, & maximè in ipso Passionis tempore, atque fervore eâdem arsit, ac planè æstuavit; totumque ideo passionum suarum mare, instar unius calicis atque haustûs reputavit, & nequaquam per eum ardori suo æstuique satisfactum, voce illâ in Cruce emissâ *Sitio* demonstravit. Hoc inquam desiderium, adeò sitibundum & famelicum, respondentem habet in Gloria beatorum, fruitionem atque delectationem & gaudium, atque exsaturationem, quâ Beati habent de Deo, & in Deo, & propter Deum.

Quintò. Saturatio (ut eam scriptura vocat) opprobriorum, irrisionum, contemptionum, blasphemiarum, nec non odiorum, & execrationum, detestationumque; Insuper exprobrationum, insultationum, mordacitatum, & subsannationum, quibus hostes Christi furores, odia, invidentias, omniaque in Christum virulentissima studia sua expleverunt, & simul ipsum Christum exsaturaverunt, dicente Prophetâ: *Saturabitur opprobriis.* Et iterum ex persona ipsiusmet Domini, *Satiati sunt panu meis.* Habet respondentem sibi in Beatitudine cælesti, Laudationem & Exaltationem Dei, quâ Beati in sæcula sæculorum laudant Deum, & nunquã fatigantur, satianturve laudando; sed perpetuò videntes Deum omnibus suis laudibus supervalere, easque infinities magis ac magis superexcedere, accenduntur & æstuant, in glorificationem & superexaltationem Dei, *quem magnificari in sua laude,* ampliùs ampliusque majorem reperiri, post omnem, & super omnem laudem suam experiuntur laudantes, & laudant experientes.

[Margin: 13. 30. — 10, 11. — 68. 31.]

Sextò. Enormissima Immanitas & simul perpetim exaggerata multitudo, atq; longitudo pœnarum cruciatuumque Domini nostri usque ad mortem, perinde truculentam, ac infamiæ plenissimam, à Domino nostro voluntariè, omnique cũ promptitudine animi tolerata, habet respondentem sibi in Gloriæ Beatorum Impatibilitatem & Immortalitatem, quâ Beati æternùm perfruuntur, securi de vita æterna. Morte siquidem Christi spontaneâ, debellata est mortis necessitas omnis, absorptaque est mors in victoria sua propria; nam dum Christum subegit, subacta est; dum vicit, victa est; dum triumphavit, suo triumpho triumphata est, & aditum immortalitati reseravit, omnique jure in homines cessit, aut potiùs excidit.

Septimò. Resignatio, non minùs plena, quàm prompta, atque devota Domini nostri, quâ non suam voluntatem, sed Æterni Patris in bibendo Passionis calice perfici, ultro consensit, imò petiit. quâ etiam hostium invadentium furori sponte obviam iit, quâ in manus Patris commendatum spiritum moriens emisit, atque tradidit, quâ denique nullum non tantùm impedimentum sed neque lenimentum, ac solatium, ac demum neque moram admisit in Passione atque morte sua, sed oblatus est quia ipse voluit; respondentem sibi habet in felicitate beatorum Agilitatem, pernicitatemque, propter quam nulla eis creata opponi possunt impedimenta, quominùs sistere sese possint quocunque demum suus eos impetus voluntatis, atque placiti ferat.

Octavò. Indignitati injuriarum, omnisque generis injustitiarum, nec non contumeliarum, per virulentissimas, simulque mendacissimas, & aculeatissimas linguas & mentes hostium, Christo in Passione illatas, quibus tota Anima Christi penitissimè penetrata, atque sauciata fuit, cujusque talis dolor exstitit in Christi Divino corde, ut omnes alios dolores Corporis & Animæ illius excesserit, in ipsasque creaturas insensibiles sensum sui immiserit, planctumque cœlo, terræ, mari, saxis, & rupibus, ipsis denique mortuis ac sepultis indixerit. Huic inquam indignissimæ indignitati respondet in Beatis subtilitas atque veluti quædã spiritualitas, tam quoad hoc, quia instar spirituum penetrare poterunt omnia corpora, & obstacula: tum quia instar quoque spirituum, nullis actibus vitæ vegetativæ, aut nutrientis egebant, *sed erunt sicut Angeli Dei* ut Dominus locutus est.

[Margin: Matt: 22. 3]

Nonò. Abscondito vultui Christi, hoc est, ita Passione & ignominiâ, & acrimoniâ, & accumulatâ alterius super alteram multitudine, alterato, atque prorsus immutato, ita ut cognosci reputarique à desiderantibus Prophetis non potuerit, eò quod neque decorem, sed neque speciem retinuerit sibi solitam, atque innatam; respondet Claritas resplendens, tam in ipso Christo, post resurrectionem, quàm in Beatis Deo beatificè fruentibus. Et ni fallor, videtur ipse Dominus Jesus, huc respexisse in gloriosa transfiguratione sua facta ante mortem suam in monte Thabor. *Sciens enim omnia, quæ ventura erant super eum:* atque eadem prænuntians, quin etiam (ut Mat-

[Margin: Ioan: 18. 4]

thæus loquitur) ostendens discipulis suis, *quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus Sacerdotum, & tradi gentibus ad illudendendum, & flagellandum, & conspuendum, & deniq; ad occidendum*: præludere quodammodo voluit, atque gustum aliquem exhibere passuræ Humanitati suæ, illius gloriæ atque felicitatis, quæ illius passionibus atque afflictionibus successuræ post resurrectionem fuerant. Propterea transfiguratus est in monte supra dicto, *& facta est species vultûs ejus altera, resplenduit sicut Sol: vestimenta autem ejus splendentia & candida nimis sicut nix.* Tanquàm si ostenderet Dominus, illi abscondiοni sui vultûs, successuram retribuendamque esse, claritatem ejusdem instar solis, imò & supra claritatem omnis solis.

Matt: 16. 21
Luc: 18. 32
Luc: 9. 29
Matt: 17. 2
Marc: 9. 2.

Decimò. Cruci & Morti Christi, quâ consummatus est, tum omnis labor ejus, tum exaltatio Patris, tum redemptio & salus nostra. In qua testimonium perhibuit veritati, & quæ fuit ejus cathedra morientis, & in qua denique virginis natus, virgo ipse, virginum curâ & favore speciali perfunctus, mortuus est: respondent laureolæ tres beatorum, videlicet Laureola Martyrum, Laureola Prædicatorum, Laureola Virginum.

Undecimò. Afflictioni omnium & singulorum sensuum in Christo Domino, quos indubitatissimum est, (aliàs supra explicatum) in tota Domini Passione afflictissimos fuisse, omnes, & singulos; respondent eorundem sensuum omnium in Beatitudine consolationes atque glorificationes, tam in ipso Christi Domini corpore, quam in Beatorum corporibus, similitudinem gloriæ Corporis Christi, in se deferentibus, imò ex illo derivantibus: sicut enim potissima sensibilis gloria ac beatitudo in cœlis erit gloria Christi Corporis, & à gloria ejusdem Sacro-Sancti Corporis; sic etiam ex ea, & ad instar ejus, potissimùm Beati glorificabuntur in corporibus suis. Attestatus est hoc Sanctus Patriarcha Propheta que simul Job, de uno sensuum suorum, scilicet de visu (est autem ratio aliorum quoque sensuum) quando dixit. *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meá, & in carne mea videbo DEUM meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius,* (pro me.) *Reposita est hæc spes in sinu meo.*

vide supra Modum 6.
Iob: 19. 25

Duodecimò. Afflictioni omnium & singulorum sensuum Christi Domini in Passione, (omnes siquidem in Christo habuerunt suos, & quidem plures gravesque cruciatus) in gloria beatorum respondent sensuum quoque omniũ beatitudines, in corporibus beatis.

vide supra Modum & Modum 27.

Visûs Christi afflictioni, respondet amplissima delectatio visûs & oculorum beatorum; videbunt enim & delectabuntur aspectu Sanctissimæ Jesu Christi Humanitatis, quam intueri in sua gloria atque majestate erit secundaria Sanctorum, substantialis tamen Beatitudo, & ea quidem quantum ad sensualem perceptionem, propria erit hominibus Beatis; in Angelicos enim Spiritus, ut pote sensibus destitutos ea non cadit. Exaggerabit hanc oculorum ex visione Humanitatis Christi delectationẽ in Beatis, quod non tantùm personam ipsam Christi Domini intuebuntur, sed etiam omnia ejusdem opera in terris per Hominem susceptum gesta quæcunque, & quotiescunq; voluerint repræsentata sibi, tanquam præsentia intueri poterunt. Intuebuntur cùm libuerit Christum Incarnatum in visceribus purissimæ Matris Virginis, intuebuntur natum in stabulo, involutum fasciis, positum in præsepio, conversantem cum hominibus, sudantem sanguine in horto, subjectum flagellis, coronatum spinis, Cruce onustum, in Cruce pendentem, mortuum, sepultum, redivivum, &c. Eritque exinde eis summa delectatio, gratiarum actio, exaltatio Christi. Accedet huic oculorum Beatorum ex aspectu Christi delectationi, eximia quoque delectatio ex visione Sanctissimæ Dei Matris, nec non Sanctorum innumerabilium, secundùm corpora glorificatorum, idque cum admirabili & gratiosissimâ varietate formarum & figurarum, in omnibus singulisque beatis corporibus existentium plùs quàm speciosissimè, quæ delectatio exaggerabitur etiam inde, quia Beati mutuo poterunt videre actiones perpessionesque suas externas, quas in hac vita gesserunt, sive benè & laudabiliter, sive etiam malè, sed in pœnitentiam, in humiliationem, in fructus dignos pœnitentiæ; in Dei timoris, & amoris, & fervoris instaurationem.

Auditûs Christi afflictioni; respondet illa Auditûs Beatorum delectatio, ex admirabiliter suavissima laudatione, exaltationeque ex ore omnium Beatorum resonante, tum Sanctissimæ Trinitatis; tũ Christi Domini, beneficiorumque, & operum, & perfectionum ejus. *Exultabunt enim*

enim Sancti in gloria, & exaltationes Dei in gutture eorum. Unde & *Beati* (*sunt*) *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula* (enim) *sæculorum laudabunt te.* Et quemadmodum de Seraphinis Isaias: de quatuor autem animalibus Sanctus Joannes narrat, *quia nõ habebant requiem die ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS omnipotens:* ita sine dubio partes omnes cælestis domicilii resonabunt Dei laudibus, & hymnis canticisque novis & melodiis nunquam in hac vita excogitatis, nunquam autem cessantibus ab ore Beatorum, quoniam hæc est merces eorum, hoc etiam negotium amantium, hæc vita gloriosorum, & beatè Deo perfruentium. Aderunt & aliæ laudes resonantes in ore Sanctorum jugiter, quibus laudabunt Deum, & in Deo gloriosissimam, speciosissimam, pretiosissimamque Dei Genitricem; laudabunt item in Deo Sanctos concives suos, & socios in beatitudine, desumentes materiam laudis incessabilis tum ex beneficiis, gratiisque omnibus in Sanctos à Deo profusis, tum ex Sanctorum pro Deo, pro ejus gloria, & voluntate, pro sua quoque salute, & gloria æterna, exactis laboribus, & exinde meritis. Ibi audire erit exaltantes Deum Patriarchas, tum Prophetas, deinde Apostolos & Evangelistas, tum verò Martyres, itemque Virgines, cantico, quo, nemo alius poterit, tum confessores, tum omnem chorum Sanctorum. Ibi audire erit unamquamque gentem ante thronum Dei & Agni congregatam, & laudes Deo & Agno dicentem. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* nec non illud *Redemisti nos Deo in Sanguine tuo, omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus.* Ibi quoque erit audire jubilantes coram Deo, & Christo ejus: omnes Ordinum Religiosorum familias, & familias seorsum cum Patriarchis suis atque fundatoribus, &c. Erit quoque Auditui Beatorum singularis valde delectatio, ex conversatione colloquiisque mutuis inter se: tum quia omnis eorum sermo erit divinus, deque Dei laudibus, & Dei voluntati placens, tum quia nihil erit in sermonibus illis, non sapienter, non sanctè, non sincerè, non amicè, non divinè dictum, sed per omnia erunt hujusmodi, quales decent Sanctos & Beatos.

(Margin: ...5. 6 — ...6. 3. — ...4. 8. — ...c. 7. 10 — ...5. 9.)

Odoratûs Christi afflictioni, respondet in Beatorum corporibus delectatio odoratûs eorum. Tota enim illa Cælestis Civitas, suavissimo sensibili erit odore fragrantiaque plenissima: idque tum ex ineffabili corporum beatorum omnium, ac singulorum, inprimisque Sanctissimæ Humanitatis Christi, nec non Matris ejus gloriosissimæ Corporis suaveolentissima constitutione, ut proinde ibi supra quàm justissimè inclametur Christo, ejusque Matri. *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

(Margin: Cant: 1. 3.)

Gustatûs Christi afflictioni, respondet in Beatorum gustatu delectatio sensibilis, per omnia quidem admiranda, sed inprimis ex eo, quia sapor ille, gustatum Beatorum recreans & oblectans, erit quasi ex cibis, & tamen sine cibis, & nihilominus suavior omnibus saporibus, qui haberentur ex cibis, idque sine fastidio & nausea satietatis, & repletionis. Neque hoc est aut difficile, aut inconveniens, esse exhiberique Beatis in cœlo à Deo suo, cui facile & decorum erat in populi Israel sustentationem, atque solatium peregrinationis, atque solitudinis, dare per quadraginta annos manna mirabile, quod cùm unicum tantùm esset, *habebat tamen omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem:* addente etiam causam cõgruam, Sacrâ Scripturâ, sed magis in beatitudinis statum quadrantem; dicit namque Sacer textus: *Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebat, & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Quod sine dubio magis decet tam Majestatem beatificantis Dei, quàm beatorum ipsorum beatissimam, & omnium bonorum aggregatione perfectam conditionem.

(Margin: Sap: 16. 20 — Ibid: v. 21.)

Tactûs sensui in Christo afflictissimo, respondet purissima & sincerissima ejusdem sensûs in beatis delectatio: intrabunt enim in gaudium Domini Dei sui, non tantum secundum animam, verùm etiam secundùm Corpus affluentes omni Sanctæ voluptatis suavitate. ut quemadmodum in patiente Christo Domino à planta pedis, usque ad verticem, non erat sanitas, sed omnia vulnus, & livor, & sanguis, & plaga tumens, & dolor immensus, pro salute & sanitate beatorum suorum; ita & in eis jam per merita sua beatificatis, nihil sit non gloriâ & honore circumdatum, nihil non plenum delicatæ voluptatis puritate. Quemadmodum item totum corpus hac in vita servivit animæ per multiplices suas calamitates, atque afflictationes, ad promerendam æternam felicitatem: ita vicissim ex Anima beatificata atque glorifi-

cata, defluat in corpus, & in omnes ejus sensus; atque partes experimentum atque possessio, congruæ, competentisque sibi & statui suo beatitudinis, & oblectationis.

Hunc in modum nobis relucet in Passione Domini Cœlestis Beatitudo, vicissimq; in hac resplendet Dominica Passio. A Hunc etiam in modum potest pius meditantis animus, ex amarissimo pastu Dominicæ Passionis, transire in suavissimum Beatitudinis æternæ gustum, rursumque ex hujus sapore dulcissimo, devolvi ad saluberrimum saporem gustumq; salutiferæ Passionis Christi.

MODVS LXXXVIII.

OCtogesimus octavus Passionem Domini meditandi Modus esse potest: advertere & expendere, quomodo Christus Dominus in sua Passione possedit octo Beatitudines à se quondam in Evangelio commendatas, atque virtutibus heroicis hujus vitæ assignatas, nobisque ad eas quærendas, & acquirendas, exemplo suo demonstratas. Et est quidem de hac re actum supra. hoc tamen loco aliud quiddam dicere volumus, meditandumque proponimus. Nempe quomodo in Passione Domini relucent octo beatitudines, sed non secundùm hujus vitæ statum, verùm secundùm beatitudinis cœlestis & æternæ possessionem. Nemini enim dubium esse debet, longè pleniùs perfectiùsque residere has beatitudines in cœlo, quàm hìc in terra; hìc enim exsistunt, magna ex parte laboriosæ, difficiles, meritoriæ, & in spe, exspectationeque magis, quàm in re: ibi autem sunt, per modum præmii, & mercedis, & completæ comprehensæque in æternum retributionis.

Vide suprà Modum 32.

Proponimus ergo in præsenti modo meditandum Dominum Jesum, etiam in sua Passione actuali possidentem omnes octo beatitudines, etiam secundùm statum gradumque cœlestem, seu quomodo in illa gloria cœlesti Sanctis, inprimis verò Sancto Sanctorum communicantur.

I. Itaque Pauperrimus tum in omni mortali vita, tum specialiter in sua Passione Jesus, non solùm Spiritu, sed etiam re ipsâ, adeò ut locum non habuerit in toto mundo proprium, in quo vel pedé ponere, vel caput reclinare posset; quin neque corporis sui possessor ad mortem sepulturamque fuit, sed à Pilato Præside emendicandum, ab Josepho Arimathæo, eidemque ab eodem Præside donandum, ac tum demum tanquam res Josephi propria, in proprio sepulchro Josephi recondendum fuit. Nihilominus simul ditissimus Dominus fuit possessione, imò Dominatu, Hæreditateque Regni cælestis, cujus possessionem, etsi, quà passione, atque morte, quà nudissimâ paupertate promerebatur, attamen simul etiam illud habebat, atque possidebat jure Creatoris, jure Domini naturalis, jure hæreditatis. unde dixit post mortem suam. *Hæc oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* Exercuitque Dominus Jesus dominium hoc quando consortium hujus regni adhuc vivens, imò in Cruce pendens latroni illud promisit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Marci 15. 45. Matt. 27. 60.

B

2. Mansuetissimus & Mitissimus per omnem modum in sua Passione Dominus, qui *velut Agnus mansuetus ad victimam, non aperuit os suum, neque comminabatur, cùm malediceretur,* possedit ipso Passionis suæ tempore terram, non solùm Animæ & Corporis Sacratissimi, quod in ultima cæna tradidit discipulis, ac toti cum eis Ecclesiæ suæ. Neque solùm terram totius mundi, defluente in eum possessione illius ex Divinitatis consortio, & in cujus *medio tunc operabatur salutem nostram.* Neque solùm terram cordium humanorum, de qua dictum ad illum est à Patre, *dabo tibi gentes hæreditatem tuam:* verùm etiam terram illam Cælestem viventium, de qua dicebat apud Prophetam: *Portio mea in terra viventium.* Et iterum. *Placebo Domino in regione vivorum.*

C

D

3. Lugens & tristis Dominus Jesus, atque adeò vir dolorum, & sciens infirmitatem, afflictus quasi luctu strutionum, nec habens consolatorem in Passione sua. Nihilominus in eadem ipsa, & consolatus est à Patre cœlesti, quando orans cũ lachrymis & clamore valido, in diebus carnis seu Passionis suæ in carne exauditus est pro sua reverentia, sed & ipse consolatus est Matrem suam, atque Joannem discipulum, consolatus & latronem pœnitentem, necnon Petrum negatorem, quem ad delictum suum amaris lachrymis deplorandum, intuitu amabilium oculorum suorum adduxit. ut taceã quòd inter eandem suam Passionem fuit Dominus læ-

nus lætitia omnium Angelorum, Patris Æterni voluptas, & *Deus totius consolationis*, tam eorum qui in terra, quàm eorum, qui sub terra exspectabant ejus consolationis gratiam.

4. Esuriens & sitiens in Passione Dominus, non tantùm naturali indigentiâ, sed etiam spirituali fame sitique gloriæ Patris sui, salutisque nostræ, ac beatitudinis æternæ: saturabatur interea, in Passione quidem doloribus & opprobriis, & contumeliis; at verò simul eodem tempore saginabatur & potabatur fruebaturque evidentiâ, atque certitudine beneplaciti divini, obedientiæque præcepti quod exsequebatur, saginabatur dulcedine excellentissimi supra omnem captum operis executionis, successûsque altissimi consilii divini, quod erat ordinatum in Redemptionem hominum, in reconciliationem offensi iratique Dei, in restaurationem ruinarum cœlestium, in abolitionem peccati, in debellationem diaboli, in victoriam mortis, in liberationem captivorum Patrum, in reserationem portarum æternalium vitæ æternæ, in gloriam corporis sui. Saginabatur fructu & effectu Passionis suæ, mortisque, & meritorum suorum, sciens intuitivè quãta bona exinde erant manatura, quantæ virtutum exercitationes perficiendæ in electis suis, quanta Divini nominis exaltatio, tam in hac vita, quàm in futura victuris. Fuitque hæc satietas Christi tanta, ut omnes Passionis amaritudines per eam illi dulcescerent, minorarentur, & unius quasi calicis haustûs viderentur, imò redderentur. Hinc illa famelica Christi ad Patrẽ vox: *Pater fiat voluntas tua.* [26. 42] & illa ad Petrum. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum.* [18. 11] Maximè verò illa in Cruce. *Sitio.* Sitivit enim Passionis calicem, quia inebriabatur per illum, omnium Passionis fructuum plenissimâ ubertate, quâ deinceps inebriaturus erat electos suos totâ æternitate. Sic jam tunc disponens illis regnum, ut ederent & biberent super mẽsam ejus in regno ejus, in quo facturus esset illos discumbere, se præcincto & ministrante, atque inclamante. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* [5. 1.] Ubi non esurient, neque sitient ampliùs, neq; cadet super illos Sol, neque ullus æstus, scilicet, quia Agnus in medio throni est, & qui occisus est, & regit illos, & transiens ministrabit illis, & ducet eos ad vitæ fontes aquarum.

5. Misericordissimus Jesus in Passione (nam quid aliud est Christi Passio, nisi prodigium & profusio excessivæ misericordiæ?) Misericordiam quoque omnimodam consecutus est, non sibi quidem, sed nobis, aut si etiam sibi, id tamen in nobis, quia tanquã caput in membris. Unde & per hanc *misericordiam suam salvos nos fecit, atque regeneravit nos in spem vivam.* [Vit 3. 5. 1. Pet: 1. 3.] Hanc quoque misericordiam sibi indultam à Patre, eidem ipse confessus est, dicens: *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* [Ioan: 17. 12] Et quomodo periret quis ex eis, quos misericordia fovit, pietas custodivit, charitas servavit? Denique *per viscera misericordiæ Dei nostri, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, convivificati sumus omnes nos in Christo.* [Luc: 1. 78. 2. Cor: 1. 3]

6. Mundissimus corde, & ore, & opere Jesus in Passione sua, attestante etiam ipso Pilato Præside, nec non ejus uxore, insuper & Herode, ac tandem & Latrone: beatitudine visionis Dei perfruitus est, ab ipso quidem initio Conceptionis suæ, quando Verbum Caro factum est, sed etiam in universa Passionis suæ tempestate atque diluvio, quo & lavit nos à peccatis nostris, & fecit nos sibi Ecclesiam *non habentem maculam neque rugam.* [Eph: 5. 27.] *Et licet infixus esset in limo profundi,* in quo non erat substantia, licet venisset in altitudinem maris peccatorum nostrorum, & tẽpestas iniquitatum nostrarum pœnarumque pro illis nobis debitarum, eum demersisset; tamen etiam sic, quemadmodum per omnia mundus corde permansit, ita etiam Divinâ perfruitus est beatificâ claritate. *Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis.* [Hebr: 7. 26 Hebr: 8. 1.]

7. Pacificus, & Pacificans omnia, Princepsque pacis, & Iustitia, & Pax nostra, Dominus Iesus in Passione, & per Passionem suam, Filius esse Dei & agnitus & vocatus est, & re ipsâ fuit, confitentibus jam tunc eum Centurione & multis dicentibus: *verè Filius Dei erat iste.* [Matt: 27. 54] Non enim adoptione filius erat, sed naturâ, *quasi unigenitus à Patre,* [Ioan: 1. 14] *in splendoribus Sanctorum, & Sanctitatum, ante Luciferum,* & ante omnem creaturam *genitus,* [Ps: 109. 3.] qui & omnibus, quotquot credendo *receperunt eũ, dedit potestatem filios Dei fieri.* [Ioan 1. 13] *Neque confusus est fratres eos vocare:* [Heb: 2. 11.] quin & dare, atque communicare cum eis hæreditatem suam, ut sit ille tanquam *Primogenitus in multis fratribus,* [Rom: 8. 29] illi autem fierent ex ipso *hæredes quidem Dei, cohæredes autem sui.* [Rom: 8. 17] Atque hæc est

Passio-

illa pacificatio, quam Dominus noster Passione suâ, & morte promerendo peregit, ejusque hæreditatem in semetipso primus, sed & propter nos, tanquam caput propter corpus, & membra possedit: consummaturus eam plenè, & ultimariè, etiam in nobis, quando apparuerit gloria ejus, juxta illud, quod Joannes promittit dicens. *Nunc (quidem) filii Dei, (jam) sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

1. Ioan: 3. 2

8. Passus est Dominus Jesus persecutionem, qualem mundus non vidit, ex quo homines esse cœperunt: passus autem est non solùm propter justitiam suam, sed etiam propter justificationem nostram: Interea tamen, Regnum cœlorum ejus fuit, & illi curvabatur omne genu: *Omnia enim quæ Patris ejus erant, erant etiam ipsius.* Propter quod dicebat Patri: *Pater, mea omnia tua sunt; & tua mea sunt.* At enim supra de hoc aliquid etiam quia dictum est, nunc plura hîc addere nihil attinet.

Ioan: 16. 15

Admiremur & congratulemur admirandam adeò disparatarum rerum in Jesu Passo pro nobis conjunctionem. Agamus etiam gratias tam corde quàm ore, quàm opere, eidem Domino nostro, qui nobis & exemplum dedit, quòd sequentes cum ejus gratia, beatitudines veras, tam in hac, quàm in altera vita obtineamus: & insuper Passionis mortisque suæ merito, easdem nobis acquisivit, atque obtinuit. Denique simus in hoc studio infatigabiles, ut Patientis ac morientis, pro obtinenda nobis beatitudinum istarum plenitudine, Domini Jesu vestigia, assiduò, & quàm maximè, quàque proximè premamus, facientibus & suppeditantibus nobis animos robustissimos, ipsiusmet Christi Jesu, tum exemplis usque adeò heroicis, tum meritis supra modum copiosis & efficacibus.

MODUS LXXXIX.

Octogesimus nonus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest; scrutando exemplares, Politicas, Purgatorias, Purgati animi Christi Domini in Passione sua virtutes.

Pro Fundamento ponenda est doctrina de virtutum varietate, neque meliùs potest hæc enarrari, quàm est à Divo Thoma explicata.

Affirmans ergo & probans Divus Thomas, convenienter Cardinales dividi in Politicas, Purgatorias, Purgati Animi, & Exemplares: ita discurrit de singulis.

1. 2. Qu: 61. art. 5.

„ Oportet quòd anima aliquid sequatur, ad hoc, ut ei possit virtus innasci, & hoc Deus est, quem si sequimur, bene vivimus. Patet igitur quòd exemplar humanæ virtutis in Deo præexsistat: sicut etiam in eo præexistunt omnium rerum rationes. Sic igitur virtus potest considerari, vel prout est exemplariter in Deo, & sic dicuntur virtutes exemplares, ita scilicet quòd ipsa Divina mens in Deo, dicatur Prudentia. Temperantia verò, conversio Divinæ intentionis ad se ipsum; sicut in nobis temperantia dicitur per hoc, quòd concupiscentia conformatur rationi. Fortitudo autem Dei, est ejus immutabilitas. Justitia verò Dei, est observatio legis æternæ in suis operibus. Et quia homo secundùm suam naturam est animal Politicum, virtutes hujusmodi prout in homine existunt secundùm conditionem suæ naturæ, politicæ vocantur; prout scilicet homo secundùm has virtutes rectè se habet in rebus humanis gerendis. Sed quia ad hominem pertinet, ut etiam ad divina se trahat quantum potest, (ut etiam Philosophus dicit in 10. Ethicorum Cap: 7.) & hoc nobis in Sacra Scriptura commendatur multipliciter, secundùm illud, Matth: 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; necesse est ponere quasdam virtutes medias inter politicas, quæ sunt virtutes humanæ, & inter exemplares, quæ sunt virtutes Divinæ. Quæ quidem virtutes distinguuntur secundùm diversitatem motûs & termini. Ita scilicet, quòd quædam virtutes sunt transeuntium, & in divinam similitudinem tendentium, & hæ vocantur virtutes Purgatoriæ: ita scilicet quòd Prudentia, omnia mundana, divinorum contemplatione despiciat, omnemque Animæ cogitationem in Divina sola dirigat: Temperantia verò relinquat in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit.

„ Fortitudinis autem est, ut Anima non terreatur propter excessum à corpore, & accessum ad superna. Justitiæ verò est, ut tota Anima consentiat ad hujusmodi propositi viam.

Quæ-

Quædam verò sunt virtutes jam assequentium Divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes jam Purgati Animi: ita scilicet: quòd Prudentia sola divina intueatur. Temperantia terrenas cupiditates nesciat. Fortitudo passiones ignoret. Justitia cum Divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando: quas quidem virtutes esse dicimus Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Hæc Divus Thomas.

Quibus ita explicatis considerari jam potest, quomodo in Christi Domini Passione, atque etiam vita ejus universa eluxerunt istæ virtutes?

Et Exemplares quidem non est dubium in Christo Domino exstitisse, non solùm in quantum Deus verus fuit, verùm etiam in quantum Deus-Homo exstitit. Etenim ipsa mens Christi, fuit in eo Prudentia, quâ voluntatem Dei, & salutem nostram operatus est, secundùm omnes rationes æternas atque Divinas, quas in Deo præexistentes clarè intuebatur, ab instanti suæ Incarnationis, & totâ vitâ, iisdem regulatus, easdem exsequebatur, usque ad instans mortis, propter quod dicebat: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Porrò Temperantia exemplaris fuit in Christo, quatenus ejus Theandrica Mens, & omnis intentio conversa fuit semper ad se ipsam, eamque in omnibus intuebatur, omnemque actionem suam suis mensuris admetiebatur. Fortitudo Christi in eo eluxit exemplaris, quòd immutabiliter se in omnibus habuerit, nequaquam consilium propositumve Animi ejus ulla creatura immutare potuerit. Sic etsi hostes ejus sæpius ejus mortem attentaverint: nunquam tamen facere quidquam potuerunt. *Quia necdum venerat hora ejus.* Sic etiam descensum de Cruce frustra suadebant, pollicentes fidem in eum, quia non in descendentem de Cruce, sed in Resurgentem è sepulchro redivivumque à morte credendum esse, salvandis à se, statuerat. Justitia Christi in hoc eluxit, quia legem suam æternam, tum per vitæ totius in terris cursum; tum in Passione sua potissimùm rigorosissimè in semetipso adimplevit, adeò ut de illo dictum sit, *quod factus sit nobis Iustitia à Deo.*

[7. 30]

[1. 30]

De Politicis virtutibus, quòd in Christo, & quidem perfectissimè exstiterint, manifestum est, vitam ejus Passionemque omnem intuenti. Perfectissimè enim se habuit semper in rebus humanis agendis, ita ut dicere potuerit hostibus suis in faciem. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vixit fere perpetuò inter observatores actionum suarum, inter captatores sermonum suorum, inter scandalum patientes maliti osè ex operibus suis: neque tamen quidquam unquâ deprehenderunt, quod justè accusarent. Imò aut fateri coacti sunt, *Bene omnia fecit;* aut confusi & responso destituti abire. Et in Passionis tempore, Pilatus, alioqui judex iniquitatis, tamen repetitò testimonium ejus innocentiæ dedit, atque latronum concrucifixorum ipsi unus contra omnes principes & populos non dubitavit pronuntiare de eo. *Nos quidem justè* (patimur) *nam digna factis recipimus. Hic autem nihil mali gessit.* Denique quod semel Dominus in alapa illa indignissimè sibi inflicta respondit. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis.* Hoc ipsum ad singulas pœnas suas, per omnia momenta Passionis repetere potuit. Atque ut particulariùs aliquid attingamus de hisce virtutibus.

Ioan: 8. 46

Luc: 23. 41

Ioan: 18. 23

Politica virtus fuit in Christo. Adire ad Joannem Baptismi gratiâ. Nuptias suâ præsentiâ cohonestate, & vinum in eas largiri. Solvere didrachma, ne scandalisarentur ejus exactores: decernere, ut redderentur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Misereri super turbam, & eam pascere in deserto. Usum naviculæ Simonis, ad docendas turbas ex ea, persolvere capturâ piscium copiosâ.

Politica virtus fuit, triumphaliter, simulque humiliter ingredi Regiam Civitatem: defendere Magdalenam à reprehendentibus ob effusum super caput ejus unguentum; Mortem amici Lazari deflere; Lavare pedes discipulorum; Obviâ procedere inimicis; Proditorem amicè compellare; Osculo dignari; Invasorem suum à vulnere sanare; Inter contumelias, probra, injurias, calumnias, vulnera, fortiter, patienter, mansuetè durare; pro inimicis orare, in parentem pietatem exercere; Spiritum Deo commendare ac tradere. Pro justitia & charitate mori, pro salute & incolumitate publica omnium, omni discrimini, jacturæ, periculo, & morti sese offerre, & impendere.

Virtutes Purgatorias, quatenus iis tenditur & transitur in Divinam similitudinem, & aliquid adhuc involunt imperfectum: in Christo non fuisse dubium nō est. Siquidem ab instanti conceptionis habitavit in eo, tam Divinitatis, quàm omnium virtutum perfectionumque plenitudo.

nitudo. Nisi fortè cui placeat dicere, ita in Christo fuisse profectum virtutum, sicut in Evangelio dicitur, *IESUS profecisse, Sapientiâ & ætate, & gratiâ, apud Deum, & apud homines.* Non quòd Dominus JESUS non fuerit semper ab ipso ortu suo plenus sapientiâ & gratiâ, & perinde omni virtute, & veritate, & perfectione, sed quia (ut ait Bernardus) aliquid in eo novum accidere videbatur, quando volebat ipse ut videretur:] interim autem semper erat sapiens, & sapientissimus, & sapientia ipsa: perfectus quoque, & perfectissimus, & perfectio ipsa.

At verò virtutes Purgati Animi, quatenus eæ non supponunt ullam, quæ debuisset purgari, impuritatem: (quod præmitto ne quis ludat ludaturve in verbo) fuerunt per omnia consummatæ in Domino JESU. Sine dubio enim ille nihil penitus nisi sola Divina intuebatur, quod fuit Prudentiæ, terrenas etiam cupiditates prorsus nesciebat. quod fuit Temperantiæ. Passiones etiam ignorabat, imò nec habebat (sed solùm ut loquitur Hieronymus propassiones) quod erat Fortitudinis, denique cum Divina sua mente, perpetuo fœdere sociabatur, eamque perfectissimo, ac planè Theandrico modo imitabatur, quod erat Justitiæ. Atque hæc, etsi in tota vita Domini, at speciatim quâdam ratione, inter Passionis ardua, & acerba, & indigna, & funesta collucebant. ubi enim Christus magis sola intuebatur Divina? ubi passionum nescius magis? ubi terrenorum studiorum oblitus & negligens ampliùs? ubi arctiori fœdere Dei voluntati atque menti adstrictus? quàm in Passione, & Morte, in qua ne perderet obedientiam, perdidit vitam.

Ergo Christus Dominus & Rex virtutum: ergo plenus gratia & veritate, ergo Sanctus Sanctorum, ergo Justus & Justitia, Perfectus Perfectioque ipsa fuit. Nobis in omnibus relinquens exemplū, ut sequamur vestigia virtutum ejus. Et quidem non exemplarium: quia hæ creaturæ cuivis impossibiles sunt, sed in Politicis, in Purgatoriis, potissimùm autem in iis quæ Purgati Animi & exemplaribus vicinæ præ omnibus aliis sunt. Ut impleatur per Gratiam Dei à nobis in nobis, illud Domini nostri dictum. *Et vos ergo estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* quod utique fiet, si sola quæ Dei sunt intuebimur, si terrenas cupiditates ne quidem sciverimus, si Passiones ignoraverimus, si cum Divina mente perenni fœdere consociabimur eamque imitabimur.

MODVS XC.

Nonagesimus Modus meditandi Passionem Domini esse potest. Comparando Creationem mundi cum Incarnatione atque Passione, tum etiam Resurrectione Christi Domini. Paucis carpam hanc comparationem, fusiùs tractatam ab aliis scriptoribus.

Primò igitur Moyses describit Mundi Creationem his verbis. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Et potest quidem vox *In Principio*, ita intelligi: primò omnium, & ante omnia: potest nihilominus etiam intelligi, prout passim intelligitur, id est, in Filio, seu in VERBO, dicente alibi scripturâ. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* ut respondeat initium veteris legis seu Testamenti, initio legis novæ & librorum ejus. *In Principio erat verbum.* & mox. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. in ipso vita erat.* Quæ Evangelii verba videntur veluti esse explicatio, in quonam Principio Deus creavit cælum & terram: adstipulante etiam Apostolo ad Hæbreos, ubi dicit, *Deum per Filium fecisse sæcula.* adducitq; Davidis testimonium dicentis de Filio. *Tu in principio terram fundâsti. & opera manuum tuarum sunt cæli.* Quodsi de hisce visibilibus mundi partibus verum est in Verbo, & à Verbo conditas esse, verùm erit & multò quidem magis, alium etiam mundum cum partibus suis, hoc ab initio creato, multò nobiliorem, digniorem, admirabiliorem, & propter hæc omnia etiam longè majorem, ab eodem, & in eodem, imò verò, & ex eodem verbo Filioque conditum esse. Antiqui vocabant Hominem parvum mundum, at Nazianzeno placuit eundem vocare magnum mundum, quod nomen justissimo jure justius tribui debet DEO-Homini Domino nostro, JESU Christo: qui semetipsum in sua Persona VERBI ex Homine-Deo hypostaticè conflans, revera *In Principio creavit cælum & terram:* hoc est, in VERBO & Filio DEO uniens Animam & Corpus. Anima enim Cælum revera fuit, & quia Spiritus immortalis,

& quia

& quia jam tunc ab exordio creationis suæ Hypostasi Divinæ adhærens, & simul etiam visione Dei beatificâ perfruens; Corpus verò terra, quia terrenum fuit, & de terra Virgine sumptum formatumque est.

Adhuc autem Anima Christi Domini Cœlum fuit, quoniam in ea *habitavit plenitudo Divinitatis* (ut ait Apostolus) *corporaliter*; in ea etiam omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ, Justitiæ quoque, & Misericordiæ, Charitatis etiam, & Bonitatis, reconditi erant. Corpus autem ejus terra fuit: terra nova, terra viventium, terra maledictionis omnis expers, terra in qua plantavit Dominus Paradysum voluptatis.

Præterea fuit Anima Christi Cœlum, quod à celando dictum est, quia omnia celat, & tegit omnia, sic enim etiam Anima Christi celabat intra se omne VERBI Divinitatis consilium, omnemque VERBI Divinitatem. Corpus verò Domini terra fuit, quia quemadmodum terra foditur, aratur, colitur ut fructificet; ita & Corpus Christi araverunt peccatores, & prolongaverunt sulcos suos. Sicut terra est Fundamentum omnia sustinens; ita & Corpus Christi omnes nos in sua membra admittit. Sicut terra omnes res alit, & esca omnium in ea; ita & Caro Christi verè est cibus, & Sanguis Christi verè est potus, quo nisi alantur Animæ nostræ, vitam Spiritûs, & gratiæ, & gloriæ habere in se non possunt.

Denique Anima Christi Domini Cælum erat, quoniam beata, & gloriâ atque fruitione Divinitatis beatifica plena erat. Corpus autem terra erat, quia beatitudine suâ necdum fuit dotata, sed terrenorum corporum instar passibile, mortale, ærumnis & necessitatibus subjectum erat. unde quod Moyses dixit de terra initio condita, *quòd esset inanis & vacua*, hoc Corpori Christi Domini optimè quadrat. Erat enim Corpus illud Sacratissimum inane & vacuum gloriâ & beatitudine sibi cdnnaturaliter ob unionem cum Anima jam beata, itemque ob unionem Hypostaticam cum VERBO debita, sed per miraculum, atque propter misericordiam super nos in corpore patibili præstandam suspensa, & veluti exclusa: donec nimirum terra ista Corporis Sacrosancti fuisset omni genere ærumnarum culta, & fructibus omnigenæ salutis nostræ præparata, quin etiam gloriæ, ac beatificationi suæ meritorio jure idonea facta. Quod attestatus est postmodum suo tempore Dominus, quando dixit. *Hæc oportuit Christum pati: & ita intrare in gloriam suam*, Corpori scilicet suo inferiorique portioni sensuali debitam ex Animæ Beatæ Verbique Divini consortio, uti supra dictum est.

Huic eidem Corpori Christi Domini, optimè servit id, quod Moyses narrat de terra, eam nimirum fuisse immensis aquarum abyssis obrutam, insuperque tenebris occupatam. Humanitas siquidem Christi quoad Inferiorem sensitivam Corporeamque suam portionem, cooperta fuit à prima conceptione sua, & deinceps per omnem vitam, maximè in Passione & Morte sua, abysso patibilitatis, & omnis generis ærumnarum, ex patibili mortalique statu in se redundantium: magis verò ex aquis passionum tam interiorum, quàm exteriorum, plus quàm immensè dolorosarum. Maximè porrò ex tenebris mortis, quando Anima à Corpore soluta, ipsa quidem ad inferos victrix cum potestate triumphali descendit, at verò Corpus inane, vacuum, tenebris mortis obvolutum in sepulchro mansit.

Quis cogitabit & pervadet animo abyssos, quibus Christi Humanitas cooperta fuit in illa lucta in horto, ubi Jesus cœpit pavere, tœdere, contristari, mœstus esse, orare, sudare sanguine, agonisare, usque ad mortem? Quis horrorem illum potestatis tenebrarum, in Christum totis viribus, effusisque cataractis inferni erumpentium comprehendet? Quis (ne longus per singula eundo videar) quis inquam Congregationes dolorum, omnisque generis calamitatum maria, super Animam Corpusque Christi superinfusa permetietur? Sine exaggeratione atque Hyperbole tunc Dominus noster vocem illam usurpavit Propheticam. *Circumdederunt me aquæ, usque ad Animam. abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* Ionæ 2. 6.

Interea tamen Spiritus Domini ferebatur super aquas istas, & tenebras illas discutiebat, Verbum scilicet Hypostaticam unionem conservans, cum mortuo Corpore, nec dans Sanctum suum videre corruptionem, donec veniret hora resurrectionis, in qua instaurata est Humanitas Christi tota, & gloriâ atque honore beatitudinis etiam in corpore gloriosissimo coronata. Vel etiã Spiritus Domini ferebatur super aquas, quibus super scelus inimicorum & interfectorum Christi, elevabatur consilium admirabile Trinitatis,

tatis, quo, & nolebat hominem contra propositum suum perire, & scelere interfectionis Filii Dei, uti volebat, reque ipsâ utebatur ad exsecutionem Sapientiâ, Omnipotentiâ, Justitiâ, Misericordiâ, & Charitate plenissimi consilii. Fecit enim ut manus impiorum, quas in se admittebat Filius Dei, famularentur Redemptori, Humani generis redemptioni.

Interea quoque dixit Deus, fiat lux: & facta est lux: quia quando *VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis*, tunc etiã *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, neque enim in propria venientem receperunt*. Sed potius videntes eum, dixerunt. *hic est heres, venite occidamus eum, & hereditas nostra erit*. Sed *mentita est iniquitas sibi*. Filius enim Dei & vivens in terris, lux fuit mundi; & in Cruce patiens atque moriens, noctem peccatorum damnationisque æternæ depulit, atque discussit: vivificans & *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: juxta quod dixerat ipse. *Oportet exaltari filium hominis*. Et, *Ego si exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum*. *Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert*.

Ioan: 1.

Divisit quoque lucem à tenebris Passione & Cruce, atque Morte suâ Dominus; tum quia *non Angelos sed Semen Abrahæ apprehendit*, pendensque medius latronum, unum eorum, qui figuram gessit Adami, seu generis Humani, paradyso donavit: alterum qui typus fuit diaboli in damnatione dereliquit: tum quia Ecclesiam suam à Synagoga separavit; tum etiam quia Electos à reprobis, credentes ab infidelibus, amatores ab odientibus discrevit, in extremo suo judicio Agnos ab hædis æternùm separaturus est, quando Oves, id est, Justi ibunt in vitam æternam; hædi autem, id est impii; in combustionem æternam.

Tunc etiam fecit Deus firmamentum ex aquis, in medio aquarum, divisitque aquas ab aquis. Passio enim, & Crux, atque Mors, & omnis Infirmitas Salvatoris nostri in Homine quem suscepit, facta est Firmamentum infirmitatis nostræ, sanitas omnis ægritudinis nostræ, sublevatio omnis ruinæ nostræ, solidatio omnis confractionis nostræ, Eruditio omnis imperitiæ nostræ, Consolatio omnis tribulationis nostræ, Abundantia omnis egestatis nostræ: denique vita omnis mortalitatis & Mortis nostræ. Dominus namque noster ostendit, imò & contulit

A nobis in sua Cruce gloriam, in sua stultitia sapientiam, in suis probris laudem, in sua egestate & nuditate divitias, in suis doloribus delicias, in sua afflictione dulcedinem, in suis tribulationibus consolationem, in sua tentatione gaudium, in sua infirmitate robur, in sua obedientia libertatem, in sua patientia pacem, in sua humilitate exaltationem, in sua mortificatione conservationem, in sua morte vitam, in sua fide scientiam, in sua spe possessionem, in sua charitate beatitudinem: videlicet aquarum ab aquis separationem. Quanquam sunt etiam aquæ

B iniquitatis, & aquæ Justitiæ; sunt aquæ Culpæ, & aquæ veniæ; sunt aquæ mortis, & sunt aquæ vitæ; sunt aquæ peccati, & sunt aquæ Gratiæ; sunt aquæ Sapientiæ hujus mundi, & sunt aquæ salutares Sapientiæ Dei; sunt aquæ tribulationum, & sunt aquæ consolationum; sunt aquæ temporaneæ, & sunt aquæ æternitatis, denique sunt aquæ damnationis & inferni: & sunt etiam aquæ beatitudinis & cæli. Atque hæ omnes, ab invicem Crucis Mortisque separantur firmamento.

Et ne longus sim. Dixit præterea Deus *Congregentur aquæ in unum locum, &*

Gen:

C *appareat arida, & factum est ita*. Quod quid est aliud, quàm in Christum Deum-Hominem congregatas & coactas esse omnis generis gratias, & dona, & prærogativas, beneficentiæ Dei, ejusque meritorum intuitu Aridam apparuisse, hoc est, Humanam nostram naturam à Deo adamatam, & exaltatam tantopere: usque nimirum ad fruitionem Dei, aut usque ad Consortium Unionis Verbi. Vel certè. Congregatæ sunt aquæ omnes peccatorum nostrorum, seu suppliciorum peccatis nostris debitorum, in unum Dominum nostrum, *posuit enim in eo*, (juxta di-

D ctum Propheticum) *Pater, iniquitatem omnium nostrûm, & ipse factus est Agnus, qui tollit peccatum mundi*: ipse *peccata nostra pertulit super lignum*. Interea verò *nos ejus livore sanati sumus*, nos sumus reconciliati Patri per ipsum. Nos apparuimus tanquam Arida, immunis & innocens. Et qui *ante fuimus procul, facti sumus prope: qui fuimus non populus, & absq; misericordia; facti sumus populus, & misericordiam consecuti*. denique qui fuimus *terra deserta* & invia, ecce facti sumus terra proferens *herbam virentem, & faciens* semen juxta genus suum, *lignumque faciens fructum suum*, fructum nimirum Fidei, Spei, Charitatis, Justitiæ, bonorum operum Laudis, & gratiarum actionis, & omnis

Isaiæ 53

Ioan: 1

Isaiæ 5

1. Petr:

Gen: 1.

& omnis virtutis, adeòque etiam beatitudinis, per merita & gratiam Domini Nostri Iesu Christi, qui est Benedictus in sæcula.

MODVS XCI.

NOnagesimus Primus Passionem Domini meditandi Modus potest esse; Comparando statum Redemptionis, qui nobis per Passionem Domini obvenit, cum statu Innocentiæ, quem nobis Deus in prima Creatione contulerat: & advertendo plus nobis in Redemptione à Passione collatum esse, quàm in Creatione ab Innocentia collatum fuerat.

Desumo hunc Modum à Patre Ludovico de Ponte: qui Gratiam Incarnationis Divinæ propter nos, passionisque pro nobis, cum Gratia, quæ Adamo ejusque posteris in statu Innocentiæ præstita, conferens, illamque huic præferens, ejusmodi discursum instituit.

Initio creavit Deus Adamum in gratia & originali Iustitia, tanquam Caput totius Humani generis cum tali pacto, ut si ipse in ejus servitio perseveraret, omes ejus posteri cum eadem gratia nascerentur, in qua facilè possent tota sua vitâ perseverare. Abstulit enim Deus illis tria impedimenta perseverandi, quæ nos modo sustinemus. 1. Rebellionem Carnis contra Spiritum, & Passionum contra rationem. 2. Mortalis Corporis miserias, quæ Pauperem Animam gravant. 3. Persecutiones & contradictiones exemplaque malorum, qui bonos inficiunt & perturbant. Si enim aliquis tunc fuisset malus, mox illum Deus à cæteris separâsset. Licet verò tentatorem diabolum illis reliquit; poterant tamen eũ facile superare: quia illius tentatio tunc non potuit esse illis tam vehemens, sicut nobis modò est. Cùm in eis non potuerit Diabolus commovere humores, concitare inordinatas Passiones, repræsentare imaginationes, prout nunc nobis facit, sed tantùm ei licebat exteriùs proponere, per quod decipere volebat: quas ejus deceptiones facilè fuisset tunc hominibus cognoscere per scientiam, atque gratiam infusam a Deo, si eâ uti voluissent. Ex quo apparet, quàm Deus voluerit homines in illo statu Innocentiæ perseverare, cœlumque obtinere.

At quia Primus Homo, peccando dissolvit Providentiæ Dei dispositiones, circa suam suorumque posterorum salutem, in illo Innocentiæ statu: per quod commeritus erat cum suis omnibus à Deo abjici, atque deseri in damnatione mortis, etiam æternæ. Nequaquam tamen ita fecit Deus, sed illico aliam Providentiæ in disponenda salute humana rationem assumpsit, qua hominibus remedium adhiberet, & quidem sublimiori longè quàm prior fuerat Providentia.

Etenim in eum finem, ex multis quæ assumere potuit mediis, ex sua infinita charitate elegit gloriosissimum, quale & sapientia ejus excogitare, & omnipotentia exsequi, & bonitas velle potuit: ita rem disponens, ut ex ipsis Adami posteris nasceretur Homo, qui simul esset Deus: propter cujus merita, peccatum Adami remitteretur, damnaque illius repararentur. Itaque ipsemet in Persona sua Deus exsecutor esse uoluit hujus suæ Providentiæ, faciens se ineffabili modo Hominem propter Homines; & sese caput eorum visibile; (aliàs enim erat tantùm invisibile) instituens per naturæ Humanæ ad suam Divinam Personam conjunctionem. Infinities majorem hac ratione honorem adhibens Hominibus, quàm ante culpam habuissent. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* O felix fractura quæ adeò admirandâ providentiâ est reparata! O felix miseria, quæ adeò infinitis misericordiæ remediis est persanata?

Sicut enim iste secundus Adam, nimirum Christus, infinitè excellit primum; sic bona quæ per secundum nobis proveniunt, excedunt incomparabiliter illa, quæ per primum advenissent, si ille non peccâsset.

Nam, Primò, etsi Filii Prioris Adami nati fuissent in gratia, ii tamen qui à Christo generantur per Baptismum, majorem nunc recipiunt gratiam: illis enim Deus dedisset gratiam tantùm ex sua liberalitate: at verò istis dat eandẽ etiam propter infinita merita Christi, qui Passione & morte suâ eam ipsis comparavit.

Deinde, quamvis Filii Adami, in illo statu Innocentiæ non habuissent pugnam Passionum, quam nunc Filii Christi sustinent: hoc tamen ita disposuit Divina Providentia, ut eò victoria esset illustrior, quò pugna acrior: essentque illorum opera magis meritoria, quò majores vincerent difficultates: suffragantibus

„ meritis Passionis & Mortis Redemptoris, & gratiâ ejus copiosâ filiis ejus debilioribus.

„ Tertiò licèt Filii Adami mortem non obiissent, neque alias corporis miserias experti fuissent, quas Filii Christi Domini experiuntur & sustinent, ipse tamen Christus, ita illas honoravit, cùm in se ipso illas suscepit, ut felicitatis atque honoris potiùs sit eas à nobis subiri: eò quòd omnes Dominus ipse convertat in materiam, & exercitationem Heroicarum virtutum: quarum excellentes actus in illo statu non fuissent. Defuissent enim occasiones Paupertatis, Patientiæ, Martyrii, dilectionis inimicorum, resignationis in re præsertim à Deo chara, qualis est salus & vita, quæ tamen omnia in nostro statu dulcia sunt, propter eum, qui prior dilexit nos, & tradidit se ipsum, ad hæc omnia propter nos.

„ Denique Misericordiæ ejus Magnitudo, infinitè vincit miseriæ nostræ magnitudinem ab Adami culpa inflictam. Non enim tantam vim habuit *delictum*, sicut habet *donum*. Nec tantum nobis potuit damnum Adamus inferre, condonando scilicet peccatum, quod hæreditate ab Adamo acceperamus, & omne præterea aliud, quod ipsi commiseramus. Prosequendo etiam nos tot tantisque favoribus, post omnem licèt nostram ingratitudinem, bonorumque suorum contemptū: adeò, ut qui in illo statu fuissent, potuissent nobis jam nunc plurimas veluti invidere excellentes prærogativas, quales sunt Communio cum VERBO Incarnato, Sacramenta, (præsertim) Eucharistiæ. Itèm Sacrificium, atque Sacerdotium illi respondens. Influxus meritorum Christi in opera nostra, quo ea dignificantur longè illustriùs, quàm in puræ innocentiæ statu quæ omnia in hoc statu habemus nos propter merita Redemptoris nostri.

Rom. 5. 15.

„ O Redemptor dulcissime: gratias tibi agimus quantas possumus, pro paterna tua erga nos Providentia: quâ felicitatem statûs Innocentiæ supples nobis abundantiâ copiosæ Redemptionis atq; Gratiæ Tuæ Divinæ, quam nobis communicas. Meliùs est Domine tecum vivere in statu certaminis, quàm sine te in statu pacis. Pax enim sine te, uno in die periit: certamen autem cui Tu assistis tuâ gratiâ, obtinebit pacem sempiternam.

Hactenus ex Ludovico de Ponte. Quibus addo pauca, pariter ex optimo scriptore ad idem propositum.

Novemb. Theopol. Parte 1. Cap.

„ Quæ major Dei gloria, quàm authoritas misericordiæ stupendæ, & authentica illa demonstratio bonitatis suæ, quæ inimicis non solùm pepercerit, sed propter illos proprio non pepercit Filio? quæ major honorificentia nostri generis, quàm congenerem habere Deum, & collegam laborum? Omnia hæc feliciora sunt quàm antea. Ingemunt multi nostræ conditionis miseriam, clamant, accusant Adamum, propè est ut maledicant, cupidi alterius statûs. Nescio an hoc sit alii Christi oblivio. Ego valde lætor, & exulto cum JESU meo, cum hoc statu miseriæ, sed gratiæ. Si eligendi alterutrum mihi præstaretur optio, hunc tristem (excepto peccato) non aspernarer quia felicissimum cum fraternitate JESU, cum Gratia ejus cum necessitatibus, cum miseriis. Has exosculor, has odoro, has præfero felicitati antiquæ. Nam has sanctificavit JESUS, has prætulit, quia pertulit. Jam Sanctas illas video. Hæ me similem Deo facient, hæ me exstimulant, & agitant, ut IESUM cum illis, & in illis inveniam. Locus iste Sanctus est, & porta cæli.

„ Non est cur jam deflenmus miserias istas, & exoptemus impatientibus votis, felicitatem aliam fortasse periculosam. Malo debere salutem IESU meo, quam Adamo. Nam debeo certiorem, fortassè majorem. Gratulor, gratulor mihi gratiam IESU, venerandam etiam Angelis, & propè invidendam. Gratulor mihi vulnera Unigeniti Dei, gratulor sanguinem Christi, gratulor patientiam potentissimi, gratulor tot passiones impassibilis, gratulor & meas. Multa sunt quæ me lætificent, si conferam utrumque statum. In illo non deessent peccata, quid juvaret si deessent miseriæ? In hoc non deerit Gratia: quid impedit quòd abundent necessitates, &c. &c.

MODVS XCII.

NOnagesimus secundus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest, tanquam quiddam Christo Deo Gloriosissimum atque omnino dignissimum, idque in ipsa sua indignitate & enormitate. Novimus ab Apostolo Paulo

Paulo notatum esse triplex Iudicium de Christi Passione, Cruce, & Morte. nempe quod *Iudæis* quidem sit *scandalum*, *Gentibus* seu infidelibus gentilibus *stultitia*, *Electis* autem & credentibus, *Dei virtus atq; Sapientia*; assignatque rationem, non minùs veram, quàm miram, dicens: *quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Neremb. Theopol: Parte 1. lib: Cap: 27.

Expendit hoc argumentum præclarâ & oratione, & pietate citatus proximè Joannes Eusebius Nerembergius, propterea ejusdem verbis hunc meditandi Modum hic exponam, abbreviatis tamen, vitandæ longitudinis causâ.

Quod Gentibus stultitia est, visum Iudæis scandalum: Deum-Hominem mortuum fuisse, laboribus faginatum, & per totius Patientiæ pericula commendatū, hoc summa sapientia est, & decentissimum Deo. Cyrillus Jerosolymitanus nō solam gloriosam dixit Crucem Christo Jesu, sed gloriationem gloriationum. Inprimis allego privilegiatam Amoris legem, per quam nihil vilescit, quidquid amore fit, etiam vilissimum: commendare charitate omnem humilitatem. Iuvat addere christianam Balduini sententiam. Judas vel Judæus Christum morti tradidit, & hoc ex malignitate; tradidit Pater Filium, & Filius se ipsum, & hoc ex charitate. Nec traditionis est rea Charitas, sed innocens est etiam in morte Christi. Soli enim charitati licet, quidquid libet, & impune: sola Deum cogere potest, quasi imperiosa. Hæc de cœlo Deum deposuit, hæc in Cruce posuit, hæc tam innocenter quàm salubriter sanguinem Christi fudit in remissionem peccatorum.] Ergo, si amare dignū est Deo, nihil indignum erit quod amatorio impetu fecerit: quantò magis pati, quod ipsum Amorem maximè commendat. Tā abest, ut Patientia majestate Jesu indigna sit, ut non solùm eam suus Amor cōmendet, qui commendat etiam vilia, & abjecta, & ipsa commendet Amorem omnia commendantem.

Satis jam Actiones Divinæ fidē Amoris præstiterunt. Oportebat per omne periculum explorari, scilicet per Passiones. *Quia nos videlicet* (verba sunt Gregorii) *minùs amaret, nisi & vulnera nostra susciperet: nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesq; nos reperit, & qui nos exsistere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte posset à Passione.* Nos itaque quia amati à Deo vulneravimus eum, ideo ut vulnera sui Amoris per vulnera sui Corporis significaret ipse Jesus dulcissimè affatur Animam: *vulnerâsti cor meum Soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum.*

Deinde non indigna est Divinitate tolerantia. allego sensum naturæ, & ipsorum Ethnicorum suffragium. qui cùm filium aliquem Dei, suum Herculem ad exemplar virtutis proposuissent, laboribus etiam exornârunt, & omni consecrârunt patientiâ. Hujus gloriam lego ab Ethnicis commendatam, & per ignominiam Crucis. de qua Lucius Florus, Reguli mortem narrans sic loquitur. *Nec ultimo sive carceris, sive Crucis supplicio deformata majestas, imò his omnibus admirabilior, quid aliud quàm victus de victoribus, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit?* Hæc Ethnicus de Patientia Hominis; quantùm gloriabitur Christianus de Patientia Dei? dicam cum Ambrosio. *Decora facies quæ non erubescit authorem: quæ non confunditur Redemptore.* Dicam cum Tertulliano. *Quodcunque Deo indignum est, mihi expedit, salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui me* (inquit) *confusus fuerit, confundar & ego eum. Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem & feliciter stultum. Natus est Dei Filius: non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei filius: prorsus credibile quia ineptum est: & sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est.* Dicam deniq; cum eodem, humilitates & passiones Jesu, *necessarium decus fidei.*

Ambr: Ser: 6. Tertul: l. de Carne Christi. C. 5

Cæterum, & fidem Majestatis tanta humilitas præstat. Non habet Deus suum honorem leviter sibi adhærentem ut facilè excidat: innata est illi Majestas, secura periclitari se potest, & tuta, & tota, & magnificè demittere. Ille enim qui nō duxit rapinam æqualitatem Patris (etenim reverâ, & legitimâ, & naturali hæreditate æqualis erat) securè potuit semetipsum exinanire. Non enim rapuerat gloriam (ait Theophylactus) ut timeret de illa excidere: & propterea non dedignatur humile quidquā facere: qui generosi non sunt, quod gloriam rapiant, nolunt ullo modo humiliari, ut non perdant quod rapuerunt. At omnium Rex erat Christus & Dei Filius. *Hæc summa magnitudinis servitus est, non posse fieri minorem.* dixit Seneca.

Decebat etiam Magnum illum Dominum Majestatis exhiberi minimum, & sapientis præceptū adhuc amplecti. *Quantò magnus es humilia te in omnibus.* Elegantissimè Balduinus. *Secundum Magnitudinem dignitatis, æqua sit mensura humilitatis, humilitas in*

honore,

honore, honor est ipsius Honoris, & Dignitas Dignitatis. Omnis Dignitas ipso nomine Dignitatis indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore, ipsa sibi sufficit ad honorem. Honor vero sine humilitate sese perducit ad confusionem. Adjice, nullam ignominiam Patientiæ injustam esse, imò gloriosissimum est indignè pati. Quantò turpius est ob peccata mereri supplicium, tantò gloriosiùs sine peccato ferre: quid erit si non sit peccatum, maximè si nec alienum. Hic totus est Pudor Crucis Christi, scilicet Gloria est.

Præterea, Opera Dei imperfecta non sunt, depressit se ad Humilitatem nostrã, ad exemplum; ad redemptionem, exactè debuit facere quidquid fecit: Voluit pati? debuit exactè pati: id est, non minùs quam ullus, id est, plus omnibus. Voluit mori? debuit exactè mori, morte (ut sic dicam) mortalissimâ. Voluit humiliari? debuit exactè humiliari, debuit magnanimiter, debuit ad extremam lineam: voluit egere? debuit exactè egere, id est, nihil habere. Propterea tanto voluit contemptui haberi, & execrandus judicari, *ut* (quemadmodum Anselmus [Epist. 157.] ait) *nec mori dignus haberetur intra aliquam hominum habitationem, neq; inter homines, nisi inter execrabiles. Neque sub tecto aliquo, nisi sub cælo, de quo ejici non potuit, ut secundum Prophetam opprobrium hominum & abjectio plebis æstimaretur.* Denique si decens Deo fuit, Deum fieri hominem, decuit sic fieri hominem, ut minùs homine videretur. Sunt enim Divina opera eximia, & in humilibus etiam magnifica, & quodam infinitatis odore illimitata.

Multæ aliæ causæ fuerunt, quæ sic Jesum meum exigebant: Consolatio nostræ miseriæ: Exemplũ virtutum ipsius. Demonstratio gravitatis peccati. Commendatio Divinæ gloriæ. Necessitas humilitatis nostræ. Et denique Doctrina vitæ. Doctrina mortis. Omnia gravia vitæ, consortio Iesu Patientis dulcescunt, non minùs quàm aquæ amaræ per lignum.

Plurimum quoque juvant Passio & Exempla Iesu, nostro corpori excutiendo, & animi sterilitati fœcundandæ,

Porrò ad omnium malorum durissimam mortem tolerandum, quanta consolatio est exemplum Christi mortalissimè morientis, [1. Pet. 2.] *cùm Passus sit pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Devotè & sublimiter Balduinus exclamat. *O rem mirandam & stupendam! inde obligamur usque ad mortem obnoxii, unde per mortem dimittimur à morte liberi: inde mortis debitum contrahitur, unde mortis debitum absolvitur.* Iam ergo ex nova causa mortis debitores sumus, quamvis ex veteri culpa, nihilominus ex nova gratia. Sed mors peccatorum pessima: debitæ pœnæ est quædam exsolutio: sic tamen ut ingratitudinis nulla sequatur absolutio: pretiosa verò Mors Sanctorum, quæ per mortem Christi est quædam gratiarum actio & vicissitudinis nonnulla similitudo. Hæc autem est similitudo, obedientia usque ad mortem.

Ubi autem fœcundiori fructu Charitas, quàm ad præsentiam tantæ charitatis Iesu, tot laboribus, humiliationibus, passionibus, & morte ipsâ, authenticæ, & probatissimæ? velut enim palmæ, & nonnullæ arbores ad præsentiam alterius fœcundantur, & inclinantur ad sociam: sic nostrum Amorem trahit Charitas Iesu ex arbore Crucis. Ipse dixit. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Quid dicam, quantùm compendio deliciarum, strangulationi (ut sic dicam) elationis, & in summa, correctioni pravarum omnium affectionum faciant dolores Iesu, & humilitates, quarum memoriâ faciliùs toleramus adversa, adversamur superbiæ?

Quid dignius Deo quàm dispendium peccatorum, quàm emolumentum virtutum? utrumque artificium est Passio & Humilitas Iesu. Christus Hostia fuit pro delicto, cujus sanguis per gyrum cordis nostri, (quod altare divinum est) fusus in ejus Passionis memoriam dedicat & sanctificat affectus nostros.

Atqui formidinem peccati quid magis commendare potuit, quàm ita pro alieno affligi innocentissimum Dei Filium, & Dominum Majestatis? Idem dico de magnitudine gloriæ, quam nobis tanto emit ejus Dominus. Majestas divinarum perfectionum, & attributorum, ubi dignius patefacta? ubi Misericordia? ubi Iustitia augustiùs manifestatæ? Namque ut nostrî misereretur Filius Dei, suæ vitæ non pepercit: & Pater ne derogaret Iustitiæ suæ, non pepercit Charissimi Filii vitæ. Ubi Sapientia emicuit altior quam in hoc fœdere misericordiæ & Iustitiæ? Ubi Patientia Dei fortior, quàm per infirmitatem omnipotens? Optimè dixit Augustinus, ejus infirmitatem ex potestate esse. Ubi major Doctrina vitæ, quàm ex morte ipsius vitæ per omnium rerum contemptum, & penuriam?

Immensum esset gloriam Humilitatis Iesu

Iesu & fructus Passionis ipsius enumerare. Patet omnibus convenientia tanti Sacramenti Deo indignissimi. Experientia jam probavit gloriosissimum, cùm Passioni Iesu cultus & notitia Dei debeatur. Christi Crux super Imperatorum capita, ad Majestatis signum gestatur. Super omnem mundi gloriam hoc signum exaltatum est, ut verè juxta Isaiæ dictum. *Super montem caliginosum signum levatum sit.*

Hucusque Eusebius: dignè satis de Dignitate Dominicæ Passionis.

MODUS XCII.

Nonagesimus tertius Modus Meditandi Passionem Domini est; secundùm fines, atque usus, & fructus, ex eadem Passione meditando, ac deinde utendo decerpendos; ita verò decerpendos, ut ipse homo totus quàm maximè in Christum Passum vivaciter transformetur, corde, affectu, vitâ, moribus, animo, sensuque omni. Enumerabo, & enarrabo hos fines, usus, affectusque verbis Seraphici Doctoris, tali si quidem linguâ opus est, ad ista secreta, & scrutanda, & narranda.

Circa Passionem Domini Iesu, sic potest se homo habere, ut consideret eam. Primò ad imitandum, Secundò, ad compatiendum. Tertiò, ad admirandum. Quartò, ad exultandum. Quintò, ad resolvendum. Sextò, ad quiescendum.

Primò igitur eam consideret *ad imitandum*. Hæc enim est summa & perfectissima Christi imitatio: hæc est summa & perfectissima vita: hæc est summa & perfecta Religio, & Religiosa Perfectio: hæc est regula & exemplar omnis vitæ, perfectionis, & virtutis, scilicet Christum imitari in Passione, & morte. Sit ergo regula nostra vivendi, Passio Salvatoris; & tantò ampliùs in hoc consolemur, quantò amplius Christo Passo conformamur: & tantò amplius desolemur, quantò ab hoc exemplari & regula ampliùs elongamur. Semper ergo quantum in nobis est velimus ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, illudi, persecutionem pati, flagellari, & in Divinis obsequiis ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum eo nudo, & nihil penitus cupiamus habere; imò aliquid habere, sit nobis gravissima pœna, & dolor immensus, nihil autem habere plena exultatio. Abhorreamus dulcia & delectabilia degustare, & potiùs velimus vilibus & amaris cibari, & desideremus, ut quælibet cibaria, felleum nobis potiùs quàm melleum afferant saporem, quia ipse Christus felle & aceto fuit potatus. Et ut breviter dicam: Consideremus quæ pro nobis sustinuit, qualiter in Passionibus se habuit, & pro modulo nostro, conformemus nos eidem.

Secundò. Debet Passionem Domini Homo considerare *ad compatiendum*. Debemus enim considerare ipsius flagella, illusiones, & opprobria, & in corde nostro ruminare, & imaginari quanta ibi fuit dejectio & contemptus erga Dominum nostrum Iesum Christum, quantus dolor, quantave afflictio in corde, & corpore, & ratione Passionis, & compassionis pro peccatis nostris fuit. Consideremus ergo quantâ tunc amaritudine repletus erat, qui Angelorum dulcedo erat, quantumque gravabat eum, non tantùm pœnæ illatio, & nostra ingratitudo, sed & Matris assistentis afflictio, quam sic diligebat, & quasi deficere præ compassionis dolore videbat. Ibi Filius crucifigebatur cum Matre, & propter mutuam, & intensam dilectionem, ex compassione mutua, erat nimia afflictio utriusque, & maximè cùm pro invicem paterentur. Sciebat Mater quòd Filius patiebatur pro ipsa, sicut pro reliquis redimendis; sciebat Filius, & certissimè scrutabatur, quod suus gladius ex compassione Matris animam pertransibat. Unde Passio filii, erat Passio Matris. Eja ergo Christiane, hæc verte, & converte in corde tuo; & totum cor reple convitiis illis, & pœnis, videns Dominum tuum, & sponsum tuum, pro te talia sustinere. Si enim per Amorem ei benè unitus fueris, tunc compatieris eidem: si autem non sentis dolorem Capitis, quomodo es unum cum ipso? Et si plus est compatiendum Capiti, quàm cæteris membris; sic magis sine comparatione ipsi compati debemus plùs, quàm quantumcunque dilecto Filio, vel amico, imò plus quàm tibi ipsi, si omnia prædicta patereris. Nunc ergo charissimi, felle, & absynthio, atque myrrhâ inebriemur: & solùm ejus vulnera sentiamus, transfigant cordis nostri intima, ejus convitia, flagella, vulnera, nec in nobis sit, quod non perfundatur compassionis dolore, & affligatur intensè.

Tertiò. Consideremus Domini Passio-

nem *ad admirandum.* Si enim consideremus, Quis? Quæ? Pro quibus? Passus est, multùm mirari debemus. Quis? Scilicet Dei Filius verus, summè potens, sapiens,& bonus. Et simpliciter, quidquid ei nobilitatis attribueris, nihil est adhuc respectu magnitudinis suæ. Omnia quantumcunque bona sint,& magna, sunt sicut quædam favilla, imò quædam vanitas in comparatione ipsius. Sed, Quæ Passus est? Peregrinationem, fugas, sitim, famem, calorem, frigus, tentationem, horrores, persecutiones, observationes, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones, dolores, & plagas, & vulnera. Conspuitur enim Gloria, condemnatur Iustitia, Judex judicatur. Crimine carens inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, occiditur vita, obscuratur Sol, Luna denigratur, Sidera disperguntur, & hæc omnia tolerat patient·r, ut agnus, cùm solo nutu posset demergere omnem creaturam, in profundum inferni. Sed pro quibus hæc patitur? pro nequissimis mancipiis, pro sceleratissimis inimicis, imò pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filiis: pro contemptoribus Divinæ Majestatis, & Divinæ Bonitatis ingratis. Ergo talis, ac tantus, talia, & tanta, pro tam vilissimis, & abjectissimis Passus est. Sed à Quibus? A specialiter dilectis, & aliis prælectis, quibus omnem benignitatem ostendit: à vilissimis Maximus: à stultis Sapientissimus, quia Dei virtus & sapientia: ab impiis summè Pius: à sanie fœdissima splendor æternus. In his ergo omnibus in Divinæ benignitatis & largitatis admirationem elevemur.

Quartò; Consideremus Passionem Domini *ad Exultandum.* Exultare in ea debemus de Redemptione humana, restauratione Angelicâ, & clementiâ Divinâ. De Redemptione humana sinè dubio nimis exultare debemus, facta per Christi Passionem & mortem. Quis quæso non exultet, cùm cernit se ipsum per hanc beatissimam Passionem liberatum, à damnatione æterna, à culpæ ignominia, à potestate diabolica. Sed quis non exultet in immensum, dum cernit Deum, in tantùm ipsum diligere, ut tantæ vilitati, & pœnalitati se subjecerit pro ipso? Non quòd gaudeat de ejus vilitate, & Passione, dico: sed de ejus effectu, & affectu, & amoris manifestatione. Quis Princeps cernens tantùm se à Rege suo diligi, ut paratus esset mori pro ipso, non exultaret? quantò magis nos vilissimi homines, & nefandissimi peccatores, & servi exultare debemus, cùm videmus Regem Regum, & Dominum Dominantium, & Creatorem nostrum Iesum Christum, nos ita continuè diligere, ut immolaverit seipsũ pro nobis, in tam turpi & vilissima morte? Plùs enim sine comparatione me diligit, quàm nosmet ipsi, nosmet ipsos.

Gaudeamus etiam & exultemus: quòd per Christi Passionem restaurata est Angelica ruina. Magna jucunditas debet esse nobis, cùm videmus per Christi mortem tam nobile Collegium reparari de nobis, ut fiat unum ovile, & unus Pastor, & simus unum in uno. In hoc enim debet tota cælestis curia, & etiam militans Ecclesia gratulari. O certè amabilis & venerabilis Passio Salvatoris, quæ sic disjuncta conjungis, & tam sequestrata conglutinas, & unis firmissimè insimul, stringisque vinculo consummati amoris & felicitate gaudii sempiterni. Præcipuè autem gaudere & exultare debemus, cernentes in supra dictis omnibus summam clementiam Domini, Deique nostri Iesu Christi. Hæc puto, summam esse gloriam bonorum, tam hominum, quàm etiam Angelorum, quantò intimiùs & profundiùs contemplantur clementiam, & benevolentiam Dei, & immensitatem Bonitatis ejus. Et hæc debet esse cujuslibet contemplantis exultatio medullaris. Sed ubi, quæso, magis apparet diffusio bonitatis Divinæ, & benignissimæ clementiæ, dulcissimi & amantissimi Dei, & Domini nostri Jesu Christi, quàm in Passione sua? ubi talia, tanta, tam turpia, & gravia sustinere voluit, pro inimico suo liberando, & glorificando, & pro vanitate quâdam digna morte æternâ. In istud gaudium intret homo, & reficiatur magnificentiâ benignitatis Divinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde suo exaltetur excellentissima, & inenarrabilis Clementia Christi Passi.

Quintò etiam consideremus hanc beatissimam Christi Passionem *ad cordium nostrorum resolutionem, & etiam perfectam transformationem in ipsum, quod fit,* quando non solùm imitatur, compatitur, admiratur, exultat, sed etiam totus homo convertitur in Dominum nostrum Iesum Christum, Crucifixum, ut jam quasi ubique & semper Crucifixus sibi occurat. Imò tunc verè ille in ipsum resolvitur homo, quando exiens ex se, & superpositus universis, imò super se abstractus ab omnibus, totus est conversus in Dominum suum Passum: ut nihil videat aut sentiat intra se ipsum,

se ipsum, nisi Christum Crucifixum, illusum, exprobratum, & Passum pro nobis.

Sextò. Consideremus eandem vilissimam Christi Passionem *ad quietem dulcoris interni,* quod fit quando resolutus homo, (ut dixi) sititibundus eandem Passionem ruminare non cessat: & intrans secundùm posse suum illum Passionis thesaurum, humiliter & devotè liquescit amore devoto, & feruidâ devotione, vel dilectione deficit à se, & requiescit in Christo Crucifixo. Sed quantò ei plus inhæret, eumque sequitur, tantò amplius devotissimo amore in se deficit, & liquescit, & quantò plus deficit à se devotione & amore, tantò plus eidem dilecto pro se mortuo inhæret & plus requiescit in eo. Et sic mutuò se augent, adhæsio amoris, & devotio: donec tota sponsa absorbeatur ab illo camino ignito Amoris Passionis dilecti. Sic in amplexibus sponsi amorata quiescit, qui clamat & dicit. Adjuro vos Filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Sic ergo circa Dominicam Passionem debet esse Imitatio ad Purgationem mentis, & dilectionem: Compassio ad unionem & amorem: Admiratio ad mentis elevationem: Gaudium & Exultatio ad Cordis dilatationem: Resolutio ad perfectam conformationem. Quies & Pausatio ad Devotionis compositionem.] Hæc Seraphicus Doctor cujus sex considerationibus, addere libet, ex Divo Augustino septimam, quá ille devotissimè contemplatus est, insignem, atque adeò principalem, Passionis atque Incarnationis Dominicæ & effectum, & fructum. Nimirum considerandam esse Passionem Domini nostri, ipsumque Passum Deum & Hominem, ad fruendum Deo, & ad assurgendum ad hoc opus, per depressionem tumoris nostri, sub infirma Divinitate, quæ assurgens nos prostratos sublevet. Verba Augustini dulciùs & pleniùs sensum explicabunt, quæ appono. Sic igitur ille.

August. lib. 7. Confess. c. 18.

Quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, Deus meus: nec inveniebam donec amplecterer mediatorem Dei & Hominum, Hominem Christum JESUM (qui est super omnia Deus benedictus in sæcula) vocantem, & dicentem. Ego sum via, veritas, & vita. Et cibum, cui capiendo invalidus eeam, miscentem carni: quoniam VERBUM Caro factum est: ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum JESUM Christum humilis humilem, neque cujus rei magistra esset ejus infirmitas, noveram. Verbum enim tuum Æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus superveniens, subditos erigit ad se ipsam: in inferioribus autem ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret à se ipsis, & ad se trajiceret, sanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiduciâ suî progrederentur longiùs, sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam Divinitatem; ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens levaret eos.] Et revera sic factū est, sic fit, sic fiet, usque ad sæculi finem, cum credentibus in Christum, & agnoscentibus humilitatem ejus in Incarnatione, in vita, seu conversatione, in Passione, atque morte, quâ mortuus est propter peccata nostra, resurrexit autem propter justificationem nostram; & sic surgens levavit nos: quia Christo resurgente consurgimus cum ipso, & jam quæ sursum sunt quærimus, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt sapimus, non quæ super terram. Ita ergo Dominus noster, viam fecit nobis per humilitatem non poteramus, quem autem nobis præponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbiâ tumuerat, & si fortè existeret aliquis vir in Spiritu humilis (sicut erant Prophetæ & Patriarchæ) dedignabatur genus humanum imitari homines humiles. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, quem imitando, reverti posset ad Deum, DEUS factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia humilis Dei.

Aug: Cont. 1. in Psal: 33.

Cæterum discursus hic de Dominica Passione, erudire potest, imò & debet, unumquemque Christi fidelem imitatorem, ut in studio imitationis, & in cultu virtutū, non per infima serpat, sed quantum cum Dei auxilio prævalet, ad summa in omnibus exercitiis suis conetur: & gloriosus in illis coram cælo & Deo apparere ac eminere satagat. Humilis quis esse vult, in vera, & interna humilitate, per insignes humiliationes atque vilificationes ad summam & ipsi cælo mirandam evadere atque sedem figere studeat. Patiens quis esse cupit? per omnem patientiæ messem innocenter, patienter, pacatè, hilariter, delectabiliter, cum fa-

me & siti amplius ampliusque pro Deo, & Christo ejus patiendi, usque ad consortiũ Crucis Dominicæ enitatur. Mundi contemptor, ac rerum egens esse sitit: ad eum gradum evolet, in quo Christum constitisse novit: ut non habeat in terra, A quantum in ipso & ejus statu situm est, ubi caput reclinet suum: sitque illi summa & plena egestas ac nuditas cum Christo: præ omnibus universi Mundi opibus & commodis.

MODVS XCIV.

NOnagesimus quartus Passionem Domini meditandi Modus esse potest, apprehendendo sive per Imaginationem, sive per Intellectum, atque etiam voluntatem, Passiones Christi, earumque merita; & eadem applicando ad Animas nostras, easque iisdem Domini meritis quã copiosissimè locupletando. Desumam, & exponam Modum hunc, ex quodam Tractatu meo Spirituali.

[Docuit nos Modum hunc Passionem Domini, ejusque merita tractandi, ac nostris Animabus applicandi, illasque opibus Christi Passi ditandi, ipsemet Spiritus Sanctus in scripturis suis, & quidem satis frequenter. Isaias Propheta concinit promittendo, ac simul provocando. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Idem loquitur Zacharias. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* (Zach: 13. 1) Qui namque sunt isti fontes Salvatoris patentes ad ablutionem, aut quæ aliæ aquæ, nisi Passiones & vulnera, nisi sanguinis & mortis merita Jesu Christi? quæ in Sacramentis ejus deposita, inde hauriuntur ab Animabus nostris, partim ministerio Ecclesiæ, partim devotione cujusque fidelis: sive is sit peccator pœnitens, sive etiam Iustus proficiens, atque Perfectus in via & Lege Domini.

Hanc ipsam de Sanguine ac Meritis Passionis Christi Meditationem seu Imaginationem, usurpat sæpius Beatus Joannes in sua Apocalypsi, partim cùm ait: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni*: (Apoc: 7. 14) partim cùm dicit: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni ut sit potestas eorum in ligno vitæ, &c.* (Apoc: 22. 14) Qui idem Apostolus alio loco vocat, nomine pretii redemptionis nostræ sanguinem atque Passionem Jesu Christi. quando ait: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*: (Apoc: 5. 9.) consonè ad illam Davidis cantilenam: *Copiosa apud Deum redemptio, & ipse redemit Israel. ex omnibus iniquitatibus ejus*: (Ps: 129. 7.) tum & phrasi Apostolicæ: *scientes quòd non corruptibilibus: auro, vel argento, redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati, & incontaminati.* (1. Pet: 1. 18)

Hæc, cum ita sint, licebit consimili ratione nobis Passionem, Mortem, vulnera, sanguinem, Meritaque Christi Domini meditari, & apprehendere, & usurpare, inque profectum nostrum spiritualem, & Animarum nostrarum coram Deo ditationem, ornatumque convertere. v. g. B

Cogitans & Animo meo statuens Christum cum suæ Passionis meritis esse Fontem limpidissimum, & simul largifluentissimum, instar Paradysiaci, manantis aquas salutis & sanctitatis, & beatæ vitæ, & omnis gratiæ, virtutis, atque Perfectionis, seu Participationis Divinæ, totâ capacitate Animæ, imò universæ substantiæ meæ, ejusdemque, tot faucibus, quot partibus, imò atomis, per omnia instantia temporis ac vitæ meæ bibam, hauriam, derivabo, & deducam aquas meritorum in Christo contentorum, in cor, mentem, voluntatem, Animam, substantiamque meam, & iis replebo totam entitativam capacitatem meam. C

Pari ratione cogitans Christum esse vitem unam speciosissimam & fœcundissimam, faciam me totum, quantusquantus sum in omnibus particulis atque atomis meis, in omnibus quoque actionibus & passionibus, seu mutationibus meis, veluti multiplicem palmitem, atque etiam botris quarumlibet actionũ mearum obsitum; sicque ex Christo, & ex ejus meritis, humorem omnigenæ sanctitatis, perfectionis, & gratiæ traham, & botros operum fœcundos, turgidosque pretioso Christi sanguinis vino faciam, ac tales gustui, mensæ, cellis vinariis Sanctissimæ Trinitatis, & Christi, & totius cælestis curiæ adferam, inferam, offeram, & propinabo, in omnemque æternitatem recondam, seu reservabo. D

Simili modo cogitans Christum esse Balneum quoddam, seu Thermas salubritatem omnem scaturientes, quarum efficacitate, & à sordibus abluamur, & morbositatem omnem depellamus, & omni puritate ac decore ornemur, ut omnia

opera

opera nostra tum purificentur, tum sublimentur quotidie, sæpiùsque in die, quin & singulis (quoad huic vitæ fragilitas) spirationibus, & commotionibus, ac momentis: Totum me, totamque substantiam, & entitatem meam, actionumque mearum, injiciam in balneum hoc sacratissimum, & in eo me, meaque omnia abluam, purificabo, emundabo, sublimabo, & ornabo. Nunquam penitus ex hoc pretioso dolorum, vulnerum, sanguinis, meritorumque Christi balneo egrediens, nunquam me ab eo desiccans, sed semper in eo, ad instar pisciculi in mari innatans.

Cogitans item, Christum ejusque Passionem, esse immensam quandam inexhaustamque aurifodinam, pretioso & incorruptibili auro refertissimam, & quemadmodum omnibus, ita & mihi pauperculo expositam, atque ad eruendum omnimodas auri cælestis opes liberaliter concessam: ponam ædificiolum meum in hac fodina, & omnia scriniola, omnes sarcinas substantiæ meæ, mearumque virium, potentiarum, articulorum, actionum, & alterationum, volitionum, desideriorum, necessitatum, capacitatum, & possibilitatum perpetuò implebo, cumulabo, infarciam, iterum iterumque. Indubitatum est enim: totum Christum, omnes ejus particulas, omnes potentias, omnes actiones, omnes passiones, omnes atomos ejus, fodinas esse, omnes item ejus vitæ minutissimas minutias, omnes dolorum, passionumque indivisibilitates, esse abyssos divitiarum salutarium, cælestium, divinarumque. Omnis enim plenitudo latet & scatet in eo, ita ut ex una Christi Passionum (v. g.) atomo, liceat abyssos thesaurorum eruere, & promere, gratiarum virtutum, perfectionum, donorum, meritorũ, sanctitatũ, beatitudinũ. Dummodo (mi homo) in quo haurias habeas. habes autem si te ipsum habes: si inquã te ipsum in Christi tibi dati & donati, & in possessionem omnimodam traditi, usum, fruitionem, possessionemque convertere noscis, & noscendo ad realem usum minimè pigrescis.

Eâdem ratione, cogitare licet Dominum Jesum Christum Passum, ejusque Passionem, ac Passionis merita, esse velut universitatem officinarum rebus ad usum humanum necessariis refertissimarum. Hîc Armamentarium, hîc Apotheca, hîc Vestiarium, hîc Bibliotheca, hîc Gazophylacium, hîc cellæ penuariæ, atque vinariæ, hîc omnium artificiorum collegia, hîc arsenale navibus in portum æternitatis beatæ advecturis redundans, hîc denique promptuaria eructantia ex hoc in illud, nec non omne bonorum genus coacervatum, repositumque, ac simul omnibus, uti, capereque in rem suam volentibus, expositum. Solus ergo restat hauriendi, & in usum derivandi, utendique labor. Qui ipse labor, sine labore est, cùm in sola voluntate libera, in solo desiderio, in sola intentione, atque cupiditate nostra propemodum, principaliter certè consistat: adeò ut quantum desideras, quantum desideria, intentiones, cupiditates, votaque tua dilatas, tantum capias, & adhuc infinities infinita supersint, quæ si velis, si velle velis, eo ipso capias. Itaque hîc mihi tantum licet, quantum libet. Hic non duplicibus, sed millecuplicibus quotidie mutatoriis vestiri, induique possum: desumendo mihi vestimenta Christi meritorum, virtutum, gratiarum. Idem dico de omni armatura fortium, quæ in Christo omnis est, pendentibus ex eo non mille clypeis, sed mille millibus clypeorũ. Idem dico de medicinali Apotheca: quæ hîc ad omnes morbos sanandos, ad omnes sanitates tuendas abundat, & patet assiduò. Idem dico de Gazophylacio, in quo omnes thesauri, non uni tantùm homini, sed universo generi humano ditando superabundantissimè sufficientes. Dico item de promptuariis cellis refertissimis omni omnino alimoniæ, deliciositatisque spiritualis, atque cælestis genere, quoniam usque ad delicias, usque ad beatitudines amamur. Sed horum in enarrando finis nullus esset: utinam usus ipsius, atque fruitionis, nullus quoque finis, nullus modus, nullus terminus, sit apud nostras Animas, Mentes, Corda, voluntates.

Ut igitur paucis multa complectar, satis habebo recensere catalogum eorum, quæ in Christo Domino, potissimùm Passo, habemus bonorum, nobis non minùs necessariorum, quàm in eo ad usum nostrum paratissimorum.

Itaque Christus est mihi Deus Creator, ego illius indigentissima creatura. Christus mihi Rex: ego per omnia subditus. Christus meus Dominus supremus, absolutus; ego ejus servus, mancipium, jumentum. Christus Caput meum, ego mẽbrum ejus. Christus vitis, ego Palmes. Christus Fons, ego rivulus. Christus Cor, ego vena. Christus Artifex, ego instrumentum. Christus Idea, ego opus. Christus Prototypum, ego adinstar.

Christus Nutrix, ego lactens. Christus Spiritus, ego corpus. Christus vita, ego vivens. Christus Hortulanus, ego areola, Christus nubes rorida, ego terra sitiens. Christus Cultor, ego vinea. Christus Agricola, ego agellus. Christus Pastor, ego ovicula. Christus Doctor, ego discipulus. Christus Medicus, ego infirmus. Christus Imperator, ego tyro militiæ. Christus Musicus, ego organum. Christus Anima, ego cadaver. Christus Architectus, ego materia. Christus Fundamentum, ego superstructio. Christus Sol, ego aer illunis. Christus Figulus, ego lutum, & figmentum. Christus Dives, ego pauper. Denique Christus totum meum & omnis sufficientia mea: Ego sine illo nihil sum, nihil possum, nihil mereor boni. Ægritudo æterna, miseria infinita, indigentia inexpleta, merum, & purum, imò & malum nihil

Hæc omnia Homini Christus, hæc item homo Christo. Gaudeat Homo de se tali qualis est, & de se eo, qui est. Non quia is, & talis est, (hæc enim non gaudii, sed mœroris seges est) sed quia is, & talis cùm sit, talem sibi habet Christum: ad omnia infinities divitem, infinities paratum, infinities desiderantem, danda, elargienda, profundenda, in omnem, & per omnem æternitatem.

MODVS XCV.

Nonagesimus quintus meditandi Passionem Domini Modus esse potest: eam cum Scala Jacob comparare, sive in ea scalam Jacobo præmonstratam invenire, & per illam post Christum usque ad Deum ascendere.

In Scala Jacob, etsi plura possint considerari: aliqua tamen solùm hic attendere sufficiet.

Igitur scala illa uno extremo sui tangebat terram, altero Cælum.

Latera habebat hinc inde duo. Gradibus fuit distincta: Angeli per eos descendebant & ascendebant. Deus in supremo scalæ innitebatur.

Hæc Scala per allegoriam designat nobis Incarnationem Verbi, & pressius etiam Crucem, atque Passionem Domini nostri, per quam velut per scalam & ipse ascendit in cælum, testante ipso: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* & omnis Christianus post ipsum eodem ascendere debet. juxta Domini quoque dictum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam & sequatur me.*

Christus igitur Dominus, & Crux, atque Passio, & tota Incarnatio, atque illius Oeconomia, Scala est.

Ejus unum extremum terram, alterum verò Cælum tangit: tum quia Christus Homo, Deusque simul est, tum quia ita Verbum descendit in terram, inque Virginis uterum, ut tamen apud Patrem in sinu manserit in Cœlo. juxta illud Domini dictum. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, Filius Hominis qui est in cælo.* quod Dominus dixit manens in terra de semetipso, nihilominus, & existente etiam in Cœlo. Cui consonat & illud: *Unigenitus qui est in sinu Patris: ipse narravit.* Existens & vivens in terris inter homines, ipse enarravit hominibus Legem vitæ, manens tamen in sinu Patris tanquam Unigenitus ejus. Adhuc etiam Scala hæc terram & cælum tangit: quia Christus Incarnatione ac Passione suâ, Deum mundo reconciliat, hominibus in terra manentibus cælum reserat, & *errantes in desertis oviculas, bonus Pastor in Montana super humeros suos assumens defert.*

Latera Scalæ hujus nostræ duo sunt, inconcussæ ac simul altissimæ firmitatis. Divina scilicet Misericordia atque ejusdem Iustitia. Istæ enim duæ Dei nostri perfectiones, atque tanquam Patris Cælestis Filiæ, apud Patrem totam scalæ Machinam, totum (inquam) Incarnationis opus molitæ, atque architectatæ sunt: tanto Sapientiæ atque Potentiæ arcano artificioque, ut in summa Misericordia locus esset summæ Iustitiæ: & in summa Iustitia esset quoque locus suus, summæ Misericordiæ. quando, ita humano generi universo, per omnia calamitate perditioneque involuto, remissio peccatorum, & gratiæ, gloriæ, vitæque æternæ condonatio piissimâ miseratione, Unigenitique Dei merito indulta est, ut tamen Majestatis Dignitatisque Divinæ, ab hominibus læsæ, jus debitumque summo & exaggerato Iustitiæ rigore, ejusdem Unigeniti Dei sanguine, Cruce, & Morte, ad omnem integritatem sarciretur. His ergo duobus fulta lateribus Scala ista constitit, & adhuc consistit. *Quoniam Misericordia & veritas obviaverunt sibi: Iustitia & Pax osculatæ sunt.*

Gradus Scalæ hujus Mysticæ variè distingui,

ſtingui, aſſignarique poſſunt, Primò quidem ſecundùm totum Incarnationis, deinde ſecundùm ſolius Paſſionis opus.

Totus Incarnationis gradus hi aſſignari poſſunt. 1. Prædeſtinatio & Electio Chriſti. 2. Promiſſio illius Patribus. 3. Ejuſdem Præfiguratio in figuris, & ſacrificiis, aliiſque ritibus, ac rebus. ut Tabernaculo, Arca, Templo, Altari. 4. Prædictio per Prophetas. 5. Incarnatio ipſa & adventus. 6. Nativitas, & tota vita occulta, privataque. 7. Baptiſmus apud Joannem, & Manifeſtatio Domini per vocem, & Columbæ deſcenſum ſuper eum. 8. Mora in deſerto, jejunium, & tentatio. 9. Prædicatio, converſatio, Miracula. 10. Ingreſſus in Jeruſalem ſuper Aſellum, triumphalis ſimul & lachrymabilis. 11. Agni Paſchalis eſus, & lotio pedum. 12. Inſtitutio Sacrificii & Sacramenti Euchariſtiæ, Sacerdotiique Novæ Legis. 13. Paſſio univerſa. 14. Crux & Mors. 15. Sepultura, & deſcenſus ad inferos. 16. Reſurrectio, & Ordinatio, Confirmatioque diſcipulorum & Eccleſiæ. 17. Aſcenſio, & ſeſſio ad dexteram Patris. 18. Regimen Eccleſiæ, & Miſſio Spiritûs Sancti in eam. 19. Adventus ad judicium extremum, ipſumque judicium. 20. Regnum cum Deo Patre & ſanctis æternum. Iſti ſunt gradus ſcalæ Incarnationis, totiusque Operis illius.

Jam verò ſolius Paſſionis Dominicæ gradus ſive partes & progreſſus hi aſſignari poſſunt, quibus Dominus noſter veluti per Scalam ad ſummitatem dolorum & Mortis ſuæ, obedientiæ autem Paternæ, & Redemptionis noſtræ aſcendit. Gradus 1. Lotio pedum. 2. Inſtitutio Euchariſtiæ. 3. Cygnea ante Paſſionem cantatio, ſimulque ad Mortem, ſeu Morti par Triſtitia. 4. Oratio repetita. 5. Agonia & ſudor ſanguineus. 6. Obviatio venienti proditori, & hoſtibus, eorumque excæcatio, proſtratio, ſublevatio. 7. Captivitas, & ligatio. 8. Examen apud Annam. 9. Judicium, injuriæ, damnatio apud Caipham. 10. Repetita mane damnatio. 11. Ad Pilatum deductio, & calumnioſa accuſatio. 12. Deductio ad Herodem: ibi ſpretio, & illuſio. 13. Reductio ad Pilatum, Examen, Flagellatio. 14. Corona ſpinea, purpura, arundo, illuſio, Ecce Homo. 15. Evictio damnationis, & damnatio ad Crucem. 16. Egreſſus cum Cruce inter iniquos ad locum Mortis. 17. Crucifixio. 18. Injuriæ, & blaſphemiæ in Cruce. 19. Trium horarum Oratio & Agonia in Cruce. 20. Mors & Anima in Manus Patris tradita, & ſepultura.

Per iſtos gradus Dominus ſcalam paſſionis ſuæ pertranſivit: per eosdem Anima fidelis illum ſequi ſtudeat fideliter, conſtanter, fortiter, gaudenter, ſitibundè, uſque dum ad abſolutam conſummationem operis ſui perveniens, etiam ipſa in Manus Æterni Patris ſuſcipiatur. ſequetur verò Dominum per affectus, & effectus Cordis, Oris, Operis, vel hos quos ſubjungo, vel quos Spiritus meliores ſuggeſſerit.

Primus erit, Agnitionis, ſeu Fidei eorum quæ Dominus geſſit, ac pertulit patiendo. 2. Confeſſionis eorundem. 3. Admirationis. 4. Participationis ſeu Condolentiæ. 5. Conjectionis cauſæ in ſua peccata. 6. Doloris, Odii, Execrationis eorum, ut cauſæ tanti laboris ſumptusque Dominici. 7. Deprecationis. 8. Propoſiti fugiendi, & expiandi peccata. 9. Expiationis actualis eorũ, in Balneo ſanguinis & Meritorum Domini. 10. In Imitatione humilitatis Domini. 11. Obedientiæ. 12. Patientiæ. 13. Manſuetudinis. 14. Charitatis Dei. 15. Dilectionis proximorum etiam inimicorum. 16. Conformationis plenæ cũ voluntate Dei. 17. Zeli Gloriæ Divinæ, & ſalutis proximorum. 18. Deſiderii, & ſtudii vitæ æternæ. 19. Amoris Jesu Chriſti. 20. Conſtantiæ & perſeverantiæ in his omnibus, uſque ad mortem, propter Deum. Hi ſunt gradus per quos fidelis Anima poſt Jesum paſſum aſcendere debet, ſi ad ſummitatem Scalæ ejus cupit pervenire.

D. Baſilius preſsiùs hoſce gradus Animæ numerat, quos proderit cognoſcere, & magis etiam decurrere. [Scala (inquit ille) eſt aſcenſus ad Perfectionem; culmen eſt Charitas; Gradus, ſunt gradus decem Abrenuntiationis. Primus eſt, Abdicare terrena, ut cum Apoſtolis dicat. *Ecce nos reliquimus omnia*. 2. Eadem oblivisci. *Audi filia &c. & obliviſcere populum tuum*. 3. Eadem ut ſtercora odiſſe & averſari. 4. Parentum, & cognatorum amorem exuere. 5. Odiſſe Animam ſuam propter Chriſtum. ut ne de vita quidem ſua quidquam affectus ſit omnino, etiamſi Mortis habeat reſponſum. 6. Abnegare ſuum Judicium, Voluntatem, (Honorem.) 7. Semper mortificare ſuas cupiditates, ut impleat illud Chriſti. *Abneget ſemetipſum, & tollat Crucẽ ſuam quotidie*.

Baſil: in 1. Pſal.

8. Sequi

8. Sequi Christum & discere ab eo, *quia mitis est, & humilis corde.* 9. Amare constanter & efficaciter proximos, etiam Inimicos. 10. In quo Dominus visus est, est adhærere Deo, eique in uno Spiritui uniri.

Descendentes per scalam & Ascendentes Passionis Dominicæ, quantum ad Nostrum propositum, sunt Judæi quibus Crucifixus Jesus scandalum: & Gentes quæ crediderunt in eum: & acceperunt potestatem Filios Dei fieri. Sic etiam per Passionem Domini, Judas descendit, Latro ascendit; Diabolus descendit, Homo ascendit. *non enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.* Sic quoque per scalam Passionis, Caro nostra, & sensus descendit, Spiritus autem ascendit. *Caro enim nõ prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat.* Et. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis est. promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Sic quoque ipse Spiritus descendit usque ad contemptum, usque ad odium, ad annihilationem sui per, & propter exemplum Passi Christi, ascendit autem usque ad similitudinem, usque ad consortium, usque ad unionem, & identitatem Passi quoque Christi. *qui enim adhæret Deo, unus spiritus est.* ut dicat. *Vivo autem ego, jam non ego: vivit verò in me Christus.*

Denique, *Christo Confixus sum Cruci: & stigmata Domini mei I E S U Christi in Corpore meo porto.*

Deus Scalæ Passionis Domini innixus est, quia *Deus erat in Christo sibi reconcilians Mundum.* & consummatâ omni Passione, Dominus dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & inclinato Capite emisit Spiritum.*

Atque hic, & huc, debet esse cursus omnis Animæ currentis post Jesum per scalam Passionis ejus. quam ille percurrit prior, dans nobis exemplum, ut quemadmodum ille fecit, & nos similiter faciamus, sequamurque cum quàm maximâ vicinitate vestigia ejus. ut tandem apprehendamus eum, teneamusque, nec dimittamus. Alioquin nihil prodest Christum sequi, si non contingat consequi.

Libet Modum hunc concludere Devotissimi Patris Bartholomæi Saluthii Inventione, quam ille de Domini Passione per modum scalæ conscripsit ad inflammandam devotionem in eandem. & sic se habet. Passio Domini mei JESU Christi sit semper

1. Mater mea. Mater mea, parturias me.
2. Sponsa mea. Sponsa mea, amplectaris me.
3. Soror mea. Soror mea, orna me.
4. Amica mea. Amica mea, ama me.
5. Dilecta mea. Dilecta mea, dilige me.
6. Columba mea. Columba mea, vola ad me.
7. Perfecta mea. Perfecta mea, perfice me.
8. Unica mea. Unica mea, posside me.
9. Filia mea. Filia mea, honora me.
10. Fortitudo mea. Fortitudo mea, defende me.
11. Schola mea. Schola mea, instrue me.
12. Dulcedo mea. Dulcedo mea, recrea me.
13. Doctrix mea. Doctrix mea, doce me.
14. Mensa mea. Mensa mea, ciba me.
15. Lux mea. Lux mea, illustra me.
16. Lectio mea. Lectio mea, erudi me.
17. Dux mea. Dux mea, deduc me.
18. Camera mea. Camera mea, recipe me.
19. Defensio mea. Defensio mea, defende me.
20. Turris mea. Turris mea, absconde me.
21. Oratio mea. Oratio mea, trahe me.
22. Sedes mea. Sedes mea, accipe me.
23. Columna mea. Columna mea, sustenta me.
24. Hospes mea. Hospes mea, hospitare me.
25. Civitas mea. Civitas mea, recipe me.
26. Contemplatio mea. Contemplatio mea, assume me.
27. Domus mea. Domus mea, circumda me.
28. Refectio mea. Refectio mea, refocilla me.
29. Meditatio mea. Meditatio mea, incende me.

Socia Socia

30. Socia mea. Socia mea, associa me.
31. Nutrix mea. Nutrix mea, nutri me.
32. Spes mea. Spes mea, conforta me.
33. Fiducia mea. Fiducia mea, assecura me.
34. Consolatio mea. Consolatio mea, consolare me.
35. Solicitudo mea. Solicitudo mea, vulnera me.
36. Portio mea. Portio mea, quieta me.
37. Requies mea. Requies mea, inebria me.
38. Beatitudo mea. Beatitudo mea, beatifica me.

Hæc Saluthius.

MODVS XCVI.

NOnagesimus sextus meditandi Passionem Domini Modus esse potest: scrutando & investigando simulque admirando & contemplando arcana fidei nostræ Christianæ, tanquã à Christo Domino nostro per Incarnationem, vitam, & Passionem, atque Mortem mirabiliter reserata, atque manifestata: ita ut quæ ante Christi Domini adventum fuêre valde occulta, & miris modis involuta, atque inumbrata; hæc omnia sint per Christum in luce posita, & ad notitiam omnium fidelium, etiam alioqui rudium, & simplicium deducta: in tantum, ut unus aliquis Christi fidelium, majorem notitiam lucemque habeat in rebus & mysteriis fidei, quàm ante Christum habuerint illi, qui erant Magistri in Israel: quod à Domino Nicodemus audivit, qui ad eum venerat nocte, & quod patuit citò post Domini ascensionem, cùm unus Stephanus Levita adolescens prævaluit Spiritu, & sapientiâ, mysteriorumque divinorum cognitione, omnibus Doctoribus, Judaicarum Synagogarum: de quo in Actis Apostolicis testimonium est luculentum.

Manifestationis hujus per Dominum nostrum factæ, plurima & expressa valde habemus in sacris literis testimonia. Hujusmodi est illud, quo apud Isaiam Dominus noster dicitur *habere clavem Domûs David super humerum suum, qui aperiet, & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiat.* quod idem testimonium de se Dominus repetit ipsemet in Apocalypsi. Deinde nõ aliud sibi vult sæpius repetitus à scriptura Liber intus & foris scriptus, tam apud Isaiam, quàm apud Ezechielem, præcipuè autem in Apocalypsi, ubi describitur *Liber in dextera sedentis super thronum, scriptus intus, & foris, signatus sigillis septem, & nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, donec Agnus qui stabat tanquam occisus venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum, quem & aperuit.* Ubi manifestum est, Librum hunc esse Christum Dominum, seu VERBUM Incarnatum, cujus Incarnationis mysterium septem sigillis signatum esse ideo dicitur; quia nimirum tantis tamque sublimibus, & omnem creatum intellectum transcendentibus involucris, difficultatibus, arcanis, atque planè tenebrosis latibulis, ut ad ejus apertionem, hoc est ad ejus cognitionem, & revelationem, nemo ex puré creatis intellectibus, in cœlo, in terra, subtus terram, suffecerit: donec Agnus (qui est idem ipse, qui & Liber signatus) tanquam occisus, & revera occisus, atq; oblatus, aperuit librum, & solvit signacula ejus; evoluit scilicet mysteria, & arcana, & involucra omnia ejus: juxta illud. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Unde idem Dominus noster frequenter se vocavit, *Lucem mundi. Ostium ovium, per quod si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Idcirco etiam hortatus est Judæos. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illa sunt quæ testimonium perhibent de me. & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis,* & adjecit dicere iisdem. *Nolite putare quod ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. de me enim ille scripsit.*

Sed nihil potest apertiùs dici de hac mysteriorum Divinorum, arcanorumque, per Christum Dominum manifestatione, quàm ipsa verba Domini, sæpius hanc in se, & à se factam indicantia. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me* [& cum iniquis deputatus est.] *Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.* tum quia implentur, tum quia manifestantur. Idem planè asserit illa Dominica ad discipulos in Castellum Emmaus euntes adhortatio simul & attestatio. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum &*

Marginal notes: 3. 10. — 6. 9. — 22. 22 — 3. 7. — a: 8. 1. — ch: 2. 9 — oc: 5. 1. — Ioan. 1. 18. — B — C — D

stum & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens *à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Ad idem facit illa etiam Domini nostri congratulatio discipulis facta. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis; & aures quæ audiunt, quæ vos auditis. Amen quippe dico vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges, & Iusti cupiverunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; quæ vos auditis audire, & non audierunt.* Et alio loco, licèt breviùs. *Iam non dicam vos servos, sed amicos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Sed de his satis. Restat videre, & ad meditandum proponere, quomodo, & quænam Divinæ circa salutem nostram Providentiæ arcana, & mysteria, per Incarnationem, vitam, Passionem, Mortemque Christi Domini reserata, & in lucem cognitionis fidei producta sunt.

Libet autem rem hanc explicare sub typo libri septem Sigillis primùm quidē signati, deinde per Agnum aperti. Ac inprimis adduco & assigno septem sigilla à Divo Bernardo assignata, quibus noster Liber, nempe Christus, fuit obsignatus; verba Sancti sunt.

Septem quædam arbitror inveniri, quibus maximè celabatur in carne Præsentia Majestatis, ut non posset aperiri Liber, & sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim.

I. *Matris Desponsatio.* quâ partus Virginis, & conceptionis puritas, velabatur; ita ut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur.

II. *Infirmitas etiam Corporis:* quâ nimirum plorans, vagiens, lactens, dormiens, & cæteris subjacens necessitatibus Carnis; latebat inter hæc virtus Divinitatis.

III. Sic & *Circumcisionis* signum suscipiens, peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat, & peccatum

IV. Et item *In Ægyptum fugiens.* à facie Herodis Reguli, nec Dei filius agnosci poterat, neque Rex cæli.

V. Quid *Trina illa tentatio inimici*, in deserto, in pinnaculo, supra montem? si filius Dei es (inquit) dic ut lapides isti panes fiant. Et item. Mitte te deorsum. Neutrum Christus fecit. ut signaretur liber, & falleretur astutus. Denique eo usque seductus est, ut haberet jam pro constanti, hominem esse purum, & in tantam vesaniam superbia cæca proruperat ut non diceret ultra, si Filius Dei es, sed omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me? Sextum est:

VI. *Signaculum Crucis.* Ubi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus

A est Dominus Majestatis. Clausit & *Sepultura* hunc Librum: nec ullum omnino

VII. signaculum sic obstruxit, sic occultavit magnum Pietatis Sacramentum.

Possunt autem alio quodam modo, alia quoq; septem Sigilla hujus Divini Libri recenseri. v. g. 1. Sigillum, Figuræ fuerunt. 2. Prædictiones seu Prophetiæ. 3. Sacrificia. 4. Ritus ac Cerimoniæ. 5. Sacramenta. 6. Parabolæ. 7. Opera, effectusque varii, quibus omnibus, & velabatur occultabaturque venturus Christus, & sigillabatur Liber Divinus, atque Mysticus: in Adventu autem,

B imo Adventu ipso, gestisque Christi, omnia reserata sunt, cum tanta claritate, atq; plenitudine, ut (quemadmodum supra dixi) hodie minimus fidelium Christi peritior sit in his enucleandis & enarrandis, quàm ante Christi Adventum integra Synagoga Judaica. Quis enim nunc filiorum Ecclesiæ Christi ignorat: quid sibi voluerit Isaac in Monte Moria oblatio, in Ariete cornibus inter vepreta hærente consummata? Quid omnium Gentium benedictio in semine Abrahæ? Quid Melchisedech, Rex & Sacerdos, sacrificium Panis & Vini offerens? Quid Agnus Paschalis, cujus san-

C guis postibus illitus salvavit primogenitos Israelis? Quid transitus Maris rubri ex Ægypto, in quo Ægyptii perditi, Hebræi salvati? Quod totum tabernaculum? quid manna de cœlo? quid aqua de petra? quid serpens æneus in ligno suspensus? omnes ad eum respicientes, à serpentum veneno sanans? Quid maledictionis hircus, peccatis populi onustus foras in desertum expulsus? Quid Davidis cum Golia Philistæo duellum? Quid Salomon & Templum ejus?

Cui Fidelium hodie non in manifesto est Virgo Concipiens & Pariens Filium?

D cui nomen Emmanuel? Quis nescit, quis ille Parvulus sit natus & datus nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocatur Admirabilis, Consiliarius, Deus, Princeps Pacis, Pater futuri sæculi? Quis ignorat Novum quod fecit Dominus super terram, quæ nimirum illa sit fæmina, quæ circumdedit virum? Cui ignota est interpretatio, Madentis nunc Areæ, nunc Velleris Gedeonici? Quis nescit quis sit Mons Domûs Domini elevatus in vertice montium? quæ sit Porta Orientalis clausa omnibus, soli pervia Principi? quæ sit virga Aaron, quæ absque radice floruit, fronduit, & fructum protulit? Quis sit Rubus ardens incombustus?

Quis

Quis nescit quæ sit stella orta ex Jacob. Qui sint Reges Tharsis & Insulæ munera offerentes, Aurum, & Thus deferentes? Quis sit Dux ex Bethleem egressus, qui regat Populum Israel? Quis sit ille vir dolorum, & sciens infirmitatem, quasi leprosus, & percussus à Deo, ac humiliatus? Quis sit ille quasi Ovis ad occisionem ductus, & quasi Agnus coram tondente se mutus, cujus judicium in humilitate sublatum est? Quis sit ille justus circumventus tanquam inutilis, & operibus impiorum contrarius, improperans eis peccata legis, qui filium Dei se nominavit, gravis iniquis ad videndum, turpissimâ morte condemnatus? Quod sit illud sacrificiũ vespertinum? quod Thymiama ex minutissimis pulveribus specierum pretiosissimarum confectum & incensum? Quid quinq; Civitates refugii? Quid reditus homicidarum & maleficorum ad Patriam post mortem summi Sacerdotis? Quid ostium in Arcæ Noëticæ latere? Quid Eva de Costa dormientis Adæ ædificata? Quid Noë ebrius & dormiens ac nudatus, à filio nequam irrisus & illusus?

Quis nescit Fidelium, quis sit ille Mors mortis, & morsus inferni? Quis sit ille qui in fortitudine sua descendit in profundum laci, in quo non erat aqua, & populum, qui inibi sedebat in tenebris, luce magnâ perfudit, & in libertatem beatitudinis æternæ produxit? Quis nescit quis ille Catulus Leonis dormiens, & à nemine præterquam à se ipso suscitatus est? Quis Samson mediâ nocte de somno consurgens, & portas Philistæorum cum postibus effringens, & exportans? Quis nescit quæ sit illa Gloria, & quod Psalterium, atque Cythara exsurgens diluculo?

Denique (ut finem recensendi faciamus) quis ignorat fidelium Christi hodie, viam Aquilæ in cælo? Itemque Audiatorem Populi, Ascensorem Cæli? Itemque illum Ascendentem in altum, & Captivam Captivitatem ducentem? Itemque illum Regem Gloriæ, ac Dominum virtutum, fortem ac potentem in prælio, cui jubentur aperiri portæ Iustitiæ, & elevari portæ æternales? Itemq; illum, cui datæ sunt Gentes in hæreditatem, & termini terræ in possessionem, & reget eas in virga ferrea. Item illum Dominum, cujus dies magnus juxta est, & velox nimis? vox diei ejus amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ. Qui & congregabit omnes gentes, & deducet eas in vallem Josaphat, & disceptabit cum eis ibi.

Ecce ista sunt sive Sigilla, sive arcana fidei salutisque nostræ, sive Divinæ circa salutem nostram Providentiæ opera, quæ per Incarnationem, Vitam, Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem Domini nostri JESU Christi universa patuerunt, Liberque ille, tantis, totque clausus signaculis, tantis, totque obseptus involucris, apertus est, ita ut merito velum Templi in morte Domini scissum fuerit à summo usque deorsum; tanquam significans, omnia jam Arcana veteris Synagogæ, per Christi mortem patuisse, nec jam oppandi iis velum ultra oportere.

Enimverò præter Arcana scripturarũ, præterque mysteria Divinorum circa nostram salutem decretorum & operum: patuerunt adhuc, per ejusdem Domini nostri vitam, Passionemque, alia quædam Sigilla altissimarum, & ab omnibus retrò ante Christum sæculis, nec auditarum, nec visarum, sed neque cogitatarum virtutum, atque Perfectionum, quæ meritò propter sui excellentiam sublimitatemq; quasi sub signaculo ante Christum fuerunt, in vita autem & Passione Christi luculentissime patuerunt; neque patuerunt tantùm, sed etiam operabiles imitabilesque factæ sunt, omnibus volentibus, quarum admirandam, tum celsitudinem, tum arcanitatem, tum etiam honestatem, Dominus ostendere, & exprimere volens eas Beatitudines vocavit, & non præcepta sed consilia esse voluit.

Quis quæso ante Christum evulgavit. *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Et. *Si vis perfectus esse: vade, vende omnia quæ habes, & da Pauperibus & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Et. *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius Hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes judicantes duodecim tribus Israel.* Et: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit?* Quis ante Christum enuntiavit? *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Et. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde?* Quis ante Christum in abnegatione suî, in abjectione honorum, in novissimi loci confessusque ambitione, in eâ nuditate, & paupertate, ut nec locum capiti reclinando reliquũ habeas, beatitudinem esse ostendit? Abscònsa hæc fuêre à sapientibus & pruden-

tibus: revelata autem parvulis, revelata autem per vitam, & Passionem, Exemplaque ac Mores Jesu Christi: revelata autem cum adeò efficaci suavitate, suavique efficacitate, ut mox imitatores exzecutoresque haberent.

Quis ante Christum Mansuetudini nesciæ lædi, & irasci, & ulcisci, inesse beatitudinem, & terræ possessionem revelavit, aut sensit? Cùm sensu vulgari, Mansuetudo vel maximè injuriis, rapinis, deprædationibus, & vexationibus exposita sit, ignaviaque ac stupor reputetur? Atqui, alius est Christi sensus, alia Doctrina, alia exempla. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus vos.* Et. *qui te percutit in maxillam, præbe ei & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.*

Quid apud Homines jucundius risu, lætitiis, & lautitiis, atque consolationibus, & opulentiâ, ac prosperitate? quid contra miserabilius luctu, ploratu, gemitibus, & fletu? At Christus verbo & opere suo contrarium revelavit. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, qui esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* E contrario autem. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur.* Christum risisse, nunquam legimus: flevisse sæpius: adeò, ut ipsam Passionem suam, Oratione, lachrymis, & clamore valido conclusisse, testetur Apostolus.

In siti & fame Justitiæ, beatitudinem sitam, Christi sensus & doctrina est. Doctrina autem non minus verbo, quàm opere, non minus sermone, quàm Passione propter Justitiam sancita & tradita. Hæc est illa sitis Christi in Cruce, cui & immortuus est. Hæc illa est fames, cui nonnisi ab impletione voluntatis paternæ, levamen satietatis fecit. Ergo Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam Dei: qui eligunt perdere vitam, ne perdant obedientiam. Quibus cibus & potus, & omnis sustentatio atque substantia est obedire Deo, ejusque mandata servare, & in ejus d lectione manere. Quibus gaudium & epulatio lauta est saginare Animas suas Divinâ voluntate, bonâ, & beneplacente, & etiam perfectâ: exuendo & exinaniendo proprias voluntates, perdendo animas suas, propter Deum, ut in vitam æternam inveniant & custodiant illas. *Verè Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini.* Justitia siquidem & Dei voluntas cibus

A est, non tantùm tunc quando impletur, verùm etiam quando esuritur: adeo ut ipsa esuries ejus, sit cibatio ejus, sit saginatio ejus: cui nihilominùs offertur & exhibetur Beatitudo æterna, tanquam expletio ejus.

Misericordiam super proximos quoscunque, Beatitudinem esse, certissimamque ad misericordiæ consecutionem methodum, nemo unquam pleniùs Christo declaravit, ac reseravit, tam verbo, quâ opere, atq; Passione, & Morte; ad quam una solaque Charitatis suæ Misericordia super nos, Christum perduxit. Vult Dominus misericordiam nostram extendi, B tam ad corporales, quàm ad spirituales proximorum necessitates, vult extendi eandem non tantùm ad notos, & amicos nostros, verùm etiam ad ignotos, etiam ad eos, qui non habent retribuere nobis; alioqui misericordia nostra gentilem non superabit. Vult quoque extendi nostrâ misericordiam Dominus etiam ad inimicos, ad malefacientes nobis, ad ingratos, ad maledicentes, ad convitiantes, ad malum pro bono reddentes: ut maledicentibus benedicamus, convitiantes honoremus, malefacientibus bene faciamus, detractores laudemus, inimicos & osores C amemus. injurantibus bonum pro malo reddamus, & malum in bono vincamus. Vult Dominus misericordiam nostram extendi usque ad ipsummet Dominum: ita nimirum eam exhibendo quibuslibet proximis, quasi illi non essent illi, sed in eis esset Christus, sed quasi quilibet eorum esset ipse Christus. Denique extendit extendique vult Dominus misericordiam nostram usque ad æmulationem, tum misericordiæ, tum perfectionis, tum naturæ, seu Filiationis Divinæ. Omnem enim misericordiam nostram esse vult, *ut* (*inquit*) *sitis Filii Patris vestri, qui in cœlis est,* D *qui solem suum facit oriri super bonos & malos. & pluit super justos & injustos, & benignus est, super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Quis autem ignorat talem per omnia fuisse misericordiam Christi ipsius, imò & multò majorem, atque altiorem: qui solem & imbrem salutis redéptionisque suæ profudit super nos, *per hoc commendans charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores & inimici essemus* imò & cùm deinceps futuri essemus, *pro nobis mortuus est.*

Cordis munditiem beatitudinem esse reseravit Christus, & visionem divinam promisit. Quam perfectionem etsi non igne-

ignotam habuit antiquitas: Orabat enim David Deum, *Cor mundum crea in me:* eam tamen cordis munditiem, quam Christus verbo & exemplo docuit ac ostendit: nec per somnium (ut ajunt) quis cogitavit unquam veterum. Mundities enim cordis à Christo laudata, adeò esse excelsa & superheroica debet, (adjuta præsertim religione voti) ut non tantùm excludat à corde omnia opera, verba, cogitationes, imaginationes, sensuumque externorum omnes illecebras, quovis modo etiam alioqui licito, nitorem oblædentes puritatis, & nidorem adflantes integritati: verùm etiam Corpus ipsum ita castificet in obsequium cordis, ut in carne non secundùm carnem militetur, ut instar cælestium incolarum, neque nubant, neque nubantur, sed sint sicut Angeli Dei, casti corpore & spiritu, mundi carne & mente, munditie, non ita quidem sicut Angeli felice, sed quàm Angeli fortiore. tali munditie, quæ non tantùm pro futura in cælis, at etiam pro præsenti in terris vita, oculos ad videndum Deum purificet, nomenque melius à filiis & filiabus conferat, demum merito incorruptionis Deo simillimum reddat. Deo inquam, non tantùm Virgini ex Virgine Incarnato, sed etiam Deo Trinitati, quoniam Prima Virgo Trinitas est.

Jam verò quid in Pacis amore, studio, custodia, & institutione sublimitatis lateat, nemo unquam cognovit satis ante Christum. Primus omnium Christus beatos pacificos dixit, primus Filios Dei, dignos tanto Patre pronuntiavit: primus etiam Pacificatoris munus in suos numeros, tanto utique muneri solos pares assumpsit, & perfecit. Quis enim hominum aut Angelorum idoneus fuit ad reconciliandum Deum mundo, & ad pacificandum diffidium mundi, à Deo? Ecce autem Princeps Pacis, & Salomon Pacificus *Christus pro nobis omnibus mortuus est, & ipse est Pax nostra: qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ* (iræ Dei, & offensæ mundi) *Solvens inimicitias in carne sua, ut duos condat in semetipso in unum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per Crucem: interficiens inimicitias in semetipso.* Unde etiam præparavit nobis Evāgelium pacis, instituens unum Pastorem se, unumque ovile nos, oves suas; unum caput se, nos verò unum corpus, & membra in uno corpore: edicens nobis: quia in hoc cognoscent omnes, quod discipuli ejus sumus, si dilectionem ad invicem habuerimus. Atq; hoc munus, imò hanc beatitudinem pacificationis, non tantùm commendavit, sed etiam imposuit nobis, *cum omni humilitate, & mansuetudine, & patientia supportemus invicem, in charitate, solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. ut omnes unum simus, sicut Pater in Christo, & Christus in Patre; ut & nos in nobis unum simus.* Nostra ergo pacificatio, nostra pacificationis beatitudo, nostra Dei Filiatio, in hoc sita est, ut ante omnia quidem, pacem dilectionis & subjectionis habeamus & servemus cum Deo; deinde pacem & unionem charitatis custodiamus cum omni proximo. *Hoc enim mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum:* adhuc autem & proximos nostros omnes, quod in nobis est, laboremus habere pacem cum Deo, tanquam ipso *exhortante per nos, Reconciliamini Deo.* Insuperque ut studio nostro, ipsi quoque proximi nostri, inter sese propter Deum pacem habeant in nomine Domini, *charitatem & humilitatem invicem insinuantes.* alterque alterius onera portantes, & nemini quidquam debentes, nisi ut invicem diligant, & sic legem Christi adimpleant, quoniam *qui diligit proximum legem implevit.* Atque hæc est Pacificorū regula: cujus regulæ summum exemplar Christus, cujus beatitudo, est illa, quia filii Dei erunt, & vocabuntur, & Christi fraternitatem sortientur.

Super omnia verò quæ Dominus noster Jesus Christus, misteria & enarravit, & evulgavit, illud est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa in cælis.* Admirabilitatem, altitudinem, abstractionem doctrinæ, virtutis, perfectionisque hujus exaggerare multis nihil attinet: satis sit dicere; Id genus sapientiæ, nunquam ulli in mentem venturum fuisse, nisi Unigenitus Dei, qui est in sinu Patris, illud enarässet, enarässet verò magis factis, quàm dictis, magis ipsâ inauditarum omnis generis calamitatum stupendâ perpessione, quàm exaggeratâ verborum affirmatione. Quâ docendi methodo per exemplar Passionis suæ, tantùm quidem profecit Dominus, Magisterque noster: ut exemplo ejus instructi, non dubitemus gloriari in tribulationibus, gaudere, atque etiam omne gaudium existimare, cùm in varias tentationes, tribulationes, persecutiones incidérimus, ut majorem felicitatem reputemus

Crucem pro Christo, quàm vitam cum Christo. Ut major sit nobis fames patiendi, quàm beatè vivendi, ut doleamus in patiendo pro Christo æternitatem non esse, sicut in gaudendo cum Christo scimus esse. Denique gloriatio nostra hæc est una, à qua absit omnis alia, gloriari in Cruce Domini nostri, Christo crucifigi in Cruce; ita, ut ibi sit animarum nostrarum possessio. Nam *in patientia vestra*, (ait Dominus nobis) *possidebitis animas vestras*. Ibi quoque perfectio virtutis nostræ: Nā *virtus in infirmitate perficitur*. Ibi potestas & potentia nostra: nam *cum infirmor, tunc potens sum*. Usque adeò Dominus Jesus omni genere bonorum atque beatitudinum adimplevit patientiam suam, hoc est, Crucem suam: quam ille pro nobis, gaudio sibi proposito; & confusione, quam furiosissima malitia, malitiosissimusque furor advenire, & inferre potuit, penitus contempta, sustinuit, & instar unius perjucundi calicis, poculique gratiosi exhausit.

Sunt adhuc complura ejusmodi arcanissima perfectionum & virtutum ornamenta, à Christo nobis patefacta atque resignata, in suæ vitæ Passionisque libro. Ut est Filiatio Dei, & cohæreditatio cum ipso Christo. nam *dedit nobis potestatem filios Dei fieri*. Item *ut simus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Est etiam tale illud: quia *ille est vitis, nos palmites*, & sine eò nihil possumus facere. Tale quoque illud. *Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus*, quod debuimus facere fecimus. Tale illud. *Nolite gaudere in hoc quia dæmonia subjiciuntur vobis*, sed *in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo*. Tale illud. *Nescitis cujus spiritus estis. filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Tale illud. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, post hæc autem non habent quid faciant. Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere animam in gehennam*. Tale illud. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Tale est illud. *Misericordiam volo & non Sacrificium*. Tale est etiam illud. *Si pes tuus, aut manus tuá, aut oculus tuus scandalisat te, abscinde, & erue illum, & projice abs te, bonum est tibi claudum, mancum, cæcum intrare in vitam æternam, quàm duos oculos, aut manus, aut pedes habentem mitti in gehennam*. Tale illud. *Contendite intrare per angustam portam*, quàm angusta est porta, *& arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*.

Tale est illud. *Facilius est camelum ingredi* A *per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cælorum*. Tale illud quoque. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*. Tale illud. *Omnis qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*.

Sed enim finienda est aliquando hæc enumeratio admirandarum perfectionum Christianarum, quas nobis Christus, quâ verbo, quâ exemplo, in admirabili vitæ Passionisque suæ libro reseravit, & stylo hominis scripta legendaque, operibus autem nostris, à nobis exprimenda & exaranda proposuit.

B Quia vero Dominus Jesus, profitetur sæpius, se veniendo in mundum, & vivendo in eo, manifestâsse nomen Patris, hoc est Divinitatis ejus, & perfectionum arcana evulgâsse, ac nota fecisse hominibus: unamque & solam ejus gloriam quæsivisse; tum etiam voluntatis ejus executione tanquam substantioso & vitali cibo vixisse; proderit etiam hunc catalogum Divinarum magnitudinum saltem perstringendo recensere.

Ergo ex libro vitæ Passionisque Jesu Christi scimus. 1. Quia Deus noster est Trinus & unus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, in cujus nomine, & baptizari atque renasci nos oportet ut salvi fiamus. C Scimus 2. Quia Pater & Filius unum sunt, & omnia quæ habet Pater Filii sunt, & omnia quæ Filii sunt, Patris quoque sunt. Scimus 3. Quia sic Deus Pater dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum. Scimus 4. Quia Pater omne judicium dedit Filio: quia Filius hominis est. Scimus 5. Quia qui fecerit & servaverit sermones Domini Jesu: Pater cælestis diligit eum, & ad eum venient Pater, & Filius, simulque Spiritus Sanctus, & mansionem apud eum facient. D Scimus 6. Providentiam Dei infinitam circa nos, adeò ut neque passerculi sint in oblivione coram ipso, ut etiam capilli capitis nostri numerati sint, apud Deum, omnesque gressus nostros, non tantùm corporis, verùm etiam animæ dinumeratos habeat. Scimus 7. Altiorem aliam Dei Providentiam (complectendo nomine Providentiæ, Sapientiam, Misericordiam, Veritatem, Justitiam, Charitatem, Liberalitatem, Sustinentiam, & omnem penitus Bonitatem divinam) circa salutem nostram: quam tota Sanctissima Trinitas operata est, & usque modò operatur. Pater quidem Unigenitum Filium suum in mundum mittendo: Filius in mun-

in mundum veniendo, & carnem nostram ex purissima Virgine sumendo, Spiritus Sanctus Incarnationem Verbi in Virgine, ex Virgine, & cum Virgine operando. Pater propter scelus populi sui Filium tradendo, atque diris suppliciis percutiendo. Filius semetipsum, sponte ad perpessionem omnis humanæ calamitatis, demumque supplicii Crucis & mortis offerendo, sicque pro salute nostra sese hostiam & holocaustum Patri faciendo. Spiritus Sanctus ad salutem nostram consummandam descendendo, in nobis tanquam in templis manendo, nosque sanctificando, & sanctificationem hanc fovendo, augendo, totumque Ecclesiæ Christi Corpus gubernando, vivificando, consecrando, gratias omnibus fidelibus, ad operandam salutem suam elargiendo. Scimus 8. Ex Deo nos habere peccatorum remissionem, quinimmo & eorundem aliis remittendorum retinendorumque potestatem. Scimus 9. Habere nos præsentem nobiscum realiter, etsi invisibiliter Dominum nostrum Jesum Christum: dicente ipso. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* quæ mansio, non est tantùm per gratiam sanctificantem, sed etiam per Sacramentalem præsentiam in Eucharistiæ Sacramento, in quo Deus noster non solùm nobiscum, & inter nos, sed etiam in nobis manet, dans nobis carnem suam in cibum, & sanguinem in potum, quo alamur, vegetemur, roboremur, saginemur in vitam æternam, cujus pignus, unà cum resurrectione futura, est idem ipsum Sacramentum. Scimus 10. Habere nos sacrificium admirabile & ineffabile, unà cum Sacerdotio ad illius oblationem destinato, in quo offerimus ipsummet Unigenitum Filium Dei: modo per omnia stupendo, innovantes & repræsentantes incruentè, cruentum Christi sacrificium, in Cruce pro nobis ab ipso peractum. Quo Sacrificio unico quidem, sed omnia alia sacrificia evincente, & explente, placamus Deum, redimimus peccata, sanctificamus animas nostras, purgatorii pœnas sublevamus: totum humanum genus protegimus, Ecclesiam ditamus, & adjuvamus, Deum & sanctos omnes ejus, honoramus, lætificamusque.

Scimus 11. Christum Judicem venturum ad Judicium in consummatione sæculi, cum virtute & majestate magna & potestate: Judicaturum omnes vivos & mortuos, & dicturum his, qui à dextris ejus erunt, justis. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* illis verò qui a sinistris ejus erunt impiis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. & ibunt hi in combustionem æternam, Justi autem ibunt in vitam æternam.* Scimus denique 12. Deum esse & fore beatificatorem nostrum, atq; adeò beatitudinem ipsam æternam, cum quo regnabimus, & simul regnum ejus erimus: cujus regni non erit finis, in quo regno laudabimus, & amabimus, & superexaltabimus Deum nostrum in sæculorum sæcula, & ultra.

Atque hæc nobis, Unigenitus qui est in sinu Patris, qui Incarnatus & Passus est pro nobis, Sacramenta & arcana revelavit.

Parce, benigne Lector, quod hoc loco metas meas fortè excesserim, & calamo nonnihil indulserim: servire pietati tuæ indulgereque volui: quanquam si materiæ tractatæ ubertatem, dignitatemque dispexeris, justius forsitan copiam explicandi desiderabis, quàm fastidies.

MODUS XCVII.

Nonagesimus septimus Modus Passionem Dominicam meditandi est, de variis & salutaribus Modis Passionem Domini compensandi ipsi Christo.

Fundamentum hujus usûs ac simul meditationis, est notitia Passionis Domini nostri, quæ non tantum complecti debet cognitionem historicam eorum quæ Passus Dominus, verùm etiam conditionum & circumstantiarum inter hæc intervenientium: v. g. Dignitatis, Innocentiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Beneficentiæ, Sanctitatis, Potestatis, ejus, qui Passus est: è contra Malitiæ, Vilitatis, Odii, Invidiæ, Virulentiæ, Ingratitudinis horum, à quibus passus est. De quibus conditionibus, aliisque pluribus, sicuti & de causis Passionis, in superioribus satis actum est.

Notitiam hanc fides comitari & perficere debet, Fides inquam Divina & supernaturalis, ut nempe credamus, hæc quæ Passus est Dominus noster omnia, & credamus, eum Passum esse Deum-Hominem, ex amore Patris Æterni atque obedientia, ex amore quoque nostrî propter Patrem Æternum; ex amore, inquam, salutis & Redemptionis nostræ, à morte

pecca-

peccati, à morte corporis, demumque à morte æternæ damnationis; propter eximendos nos à diabolica potestate, propter conciliandos nos Deo, & pro acquirendo nobis Beatitudinis æternæ Regno. Nullo nostro merito apud Deum, imò inter multa demerita nostra. Nullo fructu Christi neque necessitate; sed solius charitatis & miserationis ejus super nos; inductione. Tum etiam adimplendæ veritatis figurarum, promissionum, prædictionumque gratiâ: Quæ omnia credenda sunt propter revelationem à prima veritate factam, Ecclesiâ Dei proponente.

Fidem, sequi debet æstimatio & appretiatio eorum, quæ Dominus noster Passus est. Tantus nimirum, & tanta, & pro tantillis, & pro tantis nostris bonis atq; commodis; & quibus nulla possit assignari ne quidem in minima proportione æstimatio, ne dum compensatio. Hæc æstimatio, & appretiatio Passionis & eorum quæ Passus est Dominus, quantò erit major & vivacior, & condignior (nulla autem esse unquam potest, poteritve adæquatè condigna, ne quidem ab omnibus Creaturis) tantò nostra, ad, & circa, Passionem Domini, ipsumque Passum Dominum, occupatio, & affectio, erit, & Deo Christoque gratior, atque gloriosior, & nobis salubrior, utilior, meritisque & virtute Passionis ipsius gravidior.

Hanc æstimationem & appretiationem Passionis Domini comitari, & velut fermentare, perficere ac vegetare debet, Amor reciprocus Passi tanta, propter nos tales, tanti Domini, atque Dei nostri. Amavit nos viliores ipsâ vilitate vermiculos, amavit inquam nos Charitas, amavit Immensitas, & amavit tam ardenter, tam potenter, tam profusè, atque prodigè: saltem ergo rependamus vicem cum mensura, cum mensura, cum mensura, tamen semper pleniori, semper ardentiori, semper superfluentiori.

Amori porrò & æstimationi, ne fortè sit sterilis, adjungatur recompensationis cura, atque recompensatio ipsa, quæ remordebat Davidem cum dicebat. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi:* non tantùm dando mihi beneficia sua, sed faciendo etiam beneficium meum semetipsum: & faciendo per Amaram, per Infamem, per Indignam, per Enormem, per Parricidalem, per Ingratissimam per Excessivam, per Infinitis modis exaggeratam, tam ex parte Charitatis Dei & Christi, quàm ex parte indignitatis nostræ, quam ex parte virulentiæ furorisque inimicorum, quàm ex parte summorum omnemque æstimationem infinities evincentium fructuum suorum, Passionem. Ejus recõpensationis modum unum præcipuum, ac tum sibi gratissimum, tum nobis saluberrimum designavit atque designavit atque demandavit nobis ipse Dominus dicens. *Hoc facite in meam commemorationem.* Significans oblationem Sanctissimi Sacrificii ex pane, & vino, in quo repræsentetur, atque etiam repetatur universa Passio & Mors sua, sacrificiumque cruentum à se in Cruce perfectum, esse, & fore sibi convenientissimum, gloriosissimum, gratiosissimumque modum, quo ei Passio sua universa cum morte poterit, ac debebit à nobis usque ad consummationem sæculi recompensari.

Huic modo vicinus, imò conjunctus, atque pars ejus, est Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti devota, famelica, ardens, nec infrequens, semper autem Charitate atque Humilitate sublimatior, atque perfectior sumptio, & manducatio.

Tertius modus recompensationis est, Meditatio atque recogitatio jugis, & quàm fieri potest perennis Dominicæ Passionis. Ad hoc est enim institutum Iuge sacrificium Missæ in Ecclesia sua ab ipso Christo, ut nulla dies esset in tota Ecclesia Christi, quâ in hoc Sacrificio non repræsentaretur à Sacerdotibus, & non recoleretur à fidelibus Passio & Mors Domini Salvatorisque nostri. Hoc etiã vult sibi monitum illud Apostolicum. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversùm semetipsum contradictionem.* Sicuti & illud aliud, Divinum pariter. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Ad quod meditationis ejusque materiæ genus aspirabat vehementer Beatus Job. dum ita anhelabat: *Quis mihi tribuat auditorem? ut desiderium meum audiat omnipotens, ut librum scribat ipse qui judicat. Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum; & quasi Principi offeram eum.* Quibus votis suis Beatus Patriarcha, non solùm vota sua ad meditandam Redemptoris sui Passionem exaggerat, verùm etiam modum, etiam affectum, etiam effectum, & fructum, quo meditaturus sit, eximiè denuntiat: in quo toto negotio æquissimum est, ut eum nos quoque imitemur: non solùm memoriam aut mentem meditatione Passionis Christi occupando, verùm etiam humerorum robore, manuumque labore, sine lassitudine, & requie, dignas Christo Cruci-

Crucifixo operationes, imò verò & Passiones suscipiendo, & sustinendo: cum ea mentis corporisque etiam hilaritate, & promptitudine, ut planè *absit nobis gloriari in ullo alio, nisi in Cruce Domini nostri IESU Christi.* Sed ipse sit nobis Corona Capitis, ipse merces laboris, ipse præmium sufferentiæ propter ipsum: proficiendo semper in hoc studio: & gradus atque ascensiones in ejus decursu faciendo, superando, transcendendo, ut sic quam maximè Princeps Crucifixorum *formetur Christus in nobis* ipseque sit sibi veluti munus, ac præmium, & pignus suum in nobis, à nobis.

Præter hos modos Cõpensationis Passionis Dominicæ, est Gratitudo atq; Actio gratiarum: actio inquam, talis scilicet, quæ non solùm animo & memoriâ gratias cogitante, nec solùm ore gratias fundente, sed multò magis operatione assiduâ, singulari, exquisitè devotâ & liberali, gratias pro Passione (quæ gratia gratiarum, & omnium fons gratiarum est) exhibente perficiatur. Hoc enim genus, & hic modus gratiarum actionis, tum perfectissimus, tum Christo Domino debitissimus juxta ac gratissimus est. Opera gratiarum actionis præstare, atque (ut nuper dicebam) in humero Passum JESUM, & Passionem circumferre, animo & spiritu gratitudinis indesinentis, nec unquã sibi satisfacientis plenissimo, & ditissimo. Et possunt quidem in censum operum gratiarum actionis venire omnia vitæ nostræ opera, etiam ex se indifferentia (tantummodò non ex se, modove agendi mala & depravata) bonitate intentionis idoneæ imbuta, & sublimata: nihilominùs præcipuum hic locum, primamque gratiam obtinent opera tum Pœnitentiæ emendationisque morum: tum exercitationis virtutum & perfectionis, tum Patientiæ, sive voluntariè susceptarum afflictionum corporis aut animæ, sive etiam aliunde, (à Deo puta, aut a Creaturis, permittente Deo) oblatarum, atque in fortunas, in corpus, in animam, in Spiritum, in honorem, in libertatem nostram, vel eorum qui nostri sunt, incidentium adversitatum, ærumnarumque. Quarum toleratio cum Christiana magnanimitate, (scilicet modestè, mansuetè, humiliter, hilariter, libenter, avidè, & cum gustu, constantia, ampliorumque desiderio, eorum quoq; qui authores fortè sint, amante, ac omne malum in bono vincente animo) suscepta & perfecta, atque Christi Passionis amore & imitatione condita, ipsiusque Christi gustui exhibita: superat omne, quidquid præsens vita gratum, pretiosumque Divinæ offerre prævalet Majestati.

Quintus Modus Recompensationis Passionem suam Domino Iesu Christo, est ille Apostolicus, sive ille quem Paulus Apostolus, neque is solus, sed pariter cum omnibus Apostolis, & cum his omnes Apostolico officio, animo, laboribusque præditi, & exerciti, jam inde à nata Christi Ecclesia, usque huc tenuerunt, & ad finem sæculi tenebunt. Graphice illum Apostolus Paulus denarrat, cùm ait. *Nunc gaudeo in Passionibus pro vobis, &* (seu, quoniam) *adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Laborare circa conversionem animarum ad Deum, & circa salutem perfectionemque conversarum jam, atque credentium in Christum, desudare, eoque nomine persecutiones, tribulationes, cruces, verbera, vulnera, mortes, vel exilia, proscriptiones, maledicta, calumnias, censuras, detractiones, irrisiones, oppugnationes, impedimenta, falsa testimonia, & interpretationes, labores, sudores, fatigationes, libenter & infatigabiliter devorare, atque cum Apostolo, filios, iterum iterumque Christo parturire, donec Christus in eis formetur, & crescat in viros perfectos, in mensuram ætatis plenitudinis virtutum suarum: id verè est compensare Passionem suam Christo: imò id verè est supplere & adimplere ea quæ desunt Passionibus, & Cruci, atque Morti Christi, desunt autem ad hoc, ut Passio, & Crux, & Mors Christi, ex sese licet per omnia satisfactioni pro toto mundo, quin & pro infinitis mundis superexcessivè sufficientissima, tamen quantùm ad suum effectum, & effectûs propagationem, applicetur hominibus re ipsa, & in Ecclesiam, quæ est Corpus Christi, itemque in Ecclesiæ filios, qui sunt membra corporis, cujus caput est Christus, derivetur; quæ applicatio Passionis & Mortis Christi, atque ejus derivatio in Ecclesiam, & filios Ecclesiæ, non est facta actualiter ab ipso Christo, qui *resurgens ex mortuis, jam ultra non moritur,* (Rom. 6. 9.) neque patitur in semetipso, suaque persona: sed faciendum disposuit, & commisit Apostolis, & eorum Successoribus in Apostolatûs munere, & opere, per omnes gentes, per omnia tempora, quibus annuntiandum fuit, & est, Evangelium simulque Passiones, & Mors, atque Crux Christi, ejusque efficacia applicanda, &

da, & derivanda in omnes Ecclesiæ partes, & filios, usque ad sæculi consummationem. Quæ annuntiatio Evangelii atq; mortis Christi, applicatioque, & communicatio virtutis & efficaciæ ejus, quia nō poterat, neque debebat esse absque laboribus, & tribulationibus, & persecutionibus, & passionibus, cædibusque, tam Apostolorum, quàm Apostolicorum Successorum, uti & Christus prædixerat promiseratque, & re ipsâ eventus docuit, & in hanc usque diem docet, ac porrò ad finem mundi docebit, ideo Paulus consors & particeps factus laborum tribulationumque pro nomine Jesu Christi, proque conversione gentium, & pro conversis jam ad Christum, nec non pro congregatis ad Ecclesiam Christi, fidenter affirmat de se. *Nunc gaudeo in Passionibus pro vobis, quoniam adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* (*Colos. 1. 24*) Passus est Christus redundantissime ad satisfactionem reconciliationemque totius mundi. Passus est Apostolus, omnesque Apostoli, & omnes Apostolorum asseclæ passi sunt, habentque necesse pati, ut ipsa Passionis Christi satisfactio, & efficacitatis ejus communicatio, fiat pervadatque in homines, in gentes, in Ecclesiam, in ejus filios, in membra Corporis Christi, cujus Caput est Christus. Et omnes quicunque aliquando, & alicubi, annuntiaverint Christum, propterea persecutionem patientur, propterea adimplebunt in carne sua, & in personis suis, ea quæ desunt Passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Christus enim, sicut salutem hominum nonnisi per humiliationem, & exinanitionem sui, non nisi per Passionem Crucis & mortem, non nisi per charitatem, quâ animam suam posuit pro nobis adhuc inimicis, peragere voluit, ac re ipsâ peregit: ita hujus ipsius salutis humanæ per se peractæ, in homines derivationem, atque communicationem non aliter peragi voluit, & ad usque finem mundi vult, nisi per humiliationes & contemptus, per tribulationes, & persecutionum passiones, per dilectionem ipsâ morte fortiorem, eorum *qui pro Christo fungerentur & funguntur legatione ad homines, tanquam* A *Deo exhortante per eos: Reconciliamini Deo.*

Quisquis ergo ex Amatoribus Christi, vel pro conversione infidelium quorumcunque ad Christum, vel pro conversione peccatorum ad pœnitentiam melioremque vitam, vel pro conservatione aut promotione bonorum & justorum ad sanctitatem vitæ perfectionemque virtutum, vel pro persuasione amplectendorū consiliorum Christi, vitæque mundo contemptæ, & simul mundum contemnentis, atq; Crucem Christi amplectentis, & jugiter in corpore suo circumferentis, vel quovis modo in salutem æternam proximorum suorum, docendo, prædicando, con- B fessiones audiendo, rudimenta fidei Christianæ, rudibus tradendo, hæreses & errores confutando, vitæ Sanctæ exempla præbendo, virtutum opera ad ædificationem aliorum faciendo, Dei gloriam promovendo, offensas Dei, legisque ejus Sanctissimæ violationes tollendo, aut impediendo, denique sobriè, justè, & piè vivendo, sicque perseverando, propter Christum Crucifixum constanter & ardenter satagit & laborat: is indubitatè adimplet ea, quæ desunt Passionum Christi in carne sua, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Omnes enim qui pie vivere volunt* C *in Christo, persecutionem patientur*, quod si hi, qui solùm ipsos se pie vivere in Christo curant, ista sors manet, quantò magis omnes eos, qui non solùm semetipsos, sed & quam plurimos alios contendunt insatiabiliter adducere ad fidem, spem, dilectionem, mortificationem, obedientiam, patientiam, imitationemque Christi Crucifixi, privilegium, (sed & præmium) tolerantiæ persecutionum, nec non gratiâ atque gloriâ adimpletionis in carne sua Christi passionum, eadem conditio exspectat.

His ergo modis potest à quolibet de- D voto Passionis Christi Meditatore compensari salubriter Passio Christi, ipsâ Passione Christi, seu Passione pro Christo, ad quod enixè constanterque præstandum excitare cujusvis animum meliùs sufficientiùsque nihil ex parte nostra potest, ac debet, quàm ipsa fervens, devota, & frequentata Passionis meditatio.

MO-

MODVS XCVIII.

NOnagesimus octavus Passionem Domini meditandi Modus esse potest: Meditando dediscere ex ea Spiritum hujus mundi, persuasionesque amatoribus mundi usitatas: addiscere autem Spiritum Christi verum, & proprium, ut ad normam ejus tum sapiamus, tum vitam præsentem vivamus. Frequens est hæc meditandi Passionem Dumini ratio apud Patres, & absolutè breviterque loquar, in hunc ferè potissimum finem, suas de Dominica Passione cogitationes, tractationesque destinare consueverunt. Neque sine justa ratione.

Primò namque certum & indubitatum est, tam ex evidentia rationis & naturæ Dei atque creaturæ; quàm ex assertione Sacrarum literarum, alium & disparem esse Spiritum, sapientiam, sensumq; Dei, à judicio, & sensu, Spirituque hominum, & mundi. *Non enim cogitationes meæ* (ait per Isaiam Deus) *cogitationes vestræ: neq; viæ vestræ, viæ meæ. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris.*

Deinde, certum est, utrumque hunc spiritum, Divinum nempe & Humanum, non tantùm dispares, & diversos, sed etiam adversos, & planè repugnantes esse, sibi mutuò: ita ut quod Spiritui Divino rectũ, hoc humano obliquum: quod spiritui humano justum, hoc Divino iniquum: quod Spiritui Divino sapiens, id humano spiritui stultum ac insipiens videatur.

Ita porrò hi Spiritus atque sensus sibi ad invicem repugnantes sunt, ut non alternent in sensu suo, quasi contingat alterum eorum nunc rectè, nunc pravè sentire, & contra, alium ubi prior rectè, hunc pravè, hunc sanè & rectè statuere: sed ita sibi invicem repugnant, ut Divinus Spiritus sensusque, semper & infallibiliter sit sanus, rectus, justus, Sanctus: neq; omnino possibile sit aliter se habere. Mundanus autem, ac humanus semper sit fallibilis & fallax, erroneus, perversus, vanus, insipiens, atque insipientia ipsa, & quem, non sit possibile, rectum esse, nisi consentiat subjectusque sit Spiritui Divino.

Quo fit ut secundùm hominem (& idem est, secundùm carnem, secundùm mundum, secundùmque diabolum) sapere, sit non sapere, sed desipere, sed errare, sed falli, sed pravum, & iniquum, & impium, injustumque esse. propter nimirum regulam sapiendi pravam, & iniquam. E contra autem fit exinde, ut secundùm Deum sapere, sit verè sapere, sit verè justum, rectum, prudentem, sapientem, sanctumque esse. Scilicet propter regulam sentiendi verè regulam, & regularum primam.

Inde Sapientia & Spiritus Dei, est Prima Ratio, est Prima veritas, est lux, & lex, est Iustitia, est Sanctitas, est Vita. Contra, sapientia hujus mundi, sapientia & spiritus hominis seu carnis, est mendacium, est vanitas, est tenebræ, est nox, est mors, est peccatum, est perditio, est stultitia, est insipientia.

Inde illa Sacræ Scripturæ enuntiata frequentissima. *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum.* Et. *Dominus scit cogitationes hominum.* (Sapientium, habet Paulus) *quoniam vanæ sunt.* Et Christus Petro. *Vade retrò Sathana, scandalum es mihi: non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Et aliàs discipulis. *Nescitis inquit, cujus spiritûs estis:* tum etiam iisdem disceptantibus, quis eorum esset major, ait: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.*

Quia verò sapientiam & Spiritum Dei inter homines reperire usq; adeò rarum, adeò parcum, adeò prope nuspiam licebat: dicente & inquirente scripturâ. *Sapientia vera ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit non est in me: & mare loquitur non est mecum &c.* Et rursum alibi. *Non est qui possit scire vias Sapientiæ, neque qui exquirat semitas ejus. Sed qui scit universa: novit eam.* E contra autem toto ferè mundo diffusa dominabatur sapientia carnis, & spiritus hominum, & mundi prudentia, cum suo Principe diabolo; nec erat modus, aut ratio, consequenter neque spes salutis aut vitæ: sed omnia occupabant tenebræ, & mors, & perditio, & insipientia, & cæcitas, & mendacium, & iniquitas. Ideo tandem *tempora* & sæcula *hujus ignorantiæ despiciens,* ac miserans Deus, non ampliùs, sicut *in præteritis generationibus, dimisit omnes gentes ingredi vias suas, sed misit* Filium suum IESUM in terras, & cum eo Spiritum suum, rectum, sanctum, principalem, Spiritum Filii, Spiritum reconciliationis, & simul Spiritum Sapientiæ, Intellectûs, & Scientiæ: Spiritum Consilii, Fortitudinis, Pietatis, & Timoris Dei. Spiritum quem mundus non potest aecipere, neque no-

vit eum, neque scit eum. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo*: testimonium perhibente illi Patre suo de cælis ac dicente. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ipsum audite.*

Iste itaque Filius Dei, veniens in mundum hunc, & VERBUM Caro factum, tanquam Magister à Deo, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, factus est via, veritas, & vita: via quidem in exemplo, veritas in verbo, vita in præmio; omnem doctrinam, per omnia mundi, & Carnis, & sensûs, & hominum doctrinæ contrariam, tradidit nobis, in omni quidem vita sua, omnibusque operibus vitæ suæ, at super omnia, in extrema clausula, hoc est, in tempore Passionis & mortis suæ.

De qua re tanquam supra modum manifesta, & nota in lege Christiana, non libet mea interponere plura verba: libet tamen Augustini præclara apponere sensa. Sic ergo Sanctus Doctor, cũ dixisset, quod Deus *nullo modo* beneficentiùs consuluit generi humano, quam cùm ipsa Dei Sapientia, id est Unicus Filius, Consubstantialis Patri, & Coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & *VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis*. Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus mente intueri veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas, haberet Humana natura, per hoc quod hominibus in vero Homine apparuit: siquidem ipsa natura suscipienda erat, quæ liberanda. Miraculis conciliavit fidem Deo qui erat, passione Homini quem gerebat. post alia enarrat; quomodo hic ipse Deus Homo, contrariam per omnia spiritui Carnis, atque mundi viam adinvenit, initq; ipse, & nobis tradidit, tam in vivendo, sive agendo, quàm in patiendo, atque moriendo. Satellites, inquit, voluptatum divitias, perniciosè populi appetebant: Pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant? Rex esse noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant? tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant? omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur? quæ major injuria, quam justum, innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur? Flagellatus atque Cruciatus est. Mori metuebant? Morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus Crucem putabant? Crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit; aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

Quam disciplinā nisi Homines à Christo Incarnato, Passo, Crucifixo, Mortuo redempti, in Christo renati, Christumq; induti, quàm plenissimè, quamque tenacissime tenuerint, impossibile est eos ad optatam salutem, beatitudinemque pervenire. Si enim Christus Redemptor est sapientia; desipit quisquis cum eo non sapit. Si Christus est via; errat qui aliâ progreditur. Si Christus est veritas; ignorans est qui illi non credit. Si Christus est vita; periit quisquis ad eum non pervenit. Si Christus est lux; in tenebris est, qui cum eo non est. Si Christus est Iustitia; iniquus est, qui illum non tenet. Si Christus est Pastor; ad lupum pertinet, qui de ovibus ejus non est. Si Christus est Magister: de Schola diaboli est, qui non est discipulus ejus. Denique si Christus Caput est; non est de corpore ejus, qui non est membrum ejus, quod si non est membrum ejus; non etiam vegetatur de spiritu ejus. *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Hic Sapientia est, & hic est sensus, qui habet Sapientiam.*

MODUS XCIX.

NOnagesimus nonus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse poterit; Comparando Passionem Christi, quatuor temporibus anni communis. nẽpe Veri, Æstati, Autumno, Hyemi. Non est enim insolens apud Sanctos Patres atq; interpretes, totam Redemptionis nostræ seriem, atque adeò historiam contemplari in Cosmopoeia: itemque Incarnati VERBI mysterium opusque universum, agnoscere inumbratum conditione visibilis & naturalis mundi: ipsa quoq; temporum in hoc universo discrimina, in salutis nostræ Authore, operibusque illius cogno-

cognoscere. Particulam ergo hujusce contemplationis rudiusculè & pro captu nostro sectando, licebit meditando vestigare quatuor ista vulgaris Anni tempora, per similitudinem mysticam, tam in vita, quàm præcipuè specialiterque in Passione Domini.

Ac Primò, nihil vetat Exordiis vitæ Christi Hyemem attribuere: cùm constet revera hyemem mundi, fuisse Natali Domini nostri in mundum destinatam, Christumque de facto hyemali tempore in mundum hunc nascendo prodiisse. Erat verò tunc simul hyems altera rigidior longè, atque immitior, quando nimirum toto terrarum orbe, universum humanum genus, in rigidissimum Idololatriæ & Ignorantiæ Dei gelu concreverat; tota filiorum Adæ progenies, in sævissimam simul ac sterilissimam brumam, vitiosissimæ ac profligantissimæ universim vitæ abierat. Omnes declinaverant, omnes inutiles facti erant. Non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum. Ipsa quin etiam Iudæa gens, in qua sola notus utcunque Deus, & manifestatio legis ac judiciorum, voluntatumque ejus remanebat, vix exiguis, iisque multùm depravatis partibus, veræ pietatis ac religionis tenorem residuum habebat. Quā pigrum frigus tenuerit illum ipsum Dei licet populum, hinc satis constat, quia & appropinquantis Messiæ adventûs, a Prophetis sibi prænuntiatum tempus custodire neglexit, & jam venientem, atque adeo natum eundem, quem Orientalibus Magis, pæne digito in Bethleem ostendebant, ipsi tamen cognoscere, adire, venerari neglexerunt. Talis & illa hyems in Populo Judaico fuit, quæ primos Martyrum flores, tanquam in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, persequentibus cum Herode asseclis ejus, Animamque Nati Pueri Salvatoris ac sui Regis quærentibus, vecorde pruina decoxit. Ipsū verò Christum eadem crudelitatis velut hyemis asperitas, in exilium Ægyptiacum, media nocte compulit. Postquam rediens Angelus, reditumque in terram Israel indicens, ait. *Vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* quod fuit dicere. *Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit.* Denique vita ad Annum trigesimum usque Domini abscondita, quid aliud, nisi veluti hyemali frigore arctata, & occulta fuit?

Vitam Domini nostri ab anno trigesimo, tempori Verno assimilare libet. Tunc enim Dominus nostèr exiit tanquam qui seminat seminare semen suum: tunc exiit conducere operarios in vineam suam, tunc (inquam) cæpit circuire Vicos, Castella, Civitates, & prædicare illis Evangelium Regni cœlestis, promulgare populis legem vitæ, atque disciplinæ salutaris & non solvere legem, sed adimplere. Tunc pertransiit ad pœnitentiam adhortando, ab insolitis vitiis dehortando, ad novitatem vitæ vocando, viam Dei in veritate, & mansuetudine docendo, & simul benefaciendo, sanando etiam omnes languores, omnesque oppressos a diabolo, usque dum aliquanti flores apparerent in terra, usque dum regiones albescere jam inciperent ad messem, usque dum partim Apostolorum, partim discipulorum, partim cæterorum fidelium, aliquantulus extaret numerus, obstrepente invidiâ: *Ecce mundus totus post eum abiit.*

Passionem Domini Nostri: Æstivum tempus cogitemus. In Passione enim sua Christus, Justitiæ ac Misericordiæ Charitatisque suæ, ad summum usque intendit æstum, & in Auge planè solem suum evexit, super bonos & malos, super Iustos & Injustos. An non æstas fuit, omnique æstu major æstus ille, quo Dominus Desiderio desideravit Pascha manducare cum discipulis antequam pateretur? Non æstas erat, quando Dominus cùm dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos? Non erat æstas & æstus, quando Dominus à mensa consurgens, vestimenta deposuit tanquam calore exundans, & aquâ in pelvim effusâ, lavit pedes discipulorum ad eos abjectus, & veluti ab humano humilive loco refrigerium captans? Non æstas erat in corde Boni Jesu, quando instituto Sacrificio atque Sacramento mirabili, Corporis & Sanguinis, quidquid potuit, quidquid in omni substantia sua habuit, totum cogente charitate profudit pro dilectione? Non æstas, aut non æstus ardorque fuit, quando longissimum ideoq; suavissimum illum Charitatis, sermonem? an ardorem? eructavit ipsa illa, quæ ex Deo est, Christi, seu potiùs, Christus Charitas? Fuitne illa æstas & æstus, quando ingressus hortum, montemq; myrrhæ, messuit myrrham suam, avulsus à discipulis, & prolixiùs orans, stratus super terram; ut nimirum calefaceret eam, refrigesceret autem, ab ea factus in agonia, factus quoque est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Æstusne ille fuit, quo percitus processit obviam

viam hostibus, & Judam proditorem amicitiâ & osculo dignatus, prostratosque hostes verbo suo, mox erexit, & ad sua vincula admisit? Pergat hunc in modum anima devota per totum Passionis Jesu tractum, & æstum æstatemque charitatis ejus in singulis passibus periodisque contempletur, admiretur, veneretur, bibat, eoque deebrietur. Inveniet enim, per singula momenta, Charitatem Jesu æstuantiorem magis magisque fuisse, & de Jesu vincto victoque suo impotentiùs triumphâsse, usque dum in vertice Calvario, supra trabem Crucis elevatum, & undique dilectionis notis spectandum, ejusdemque clavis Cruci affixum, toti cœlo, totique terræ conspiciendum dedit, quosque, & quantos agere de Jesu amatore triumphos sibi licuisset, & exultabunda, atque gloriabunda, non tantùm non verecundaretur, verum etiam superbiret, & trophæa statueret, spoliaque detraheret, ac dispertiret: dicens. *Hæc est præda charitatis David; accipite de benedictionibus ejus.* Pater quidem Æternus Animam, Joannes Matrem, Latro Paradysum, Crucifixores Veniam, Centurio Fidem, Spectatores Pœnitentiam, Milites vestimenta, Mortui vitam, Arimathæus Corpus, Cælum Pacem, Mundus Restaurationem, Genus Humanum salutem, Captivi Patrum Spiritûs Libertatem, & simul Æternæ Beatitudinis Possessionem.

Ubicunque steterunt pedes Jesu, ubiq; Charitas ejus reliquit signa ardoris sui, æstûs sui, violentiæ atque victoriæ suæ. Ubicunque comparuit Amator Jesus, ibi messuit Myrrham primam, ibi botros racemavit, ibi torcularia redundantia vino calcavit, ibi opobalsamum sudavit, ibi ascendit in Palmam & fructus ejus apprehendit, ibi Rex Pacificus, magnificatus est vehementer, & apparuit diademate coronatus, ut in die desponsationis & lætitiæ cordis sui, propter filias Hierusalem.

Unde sive cogites, aut contempleris Agoniam & sanguinei sudoris balneas, sive vincula & catenas & verbera, sive furiosas raptationes, sive alapas, colaphos, vulsiones, consputationes; percussiones, sive adjuramenta, falsa testimonia, contumelias, calumnias, opprobria, mendacia, insultationes; sive illusiones, sive Barabbas, sive calumnias, sive flagellationis araturas, sive spinarum aculeos, sive coronas & purpuras, & adorationes, & arundinea sceptra, sive universorum populorum plena ad Crucis mortem suffragia, atque nonnisi pernicie Christi explenda quieturaque odiorum studia, sive damnationis decreta, sive patibuli gestationem, sive fel & acetum, sive nuditatem & verecundiam, sive clavos & vulnera, & sanguinem & Crucem: sive cum iniquis deputationem, & inter eos mediantem principatum, sive postrema linguarum jacula, venenata, & blasphemales injurias cruentificis plagis sæviores, sive sitim atque derelictionem, sive hostium tanquam votis suis abundè potitorum pœnisque suis exsaturatorum victricem lætitiam, sive postremam omnium mortem atq; sepulturam. Quidquid horum cogites nonnisi messem æstivam, æstuantis Charitate Jesu cogites: quàm ille demessuit usque ad novissimam spicam, usque ad minutissimum granum, ad unicum acinum, atque uvam. Donec omnia horreis divinis illata, & in officinis Redemptionis condita, & famelicâ sitibundaque charitatis ingluvie satiatâ atque saginatâ: ipsa demum, sciens quia consummata sunt omnia, & nihilominùs sitim suam testata, acetoque gustato solata, *Consummatum est*, proclamavit & denuntiavit.

Resurrectio Domini & quæ eam consecuta est multiplex apparitio, ac deinceps in cælos Ascensio, quin & Spiritûs Sancti ad Ecclesiam missio, sessio ad Patris dexteram, & quà mundi, quà specialiter Ecclesiæ ad finem mundi duratura gubernatio, deputetur Autumno ejusque similitudini comparetur. Omnia enim illa quæ Resurgens ex mortuis Dominus egit, & agit, & acturus est, non tantùm ad hujus sæculi finem, sed etiam toto illo futuro sæculo, quod nullum habebit finem, fructus sunt, & collectiones fructuum sunt, quos terra nostra sanguineis laboribus Christi nostri culta, arata, seminata, plantata, rigata, fœcundata, ad incrementum & maturitatem provecta, dedit, & dat, & dabit Agricolæ cælesti juxta illud. *Omnia poma, nova & vetera servavi tibi, Dilecte mi.* Omnia sunt vel fructus, vel merces, laborum, meritorumque Christi, omnia sunt vel opera, vel propagines operum Christi, donec veniat ille absque fine finis: *cùm tradiderit Christus Regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem: quando & positos habebit inimicos suos sub pedibus suis: ut sit Deus omnia in omnibus.*

Potest autem hæc ipsa Passionis Dominicæ comparatio ac meditatio, aliter paulo institui, secundùm eadem Anni tempora:

pora: ut Passio in Horto, sit Veri similis: quæ apud Annam & Caipham, & totâ nocte gesta sunt, Æstatem referant; quæ apud Herodem & Pilatum, Autumni similia sint. Quæ demum in Cruce & Morte, Hyems quædam sint Passionis.

A

Ea quæ in Horto Passus est, ver quoddam erant. Præludia enim (estò acerbissima, & usque ad mortem, usque ad sanguinem) præludia tamen & initia tantùm dolorum fuerunt, omnia illa quibus Hortus Humanitatis Christi, cum suis arbusculis, atque floribus præambulè arabatur, colebatur, seminabatur, rigabatur, ligabatur, circumfodiebatur, transferebatur. Quæ ante horam illam latebant in sola præscientia Domini omnium quæ ventura erant super eum: conclusa tanquam in necdum aperta ad germinandum humo; tunc pullulare cœperunt omnia, tunc enim cœpit Dominus Jesus pavere, tædere, contristari, & mœstus esse, tunc pavor mortis irruit super Animam Iusti nostri: tunc Oratio, tunc Calix inebrians, tunc Agonia, tunc Sudor sanguineus, tunc perfidiæ oscula, tunc Captivitas & vincula venerunt super nostrum Samson. Tunc etiam ignita licèt, abdita tamen aliquomodo Charitas Christi efflorescere, & veluti vernare manifestiùs, & efficaciùs incipiebat, atque primos suos fructus Cælesti Patri offerendo libabat.

Ea quæ Dominus Passus est in Annæ & Caiphæ domibus, Examina, Testimonia, Adjurationes, Judicia, Damnationes, Mortis decreta, Conspirationes, Consputationes, Velationes oculorum & faciei, Tunsiones, Vellicationes, Alapæ, Colaphi, Palmæ, omnesque injuriæ noctis, inter fæces satellitum rabidorum, totusq; ille nocturnus æstus potestatis tenebrarum, & furoris bullientis, odiique fervor, omnium, at præcipuè Principum, & Sacerdotum. Quo ita æstuabant, atque in tantam agebantur præcipitabanturq; festinationē, condemnandi quàm primum, atque ex vivis tollendi Christum, ut neque cœnandi, neque quiescendi sibimet spatium darent, sed eâdem unâque noctis parte, traditus, captus, adductus, accusatus, examinatus, judicatus, condemnatus, & nimirum tormentis (juxta illud, *contumelia & tormento interrogemus eum*) quæstionibusque subjectus, illudendus, & affligendus totam per residuam noctem relictus est. Summo deinde mane coacto iterum Concilio, iterum ab universo damnatus, raptim Pilato Præsidi oblatus, traditus, summariò accusatus, calumniis obrutus, odiis fatigatus, ad mortem Crucis omni iniquitatis conatu & studio postulatus, demumque adductus est. Revera Domine Jesu *æstuaverunt homines illi impii, æstu magno & blasphemaverunt nomen tuum: neque egerunt pænitentiam, ut darent tibi gloriam.* Sed & tu Domine Jesu toto cordis tui desiderio æstuabas in patiendum, pro nostra salute, proque Patris tui Obedientia & Amore: ita ut ad ardores æstusque tuos odia inimicorum tuorum, tarda, & torpentia frigidaque prorsus essent, ut pœne assiduò malitiæ hostili, repeteris illud tuum. *Quod facis, fac citius.*

...r. 19.

Apoc: 16. 9

Ioan: 13. 27

B

Ea quæ exinde apud Pilatum, apudq; Herodem, & rursùs apud Pilatum, in ejusque Prætorio perpessus est Dominus, quendam Autumnum videntur referre. Ex tunc enim cunctantiùs & quasi maturiùs acta videntur omnia. Expendit Præses Pilatus objecta, invenit, & testatus est nulla, ac soli tantummodo invidiæ & odio servientia: reddidit testimonium innocentiæ, recusavit cognitionem iniquæ causæ, demum remisit ad forum dominumque suum, Galilæum Civem, ad Galilæum Regem. Ubi ita auditæ accusationes in Christum, ut tamen durius nihil statueretur in ejus sanguinem, & supplicium. Deinde gradatim supplicia processère, Barabbæ primùm compositus, ac postpositus est, postea correptus flagellis, quasi pœne dimittendus: tum actorea pars ad mitiorem partem trahi visa, vitam & sanguinem ne peteret. Nihil omissum cunctationis ab Iudice, quo minùs ad sententiam feralem accederet. Nihil non maturè, sedatè, absque æstu, & rabie, denique lotis manibus ad ultimum decretum accessum est. Et inter hæc bonus quoque Jesus, tanquam vitis fructifera, & botris onusta vinoque redundans apparuit, vindemiam fecit, torcular calcavit solus, mustum sanguinis per flagella, & verbera expressit. Spinis etiā confixus & punctus, tanquam ad uberiorem, dulcioremque gustui fructum & saporem, & medicinam. Postremò per omnia perfectus vir & Rex dolorum apparuit purpuratus, & coronatus, dolore, & ignominiâ, donec ad desideratissimum regni thronum duceretur.

C

D

Hyems Passionis Domini Nostri fuit, gestorum & toleratorum circa crucem, & in cruce, usque ad mortem series: tanquam in hyeme delapsa excussaque sunt ex Arbore Christo, ipsa etiam folia, etiā vestimenta. Ipsi quoque noti & amici recesserunt, & foras fugerunt: consolator quæ-

tor quæsitus, nec inventus. Pater ipse Æternus inter derelictores esse voluit, deseruitque Filium uteri sui. Obscuratus est Sol, Luna non dedit lumen suum, Angeli pacis amare flebant; terra mota, petræ scissæ, monumenta aperta, Sancta Sanctorum scisso velo patuerunt. Ad extremum horror hyemis, & gelu mortis invasit Dominum, inclinato Capite tradere coegit Spiritum, & rigentem gelidumq; inclusit sepulchro, & insuper obruit grandi lapide advoluto. Et quænam hyems rigidior hyeme mortis, hyeme sepulchri?

O utinam in nobis Christianis efflorescant tandem tandem flores bonarũ mentium, atque voluntatum, Sanctorum, & Deo placitorum desideriorum.

A Utinam æstuemus verâ & germanâ in Deum ejusque voluntatem, & gloriam, charitate; ut Christo in carne Passo, & nos eâdem cogitatione armati, indicamus implacabile bellum Carni, & Sanguini, Mundo & pompis ejus, diabolo & desideriis ejus.

Utinam Crucem Domini amplectamur, & portemus post Jesum, unicam gloriam reputantes, configi Cruci ejus, & stigmata ejus in corpore & anima portare.

Utinam, denique, moriatur in nobis omne quod inimicum est Deo, ejusque repugnans voluntati. Et fiat *vita nostra abs-* B *condita cum Christo in Deo, ut cum ille apparuerit vita nostra, tunc & nos appareamus cum ipso in Gloria.*

MODVS C.

CEntesimus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest: recogitando quomodo Dominus noster in sua Passione atque Morte, tam per Malitiam odiumque Inimicorum suorum; quã per Charitatem suam erga Patris Æterni honorem, & erga nostram salutem, annihilatus, exinanitus, mortuusque est totus. Libet hoc declarare aliquatenus in gratiam pii meditatoris.

Quod ergo attinet ad Inimicorũ Christi erga ipsum Malitiam atque Odium: Manifestum est consideranti studia eorum, hanc fuisse primariam & plenariam ejus proprietatem, efficere, ut Christus neque Deus, neque Homo, neque quidquam aliud esset, sed ut nullo modo in rerum natura exstaret; ut annihilaretur, seu, in nihilũ omnino redigeretur. Quod & effecerunt omnino facto ipso, quantum quidem in ipsis erat.

Ad quod pleniùs considerandum; Videamus studia, & proposita voluntatis eorum, odiis omnibus inflammatissimæ. quæ quidem ipse Dominus noster apud Jeremiam sibi ostensa & cognita fuisse testatur, dum ait ad Patrem suum Æternum. *Tu Domine demonstrasti mihi & cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum.* Quæ verò fuerint illa studia, quæque proposita, & quo demum exitu terminanda, effectuque satianda ex ipsorum voto, mox in consequentibus denuntiat, & prædicit, per eundem Prophetam subdens. *Et ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium: & nomen ejus non memoretur ampliùs.* In quibus verbis, manifestè, & expresè, Inimici Dei, & Salvatoris nostri, exprimunt virulentiam studiorum suorum ad nocendum, esse & fuisse tantam, ut contenti non essent quantâcunque Domini afflictione, sed eam talem esse optarent, quæ inprimis esset C ignominiæ pariter & cruciatûs plenissima; Crucis nimirum; quam expresserunt illâ phrasi: *Mittamus lignum in panem ejus.* quasi dicerent, affigamus eum Cruci, suspendamusque in ligno corpus ejus, quod panem vocant, velut præsagientes (quanquam non ex suo spiritu maligno, sed ex Divino oraculo) Corpus Domini Jesu, futurum *panem missum, & datum, à Patre de cælo, verum, qui dat vitam mundo*: nisi fortè velimus dicere, Corpus Domini nostri, vel ipsummet Dominum nostrum, Panem ab eis dici, quòd ejus excarnificatione, atque cruciamentis, præsertim in ligno Crucis, essent odia sua, & furores, ita ex- D saturaturi, quomodo famelici, & fame rabidi lupi, aut canes, aut quicunque alii exsaturantur citò, vel cibo, vel pane; quomodo alicubi Dominus dicit de suis iisdem persecutionibus: *Satiati sunt pœnis meis.* ac si pœnæ suæ, panis eorum fuerint, quibus usque ad ingluviem, & obesitatem saginati, & farti fuerint. Pergunt autem impii furorem pectorum ac studiorum suorum contra Christum explicatiùs enarrare cùm dicunt. *Et eradamus eum de terra viventium*: quasi dicant. Parùm est nobis, Crucifigi à nobis Christum: ampliùs desiderant odia nostra: non quietura, neque sopienda, nisi penitus erasêrimus eum de terra communi: ut vestigium

gium ejus superſit inter homines nullum, nulla fibra radicis ejus, nulla vel umbra illius. Ipſa quin & memoria nominis ejus, ex hominum mentibus tollatur & aboleatur, ut nomen ejus non memoretur ampliùs, ſed fiat, quaſi nunquam eum, aut natura rerum, aut oculus hominis vidiſſet exiſtentem.

Simillima hoſtium Chriſti in Chriſtum ſtudia, ſive potiùs odia, ipſimet hoſtes deprædicant apud Salomonem, cùm dicunt. *Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt nobis etiam ad videndum: quoniam diſſimilis eſt aliis vita ejus, & immutatæ ſunt viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur Patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſimâ condemnemus eum: erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius. Hæc cogitaverunt impii*: & hæc poſtmodum tam opere, quàm ſermone præſtiterunt, adeò pænè ad unguem, ut dici poſſet ex Evangeliis hæc aſſumpſiſſe, quæ ante Evangeliſtas omnes tantò ante prolocuti ſunt.

Hanc eandem plùs quàm furioſam exitialemque inimicorum Chriſti enormitatem, ejusque usque ad exterminium affligendi cupiditatem, Beatus Job expreſſit. cùm inter alia, in Chriſti Perſona, de ejusdem doloribus prolocutus eſt. *Oppreſſit me dolor meus, & in nihilum redacti ſunt artus mei.* Cujus verbis conſonat etiam apud Davidem in perſona ſua Dominus. *Et ego (inquiens) ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.*

Quomodo autem hæc in Scripturis Sacris de hoſtili in Chriſtum odio prænuntiata, affectu ipſo ab hoſtibus comprobata, inque actum deducta ſint, ex Evangelica, narratione videamus.

Univerſaliter ergo in primis loquendo: Impii, & Inimici Domini, quidquid in Domino fuit, totũ deſtruxerunt. quod verò deſtruere non potuerunt, negaverunt: atque ſic nihilominus quantum in ipſis fuit, totum Dominum deſtruxerunt, corruperunt, in nihilum redegerunt.

Naſciturum in mundum Dominum, nemo ſuorum recepit, ſed eum ad ſtabulum, atque ad beſtias rejecerunt; unde & Mater ſua coacta eſt reclinare eum in præſepio; quia non erat ei locus in diverſorio.

Natum in mundum: ſubitò ad necem quæſiverunt atque deſtinârunt: quam ne evaderet nulli infantium coævorum pepercerunt, ſed ut ipſe inter illos unus perditorum occiſorumque eſſet, inauditam poſt homines natos, parvulorum lanienam perfecerunt.

Ergo in Exilio Ægyptiaco profugus, occultus, omnium egens, & inops ſervatus, ſuccrevitque donec mortui ſunt omnes ii, qui quærebant animam ejus.

Reverſum ab Exilio, latere ignotum, abjectum, pauperem, fabrilia opera peragentem, obſequia domeſtica omnia Mariæ Matri, & Joſepho Patri impendentem; planèque occultum ad annum usq; trigeſimum ætatis permanere opus fuit, ut poſtmodum Filius fabri, & faber, & Filius Joſeph, ac Mariæ per contemptum diceretur.

Prodiit tandem in publicum, ut putabatur filius Joſeph: & rem communem, id eſt, ſalutem totius mundi agere cœpit: ſed ſimul etiam eodem opere ac tempore, odiorum & perſecutionũ oſtium ei apertum eſt, & adverſarii multi.

Ante omnia negaverunt eum Deum eſſe: ſed neque Dei Filium eſſe, audire potuerunt, multòque minùs credere. Quin etiam illum neque Hominem Dei, ſeu Hominem à Deo eſſe, putarive paſſi ſunt. Itaque quod in ipſis erat, Divinitate eum ſpoliaverunt, atque ſi Patrem ſuum Deum, ac ſe Filium Dei appeláſſet, blaſphemiæ, mendacii, impietatis, mortis denique reum judicaverunt, proclamaverunt, lapidibus obruere tentaverunt, demumque Crucis tandem ſupplicio necaverunt. Neque hic ſtetit iniquitas eorum: ſed negantes Chriſtum Deum, negaverunt & Incarnatum, ſeu Verbum Carnem factum: quâ quidem injuriâ nihil Deo ingratius, nihil Chriſto injurioſius, nihil Humani generis ſaluti nocentius, nihil toti univerſo damnoſius, quantum in ipſis erat, fieri potuit.

Quid enim Homine Deo, atque Verbo Carnem induto, vel Magnificentius Deitati, ejusque gloriæ atque Charitati, vel honorificentius Chriſto, vel ſalubrius generi humano, vel toti univerſo viſibili inviſibilique ornatius & pretioſius? Tolle de natura rerum Deum Hominem: ſuſtuliſti Divinæ Charitatis medullam: ſuſtuliſti

ſtuliſti læſæ Majeſtatis Dignitatisque Divinæ unicam medicinam, ſuſtuliſti totius generis humani ſalutem, ſuſtuliſti univerſi omne unicumque Bonum. Hoc fecit hoſtium Chriſti furor, quando in Chriſti Deitatem debacchatus eſt. *De bono* (inquit) *opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia; & quia tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum.* Et rurſum. *Nos* (ajunt) *legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.*

Orbârunt ergo impii & inimici Dei noſtri, Deum noſtrum, per impietatem ſuam, & Divinitatis naturali Majeſtate, & Incarnationis dignantiſſimâ charitate. Videamus, an ſaltem eum eſſe per illorum furioſiſſima odia licuerit integrum in Innocenti Humanitate?

Ac inprimis attendamus, an, & quam ei honeſtatem, civilem ſaltem, reliquerint? & reperiemus, nullum (ut ajunt) pilum boni, honeſtique hominis, ac Civis reſiduum feciſſe. Siquidem eum Peccatorem Samaritanum, dæmoniacum, furioſum, inſanum, mendacem, Pſeudoprophetam, Sacrilegum, legum violatorem, Impium, Ambitioſum, Regni avidum, Seditioſum, Rebellem, Seductorem, Maledicum, & Maledictum, Execrandum, Potatorem, Voracem, Latronum Principem, & homicidis latronibusque deteriorem, vitâ indignum, Mortis reum, Blaſphemum, Furciferum, neque commiſeratione, neque aſpectu, neque appellatione, neque unius ſaltem diei vitâ dignum reddiderunt. Hanc illi honeſtatem Chriſto induerunt, talem illum Civem ſuffragiis ſuis fecerunt.

At enim fortaſſe doctrinam ejus cæleſtem ſapientiamque Divinam, & viam veritatis docentem promptis, paratis, obſequentibusque animis receperunt? Conſtat namque quia Dominus Jesus, populo illi ſcelerato, & ſemini nequam, præcepta vitæ, ſalutisque æternæ proponebat, ut pœnitentiam agerent, quoniam appropinquâſſet Regnum Dei: ut ejus mandata ſervarent, quatenus ad vitam æternam ingredi poſſent, ut Deum ex toto corde, & ſuper omnia; proximos verò ſicut ſemetipſos diligerent; ut non iraſcerentur omnino, ne inimicis quidem, ſed ut amarent inimicos ſuos, benefacerent malefactoribus, benedicerent maledicentibus, orarent pro perſequentibus, ut tollerent legis ſuæ ſuper ſe jugum ſuave, & onus leve. Hæc, ſimiliaque ille Doctor Iuſtitiæ, de cælo datus, atque promiſſus populum ſuum edocebat. Porro Homines illi, planè ac ſi non hæc, ſed

A his contraria præciperet, ita prorſus his omnia contraria egerunt, atque in ipſummet Doctorem Iuſtitiæ exercuerunt. Nõ tantùm non egerunt pœnitentiam de peccatis, ſed potiùs dilexerunt peccata ſua, dilexerunt magis tenebras quàm lucem; & Chriſtum, licet non ſolùm proximum, ſed etiam Benefactorem ſuorum tam corporum, quam animarum, odio habuerunt gratis, benefacienti & voluerunt, & fecerunt peſſimè, doctrinæ contradixerunt plus quàm pervicaciter, maledixerunt benedicenti, inſidiati ſunt innocenti, optima quæque monenti, ſuadenti, docenti, volenti, peſſima quæque, probra, odia, B perſecutiones, inſidias, præcipitia, lapidationes, contumelias, vincula, verbera, vulnera, omnia denique vitæ pericula, usque ad mortem turpiſſimam objecerunt.

Jam verò viventem illum numquid nõ ſic exagitaverunt, tractaverunt, ut tamen eum ſalvâ vitâ, hominem eſſe non permiſerint? Minimum eſt, quòd vultum ejus præ filiis hominum ſpecioſum, decorum, & amabilem, velaverunt, conſpuerunt, conſpurcârunt, contuderunt inſuper pugnis, alapis deformârunt, unguibus laceraverunt, genas vulſerunt, la- C bia labraque ruperunt, fauces & dentes concuſſerunt, formâ ſpoliaverunt, & exterioris ſpeciei pellisque nihil reliquerunt. Itaque quaſi abſconditus vultus ejus erat: viderunt eum Prophetæ, & Amantes Animæ, ſed non erat ei aſpectus, deſideraverunt eum, ſed quaſi leproſum, & ne quidem reputaverunt eum. Unde & ipſe Pilatus ſic deformem informemq; videns, ſceleſtæ illi multitudini produxit foras, dicens. Ecce Homo: quod erat dicere. Ecce jam nihil in eo eſt, unde reputari poſſit, debeatve Homo. Nimirum, caput ejus depilatum, lacerum, con- D cuſſum, tumens & livens, ſpinis infixis circumquaque horridum, ſanguinis proprii tabo cerebroque ſtillante infectum, Os lacerum, diſtortum, & inæquale, genæ tumentes, lividæque, oculi ſuccuſſi, & ſuffuſi, nares ruptæ & cruentæ, à percuſſionibus. Mentum lacerum, collum fractum, omnino per omnia nihil habens humanum.

Sed reliquum quoque Corpus Domini minimè humaniùs habitum: totũ à planta pedis usque ad verticem, ſanitate & integritate, imò & pelle atque adeò carne quoque deſtitutum, quia deſpoliatum, quia lacerum, lividum, cruentum, vulnere ſuper vulnus conciſum, usq; ad oſſa

carne

carne revulsâ nudatum, sanguinis rivi & glomi undique per terram fusi, pedibus conculcati, & canibus ad linendum derelicti, partes carnis revulsæ, & hac illac per aërem, per circumstantes, per parietes, per pavimentum sparsæ. denique quasi hactenus honorificè sanguinem ejus tractâssent, omnium quo poterant loco detestatissimo, eum perspersêrunt vociferantes: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. O portentum odii? non humani, sed neque diabolici, at Iudaici, at populi Christo inimici.

Quid? quod venæ, arteriæ, musculique Corporis distracti, atque laceri, & soluti? Ossa omnia dinumerata, lingua, palatum, fauces, guttur, viscera, fame primum sitique, deinde felle & aceto pasta & potata sunt. Manus, pedes, caput, latus, cor, sauciatum, compunctum, transfixum?

Affixum Cruci, & necdum erectum, tantâ petulantiâ, in os vultumque miserabilem partim conspuerunt, partim calcibus percusserunt, ut prope enecaverint. Sublatum verò in Crucis trabe, medium latronum, & iniquorum, tanquam latronum iniquissimum & caput, statuerunt, aversumque à Civitate, ne ejus oculis, & aspectu, Civitas scilicet macularetur.

Pendenti jam in Cruce improperârunt, insultârunt, exprobrârunt, blasphemaverunt, omnibusque linguæ, & oris maledicentiis, dicacitatibus, scommatis, sarcasmis flagellaverunt, confixerunt, suos quidem animos jucundâ voluptate, Animam verò illius amarissimo dolore, saturaverunt: scelusque suum, omni scelere sceleratius, sicut Sodoma prędicaverunt, in eoque coram oculis ejus ad invicem tripudiantes, & exultantes triumphaverunt.

Et hactenus eum vivere vitam licèt omni morte amariorem permiserunt; sed tandem, tandem, etiam in ejus vitam grassati sunt, eumque ad mortem adactum vitâ spoliatum, Animâ de corpore proturbatâ, non hominem ex homine, non Deum-Hominem ex Deo-Homine, non exsistentem ex existente, nihil & non ens ex ente fecerunt.

Atque huc cursus, huc usque conatus, huc usque furor odiorum & invidentiæ hostium Christi nostri fuit. *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura; quia in furore suo occiderunt virum, & fecerunt in eo, quæcunq; voluerunt, prolongaverunt, atque ad nihilum usque terminaverunt iniquitatem suam.* Bene, atque justè Sanctus Patriarcha maledixit ac detestatus est, furorem odiumque Filiorum & posterorum suorum, bene & justę, nos quoque detestamur eundem tanta cum rabie, rabidaque obstinatione exercitum. At quid nobis faciemus ipsi nos? Nos inquam, Christiani, nos peccantes & peccatores, nos bibentes quasi aquam iniquitatem, nos exundare facientes omnem impietatem absque ullo termino: nos iterum iterumque, & millies milliesque iterum Christum crucifigentes in nobismetipsis, & eum ostentui atque contemptui habentes. Nos qui sanguine Christi, vel potius Sanguinis Christi pretio, animabus scilicet nostris, profunda inferni replemus: Nos quibus risus jocusque est, salutem à Christo nobis quæsitam, contemnere, negligere, perdere, atque diabolo propinare, offerre, obtrudere. Nos denique qui diabolum Christo præferimus, & cum diabolo, à diabolo infernalem æternamque damnationem, præeligimus, atque præponimus a Christo nobis partæ, acquisitæque æternæ saluti? Quid, inquam, faciemus nobis ipsi nos, aut quid maledictionis obventurum putamus nobis, qui tantam negligimus salutem? Non enim comparatio est malitiæ Judaicæ in Christum, cum nostra in eundem ingratitudine, petulantia, & peccandi enormitate: in immensum major est, magis injuriosa est, magis ingrata est, majore supplicio digna est Christiana quàm Judaica in Christū malitia. Judaicum enim furorem, & furoris totum scelus, admisit Christus, & suâ charitate in obsequium suum, & in exsequendum salutis nostræ totiusque generis humani consilium adhibuit, adeò ut impiorum illorum manus, quando suo incumbebant sceleri, tunc simul famularentur Redemptori. At verò Christianorum scelera, ad nihil proficiunt, serviuntve Christo: nisi ut cum peccatis peccatoribusque Christianis, devolvatur in tartara simul quoque Divinus sanguis à Christo profusus. An verò indigniùs sit, Christum à Judæis ad breve tempus exosum, contemptum, crucifixum, occisum esse; an eundem, Salvatorem creditum, & agnitum à Christianis, cum animabus suismet, in æternam perditionem scelere voluntario devolutum esse: judicent cæli, terræ, & ipsi inferi.

Vidimus quantum Malitiositati odiisque hostium in Christum licuit, qualiterque eorum acerbitate & insatiabili furore ad usque nihilum deductus sit; Jam

superest ut videamus quid itidem in eo fecit Charitas erga Æternum Patrem, & erga nos propter Patrem.

Atque inprimis dico, quòd nihil prævaluissent ulla inimicorũ Christi in Christum odia, nisi ea prior Charitas Christi acceptâsset, & admisisset, suoque consilio, & suo excessui, instrumenta esse, ministrareque fecisset. In quem sensum Dominus Jesus Pilato potestatem vitæ & necis ejus apud se proponenti, respondit. *Non haberes potestatem adversùm me ullam; nisi tibi datum esset desuper*, a mea scilicet propria in Patrem, & in Homines propter Patrem Charitate.

Ioan. 19. 11

Hæc Charitas Christi, vocatur ab Evãgelista Excessus, seu Excessiva; ab Apostolo Paulo, nimia; à Davide, Copiosa. à Salomone Fortis ut Mors fortiorque Morte, & dura sicut Infernus: à Joanne in finem usque, finem non habens, ac demum ipsemet Deus: à Christo deniq; ipso Major omni, & quá majorem habet nemo.

Hæc Charitas in Christo viguit, abundavit, excessit, ita ei dominata est, ita despoticè eum tractavit, subjectumque habuit, ita de eo impotenter triumphavit, ut aut esse Charitatem, aut Christum esse Deum-Hominem ignorâsse, vel oblita esse, vel contemptui habuisse videri, atque ex gestis suis argui possit. Subjugavit ita sibi totum, quantusquantus erat, Christum, ut in Christo nihil reliquerit Christi, sed totum impenderit sibi, hoc est suæ voluntati, potestati, violentiæ, excessui, nimietati.

Explicent hoc primũ Apostolica verba, deinde ipsius Christi, ejusque Charitatis opera. Verba sunt Apostoli. *Christus, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Non egent dicta Apostoli commentario & explicatione, omnes elucidationes habet, explet, & excedit, dictum illud. *Exinanivit.* Atque hoc videamus in Dei nostri ejusque charitatis operibus.

Philip. 2. 6

1. Incarnatio ejus. Exinanitio fuit. Nam quid tam exinanitum, quàm VERBUM Caro factum, Creator in creaturam formatus?

2. Nasci in stabulo, eò quòd non esset ei locus in diversorio: Exinanitio fuit. & talis quidem, ut beneficentiâ brutorum in præsepio utendo eguerit.

3. Circumcidi octavo die. Exinanitio fuit. hoc enim facto, stigmate peccatoris signatus est: quod ipsum signaculum subiit, quando baptismo pœnitentiæ ab Ioanne ablutus est.

4. Triginta ipsis annis in subjectione & obedientia Parentum occultus, ignotus, abjectus, contemptus vixit, etiam hoc Exinanitio fuit.

5. Quadraginta diebus jejunâsse & postea esuriisse, cum bestiis in deserto vixisse, à diabolo tentatum triplici assultu, insuper à diabolo portatum de loco in locum, inter tam propudiosas & exosas manus, nec non ad sui adorationem invitatum. Numquid non etiam hæc Exinanitio fuit?

6. At enim prædicatione Evangelii, miraculisque omnis generis, beneficiis in populos infinitis, Innocentiâ vitæ, sine ulla omnino culpa, Admiranda sapientiâ, stupendâ, in morbos, in mortem, in dæmones, in ventos, in marinos fluctus, & tempestates, potestate inclaruit, gloriosus visus, magnificatusque est: nimirum nusquam magis (ante Passionem) exinanitus est. Hic ille namque per supra dicta omnia nomen acquisivit stulti, dæmonium habentis, in furorem versi, insani, peccatoris, & peccatorum meretricumque amici, Samaritani, blasphemi, seducentis turbas falsarii, & falsi Prophetæ, divinitatem arrogantis & ementientis. Hic ille amisit Sapientiam, Veritatem, Iustitiam, Innocentiam, Pietatem, Religionem, Charitatem, Scientiam, Honestatem, denique omne boni Hominis nomen, omnemque speciem prodegit, ita præcipiente charitate.

Omittamus quòd cùm dives esset, propter nos egenus factus est: & ita quidem egenus & mendicus, ut alienâ miseratione sustentaretur, quâ ipsâ non rarò deficiente, se, suosque nonnisi fame & inediâ sustentaret, eo demum egestatis sese redegit, atque à Charitate redactus est, ut ejus respectu, atque comparatione, vulpeculæ & aviculæ suarum fovearum, suorumque nidulorum possessione eum excederent: denique neque palmum terræ, ubi pedem poneret, neque locum in quo caput reclinare posset haberet: unde & pendulo in Cruce capite mortuus est, & alieno in linteo involutus, alieno in sepulchro conditus est. Ad hanc nimirum eum omnium rerum egestatem nuditatemque Charitas adegit.

Jam verò Ingressus ille in Ierusalem super asinam & pullum ejus: ablutio quoque pedum discipulis suis facta à Domino:

no: quid fuit nisi triumphus Charitatis de Christo, ejusque non tantùm gloria, verùm & humilitate. Ascensorem Cæli, curru gloriæ solitum vehi super Cherubim, super asellum locare, & triumphaliter in urbem Regiam ingredi facere: numquid non ludus Charitatis est? porrò ad usque Judæ etiam proditoris pedes lavandos, extergendos, osculandos, amplexandosque Deum-Hominem abjicere: hic major excessus exinanitionis est, quã à diaboli manibus gestatum nuper fuisse. Nam manus etsi diaboli erant, innoxiæ tamen Christi Sanguine erant, & gestando Dominum nulla eum injuria lædebant; at verò pedes Judæ, pedes proditoris, pedes sanguinarii, pedes circa mercaturam vitæ Domini sui inquinati: manibus Christi contrectati, abluti, extersi, amplexu & osculo dignati sunt! O Charitas Christi! itane tibi viluit tuus Christus, ut eum subjectum & servum habere Judas proditor fuerit te Judice dignus.

Sed ecce Eucharisticâ in Sacramento atque Sacrificio dignatione, ecquæ major, monstrosior, prodigalior, exinanitivior exinanitio? Si fidei credimus: imò quia credimus: ibi Christus immolatur & sacrificatur totus: quid est autem sacrificari, nisi oblationis actione, ita annihilatoriè quodammodo immutari, ut res oblata suo modo esse desinat, in honorem & recognitionem supremi super omnia dominii ejus, cui fit oblatio, & cui offertur sacrificium? Rursum, quid est Eucharisticum Convivium, nisi Christi in Eucharistia realiter contenti atque præsentis, in cibum potumque Animæ sub speciebus Panis & Vini realis sumptio. Cujusmodi actio naturaliter annihilativa est, seu sumpti in sumentem conversio: etiò hic opposito modò, sumens potiùs in id quod sumptum est, Homo scilicet in Christum consumatur & convertatur. Ad quantas porrò ad quàm varias, infinitas, incogitabiles, incogitabiliterque indignas indignitates Charitas sua Christum suum adegit, tam in hoc Sacrificio, quàm in Sacramento, ad hoc certè neque elocutio, neque cogitatio humana sufficit, & tamen illa ad usque finem mundi duratura est, cum dignatio peractæ in Cruce immolationis, solummodò per tres horas duraverit: hìc verò in sacrificio Missæ atque Sacramentali Convivio, sæpe sæpius Dominus noster tantas indignitates subire necesse habeat, quarum una aliqua, omnibus super Crucem oblationibus, etsi innumeræ forent, esset indi-

A gnior immaniorque. Una enim Sacrilega Christi vel in Sacrificio oblatio, vel in Sacramento sumptio, omnem in Cruce oblationem per se loquendo, indignitate, & injuriositate supergreditur. Et tamen ad hasce sacrilegales indignitates Christum Charitas sua adegit, usque ad consummationem sæculi. O Charitas quã violenta, quàm imperiosa, quàm excessiva, quàm nimia, quàm exinanitiva es?

Quid verò de Charitate Christi deque ejus in Christum imperiositate dominatuque plùs quàm violento & excessivo in universa ejus Passione, usque ad Crucifixionem, & in Cruce mortem, dicam, vel B afferam? Infinitum esse oporteret in exponendo, sicut infinita voluit esse Charitas in Dominando, & in Domino Jesu ad omnem suum nutum, omnenque arbitrium versando. Multa sunt hactenus dicta in superioribus modis & tractationibus, quæ huc valde faciunt, sufficiat nunc à me dici duo hæc, aut tria.

Primum est. Christi Passionem non tantùm omnibus doloribus hominum hujus vitæ majorem & graviorem fuisse, verùm etiam gravem fuisse sicut dolorem inferni, & quidem cum quodam insuper excessu. Unum horum indubitatum est C apud Sacros authores, & Divina Scriptura significat; partim cùm per Job Dominus de se loquitur: *Utinam appendantur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera; quasi arena maris, hæc gravior appareret.* Excessit nimirum immensitas dolorum Christi in Passione & Cruce, omnem enormitatem gravitatemque peccatorum nostrorum, à Christo in sese susceptorum: partim cùm per Jeremiam ita nos obtestatur dicens. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus:* In altero quod dixi, non hoc dico, quasi sentiam & affirmem Chri-D stum Dominum inferni pœnas in sua Passione sustinuisse, scio, & profiteor erroneè hoc, & blasphemè dictum, ab aliquibus: sed dico, in Passione Domini nostri reperiri quasdam conditiones, quæ vel habent quandam cum pœnis inferni similitudinem, vel etiam habent aliquem super inferni pœnas excessum, in eoque Immensam Charitatis Christi nimietatem eluxisse. Quod explico hunc in modum.

1. Communi sensu, graviùs, & intolerabiliùs, indigniùsque est Innocentem pati, ea, quæ nocentibus sunt debita: at Christus non tantùm fuit Innocens, sed Innocentia ipsa, noxæ omnis propriæ incapax: qui tamen non solùm passus est,

ea quæ nocentibus scelestisque essent patienda, sed etiam passus est de facto ea omnia, quæ erant scelestis (nempe nobis) patienda, & passus est tanquam scelestus esset ipse, tanquam omnium scelestorum (non tantum sceleratum) Caput: passus est pro omnibus scelestis, passus denique est ne scelesti pati deberent. At verò in inferno nemo patitur Innocens, sed omnes noxii & impii: gravior itaque & indignior ex hoc capite fuit Passio Christi, quàm damnatorum in Inferno.

2. Christus etsi descendit ad inferos, ibi tamen nihil passus est: imò agnitus, honoratus, cultus, & adoratus est. At in vitæ suæ extremo, passus est quasi pœnam damni & pœnam sensûs. Et pœnam quidem quasi damni: quia passus est derelictionem à Deo Patre, non quod à Deitatis hypostatico consortio, & à Beatifica gloria vivens exclusus sit, (absit hoc cogitare) sed quia à cura & protectione in malis pœnisque suis desolatus & derelictus fuit; & quia humanitate ejus dissolutâ, fuit etiam dissoluta unio VERBI, nō cum Anima, neque cum corpore, sed cum ipso composito Homine-Deo: in quo etiam pro tunc cessavit Beatifica visio. Non exsistens enim videre Deum non potuit, estò secundùm Animam suam Deū semper intuitivè & beatificè vidit. Passus est quoque pœnam sensûs tam in Anima, quàm in corpore, & omnibus horum potentiis & partibus. Passus quoque est Dominus pœnam blasphemiarum & execrationum Dei, non quas ipse Corde vel ore suo protulerit, sed quas partim protulisse, per calumniam dictus, atque ob eas morti addictus est, partim quas in eum impiissimi hostes, impietate plenis faucibus eructârunt.

3. Passus est Dominus noster pœnas omnium singulorumque peccatorum, etiā remissorum, remitttendorumque; at damnati non patiuntur pro talibus, sed solùm pro non deletis finali pœnitentiâ.

4. Passus est Christus pœnas peccatorum omnium, non tantùm ad rigorem Justitiæ, verùm etiam ultra condignum: damnati verò nonnisi infra condignum puniuntur. Et estò damnati patiantur pœnas æternas quantùm ad durationem earum, nunquam finem habituram: Christus tamen passus est non quidem æternas, tantas tamen, quæ æternis abolendis non tantùm pares, sed majores fuerint; unde per efficaciam meritorum passionumque Christi, æternæ pœnæ, pœnitentibus nobis condonantur: deinde etiam passus

A est quasi æternas, quantùm scilicet ad effectum atque fructum æternaturum, nullis unquam applicationibus (estò mille millia mundorum seu humani generis populorum essent) exhauriendum; quod sine dubio arguit immensitatem quandam passionum Christi, quæ in pœnis damnatorum, neque est, neque esse potest. In hoc ergo sensu & ex huc capite existimo passiones Christi suo modo, & sano intellectu fuisse quasi infernales, & infernalibus majores. Idque propter nimiam charitatem ejus, qui cùm dilexisset nos, usque ad finem dilexit nos.

B Alterum quod de nimio, excessivo, exinanitivoque, Charitatis Christi, in Christum dominatu dicere habeo, illud est. Quòd non aliter satiari, explerique, vel potuerit, vel voluerit, quam per omnia Christum suum exinaniendo, perdendo, annihilando: quod quidem in tota ejus vita egit, tandem verò in morte illius peregit. Etenim exinanitus est à Charitate sua Christus secundùm Deitatem. Quia enim per mortem desiit esse in rerum natura, desiit etiam esse Deus. Exinanitus est quoque secundùm Humanitatem: quia & illa per mortem dissoluta est. Exinanitus est secundùm Deum-

C Hominem: quoniam Deus-Homo mortuus est: & quamvis VERBUM hypostaticè unitum tam Animæ, quàm Corpori fuit, Christo tamen, seu Deo Homini unitum non fuit, quia Deus-Homo Christus in rerum natura non fuit. Exinanitus est quoque Christus secundùm Animam, non quoad vivere, sed quoad vivificare, esseque vita corporis, & Hominem Christum constituere, & opera vitæ humanæ exercere Anima illa desierit. Exinanitus est etiam Dominus quoad suū Corpus, à quo Anima discessit, & mortuum est, ac nisi specialis protectio VER-

D BI Æterni impedîsset, in statum corruptionis transiret. Exinanitus est Christus secundùm honorem & famam bonam, quia cum iniquis & latronibus reputari, Barabbæ postponi, & per omnia infamis reddi, haberique voluit. Exinanitus est secundùm Sapientiam, Justitiam, Sanctitatem, Religionem, Pietatem, Innocentiam, Veritatem, Potentiam, Humilitatem, Charitatem, omnemque omnino Virtutem, & apud Deum Gratiam. Voluit enim reputari stultus, & insanus, iniquus, & impius, blasphemus, malefactor, seductor, mendax, & Pseudopropheta, consortium cum dæmone habens, nullius ad se, ad aliosve juvandos potentiæ, superbus,

bus, ambitiosus, & non tantùm non Deus-Homo, sed neque à Deo homo. Exinanitus est etiam secundùm omnem exteriorem possessionem. Orbatus quippe Matre, discipulis, amicis, notis, vestimentis, terrâ, omni gente ac populo suo, soli duntaxat Cruci affixus, idque nudus, & volatilibus rapacibus in escam, & lacerationem expositus ac datus: denique non Homo, sed vermis, sed excarnificatum per omnia cadaveris frustum, opprobrium, & abjectio, atque execratio factus omnium in sempiternum. Ergo exinanivit semetipsum, ergo exinanivit eum Charitas sua, non solùm ad formam servi à forma Dei; sed etiam à forma servi, ad formam impii, ad formam vermis, ad formam mortui, atque cadaveris. Tantùm nimirum sibi Charitas ejus in eum licere putavit, tantumque etiam in eum prævaluit, quantum potuit, quantum ad satietatem satis superque esse potuit. Dico quantum satis esse potuit: & addo etiam satis esse debuit, atq; omnino re ipsâ fuit: attamen Charitati quantum ad ejus excessivam nimietatem, inexplebilemque ardorem, nequaquam satis fuit. Quid enim sibi volunt illa de ejus Charitate dudũ prænuntiata, & pronuntiata. *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, neq; flumina obruent illam:* quod est dicere Charitatem Dei nostri in Æternum Patrem, & in nos propter Patrem, nullis quantiscunque excessibus, nullis nimietatibus, nullis exinanitionibus, nullis annihilationibus in Christum inductis, perque Christum exhaustis, saturari, satiari, expleri potuisse, nullisque expletam esse, quin imò omnia quæ Christus jussu Charitatis suæ sive gessit, sive pertulit, licet usque ad exinanitionem accessit, tamen ista omnia, levissimæ quædam guttæ, tenuissimæ atque parcissimæ aquæ, exigui cujusdam calicis, sitim ne quidem satis adspersuri ne dum exstincturi vicem speciemq; habentia fuerunt. Irritabant potiùs tantùm sitim, & non explebant. Impatientem ardorem sitis excitabant, & exacuebant, non verò illam obruebant, aut exstinguebant. propter quod profundo licèt fundo exinanitionis vicinus, & jam mox in abyssum Mortis, annihilationisque, & occasûs descensurus, tanquam inchoans desideria, tanquam ferendo ardori impotens, exclamavit. *Sitio.* Implebat scilicet in se Charitas Christi, illud, quod quondam de se protestata, deq; ingenio suo professa fuerat, dicens. *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro di-*

[Margin: nt: 8. 7. — ant: 8. 7.]

A *lectione, quasi nihil despiciet eam.* Et ita est omnino, Homo-Deus Christus in gratiam, & gustum, contentationemque suæ charitatis, omnem substantiam domûs suæ, à summa Deitate incipiendo, & usque in opprobrio maledictoque super Crucem mortis desinendo, impendit, & exhausit; & nihilominus hanc omnem impensam, hanc totam jacturam, universam hanc prodigalitatem, & exinanitionem, bona Charitas, avara Charitas, inexpleta, & inexplenda Charitas, quasi nihilum censuit, quasi nihilum despexit, *quasi nihilum & inane reputavit.*

[Margin: Isa. 10. 17.]

B O Charitas? ergone Christum cum omni substantiâ domûs suæ, tibi, & propter te, in nihilum redactum esse: tibi nihilominùs pro nihilo est, & pro inani reputatur!

Audite mortales, audite, & intelligite. Sic Deus dilexit mundum, sic amavit vos, vos quidem peccatores, vos naturâ filios iræ, atque perditionis, vos cùm adhuc inimici & exosi essetis, vos qui etiam post omnia ingrati, contemptores, & rebelles futuri eratis, & insuper etiam estis. Sic inquam, Deus dilexit vos, ut omnem substantiam domûs suæ, Domûs Divinæ, Domûs Divino-Humanæ, dederit pro di-

C lectione, pro redemptione, pro salute, pro vita, pro beatitudine vestra æterna. Et insuper hoc à se tam prodigè, tam prodigiose factum, impensum, profusumque quasi nihilum despexit, & despicit: sed eâ lege, ut vos intelligatis, quia pro hoc nihilo salvi facti estis, à morte æterna: eâ lege, ut vos hoc nihilum, non quasi nihilum, non quasi inane, non quasi inutile, & despiciendum reputetis. Sed ut intelligatis quæ à Deo impensa sunt pro vobis, quæ à Deo donata sunt vobis, quãtus Deus propter nimiam suam in vos, & in vestrum bonum charitatem, profudit

D semetipsum vobis. O terra, terra cordium humanorum, ne operias, ne contemnas, ne conculces, ne negligas, ne nihilum reputes harum tam abundantium gratiarum super te profusionem.

Ex pretio & sumptu, quo æstimatus es: addisce Homo pretium tui: ex Amore quo amatus es, cognosce quantùm amare debeas Amatorem tuum. Ex profusione atque exinanitione totius Dei tui, in Salvationem tuî, conjice quantam admetiri debeas Deo tuo dilectionem Dei tui: quanta cum profusione par, & opus sit te impendi & superimpendi propter amorem, propter voluntatem, propter Dignitatem Dei tui, propter Gloriam & laudem

laudem & exaltationem Dei tui.

Utinam Domine Jesu amator noster profusissime atque prodigalissime, liceat, libeatque universo generi humano, omnibusque ac singulis nobis, profusos, prodigos, exinanitos, perditos, annihilatosque fieri propter te: propter amorem tuum, propter beneplacitum tuum, propter dignitatem & honorem tuum. Si non ad æqualitatem dilectionis in nos tuæ, (quæ nobis impossibilis est, & omnibus simul nobiscum creaturis) at saltem ad imitationem, ad similitudinem, ad sæper majorem progressionem, ad nunquam satiabilem famem, ad nunquam fatigandam explendamve cupiditatem, aut conatum æmulandi, quàm maximè, & quàm proximè Charitatem in nos tuam.

Habes benevole Lector Centum Modos Passionem Domini Nostri Jesu Christi meditandi. Non te excito, aut provoco ad utendum eis, Satis excitamenti adhibet pietati tuæ ipsa Pretiosa Redemptoris tui Passio, tuusque per omnia devotus, certè obligatus eidem Affectus. Precor Deum ipsum pro nobis passum, ut omnes hi modi, quandocunque eos usurpare placuerit, sint Animæ tuæ, quàm maximè accommodi, saporosi, & proficui: ut quàm maximè crescat, & adolescat in te, vivus, & efficax Passionis & amor, & fructus. Sit Deo amatori nostro, propterque Amorem nostri Passo, Crucifixo, & Mortuo, semper, & ubique, & ab omnibus Major, atque amplior gloria: Nobis autem confusio faciei in hac vita: in altera autem salus, & beatitudo æterna; per eundem Dominum Nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

Amen.

CORONIS *seu* DISSERTATIO, *De perpetua Cruce Christi Domini ab instanti Conceptionis, usque ad instans Mortis suæ.*

Coronidis loco, subnecto Tractui huic, Dissertationem, seu potiùs Assertionem ejus sententiæ, quæ affirmat

Quòd Christus Dominus ac Redemptor noster, ab ipso Instanti Conceptionis Incarnationisque suæ, Passus sit per omnem usque vitam suam, usque ad instans Mortis.

Probatur hoc Primò ex Sacra Scriptura Veteris Testamenti.

Psalmo 37. 18. dicit Dominus per os David. *Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.* Hieronymus ex Hebræo sic vertit. *Pauper ego, & ærumnosus: ab adolescentia mea, portavi furorem tuum, & conturbatus sum.*

Psalmo 72. 14. *Et fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis.*

Psalmo 87. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Legunt alii. *Et exspirans à juventute mea.* apud Augustinum.

Ibidem v. 18. *Circumdederunt me sicut aqua totâ die: circumdederunt me simul.*

Psalmo 30. 11. *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

Isaiæ 9. 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus.*

Psalmo 39. 7. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulâsti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: ut facerem voluntatem tuam: DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Job: 30. 16. *In memetipso marcescit anima mea; & possident me dies afflictionis.*

Ibidem v. 27. *Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.*

Hæc, similiaque Scripturæ Sacræ oracula, additis tum Patrum, tum aliorum interprettaionibus, affirmant satis Animam Christi Domini, in perpetuis doloribus perseverâsse.

Probatur Secundò, ex Sacrâ Scripturâ Novi Testamenti.

Marci 10. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptisor, baptisari? Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: & baptismo, quo ego baptisor, baptisabimini.*

Lucæ 12. 50. *Baptismo habeo baptisari: & quomodo coarctor, usq; dum perficiatur.*

Lucæ 9. 31. *Loquebantur excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem.*

Matthæi 2. 11. *Et intrantes domum, invenerunt*

nerunt puerum cum MARIA Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

Hebræorum 10. 5. *Ingrediens in mundum* (Christus) *dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptâsti mihi. Holocautomata pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: ut faciam DEUS voluntatem tuam. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem Corporis IESU Christi semel.*

Marci 10. 32. *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos IESUS, & stupebant, & sequentes timebant: & cœpit eis dicere, quæ essent ei eventura.*

Lucæ 18. 31. *Factum est dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem. Et non receperunt eum? quia facies ejus erat euntis in Ierusalem.*

Lucæ 9. 23. *Dicebat autem ad omnes. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Matthæi 10. 38. *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

Lucæ 14. 27. *Qui non bajulat Crucem suã & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Ex his, similibusque Domini Nostri ad Crucem à nobis quotidie ferendam exhortationibus, evidens est Christum ipsum eam quotidie tolerâsse, & portâsse, propter nostram salutem, & exemplum.

Probatur Tertiò ex Patribus.

Sanctus Hieronymus illa verba Psalmi 87. 16. *Pauper sum ego: & in laboribus à juventute mea?* explicat. *A tempore Carnis assumptæ.*

Idem Sanctus in Psalmi 38. 18. illa verba. *Quoniam ego in flagella paratus sum*: sic ait. *Præparo me ad sustinendam Crucem, lanceam, fel, acetum, ut per hanc mortem, meo sanguine, redimam populum pereuntem. Quia Christus ad hoc venit, ut Passionem sustineret.*

Sanctus Bonaventura libro de Perfectione vitæ Cap: 6. ita loquitur. *A Prima die Nativitatis suæ, usque ad ultimum diem, mortis suæ, Christus Dominus, semper fuit in Passionibus, & doloribus, sicut ipse testatur per Prophetam dicens. In laboribus à juventute mea.*

Sanctus Chrysostomus in Psalmi 37. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Sic commentatur. *Ea enim de causa cum carne in mundum venire sustinuit: quemadmodum ipse precans dicebat. Quid dicam Pater serva me, ab hora hac: sed propterea veni ad horam hanc, & dolor meus in conspectu meo semper. Nostri scilicet commiseratio: propter quam habet perpetuò suæ Passionis memoriam.*

Sanctus Bernardus Ponderans verba Isaiæ 9. 6. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Cujus imperium super humerum ejus. Crucem* (ait) *quam Imperii nomine significavit, nativitati statim adjungens: quia profectò à nativitatis exordio, Passio Christi exorta est.*

Idem Sanctus alio loco ait. *Volve, & revolve vitam boni IESU; & non invenies eum, nisi in Cruce; ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit, in amaritudine, & angustia.*

Serm: 3. de Passione

Serm: de Passione Cap: 8

Ejusdẽ Sancti notum est dictum illud. *Tota vita Christi, Crux fuit & Martyrium.*

Beatus Laurentius Justinianus, libro de gradibus Perfectionis Cap: 9. sic ait. *Christus à suæ Redemptionis exordio, quo adusque in Cruce confixus Patri reddidit Spiritum: nunquam pati desiit: non sicut cæteri, sed incomparabiliter supra universos. Longè tamen efficacius in Anima, quàm in Corpore, perpessus est dolores maximos, actuales cruciatus, spirituales gladios.*

Probatur Quartò ex Authoribus.

Bellarminus Cardinalis interpretans Psalmum 87. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Sic commentatur. Ne putarent homines Christi Passionem, trium horarum, aut unius diei tantùm fuisse, revelat hic nobis Spiritus Sanctus, Christum in diebus carnis suæ, nunquam sine passione vixisse. Nam propter Calicem mortis amarissimæ, quem semper ante oculos mentis habuit in omni ætate sua, in laboribus, & ærumnis fuit. Pauper inquit sum ego, & in laboribus à juventute mea: id est: cùm in forma Dei essem beatus, & dives: propter vos homines egenus factus sum, & in laboribus à juventute mea, sive à pueritia mea; quod significat vox hebraica. Poterat etiam verè dicere: ab infantia mea.

Idem Cardinalis libro 2. de Gemitu Columbæ. Cap. 3. tractans de longitudine Passionis Chrtsti. ita loquitur. [Tota vita Christi perpetua Passio & Crucis Passio, dici potuit. Siquidem ab ipsa Conceptionis hora cognovit sibi Crucem esse paratam, eamque libentissimè acceptavit pro honore Patris, pro salute hominum: & semper eam ante oculos mentis sic habuit, ut verè dici posset, toto vitæ suæ tempore in Cruce pependisse.]

Idem Author ibidem ex creberrima Christi Domini adhortatione discipulorum, seu omnium nostrûm ad Crucem à nobis perpetuò bajulandam: rectè concludit ipsummet Christum Dominum, totâ vitâ suâ Crucẽ suam quoque bajulâsse

propter salutem nostram.

Cornelius a Lapide ad Lucæ Cap: 12. 50. illa verba Domini. *Baptismo autem habeo baptisari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur*, cùm præmisisset sensum ex Euthymio. *Velut anxius sum propter tarditatem.* Et ex Theophylacto. *Et quomodo constringor.* id est. *quàm solicitus & anxius sum, ac premor donec perficiatur Baptismus meus*, seu Passio & mors pro salute hominum: quo etiam modo Sanctus Ambrosius, Beda, & alii. Arabicus autem. *Et ego coarctor ad perficiendum.* Sanctus Irenæus lib: 1. Cap: 18. legit. *Et valde propero ad illud*: postea hæc subdit. [Moraliter hîc nota, quantus fuerit in Christo zelus, quanta charitas, quanta sitis salutis nostræ: utpote quæ tantam in eo sitim Passionis, Mortis, & Crucis, licèt tam atrocis excitavit, ut cor ejus inter eam, & inter Passionis moram, quasi inter duos lapides molares in molendino positum arctaretur, & in summas angustias redigeretur, aut velut in torculari situm, angore comprimeretur, & pœnè opprimeretur. Et hoc quidem non fuit in ipso Passionis tempore; jam enim tunc, & Calicem bibebat interiorum, & Baptismo baptisabatur exteriorum dolorum de facto: fuit ergo ante Passionem, fuit per totam vitam Christi, ab ipso vitæ exordio: quoniam Christus jam tunc, eadem prorsus & charitate, & eventurorum sibi scientiâ pollebat, quâ in omni reliqua, & etiam in extrema sua vita. Unde apud Sanctum Marcum loquitur Dominus de Calicis potu, & Baptismi baptisatione *Potestis* (ait) *bibere calicem, quem ego bibo, & baptismo, quo ego baptisor, baptisari?*

Laurentius de Aponte in Caput 2. Matth: ad V. 11. n. 60. & sequ. cùm inquirit, quare tres Magi Christo Nato, inter munera Auri & Thuris, etiam obtulerunt Myrrham. Primum verba Paschasii Ratbodi adducit, de hoc Myrrhæ munere loquentis. [Per Myrrham, quâ „ mortuorum Corpora passim condiebantur, eum testati sunt, velut ex præsagio „ humanitus moriturum. Ex quo, si jam „ tunc voce editâ loqueretur, poterat ut „ alibi ipse fatetur, dicere. *quod ad sepeliendum me fecit.* tum de suo subdit. Verè. „ Nam ex tunc, ex magnitudine amoris, ex „ obedientia Patris, ex ardore Spiritûs Sancti, pro nobis Crucem apprehendit, & „ mortem est amplexatus. Unde hoc in „ Spiritu David prævidens, in persona „ Christi Psalmo 39. 6. ait. *In Capite libri* „ *scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* A *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Qualis illa voluntas? ut in assumpta humanitate legem novam constituam, „ humiliter mortem pro redemptione humani generis perferam, ait Incognitus. „ tum de suo sensu pergit author citatus. „ Ergo ex tunc quando Incarnatus, hoc in „ Dei prædestinationis libro legens, sic ardenter, sic amanter, sic efficaciter, sic „ continuè, hanc est amplexatus legem, ut „ non in angulo, non in parte, sed in medio Cordis eam haberet, quasi Cordis „ animam & Spiritum, quo viveret & alimentaretur Cor. Sic ut ex memoria Crucis, ex habitu Mortis viveret, ac respi- B raret. Moriturus: si sine memoria mortis; defecturus, si sine memoria Passionis; „ vivens & motum percipiens vitalem ex „ sepulturæ memoria, & affectu Passionis. „ Calefactus, & calorem suscipiens ex sanguine fundendo, ex morte patienda. „ Hinc voluit, & præordinavit, ut ex tunc „ jam inde vix natus, Myrrha ei offerretur.

Antonius Gaudier de Perfectionis natura & Causis: Parte quartâ, Sectione 12. de duodecimo instrumento Perfectionis. Parte 1. Cap. 5. Dubium non est (ait) „ quin unicum Christi sacrificium in Cru- C ce, Deo abunde satisfecerit, pro toto „ mundo, cùm vel unica Christi actio potuisset esse satis, ob infinitam Personæ satisfacientis dignitatem: nisi & Deus, & „ Christus voluisset esse copiosam nostram „ redemptionem. Verùm si actus internos „ Christi spectemus: non unius tantùm „ mortis, vel sacrificii, ad tres horas in „ Cruce, peracti, terminis contineri potuit „ copiosissimæ redemptionis voluntas, (saltem conditionata) in Christo, quin & pati sæpius pro nobis, & plura perferre ardentissimè desideraret, si vel Deus voluisset, vel opus fuisset. Hoc desiderium „ D habuisse Christum tradidit Sanctus Bonaventura, in meditationibus de Passione „ Domini, nec videtur posse esse ullum de „ eo dubium. Nam si rem ipsam consideremus, nihil implicat, nullum omnino inconveniens est, imò & valde laudabilis „ est hic actus, & Christo dignus, & non „ inutilis sed efficax. Nam tanta est Dei „ Majestas & excellentia, ut nonnisi omni „ infinito modo satis honorari possit. & „ fuit quidem sacrificium Crucis infinitum, „ quia tam offerens, quàm hostia erat dignitatis infinitæ, at poterat addi etiam infinitudo durationis, ut saltem quam diu „ mundus & homines durarent, sacrificium quoque coram Deo appareret. Idem „ postu-

postulabat veluti suo jure, læsa Divina Iustitia, ut tot hominum ab initio mundi sibi succedentium continuis peccatis, satis fieret etiam continuâ expiatione sacrificii condigni cruenti. Erat ergo valde rationabile, ut Christus Crucis suæ sacrificium ad Deum tum honorandum, tum placandum; (si ita placeret) permanere ad mundi finem peroptaret. Christi etiam inexhaustus erga Patrem Amor, & observantia, & erga nos Charitas idẽ convincunt. Sanctissima enim ejus Anima, in ipso articulo creationis suæ, Dei bonitatem infinitam, erga se, & erga humanum genus, contemplata, immenso amoris æstu, & Dei Gloriam, & hominum salutem, quam Deo cordi tantopere esse videbat, ut ejus procurandæ præceptum imponeret: ita suscepit promovendam, ut inexplicabili prorsus vi amoris & desiderii consumeretur quidlibet agendi, & patiendi, in eum finem. Ut sicut Dei erga se, & erga homines bonitatem & amorem videbat esse infinitum; ita amorem etiam suum, quantùm poterat, & intenderet & extenderet. Quare nec paucis illis horis aut unicâ in Cruce morte definitus ille est, sed semel mortuus est, ita & millies mori optâsset; & quomodo omnium causâ, & pro omnibus mortuus est, ita & unius tantùm causâ (si Pater ita jussisset) copiosissimum ille & paratissimum Amorem, ad tot Cruces habuisset; & si ita opus fuisset, non tribus tantùm horis confectum doloribus in Cruce pendere, sed etiam idem ad extremum judicii diem pati. Tanta fuit primi illius amoris efficacia, ut unicus ille satis ad id fuisset. Nec proinde mirum est, si toto vitæ tempore urgebat eum ille amor, ita ut diceret. *Baptismo habeo baptisari: quàm coarctor usque dum perficiatur?* Tantus enim erat Amor, non patiendi tantùm, sed suo se sanguine tingendi, & mergendi, pro nostra salute: ut quælibet ei hora præ Amoris magnitudine, mille anni viderentur, & licèt multa pro nobis & faceret, & pateretur, tamen omnia nihil esse putaret nisi totus mergeretur.] Hæc supra dictus Author. Qui licèt de amore & desiderio patiendi in Christo loquatur: in idem tamen recidit, & ipsa Passio interior Animæ Christi, dolorque quàm maximus ejus, ex objectis, non tantùm plurimis, sed etiam maximis, semper Animæ illi præsentibus. Quoniam cognitio & præsentia illa non potuit esse sine dolore. tristitia, horore, aliisq; connaturalibus effectis intus in Anima, estò in eos non semper, sed nonnisi quando ipsi placuit, ordinatumque fuit, ad extra prorumperet. Unde illud, quod Matthæus dicit de Christo ad hortum pergente. *Cœpit pavere, tædere, contristari, & mæstus esse.* Non eum sensum habet, quasi nunquam hactenus tristitiam, & metum, doloremve interiorem passus sit, eique tunc primùm hospes veluti ingratus advenerit, id enim cum plena Christi futurorum & præsentium præscientia non cohæret: sed quia illo tempore, à semetipso præordinato, atque adducto, manifestandoque, & patiendo exterius etiam dolori ac mœrori, nec non tœdio destinato, cœpit exteriùs quoque dolere, pavere, tœdere, mœstus esse, voluntariè atque sponte propriâ. Ad eum modum, quo de eodem Domino Nostro dicitur. *Et IESUS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.* Luc: 2. 52. apparebat enim pro suo arbitrio, quando, & quibus volebat, sapiens, & sapientiqr, & sapientissimus, licet in se nonnisi semper esset sapientissimus, atque etiam ipsa sapientia.

Vincentius Caraffa Itinerarii ad Cœlum Parte 3. Cap: 6. §. 9. tractans de prærogativis Passionis Christi: unam harum dicit fuisse, Continuationem. Cœpit enim à principio Conceptionis suæ Passionem suam: idque ob notitiam & apprehensionem internam tum offensarum Dei; tum damnationis hominum, tum Passionis & mortis suæ sibi adventuræ: propter quod loquens Dominus de sua Passione, secundùm Marcum Evangelistam Cap: 10. 38. non loquitur de illa tanquam futurâ, sed tanquam de præsente, & sibi actu dolorem inferente interiorem, etsi nondum exteriorem. ait enim Jacobo & Joanni. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, & baptismo, quo ego baptisor, baptisari?*

Leonardus Lessius de Divin: Perfect: Lib: 12. Cap: 17. num: 130. & sequ. Cùm recensuisset aliquas difficultates, Christo in Redemptione nostra objectas, ab eoq; clarè & distinctè cognitas, postmodum hæc loquitur. [Ratio dolendi de peccatis nostris in se susceptis à Christo, eidem fuit duplex. Prior injuria Divinæ Majestati per peccatum irrogata. Altera Damnum humano generi inde proveniens. Cernebat ille perspicuè & in particulari, peccata omnia, & quanta singulis, infinitæ illi bonitati, & majestati fieret injuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quàm totum

genus nostrum sibi per peccatum accersiverat. Hinc dolor excitabatur acerrimus: Magnitudo enim doloris seu tristitiæ, sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitionis, quâ malum illud apprehenditur. Atqui malum hic erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra Divinum Numen) tum in ratione pœnæ: quæ enim major calamitas & afflictio fingi potest, quam æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectissima. Multò enim exactiùs singula considerabat, & ponderabat, quàm ulla creatura posset. Itaque oportebat & ipsum dolorem maximum esse: ut qui magnitudini mali, & perfectioni apprehensionis responderit. Unde non dubitaverim affirmare hunc dolorem sufficientissimum fuisse, ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in Corpus exercere permissus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi, seu mœstitiæ, vitam intercipere, & hominem occidere possit, multis exẽplis constat. At dolor, quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longè major fuit, & intensione, & æstimatione, quam ullus dolor qui in hominem cadere possit. Sed dispensatione factum, ne vis ejus in Corpus se proferret, nisi quando, & quantùm Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium affectuum, appetitûs inferioris, & commotionis spirituum, & sanguinis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio Conceptionis usque ad finem vitæ, sicut & apprehensio peccatorum: quamvis non semper æquè in appetitum inferiorem, & corpus permissus sit redundare, sed interdum plùs, interdum minùs, prout occasiones exteriores, & tempus, & locus postulabant. Maximè autem ei laxatæ habenæ in horto &c.

Joannes Eusebius Nerembergius lib: 2. de Adoratione Cap: 5. tractans de Compassione Christo Patienti à nobis debita, deque motivis, quæ in Christo Passo ad eam habemus: ita deinceps pergit.

[Plùs tamen debent nos commovere, quæ passus est per totam vitam in uno membro, sanctissimo scilicet corde: cujus dolor immensus fuit à primo instanti suæ Conceptionis, & duravit quàmdiu vixit. Cor est, quod primò excruciatum fuit, & quòd ultimò. Tantò magis doluit Cor ejus, quantò reliquorum omnium membrorum, intolerabiles dolores, in uno illo passus est, quod est omnibus mé-

A bris delicatius. Non minor afflictio latuit in corde Jesu, ab illo instanti (conceptionis) quam habuit in horto, cùm sudavit sanguinem per omnia membra. Quemadmodum illic ex vivida apprehensione dolorum & cruciatuum Passionis suæ, insolito & terribili modo afflictus fuit, sic etiam æquè intensè apprehendit eosdem dolores in utero amantissimæ Matris. Cognitio enim Christi non fuit imperfecta, eo maxime tempore, cùm negotium nostræ redemptionis acceptavit, & proposita fuit illius intellectui, sine ulla dissimulatione, omnis difficultas toleranda & vincenda. Apprehendit ibi intensissimè suam Passionem, labores innumeros vitæ suæ, opprobria, & contemptus. Ista afflixit illum ab eo tempore hæc cognitio suæ Passionis, & plùs fortasse quam in horto, si inæqualitas fiat. Nam in Gethsemani erupit exteriùs sensus doloris, diffususque fuit per omnes artus, ut communicatus in toto Corpore angor, minor remaneret in corde: at in utero gloriosissimæ Virginis MARIÆ, retentus est totus dolor intrinsecus, iu uno membro tenerrimo, scilicet corculo infantis Iesu. Cùm quis lacrymatur, minùs sentit afflictionem, quàm cùm recluditur angor in corde siccis oculis. Sic Christus, dum non sudavit, & sanguinem fudit, plus fortasse doluit, quia nulla particula angoris, evaporata fuit. Oportuit tamen ad nostrum documentum monstrari semel exteriùs, quantum passus est semper interiùs. Continuatus deinde fuit iste mœror per omnẽ vitam. Perfectissimè, & perspicacissimè, ut in se erant, cognoscebat semper omnia Jesus. Nisi divina dispensatione adjutus fuisset, illo ipso instanti, quo cœpit vivere, mortuus fuisset, præ doloris magnitudine. Ideo maximum & continuum miraculum fuit vita Jesu.] Hæc nominatus Author, qui etiam interjectis aliquibus, ad idem propositum: sic deinde pergit eodem loco. [Habitabat in Christo plenitudo Divinitatis, & clara Dei visio illum illustrabat: quæ tamen aliquibus affectibus non obstitit; sed dispositum miraculosè fuit, ne per illam, affluentia gaudii totum Corpus, & interiores animi portiones occuparet, ut daret locum dolori, sicut accidit in Passione. At in Corde Iesu dolenti pro peccatis nostris, non tantùm dedit locum summæ tristitiæ, sed auxit summopere propter altissimam Dei offensi cognitionem. Quò enim major fuit Cognitio Dei, majo-

majorem dolorem causabat, & Christus solus, multò majorem cognitionem intuitivam Dei habuit, quàm omnia Cherubim, & Seraphim, & reliqui omnes Spiritus, ac simul omnes homines beati. Amor quoque Christi erga Deum offensum, æqualis fuit visioni divinæ majestatis, quare dolor ejus, nec explicari, nec cogitari potest. Nam non amisit occasionem patiendi quantum potuit, & decebat. Imò miracula fiebant stupenda, in sua Sacratissima Anima, ne impedirentur dolores.] Hæc Nerembergius. Cujus idcirco productius verba adduxi, quia & plenè exactèque exsequitur dolores Christi internos totâ vitâ continuatos, & causas eorum solidè proponit, & objectionibus, quæ huic sententiæ, de magnitudine, & perpetuitate internorum Christi dolorum, ac mœrorum fieri possunt, satisfecit.

Theophylus Raynaudus libro 4. de Christo sect: 2. Cap: 9. a Num: 443. Etsi nonnihil cunctatur agnoscere & asserere in Christo Domino perpetuam Crucem, continuatosque ab instanti Conceptionis suæ usque ad Passionem dolores & tristitias exaggeratas: nihilominus ponit fundamenta moderatioris suæ sententiæ, talia, quæ perinde probant & inferunt totius vitæ in Christo Domino acerbissimos Animæ dolores. Ac primò de Christi desiderio: quo ad patiendum pro nostra salute insaturabiliter arsisse eum agnoscit, ita loquitur. [Ea fuit æstuositas desiderii nostræ reparationis in Christo Patiente, ut Cervæ matutinæ à Psalte sit collatus ex ea causa, interprete Augustino. Nihil item in Scriptura crebrius, horum Christi Patientis desideriorum expressione. Jure autem dixisse videor, hoc desiderium fuisse in Christo insaturabile; quandoquidem cum posset uno suspiriolo, aut genuflexione nos reparare, tamen tam copiosam esse voluit redemptionem, totque sibi optavit incommoda, ut scilicet nostris desideriis, eorumque insatiabilitati mederetur. Eò sanè pertigit hoc patiendi in Christo desiderium, ut etiam mortuus pati voluerit: & quod tunc extinctâ jam vitâ pati sensu præsenti non poterat, desiderio anteriore suppleverit dum adhuc superstes esset.] Hæc de desiderio Theophilus. Jam de dolore sic affirmat. [Dolorem sub tempus Passionis, & in ipso ejus vestibulo toleratum in Anima, ex prænotione omnium simul tormentorum facta, & ex maxima charitate doloris veluti Cote, acerrimum fuisse, & vel æquâsse, vel etiam superâsse quemcunque Christi cruciatum in Passione, ob adunationem simul omnium dolorum intellectu perspicacissimo præconceptam, & perfectissimâ Phantasiæ actione appetitui propositam. Hunc dolorem Animæ Christi, de quo nunc agimus (scilicet in parte inferiore Animæ appetituque sensitivo) acerbissimum & acerrimum, volo secerni à tristitia voluntatem superiorē occupante, ex objectis tristibus, per rationem superiorem exhibitis. Dolor enim Animæ Christi, de quo nunc agimus, per appetitum sensitivum, prælucente phantasiâ exprimebatur, ex redundantia tristitiæ illius superiorem voluntatem quasi mergentis.] Hæc ille.

Sciendum verò ab hoc optimo scriptore duplicem dolorem tristitiamque Animæ Christi (extra tempus Passionis) assignari & distingui. Unum, quem Dominus passus sit in voluntate superiori, & appetitu rationali, cui etiam ratio superior, & plurissimas, & gravissimas tristitiæ, dolorisque causas objiciebat, & proponebat. Alterum, quem Dominus sit passus in Appetitu inferioris Animæ partis, videlicet sensitivo, prælucente & proponente objecta hujus doloris phantasiâ.

Eodem l. 4. sect. 2. C. 4 à Num. 225.

Primum dolorem in parte volunt teq; rationali, in Anima Christi agnoscit hic Author, fuisse acerrimum atque maximū, sive, ut ille ipse Author loquitur: Meracissimum, abyssalem: & licet expresè ab eo dictum non inveniam, quod totâ vitâ suâ usque ad mortem, à prima Conceptione hoc dolore & tristitiâ doluerit, nullum tamen etiam reperio negandi fundamentum: neque facilè potest assignari causa, cur potiùs aliquo tantum, & non toto vitæ Domini tempore dolor hic viguerit in Animæ Christi voluntate.

Alterum Dolorem Author restringit, eumque in Anima Christi fuisse agnoscit tantum sub tempus Passionis, & in ipso ejus vestibulo toleratum, ex prænotione omnium tormentorum simul facta, & ex maxima charitate, doloris veluti Cote. Quem tamen Dolorem sensitivæ partis, refugit agnoscere idem author durâsse per totam vitam vitam Domini nostri antecedentem ab initio. Qua de re nolo litem movere: sufficit enim proposito meo præsenti, agnosci ab authore hoc, dolorem in Animæ Christi voluntate rationali sanè per omnia maximum, totâ vitâ continuatum. Nihil præjudicante visione intuitiva Dei, & gaudio beatifico

ejusdem Animæ, & ejusdem voluntatis, quod miraculum semel admissum, non video cur etiam locum habere non potuerit in ejusdem Animæ parte inferiori, sensitivoque appetitu ejus. Cùm magis videatur repugnans: Animæ Christi partem rationalem superiorem & gaudere beatificè de viso intuitivè Deo, & eandem abyssis tristitiæ mergi, ob gravissima, plurima, intellectuque perspicacissimo plenè cognita, & eidem voluntati à ratione superiori proposita: quàm sensitivum appetitum ob proposita sibi à Phantasia tristitiæ objecta tristari, dolereque maximè, & simul tamen tum beatificè in rationali appetitu gaudere, tum interdum ad tempus ejusdem inferioris partis gaudio gaudere, si & objectum, & ratio ita ferret. Sed de hoc aliquid infra afferetur ex Cardinali de Lugo, paulò post adducendo.

Cornelium à Lapide jam semel adductum adduco iterum: quia & ipse non est gravatus repetere suam sententiam, & eam argumentis uberioribus confirmare. Igitur in Cap: 26. Matth: ad versum 37. inter alia sic habet.

[Nota hic primò in Christo fuisse veram tristitiam: licèt enim ipse ab initio Conceptionis suæ frueretur visione Dei hypostaticè sibi initi, essetque Beatus, & in summo gaudio, tamen summè quoque tristatus est, sed respectu diversorum objectorum saltem formalium: Nimirū Deo supernaturaliter capacitatem Animæ ejus extendente & dilatante per concursum specialem, quo concurrebat cum Anima Christi, ut simul summum gaudium ob visum Deum, & summam tristitiam ob instantem sibi mortem, suscipere & elicere posset. Ita communiter Theologi, qui refellunt Melchiorem Canum, dicentem, in Christo suspensum fuisse gaudium, quod naturaliter ex visione Dei sequitur, eo tempore, quo fuit Viator, ut dolere & tristari posset. Christus ergo simul fuit & Viator & Comprehensor: ut Viator tristatus & passus est, ut Comprehensor beatus exstitit, & gaudio plenus. Porrò Christus non tantùm quà Comprehensor, sed etiam quà Viator simul summè gaudebat & dolebat de sua Passione. Dolebat enim de ea secundùm partem Animæ inferiorem, quatenus hæc Passio fuit noxia naturæ; gaudebat de ea secundùm partem superiorem, quatenus illa erat à Deo volita, & ordinata ad hominum salutem.

Nota Secundò. Hanc tristitiam non tantùm in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate Christi fuisse, saltem secundùm partem ejus inferiorem, quæ naturaliter respicit & amat bonum naturæ suæ, scilicet vitam & sanitatem, refugit verò oditque mortem, & dolorem, de iisque tristatur. Id ita esse patet ex Christi verbis, dum orans Patrem, ait, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Voluntate ergo suâ naturaliter volebat liberari à morte.

Porrò multæ fuerunt in Christo Causæ tristitiæ, ob quas ab initio *Conceptionis*, per omnem vitam, usque ad mortem *continuò summe tristatus est. &c.*

Franciscus Arias de Imitatione Christi lib: 3. Parte 3. Tract: 1. Cap: 22. initio. Tractans de Prudentiæ virtute, prout illa stimulat animum, ad operandum bona, cum diligentia, atque promptitudine, pro oblatis ad id occasionibus: probat hoc exemplis inprimis ipsius Christi ac primùm isto. [Illo ipso temporis puncto, quo Pater Æternus decrevit dari initium Redemptionis Generis humani; subitò Filius Dei de regalis gloriæ suæ sede descendit in istud exilium, & humiliatus, atque nostrâ carne vestitus, verusque homo pro redimendo homine factus est. Et quia redempturus eum erat patiendo pro ipso, ideo in instanti Conceptionis suæ ex Virgine, & postquam creata ejus Anima benedicta, corporique infusa, & personæ Divinæ hypostaticè unita est, incepit statim pati pro homine. Quoniam in illo eodem puncto, vidit illa Anima omnia tormenta, opprobria, & mortem in Cruce, per quam illi transeundum patiendo fuit. Vidit & omnia peccata quæcunque homines commiserant, committebant, & commissuri erant, ab initio mundi, usque ad finem. Atque hæc causabant in illa Anima Sanctissima angustias, & tristitias inenarrabiles, & incomparabiles, & durantes usq; ad mortem.

Ludovicus de Ponte tomo 1. in Cantica lib: 4. Exh: 4. initio, ubi sic loquitur. [Tertius fasciculus Myrrhæ colligendus superest, ex amaritudinibus & doloribus, quos perpessus est Christus Dominus, ex quo in utero Virginis conceptus est, usque dum exspiravit in Cruce.] Et post interjecta aliqua. [Sed ulteriùs, quia illum nihil unquam latuit, tunc (infans in utero) perfectissimè cognovit etiā cuncta quæ usque ad mortem Crucis passurus erat, ad eaque perferenda pro nobis libentissimè se obtulit. Unde in ipso primo suæ Conceptionis instanti, plenus fuit

fuit eâ myrrhâ, quam postea erat paulatim producturus foras. Tunc bibit simul voluntate & affectu totum calicem Passionis, quem successu temporis bibiturus erat per partes.]

Bartholomæus de Amicis libro 2. Meditationum de Sacris Christi Vulneribus. Medit: 7. quæ est de vulneribus Christi Domini internis, in ipso initio ita loquitur. [Considera quomodo Sancta Anima Christi, statim postquam animavit corpus ejusdem, cognovit voluntatem Dei Patris, de redimendo genere humano à peccatis, per ipsius Christi mortem. Ubi simul repræsentati sunt illi omnes dolores & ignominiæ, quas perpessurus erat, repræsentatæ autem non in confuso, sed prorsus distinctè, & quælibet sigillatim. Unde Christus cognoscendo omnes illas pœnas, atque contemptus, & ignominias, vivacissimè, statim in ejus voluntate causata est angustia quædam acerbissima, quæ illum torsit plùs quàm dum in actuali Passione perpessus est dolores extrinsecùs. Externi enim & actuales Passionis dolores adveniebant Domino successivè & unus post alium separatim; at in angustia illa, atque tristitia interna, repræsentati sunt illi omnes simul distinctè, tanquam si mare dolorum, & afflictionum irruisset in Sanctissimam illam Animam, eamque inundâsset. Hic anima mea subsiste & admirare Sanctissimam illam Christi Domini Animam in corpusculo intra viscera materna manentem, simul verò tunc inundatam unâ immensâ afflictione, tanto majore, quantò adhuc tunc erat corpusculo teneriori, & imbecilliori unita.]

Hugo Victorinus relatus à supra dicto auctore sic loquitur de Christo. [In illo instanti Conceptionis, Divina Voluntas, per justam sententiam mortem dictabat, & Christi Voluntas, per obedientiam, illam sententiam acceptabat.]

Aloysius Novarinus lib: de Tributo Divino, trib: 15. ait Dominum non fuisse parcum in sua pro nobis Passione; idque à primo Conceptionis suæ instanti.] Ut supra retuli Modo 63. initio.

Cardinalis de Lugo de Incarnatione disp: 22. sect: 2. de Dolore & tristitia Animæ Christi disputans. Asserit primò num: 15. [De Dolore, certum de fide est fuisse in Christo. *Isaiæ 53.4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* qua de causa appellat eum Propheta, *Virum dolorum.* Hoc etiam probant omnia testimonia, quæ dicunt Christum Passum esse. *Lucæ 24.26. Nonne oportuit Christum pati: & ita intrare in gloriam suam.*

Deinde ad Tristitiam (quàm à Dolore distinguit Num: 19.) progrediens, eam sensibilem cum dolore, cumque aliis sensuum molestiis, eidem Christo Domino attribuit.

Dubitat postea, & quærit, an Tristitia fuerit solùm in appetitu sensitivo, an etiã in voluntate Christi? Num: 20. atque ait quòd [Communis & verissima sententia est, actum Doloris & Tristitiæ fuisse etiam in voluntate Christi, & quidem non solùm in portione ejus inferiori, sed etiam in superiori, Num: 21. Cùm enim hæc sit quæ versatur circa res & rationes æternas, Christus autem tristatus fuerit de fuga discipulorum, & de peccatis hominum, propter offensam Dei: item de morte sua, quæ etiam considerata secundùm regulam rationis superioris, erat objectum honestè amabile: non est cur negetur actus tristitiæ in voluntate Christi, secundùm portionem etiã superiorem voluntatis.

Post hæc subdit num: 22. [Difficultas gravior est, quomodo potuerint esse simul in eadem voluntate, actus summæ delectationis, qualem habebat Anima Christi, ortam ex visione beata, & actus vehementis tristitiæ. Hi enim actus videntur esse contrarii inter se, nec posse simul constare, quòd aliquis hilaris sit & tristis, in gradibus intensis.] Huic difficultati respondet in hunc Modum. Num: 26. [Solutio communis est. Gaudium vehemens habere quidem repugnantiam naturalem, cum tristitia: non tamen essentialem, atque adeo ex Divina dispensatione factum esse, ut potuerint esse simul in voluntate Christi, ad hoc ut pateretur pro nobis, non obstante repugnantiâ naturali.] Hanc eandem solutionem referunt ex aliis Theologis, & sequuntur, Suarez in 3. Part: tom: 1. disp: 38. sect: 3. Vasquez ibidem disp: 37. Cap: 4. &c. quorum verba hîc referre ego supersedeo, cùm Cardinalis eorum sententiam jam retulerit in sua? Quamvis autem Cardinalis non sic explicet, agnoscatve Christum totâ vitâ suâ dolorem atque tristitiam in voluntate, & sensitivo appetitu habuisse: nihil refert; cùm ejus assertio, perinde serviat toti vitæ Christi, sicut alicui ejus parti. Addo præterea: Cardinali, nihil ferè dubii esse de Christi dolore & tristitia in appetitu sensitivo animæ ipsius, præcipuam esse difficultatem, an etiam in voluntate ejusque supe-

superiori parte dolor & tristitia fuerit.

Maneat ergo certum, in Anima Domini nostri extitisse dolores & tristitias perpetuas, easque gravissimas ab initio Conceptionis ejus, in mundum, usque ad articulum mortis in Cruce.

Quæ autem fuerint sive objecta, sive motiva, sive causæ, quæ hanc perpetuitatem, simulque enormitatem dolorum ac tristitiæ in Anima Christi causaverint, excitaverint, & foverint, libet ex variorum sententiis assertionibusque collecta in unum, hoc loco strictim edisserere, & finem tandem tractatui huic imponere.

Supposito, quòd juxta doctrinam Fidei Christianæ, Dominus noster JESUS Christus fuerit Deus-Homo & quod in ipso Conceptionis suæ humanæ: ejus humanitas hypostaticè fuerit unita Divinitati, seu Divinæ VERBI Personæ: & quòd ab eodem instanti, Anima ejus intuitivè & beatificè Deum viderit, inque videndo semper perseveraverit; & quòd ab eodem instanti Conceptionis perfectum rationis humanæ usum habuerit, nō minusque tunc, quàm in tota reliqua vita atque adeò etiam in præsenti, omnia sciverit, cognitionemque omnium suæ perfectioni congruam, & plenissimam habuerit, rerum tam præteritarum, quàm præsentium, quàm futurarum, quoad omnes circumstantias earum; & quod ex speciali dispositione Dei, Christum ad salutem, redemptionemque generis humani per peccatum perditi, æternæque damnationi, & iræ Divinæ obnoxii, ordinantis: beatitudo Animæ illius visione Dei fruentis prohibita fuit in totam Humanitatem Christi, (uti connaturaliter debebat) dimanare, sed relinquere patibilitatem, atque mortalitatem in eo, utpote per Passionem, atque mortem negotium salutis humanæ peracturo. Supposito inquam, hoc quòd retuli toto, manifestè sequitur, Christum Dominum sive Animam ejus perspicacissimè, atque plenissimè habuisse cognita omnia objecta ad Passionem, & mortem suam pertinentia, omnesque causas, omnes fines, omnes effectus, omnes conditiones, atque circumstantias, omnes uno verbo, Dei tam absolutas, quàm permissivas, circa se, & circa vitam, nec non Passionem, mortemque suam voluntates.

Sciebat ergo Christus Dominus plenissimè suam à Deo, ante omne meritum suum, exaltationem & dignificationem, collatam sibi ab ipso per unionem Hypostaticam, per visionem Essentiæ Dei intuitivam, per beatitudinem, gaudiumque & fruitionem Dei beatificam. Ex hac scientia, & Cognitione plenissima, tantæ suæ dignificationis a Deo, & tantæ Bonitatis, dilectionis, liberalitatisque Dei super se, ortum habuit in corde Christi, Amor tum appretiativus, tum affectivus, sive intensivus, seu Theandricus, erga Deum, universaque, ad omnem ejus circa se voluntatem, & ordinationem, sibi ex tunc jam perspectissimam, adhæsio, subjectio, promptitudo, & festinatio.

Ex eadem scientia ortum quoque habuit in corde ejusdem Christi, maxima, & planè etiam Theandrica, ejus erga nos homines, & erga omnem salutem nostrā, propter Deum dilectio, promptitudo, profusio; omnimodaque ad exsequendam Dei omnem voluntatem, circa redemptionem nostram resolutio & applicatio.

Ex his duobus capitibus scientiæ nimirum & Charitatis Christi, utriusq; perfectissimæ atque Theandricæ, promanārunt in Christo Domino, reliquæ omnes ejusdem in vita universa, usque ad mortem affectiones, & in his etiam fuere timores, dolores, tristitiæ, angoresque interni; qui sicut ab instanti Conceptionis Christi, habuerunt in ipso locum, ita & habuêre actualem, neque ipsa effectum ob specialem prædictam dispositionem, dispensationemque Dei, in Anima Christi, estò beatā, passibilitatem tamen mortalitatemque relinquentis. Cui etiam nequaquam præjudicabat, imò verò stimulos addebat, Christi Domini, tum erga Deū; tum erga nos propter Deum Charitas, & perficiendæ salutis nostræ alacritas, & aviditas. Cum hac enim consistebat, omnis in redemptione nostra interventura, & jam tunc interveniens, seseque Christi Animæ, & scientiæ, atque Charitati objiciens difficultas. Cujus & plurima & gravissima genera, sive seminaria, fuisse, facilè cuique vel leviter Christi Domini conditionem inspicienti patere potest.

I. *Prima Difficultas*, primumque Seminarium dolorum, & tristitiæ, objiciebat se Christo, ex Infinitudine Dignitatis & Majestatis Divinæ, quæ cum læsa, & contempta conculcataque esset, miserum & indignum in modum valde, à creatura sua vilissima, & ingratissima, scilicet ab hominibus, ejus reparatio, restauratioque, ad omnem usque adæquationem (ne dicam ad excessum) incumbebat Christo Domino: quod onus sanè, plùs quàm gravissimum, difficillimumque fuit, & nullis quan-

quantumlibet Gygantes, sed solis duntaxat Theandricis humeris supportabile, & satisfactibile erat. Christus Dominus ergo infinitè Dignissimam Dei Dignitatem videns, eamque ab hominibus, (quorum ipse unus jam esset) agnoscens, simulque dolens, ac sartam reparatamque quàm plenissimè cupiens, totum se, totasque vires, & studia sua, in id convertit, ut huic cupiditati suæ, id est, Divinæ Dignitatis, quàm plenissimæ, condignissimæque reparationi satisfaceret. Itaque, optabat per secuturam æternitatem huic labori reparationis impendere se totum, si ita Deo placitum esset, ut hac ratione satisfactio sua, non solum ex se ipsa, nec etiam solùm ex satisfaciente se ipso, verùm etiam ex duratione satisfactionis ipsius esset infinita, quòd quia nequaquã statutum vidit: optabat ad finem saltem mundi, & quàm diu duraret genus humanum in hoc sæculo, eidem reparationi Dignitatis Divinæ sese perenniter consecrare ac immolare, quò tali ratione, suam satisfactionem reparationemque Divinæ Dignitatis extendens & intendens quantùm maximè posset, etiam copiosissimè, plenissimè, & condignissimè Deo, ejusq; Dignitati deserviret. Cùm autem neque ad finem mundi suos labores passionesque pro reparatione Dignitatis Divinæ, salutisque nostræ durare, adverteret divini esse consilii atque voluntatis: illud cupiditati suæ remedium adinvenit & adlegit: ut non tantùm octodecim horis extremis vitæ suæ pateretur, neque tantùm tribus horis in Cruce pendens, ac moriens, desideria impetiaque charitatis suæ impleret: sed voluit totâ vitâ suâ, à primo limine illius usque ad punctũ mortis, perpetuam doloris mœrorisque interni quàm exaggeratissimã in corde animoque suo crucem circumferre, ejusque doloris patientiâ Charitatem suam in Dei Dignitatem, & in nostram salutem explere, saturare, & saginare. Quod exaggeratissimum Christi Domini & votum, & opus, etsi exaggeratè satis erat reparandæ quà Dei Dignitati, quà nostræ saluti: nequaquam tamen omni ex parte sufficiebat Charitati, itaque ut illi amplius ampliusque obsequeretur, utque eos quos dilexerat (Deum nimirum, & nos propter Deum) usque in finem diligeret, dilectionemque hanc propagaret, Sacrificium Sacramentumque altaris (nullo intellectu demirandum, nullâ linguâ explicandum) invenit & instituit, in quo perenniter usque ad finem mundi, pro nostra totiusque mundi salute, pro Dei, ejusque Dignitatis exaltatione, immolaretur, cruentaque sua Passio, & Mors, incruentè repararetur, & veluti continuaretur. Hoc ergo primum, & primarium etiam, est seminarium, ut dixi, atque difficultas Dolorifera Christi Domini à primo vitæ instanti usque ad finem ejus.

II. *Altera Difficultas* huic vicina, imò hinc emanans fuit: sita in obligatione reparandæ & satisfaciendæ ad omnem rigorem Justitiæ Dei; quæ cùm infinitè læsa & injuriata, damnoque in re sibi maximè debita atque propria, affecta fuisset, infinitam satisfactionem exigebat, qualem, quia nulla creatura, ac ne simul quidem omnis exhibere poterat, sed infiniti valoris, potestatis, dignitatis, opulentiæq; personam, quæ id præstaret requirebat, propterea hæc difficultas, cum toto suo, quantumquantum in justitia Dei fuit põdere, in Christi Dei-Hominis humeros devolvebatur, immensumque & perennem dolorem in ejus Anima operabatur.

III. *Tertia Difficultas* fuit: ex habitu, conditione, atque statu violatoris, invasorisq; in Divinum Ius & Dignitatem, habituq; Rei læsæ majestatis Divinæ, qui Christo imponebatur, & subeundus fuit, ad hoc si vellet, & ad hoc ut posset hominum redemptionem peragere. Fuit hæc Rei & Violatoris Divini Iuris & Dignitatis habitûs susceptio; usque adeò Christo Domino gravis, & onerosa, ut suâ gravitate, omne reliquum onus Passionis quod supportandum erat in opere redemptionis, longè, longissimèque antecederet, & nisi Charitas Christi, atque liberalitas erga Deum, & erga nos propter Deum, amaritudinem hujus statûs mitigâsset, acerbitatem dulcorâsset, onerositatem sublevâsset, turpitudinem honestâsset: poterat Dominus Jesus, ob hanc unicam Redemptioni nostræ penitus renuntiare. Idque etiamsi tantùm unius peccati, atq; peccatoris speciem, & vultum suscipere debuisset. Quantò verò magis id poterat facere, debebatque abhorrere, quando & omnium sceleratorum, & simul omnium scelerum habitum induere, speciem, & formam exhibere, reum se gerere, & suppliciis omnium sese exponere, atq; supponere, jubebatur? Quid enim magis horrificum, quid magis abominandum, quid magis indignum, quid magis repugnans Dei Personæ atque Dignitati, quàm reum peccati etiam minutissimi, videri, reputari, judicari, damnari, speciemque & formam suscipere? Quis ferat substan-

tialem ſanctitatem, Innocentiæque Fontem, ſordidiſſimâ peccati, & peccatoris veſte indui, cum iniquis, imò Caput iniquorum, non tantùm apud ingratos, impiosque homines, verùm etiam apud ipſam Dei Æterni pietatem, apud ipſum Juſtitiæ æternæ tribunal ſtatui, reputari, & eo nomine ſuppliciis, tormentis, morti demum ipſi addici?

IV. *Quarta Difficultas* ex ipſorum peccatorum multitudine & enormitate in Chriſtum ſe evolvens. Manifeſtum eſt enim, immenſam quandam immenſitatem eſſe peccatorum & malitiæ, fœditatisque eorum, cui capiendæ, nullus humanus intellectus ſufficit, quæque omnem dimenſionem, ſive latitudinis, ſive altitudinis, ſive profunditatis, ſive longitudinis excedit, ducens initium à primo lapſu Protoplaſti, usque ad ultimum mundi finem: hujus tanti malitiæ oceani atque abyſſi expiatio, & abolitio, ad æqualitatem rigoroſam requirebatur, & cùm ea nulli creaturæ poſſibilis eſſet, ad extremum Homini-Deo Chriſto imponebatur, imò impoſita eſt: juxta illud Iſaiæ 53. 6. *Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrûm.* Quæ impoſitio, quamvis à Chriſti Charitate totis viribus cordialis alacritatis excepta eſt, immanem tamen ſimul difficultatem menti Chriſti objecit: quam non ſemel per voces Prophetarum teſtatus eſt: ut cùm Pſalmo 21. 1. ait. *DEUS DEUS meus, ut quid dereliquiſti me? longè à ſalute mea, verba delictorum meorum.* quaſi dicat Patri Æterno, Id circò me dereliquiſti, quia peccata & delicta, quæ in me translata, & mihi impoſita ſuſcepi, nullam mihi vitæ meæ ſpem faciunt, nullam viam ſalutis relinquunt, ſed me ad mortem adigunt. Et alibi, Pſalmo 39. 13. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: cõprehenderunt me iniquitates meæ.* Verba ſunt Chriſti de peccatis, & ſibi impoſitis, & à ſe aſſumptis ad ſatisfaciendum pro eis; ſed laborioſiſsimè, ſed ærumnoſiſſimè, atque inſuper lethaliſſimè. Quæ fuit

V. *Quinta Difficultas* Chriſto objecta etiam in primo limine vitæ ſuæ. Jam tunc enim Chriſtus Dominus pleniſſimâ cognitione cognovit omnem enormitatem pœnarum, & calamitatum, & mortis, ſibi præparatam & aſſignatam, tum in omni vita ſua ſecutura, tum verò præcipuè in epilogo vitæ, atque in tempore actualis Paſſionis ſuæ: ſciebat quoque jam tunc Dignitatem & excellentiam Perſonæ, atq; Innocentiæ ſuæ: ſciebat & teneritudinem cõplexionis temperieique ſuæ Theandricæ:

A ſciebat menſuram omnium & ſingulorum dolorum ſuorum. Ex hac ſcientia non poterat non oriri, in tenerrimo corde Hominis-Dei, adæquata cognitioni apprehenſio, & tam rationali, quam ſenſitivo appetitui repræſentatio, ex hac autem amborum haud dubiè proportionata adæquataque afflictio, & anguſtiatio, atque (ut Dominus ipſe loquutus eſt) Coarctatio. Cujus rei evidens experimentum fuit in horto, ubi Chriſtus & expertus, & confeſſus eſt, Triſtitiam animæ ſuæ fuiſſe usque ad mortem, cum tam enormibus anguſtiis, ut deduci ad agoniam, & ad ſudorem ſanguineum, naturam humanam

B in Chriſto tenerrimam oportuerit. Quæ animi animæque Chriſti anguſtiæ, ſemel quidem tantùm prædictâ occaſione in apertum prorupêre, at non ſolâ hac occaſione, Animæ Chriſti inſedêre, verùm ex quo in ærumnarum ſuarum vivaciſſimam cognitionem Chriſtus venit, venit autem in ipſo vitæ ſuæ limine, ex eo etiam & apprehenſionem cognitionis, objectisque cognitis parem, & appetitibus ambobus, repræſentationem atque impreſſionem adæquatam concepit, totâque deinceps vitâ perſenſit: etto diſpenſatoriè eam foras erumpere nonniſi ab Hortenſis luctæ

C initio, & tempore permiſit.

VI. *Sexta Difficultas* Chriſto Domino ſe objecit ex obligatione à ſe ſuſcepta pœnitendi atque dolendi in Animo pro noſtrûm omnium, omnibus quoque peccatis, ſuper ſe aſſumptis, & ad ſatisfactionem pro eis præſtandam à ſe acceptatis. Omni enim peccatori, ſive propria ſua peccata, ſive aliena quidem ſed in ſe aſſumpta abolere cupienti, primò omnium agnoſcenda peccata, deinde pœnitentiæ dolor, & retractatio in animo habenda atque exertractanda venit, ac tandem ſatisfactio exhibenda condigna, exterioribus aliquibus

D operibus, acceptis illi, cui exhibetur. Proinde & Dominus JESUS hunc ordinem in noſtrorum expiatione peccatorum ſervavit, primò namque reum ſe, atque peccatoris ſpeciem habitumque gerentem, Deo exhibuit; tum pro omnibus & ſingulis peccatis, condignum in mente ſua, & corde ſuo dolorem, ac pœnitudinem deprompſit, ac tandem, ad exteriorem quoque Paſſionem & mortem pro iisdem noſtris tanquam ſuis peccatis acceſſit. Quantus verò dolor ille pœnitentiæ fuerit in corde Chriſti, docere poteſt tum immenſa Dignitas, Sanctiſſimaque Juſtitia Dei peccatis violata, tum Chriſti, in Divinum honorem, & noſtram ſa-

lutem Amor, & Zelus, tum indignitas scelerum in Deum patratorum, tantâ eluviè, tantâque exundatione, ut eis eluendis, nulli oceani, nulli aquarum, estò ex omnis creaturæ lacrymis per omnem æternitatem aggregati gurgities abyssique satis unquam fuerint futuri, sed oportebat Divini ipsius Cordis fontes & cataractas in ablutionem resolvi, atque effundi.

VII. *Septima Difficultas* fuit objecta Cordi Christi Domini ab immanitate soli Christo satis comprehendendæ æstimandæq; damnationis æternæ, peccatoribus propter scelera sua indubitanter debitæ, atque etiam irremissibiliter luendæ. Caput erat, & Caput se esse sciebat, (quin & amabat) nostrum, Dominus Jesus: nos verò omnes corpus ejus & membra ejus, quorum ille integritatem & salutem curaturus advenerat, & in se susceperat, eamque operam, vitæ salutique propriæ anteposuerat: damnationis æternæ malum penitissimè noverat, & suis momentis expendebat: illi obnoxia esse, & fore, membra illa sua evidenter sciebat atq; videbat; & quomodo quæso dolore Cordis intrinseco non tangi, non, inquam, angi, & non cruciari omnibus vitæ momentis poterat? una illa cogitatio: quòd (verbi gratiâ; Judas in æternum à Christo alienandus, & nunquam ejusdem corpori reinferendus, sed in sempiternis pœnis demergendus esset: omnibus cruciatibus, omnibus crucibus, omnibus Crucis doloribus, gravior fuit, atque intolerabilior. Quem dolorem quàm altè infixum, & quàm perpetuò molestum haberet in Cordis sui divini penetrabilibus, ipsemet Dominus attestatus videtur. *Nonne ego duodecim elegi vos, & unus ex vobis diabolus est.* Joannis 6. 71. Et ad Patrem loquens: dum ait. *Quos dedisti mihi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Joannis 17. 12. Hic Judas Diabolus, gravior Christo fuit, quã Lucifer cum omnibus asseclis suis: & in hoc perditionis filio ampliùs Christus doluit, quàm in tota sua Passione, atq; perditione. Magnitudo namque mali, perfectè præsertim cogniti, parem causat doloris tristitiæque magnitudinem. Et cùm malo damnationis æternæ nihil sit gravius, & illud Christo Domino jam inde à Conceptione sua perspectissimum fuit, simulque universam generis humani aggregationem illi obnoxiam, atque destinatam, certissimum exstitit: quis tandem cogitare sufficiet, qualem quantumque Dolorem, ac mœrorem Cor Domini Jesu Christi, ex hoc objecto adeò calamitoso, & nullis lamentis elamentabili, pertulit, & totâ quidem vitâ pertulit?

IX. *Octava Difficultas* dolorifera objecta fuit Christo, ex vilitate, atque indignitate, nec non inutilitate hominum, & in sua quidem ipsorum naturali creataque, & multò etiam magis in peccatrice, peccatoque destructissima, & defædatissima, conditione. *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* ajebat demirans David Psalmo 8. 5. Quid dixisses, mi Propheta, si hominis non memorem, sed propter Hominem, Deum Hominem factum, & pro eo indigna omnia extremaque passum vidisses? Certè tanta Dei propter vilissimos, & nullius frugis usûsque homines, profusio & dejectio, nulli alteri causæ præterquam excessivæ ac nimiæ dilectioni attribui potest. Cur autem adeò dilexerit hominem Deus? nullam causam reperire est possibile, nisi in ipsamet dilectione sua: alioqui si ad causas ex hominibus respicias, innumeras invenies contemnendi, nullam autem diligendi causam. Dilectio ergo, divino Dei nostri cordi, quatenus quidem à charitate fluxit, dulcissima illi fuit, at quatenus ad vilissimos homines sese ex mandato charitatis exporrexit: acerbissimum eidem cordi dolorem, repugnantiamque ingessit.

X. *Nona Difficultas* Dolorifera Christo Domino se obtulit, ex ingratitudine, malitiâ, & sterilitate, contemptioneque hominum omnium, quá usuros homines secum prævidebat, & pervidebat Dominus noster, tam vivente se atque conversante se inter illos, tempore viæ suæ mortalis, quàm etiam deinceps post suum in cælos abitum, usque ad mundi finem. In totius generis humani populo unum alterumve hominem vix Christus scientiâ suâ omnisciâ videbat, plenè & planè gratum futurum, sumptibus, laboribusque suis, à se propter homines impensis, & exhaustis: at verò infinities infinitos videbat, qui similiter infinities infinitis, iisdemque enormissimè sceleratis modis, futuri erant beneficiorum, dolorũ, ærumnarum, mortisque suæ, plùs quàm ingrati, plùs quàm contemptores, plùs quàm abjectores, conculcatores, & omnium pessimorum pro omnibus optimis redditores. Hos tales videre, & prævidere, & in numerato adeò multos habere, & omnium singulorum sceleratam ingratitudinem, ingratamque malignitatem pernoscere, & nihilominus ad faciendum eis omnia bona, ad

na, ad ſubeundum pro eis, ab eiſque etiã ipſis omnia infanda, amanter, libenter, liberaliter, profuſè, prodigèque, Deum-Hominem deſcendere: quis cogitabit, ſibive perſuadebit, potuiſſe hoc abſque intimo, abſque viſcerali, abſque incogitabili dolore, mœrore, horroreque cordis Jesu inhærere? *Filios enutrivi & exaltavi, illi autem ſpreverunt me*: queritur alicubi Dominus apud Iſaiam 1. 2. Quid cogitabat, quid ipſum ſibi dicebat Cor Boni Jesu, videns ac dicens. Cùm in forma Dei eſſem, exinanivi me ipſum formam ſervi accipiens. Cùm ſine peccato eſsē, pro omnium peccatis paſſus ſum. Cùm eſſem vita, pro omnium morte mortuus ſum: ipſi autem ſpreverunt me, ipſi autem in ſemetipſis, iterum, iterum, iterum, iterumque crucifigunt me. De filiorum Heli ingrata victimarum tractatione, dolenter loquens Deus. *Calce abjeciſtis victimam meam*. 1. Reg: 2. 29. Carnes ſcilicet hircorum, arietum, boum Deo immolatorum. Quid ſenſit Dominus noſter Jesus Chriſtus, pro mundo ceu Agnus ad victimam ducendus atque immolandus: quin & ductus atque immolatus: & tamen ab eodem ingrato mundo, & calce abjiciendus, & in Cruce mactandus, reque ipſâ crudeliter & abjectus, & mactatus.

XI

Decima Difficultas Doloris in Chriſti Domini corde Seminarium fuit, ex Hebraici populi ingratitudine, malitiaque erga Chriſtum peculiariter ſuum, ſibi, & ex ſuo ſanguine, ſpeciali Dei munere miſſum, atque donatum. Itemque ex ejuſdē ingratiſſimi populi propter ſcelus in Chriſtum commiſſum abjectione, & repulſâ à Deo, ab omnibus electi populi prærogativis. Fuiſſe hoc & quidem magni doloris mœrorisque Chriſto Domino Seminarium, tum res ipſa indicat naturâ ſuâ, tum ipſe Dominus, tam per Prophetas, quàm per ſua ipſius verba indicavit. Fuit in Domino noſtro tener affectus erga gentem & ſanguinem Abrahæ, eò quòd ex eo naſciturus, atque etiam natus erat: expreſſit hoc apud Jeremiam 13. 11. *Agglutinavi mihi omnem domum Iſrael, & omnem domum Iuda: dicit Dominus: ut eſſent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt*. Et apud Iſaiam 1. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*. Ibidem v 24. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſrael: Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabo de inimicis meis*. Expreſſiùs porrò & affectuoſiùs animi ſui, & dolorem, & mœrorem,

A ex ingrati infelicisque populi ejuſdem abjectione, & reprobatione indicavit, quando *appropinquans, & videns Civitatem, flevit ſuper illam*, dicens. (Lucæ 19. 44. *Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*, Quodſi Paulus Apoſtolus fidenter de ſuo in populum ſuum à Deo abjectum affectu loquitur ſic. Rom: 9. 1. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ, in Spiritu Sancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum*
B *adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſæcula, Amen*. Hæc inquam, ſi Paulus in ſe perſenſit ob ruinam populi ſui Non ſenſit tantò amplius Chriſtus, quantò plus beneficentiæ ſuæ profudit in populum ſuum (maximè carnem ex eo ſibi aſſumendo) quam profundere vel mero deſiderio potuit Paulus? Fuit ergo ruina populi, & abjectio, & malitia, atque perditio populi ſui, Chriſto, magna triſtitia, & continuus cordis dolor: pro quo & *factus eſt*
C *maledictum: maledictus omnis qui pendet in ligno*. Gal. 3. 13. Deut: 21. 25. Propter hunc dolorem Domini noſtri ex ſcelere ac perditione ob illud populi Judaici: agnoſcit Hieronymus illâ oratione Domini ad Patrem in horto, *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; non dixit tranſeat à me calix: ſed calix iſte: hoc eſt populi Iudæorum: qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur*. Levius ergo fuiſſet Chriſto, & minus peccatum necis ejus, minorque ob ea damnatio alicujus alterius populi: qui ignoraſſet, de cujus ſanguine Chriſtus carnem
D nem non ſumpſiſſet: in quo paſſu ei Pilatus exprobraſſet. *Gens tua & Pontifices tui, tradiderunt te mihi*. Joan: 18. 35. Sed neque Chriſtus eidem Pilato dixiſſet. *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Joan: 19. 11.

XI

Undecimum Doloris interni Chriſto Domino ab initio vitæ uſque ad mortem fuit Seminarium. Exiguitas fructûs, paucitaſque ſalvandorum efficaciter per ſuam Incarnationem, Vitam, Labores, Miracula, Merita, Virtutes, Cruciatus, Opprobria, Crucem. & Crucis mortem. Sæpe in ore Chriſti fuit vox illa. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*: quæ cogitatio nunquam non fuit in Chriſto, nunquam non ſauciavit Cor

vit Cor

vit Cor Christi. Unde & per Prophetam quærit queriturque. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Psal: 20. 10. Et per alium deprecatur dicens. *Terra ne operias sanguinem meum: neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Job: 16. 19. Quomodo enim sine dolore plùs quàm doloroso esse potuit Dominus Jesus: perfectissimè cognoscens Passionẽ & mortem suam, millenis, imò infinitis mundis, si applicarentur salvandis suffecturam: nihilominus nonnisi paucos electos efficaciter salvaturam: infinitis autem reprobis, propter malitiam eorum, non tantùm non profuturam, sed etiam ad cumulum æternæ damnationis accessuram.

XII. *Duodecima* Doloris interni Domino nostro fuit seges, Amicorum & notorum suorum, inprimis verò Dignissimæ Matris suæ afflictio, atque (uti Simeon vocavit) Doloris gladius, qui Animam ejus pertransiturus erat in omni Passione Filii, si enim eum gladium prævidebat, & prænuntiabat, jam olim adhuc Infante Jesu, Senex Propheta Simeon: quantò magis prænoscebat, illo jam etiam tempore Dominus Jesus: cujus Spiritu afflatus de eo prophetabat Iustus? Non minùs certè tunc quoque diligebat Jesus Matrem, quàm cùm aspiciebat de Cruce ipsam Cruci suæ adstantem.

XIII. *Decima tertia* Dolorum internorum Christi Domini materia fuit, prævisi omnes dolores, labores, ærumnæ, cruciatus, quoscunque passuri erant omnes Apostoli, omnesque Martyres, in quibuscunque tormentis. Confessores item in suis mortificationibus, afflictionibusque Animi & Corporis, in persecutionibus, calumniis, contumeliis, censuris, detractionibus, jejuniis, vigiliis, paupertate, orationibus. Virgines quoque in certaminibus & defensionibus, & custodiis pro castitate. Conjuges in carne non secundùm carnem militantes, in operibus bonis abundare satagentes, hoc mundo tanquã non uterentur utentes, in eleemosynas pauperum bona sua dispergentes, educationi filiorum, administrationi familiarum, & bonorum suorum laboriosè & periculosè insistentes. Præpositi quoque, & in Magistratu curaque aliorum positi, in suis administrationibus, & pro suorum salute, ac securitate, atque profectu, tanquam rationem reddituri pervigilantes. Omnes demum fideles, cum timore & tremore salutem suam operantes, & eam certam facere satagentes, tentationibus quotidie, & dæmonibus, carni quoque & sanguini rebelli, & mundo insidianti resistentes, atque repugnantes, vim & violentiam cœlo facientes. Hos enim omnes & singulos, omnium singulorumque hominum fideliumque suorum, labores, & dolores, Dominus noster Jesus Christus, in semetipso, interno suo sensu, affectioneque, & suscepit, & sensit, dolens, gemens, orans pro omnibus: gratiam, robur, auxilium opportunum, impetrans omnibus. Sciens se esse vitem, nos autem palmites; sciens se esse Caput, nos membra; sciens nos absque eo nihil posse facere. Nam si post ascensionem ajebat Saulo: quid me persequeris? qui tamen non ipsum, sed credentes in ipsum persequebatur: quidni & totâ vitâ suâ, omnium suorum ærumnas pertulerit; in omnibus eas portantibus, & portaturis, ipse simul portans.

XIV. *Decima quarta* Difficultas, quæ se objiciebat Christo in salute nostra, & dolorem Animæ ejus per totam vitam inseminabat, fuit ex Institutione futura Sacratissimi Sacrificii atque Sacramenti altaris: quam facturus atque subiturus erat, & quam subiturum se noverat, atque etiam statuebat, usque ad mundi finem. In quo suorum operum opere per omnem veritatem maximo, intuebatur perfectissimè Dominus Jesus, quantas subiturus erat, toto isto durantis sæculi, ad usque finem, cursu (ut uno verbo dicam) Indignitates, seu indignissimas suâ Dignitate Divino-Humana, suâ Pietate, Bonitate, atq; Charitate, suâ liberalitate, atque miseratione, suâ dulcedine atque benignitate infinitâ, tractationes, per tot sæcula & annos, in tot locis, in tot, & à tot hominibus, tot talibusque modis, plùs quàm sceleratis, plùs quàm impiis, plùs quàm sacrilegis. Audeo dicere hoc unum charitatis, atque dignationis Christi opus, quo se ad omnes in Sacrificio & Sacramento altaris subeundas indignitates resoluit, pluris constitisse, & plus horroris, doloris, mœroris, tergiversationis Christo intulisse, ejusque cordi incussisse: quàm omnes aliæ ejus ab instanti Conceptionis usque ad finem vitæ, imò quàm omnes aliæ quæcunque abjectiones, humiliationes, perpessiones, excruciationes, cum ipsa Crucis morte, intulerunt, incusseruntque.

Plura de Doloribus Domini Nostri internis, deque eorum per totam vitam suam perpessione, non addo. Hæc ut arbitror, sufficiunt probare, sententiam

hanc, nec stultitiæ, nec falsitatis, nec temeritatis, nec præsumptionis posse damnari, neque esse contra apertam scripturam: ut alicui pronuntiare visum est.

Septem accommodationes Passionis & Orationis Dominicæ, aliâ quondam occasione conscriptas, his meditandi Passionem Christi modis accensere volui: arbitratus hanc quoque meditandi rationem devotis amatoribus contemplatoribusque Passionis, non ingratam, nec inutilem fore.

ACCOMMODATIO I.

COnferre septem postulationes Orationis Dominicæ, septem effusionibus sanguinis Christi in Passione.

Pater noster qui es in cœlis.] Oratio & ascensio mentis in Deum, qui cùm peculiariter in Cœlis resideat (estò Cœlum & Terram impleat) idcirco Christus Dominus docuit nos hunc in modum orationem nostram inchoare, ut ad Patrem in Cœlo manentem corde ingredientes, ibi eidem petitiones nostras exponamus.

Sanguis JESU Christi est clavis Cœli: quâ ille omnibus hominibus, Cœlum peccato occlusum reseravit. Hanc ergo clavem accipe, & Cœlum tibi referans ingredere, & appropinquans ad Thronum Majestatis Dei cum fiducia, dic Patri cælesti. *Pater noster, qui es in Cœlis.*

Ex Evangelica narratione habemus, Christum Dominum septies potissimùm fudisse pretiosum sanguinem suum, ad has effusiones sanguinis conferre potes totidem Postulationes Dominicæ orationis.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Prima sanguinis Christi effusio fuit in Circumcisione, octavo à nativitate die, quo etiam Sacrosanctum nomen JESUS à Patre quidem Æterno donatum, à Pretiosissima autem Parente inditum accepit.

Consecrâsti & perfudisti bone JESU sanctissimum tuum nomen, sanguine tuo: infunde etiam obsecro pretiosum istud nomen tuum, in corda omnium nostrûm, ut in nobis per merita sanguinis tui, semper & ampliùs sanctificetur & magnificetur.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Altera effusio sanguinis fuit in coronæ spineæ impositione, quâ Caput Christi Domini crudelissimè confossum, sauciatum, & cruentatum fuit. Hoc cruore Dominus JESUS nobis cœleste regnum mercatus est, fecitque nos Patri Regale sacerdotium.

O Bone JESU adveniat quæso hoc tuum Regnum in nos, & nos in illud: & per merita sanguinolentæ Coronæ tuæ, corona nos æternæ gloriæ coronâ, in beatissimo Regno tuo.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertia sanguinis effusio fuit in horto, quando inter orandum ad Patrem sanguinem fudit Dominus, submittens se ad omnem voluntatem ejus, & ad ebibendû calicem amarissimæ Passionis atque mortis, sibi à paterna manu pro nobis propinatum.

Da & fac ô Bone JESU tuam sanctissimam voluntatem gustabilem, ut semper à nobis, & in nobis perfectissimè impleatur. Resperge sanguinei sudoris tui rore copioso corda nostra, & voluntates nostras, ut plenè, sincerè, æternaliter, voluntati tuæ subjectæ manentes, nullo unquam modo sese ab ea separent.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quarta Christi sanguinis effusio, fuit in flagellatione ad columnam: in qua corpus Boni JESU multis vibicibus, & vulneribus, instar frumenti planè in farinam commolitum; Anima verò Sanctissima pane doloris & amaritudinis saginata fuit.

Da nobis Bone JESU gustum in pane quotidianæ tribulationis, propter amorem tuæ benedictæ voluntatis: condiens eum nobis condimento tui pretiosi sanguinis: ut nobis omne gaudium sit, pati semper aliquid amarum, à suavissima tua

ma tua Providentia nobis ordinatum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta sanguinis Christi Profusio, fuit in detractione vestium, ad cruentum vulneratumque Domini Iesu Corpus, tenaciter adhærescentium: quæ detractio præter acutissimum dolorem, vulnerumque renovationem, fieri non potuit absque magna & multiplici sanguinis effusione.

O mi Jesu quoties renovamus nos peccatores vulnera tua amarissima, dum ad inolita revertimur peccata? Attamen tu dissimula inconstantiam nostram, renova autem indulgentiam tuam. Effunde iterum balneum sanguinis tui super iniquitates nostras, propter quam & nos iteratò & iteratò condonamus debitoribus nostris, omnia debita nostra.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Sexta effusio sanguinis fuit, quãdo Christus Dominus noster Cruci affixus & inter latrones deputatus, venenatisque & blasphemis omnium linguis, tanquam signum, cui ab omnibus contradiceretur, expositus fuit.

Assume tibi crucifixum hunc Iesum in A scutum contra omnes tentationes, adversitates, periculaque corporis & animæ. Sanguine pedum ejus, ablue & emunda inordinatos affectus tuos. Sanguine manuum ipsius, supple & adorna paupertatem nuditatemque operum tuorum, ut sanguine isto signata, non iram, sed gratiam, nec pœnam, sed mercedem coram oculis Dei inveniant, & de manibus ejus referant.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo. Amen.*] Septima sanguinis effusio fuit, in transfixione lateris & cordis Domini Iesu jam mortui, ex quo vulnere exivit sanguis & aqua. Sanguis quidem in pretium B redemptionis: Aqua autem in ablutionem omnis peccatoris.

Pete, ac impetra te admitti ad hoc balneum, & inibi ablue ac depone omnia inquinamenta cordis tui. Euge sicut columba simplex, & imbellis à facie rapacium milvorum, ad foramina hujus petræ, & ibi securè inhabitans requiesce, non solùm nihil mali formidans, sed etiam apertum æternæ felicitatis ostium possidens.

ACCOMMODATIO II.

Conferre septem extrema Christi in Cruce verba cum septem Postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster qui es in cælis.] Crux Christi est veluti navis, aut pons super mundi & vitæ hujus stagnantes aquas stratus, in in eorum gratiam & commoditatem, qui hanc navem, aut pontem istum, ad vitæ suæ viam adhibere volunt. Cave exscendas navem hanc, cave pontem hunc negligas, indubitatè namque diluvium absorbebit te. Insiste potiùs ponti huic perque eum progrediens portum tene, portamque resera cœlestem tibi, & coram throno Majestatis Dei prostratus dic toto corde tuo. *Pater noster, qui es in cælis:* coram Te ego vilis creatura effundo desideria cordis mei, &c.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.*] Primum verbum Christi in Cruce. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti.* Semper & assiduè Dominus Jesus, cor suum ad Patrem Æternum conversum & adhærens habebat, & tam in prosperis, quàm in adversis nomen ejus sanctificabat, nec in Cruce pendens, à consuetudine sua cessavit, sed in ipsa etiam amarissima derelictione vocem nihilominus & mentem C suam devotissimè, humillimè, fidentissimèque ad Patrem convertit.

O Bone Iesu propter nos in doloribus Crucis derelicte, & nihilominus nomen Patris tui sanctificare non oblite, doce me, & mecum omnes servos tuos sanctificare nomen tuum divinum, tam in prosperitatibus, quàm in adversitatibus: præcipuè autem & nominatim in ultimo agone mortis, à Te non derelinquamur, sed potiùs omnipotentis dexteræ tuæ auxilio, ita efficaciter confirmemur, conservemurque, sicut fiducialiter ad Te D confugientes clamamus, Deus Deus noster, ne derelinquas nos nunc, & in hora mortis nostræ.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum.* Aliud Christi in Cruce verbum fuit. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quo verbo exaudivit Dominus Jesus latronem petentèm ac dicentem sibi, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. O admirabile certamen! latro solam suî reminiscentiam mendicat, Dominus verò integrum suum regnum plenamque secum beatitudinem absque ulla dilatione confert.

Et ego licèt repletissima iniquitate crea-

creatura tua, obsecro. Te liberalissimè Iesu, evacua me ab omni amore studioq; hujus mundi, & inflamma me incessabili desiderio regni tui; & quandocunque ego petens dico, *Adveniat regnum tuum*; Tu ex bonitate tua semper in vita & morte mihi responde. *Hodie mecum eris in Paradiso* cœlestis gloriæ.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertium in Cruce Christi verbum fuit. *Consummatum est.* Totū scilicet quidquid in scripturis scriptum, quidquid à Patre in Cœlo decretum de Christo fuit. Habes homo, exemplar vivum consummatæ obedientiæ, subjectionisque ad voluntatem Dei. Felix anima quæ semper, quæ veraciter, quæ in omni vitæ mortisque articulo dicere potest Deo suo: Consummatū est Domine universum beneplacitum tuum. Exora ergo humillimâ instantiâ bonitatem Dei, ut te transformet, nunc quidem in perfectam subjectionem, postea verò in beatificam fruitionem suavissimæ voluntatis suæ.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quartum Christi in Cruce verbum. *Sitio.* Quo verbo Dominus Iesus testatus est, non tam sitim suam corporalem, (licèt & hanc ardentissimam passus sit, ob immanitatem, diuturnitatemque pœnarum) quàm potiùs interiorem salutis animarum nostrarum. O mi homo, Iesus præ fame sitique salutis animæ tuæ moritur: & tu nihilominus procrastinatione tuæ pœnitentiæ, tuæ emendationis, tui profectûs excruciare illum non desinis? Te Deus ardentissimè sitit, tu autem ingratissimè Deum contemnis? siti tandem & ipse vicissim Deum. *Hoc enim bonum solâ voluntate tibi venale proponitur, cupiditatem ipsam sui Deus ingentis pretii loco habet. Sitit sitiri.* Ergo quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita sitias Deum, ita sitias tuam & proximi salutem, in virtute profectum, cum Christo conformitatem, cum Dei voluntate unionem. Hic sit tuus quotidianus panis, quotidie renovari Spiritu mentis tuæ, & æmulari charismata meliora, te aliosque tecum ad perfectiorem viam Dei trahere & rapere. Non potes meliore viatico ac pane viam vitæ mortisque tuæ instruere, quàm pane assidui in gratia virtutibusque profectûs, quàm alienæ salutis ardenti & laborioso zelo, quàm Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti convivio. Hæc enim omnia sunt Panis electorum Dei.

Nazianzenus Carm. 40.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*] Quintum Christi verbum in Cruce. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hoc verbo Dominus Iesus crucifixoribus & interfectoribus suis postulavit & paravit misericordiam apud Patrem. O si quomodo liceat potiri hoc corde, & discere hoc idioma Iesu: ut homines condiscant isto idiomate, condiscant inimicos suos & debitores convincere.

Ecce Domine Iesu innumeros habes crucifixores tuos, ecce habes & me, unū illorum, inter ipsos; impetra quæso nobis omnibus omnium indulgentiam veniamque culparum, præsertim in articulo mortis meæ, propter articulum mortis tuæ, & dimitte mihi omnia debita mea, sicut & ego per gratiam tuam, propter charitatem tuam, dimitto omnibus debitoribus meis omnia debita mea.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Sextum Christi verbum in Cruce. *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua.* Quo verbo Dominus Iesus Matrem suam juxta Crucem stantem, discipulo Ioanni, Ioannemque Matri suæ commendavit. Nemo potest esse immunis à Cruce, quilibet sub Cruce esse cogitur; non tamen omnes sub Cruce Iesu sunt, neque omnes, estò sint sub Cruce Iesu, subsistunt. Multi sub ea jacent, multi gemunt, multi sub ea tœdio nauseant, multi eam objiciunt. Nō est hæc consulta ratio, cruces, tentationes, adversitates, cum murmure, cum ira, cum tœdio tolerare. Stare oportet modestè, quietè, patienter, fortiter, hilariter, famelicè, humiliter, constanter, maximè quando Iesus ipse propter me in Cruce pendet, dolet, moritur. Grande utique discrimen est, pendere affixum in Cruce; & stare solummodo sub Cruce: sufficit tamen si vel hoc solum præstes, tradet te Iesus Matri suæ in filium, & tibi Matrem, Matrem suam. Quæ pretiosior consolatio sub cruce stanti, quod majus subsidium in tentationibus posito, quæ major felicitas, & gratia in quavis adversitate, ac inprimis mortis tempore, quàm habere Matrem Iesu in Matrem suam, esse Matri Iesu in ejus filium, nec unquam dum spiras, deserere Iesu Crucem?

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo.* Septimum verbum Domini in Cruce. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Hoc verbo Iesus conclusit vitam & Passionem suam, cumque isto verbo, portas mortis subintravit. Quid tu igitur ô homo tibi desideres & quæras amplius, quàm

quàm ut exemplo Christi Iesu commendatâ & traditâ in manus Patris Æterni animâ tuâ, exeas ex hoc misero mundo ad Patrem? Nunc dum licet per vitæ tempus eam tibi apud Patrem Deum para fiduciam. Nunc ama & imple omnem voluntatem Dei. Sic in hora mortis confidenter dices Deo; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

ACCOMMODATIO III.

Conferre septem loca Passionis Dominicæ, cum septem postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster qui es in cælis. Passio Salvatoris nostri, est veluti semita ad cælum & vitam æternam: qua de re certos nos reddidit, ipse Dominus, cùm post post Resurrectionem suam, dixit discipulis suis. Oportuisse Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Insiste igitur huic semitæ & tu, ac inter indubitata salutis consequendæ, signa connumera, si quando te Dominus Iesus dignatur participem facere Crucis & Passionis suæ.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Locus Passionis Domini est. Mons Calvariæ, in quo Dominus Iesus Crucifixus & medius latronum statutus, adimplevit illud promissum suum. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsū;* ad fidem scilicet notitiamque veri Dei, ad sinceram quoque ejus dilectionem, ad mundi ejusque vanitatum contemptum.

O Bone Iesu, ecce cor meum terræ affixum, amoris proprii, plurimarumque curarum sarcinâ gravatum, affectibus & passionibus immortificatis, inordinatis infectum, ad tuæ Majestatis voluntatisq; obsequium rebelle; trahe quæso illud, ad te, omnipotenti gratiâ tua, & voluntate, ut Sanctissimum Majestatis tuæ nomen sanctificet, ac veneretur.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Alter Locus Passionis Domini fuit; Prætorium Pilati, coram quo Dominus noster Regnum suum spirituale confessus est, & à Pilato Rex nuncupatus, & concupiti regni nomine à Iudæis accusatus, eadem de causa ibidem spineo diademate coronatus, purpurâ vestitus, Rex genu flexo consalutatus, sceptro arundineo, consputationibus & alapis dignatus est.

O mi Iesu, quàm magno Tibi constat hoc miserum satis super nos peccatores, & inutilissimos homunciones Regnum! O nullum finas dominari nobis Dominum, præter Te Domine Iesu Rex vere. Ecce enim superbia dicit nobis; Ego regnabo. Ecce ira dicit; Ego Rex ero. Ecce Avaritia, Invidia, Luxus, Acedia, volunt regnare super nos. Averte mi Iesu hos Reges à nobis: Tu solus esto Rex noster. Tu solus posside nos. Sit regnum tum, maneatque in nobis & nos in eo. Ut Tu in nobis, & nos Tecum regnemus in sæcula.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra.* Tertius Locus Passionis Christi, Hortus; In quo Dominus Jesus posteaquam se totum voluntati Paternæ permisit, sponte quoque suâ, suis qui eum ad necem quærebant hostibus obviam venit, seseque obtulit. Non inhibuit Dominum Iesum ab amore & obsequio voluntatis Divinæ gravitas rei imperatæ prorsus gravissima ex omni genere circumstantiarum. Cujus gravissimi oneris effectus, in sudore sanguineo agoniaque mortali patuit, quando instar botri, in torculari pressi vel calcati, omnibus mẽbris ejus guttæ sanguinis decurrentes, in terram emanârunt, estò hæc pressura in sola duntaxat mentis apprehensione fuerit peracta, & ne dum in opus externum re ipsâ producta.

O utinam aliquando in cordibus nostris ita pretiosa, æstimabilisque fiat Divina voluntas, ut illam omnibus rebus, illi autem nullam rem omnino præferamus, propter nullas nostras privatas cupiditates, propter nullas humanas rationes, eam transgrediamur, sed potiùs eam semper plenè toto cordis conatu exsequamur, illi conformemur, in illam transformemur, illi ad instar Domini Iesu libenter, fortiter, constanterque adhæreamus, & subjiciamur.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quartus Locus Passionis Christi fuit Cænaculum, in quo postquam se Dominus Iesus, ad usque discipulorum pedes lavandos abjecisset, stupendumque illud humilitatis magisterium facto, & verbo exhibuisset: deinde sub speciebus panis & vini Corpus & Sanguinem suum fidelibus suis, in cibum & potum animabus salutarem obtulit, & reliquit.

O verè dilexisti nos Domine Jesu usq; in finem? O homo, ecce Deus tuus, exhaustis

haustis omnibus liberalitatis suæ modis, totum se tibi impendit, & quidem in cibum etiam potumque impendit, idque eò solùm, ut tu vicissim te illi impendere ne graveris. Et audes etiam nunc moras nectere, audes iniri rationes accepti & dandi? Nunquid credis plus te daturum Deo, dando te ipsum, quàm accepisti ab eo, accipiendo illum ipsum? Pro! monstrum humanæ, seu stultitiæ, seu sterilitatis, quæ dans se Deo, & accipiens Deum sibi, etiam veretur ne fortè plus dederit quam acceperit? Redde igitur, redde te Deo tuo, & redde totum, redde guttam, & accipies mare; redde granum, & accipies acervum; redde atomum, & accipies universum: redde nihil, & accipies totum. Permitte te Providentiæ Dei, qui semetipso pascit, & nutrit, & saginat te, fine ut vicissim pascatur, nutriatur, sagineturque te, profectu tuo, amore tuo, desiderio tuo. Si Panis ejus, qui est panis tuus, etiam enim Deus esurit à te ipsum te, sicut & tu mendicas à Deo ipsum se, panem quotidianum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c.* Quintus Locus Passionis Christi Domus Caiphæ Pontificis fuit: ubi Dominus noster falsò accusatus, malignè judicatus, injustè innocens ad mortem damnatus, crudeliter totâ nocte, tormento & contumeliâ interrogatus est. Numera & tu quoties in omni vita tua, Deus justo suo judicio invenit te reũ mortis, & tamen usque hodie pepercit tibi oculus ejus: & misericordia Dei fecit, quòd nec dum in inferno habitet anima tua. Nonne supplicabis ardentissimè huic Amori tuo, ne abbreviet, amoveatque à te misericordiam suam, sed propter omnes injurias illas, quas propter te in domo Caiphæ totâ nocte sustinuit, cõdonet tibi iniquitates tuas, obliviscaturque injurias suas, donetque tibi cor misericors, & injuriarum facilè constanterque obliviscens, ut ita proximi debitores tui referant à Te veniam debitorum suorum: sicut tu optas & petis tibi à Deo referre condonationem debitorum tuorum.

Sexta Petitio *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Locus Passionis Christi Palatium Herodis Regis, in quo Dominus Iesus, Majestas utique suprema, & Sapientia Æterna, pro stulto, pro ridiculo, pro insano reputatus est, & fatuorum morionumque alba veste indutus, omnium sannis & jocis expositus est. Sic scilicet vera virtus, humilisque ac pauper innocentia, apud homines præsertim sæculi hujus pullos, & mundi Sapientes, æstimatur insania & sine honore, deridéturque justi simplicitas, ab his qui astuti sibi videntur. Sed venient dies, quibus serò errorem cognoscentes, ipsi contra se sententiam ferent dicentes, & præ angustia spiritûs gementes. Ergo nos insensati, erravimus à via veritatis. Neminem igitur pauperem despexeris, neminem justum, & innoxium abjeceris, neminem derelictum deserueris, neminem simplicem & rectum irriseris unquam; omniũ enim horum causa derelicta est Deo, & ipse causas eorum intuetur, simul ac tuetur. Quodsi te ob Dei aut virtutis negotium, studiumve contemni, fatuumve reputari contingat, gloriare in isto nomine, & peculiarem id, Dei erga te favorem reputa. Etenim qui propter Iesum despicitur, hic ab Jesu coram Patre Cœlesti ejusque Angelis prædicatur.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo.* Septimus Locus Passionis Christi, sepulchrum, in quo Dominus Iesus de Cruce depositus, maternis delibutus lacrymis, sepultus est. Non deposuit se ipsum de Cruce Dominus, neque sponte suâ eam deseruit, non interrupit cursum Passionis suæ, non à tramite Paternæ voluntatis deflexit, donec in sepulchro clausus quiesceret. Vade, & tu fac similiter, tuis laboribus in via virtutis perfectionis, operumque bonorum, in bajulatione Crucis Christi, & persecutionum propter justitiam, sola mors, solumque sepulchrum faciat finem. Quamdiu tempus mercaturæ est, negotiari ne desine, dum tempus habes bonum operare, donec vesper mortis adveniat, labora in vinea Domini, usq; dum accipias diurnum denarium, in præsenti quidem gratiæ, & meriti, in futuro autem gloriæ & præmii: usque dum dicat tibi spiritus, ut requiescas à laboribus, à tentationibus, à conflictibus tuis, usque dum detur tibi merces magna nimis in manus, possessio scilicet omnis boni, & securitas ab omni malo in æternum.

ACCOM-

ACCOMMODATIO IV.

ACcommodando septem Petitiones Orationis Dominicæ, totidem convulnerationibus Christi Domini.

Pater noster qui es in cælis. Dominus Iesus Christus noster est in Cœlo Mediator & Advocatus apud Patrem: cujus in omnibus necessitatibus nostris vultui assistit pro nobis, ostentans ei vulnera, quæ pertulit pro nobis in corpore suo, & veluti ad Patrem ita perorans. Quoniam ego vulnera ista, propter obedientiam tuam, & propter salutem humanam pertuli, nō ergo pereant hi, quos adeò pretioso lytro redemi, &c. Ea propter Dominus Jesus, etiam in glorioso corpore prodiens è sepulchro, reservavit nihilominus præcipua manuum, pedum, & lateris vulnera, ut ejus ad Patrem interpellatio pro nobis efficacior, & salus redemptioque nostra certior quodammodo fieret. Ad hæc ergo vulnera confuge, hæc Patri Æterno repræsenta, ex his auxilia salutis pro me, his te ab justa ira vindictaque Dei protege.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Prima Convulneratio Capitis Christi Domini à spinea Corona, quâ sacratissimum Christi caput multipliciter, & profundè lethaliterque convulneratum, proposuit simul universo mundo spectandum, verum Christum sive Unctum Domini, non oleo quopiam, sive unguento, sed sanguine proprio. Hujus tam pretiosæ copiosæque unctionis cum capite, simul facti sunt participes etiam capilli, hoc est, fideles & amatores omnes Christi. Esto & tu unus ex capill s Jesu oleo pretiosissimi sanguinis intinctus, sed ita ut inhæreas capiti, neque à capite decidas, neque te dolosa Dalila abradat. Indecorum quidem est Capiti capillis nudari, sed & capillo nullum pretium est avulso à Capite. Ornant & vestiunt capilli Caput suum, orna & tu Caput tuum Jesum, moribus & actibus tuis, sanctificeturque nomen ejus ex omnibus sanctis operibus tuis.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum.* Secunda Convulneratio Dextræ manûs Christi, ad quam manum Dominus Jesus latronem bonum pœnitentem & confitentem habens, eundem de Cruce in Paradisum ac Regnum suum transtulit. Ne invide bonam fortunam latroni fortunato. Sed tamen, eandem tibi ipsi desidera, & postula. Sic Dominum tuum, estò Crucifixum, estò Crucifixus, semper confitere, ut te suâ dexterâ, propter amorem tui vulneratâ, complectens ac benedicens, introducat in Paradisum, & in Regnum suum.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra.* Tertia Convulneratio, dextri Pedis Christi, qui propterea vulneratus est, ut semitæ vestigiaque & ambulationes cordium nostrorum, merito sanguinis ejus, nec non doctrinâ & exemplis illius corrigerentur, & in exsecutione voluntatis Divinæ erudirentur. Ampliùs ergo ne jam exerres, neque declines in partem malam, propriæ tuæ voluntatis, sed ita exsequere omnia, quæcunq; Deus tuus vult, sicut exsequuntur Sancti omnes in Cœlo, sicut exsequebatur cor ipsius Iesu in hac vita, sicut exsequitur ipsemet Deus omne beneplacitum suum in perpetuam gloriam suam.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quarta Convulneratio lateris Jesu, per cujus apertionem emanavit thesaurus Sacramentorum, & penu omnium spiritualium alimentorum, quibus animæ nostræ cibari, nutriri, & saginari delectabiliter salubriterque possent in omnem vitæ æternitatem.

Dulcis JESU admitte animam meam ad hunc aquæ vivum fontem, hoc est ad lateris cordisque tui amabilem scaturiginem, ut ex ea sugat cibum, potumque salutarem Sacramentorum tuorum, hauriat exinde panē quotidianum supersubstantialem, ac cœlestem, quo in labore peregrinationis hujus vitæ confortetur, donec per auxilium gratiæ tuæ, feliciter ad patriam perveniens inibi fruatur Te, Pane vitæ æternæ, quo nutriuntur omnes Sancti, & Electi tui in Cœlo.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta Convulneratio totius Corporis, in flagellatione illa crudeli, in qua Dominus Jesus, ob multitudinem plagarum, à planta pedis ad verticem Capitis vulneratus, & veluti in unum quoddam perpetuumque vulnus, totum per corpus immutatus est.

Tua hæc imago est, ô Anima mea, tui est verissima effigies, tu es à tuis iniquitatibus convulnerata, & tantùm non in ipsam iniquitatem immutata, cumulatum est vulnus tuum, super vulnus, nimirum peccatum peccato superadditum, en tamen in promptu medicina est. Ex integro scilicet saucius Iesus, ad integram sanitatem tuam. Sana Bone Iesu, sana

omnium peccatorum meorum vulnera, vulneribus membrorum tuorum: dele omnes iniquitates meas, copiosâ & redundante redemptione tuâ: & ego vicissim deleo de corde meo, omnes offensas, omniaque debita inimicorum, ac debitorum meorum sincerâ dilectione tuâ.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sexta Convulneratio, Sinistri Pedis Christi. Sinister pes cordium nostrorum est propensio ad malum voluntatum nostrarum, hunc pedem ad lapidē offendimus, quàm frequenter, tam & periculosè, hoc pede appropinquamus usque ad portas mortis; ideo amator animarum nostrarum Jesus, sinistrum pedem suum transfigi voluit, ut corda nostra ex diaboli laqueis expediens illa post se incedere faciat, & per semitas Iustitiæ gradientes, usque in regione vivorum eadem constituat.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo. Amen.* Septima Convulneratio Sinistræ manus Christi. Tremendo privilegio, an veriùs gladio obarmata est, sinistra manus Domini: ad sinistram enim ipsius stabunt hædi ab ovibus separati, hoc est reprobi, & impii omnes, æternæ damnationis fulmineam sententiam exspectantes.

O mi Jesu; ergone hunc in finem sinistra tua vulnerata est, ut ex ea non salutifer sanguis, sed igneus damnationis furor stillet super peccatores? Transfer dulcis & pie Domine JESU, transfer nos peccatores licet, redemptos tamen tuos, à sinistra tua, ad dexteram tuam, & nos libera à malo, à peremptorio nimirum decreto furoreque tuo. Non audiamus à Te Domine amarum illud verbum: Ite maledicti: sed potius sonet in auribus nostris, vox tua illa dulcis.

Venite benedicti,
&c.

ACCOMMODATIO V.

Accommodando septem Petitiones Orationis Dominicæ totidem comitibus, seu totidem condimentis Passionis Christi.

Pater noster qui es in Cœlis. Considera Dominum Jesum esse nostrum exemplar & speculum, tam vivendi seu agendi, quàm patiendi in præsenti vita, quod speculum in omni quidem vita & opere Domini, at potissimùm & luculentissimè in Passione ipsius elucescit. Converte itaque & defige oculos tuos in speculum istud, inspice, & secundùm illud fac, attendens diligenter, ne qua ex parte dissimilem te Christo Domino effingas. Frustra enim obstrepit Deo, *Pater noster qui es in Cœlis*, ille, qui Jesum Crucifixum non effinxit in se, qui non portat stigmata Domini Jesu in se, qui Passionis ejus socios non adscivit ad sese.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Jesu Patientis socius & Comes fuit, Contemptus, vilipensio, inhonoratio, & omnis gloriæ detractio. Totus vitæ Christi Domini decursus istiusmodi sociis familiaribusque fuit stipatus: attamen Patienti illi vel maximè frequens adfuit, adeò, ut in quovis momento & articulo Passionis suæ usurpare potuerit Dominus verba illa sua: *Ego honorifico Patrem meum, vos autem inhonorastis me.* Et tu ergo ô homo, propter contemptum Jesum, elige & desidera contemni. Hic tibi sit unicus honor, hæc tua maxima veneratio atque glorificatio, & exultatio, propter honorem, propter voluntatem, propter amorem, propter imitationem, despecti vilificatique Jesu, despici, contemni, vilificari. Dignus est utique Deus Dominus noster, ut nos alioqui naturâ vilissimi servi ejus, propter honorem ipsius, per omnia vilificemur, estò ille nostri causâ nullatenus contemptus foret, quantò verò magis par est, nos penitus penitusque exinaniri, atque pulverisari nunc, quando videmus propter amorem nostrî Deum nostrum usque adeò contemptibus saginatum, opprobriisque saturatum, & prorsus per omnem suam capacitatem expletum. O verè dignum & justum est, ut per contemptiones vilificationesque nostras, honorificetur, & exaltetur Deus noster, sanctificeturque nomen sanctum ejus.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Secundus Jesu Patientis socius fuit, Paupertas, Mendicitas, Nuditas. Hunc socium Jesus habuit ab ipsa Nativitate sua, quæ adeò mendicitatis plena fuit, ut stabulo & præsepi, & fæno, à jumentis emendicato, utendum illi fuerit. Ea tamen Paupertas ultimam suæ perfectionis soliditatisque metam, in Passione demum & morte assecuta est. Pendens enim in Cruce amabilis Jesus, re ipsâ atque veritate demonstravit, sese & volucribus, & vul-

& vulpeculis, esse ac mori pauperiorem atque nudiorem. Habent enim isthæc animantia nidos suos, foveas suas, in quibus quiescere & fovere se possunt: at Jesus neque ubi caput reclinaret, neque ubi moreretur, neque ubi demum sepeliretur, locum suum habuit. Assume tu quoque, ô homo, juxta status vitæque tuæ conditionem, mendicitatem & nuditatem Jesu in Comitem. Esto Pauper spiritu, esto nudus ab omni, ad te, & creaturas omnes affectu, esto solutus à superfluarum, à commodarum, à necessariarum etiam rerum cura, esto liber ab omnibus amoribus, & studiis, & possessionibus & proprietatibus earum rerum, quæ Deus non sunt. Sis ditissimâ; hoc est, nudissimâ Paupertate stipatissimus, & tunc adveniet tibi Regnum Patris, audiesque à Domino verbum illud: *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.*

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in Terra.* Tertius Christi Comes, Infirmitas, Coactio, & Impotentia. Etsi enim Dominus oblatus est, quia ipse voluit: & nemo tollebat ab eo animam ejus, sed ipse pro potestate atque voluntate ponebat, iterumque sumebat illam, nihilominus in omni Passione sua videri volebat planè impotens & insufficiens, tam ad effugiendum, quam resistendum Passioni & inimicis: videri volebat Prudentiâ, sagacitate, consilio, potentiâ, æquitate denique adversariorum suorum captus, convictus, coactus, superatus, & omnia tormenta, mortemque ipsam passus. Usque adeò Dominus Jesus, suæ tum ad Dei Patris voluntatem absolutæ subjectioni, tum suæ pro nobis patiendi, debitaque nostra ad novissimum quadrantem exsolvendi cupiditati indulsit, ut Passionem suam per omnia summa & acerba exaggeratam, omnis verò absolutè mitigationis, & solatii, imminutionisque expertem esse voluerit: eaque de causa, totam suam voluntatem, potestatem, sapientiam, libertatem, à se ablegârit, omnemque illam, non tantum Patris Æterni placito, & honori, verùm etiam hostium suorum arbitrio, & potestati, tanquã instrumentis, consilio, & decreto Dei famulantibus permiserit: adeò ut verissimè dictum fuerit à Propheta. *Fecerunt in eo quæcunque voluerunt.* Et iterum: *Satiati sunt pœnis meis.* Et rursus. *Factus sum sicut homo sine adjutorio.* Atque hæc demum est vera fames sitisque patiendi; talis deberet esse Patientia perfecta amatorum & imitatorum Christi Passi, ut nimirum sic pati velint, sic patiantur, quasi nocentes, estò innocentes; quasi impotentes ad resistendum, estò sufficientes & validi; quasi justè ac debitè, estò contra jus & fas, non comminantes, non resistentes, non malum pro malo reddentes, sed malum in bono vincentes, inimicos excusantes, defendentes, & vero corde amantes, atque inter benefactores & amicos reputantes. Hujusmodi Patientia opus perfectum habet, hujusmodi Patientia, Charitatis & Humilitatis est, hujusmodi Patientia ab amore proprio, à vanitate, & superbia procul est, hujusmodi Patientia Christi Patientiæ æmula, vicina, & socia est.

[Marginal notes: Marc. 9. 12 — ... 16. 11. — ... 87. 5.]

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus Jesu in Passione socius fuit. Labor, Fatigatio, Debilitatio, Defatigatio. O quanto labore laboratum, sudatumque est à Domino Jesu, ut exiret à nobis nostra rubigo, & ferrugo! O quanti constitit! quantarum fatigationum messis Christo Domino fuit, tum obedientia ad Patris Æterni voluntatem, tum conatus elaborandi nostrûm omnium æternam salutem! Et Adamo quidem dictum est. *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Noster autem Redemptor toto corpore sanguinem sudare, omnem carnem suam innocentissimam, plagis, livore, vulneribus convestire, totum sanguinem profundere, vitam ipsam animamque ponere necesse habuit, ut abominandam scabiem fœditatemque peccatorum nostrorum elueret ac eraderet, æternæ autem felicitatis vestem nobis indueret. Et post hæc omnia nos tamen homunciones ad laborem sicut volucres ad volandum natos, pro salute nostra æterna tantillũ laborare sudareque piget. Et quis est qui ad sanguinem usque peccato resistat? quis est qui velit servire Christo usque ad defatigationem?

[Marginal note: Gen. 3. 19.]

O laboriose & nostrî causa defatigate Jesu, sudore tuo quæso dulces nobis levesque fac omnes labores & fatigationes nostras, propter voluntatem & gratiam tuam, propter exaltationem & gloriam tuam, propter salutem, & perfectionem nostram, & fratrum nostrorum, æternam.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quintus Jesu in Passione fuit Socius, Sterilitas, Infructuositas. Post tantos enim sumptus, post tantos labores, quos Dominus Jesus nostræ saluti, ac redemptioni impendit: quibusque mille mundorum millia redimere, salvare, ac æternæ gratiæ,

gratiæ, gloriæque opibus ditare supra modum poterat, nihilominus exiguum valde numerum electorum, ex non minùs tremendo, quàm justo Patris Æterni decreto accepit, teste ipsomet Domino IESU dicente toties. *Multi vocati, pauci verò electi:* quasi diceret. Multi quidem sanguine meo redempti, pauci tamen efficaciter salutem adepti. Cùm Dominus IESUS terris relictis Cœlos conscenderet, quingentos vix fideles discipulosque suos reliquit: heu quàm exigua messis, tam copiosæ sementis, quam ipsemet Dominus IESUS, utique non insipiens agricola & seminator, sparserat!

Matth. 22. 14

O IESU, quàm parcos & raros nunc quoque fructus laborum tuorum colligis, quantam sterilitatem retribuunt tibi etiã nunc Animæ nostræ? licet eas tu, tam crebro, tamque copioso sanguinis, ac meritorum, & gratiarum tuarum imbre perpluis, & inundas. O Anima mea redi aliquando ad cor, & computa aliquando sumptus Domini tui, super te, debitorum tuorum rationes collige, vide quantis obstricta sis, quam solvendo minimè sis, in quantis te accusant? clama procidens ad Dominum: Misericordiam habe in me, & antiqua debita mea, errata fœleraque mea, sterilitatem ac infructuositatem meam, condona mihi ego autem deinceps cum gratia tua, uberiores fructus, bonorum operum, fructus virtutum sanctarum, fructus sanctitatis, & justitiæ, fructus honoris, & gloriæ tuæ afferam.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Passionis Dominicæ Comes fuit, Ingratitudo, quam Dominus IESUS enormiter & extreme grandem gravemque pertulit, nominatim ab illo, sibi dilecto, & electo Iudæorum populo: ab eo enim post infinita, eaque singularia beneficia, solidam ingratissimi animi mercedem recepit. Quos ille honoravit & exaltavit, ab ipsis contemptus, & despretus est; quos, miraculis editis, sanavit, ab his vulnere, super vulnus concisus est; quibus vitam dedit, ab iis crudeliter occisus est; retulit ab eis pro amore odium; pro beneficiis maleficia; pro benedictionibus, maledicta; pro sincero, & paterno affectu, hostiles dolos, & fraudes, & molestias. O quàm durus fuit hic Comes Ingratitudinis, beneficentissimæ, & ad bene de aliis merendum, promptæ, ac natæ, Christi indoli! Sed nunquid nõ idem prorsus condimentum, largitatis, ac beneficentiæ suæ, reportat etiam à nobis Dominus IESUS? Nonne quantò ille in beneficiis, super nos, profusior, tantò magis nos, in ipsum ingrati? Ideo etiam angustatur manus largitatis divinæ super nos, ideo parcior nobis liberalitas gratiæ Dei, ideo subtrahitur nobis in tentationibus robur, in periculis protectio, in difficultatibus auxilium, in dubiis lumen veritatis, in arduis spei firmitas, in frigore fervor charitatis. Vincimur ab hostibus, tam visibilibus, quàm invisibilibus, damur in derisum, & opprobrium, his, qui oderunt nos: quia relicta est nobis domus nostra deserta, quia per ingratitudinem nostram, Bonitas & Largitas Dei, procul est repulsa. Oportet itaque reddere grates, pro gratiis Deo, si volumus habitare in beneficentia, & protectione Altissimi; oportet etiam ingratis nostris benefacere propter Deum, ut ingratitudine satiati IEsu socii efficiamur, utque fiamus filii Patris nostri, qui pluit super justos, & injustos, & Solem suum oriri facit, super bonos, & malos: qui deniq; pro istis ipsis, sanguinem fudit, animamque suam posuit, à quorum manibus, & furore, illum fudit, illamque posuit.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo, Amen.* Septimus IESU Patientis socius fuit. Dolor, & Cruciatus: quem, etsi totâ vitâ suâ, adjunctum sibi habuit, peculiariter tamen ille IEsum in Passione comitatus est, adeò, ut ea de causa, vir, & quasi Rex; aut veriùs, Regnum dolorum vocatus sit. Quia enim super Dominum IEsum posuerat Pater iniquitates, omniũ nostrûm, idcirco etiam disciplina pacis nostræ, idcirco omnis pœna, & castigatio omnium, & singularum iniquitatum nostrarum, venit, & incubuit super eum. Quare secundùm multitudinem, & magnitudinem, peccatorum nostrorum, quæ in se Christus susceperat, multitudinem etiam, & magnitudinem, castigationum, suppliciorumque, consequenter dolorũ, & cruciatuum æqualem, immo longe superiorem suscepit, atque sustinuit. Ergo jam quisquis voles, metire, & penetra abyssum hanc dolorum IEsu Christi, quod si minimè prævales, hinc saltem disce, & comprehende, ex quibus, & ex quantis, tandem malorum, & dolorum abyssis, tu sis per dolores IEsu Christi, extractus. Ut enim tu non habitares cum ardoribus sempiternis, ut non salireris igne, ut non viveres in combustione, & morte æterna, Dominus & Redemptor tuus, IEsus, *venit in altitudinem maris,* dolorum, *& tempestas* Passionis, atque cruciatuum *demersit eum.*

Psal. 68.

ACCOM-

ACCOMMODATIO VI.

CONferendo septem injuriosas Christi Domini compellationes : quas ab inmiicis in Passione retulit, septem postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster, qui es in cœlis.]

Considera Christum Dominum esse verissimam & ipsissimam Dignitatem Excellentiamque tum rerum omnium, tum maximè fidelis populi sui Christiani : non ob id solùm, quia ille est per Christum, ab æterna illa damnationis,& proscriptiptionis infamia liberatus; neque ob id tantùm, quia idem populus est per Christum cohæres Regni cœlestis institutus : verùm etiam ob id, quia omnes nationes Christianæ nihil habent, unde veriùs, justiùs, sinceriùsque gloriari possint, ac debeant, quàm ex IEsu Christo Crucifixo, contempto, inhonorato. Hic est germanus genuinusque sensus totius Christianæ Ecclesiæ, cum Apostolo Paulo affirmatè dicentis. *Mihi absit glotiari, nisi in Cruce Domini nostri IESU Christi.* Et tu ergo si inter Christianæ Ecclesiæ, veros filios numeraris, nefas ducito gloriari in aliquo, præter IEsum Crucifixum : sed ille unus ac solus, tibi sit honor totus, ille dignitas omnis, ille tituli omnes, ille amplitudines omnes, laudes atque Majestates. Sit Iudæis scandalum, Gentibus stultitia, & Tibi cum omnibus electis Virtus Dei & Sapientia, & Excellentia, & omnis Decor.

[G]al: 6. 14.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.*]

Primum Patientis IEsu Cognomen fuit, Blasphemus, & impia de Deo indignaque loquens. Retulit hoc Cognomen Dominus IEsus, verus & consubstantialis Dei filius, *candor lucis æternæ*, tum ante Passionem, tum præcipuè Passionis tempore : adeò ut hanc præcipuam causam, prætenderint Iudæorum Primores, mortis Christi, *Blasphemavit:* exclamat Caiphas, *ecce nunc audistis blasphemiam,* quid vobis videtur? at illi (universum scilicet Concilium) exclamaverunt. *Reus est mortis.*

[S]ap. 7. 26.

[M]a: 26. 65

[M]a: 26. 66

O mi IESU tu in omni super terras vita tua id unum solumque præcipuè laborâsti, ut manifestares Patris tui nomen hominibus, ut honorificares Patrem tuũ, & clarificares super terram : & ecce nihilominus, tanquam in Deum injurius atque blaspemus reputaris; appellaris,mortique addiceris : ita etiam Christi servorum conatus omnes, labores, sumptus omnes, consilia, apparatus omnes, quantò puriùs, sinceriùs, fructuosiùs, in exaltationem divini nominis & in propagationem gloriæ ipsius, diriguntur, exercenturque : tantò in deteriùs & obliquius a linguis, censurisque de vulgo, & etiam non de vulgo hominum detorquentur. Sed talium hæc est consolatio singularis, quòd vestibus, insignibusque sui Imperatoris induantur : ejusque titulorum participes fiant, & nomen Dei revera vitâ factisque suis sanctificantes, à mundo tamen, & filiis mundi probrum & improperium reportent.

[Psal...]

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum:* Secundum Christi Passi Cognomen, Ambitiosus Regnique appetens, falsus Rex. Eapropter Coronâ spineâ redimitus,purpurâ indutus, sceptro arundineo, genuflexionibusque illusoriè ornatus, & Rex consalutatus est. Eapropter etiam adCrucem (quæ pœna ambitûs fuit) damnatus, inter latrones medius, ut latronum Rex statutus, denique Rex Iudæorum scripto appellatus est. Ita Rex æternæ Gloriæ, tanquam Rex æternæ infamiæ, ab hominibus illusus est. Ita Rex Regum ad proprium Regnum pervenire voluit. Ita Rex & Deus noster nobis Regnum emereri cœleste, nosque suum Regnum facere prælegit. Nos autem, prò quam testudineo passu vestigia Regis hujus nostri sectamur! prò quàm puerili futilique labore, ad æternum Regnum pervenire conamur! Clamamus quidem voce frequenter : *Adveniat Regnum tuum,* sed opere vicissim reclamamus,Recede à nobis Regnum Dei.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra.* Tertium Cognomen Passi JEsu, Seditiosus. Commovens populum. Subvertens gentem, &c. Atque hæc prima primariaque fuit Christi apud Pilatum, per Principes Iudæorum accusatio. Hac etiam de causa Barabbam magis, quàm JEsum petierunt dimitti, vitâque donari, ostensuri scilicet incomparabiliter IEsum magis seditiosum esse,quàm Barabbas fuisset. Hoc Cognomen acquisivit Christus, per hoc, quia tam verbis, quàm factis, omnes homines ad agnitionem, amorem, subjectionem, impletionemque Divinæ voluntatis perducebat. Estque id hodieque usitatissimum in mundo. Si enim obedire velis magis Deo, quàm hominibus : si majorem habeas rationem conscientiæ, legis divinæ, æqui & veri, quàm humanarum phantasiarum; illico tibi seditiosi, arrogantis, filii Belial,

lial,

lial, & sine jugo, inobedientis, turbatoris pacis, nomen cognomenque subeundum est. Sed nimirum antiquitùs Sancti Dei homines obloquutoribus istis obstruebent os, dicentes: *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, judicate.* Et rursum. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Usurpavit id ipsum & Dominus Iesus. *Sicut mandatum dedit mihi Pater: sic facio.* O Sanctam & laudabilem hanc arrogantiam, adhærere Deo, insistere ejus voluntati, honorare magis Deum, quàm idolum respectuum humanorum. Quis det ad hanc seditionem cõmovere omnes gentes, ut conculcato idolo (quid dicent) omnes uno corde, ore, opere, dicant Deo semper; *Fiat voluntas tua, sicut in Cælo & in terra.*

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quartum Cognomen Domini IESU Patientis fuit, Malefactor, & per omnia improbus, & cujus vita fuerit malè agere, atque *sicut aquam iniquitatem bibere.* O Mare omnis bonitatis probitatisque Domine Iesu, qui peccatum non fecisti, in cujus ore dolus, in cujus corde iniquitas, reperiri non potuit: cui testimonium perhibuit turba dicens. *Bene omnia fecit:* huccine tandem reciderunt omnia, ut malefactor, & per omnia nequam appelleris? Consolamini justi, & benefacientes omnes, nisi grana bonorum operum vestrorum terræ invidiæ, & maledicentiæ insepeliantur, & oblocutionum, censurationumque fimo lapidentur, & obruantur, nullum fructum afferent, sed ipsa sola sterilia remanebunt: quod si in linguis, & censuris humanis fuerint macerata, & mortificata, afferent sine dubio æternitatis fructum, etiam centesimum. Indubitatissimum enim uberrimæ in Cœlo messis signum est, copia detractorum in mundo. Idcirco Dominus suis imitatoribus dicebat. *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me, gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in Cælo.* Da igitur nobis Domine panem hunc, semper quotidianum in hac vita, confectum ex detractionibus & censuris hominum, in crastino autem, hoc est in altera vita da nobis panem, ex gratia & gloria tua æterna, præparatum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quintum Cognomen Christi Patientis fuit, Reus est mortis, debet mori, filius perditionis & mortis. Verè Domine Iesu dignus, & reus, & Filius eras mortis, A qui factus es pro nostris peccatis hostia & oblatio, super quem, positæ sunt iniquitates omnium nostrûm, ut in Te, & per Te expientur, usque ad exsaturationem Iustitiæ Paternæ. Propter hoc autem nos ex filiis iræ, facti sumus filii gratiæ; ex filiis mortis, filii vitæ; ex filiis damnationis, facti sumus filii regni, & beatitudinis: ita ut illa Dei justitia, quæ antea nobis debebat pœnas, & supplicia, jam ob merita, solutionemque tuam, facta sit nobis debitrix vitæ, mercedis, & præmiorum æternorum. Idcirco illi non quasi petentes, sed veluti exigentes dicimus. *Dimitte nobis debita nostra,* &c.

B Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem,*] Sextum Iesu Patientis Cognomen fuit, Pseudopropheta, Seductor, Falsarius. Quod Cognomen, ita serviebat Domino Iesu, sicut soli convenit nox, aut igni frigus. Vocatus est nihilominus isto nomine Dominus noster, tam ante, quàm post mortem: Et quidem ideo, quia falsitates, dolos, errores, deceptiones hominum refellebat, & coarguebat. Veritatem autem prædicabat, & prædicebat. Dilexerant nimirum homines magis tenebras, quàm lucem, nec volebant ad eam accedere, ut non arguerentur opera eorum, C quæ utique erant mala, quod ipsum & hodie reperire non est difficile: homines enim si malè agunt, qui putrescunt ut jumenta in stercore suo, vocant tenebras lucem, & lucem tenebras, bonum malum, & malum bonum, doctrinam veritatis, & placitum divinæ legis, & Sanctorum monita, & exempla, non verentur falsitatis, hypocriseos, superstitionis arguere, fatuitates appellare, huic sæculo, & his moribus minimè convenire. Semper scilicet Deus hominibus Seductor est, semper Pseudopropheta; nemini minùs quàm Deo credunt, D immo scelera sua, & pravæ voluntatis nequitias, obstinationesque, ac duritias cordis appingunt Deo, interim verò totos se ad arbitrium fingunt diaboli: & mercede datâ conducunt, coguntque dæmones in perniciem suam: gloriantur cùm malè fecerint, exultant in rebus pessimis, suamque in obsequium diaboli propensionem, facilitatem, fidelitatem deprædicant.

O Veritas Iesu, qui verax Magister es, & viam Dei in veritate doces, aperi & detege dolos istos nobis; ne inducas nos in tentationem, ne deseras nos in laqueis & decipulis diaboli, sed emitte lucem tuam, & veritatem tuam, & affere nos in liber-

libertatem filiorum tuorum.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo, Amen.* Septimum Cognomen Passi Iesu, Latro & latronibus pejor, latronumque Princeps. Abunde hunc suum, de Domino Jesu, sensum demonstrârunt, quando illi Barabbam seditiosum, homicidam, & latronem præposuerunt, quando illum cum iniquis deputârunt, quando illi patibulum proprium bajulandum imposuerunt, quando illum latronum publicorum morte, interque latrones medium, interfecerunt. Neque dissimulavit id contumeliæ Dominus Jesus, quod ad comprehendendum se accinctis Iudæorum ministris, & ipsismet Primoribus dixit: tanquam ad latronem existis, cum gladiis comprehendere me. Talia sunt humana judicia: eum qui ab omni injuriâ corporis mentisque homines liberat, latronem, & omnis mali humani authorem fecerunt, & tanquam revera talem, turpissimâ, crudelissimâ, latronumq; propriâ morte affecerunt. Hæc est omnium piorum unica consolatio. Non est servus major Domino suo, si Dominum, latronis titulo ornârunt, servis quidni idem cognomen imponant. Si Patremfamilias Beelzebub, Samaritanum, dœmonium habentem, insanum, in furorem versum, veneficum appellârunt; quantò magis domesticos ejus paribus coloribus depingent.

Da Domine Jesu nos fieri participes, tecum omnis humani maledicti propter te: & libera nos ab experimento omnis interni, & æterni mali, propter eundem Te.

ACCOMMODATIO VII.

Accommodando septem Effectus, sive fructus Passionis Christi, totidem Postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster qui es in Cœlis.] Considera Passionem Domini Salvatoris nostri, esse inexhaustum quoddam gazophilacium, ex quo cuicunque (modo libeat) licet haurire omnem bonorum abundantiam, omnem meritorum, gratiarum, virtutum, auxiliorumque, tam externorum, quàm internorum copiam. Nemo justè queri potest, se vel arceri ab hoc thesauro, vel parum quidpiam participare, vel pauperem esse: omnia enim bona, tam in copia, quam & in aperto sunt, ad hoc unū ut hauriantur; & quidem quàm copiosissime, avarissimè, assiduissimè hauriantur. Quàm enim Jesus totus vulneratus est, tā iste thesaurus totus plenus, totus apertus, & expositus est. Sibi ergo imputet, quisquis parùm, quisquis raro, quisquis timide, quisquis nihil hausit. Solus enim ille hinc expellitur, qui se negligentem, ac per hoc & indignum hauriendo exhibet. Nam de cætero ille commodissimè copiosissimèque participat, quisquis abrenuntians peccatis & jugum cupiditatum suarum pravarum excutiens, se suasque voluntates abnegans, Crucifixo Iesu sese conformat, voluntati Dei totum se submittit, proprii honoris & amoris cōculcator, Deum insatiabiliter exaltat, meritis Christi sese ditat, virtutibus exornat, æternæ beatitudinis hæreditate sese dignum idoneumque reddit. Hoc autem quicunque vult præstare, admodum facilè præstabit, modo gratiæ Dei non desit, & posteaquam semel inceperit, usque in finem perseveret.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Fructus Effectusq; Passionis Christi est. Fides, Spes, Charitas. Sine quibus virtutibus, nullo modo salus æterna à nobis acquiri potest. Hæc enim est totius nostri ædificii Spiritualis structura, dimensio, & norma. Hoc est illud, quo Sanctificare nomen Dei nostri debemus, ac possumus. Hoc illud etiam est, quo uno, ac Solo Dei laus, & gloria, in mentibus nostris radicatur, & germinat. Credere in Deum, ejusque notitiam veram habere: in ejus auxilio, spem omnem collocare, deque ejus gratia, & manu liberali, salutem præstolari, & ad extremum eundem, super omnia toto corde amare, æstimare, & ab hoc nunquam deficere. Quod totum ex meritis, Domini nostri Jesu Christi, per Passionem, ac mortem, quæsitis habemus. Immo verò nihil nos ita illuminat, inque cognitionem Dei ducit, nihil ita revelat divina mysteria, nihil ita spem roborat, & in Deum firmat, nihil ita in nobis Charitas flammam auget, & exaggerat, sicut Jesus Crucifixus, sicut Passio cruenta Salvatoris nostri, Hauri ergo, ô homo, de istis fontibus, de istis thesauris, de istis Gazophilaciis, vulnerum Salvatoris; hauri, inquam, lumen fidei in Deum, robur fiduciæ in Deo, ardorem & efficaciam charitatis erga Deum. Si hinc ista non hauris, frustra aliunde speras, & quæris.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Alter Fructus Effectusq; Passionis Christi est. Gratia & Amicitia, & Charitas Dei, in nobis manens, nosque Deo amabiles reddens. Quæ Gratia, est nostra & Sanctitas, & Justitia; hæc nos facit Dei Regnum, hanc mendicamus, quando advenire in nos Dei regnum rogamus: hæc est sementis vitæ æternæ, hæc est jus ad hæreditandum Regnum cæleste. Ipsa est præcipuus flos mercedum, cruentis laboribus Christi repensarum, hanc quando nobis meritis suis acquisivit, hoc ipso nos Deo reconciliavit, hoc ipso nos Regnum Deo, & nobis Deum fecit.

O verum & beatum Dei Regnum, advenias tandem in nos, & mane in nobis in æternum. O pretiosissime thesaure, in agro Humanitatis Christi Jesu defosse, & abscondite, sed per vulnera, & Passionem ejusdem effosse, & in lucem producte, & a prudentissimo mercatore, impendio totius substantiæ suæ, nobis empte, atque quæsite: Dona dulcis Jesu nobis hunc thesaurum, & illi nos, illumque nobis serva, ut eum semper possidentes, ejusq; bonis fruentes, eundem transferamus nobiscum, usque in vitam, usque ad hæreditatem æternam.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in Terra.* Tertius Fructus Effectusque seu meritum Passionis Christi, sunt auxilia actualia ad implendum voluntatem Dei, & ad præstanda opere omnia ad salutem, immo & perfectionem, tam necessaria, quàm parata semper. Quia enim volenti ad vitam ingredi, opus est observatione mandatorum Dei; hæc autem nostris propriis viribus non fit, absq; divino auxilio, Dominus Jesus postquam nos magisterio suo, de divina voluntate edocuisset; postquam nobis in ejus amore, & executione, exemplo præivisset, etiam auxiliorum, ad ejus impletionem, necessariorum, indubitatam copiam, nobis per suam Passionem & mortem promeruit, & obtinuit. Inde omnis cogitatio bona & sancta, omnis nostræ voluntatis ad bonum affectus, omnis executio boni operis, omnis in bono perseverantia, omne peccati odiū, & fuga, & emendatio, ab auxilio Dei est, ex meritis Christi est: quæ auxilia meritaque, a Christo ita derivamus, sicut palmites à sua, in qua sunt vite, trahunt succum, vitam, incrementum, fructumque suum.

O viva & vera Vitis Bone Jesu: serva in te nos palmites tuos, purgatos, vivos, crescentes, fructuosos, abundanter, & perenniter fac nos. Sine te enim arescimus, præscindimur, & in ignem mittimur, & ardemus. Palmiti namque aut vitis debetur, aut ignis: ut ergo in igne non simus, in te vera vite simus. O caput nostrum nobilissimum: dirige nos in viam rectam mandatorum Dei: ut sic in te, ita & in nobis impleatur semper, bona, beneplacens, & perfecta voluntas.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus Effectus Fructusque Passionis Christi fuit, Sacramentum Corporis & sanguinis Domini, quo in præsenti vita, animæ nostræ aluntur, confirmantur, & saginantur, ut robustiores, & vegetiores effectæ, dilatato, & impinguato, per charitatem corde, currant in via Spiritûs, usque ad bravium vitæ æternæ. Hoc Sacramentum pretiosissimum, non solum habet in se virtutem, & merita, Passionis, & mortis Christi, sed insuper etiam continet in se, ipsummet Christum, omnem scilicet substantiam ejus. Corpus, sanguinem, vitam, animam, divinitatem, omnia bona, & virtutes, & gratias, & merita ejus, planè sicut in fonte habentur rivuli, sicut in sole habentur radii, sic in gazophilacio habentur thesauri, sicut in anima habentur, vita, potentiæ, & opera. Grandis est hic & inæstimabilis fructus Passionis, mortisque Christi, qui pro omnibus illis liberalissimè communicatur, à quibus dilatatissimo per incensa & inexpleta desideria corde concupiscitur. Mira res sanè, quod pro totius mundi pretio non daretur homini, hoc pro devoto, humili, & ignito desiderio, largissimè profunditur. Congrega igitur totius mundi cupiditates, desideria, & avaritias, illasque desiderando Sanctissimo Sacramento impendens dic: *Panem nostrum quotidianum,* nobis, sanguine & Corpore, Filii tui Unigeniti conditum, Domine, da nobis hodie, da semper, da in tempore mortis nostræ.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quintus Fructus Effectusque Passionis Christi est, Remissio & abolitio peccatorum nostrorum omnium. Ut enim in mari rubro, sic deleti sunt, demersiq; omnes, Ægyptii, ut non remanserit ex eis ne unus quidem; ita in Passionis, & mortis Christi Jesu cruentissimo mari, deleta sunt omnia peccata nostra, descenderunt sicut plumbum, in profundum oblivionis divinæ, unumque ex eis in conspectu ejus non remansit. O fortunatum diluvium!

in quo

in quo filii quidem Dei, abluti, & salvati; diabolus autem, & peccata demersa sunt, & deleta. In hoc balneo, diebus singulis, lava cor tuum, anima mea, & expurga ab eo, omnes iniquitates ejus: nominatim, omnem iram, omne fraternum odium, omnem vindictæ cupiditatem, omnem injuriarum, offensarumque memoriam, ut liberè, sincereque oculos tuos, levare possis, ad illum Dominum tuum, qui pro te pendens in Cruce, oravit pro crucifixoribus suis, docuitque te sic orare. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Fructus Effectusque Passionis Christi est, Debellatio infernalis Tyranni, qui potestatem suam cruentam non minùs, quam iniquam, in omne genus nostrum. exercebat, ob quam etiam, ab ipso Redemptore nostro, vocatus est, Princeps hujus mundi, vocatus est fortis, armatus, custodiens atrium suum, & spolia sua in pace. Hunc sanguinarium Tyrannum Dominus Jesus vicit, & debellavit, virtutem ejus contrivit, ipsum alligavit, & vasa, spoliaque diripuit, Passione, Cruce, & morte suâ, usque adeò, ut jam modò, prædo, & draco, & Leviathan iste, fit ludibrio pueris, puellisque Christi, & illudant ei alligato, tanquam aviculæ implumi, & enervi, & retia tentationum ejus, faciliùs quàm araneatum fila, perrumpere valeant, & ex eis victoriæ suæ trophæa, in Domino gloriantes statuant. Inde experimur legiones tartareas universas, ad unicum Crucis signum, instar timidissimarum diffugere avicularum, aut captarum. Quocirca quisquis non tantùm vult non timere, à facie Tyranni hujus, sed etiam cupit, super aspidem, & basiliscum ambulare, & leonem draconemque istum conculcare, scuto Passionis Christi, sese communiat, & circumdet, quo fiet, ut omnes vires, conatus, fraudes, assultusque diaboli, in risum & ludibrium Cœlitibus, in confusionem, & ejulatum inferis, & victoriam, & prœmium, & gloriam sibi convertat.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo, Amen.* Septimus Fructus atque Effectus Dominicæ Passionis est, Eliberatio nostra, Immunitasque à pœnis, tum inferni, tum purgatorii, tum etiam, (si divinæ opi non desimus) ab ipsis, hujus vitæ. Omnes nascimur natura filii iræ, & pabula infernalis ignis, sed illos infernales, ardores sempiternos, sanguis Christi extinxit, emundans nos ab omni iniquitate, & satisfaciens justitiæ Dei, pro omni nostro, tam culpæ, quàm pœnæ reatu, ac debito. O quantam ergo injuriam, contumeliamque faciunt Jesu Christo Passo, & Crucifixo, omnes peccatores, qui habentes exstinctum sanguine Christi infernalem ignem, eum tamen ipsi, denuo, cupiditatum suarum effrenium æstu, in contemptum Dei, in gaudium diaboli, in nutrimentum inferni, reaccedunt, sesequè incendiorum illorum, sempiternum pabulum exhibent.

O Jesu pro nobis Passe, & mortue, libera nos ab hoc malo: & da, ut sanguinis Passionisque tuæ usu, & fructu, & merito, incendium infernale, tam nobis ipsis, quàm omnibus proximis nostris exstinguamus; nunquam illud, seu nobis ipsis, seu proximis restauremus, sed potiùs unanimiter omnes, æternâ beatitudine dignos idoneosque facere, te adjuvante connitamur.

IN PASSIONEM DOMINI MEDITATIONES QUADRAGINTA SEX

Juxta numerum dierum Quadragesimæ.

MEDITATIO I.

Feria 4. Cinerum.

Lotio pedum, Institutio Eucharistiæ. Exhortatio.

1. NOn habebat Christus quod lavaret in se ante mortem, reperit in aliis. Voluit ostendere neminem esse tam lotum, hoc est Sanctum, qui non indigeret ut saltem pedes, hoc est affectus, sensualitatisque delicta lavet. Et pœnitentia quidem semper agenda est, sed maximè ante mortem imminentem, ingruensque Dei judicium, urgenda. O Domine, ampliùs lava me, etiam ab occultis meis. Delicta juventutis meæ ferventioresque concupiscentias & ignorantias meas ne memineris, sed dele iniquitates meas semper, ut possim ante te sine culpæ & pœnæ obligatione vivere. Adauge ergo in me Spiritum Contritionis semper. Gratias etiam age Christo quòd te abluerit & abluat sæpe, nō aquâ, sed sanguine.

2. HOc est, ait Christus, Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Meum est, sed tradetur vobis, & pro vobis, modo vobis proportionato, pro naturæ vestræ exigentia, pro dispositionis singularitate. Intellige, quodammodo in tua potestate esse fructus, quos, & quantos voles, ex Eucharistia, imò ex omnibus Sacramentis percipere, quantùm te disponis; quam capax vas cordis affers, tantum sumis. Sed quid est quod iturus ad Passionem, Eucharistiam Sacram instituit? an quia tibi pugnæ sunt, cum natura, cum malis habitibus, & Passionibus, parare voluit tibi auxilium, & præbere pharmacum? Vide quæ sit causa, quòd toties Corpus Christi sumens, tamen effrenes indomitasque passiones habeas? deinceps digniùs hoc Sacramentum tractare proponas. Sat bene tractat, qui ejus sumptione proficit.

3. EXhortatur ad dilectionem mutuam Christus, nihil enim prodest Corpus exteriùs Dei causâ affligere, charitatem autem mutuam deserere, multos invenies qui carnem graviter atterunt, paucissimos autem, qui in communitate viventes aliorum mores tolerare, alisq; moribus propriis molesti non esse sciant; cogita particulares casus, & personas, quibus tu vel alios ferre non soles, vel aliis ipse molestus es, & emenda te in iis, disceque ita esse (juxta Christi petitionem) unum cum omnibus, sicut Filius cum Patre Æterno unū est. Frustra enim appetes uniri Deo, nisi fueris unitus cum proximo; & sicut propter servandam unitatem cum Deo; ita & propter servandam pacem cum Proximo multa subeunda sunt, quæ nollet caro.

Feria 5. post Cineres.

2. *Egressus Vrbe. Tristitia, Relicti discipuli.*

1. NOn vult JESUS ad nostram Redemptionem capi & rapi in urbe; & tu si vis animam tuam redimere à peccatis, occasiones, conversationes, tumultus fuge. Cogita, in quæ peccata, quibus occasionibus sæpiùs graviùsque cadis, & quomodo ex istis cœnaculis ac domibus egrediaris dispice, & accurata fac proposita.

2. In

2. IN itinere, ex urbis egressu, occupat Christum pavor, tœdium, tristitia, condole, & contristare cum Christo, & scito, quòd si servire volueris Deo, Christumque sequi, & à te ipso, tuisque sociis desciscere, reluctantem sis experturus naturam, consuetudinem, reprehensores, linguas, unde tœdia, tristitiæque nascentur. Sicut autem Christus pergit hæc sentiens, & tu nolis Christo magis esse delicatus, sed sta in timore, & præpara animam.

3. REliquit Discipulos Christus, tu tamen Christum ne desere, imò pete ab illo, ut te secum assumere, & spectatorem, ac si placet consortem etiam Passionis suæ esse velit; hoc ut assequaris, cura esse fervens ut Petrus, purus ut Joannes, simplex & sincerus ut Iacobus. Et omnino hîc statue per totam hanc Sanctam Quadragesimam Christum Dominum patientem animo sequi, observare, imitari, compati; postulans ab illo, ut tibi lumen, fervorem, constantiam donet, quo multa in Christo patiente cognoscere, exprimere in te, in omnibus autem coram ipso perseverare possis.

Feria 6.

3. *Oratio, Calix, Sudor sanguineus.*

I. DIsce à Christo, quomodo debeas, & quando orare Christum; in maximis desolationibus maximè Christus orat, ferventissimè, diutissimè, humillimè, resignatissimè: tu contra, non nisi tunc oras, quando deliciis spiritualibus affluis; in oratione es tam incircumspectus, præsumens, piger, vagus, rarus. Quanquam est etiam alius tuus scopulus; ut ad orationem non recurras, nisi quando necessitas te cogit, quando autē quies est, & securitas, facillime orationem negligis.

2. INfirmæ suæ condescendens Christus naturæ, calicem Passionis auferri petit à se, & tamen rationali parte promptissimè illum acceptat, petitq; non suam sed Patris fieri voluntatem. Orat ergo pro se, contra se, quod petit auferri, hoc poscit impleri. Disce & tu in pugnis interioribus te gerere debitè, nec attendere quid caro possit, sed quid spiritui expediat & prosit. Quidque ratio, & Deus, & superior velit. O si induere conareris affectum illum JESU Christi, quo ille oblatum à Patre per manus confortantis Angeli Passionis calicem hausit, & jam tunc absorbuit, ut tu quoque Crucem, Dolorem, contemptumque tui pro Christo assumere, & sustinere, eâdem illâ aviditate, & constantia velis. Nemo enim Christo melior patiendi Magister, utinam & tu sis discipulus saltem bonus.

3. SUdat Christus, putas præ deliciis, & otio? Quin & tu te resolvis & tandem statuis Christo servire usque ad defatigationem, non ausim proponere usq; ad sanguinem Domine JESU, sed si tuæ voluntati placet, fiat. O anima non potes sudare sanguinem tuum pro Christo fundendo, suda saltem Christi sanguinem colligendo. Sanguis Christi, perfectio tua, Sanguis Christi, salus animarum. Guttæ sanguinis Christi sunt minimæ occasiones merendi, & Deo placendi, quæ ideo guttæ, quia videntur parvæ, ideo sanguis, quia à Christi sanguine habent, ut rectè usurpatæ ad vitam æternam possint prodesse. Guttæ sanguinis Christi inspirationes bonæ, quòd enim à Deo dentur meruit Christus suá Passione. Hūc omnem sanguinem si curasti, sanguineum Christi sudorem collegisti, ideo pretium laboris à Christo sperare potes, sed heu sanguinis Christi sudor factus est decurrens in terram, in vanum, &c.

Sabbato.

Dormitio discipulorum. Obviatio hostibus. Osculum.

I. ORante & agonisante JESU, dormiunt discipuli. Sic scilicet, quando Deus maximè pro salute nostra excubat, nos peccamus, nos tepiditati, nos torpori & offensis Dei indulgemus, quasi Christus ideo satagat, ut nos nihil agamus: nec veremur amarum illud verbum. Simon dormis? sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum? O surge anima mea, exurge à mortuis istis operibus, tepidè, negligenter, frustra, factis, & in luce, sicut filium lucis decet ambula.

2. SCiebat Christus festinare Iudam & Iudæos cum ministris ad se capiendum, festinat ergo & ille, nec cedit, imò procedit obviam, & præcedit amore furorem, sciens licet omnia quæ ventura erant super eum. Ubi tua virtus ô homo, si quid triste, vel à longè, vel falsò præsagit animus, si quæ confusionis suspicio se prodit, illicò latibula excusationum,

Aut amor aut furor est quite bone [illegible]
Est amor, et furor est hicmeq ille Tuus.

 tionum,

tionum, prætextuum, consultationum, dissimulationum, impatientiæ vindictarum, quæruntur. Nunquid hoc est dicere, surgite eamus, ecce occasio patiendi, confusionis, meriti, laboris? Examina te, quoties occasiones hujusmodi à Divina manu oblatas rejicis?

3. TAntopere Christus amica sanctarum animarum amat oscula, ut vel falsò, vel fictè accedentium admittat suaviationes; & quantò putas libentiùs acceptaret, à sincero, puroque fervore charitatis profectas? Gloriatus est coram Elia de Achabi quanquam minùs sincera pœnitentia, Deus. O si, vel semel liceat dare veri amoris osculum Christo! O si ne semel contingat Christum Iscariotice osculari; sed quoties (eheu!) sic dedi? quoties jam soleo illo modo dare? Exere affectus anima mea, sed humiles, sed solidos, sed amorosos, & illis JESUM complectere, & tuis castis osculis Iudæ osculum deterge, quod si oris osculo, indignã te (meritò) putas, pedes osculare, lambe vestigia pedum ejus.

DOMINIC: 1. Quadragesimæ.

5. *Casus hostium, Captivitas Christi, Fuga discipulorum.*

1. VErbo JESUS prostravit universas hostium phalanges. Eheu! quis sustinebit judicantem, quem nemo sustinere potest patientem. Potuit Iudas sustinere lavantem pedes, admittentem ad osculum, dantem sui Corporis Sacramentum, amici nomine compellantem, proditionis signum exprobrantem: non potuit, quod re ipsâ esset, de se confitentem. Scilicet omnes alios vultus Dei, peccator eludere potest, germanam Dei faciem non potest; facies hæc, est ipsum Esse. Ego sum, ait, qui vos creavi, qui Patres vestros ex Ægypto eduxi. Ego sum in quem cadere non potest infirmitas. Ego sum à quo totum vestrum dependet esse. Ego sum solus, & extra me alius non est ullus, & ut sciatis quòd vos non possitis, nisi quantum ego concedo. Cadite &c. Ut quid ergo scelera sceleribus cumulas homo, & tepiditatem auges negligentiâ? An nescis quò qui te judicat Dominus est? Audi sæpe Christum geminantem. Ego sum Creator tuus, Redemptor tuus, Iudex tuus, Punitor tuus. quomodo servis Creatori, amas Redemptorem, times Iudicem? tu autem quid? potes quidem dicere. Ego sum factura tua, redemptus tuus, reus tuus, sed num potes dicere? Ego sum servus tuus; fidelis tuus; non potes? cura ut possis.

2. CAptivus Christus in manibus hostium gemit, & compateris illi? meritò; sed vide ne etiam in tuis vinculis gemat. Posuisti, aut accepisti illum in specie panis, quàm puro corde, quàm humili ardentique affectu? Vide quomodo Christus te tractetur, num non ut ab his Iudæis, num etiam pejus? Iudas tradito Christo, præcepit militibus; tenete, ducite cautè, tenes tu, an ejicis? ducis cautè, an tractas inverecundè? Et quid prodest Christum recipere, si non retines; quid juvat retinere, indignè autem tractare? Captivat Christum, qui viam Dei, & veritatem in iniquitate detinet, nec ad justitiam erudit multos, quos potest, quos tenetur.

3. FUgiunt Discipuli, quia ad Passionem ventum est. Compatere derelicto IESU, ex intimis medullis, audiens illum indignissimè haberi ab hostibus, deseri à discipulis. Disce quid possint ex se homines, etsi aliàs cum Christo conversari assueti, etsi aliàs ferventes? Cogita quàm sæpe, quàm facile, in leviori, quàm præsens est, occasione, à Christo recedis, & turpiter fugis? Dole de tua inconstantia, & te de tua infirmitate humilia, illud autem Christi robur, quo ille in hac captivitatis suæ hora abundabat, à Christo devotè postula, ut ei colligari, cum eo ad præsides trahi, calumnias & cruciatus pati possis.

Feria 2.

6. *Annæ examen, Alapa, Responsio.*

Caipha

1. EXaminatur JESUS, nec dedignatur subire, judex omnium, censuras impiorum. Tu ita superbus es, ut tua opera nullam mereri censuram, aut reprehensionem putes, nullius judicio putes esse subjicienda. Recole quàm tu piger es, & perfunctorius, in tuæ conscientiæ examine. Disce sic vivere, sicque te semper gerere, ut possis cum Christo dicere. Ego palàm locutus sum, & in occulto locutus sum nihil, cogitavi nihil, feci nihil, cujus testem consciumq; habere metuam. Disce sic vivere, ut purissimus divinitatis ille oculus, omnia intimè internoscens, nihil in te reprehensibile inveniat.

2. Prô!

2. PRô! quod istud ad aures fulmen verberat? inflicta Christo alapa est anima mea, & tu non tota exhorrescis, pioque stupore palles? Sic scilicet dissimulamus sæpe dum Christo injuriam fieri videmus. Sed videsne in gratiam humanam favoremque Principum impactam esse Christo alapam hanc? Heu respectus humani! quàm frequenter ego vestrâ causâ Christum in faciem cædo, à bono resilio, malum committo! Rubet vultus Christi, ah dolor! sed quidsi, non tam rubet à pugno servi, quàm à contemptu meo? certè scimus honestos homines magis pudere repelli, quàm percuti.

3. QUis crederet hucusque perventurum Deum-Hominem abjectionis, ut diceret homini vili. Quid me cædis? mea te calamitas à cædendo avocare debuerat, satis aliundè afflictus, & affligendus sum, quid me cædis? Non ait tamen. Homo, serve impie, quis tu es qui me cædis? &c. Anima mea non tu etiam cum Christo dices huic servo, ejusque supparibus, quid Christum cædis? Senti aliquantulam partem doloris & confusionis hujus, quam Christus sustinet, & quæ Christo extorsit hæc verba, quæ tot alii cruciatus, & indignitates nõ extorserunt. Non protulit illa Christus, ut argueret, sed ut commiserationem inveniret. Vide quoties tibi dicit anima, quoties conscientia, Regula, Charitas, Obedientia, Paupertas, quid me cædis?

Feria 3.

7. *Caiphas, Falsi testes, Adjuratio.*

1. APud Annam Christus examinatur de rebus veris, apud Caipham obruitur falsis, sed quomodo in eo, in quo verum malum non fuit, falsum inveniretur? Non est consilium contra Dominum cùm stat ante Judices, quando ipse venerit ad judicandum & sederit, quis illud inveniet? quis respondebit ei unum pro mille? Humana judicia,& sententias non time, nec justitiam tuam desere, quam cæpisti tenere; si innocens es, illum time judicem, qui in lucernis scrutatur etiam Ierusalem. Vide qualis in hac parte sis?

2. FAlsis testimoniis Christus accusatur, ideoque absolveretur potiùs si esset apud eos causa, qui veritatem scire, & non potiùs innocentiam opprimere vellent. O quàm frequenter accidit etiam iis qui proficere alioquin in bono student, ut non tam resilire à malis consiliis, quàm ea fucatis coloribus palliare, effictaque dictamina conscientiis suis, per vim obtrudere soleant? Sæpe injurias vindicant, & zelare pro bono communi se dicunt: dicunt non ideo se narrare, ut detractum famæ sit, sed quia minùs sibi probatur, ut caveant alii, quia res nota est. Disce non cuilibet spiritui credere, sed proba spiritus utrum ex Deo sint, & omnia tua facta, ad sensum horæ mortis, limamque judicii Divini explora. Non enim potest malè judicare, qui judicii sui timet habere scrutatorem & interpretem Deum.

3. ADjuratur Christus per Deum vivum, & tacit pro nominis divini reverentia, dicitque id audientibus hostibus, quod sciebat extremæ sibi fraudi futurum. Quin tu fidenter adjuras etiam Christum ligatum. Adjuro te ut dicas mihi, si tu es Christus: quem ego sequor, cui ego servio? scio te esse, scio per fidem, & intellectum, sed scire volo per affectum, & per altiorem quendam, quem magnis tuis Sanctis communicare gaudes sensum. Adjuro te mi JESU per Deum vivum, per tuam,inquam,Divinitatem, ut dicas mihi verbum, quo cognoscam te in luce tua, ut sciam te, & amem te, ut sciam me scire, & me amare te, & ambulare coram te corde sincero & perfecto, prout par est in gradu excellenti, & heroico; utque sciam,quantum adhuc desit mihi. Petes à Christo spiritûs prudentiam, quo Christum & scias ipse, & aliis noveris annuntiare opportunè, fructuosè, sedulè, efficaciter.

Feria 4.

8. *Scissio Vestium Caiphæ. Blasphemiæ, mortisq; reus proclamatur.*

1. INvidia quò non deducat? ad actus etiam pudendos & indignos se, sed quia invidia est, non videt, eum tamen cui nocere vult, & modum nocendi videt. Commune, & pejus pessimis malum, à quo etiam magnorum rari liberi sunt, imò si qui illi obnoxii, hi maximè. Et tamen fraudulentum: omnia alia se esse potiùs quàm invidiam simulat; commissum est officium, applicatur ad aliquid, successit benè negotium, laudatur alter, habetur ejus ratio: quid fit? in corde stulti nascitur invidia, sed zelo Dei, &

boni

boni communis induta: itaque mox extenuantur dotes proximi, allegantur mores præteriti, aut eventus, deteguntur defectus, carpuntur bona, & quid non? Quem diligit Dominus liberabitur à malo isto; tu anima supplica Christo.

2. QUi ne perderet obedientiam perdidit vitam, qui adjuratus per Deum ob tanti nominis majestatem, verbum verum quidem, sed tamen sibi mortiferum dixit, qui non suam sed Domini voluntatem fieri petiit, qui etsi à Patre duodecim legiones rogare potuit, propter Patris tamen obedientiam noluit, is blasphemâsse Deum dicitur. Frequens talis occasio patiendi in communitate, ubi laudandus quis erat, ibi culpatur. In hac materia, quomodo te gerere soleas, diligenter dispice, quomodo debeas, à Christo disce.

3. REus est mortis Dominus Jesus anima mea, reus omnino; quia cùm dilexisset te, tradidit semetipsum pro te, quia in finem dilexit te, morti addictam, mortis rêam, mortuam; an non qui tangit picem, coinquinabitur ab ea? Falsò conciliabulum istud clamat Christum mortis reum; clama tu verè: Reus es mortis Domine Jesu, descendisti de cœlo, incarnatus ès, vixisti, laborâsti, captus es, omnia facere & pati decrevisti, pro salute mea: verbum autem tuum; quantò magis decretum? quomodo potest transire? reus es mortis. At tu anima mea, non es rea amoris, non amabis amorem istum Christi, qui illum fecit reũ mortis tuæ, & pro te? Imò ama, & ad mortem usque amare ut possis Christo supplica. Dignus est enim morte, qui Jesum non diligit mortuum pro se.

Feria 5.

9. *Sputa, Velamen, Verbera.*

1. DAmnatus à Pontificibus, conspuitur à Satellibus Jesus, heu mè qualis contumelia? Vultum Angelis desiderabilem & terribilem conspuunt homines vilissimi & pessimi. Heu! quàm sæpe ad ductum Dominorum peccare pergunt subditi & præeuntibus majoribus suffragantur, sequunturq; minores. Formidanda res præesse, imò & magnum esse; si magnus & malus es, magnus peccator es; non enim tibi soli peccas, sed multis, quos tuo exemplo audaciores facis ad disciplinam solvendam, ad negligenda bona; sic vive, tuo ne exemplo alius causam vel minimam peccandi sumat: anima tua, pro anima ejus. Væ mundo à scandalis, sed magis væ scandalis ipsis, maximùm autem væ magnis scandali datoribus. Hactenus Religionis disciplina Virgo fuit, tu primus eris, qui illam prostitues, scandalumque facies?

2. VElamen Vultui Christi impositum est. An ut quo sputorum irreverentissimas sordes detergat, habeat? an suam ipsius spurcitiem impietas spectare horret? An piissimo Christi vultu moveri, atque mansuefieri se sentiens impiorum animus, pius ne fieret timuit, ideoque Christi faciem velavit? O anima! velamen Christi vultui nunquam objice, sed ut vel peccantem te aspiciat Jesus, velis; proderit tibi, sicut profuit Petro. O si tu vultûs Christi velamen esse potuisses anima mea, ut sputa barbarorum haurire, & ictus excipere, Christoque servire potuisses!

3. VErberatur, & de Percussore prophetare jubetur, quasi sit mendax tua Veritas, ô æterna veritas! sed scilicet quasi per risum stultus operatur malum. O cor, si pium es, hic est occasio pietatis; profectibus tuis isthæc petra tunditur, ut tu sugere mel possis, oleumque impinguans caput colligere; cur quæso non proficis ô anima, quid te ad Sanctitatis, hoc est, ad constantis ac fructiferæ virtutis studium adducet; si hæ Christi ignominiæ in oculis tuis, ab ipso toleratæ pro te, non adducent?

Feria 6.

10. *Negatio Petri, Cantus Galli, Respectus Christi.*

1. O Quàm miseri sunt profectus nostri, & quàm infirmæ soliditates nostræ? Ille Petrus, qui Christum præ æstimationis magnitudine, à lotione pedum arcebat, cum quo præ fervore, in carcerem, in mortem, vel solus ire audebat, jam Christum notum sibi esse, cum juramento, & anathemate, ac detestatione pernegat! Planè hoc apud me frequentissimum. Nunc mirè Majestatem Dei revereri, & statim eandem levissima de causa oblivisci ac offendere. Non nôsti Petre hominem istum? verè eum non nôras, si enim cognovisses, non negâsses.

2. Ne-

2. NEgat Petrus, cantat gallus; scilicet, quando homo peccat, conscientia vigilat, & velut canis custos in foribus peccatum adest. Sed cantus galli Petrum non convertit, neque etiamsi peccatum contra peccatorem est, semper illum emendat, verùm Deus est, qui peccata remittit, & converti peccatores facit. Superiores, concionatores, galli sunt; peccant homines, galli canunt, canunt inquam, quia consonè, appositè, harmonicè, pro ingenio, & captu dicunt, sed solus Deus fingit animos, & loquitur ad cor.

3. SOl terram respicit, tot oculis quot radiis, per idque varia producit. Respexit Christus Petrum, & convertit in fletum petram, amarè quidem Petrus flevit sibi, sed dulciter Christo. Vide quomodo Christus amet animas; tam male habebatur ipse, & tamen Petrum aspiciebat atque convertebat. Rem Christo gratam facere vis? animam tuam, animas aliorum, ad amaros pro culpis fletus provoca; sic enim Dolores Christi multùm lenivisti. Roga Iesum, ut te frequenter hoc aspectu aspiciat. Verè enim sanitas in portis, hoc est, oculis ejus, & aspectus ejus emissiones aquarum. Respice & tu Christum, efficacis imitationis desiderio frequenter, respice ut ames, ut compatiaris, ut sequaris, ut desideres, gratias agas, imiteris.

Sabbato.

11. *Totius noctis blasphemiæ.*

1. REvoca in memoriam omnia, quæ istâ nocte Christus ab impiissimis illis passus est, & simul revoca totius mundi, & tua inprimis, quibus occultiùs & fœdiùs Divinam Majestatem offendisti, scelera, & ea pœnis Christi conferens, illaq; harum causam esse agnoscens, amarissimè quantùm potes culpas tuas defle, dolores & ignominias Christi in te ipsum transfer, & pœnis tuis luere statue, & contende. Sæpe etiam Deum deprecare pro istis peccatis, quæ vel fœdiora, vel tibi occultiora sunt, nec pro tuis solùm, sed pro omnibus illis aliorum peccatis, quæ sunt magis probrosa, occulta, sine pœnitentia, vel ob negligentiam, vel ob ignorantiam culpabilem, relicta.

2. REcogita quanta hominum talium multitudo, qui ex ignorantia Deum graviter offendunt, & existima talia peccata esse nocturna ista Christi supplicia; & quid hic facies? ora pro augendo fidei lumine in mundo, ora pro dandis Ecclesiæ Apostolicis viris, ora pro versione infidelium, pro emendatione Christianorum. Te ipsum, quâ potes ad hunc laborem Domino offer, accingere, & præparare stude. Condole Christo, quòd etiam hodie, in hac nocte gravissimas scelerum pœnas, apud impios homines quasi luat, eumque cum potens sit, & velit, roga, ut hanc noctem quàm efficacissimè discutiat.

3. PErpende Christi Excellentiam, injuriarum hujus noctis magnitudinem, & longitudinem; excita in te compassionem sensibilem, de tantis injuriis tali personæ inflictis. Amoris intensos erga Christum affectus elice. Singulas injurias Christi, actu compensa, conformari Christo, aliquâ tui submissione, & contemptu constitue, & totâ hac v. g. die illius infelicis noctis lachrymabilem memoriam animo retine.

Dominica 2. Quadragesimæ.

12. *Concilium matutinum, Condemnatio secunda, Iudæ Pænitentia.*

1. MAnè facto adducitur iterum ad Concilium Jesus, & statuitur ante Principes Iudæorum, examinatur iterum, & an sit ipse Christus interrogatur, Christus Jesus in Sacramento est quasi vinctus in concilio. Examina diligenter anima mea vinctum istum, quem verba Sacerdotalia de cœlo evocant, & sub speciebus velut in carcere collocant, manus verò in altari, tanquam in concilio proponunt, non tamen superbe, sed humiliter, quære ex illo dicens. Si tu es Christus dic nobis? Multum proderit tibi responsio Jesu, si respondere dignabitur, & quidni dignetur tibi dicere ad honorem suum, quod respondit Iudæis ad perniciem suam. O Jesu mi, si tu es Christus dic nobis, dic intellectui, ut te sciat; voluntati ut amet; dic toti Ecclesiæ, ut te honoret; toti mundo, ut credat, & tibi serviat, hosque Passionis tuæ contemptus compenset.

2. SEd quid adhuc desideramus testimonium, cùm ipsi audiamus de ore tuo piissime Jesu, quod tu sis Christus Filius Dei? Condemnant te Iudæi propter vocem hanc: at ego te Salvator mi, veritas mea, & misericordia mea, amo, &

laudo, & toti mundo annuntiare cupio; Quòd tu sis Christus. O anima mea vidésne tu Christum Dei Filium, tui causâ sic afflictum & humiliatum? audis damnatum? vides denuo vinctum? cur ergo non ingemiscis, ad tale spectaculum? cur non & tu vinciri, ac stringi votorum, diligentiæ, ac mortificationis, arctioribus quotidie vinculis gaudes? Vide an molesta sit tibi disciplina? Quid respondebis Christo objicienti; Ego vincior, tu vinciri non vis?

3. O Judicia tua Jesu tremenda, judicaris ipse ab impiis, & tamen simul judicas impios; fertur contra te mortis iniqua sententia, & tamen tu quoque judicium terribile supra impios pronuntias. Judicas Petrum negantem & salvas; judicas Iudam pœnitentem, & damnas. ut converteretur, nec Petrus, nec Iudas meruit; reperisti tamen tu in sapientia tua, unde Petrum salvares; & in justitia invenisti, unde Iudam perderes. Excita in te anima mea timorem vincti hujus Iesu, castum, & filialem: quoniam vides in manu ejus claves vitæ & mortis, & roga, ut nunquam circa te clavibus mortis, semper autem vitæ utatur, simulque vide ne tua pœnitentia sit, sicut Iudæ.

Feria 2.

13. *JESUS in prætorio. Stat ante præsidem. Silet.*

I. ADduci Iesum ad Prætorium, nihil est aliud, quàm velle Deum habere in conscientia, perturbationibus obnoxia: vel, velle Christo quietè servire in multorum inutili conversatione. Non quiescit Iesus in prætorio, nec locum habet in corde passionato. Ejice prius turbam, quæ Christum deridet, & tunc Christum introduc. Cogita quibus præcipuè turbationibus movearis? ac quæ in te vitia regnent? quibus inventis, ea ad Iesum adduc, & ipsum, Iudicem miseriæ tuæ statue, ut misertus tui sanet te.

2. STetit Jesus ante præsidem. ô quâ vultûs, morumque modestiâ stetit? stetit sanè tanquam coram eo, in quo potestatem agnoscebat Supernam. Tu vide, quomodo stes, quomodo ambules coram Deo tuo, Præside tuo, Fratribus tuis? Non est (ait prædo animarum) Deus in conspectu eorum, nunc interibunt; quid ni intereat Homo (Religiosus) quoties de Deo non cogitat, quandoquidem aut bestia, aut diabolus est? Disce, vel sic te gerere coram Christo, quomodo se Christus gessit coram Præside Pilato.

3. TAces mi Jesu: nec ad accusationes hostium respondes. O si me silentium tuum silere doceat, quando consistit peccator, hoc est, peccandi occasio, adversùm me. O! si sileant mihi inquietudines omnes cordis mei, vanæ & stultæ, ut soli vacem tibi, & os cordis mei loquatur animæ meæ, magnitudinem mirabilium operum & dolorum & contemptuum tuorum? O! si cor meum discat esse fidens in te Deum suum, tibique causam suam derelinquere, & omnem cogitatum suum jactare in te, cui est cura de se. Vide, quàm sæpe, & quibus occasionibus labaris per linguam?

Feria 3.

14. *Mittitur Herodi, Gaudet Herodes, multis interrogatur.*

I. CHristus captivus, ligatusque, stipatusque turmis, calumniatorum obit tribunalia & Palatia Principum, & Præsidum, & Regum. Mi Jesu! quid hoc rei est? olim cùm te vellent facere Regem turbæ, fugiebas; cùm te patibularium facere volunt, Regibus te præsentas? Non poteras ordinare, ut ad unum adductus judicem ab eo damnareris, sed omnibus præsentari volebas? An sic nostrum triumphas fastum, qui ad honores cæci ruimus, à contumeliis verò, maximè verò in conspectu magnatum refugimus, nihilque ducimus acerbiùs, quàm confundi, aut detractum nobis esse coram honoratis & multis? An potiùs delectabant amorem tuum illæ confusiones & vincula, itaque velut gloriabundus, aulas Principum oberras, & de te ipso triumphas! O me infelicem, qui ab hoc Iesu Spiritu absum longissimè? Aliquando te offende, aliquando confunde anima mea Christi causâ, & hìc occasionem ac tempus designa.

2. QUàm sæpe dolente ac Patiente Christo, gaudet Herodes? nempe (ait Christus,) mundus gaudebit, vos autem amici mei, contristabimini. Sed quid est, quòd viso Iesu gaudet Herodes? an quia videt Patientem? Olim audito, quòd esset Christus natus, turbatus est Herodes, quidni nunc viso eodem captivo gaudeat? Tanta est benignitas tua piissime

piissime Iesu, ut etiam ad impios non venias, quin eis gaudium, aut saltem gaudii veri radicem (si tibi obsequi vellent) afferas. Et cur ego de te tam raro gaudeo, nisi quia te non cognosco, tibi non obsequor, tibi non constanter inhæreo, sed facilè ad temporanea delabor? Non prosunt sua Herodi gaudia de Christo, quia importuna Christo; compati sibi Christus volebat, non de sui visione frivolum gaudium haberi. Sperabat signum à Christo fieri videre, quia non videbat ipsum Christum ante se, signum cui contradicebatur, fieri. Infelix quem illud signum non movebat, quod aspiciebat. O quanta, quàm mira signa in Christo, ante Herodem, stante! Anima mea, tu illa scrutare, cognosce, mirare, sequere, ut autem id possis, Christum deprecare.

3. INterrogatus multis Christus ab Herode tacet, accusatus ab Iudæis constanter, constantius tacet. Spernendum se hujus silentii causâ sciebat, nihilominus tacet. Ad quid hæc taciturnitas Domine Iesu? O tempus tacendi, tempus loquendi! inutilis quæstio, falsa accusatio, sat bene solvitur, & refutatur silentio. At quàm rara hæc mihi ignotaq; virtus, tacere tunc posse, quando silentium meum stultitia reputatur? Piissime Iesu, siluisti Herodi inepta interroganti, responde mihi, semper, & nunc utilia abs te poscenti. Responde mihi quantas habeo iniquitates? quid adhuc mihi deest, quàm longè sim à te? quid debeam tibi? quo tu dignus es? quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Hæc dum quæro abs te mi Iesu, responde mihi, & confer necessaria ut placeam tibi.

Feria 4.

15. *Spernitur, illuditur, induitur ab Herode.*

I. SPernit Herodes Iesum, ille qui erat gavisus de viso Iesu, nempe quòd ad pravitatem suam abuti non poterat Iesu. Quoties & ego sic sperno Christum, quem ante colui, spe terreni & caduci commodi, alicujusque solatioli, quo frustratns, Christum, & pietatem abjicio, & bona opera negligo, & quod non gratis servierim Deo, ostendo. Sprevit Herodes Christum; heu indignitatem, sed quid faciam mihi, cui hoc usurpatissimum, inspirationes Dei ad bonam & ad perfectam vitam negligere; quid est videre Iesum & spernere, nisi agnoscere Dei voluntatem, & non sequi?

2. NEc sprevisse satis est, etiam illusione opus. O majestas, tibine illuditur? O reverentia cœlestium Potestatum Iesu? quem vel ipse Æternus Pater præ reverentia exaudit, atque clarificat, hunc viles homunculi illudunt. Heu me, quàm in me faba cuditur! verbulum unum, signum suspiciosum, meo honori oppositum, noto, ferre non possum, iras, minas, detractiones, inquisitiones spero, hoc certe Iesus non fecit, quod tu, Iesu scilicet fidelis servus facis. Conare, Domino, & propone Christo, has illusiones rependere æstimationibus.

3. SEd enim bene est; tandem bona causa triumphat, & innocentiæ candor emicat; sanè dum mali justos irrident, commendant. Noli affligi ò juste, si quid adversi aliquando accidit, si adversarius persequitur sine causa, non est difficile in oculis Dei, tribulationes tuas, vertere in consolationes. Sed, quid mihi, & consolationi, mi Iesu, tu pateris, ego solatia somnio. Nolo solatia, tuam potiùs amplector illusionem, & stultus tecum reputari malo, quàm cum mundo sapiens. O Iesu hoc dictamen intimè penetrare concede, verè enim hæc meditari, hæc exsequi, hæc quærere, hæc amare, est sapientia quæ trahitur de occultis, abscondita sapientibus, revelata autem parvulis, mansuetis, humilibus.

Feria 5.

16. *Remittitur Christus Pilato, Pax inter Herodem & Pilatum, Nil invenit in Christo.*

I. REmittit Christum Pilato, aulica nequitia; tanquam nihil cum eo sibi velit esse negotii. O nimis verè dictum: Exeat aulâ, qui vult esse pius. Aularum servi non possunt esse servi cælorum, & cur multi festinant ad odorandum aulicas ollas, etiam ii, qui scilicet toti mundo dixerunt vale? Remittit Pilato Christum, quisquis bonum, quod ipse agere potest, aut poterat, alteri faciendum relinquit. Iuvandus est peccator? at laborare piget, & pergere: pergat aliquis alius; quid iste facit, nisi Christum Pilato remittit? vocat ad emendationem Deus hodie, ego cras me polliceor facturum, an non Christum Pilato remisi? O

Piissime IESU non pigeat me tui, non me tuæ conversationis tœdeat, in singulas horas & momenta tibi inhæream, & nunquam te à me remittam. Quomodo id cures, & cur negligas? dispice.

2. INter Herodem & Pilatum Pax est, at non inter ipsos & Christum; impii, semper contra Dominum, & contra Christum ejus, concordes; impietas enim non esset, si faveret pietati. Age, amicos tuos dispice, & ea quæ tibi sunt amica; eane quæ inimica Christo? ordini, Pietati, disciplinæ, superiori, conscientiæ? si ita est, Herodem Pilato conciliatum scias. O mi IESU sint mihi omnium inimicitiæ propter te dulces, amicitiæ omnium sine te omnes amaræ, qui tuus est, jungatur mihi; qui non est tecum, contra me sit. Nolo amicum non tuum. Vide, an alicubi ob metum humani odii negligas obsequium Deo?

3. NIhil invenisti Pilate in Iesu? malè quæsivisti, invenisses si nó malum in eo, sed bonum quæsiisses; ipse enim est plenus gratiâ, & veritate, in eoque sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Quanquam mi Iesu non est in te bonum quærendum, sed à te accipiendum; in mari non quæritur aqua, sed hauritur, & in sole lucem nemo scrutatur, sed usurpat. Quocirca verè olim per Prophetam dicebas. Quid invenerunt, inquit, in me Patres vestri iniquitatis? etenim Pilatus testatur se nihil mali invenisse in te. Hoc si ita est Domine Iesu, (verè autem est) cur te tam facile, tam levi de causa deserimus, quasi aliquid extra te inventuri simus melius te? Anima mea, dic Piissimo IESU, ante Pilatum stanti. Mihi autem adhærere Tibi Bone IESU, bonum est. Tu gloriatio mea. &c.

Feria 6.

17. *Tu es Rex? A temetipso? Quid fecisti?*

I. QUærit ex Christo Pilatus, An sit Rex Iudæorum? Non usurpabas mi IESU titulum hunc, quin imò oblatum fugiebas, sed calumnia hostium affingebat tibi, ut te reum apud Pilatum facerent, & odiosum, cruceque dignum. Heu mihi, quàm impatiens sum in aliorum de me oblocutionibus, non affinguntur mihi crucem merentia crimina, non sanguis & vita petitur, non raptor ad tribunalia impiorum, verbum tantùm est, suspicio sola est, quæ me pœnè ad rabiem torquet. O si tanto Christi exemplo pati discam, & in calumniis gaudere, & objectores earum modestè tolerare.

2. MItis Iesus respondet Pilato: A temetipso habes, quod me Regem voces, an ab aliis? si à te, quibus argumentis id dicis? si ex aliorum sensu, quomodo id illi probant? Non ex me sed ex illis, qui me dicunt esse, quære unde probent esse. Sed mi Iesu à temetipso hoc dicis, an innocentia tua hoc poscit? pati volebas, sed non debebas; itaque quæ objecta sunt diluis, non tamen te supplicio eximis. Hæc nempe vera est innocentia, carere culpâ, refellere calumniam, subire pœnam & exercere patientiam. Talem patientiam disce anima mea; Hoc est enim ut socium Christi pati? Hoc Passiones Christi exprimere. Talem Patientiam IESU da animæ meæ.

3. INdignatur Pilatus ad Christi responsum, & amarè exprobrat. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt Te mihi, quid fecisti. O Iesu priùs mori contingat, quàm sæculares spiritualium subditos prælatorum exemplo depravatos, dicentes, & exprobrantes audire: Gens tua, & Pontifices tui, tradiderunt te mihi Christe, hoc est, docuerunt me quomodo deberem peccatis crucifigere te. Sed tu ô Pilate quid quæris ex Christo? quid fecisti? quin potiùs quæris ex illo, quid non fecit? Ipse est per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil: tu autem quæris quid fecit? Hoc quod te video Domine Iesu vinctum ante Præsidem, accusatum, pessimè tractatum, captum, venditum, tot hostibus vallatum, quid sibi vult? quid est? quid fecisti? An hæc est abyssus charitatis tuæ? an hæc peccatorum meorum malitia? an hæc est gentibus stultitia, Iudæis scandalum, electis verò tuis virtus & sapientia? O Iesu mi aperi oculos meos, ut sciam, Quid fecisti?

Sabbato.

18. *Regnum meum non est de hoc mundo. Ad hoc natus sum... Quid est Veritas?*

I. O Iesu Regnum tuum non est de hoc mundo, quid ergo nos adhuc in mundo degimus, si de tuo regno non sumus?

ſumus? O utinam adveniat ad nos etiam Regnum tuum! aut tolle nos de mundo, & ad tuum transfer regnum. Hic te diſpice anima, de mundo es, an de Chriſti regno? quid in te non mundanum, verba, ſtudia, mores, nonne amas, & amplecteris ea, quæ mundus amat? nonne honor tibi tuaque æſtimatio curæ? non contemni negligique fugis? quod ſi ita eſt, tuum certè regnum de hoc mundo eſt: vel potiùs tu de mundi regno es: proinde de Chriſti regno non es. Eheu quid prodeſt Chriſti regnum cognoſcere, ſed non habere?

2. AD hoc natus es, mi Iesu, ut teſtimonium perhibeas veritati tuæ, veritati noſtræ. & quando credemus tandem tibi? diffidemus nobis? Perhibe mi Iesu teſtimonium cordi meo de veritate, ut in lumine ſpiritûs tui, cognoſcam quid ſis tu, quid ſim ego? quid debeam tibi, quia pateris tanta pro me? quanti æſtimare Paſſionem tuam debeo? quantùm adhærere veritati tuæ, deſciſcere autem a vanitate, & veritate mea me convenit? O ſi ſcias & tu homo ad quid natus ſis! an ut de die in diem graviùs Deum offendas? an ut quotidie tepore tuo, Chriſto vomitū moveas? an ut ore & labiis & veſte ſervus Dei ſis tantùm, non magis autem ut ſervias Deo, in ſpiritu, & veritate, & teſtimonium perhibeas veritati Chriſti, coram puſillis, magniſque ſimul? Et quomodo tuo ſatisfacis officio?

3. QUid eſt veritas? Grandis quæſtio, & quam proponere potuit, audire non potuit, quia non meruit, Pilatus. O infelicem! qui veritatem aſpiciens non vidit: ſciebat quòd per invidiam tradidiſſent eum, nullam inveniebat in Chriſto cauſam, innocentem juſtumque proclamat, nec tamen veritatem videbat. O infelicem! qui veritatem quæſivit veritatem non invenit! O Æterna Veritas, quæram te, inveniam te, agnoſcam te, diligam te, audiam te, ſervem te! O ſi in omnibus meis motionibus quæram quid eſt veritas? O ſi in omnibus veritatem intendam? & nunquā diligam vanitatem, neque unquam quæram mendacium. Sed heu! quoties vel ipſe me ipſum fallo, quoties vana, adulatoria, ab aliis libenter audio, & vanus vanitatem à vanis aucupor, magnumquè aliquid reperiſſe me puto, ſi vanitatem aſſequor.

Dominica 3. Quadragêſimæ.

19. *Quem vultis dimitti. Perſuaſerunt plebi. Non hunc.*

1. NOn tibi indignitate ipſâ indignior videtur iſta optio ô anima mea? Iesus Barabbæ componitur, & quis ſit vitâ dignior ambigitur! Siccine Domine contemptus es? Siccine te abjicere voluiſti? quid miſero me fiet, qui contemni, qui abjici nolo? At quid dicam, ſi ego ipſe tales Chriſti comparationes inſtituo? Peccandum eſt, aut Iesu Chriſti gratia abſtinendum: utriuſque occaſio eſt: & ego infelix delibero, quid facto ſit opus? quod, quid aliud eſt, quàm quærere ex meis Paſſionibus & cupiditatibus: Quem vultis vobis dimitti? O ſtulta cogitatio, nonne ipſum IE U ſanctitatis nomen rapit, ad hocque adigit, ut Chriſtum toti mundo præferas? O infelix, præfer Chriſtum, millies, promptè, omnibus omnino rebus, præſertim in præſentia Sanctiſſimi Sacramenti conſtitutus.

2. PRincipes Sacerdotum perſuaſerunt plebi IESUM perdere, Barabbam liberare. Sic à majoribus orta eſt iniquitas, & tanta quidem iniquitas: perſuaſerunt non ſolùm dicto, ſed magis exemplo, non ſolùm Iesum Barabbæ poſtponere, ſed ad mortem etiam poſcere, & cum tumultu vocumque invaleſcentia perdere. Vide, quantum poſſit authoritas & poteſtas in abuſum detorta. Vide, ne unquam in Chriſti perniciem & contemptum vertas perſuaſionem tuam, authoritatem tuam, exemplum tuum.

3. O Pater Æterne, non hunc perde ſed Barabbam; quid enim hic mali fecit? Non placet tibi ô Pater Æterne hæc poſtulatio, quia utique non expedit nobis: ergo vertimus & dicimus. Non hunc dimitte, ſed Barabbam; illum inquam, Patrem noſtrum antiquum, debitorem & fugitivuum tuum, captivum draconis, univerſalem homicidam. alioqui, ſi fuerit hic dimiſſus, non poterimus nos ſalvi fieri, ſanguine enim hujus agni lavari nos oportet, ſi mundi eſſe debemus. Non hunc ergo Pater Æterne dimitte, non hunc, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Sed tu quoque ô homo diligenter nota, quem de duobus dimittas, dimitte nequitiam à te, ſed non Iesum; ſit apud te liber Jesus, malitia verò vincta & necata, coarctata, & quaſi in carcerem miſſa. Porrò, cùm audis ô homo poſci ne dimittatur Iesus, ſed magis ut crucifiga-

cifigatur postulari à Iudæis, adhære constanter Christo tuo, cujus sanguinem & vitam peti, quem ad Crucem advertis postulari, & contristare de tam tristi sermone, aut etiam si vis, petitâ ab Jesu licentiâ gaude, quòd istâ Christi retentione, & captivitate, tua libertas tarnsigatur; pro qua re Christo gratias age.

Feria 2.

20. *Quid faciam de JESV. Quid enim mali fecit! Tolle, Crucifige eum.*

I. AUdisne anima quid Pilatus quærat? scilicet, Ecquidnam faciat de IESU? O Pilate! ô Iudex! quid facies de IESU? si reus? convince, & damna. Si innocens? dimitte, & libera. cur ab accusatore quæris, quid de reo facias? Da tu consilium anima mea Pilato, & persuade quid facere debeat de Iesu, an fortè dubitas te quidquam profecturam consilio tuo? te igitur ipsam, aliosque, quos attinet, instrue, quid facias, quid faciant de Iesu. Multùm feceris, si quidquid illi in te displicet, à te rejeceris, si Iesum ad cor mundum, humiliatum, contritum, inflammatum induxeris. Si doloribus Christi participaveris, crucem & ignominias ejus non erubueris? hoc de Iesu facito, contentus erit. O si hæc tibi quotidiana esset quæstio, quid faciam hodie? quid hac horâ, quid hac occasione de IESU? quem enim decet scire, quid facere debeat de IESU nisi socium IESU?

2. QUid enim mali fecit? obtrudit, crucem boantibus Iudæis Pilatus, sed quid quæris ab his Pilate, quid mali fecerit Iesus, qui Iesum non ideo perdi volunt quia malus est, sed ideò potiùs quia bonus est. Malus nunquam bonum odit quia malus, sed quia bonus est, & quòd contrarius operibus ejus. Itaq; in Christo Iudæis non est crimen malum esse, sed bonum esse, & quia illi mali, iste bonus, ideo illum crucifigi volunt, tanquam sibi malum, quibus bonum videtur se malos esse, & quia semper malis bonus est malus, utpote contrarius. At tu anima quidni quæris à te ipsa peccante, vel in peccatum inclinante, ingratitudinemque in Iesum committere festinante: Quid mali mihi fecit Iesus, quia peccavi, quia peccare meditor? Item, quid mali fecit, ut in eum peccem? imò quid boni mihi non præstitit, quid non præmii promisit, si non peccem, & ut non peccem, utque hoc in gratiam ejus faciam? denique quid non minatur mihi mali, ut non faciam malum?

3. O Corda saxea & stuporis furorisque plenissima? Heu quorsum non ascendit furor malorum ubi semel frenos excussit! non pudor, non ratio, non conscientia, non authoritas, non omnis causæ, quæ prætexi posset absentia, retrahit à nefando odio, ab immani invidia. Vide ô homo quanti sit invigilare semper mortificationi passionum, quantumcunque illæ domitæ & pacatæ videantur. Sed, quid audio Bone Iesu? te crucifigi, te tolli volunt de medio populi, isti quos tantis affecisti bonis, quos nullis affecisti malis? O mi Iesu, tolle me, crucifige me tecum, affige me cruci dolorum, ignominiarumque tuarum, ut gaudeam in omni adversitate, ac potissimùm ut ab his contemni libenter feram, quibus à me alioqui bene fit.

Feria 3.

21. *Nihil tibi & justo illi. Lotio manuum. Sanguis ejus.*

I. NIhil tibi & Iusto illi. Etiam somniantes liberant Iesum, quantùm in ipsis est; at nos, & somniantes, & vigilantes, crucifigi poscimus, imò ipsi crucifigimus. O homo disce ab hac Ethnica Pilati uxore, scire subterfugere occasiones, nec te immiscere causis & peccatis aliorum: quando ergo vides alios peccare, contendere, murmurare, quiritari, præsertim de aliis, ac Majoribus: dic tibi ipsi. Nihil tibi & justo illi.

2. LAvat manus Pilatus, & tamen contra conscientiam Iesum damnat innocentem se ab justi sanguine vocat: fuisset, nisi voluntati, & importunitati impiorum cessisset. Habuit scientiam, non habuit exsequendi constantiam. Et quàm multi tales, qui sunt extrà compositi, quieti, sedati, honesti, loquentes bona & pia, sed tamen non fugientes peccata, & in occultis committentes multa, quæ famæ aliorum nocent, quæ repugnant votis, quæ externis moribus sermonibusque non concordant? Heu me, nam ego quoque homo sum, blandiri mihi, insultare aliis solitus, lavo me aforis, inquino intus. Mi Iesu, lava me totum intus & foris, & quasi nivem dealba.

3. Quæ

3. QUæ hæc rabies impiorum istorum, ut sanguinem Christi sumant non super se tantùm, sed etiam super filios suos? Mi Iesu! à tam resoluta in malum impietate erue me. Sed quàm acerbo sensu doloris sauciatum est cor tuum piissime IESU, quando tam infernales, & sanguinis tui sitientes voces audîsti? Gloriare tu anima, & gratias Christo immensas age, quòd sanguis ejus sit super te, quòd omnia quæ habes habereve potes bona, à sanguine Christi habeas, quòd majora sint Christi merita, quàm tua peccata; hoc te sanguine lotam, & purpuratam memento. & eum in te, aliisque tuis similibus honora.

Feria 4.

22. *Christi ante flagellationem nudatio.*

I. VIde quò adduxeris Christum anima mea peccatis tuis? Qui terras graminibus, arbores foliis, cœlum stellis vestivit, ipse propter te hodie nudatus est in oculis mundi, ille qui est amictus lumine sicut vestimento, qui indutus est fortitudine, qui pulchritudinem & decorem induit, ille formosus in stola sua, modo nudus est. Considera quoties tu illum nudum constitueris in corde tuo? Quoties te gratiâ ejus exuisti? quoties merita ejus calcâsti, toties illum nudâsti. O ingrata anima, Deus parentes tuos peccatores, noluit nudos à se ex paradyso ejicere, tu Christum Dei filium, apud te denudas. Nescis, JESUM plus dolere, quando te suis donis per peccatum nudatam videt, quàm quando ipse nudus fuit? O! si ornare animam tuam, & aliorum proximorum assuescas. Christus enim ornatur, dum anima ornatur; siquidem ille pro ejus ornamentis nudari voluit.

2. PAupertatem spiritûs, veram illam, & tantopere Christo amatam, totâque vitâ honoratam virtutem, & sponsam concupiscis? ad hoc exemplar te compone. Nudus est Jesus, & nudum se esse, propter te factum toti mundo ostentat: & tibi misero grande ac grave videbitur carere superfluis! O si etiam disceres carere necessariis! quantò paucioribus eges, tantò minus terrenus es; aliquando te resolve, & nudus esse propter Christum incipe. Non tibi sit pudori vilis vestitus, pauper lectus, modicus cibus, tenuis & misera supellex, nulla tui opinio, æstimatio, cura. Male vestiri paupertas non potest, quantò nudior, tantò cultior, tantò etiam magis debite, & statui suo convenienter vestita; & revera probatum est, faciliùs nihil omnino haberi, quàm aliquid vel minimum. En Christus à te petit, & exemplo præit, ut omnia propter ipsum re ipsâ, rejicias; tergiversaberis?

3. O Oculi si mundi, si sinceri, si sani estis? innubem solem aspicite dũ licet: non diu enim licebit quippe mox erubescet sanguine: nunc in candorem illum vos intendite, quem jam jam rubicundum aspicietis. Nunc se amor vobis nudum spectandum exhibet, spectate, mox velatum videbitis vestitumque, sanguine scilicet suo purpuratum. Desiderabitis illum videre tunc, sed non erit ei aspectus. O mi Iesu contemplari te cupio, sed oculis careo, da illos mihi, ut videam & cognoscam te in plenitudine lucis, in candore nuditatis, ut participem de nuditate tua, & purificer puritate tuâ, sciamque tibi nudare cor meum, ab omnibus quæ terrena sunt, quæ vana sunt, quæ feruorem meridiei non referunt. O! quis det in simplicitate, & sinceritate cordis, te diligere, te potiri, tibi jungi!

Feria 5.

23. *Alligatio ad columnam.*

I. QUi terras alligavit in nihilo, qui ventos velut in utre conclusit, qui arenam posuit terminos maris, nunc eundem ipsum impii ad columnam alligaverunt. Funes peccatorum meorum, quibus ego à tartareo illo carnifice stringebar, circumplexi sunt te mi Iesu, & ego, tantùm abest tam immani commovear ut spectaculo, deque peccatorum meorum vinculis tibi detrahendis cogitem, ut potiùs vincula vinculis, hoc est, peccata peccatis addam. O me impium! te à carnificibus ad columnam alligari indignor, & nihilominus vincula tibi ex peccatis meis necti, atque augeri patior. Cũ tamen si ego non peccassem, sciam te vinctum nunc non futurum fuisse. Si quis ergo doles Christum vinctum esse, tolle peccatum ab anima, & Christum solvisti;

2. FUnes ceciderunt mihi in præclaris: funes mei hæreditas mea, hi ceciderunt mihi in præclaris, mi IESU, tunc, quando per te præclarissima totius creatu-

creaturæ gemma mihi est restituta & reddita. Reddita autem non vulgari quopiam modo, sed verè in præclaris, in doloribus scilicet tuis, in vinculis tuis. O quanti æstimandi sunt mihi funes tui, hoc est, dolores tui Domine IESU, quibus mihi hæreditas mea cælestis, quam ego vivendo luxuriosè, abeundo peregrè decoxeram, restituta est? O! quàm cautè hæreditas hæc mihi, & curanda, & servanda est, quæ tanti constat quæsitori meo, ut pro funibus hæreditatis meæ debuerit ille sustinere funes Passionis suæ!

3. ALligatus est IESUS, & in flagella paratus; tu solutus quasi onager incedis, renuens alligari, refugiens flagellari. Hoc scilicet est dilecto conformari, hoc est in myrrhæ collibus versari, hoc est fasciculos myrrhæ colligatos offerre. Ah mi IESU! quàm multi te contemplamur nudatum, alligatum, flagellis subjectum, quàm pauci tamen propter te, tecumque nudari, alligari, flagellari gaudemus, aut contenti sumus! Da humillime IESU, qui in Passionis tuæ hora, singulis momentis, novo feruore, novos dolores, pro me subibas, ut ego singulis momentis, recenti spiritu, tibi servire, & novis modis me tibi, tuæque columnæ, & cruci, alligare, tibique placere, & conformari studeam, ut omnes inventiones meæ, tuæ inserviant dilectioni, imitationi, possessioni.

Feria 6.

24. *Flagellatio Christi.*

I. CRudele spectaculum, & dignum ad quod sol exhorrescat, intremiscatque terra. Certè Angeli pacis amarè flebant, Regem Angelorum flagellari aspicientes. O indignissimam tragœdiam, rerumque catastrophen! servi Dominum, subditi Regem, homines Deum, creaturæ Creatorem, impii Innocentem flagellant; injustè, quia sine ulla causa; indignè, quia tantam personam; ingratè, quia eũ à quo tanta bona acceperunt; crudeliter, quia cum tanta animi rabie, maximoque patientis dolore; ignominiosè, quia publicè; & sordido supplicii genere. O! quàm multæ doloris causæ, & circumstantiæ, quibus tamen ego nihil moveor ut cessem à peccato, ut exeam de tepore, ut Regi meo in Passionibus conformer. Heu! quàm multa flagella peccatoris, si tam multa innocentis? Si hæc in viridi ligno faciunt, in arido quid fiet? si Christi flagellatio à matutinis totâ die, nonne peccatorum erit per totam æternitatem?

2. O Quàm durè tractanda est mihi caro mea rebellis, siquidẽ Christus tam immaniter affligi suam innocentissimam patitur? Et carni quidem Christi nihil opus erat tanta; pati mea caro longè plura meruit sustinere, ut pote quæ debuerit in æternis ardoribus ardere. O si pondus sensualitati detrahere, si illam jugiter, discretè affligere, si illam prudenter confundere, animæque regimini subjicere sciam, & velim? Quis unquam hosti petenti ignem, quo ille combusturus sit domum exhibitoris ipsius, concessit? quid porrò ego facio, quando sensualitati in cibo, potu, somno, jocis, mollitie, indulgeo, quàm flammam hosti meo, quâ ille me ipsum exurat, concedo, quam obsessis hostibus victualia, & voluptuosa etiam (proh dementiam!) suppedito? hoc non est expugnare, sed confirmare hostem. Disce ab IESU tractare carnem, verbere, fame, siti, inediâ, fatigatione, frigore, neglectu, duritie, asperitate, hoc enim est verè carnem odisse secundùm mundum, amare secundùm Deum.

3. VIdesne Anima mea IESUM, amorem tuum, illũ modò modò candidum, jam jam sanguinis purpurâ rubicundum, totum plagis lividum, vulneribus saucium, sanguine cruentum, dolore exhaustum, ignominiâ abjectum, totum denique alium? sic alligatum? Sic tractatum, offer Æterni Patris conspectibus, ut saltem propter tam miserum spectaculum misereatur tui, & totius mundi. Offer ipsum IESUM, ipsimet IESU, & per ista ejus vulnera misericordiam posce, dolens quòd ejus tantis doloribus hactenus gratam te non exhibueris. Offer Spiritui Sancto, & pete, ut te ob hunc talem IESUM illuminare, purificare, accendere, confirmare in bono, præservare à malo semper pergat. Immisce te & suppone plagis JESU, quæ jam in ipso locum non habent amplius, & eas tu excipere concupisce. Convertere, vel converti appete, in lachrymas tam copiosas, ut iis balneum abluendo Christo, balsamum illinendis ejus vulneribus suppeditare possis. Roga IESUM ipsum, & amorem ejus, ut velit subtrahere concursum carnificibus istis, ne ipsum flagellare possint.

Sabbato.

25. *Purpurea chlamys. Corona spinea.*

I. NIhil opus erat, ô milites, hac purpurâ Iesum vestiri, quem jam flagella carnificum vestiverant suo sanguine, an quia crudelitatis pudebat, tegenda fuit, an quia quem indueratis vestrâ crudelitate, lubebat etiam vestire ludibrio? an iste est mos peccatorum, ut lancinent Christum sceleribus, interea tamen, vel hypocriticis illudant moribus, vel sacrilegis integant velaminibus, vel per impudentiam glorientur, & triumphent de iniquitatibus? O homo videsne qualem vestem Christo circumdederis? quàm illa fæda, quàm spurca, quàm vilis! Hæccine est illa innocens stola prima, quam ipse tibi in Baptismo contulit? ideone contulit, ut eam ita fœdares? O ingrate, redi ad Patrem, supplica cum prodigo, ut tibi proferri jubeat stolam primam, primæ similem, ut te scilicet gratum, sanctum, perfectum in oculis suis faciat.

2. QUid tibi & spinis mi Iesu, gratiæ caput tuum, caput gloriæ spinis horret! Heu spinæ! pungitis, & plane ac si in creatoris injuriam essetis conditæ, sic affligitis caput Majestatis. At enim, non spinæ culpandæ sunt, sed humanæ malitiæ. Ego Christi corona sum, sed spinea, pulchro nomine, laudabili professione, Sancto instituto glorior & appellor, sed non vivo, non respondeo, non sum quod dicor, Ager sum, sed spineus, & Christo tantùm tribulos parturio. scilicet super te mi Iesu venit illa Patris nostri maledictio: Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi; respice Iesu dolores tuos præsentes, & fructus surgentes: nonne spinæ omnia? Heu me, si etiam in his maledictis terris connumeror?

3. MI Iesu vita præsens, vita spinea est; ego illam stultus auream puto; plumeam cogito & cupio. Quod putem, patet, quia amo: quod cupiam patet, quia in hac vitâ pati recuso: quam si spineam scirem, pressuras ejus ferrem, & molestam esse non mirarer, imò mirarer non esse. Quis calcavit spinas, & non est sauciatus? quis vixit in hoc mundo & non est afflictus? Ecce te oportuit pati mi Iesu, ego autem eximi volo à puncturis, qui tamen hæreo in spinis. Pungant me mi Iesu propter te spinæ vitæ hujus, & non teneant, ut sic cupiam compati nunc tibi, possim autem postea cohabitare tibi! Da, ut plus delecter spinis tuis, quàm mundi rosis, sit mihi omnis consolatio mundi spinea, sit mihi omnis afflictio propter te rosea. O utinam hoc sentiam in me quod video in te.

Dominica 4.

26. *Arundo. Genuflexio. Consputatio.*

I. ARundo in Christi manu quid est? nisi omnia esse arundinea & nullius frugis in conspectu Dei? quid est? nisi omnia tam facilè à Deo annihilari, & immutari posse, quàm facilè arundo moveri, frangive potest? Arundo ista contumelia Christi est. O! si sciret cujus in probrum cooperetur; quantum sibi metueret; in cujus manu est, ei probrum facit; quid audaciùs, & indignius si sensus & ratio subesset? Sed ô peccator! de te scilicet fabula narratur, qui licet arundo sis, licèt in manu Christi sis, tamen non vereris esse Christo Redemptori tuo contumeliosus & probrosus. Quàm facilè frangitur arundo, tam facilè perdi potest peccator à Deo: & nihilominus inflaberis tu arundo vento agitata? ô palea à tritico segregata! sceptri te putas esse vice, cum arundo sis, & quidem arundo in manu Christi, facilis confractu, igni nata, pondere & valore cassa, nullatenus solida, Spiritui Sancto te exhibens minimè tractabilem, sed refractoria, rebellis, immota ut saxum, &c.

2. QUæ ista tam subita mutatio? qui modo spinis coronabatur, jam coram illo genu flectitur! an talis hæc genuflexio qualis Coronatio? nescit proficere nisi in pejus malitia, & qualé fecit Regem coronando, talem adorat & salutat genuflectendo; Nempe Regem dolorum te fecerunt mi Iesu, ideo dolore plenas afferunt salutationes. Quid hinc mihi documenti bone Iesu? primùm quidem, honores quos ego tibi exhibeo, sæpè tibi dolori & illusioni esse, ob suas imperfectiones, defectus, inconstantias. Deinde doces me quid præstare debeam tibi pro passionibus tuis, scilicet honorem, subjectionem, reverentiam. ut sic veros tuos honores, & ignominiosos dolores meis qualibus. qualibus in gloriam tuam obsequiis rependere coner. O Anima

mea disce & assuesce Christo hæc exhibere quàm creberrimè, quàm accuratissimè, potissimùm vero in Sanctissimo Sacramento quàm frequentissimè, humillimè, ferventissimè: salutationes, visitationes, genuflexiones, prostrationes exhibe.

3. O Rex probrorum, vultusne tuus sordium, & sputorum receptaculum est! ô stupor super stupores: Iesus sic sese abjicere potuit, ut in suum vultum illum Theandricum, quem Dei persona faciebat, & suâ dignitate Divina per unionem Hypostaticam ornabat, exspui permittat? Proh superbia quousque locum habes in mundo? Cur tanto pudefacta spectaculo, ad inferna præceps non ruisti? humiliavi me aliquando? nunquam tamen ut Christus. Esto faciam ego me infernalium etiam sordium, feciumque sentinam: nunquid Christi humilitatem æquabo? Et tamen ah quam raro repugnanterque humilior? quam refugio, & non fero contumelias ac confusiones! quam facile mihi complaceo, quam libenter laudes meas opto &c.

Feria 2.

27. *Ecce Homo.*

I. ASpice Anima mea opus manuum tuarum, tibi per istud [Ecce] propositum. Si nescis quid fecisti? Ecce homo, ecce opus tuum, ecce Iesus fædus est, & fædatus, & saucius, & vulneratus: non est illi species, neque decor! non est illi aspectus: vermis est, & non homo: tu fecisti talem, quia peccasti. O infelix non te commovet spectaculum hoc? non exhorrescis enormitatem malitiæ tuæ? non duceris pænitudine super tantâ nequitiâ tuâ in unigeniti Dei Filii IESU Christi contẽptione? Si quis patrem tuũ sic tractasset, non indignareris illi? si tu Amicum tuum, vel patrem tuum sic tractasses, non te malitiæ tuæ puderet? non omni ratione conareris, tam impium facinus digna pænitudine delere? Nunc ergo aspice frequenter hominem hunc Anima mea: & execrare opus tuum, detestare peccata tua, deprecare Iesum sic abs te tractatum.

2. VIdisti Anima mea quid feceris in homine isto, vide etiã quid ipse fecerit in seipso? Fuit Deus, ecce jam homo: fuit jam dives, ecce jam pauper; fuit innocens, ecce accusatus & punitus; fuit Rex, ecce ludibrium; fuit homo, ecce vermis. O quam copiosum spectaculorum theatrum, tibi modo in isto uno homine proponitur? Vis humilitatem? ecce homo humilis; vis patientiam? ecce homo patiens, & patientiæ portentum; vis obedientiam? ecce homo obediens; quidquid vis, ecce homo omnium tibi exemplar, Magister, speculum. & heu! nunquid tu talis homo es? nunquid esse debes? nunquid conaris? vis scire qualis homo esse debeas? Ecce homo. Vis scire qualis futurus eras homo, si hic homo, non fuisset propter te talis factus homo? Ecce homo.

3. ECce Homo. Ah quid qualisve factus propter me! ego autem quid tandem feci hactenus ac facio propter illum? & quid me facere, fecisseq; jam decuit, propter talem Deum hominem? O quando me resolvam resolutione seriâ, ut tandem serviam Christo usq; ad defatigationem, ad Passionem, ad abjectionem ad annihilationem? O quando nihil in me vivet, erit, eminebit aliud, nisi hic homo? Heu quousque istum terrenum hominem, non hominem, sed jumentum portabo? quando induam illum cælestem hominem, qui secundùm Deum creatus est, non de terrâ terrenus, sed de cælo cælestis? Mi Iesu, qui factus es propter me homo, & talis homo: da mihi, ut aliquando desinam esse, talis, qualis sum homo: incipiam autem tibi esse, per omnia mihi possibilia, similis homo.

Feria 3.

28. *Unde es tu? Non haberes potestatem. Majus peccatum habet.*

I. MIrabilis hæc interrogatio. Unde es tu? eamque & tu ad Iesum usurpa, ex eoque reverenter, & humiliter quære: Mi Iesu, unde es tu? scio quod sis à Deo, quod à Deo processisti, & venisti, scio quod sis homo conceptus de Spiritu Sancto, natus de Virgine, sed hoc non quæro abs te mi Iesu, illud quæro, unde es tu, tu sic saucius, sic illusus, sic abjectus, sic sanguinolentus? Unde es tu in tantis injuriis tam mitis, in tantis doloribus tam patiens, in tantâ desolatione tam constans? Nec mirare quod ego quæram hoc, etenim quærunt illi, qui in te semper desiderant prospicere, Angeli: sedent & dicunt. Quis est iste qui ascendit de

dit de Edom, & de Bosrâ, tinctus sanguine &c. An à peccatis meis, & iniquitatibus meis, talis factus es? An ita plagatus es in domo eorum qui diligebant te? an bonitas naturæ tuæ fecit te, in tantis malis tam bonum; tam mansuetum, tam mitem? Unde es tu Anima mea, tu peccatrix olim, modo mundior, tu olim vaga, modò firmior, tu prona quondam in malum, modo constantior, nec sic aversa à bono? Nonne id habes à IESU Christi sanguine? & quid retribuis?

2. INdignationem Pilato movit silentium Christi, jactabat potestatem vitæ & necis, sed Christus animosè ferociam retundit, & ait; non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Hoc est humiliari scire, sub potenti manu Dei, hoc est ipsas etiam injurias acceptare, non tanquam à malefactore, non tanquam ab injurioso, sed tanquam à manu Dei venientes. Nec est ulla efficacior fructuosè sustinendi injurias ratio, quàm cogitare, sibique persuadere, quod Deus potestatem fecerit injurianti, injuriam faciendi. Quis verò audebit nolle id sustinere, quod intelligit Deum, ut sibi accidat vel permittere, vel etiam præcipere? Dominus Deus hoc mihi sub titulo injuriæ humanæ misit, ego mancipium Dei mei illud non acceptabo?

3. VErè majus peccatum est, Christi ablutum esse tam sæpe, tam copioso sanguine, nec tamen dignè Christo, Christique sanguine vivere? majus enim peccatum est in magnâ gratiâ minus bonum esse, quàm in parvâ gratiâ valde malum esse, sicut enim ubi abundavit delictum abundat gratia; ita ubi gratia abundavit delictum sæpe abundat; Unde etiã in die Iudicii remissius erit terræ Sodomorum quam domui Iuda. quare? utiq; quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes istæ, quæ factæ fuerant in Iudæâ, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Nunc ergo tu Capharnaum quæ à Deo usque ad cælum exaltaris, vide ne usque ad inferos superbia tua detrahatur. Et quis tam sanctus erit, cui vel ipsa sanctitatis & justitiæ gratia, terrorem timoremque hunc non incutiet?

Feria 4.

29. *Ecce Rex vester. Regem vestrum crucifigam. Non habemus Regem.*

I. HIccine Rex tuus ô Anima mea? an te pudet exprobrationem hanc Pilati audire? an potiùs gloriæ tibi ducis, talem te Regem habere? si ita est, dic ergo omnibus tuis sensibus, affectibus, motibus: Ecce Rex vester, huic vos conformate, huic vos submittite. O ira, ecce Rex tuus mansuetissimus, cur te non regis? ô cupiditas, ecce Rex tuus moderatissimus, cur te non inhibes? ô lingua, ecce Rex tuus tacitissimus, cur te non frænas. ô caro, ecce Rex tuus mortificatissimus, cur te non affligis? si ille Rex vester, utique vos subditi; si ille talis Rex, cur vos non tales subditi? vide, & aliquando intellige anima mea, qualem te deceat esse sub tali Rege.

2. REgem vestrum crucifigam? an hoc absurdum Pilate? o si scires illum etiam Regem tuum esse, & Regem Regum, tum diceres, Regem meum, Regem Regum crucifigam! sed quin tu magis absurdum reputas homo, Regem tuum IESUM, in tuo corde crucifigere? Non solis peccatis gravibus crucifigitur Christus, sed etiam quibusvis imperfectionibus, deliberatis peccatis, immortificationibus, scandalis, verbositatibus, tepiditate, inconstantiâ, neglectu proficiendi, neglectu aliorum salutem, Christique gloriam promovendi. Horum si quando se dat occasio, tu vide quid agas? potiùs dicas, itane verò mi IESU, ego te Regem meum crucifigam? in cruce pendere sinam? &c.

3. NOn habemus Regem. Quæ ista libertas & emancipatio? an justo non est lex posita: facit enim ea quæ legis sunt naturaliter, & non ideo quia præcepta lege, sed quia honesta per se, quia placita Deo? o Beata anima, quæ ita comparata est, ut sine Rege regatur, sine regula vivat ad regulam, quam intra servitii divini limites, non timor, non præmium, sed charitas, sed gratia, sed natura, sed sancta roborataque consuetudo detineat, talis anima dicere potest: Non habeo Regem nisi amorem; quocunque feror, amore feror. Amor meus, pondus meum; etsi Deus meus non præcepisses, etsi non promisisses præmia, non comminatus esses pœnas, non conferres beneficia, ego servire tibi vellem, voluissem, & volo JESU; tuus Amor, tibi complacendi desiderium, sit Rex meus, Cæsar meus, pondus meum.

Feria 5.

30. *Major tumultus. Si hunc dimittis. Barabbæ dimissio.*

1. QUantò magis Pilatus laborat pro Jesu; tantò ampliùs furunt & tumultuantur Iudæi contra Iesum. Quis est iste tumultus, dum Iesus est liberandus? An non est ista interior pugna, quã sentit homo, dum à consuetudine prava consurgere, & quasi à vinculis & morte Jesum eripere contendit? abjicienda est occasio peccati, resistendum cupiditati, sustinenda, vel condonanda injuria, subeunda confusio? prô! quanti tumultus in corde? vis illos sedare? sic age. Constitue una ex parte Iesum, hunc Regem dolorum, ex altera parte illam occasioně, illam injuriam, illam confusionem, & cogita quam partem deceat te eligere & præferre? Iesumne, an aliam? & nonne Iesum præferes?

2. SI hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Ultima hæc est machina Pilato expugnando à Iudæis admota, & quidem (proh fortunam!) feliciter. Ille Pilatus, quem tumultus, quem Principum authoritas, non commoverant ad damnationem Christi, hunc unicum verbum pervertit. Et quod istud verbum? nisi illud nefandum, & pudendum; Quid dicent? Illud inquam, hominibus placendi ac satisfaciendi desiderium. O respectus humani! qui soli, & semper, Iesum, etsi omni ratione repugnante, nihilominus infandissimis, & funestissimis addicitis suppliciis. O cæcæ visiones! ô nõ respicientes respectus! quanta est vestra vulgò in animos hominum potestas! propter vos nihil non agitur mali, propter vos nihil agitur boni: vos facitis ut mala negligantur, sed malè; vos facitis ut bona omittantur, non benè. Et quæ potest esse magis mala improbitas, quàm unico hominum aspectui, gratiæ, favori, judicio, Deum postponere universum? Hæc certè est injuria super omnes injurias, quæ Deo possunt irrogari.

3. SIc expugnatus Pilatus statim dimittit Barabbam. Impossibile scilicet est hominibus satisfacere, & servire Christo: necesse est omnino, aut Christum, aut Barabbam solvi. O mi Iesu! quoties ego Barabbam dimisi liberum, te verò morti addixi, & ad crucem duxi? quanquam & tu mi Iesu, hoc ipsum in tua Passione egisti propter me, me enim ire jussisti liberum, te autem morti crucis obtulisti vinctum; extraxisti me de luto fæcis, & ipse in limo profundi hæsisti. Comedi ego uvam acerbam, tui autem dentes stupuerunt; pacis meæ disciplina cecidit super te: & quid ego retribuam tibi, nisi hostiam laudis, gratiarum actionis, amoris, & etiam vicissitudinis? ut scilicet si quando, aut offendendus tu, aut Barabbas propriæ meæ voluntatis mortificandus, hunc potiùs malim affligi, & me pro te contemni, quàm te à me offendi: ut sicut tu pro salute mea prostituisti omnia tua, ita & ego pro gloria tua exponam famam, exponam vires, exponam commoditates, exponam vitam, sanguinem, omnia. &c.

Feria 6.

31. *Damnatur JESVS ad Crucem.*

1. DAmnatur Iesus. Quid mihi fiet? si justus non salvatur, impius & peccator ubi parebunt? Audite impii, qui Dei judicium ita contemnitis, ac si illud futurum non crederetis; potuit innocentia damnari apud iniquos; nequitia apud justum Iudicem Deum non damnabitur? Invenit Pilatus quomodo damnaret Iesum non inveniet Deus, quod damnet in peccatore? Et non times Deum ô homo: tot tantorumque scelerum conscius? Damnari non vis à Deo? damna te ipsum coram Deo.

2. DAmnatur Iesus. O damnationis rei! caput erigite; damnatur enim salus & vita, ad vitam vestram & salutem instaurandam. Damnatur innocentia, respiret noxius; in salutem enim ejus est ista damnatio. Jesus non solùm accusatur, non solùm vituperatur, non solùm examinatur, non solùm judicatur, sed etiã damnatur: tu te extra censuram, extra reprehensionem, extra inquisitionem, extra admonitionem, extra judicium, extra damnationem esse vis? Non est postremus iste humilitatis gradus, imò tantò altior, quantò rarior; videas in multis, multos alios humilitatis gradus; hunc non item, nisi in valde perfectis, & ad IESU Christi mores bene conformatis.

3. DAmnatur Iesus, tu absolvi desideras? si in eodem judicio ab eodem Iudice, Iesus damnatur, solveris autem tu, quis te Iesu discipulum, & non potiùs Barabbæ sodalem vocet? An non si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, tantò magis domesticos ejus? quomodo

modo ergo tu placere potes mundo, ut non displiceas Christo? Certissimum signum est, te Christo dissimilem esse, si te mundus suâ sententiâ absolvit. Tunc verò Christo similis es, quando te mundus, eodem quo Christum loco reponit, quo autem loco Christum mundus ponit? loco damnationis, odii, persecutionis, crucis, purgamenti, stultitiæ, scandali, peripsematis; es tu hoc eodem apud mundum loco? spera te prope ad Christum accessisse; proinde plùs ama mundi odia, quàm studia; Etenim si placueris mundo, omnino necesse erit, te displicere Christo.

Sabbato.

32. *Traditur voluntati Judæorum. Exutus chlamyde. Suâ Veste induitur.*

1. DAmnatus IESUS traditur voluntati Iudæorum, manibus autem carnificum. Hic cogita anima mea IESUM, in manibus ac potestate tua esse, ut eum vel crucifigas, vel à crucis morte liberes. Ecquid potiùs ages? non te ad pedes IESU abjicies? & per omnia jura & sacra testaberis, te ejus sanguinem amare, dolere ejus dolore, & in crucifixionem ejus nullo modo consentire? Nolo, nolo: protestor mi IESU, nolo mortem tuam.

2. POstquam IESUS damnationis nuntium audisset, sine dubio immensas Patri Æterno egit gratias, quòd se adduxisset in horam hanc damnationis, quâ posset in honorem ejus, in salutem verò hominum mortem crucis appetere, obtulitque illi suam illam damnationem, ad tollendam Adæ, posteritatisque ejus cōdemnationem, non solumque non incusavit injustitiam sententiæ, sed inusitatâ quâdam cordis hilaritate, amorisque fervore, illam auscultavit, & ad Crucis tropæum festinavit, longè alacriùs, quàm solent ii, quibus aut regii fasces, aut triumphales pompæ decretæ sunt, jucundo quodam animo memoriam futuræ illius diei recolere solent & exspectare. Vide jam quas tu gratias Deo in contemptibus agas? quomodo te divinis obsequiis, honoribusque offeras? quomodo aspera, aut etiam iniqua aliorum de te judicia auscultes? quomodo formides timore præscitæ confusionis?

3. DUcendus ad mortem IESUS, ut cognosceretur ab omnibus, chlamyde exuitur, suâ veste induitur. Quis nostrûm est (qui scilicet imitationem Christi jactamus) qui subiturus aliquid in conspectu hominum omnis generis, præsertim sibi notorum, non dico infame, crudeleq; sed vel aliquantùm indecens, ac vile, subiturus aliquid confusionis, deperditurus de opinione doctrinæ, ingenii, virtutis, generis, industriæ, non cupiat non agnosci? En IESUS alienas vestes ponit, suas sumit, agnosci in sua vilitate, & ignominia vult, & ab omnium ora, oculosque, inter latrones ad crucis patibulum pergit. O IESU, quando tandem hoc germano Spiritu tuo implebor? quando ita Crucis & confusionis tuæ fame, & siti cruciabor, ut eam non solùm non fugiam, sed etiam quæram, & per omnes circumstantias ultro mihi augeam, & aggravem? IESU! per viscera tua peto, da mihi famem hanc ardentem, assiduam, efficacem: volo statim, volo hodie, semper, in omnē crucis ferendæ, & ignominiæ subeundæ augendæque occasionem immnere.

DOMINICA 5. seu, Passionis.

33. *Crux Christo imposita & bajulata.*

1. O Quàm non æquis donamur, tu Pijssime IESU, & ego vilissimus homuncio, partibus? Tibi hodie crux mea: mihi caro tua: ego paravi tibi, & imposui Crucem, tu parâsti mensam in conspectu meo. O Amor IESU! quid non excogitas? mihi debebatur Crux: tu autem amor dedisti illam Christo pro me, ipsū autem Christum in Sanctissimo Sacramento adducis mihi. Mi IESU, quo te sensu, quo gustu, quâ fame, recipiam? nolo aliam præter illam, quâ tu Crucem oblatam tibi suscepisti, & amplexus es. Mansuetissime IESU, per illud cor tuum suavissimum te rogo, instilla mihi affectum illū tuum Crucis tuæ, ut illo ipso, semper erga te, erga Sanctissimi tui Corporis Sacramentum, nec non erga Crucem tuam ferri velim, & possim, & gaudeam.

2. CRux Christo imposita, est onus peccatorum nostrorum in agno peccata mundi tollente: est opus nostræ redemptionis, est præceptum Patris, est principatus ejus super humerum ejus, est contemptibile lignum, quo in diluvio salvamur; IESUS autem crucem bajulans quid est, nisi spectaculum Patris, victima

mundi, botrus torcular suum portans, seu illi impositus. Imperator armatus, scutum hominum, ara simul & victima: vexillifer, & antesignanus, omnes ad se sequendum provocans: Christianorum Stemma, sigillum, prototypon, Adam sub ligno vetito non carpens, sed solvens fructum ejus. Ex his omnibus carpe tu fructum imitationis, gratiarum actionis, admirationis, compassionis, gaudii. Non tam probrosum est Christo Crucem suam ferre, quàm peccatis Christianorum offendi; ob Crucem sibi impositam non est iratus; ob peccata, quantis nos malis nō affecit, & pergit afficere Ecclesiam quotidie? quomodo vel ipsum sui Sanctissimi Corporis Sacramentum ab Hæreticorum Turcarumque pedibus calcari sinit? scilicet intolerabilior illi Crux peccatorum est, quàm quævis alia; quoniam ne illam ferret, istam pertulit, & perfert.

3. BAjulat Crucem JESUS, jam fractus, & destitutus viribus, præ fame, siti, vigilia, vexatione, flagellis, verbere, doloribus, contumeliis, itineribus, hostium odio, statione tam longâ, similior mortuo quàm vivo; & nihilominùs quasi integer esset viribus, Crucem suam tulit, & funesto illi oneri, humeros miserabiles supponit. Ubi meæ deliciæ & delicati nimiùm labores? vix tantillo fatigor labore; jam mei rationem haberi, jam meliori compensari tractatione, jam majori existimatione rependi cupio; quietos annos velut emeritus exigo, immunitates ab ordinariis postulo. Hoc scilicet est Crucem suam etiamsi fortè fatigatus sis, exemplo JESU ad extrema adducti subire? imò hoc est etiam vix acceptam projicere, & pondus ejus fastidire. O IESU da mihi heroicum tuum fervorem, ardentissimamque sitim, avidissimam famem tuam, in appetendis subeundisque doloribus & contemptibus propter te, quæ nunquam langueat, nunquam expleatur, nunquam dicat, sufficit; sed potius affer, affer, ampliùs Domine, ampliùs.

Feria 2.

34. *Mulieres sequentes. Lamentantes consolantur.*

1. COnsidera, quomodo totâ fremente contra Christum Judæorum gentiliumque turbâ, eumque ad mortem deducente, repertæ nihilominùs sint aliquot animæ, quæ illum sic tractatum flerent, & lamentarentur; & quidem fæminæ erant, naturâ timidæ, fragiles, contemptibiles; sic scilicet infirma & stulta, & contemptibilia mundi elegit Deus ad suam sapientiam, & relictis potentibus, magnatibus, sapientibus, superbis, donat infirmis, & abjectis sentire posse mysteriorum suorum sensus, eorumque dulcedine pasci. Quis discipulorum ausus est tantùm, quod audent hæ modicæ fæminæ hoc tempore? nempe Deus sigillatim fingit corda hominum, & ex quibus vult instrumentum sibi format aptum suis operibus, quod gnarum suæ ineptiæ, bona Deo, mala sibi tribuere sciat. Hinc videas rudes vulgò homines, plus suavitatis in orando experiri quam doctos; imperitos faciliùs & feliciùs magna etiā exsequi, quàm peritos & versatos; scilicet Deus magis præstò est iis, qui se ejus auxilio magis egere sentiunt. Itaque & tu si vis promptum auxilium Dei experiri, nihil te esse posseque practice agnosce; quantò melius id in te de te senseris, tantò celerius ac robustiùs juvaberis.

2. LAchrymis compassionem super Christum ostendunt, hæ miserabiles Sanctæ matronæ, & quidem illæ in JESU nihil forte aliud præter purum hominem calamitosum, nuper in aliquos suorum beneficum, nunc vero indignissime habitum, & turpissimæ morti destinatum agnoscebant. Quid jam me hoc, quod vere est, de Christo credentem, facere addecet, cùm illum tam indigne tractatum video? & quidem cùm me in causa esse agnosco? prò pudor, & duritia cordium! quàm sæpe vincimur à mulierculis, & rudibus, & sæcularibus, & occupatis hoc mundo? nos scilicet viri spirituales, sapientes, Deo devoti? quot ego totâ vitâ meâ, imò hoc anno, in Christi gratiam, in laudem Dei lacrymas fudi? & quid dicam, quot adii pericula, labores pertuli, onera sustinui?

3. O Nunquam frustra in Christi cōpassionem profusæ lachrymæ? plorant mulieres, vertitur JESUS, & suî oblitus, alienum fletum solatur. O quàm promptus est ad beneficia repetenda JESUS; quàm tardus idem, ad vindicandas injurias; tot accepit in Passione sua injurias, neminem tamen ultus est; unicùm accepit compassionis affectum, mox rependit. O miram JESU suavitatem! ô raram gratitudinis virtutem in nobis, & præsertim erga Deum! utinam illam discam ab JESU!

35. Beata

35. *Beatæ steriles. Montes cadite. Si in viridi.*

1. BEatæ steriles animæ, quæ peccatis suis Christo mortis causam non præbuerunt, vel leviorem præbuerunt; quisquis est magnus est: ego autem talis non sum, qui super multitudinem arenæ maris peccavi. Utinam sterilior essem, aut planè sterilis ad peccandum, ut beatus hodie abs te, IESU, essem? & quando tandem pigebit me, offendere te? quando tandem renuntiabo perfectè omni non solùm malitiæ, sed etiam vanitati, tepiditati, imperfectioni? Beata illa sterilitas, quæ frenans concupiscentiam, domans irascibilitatem, emendans malitias, supplens ignorantiam, fetum peccatorum exstinguit, & concepta suggestionum pravarum semina elidit. Istam sterilitatem animæ meæ quando tribues mi Iesu! o quare non modo, quare non hac horâ finis turpitudini meæ?

2. MOntes cadite super nos. quorsum iste imber mi Iesu? formidanda hæc pluvia est. Sed tamen justitia tua Deus, sicut montes Dei: & quis sustinebit eam, quando congregabis gentes, & disceptabis cum eis? Duplices montes habet Deus, alii sunt suavitatis, alii severitatis. Primi sunt, mons Misericordiæ, mons Gratiæ, mons Exspectationis ad pœnitentiam, mons Beneficentiæ, mons admonitionis, inspirationis, vocationis, mons Paternæ correptionis, mons promissionum æternarum: Beati verò montes, & optandi, qui utinam cadant super nos, & obruant nos, absorbeantque ad salutem. Secundi montes sunt. Mons Iustitiæ, mons Vindictæ, mons reprobationis, mons tribulationum, & pœnarum: mons iræ & furoris, mons exprobrationis, mons damnationis æternæ, & ardorum sempiternorum. O montes graves, & intolerabiles, quorum memoriam recolens Job, ne ipsius quidem memoriæ eorum pondus ferre valuit. Illos priores montes, qui nunc negligunt, qui dejiciunt, qui dissipant, complanant, quando in mortis, & Iudicii die, posteriores montes imminere sibi, & impendere videbunt, tunc primùm clamabunt: O montes pietatis, montes sancti, montes benigni, cadite super nos: at serò. Nunc, nunc hos montes excipiam, ut illos non timeam Domine Iesu.

3. VErè virens lignum Christus, qui de florente Virga, Virgine sancta excrevit; nunquam virore caruit, nunquam illum deperdidit, nunquam imminuit, sed potiùs sicut lignum plantatum secus decursus aquarum, ne folium quidem dimisit, fructum vitæ semper in tempore suo dedit. Virens lignum Christus, solus inter omnia ligna sylvarum, & ariditatem & sterilitatem non admittens, unde etiam nec securim nec ignem metuens. Unde autem in viridi isto ligno tanta faciunt! an hoc est severitatis exemplum Divinæ, quod ipsa proponit, ideo, ut sapiente flagellato, & innocente punito, pestilens sapiat, & peccator pœnitentiam agat: quoniam si naturalibus ramis non est parsum, quomodo parcetur adoptivis? Si ego adhuc in virente ætate tam sum tepidus, & delicatus religiosus, quid fiet in ætate fractiore? Si tot præventus, & vallatus gratiis, tamen cado, quantùm caderem, si illis carerem!

Feria 4.

36. *JESVS sub Cruce deficit. Simon portare cogitur.*

1. JESUS sub Cruce deficit. Docet, crucem patientiæ, abjectionis, mortificationis, laboris, pro Christo & animarum salute, ad defectionem usque esse portandam: cadere & mori sub Cruce Christianum, Religiosum, Iesu socium decet, abjicere illam non licet. Iesus sub Cruce deficit, tu non deficies adhuc sub peccato, & a peccato? non deficies a libera, & soluta, & tepida vita? Jesus sub tua Cruce deficit, ne tu sub ejus unquam deficias jugo. Infirmitas enim ejus tua est confirmatio; ne accusa gravitatem & onera Christianæ vitæ, spiritualis vitæ, nondum te illa ad defectionem pressit, sicut tua vita mala Christum pressit, nondum vitam Christi & Crucem, ad defectionem virium portâsti; & estò portaveris: portavit & Iesus propter te, prior te; non dignus est ut posterior tu portes pro illo? Iesus fert Crucem usque ad defectionem, non te pudet mollitiei tuæ? digitus dolet, caput afflictum est, debilitas invasit, jam eximi a communibus officiis, & pro te suppleri poscis. Robusti Spiritûs non est hæc natura; opprimi potest, quiescere non potest. IESUS sub Cruce deficit, & miraris mi IESU, nos illam horrere, nos sub illa cadere infirmos, quæ te Gigantem oppressit? auge gratiam, da Patientiam; ideo enim tu gravi-

gravitatem Crucis pertulisti, ut nobis alleviaretur. IESUS sub Crucè deficit, ejusque ponderi succumbit; sed succumbendo Cruci pondus ademit, horrorem & ignominiam detraxit; levitatem verò, sanctitatem, honorem indidit. Hinc tanti ad illam concursus, quos alioqui JESUS non futuros videbat, nisi ipse illi suas vires ademisset, cœlestes vero proprietates impressisset.

2. DUm IESUS sub Cruce deficit, Simon de villa veniens eam subit; mirum est, cur IESUS qui hactenus nullius pœnæ socium habere voluit, ad solius crucis societatem admisit, & ut Crucem Simon pro se, & post se ferret permisit? An tanta est Crucis gravitas, ut ei ferendæ IESUS ipse par non fuerit? an potiùs tanta omnibus Crucem ferendi incumbit necessitas, ut nullus ab ea se excusare possit, sed velit nolit eam ferre debeat? An tanta est etiam ejus suavitas, ut eam IESUS abundè persentiens, in alios etiam effundi voluerit, & ab aliis gustari? An ostendere voluit Crucis fructum non sibi, sed aliis esse applicandum; applicandum autem non manentibus in villa, seu mundum amantibus, sed exeuntibus de villa, scilicet mundum contemnentibus.

3. SImoni Cyreneo de villa, Crux imponitur, post JESUM portanda. cur non alicui magnatum? cur non alicui sapientum? alicui discipulorum? Simon quærendus erat? quia solus Simon Cruci ferendæ idoneus est: quem scilicet, non pudeat subjici alteri, qui non innitatur prudentiæ suæ, qui non solum spiritualis vitæ professione glorietur, qui non ideo Christum sequatur, ut ditior, sed ut melior fiat; uno verbo qui obedire sciat Deo, & omnibus propter Deum: ille dignus est Cruce Christi. O Simon, quam invidenda sors contigit tibi, vel coacto? O si mi IESU tuo id mihi contingat munere, ut Crucem tuam subire, post te ferre, ferre autem libenter, hilariter, avidè, imò etiã superbè possim, & velim? quodsi tam ineptus sum, & tanti amoris Crucis tuæ incapax: cogi volo, mi IESU. Saltem capax ero coactionis, si non sum voluntatis.

Feria 5.

37. *Vinum myrrhatum Gustat JESUS. Non tamen bibit.*

I. NOvercalem animum, & odium plus quàm insatiabile, quod neq; benefacere sine tormento novit: præbet vinum myrrhatum, crucifigendo Christo, ta quam eum confortare; aut alienare à sensu doloreque mortis volens, sed ne illa misericordia crudelis non esset, fel admiscet. O crudelitas? si à doloris sensu alienare vis, cur fellis amarore crucias? An propinare odium Christo, quo furebas, volebas? sed quia non poteras, ideo in symbolum & signum odii fel propinabas? An rimabaris viscera Christi, quæ sola à tua rabie adhuc immunia restabant? nullum sensum Christo & membrum reliqueras inviolatum; lingua supererat, hæc igitur erat felle crucianda. Molesta erat forsan illa Christi tantis in doloribus patientia, & taciturnitas, felle carere videbatur lingua illa, & cor illud, ergo vel adventitio tingenda erat, ut saltem sic ad asperitatem & querelas proliceretur.

2. GUstat IESUS de felle, quia hoc opus erat ad cruciatum gulæ. O Infelix sensualitas, & ciborum deliciosorum appetentia, quæ Christo fellis præbet pocula. at ego miser, & ingratus, hoc Christi cruciatu gulæ mortificationem non excitor, sed post tot in vita spirituali transactos annos, adhuc tentationi quotidie succumbo carnali. O fel Christi, quando tandem mihi sapies, quando incentiva ista deliciarum, ignisque bestialis pabula perfectè detestabor & excutiam? JESU mi, per fellis abs te gustati acerbitatem, da mihi hostis hujus perfectam, constantem, æternamque debellationem. Mihi ciborum delicias, sibi felli amarorem JESUS reservavit? sic bonus pastor & Pater sibi subtrahit, ut me pascat.

3. NOn bibit JESUS vinum myrrhatum, quia confortari noluit ad crucis cruciatum. Nudus ab omni omnino solatio & auxilio pati, & mori Christus voluit, ut sua Passio plena, & solitaria, & sincera, nullique commoditati permixta esset. Et tu anima mea quando disces, quando assuesces omni exui solatio, & merum Passionis Christi calicem gustare? Renuntia ex nunc in conspectu JESU Christi, omnibus solatiis, quæ percipis ex convictu, ex amicis, ex commoditate, sanitate, successu aliorum, amore & cura, habitatione, talentis. &c.

Feria 6.

38. *Ventum ad locum mortis. De-*

Detrahuntur Vestes. Crucifigitur JESVS.

1. AD locum mortis venit vita; ut ad locum vitæ venirent mortui; & fortè ideo moriente, in loco illo Christo surrexerunt mortui, & venerunt in sanctam civitatem; ut quid ergo in loco mortis adhuc hæres homo? cur non festinas migrare ad regionem vitæ? Venit JEsus ad locum mortis, cur tu fugis locum & occasionem mortificationis? Nō stetit Adam primus in loco vitæ, ideo stetit secundus in loco mortis, cur tu stulte primum potiùs quàm secundum Adam æmularis? Piissime Iesu, gratiæ tibi, qui me à monte mortis, ad montem vitæ, terramque viventium trahis, & transfers; confirma, & radica me in hoc loco Sancto, & monte sanctificato, ut nunquam ad regionem morientium convertar animo.

2. DEtrahuntur vestes Christo crucifigendo, an non potuit vestitus Iesus crucifigi? potuit, sed crux vestitos non amat; faciliùs est in paupertate Christi nihil, quàm vel minimùm quidtè possidere. Exue te homo, exue omnibus, non solùm superfluis, non solum utilibus, sed etiam quantùm potes necessariis. Opus tibi aliquibus est, sed crux illa non admittit, abjice. Quod non admittat, perfectos crucis amatores aspice, pares tibi, meliores te, juniores, posteriores te, egentiores te, carent quibusdam, quibus tu carere non potes; non te pudet deteriorem esse illis, quibus exemplo esse debueras? Non te pudet pauperiores alios videre, facere, esse velle, quàm te; cùm tamen tu plus illis ad puritatem paupertatis obligatus sis? si in cruce nudus nō es? in cruce verè non es; quia plenè in cruce non es, hoc enim quod retines, eò plus de cruce diminuit, quò plùs solatii terreni permittit. Nudos perfectè vult Crux, nudos solatio privato, solá vitá communi contentos; si in cruce nudus non es? ubi eris? aut in cruce, aut in inferno perfectè nudari debes? elige, ubi potiùs velis. Adam cùm gustâsset ex ligno vetito, indutus est. Jesus gustaturus de ligno Crucis & tormento, exutus est: an ideo, ut sicut ille cùm gustasset nudum se vidit; ita Iesus gustaturus nuditate suâ vestire illum voluit!

3. TOtâ vitâ suâ Iesus crucem portaverat ab instanti conceptionis suæ, tandem crucifigitur, & eidem configitur. Hoc est proficere, hoc est quotidie meliorem fieri, scilicet crucem quotidie plus amare, semper mortificationem suî, plus anhelare. Semper sensualitatis fomenta sibi subtrahere. Crucifigitur Iesus, quando crucifigêris tu? tu inquam, qui tam pridem Crucem amplexus es? qui tantopere aliis crucifixionem suî suades? qui te crucifixum esse ostentas, qui alios crucifigis, qui alios crucifixos tantopere vis: & non esse, indignaris? Crucifigitur Iesus, amor ille meus: & cur ego non sum? an ego melior sum eo, quem amo? O quando tibi assimilabor, Amor mi? quando tibi configar? gloriatur quidam magnus crucifixi amator, se Christo confixum esse Cruci: quasi dicat; Christum crucifixerunt milites, at non solum, etiam me cum illo, quoniam ubi amor meus est, & ego necessariò sum, siquidem anima magis ibi est, ubi amat, quàm ubi animat. Item propter me, mihi, in meum bonum, Christus Cruci affixus est; at ego quoque propter Christum & Christo crucifixus sum. Præterea, Christus cruci affixus est clavis, at ego Christo; Christū in cruce tenent clavi, me Christus; denique quod est crux Christo, hoc est Christus mihi, confixus est Christus cruci, ego Christo tanquam cruci. O mi IEsu, configantur tibi alii ut diviti, ut pulchro, ut suavi, ut potenti, ut mirabili, ut glorioso, ut triumphanti: ego non sic configi tibi cupio, sed tibi ut abjecto, ut pauperi, ut humili, ut nudo, ut dolenti, ut contempto, ut contumeliis affecto, ut crucifixo. Sapias aliis, in aliis, mihi absit gloriari nisi in cruce tua, absit me scire aliquid in mundo, nisi te, & quidem non alium quàm crucifixum.

Sabbato.

39. *Titulus, Elevatio, Latrones.*

1. CHristum crucifigi, & titulum affigi, quid est? quàm peccare, & peccatum prædicare? & quoties gloriamur in rebus pessimis? si quem confudimus, si vexavimus, si irrisimus, si contristavimus, si in faciem restitimus, veluti rem bene gestam aliis referimus, quod, quid est aliud? quàm titulum Christo crucifixo apponere? Christus crucifixus, titulum sibi adscribi, & nomen addi volebat: qui miraculis coruscans, nomen suum sileri ab his, quos sanabat, jubebat: & ego non sic: ego aliquid mali subii, aliquid

probrosi? sileo & latere cupio: boni aliquid conatus sum? neminem nescire volo.

2. Consurge tu, qui evangelisas Sion, super montem ascende, elevare, quousque sola terra, sola Hierusalem dolores tuos, & portenta virtutum, amorisque tui spectat? spectet etiam aër, spectet orbis; Anima mea, quæ est ista, & cui usui parata machina, quàm elevari conspicis? An hoc pacto scelus suum Israel toti mundo patefecit, & tanquam Sodoma prædicavit? An ignominiæ dolorisque causâ attollitur? an ut tu quo tandem currere, quò confugere possis habeas; exponitur? An liber amoris, humilitatis, patientiæ, paupertatis, doloris, ignominiæ, tibi legendus expanditur? Elevatur Iesus crucifixus à terra in altum: quousque ergo tibi anima cruces tuæ parvæ, humiles, & quasi terrenæ sunt? & quando generosa & ardua perpeti incipies?

3. JESUS cum latronibus: te pudet agere cum vilibus. Iesus cum sceleratis deputatus est, te pudet humilibus & contemptis accenseri. Iesus inter latrones est, ut inter Angelos & homines, inter reprobos & prædestinatos. Maledicit unus, defendit alter latro Christum, salvatur unus, perit alter, prò! quid hoc? non ambo æquè vicini Christo? non ambo crucifixi? audi ô homo, Religiosus es, in cruce es, cum Christo es? sed nondum securus es? Non in cruce pendere, sed Christum agnoscere, defendere, adorare, prædicare, latroni saluti est. Non in Religione esse, sed inibi bonum esse, saluti est. Et de Cruce, & de claustro, itur ad tartara. O Iesu: quid prodest te sequi, si non contingat consequi? O Iesu Crux tua, professio scilicet vitæ hujus, ad salutem mihi sit, non ad ruinam, suffigar cruci spirituali, sed verè Religiosus sim, sed verè moriar tecum, sed non extra te.

Dominica Palmarum.

40. *Vestes Christi. Omnis generis blasphemiæ. Oratio Christi pro crucifixoribus.*

I. NUdus Christus in Cruce pendet? vestimenta ipsius in oculis ejus aut scinduntur, aut sorte obtinentur. Quid est Christum nudum relinquere in Cruce, vestes autem rapere? animæ curam negligere, corpus verò & externa curare, imitationem Christi Crucifixi, & Passiones doloresque ejus refugere: specioso autem servitutis ejus titulo gloriari, & veste contegi, & ob hoc solum exteriùs Christum sectari, ut honor habeatur, ut cura victûs, vestitûs, habitationis, aliarumque necessitatum non sustineatur. Nudus etiam tunc Christus pendet, vestes verò ejus rapiuntur, quando, quod gratiæ Dei opus est, tamen industriæ humanæ propriæ attribuitur; quando etiam, quod tu bene fecisti: alteri, vel ab altero imputatur: patitur hoc Christus in Cruce, patere & tu, solamque facti conscientiam, Deo reserva. Vestes Christi, servi ejus sunt, has aliquando Christus relinquere videtur, quando tribulari, vel à sanctitate eos cadere permittit. Quare autem dividuntur vestes Christi, nisi quia non sunt crucifixæ cum Christo; ita ergo & servi Christi, si cum Christo in Cruce essent, dividi ab ipso non possent. Dividuntur autem à Christo ante crucifixionem, quia rarissimus est, qui cum Christo possit sustinere tentationem & mortificationem. Hinc Dominica in Palmis Christo stratæ sunt vestes, in Passione verò eidem suæ detractæ, quia scilicet triumphanti Christo & faventi multi sunt servi, ab afflicto verò, etiam sui discedere, non erubescunt. Rarus sanctus in tribulatione Christo conjunctus.

2. SI Filius Dei es, descende de Cruce. Alios salvos fecit se non potest. Sine; videamus an veniat Helias liberans eum. Christus Rex Israel descẽdat de Cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult: salvum fac temetipsum & nos. Hæ, & infinitæ aliæ, ab omni hominum genere in Christum, in Crucifixum jactatæ sunt blasphemiæ. Nullo tempore Christus plures legitur blasphemias, quàm pendens in Cruce, pertulisse. An ideo quia linguæ peccata, hac ultimâ coronide Christum affligere & à Christo expiari debebant? An quia ubi ultimas Christus exserebat patientiæ vires, extremasque ducebat mansuetudinis lineas, mox mox manum de tabula ablaturus, ibi maximè ad impatientiam, & indignationem, fraude dæmonis occasiones præbebantur? An quia inchoata bene, & acta fortiter, ut quoque perficiantur constanter, præcipuè est allaborandum, quippe fini maximè Diabolus invidet, & calcaneo potissimùm insidiatur. Cautus ergo esto, tantò magis, quantò magis appropinquans

quans fini, vel vitæ, vel operum, vel officiorum. Item tantò magis Dei laudibus, & servitiis incumbe, quantò plures tibi adversarii consurgunt, & quantò magis opera tua hominibus displicent. Scito etiam extremam Sanctorum, & Perfectorum vitam, ordinariè tribulationibus & tentationibus, inprimis verò detractionibus infestari, ad hoc ergo te præpara & obarma, quantò eris Sanctior, quantò perfectiùs Crucem Christi conscenderis, tantò magis linguis aliorum, & domesticorum laceraberis.

3. O Ineffabilis dulcedo cordis piissime IESU! O vocem ab initio mundi non auditam! O Dignam Dei Filio Patientiam! mansuetudinem, charitatem! Ad vocem istam creatus est quasi denuo mundus, alioquin ob scelus necati Filii Dei periturus. Ad vocem istam magis, quàm ad ipsius Crucifixi spectaculum mollita sunt saxa, excitati mortui, exultavit terra, erubuit mundus, quòd tantam impietatem in tantam pietatem commisisset. O vocem omnibus Christianis, & præcipuè Perfectionis studiosis medullitus ediscendam! O si tu anima mea aliquantum tibi præfigas temporis, ut admirabilis hujus precationis vim, sensum, originem, proprietates, effectus, quàm solidissimè, fructuosissimè, efficacissimè consideres, ediscas, usurpare consuescas; IESUS orat pro hostibus, excusat crucifixores, tu eos, qui tibi minùs satisfaciunt ægriùs ferre audebis? Pete à Christo, cor Christi erga inimicos tuos.

Feria 2.

41. *Hodie mecum eris. Mater juxta crucem. Ecce filius. Ecce Mater.*

1. COnsidera quàm ferventer conversus sit iste bonus latro ad Christum, qui tam optandam Promissionem obtinere, & dignus cœlo evadere potuit. Vide te ipsum, quàm tu pridem in hac Cruce vitæ Religiosæ Christi causâ pendes? necdum tamen mereris audire à Christo, Hodie mecum eris: quòd scilicet non tam ferventer converteris. Et non te pudet, quòd Publicani, peccatores, & latrones præcedunt te ad Regnum Dei? quantum dedecus est audire dum latroni dicitur, Hodie mecum: te autem formidare ne dicatur tibi: Nunquam mecum eris. Cur ergo non aliquando peccata, & vitiosos mores deseris? cur non resoluto animo Crucem Christi amplecteris?

2. COnsidera Anima mea, Matrem hanc supra modum mirabilem, juxta Crucem Filii consistentem. O mare æneum vere magnum, mare quidem ob amaritudinum copiam; æneum, ob animi tantam in luctibus & doloribus firmitatem! O Mater admirabilis & miserabilis, magna est velut mare contritio tua, & non est qui misereatur tuî. O stupenda Mater, quæ Christum IESUM Filium parturit iterum, sed non ad vitam, verùm ad mortem, non cum exultatione, sed cum dolore, non in stabulo, sed in Cruce; non in nocte, sed in meridie. O admirabile & lachrymosum puerperium! O dura Maternitas, quæ hac lege paris, ut prolem amittas, & cujus parere, est Filio carere! O Anima mea, mirare mecum hanc tam modestam in dolore, tam constantem in adversis, tam quietam in tanta perturbatione, tam misericordem in compatiendo, tam mitem in condonando, tam resignatam in Dei voluntatem, tam magnanimam, in honore suo propter Filium crucifixum prostituendo. Pete supplex à Matre ista dotes istas, ardenter illi conformari concupisce, ex corde illi compatere, & modo, quo Filio suo illa compatitur.

3. ECce Filius tuus: Ecce Mater tua. O voces miras, mortaliumque cordibus optatissimas. Filium effici virginis: quid dulcius? Matrem habere MARIAM, quid securiùs? O Mater non dedignare nos filios, quoniam Deus non est dedignatus te Matrem, impares tibi sumus nos, sed & Deus te infinitè dignior. Facta tamen es tu Mater Dei propter nos, fias igitur Mater nostra propter Deum, peperisti nobis Deum, parias nos Deo. Non est hæc indigna dignitate tuâ prærogativa, ut fias Mater universitatis, quæ es Mater Majestatis. Facta eras Mater Dei, quando de Spiritu concepisti, facta es Mater omnium post Deum, quando à Filio vocem istam, Ecce Filius tuus, audisti; dic igitur nunc etiam Virgo Sancta, illud tuum solenne, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi Fili mi secundùm verbum tuum. O Anima mea, accipe ex hac hora Matrem hanc in tua; ut sit deinceps Mater tua. ad illam filiali affectu accurre, illam filiali affectu venerare, illam filiali affectu dilige: illi filiali affectu, fide, affiste, adhære. O MARIA: ecce

ecce tu Mater mea; da, & effice, ut sim ego dignus te Filius tuus.

Feria 3.

42 *Tenebræ totius terræ. Derelictio.*

1. COnsidera, Crucifixo Christo solem obscuratum in meridie, in plenilunio. Ita scilicet dum Christus peccato crucifigitur, omnes hominis justitiæ, omnis gratiæ splendor, omnis dignitas supernaturalis & meritum ab anima depellitur. Tenebris istis cæcitas Judaici populi signatur, quæ hodieque durat; designatur cæcitas gentilium, in qua vivebant, & ni Christus moreretur, perituri erant; designatur & enormitas omnis peccati, præsertim verò Crucifixi Dei, ad cujus sceleris aspectum Sol exhorruerit, & mortem mundo induxerit, tanquam sepulturus æternis tenebris, tanti sceleris memoriam. Ohe? horruit Sol peccatum: nos non horrescimus, imo patramus; vide, quoties in te talis obscuratio solis contigerit, quando currebas bene, quando Spiritus Dei adfluebat, quando securus gratiæ Divinæ vivebas, in meridie ipso ad tenebras æternæ calamitatis devolutus? O! quando digne exhorresces, hanc præsumptuosam tuam securitatem, quæ te velut cæcum in foveâ peccati detrudit?

2. SOl obscuratus est, & tenebræ per totam terram factæ sunt Christo dolente. Usque modò dolet, patiturque Christus, in peccatorum animabus. O tu! si Sol es, quare non contristaris? quare Christi injuriis non condoles? quare non quantùm in te est peccata tam in te, si de horum numero es, quàm in aliis impedis, & dolores Christi mitigas? An te obscurari pudet, propter leniendos dolores Christi? & cur non puduit obscurari Christum propter destruendam damnationem tuam? An pretiosior tibi honor tuus, quàm Christo suus? An major apud Christum tu, quàm Christus apud te?

3. DEUS Deus meus: ut quid me dereliquisti? verè dicis piissime IESU, & justè quereris, cur derelictus sis; quanquam non est vox & quæstio ista velut ignari, non est indignantis, velut irati: nec est conquerentis, velut offensi; sed est magnitudinem doloris opportuno tempore efficaciter declarantis, & se verè pati, ac sentire grandia ostendentis. Derelictus enim eras Domine IESU, non quod dissoluta esset unio illa naturalis & essentialis personarum, & naturæ Divinæ; aut illa Hypostatica unio naturæ humanæ cum Persona Verbi; aut unio gratiæ & voluntatis, aut unio gloriæ, & beatificæ secundùm partem superiorem visionis: sed quod dissoluta fuit unio protectionis, quæ ad breve tempus rupta fuit, ut locum oblatio cruenti sacrificii haberet, pro nostra redemptione. Placuit siquidem Patri, Verbo, & Spiritui Sancto, ad exsequendum commune decretum permittere, ut vis humanæ infirmitatis, & passibilitatis, in te ad tempus prævaleret, & sic transfigeretur illa hora, de qua olim dixeras ipsemet. Hæc est hora, & potestas tenebrarum. Sic igitur derelictus es, quia permissum est à Deo, ut humana tua natura, absque omni consolatione acerbissimos dolores perferret. Sed quid dices anima, quando de cruce pendens JESUS clamabit ad te: ô anima mea, ô mea creatione, mea tanta & tali redemptione, ut quid derelinquis, ut quid dereliquisti me, affixum propter te, ne possem derelinquere te? quid ad hæc respondebis illi?

Feria 4.

43. *Sitio. Spongia aceto plena porrecta Christo.*

1. SItio clamat JESUS; ô quanta vis illius sitis fuit! quæ hanc vocem expressit; naturalis fuit, violentissima fuit, ex summis longissimisque cruciatibus, & ex multis, ac copiosis sanguinis effusionibus, ex continua octodecim horarum pœna, & jactatione, fatigationeque contracta fuit. O quibus tibi austeritatibus corrupta tua natura, impotensque gula frenanda est, cùm videas IESUM, tanta siti affligi voluisse humanitatem suam?

2. SEd est alia piissime IESU sitis tua gravior, & suavior; sitis scilicet animarum nostrarum, quas videbas paucas salvandas, etsi tu tam copiosum sanguinem pro eis fudisses. Itaque cupiens plures salvari, cupis etiam plus pro illis, si ita Patri placeret, cruciari. Itaque clamas, sitio; quasi dicas, quia plures animas meo sanguine efficaciter salvari cupio, ideo plures cruciatus & pœnas sitio; quasi dicas: Attendite animæ, quãtùm diligam vos, tot jam licet perpessus propter vos, adhuc tamen dolores propter

pter vos sitio. quasi dicas. Attendite irã, & odium hostile: tu explevisti te pœnis meis, & satiâsti, at ego nondum. Sitio. tu jam fatigatus ô furor, at meus amor adhuc sitit, & clamat, Sitio. O verè aquæ multæ non possunt exstinguere charitatem! ô animæ Christianæ, ô mea anima cur tam crudelis es? cur tuo profectu sitim Jesu non relevas? cur animas, quas ita sitit, Iesus, non sitis? O si posses obtinere, impetrare, experiri, sitim illam Jesu, quâ ille animas, quâ tuam animam, quæsivit, sitivit, curavit? Videte Christiani, quid sitiatis? vide tu anima, quid sitis? patine pro Christo? laborare pro Christo? contemni pro Christo? an potiùs quiescere, honorari, bene habere? & vide quid te deceat, ita sitiente Christo?

3. SPongia aceto plena in siti Christo porrigitur. Natura humana spongia est, acetum corruptio. Natura ergo humana corrupta Christo propinatur sorbenda, quando illi præceptum datur de ipsa in Cruce redimenda, ideoque sumpsisse legitur acetum, quia & infirmitatem naturæ, & passionem pro homine pertulit. Liceat quoque mihi piissime Jesu gustare de aceto tuo aliquando, hoc est, dolores, contemptusque tuos subire propter te, & sic amori tuo conformari, nec usque ad mortem de crucis, & humiliationis studio remittere.

Feria 5.

44. *Consummatum est.*

I. ECquid consummatum est Dominè Jesu? peccatum Iuda, an peccatum meum? Heu quis scit, an non completa mensura malitiæ meæ, & succedat impœnitens cor, & reprobus sensus? O Jesu, libera me à consummatione ista, & serva me opus manuum tuarum; quia quæ utilitas tibi ex tanto sanguine tuo, pro me fuso; si periero nihilominùs in peccato meo? Tu autem anima mea, time peccare, & quaslibet imperfectiones, præsertim deliberatas, seriò & constanter vitare propone.

2. QUid consummatum est Domine Jesu? an vita tua, & opus redemptionis nostræ, quod dederat tibi Pater ut faceres illud? verè, nec jota unum præteriisti, ex omnibus quæ audieras à Patre; & ego quando ad tantam consummationem, perfectionemque virtutis me resolvam, ut minimum apicem de voluntate tua, nutuque, & inspiratione mi Jesu non prætereeam? ut examussim exsequar omnia quæ requiris à me, ut quàm perfectissimè cupiam, & connitar placere tibi? scio id non esse virium mearum, sed auxiliorum tuorum. Tu ergo mi Jesu consummationem hanc operare in me, & usq; ad ultimum anhelitum vitæ meæ, conserva illam, & adauge mihi.

3. QUid consummatum est Domine JESU? Dolores tui, Passio tua, tempus potestatis in te inimicorum tuorum, charitas tua? Ita sanè: omnia transierunt, consummata sunt, perfecta sunt, præcipuè autem caritas tua, quâ cum dilexisses nos, usque in finem dilexisti, à summo inchoasti amare nos, & non nisi in summo desiisti, dilexisti nos in finem, quia in Sacramento reliquisti nobis Corpus tuum, usque ad consummationem sæculi; dilexisti etiam in finem, quando idé, Corpus tuum, in dolores, & mortem ipsam tradidisti pro nobis, ita ut tuæ Passionis efficacia, ad finem mundi, infinitis peccatis nostris, non sit exhaurienda. O utinam propter te omnia diligam! adducam ad te omnes animas, tuo sanguine redemptas! omnia aspera, & abjecta, & vilia sustineam propter te, & propter amorem tuì, & propter salutem animarũ, pretioso sanguine tuo redemptarum!

Feria 6.

45. *Anima commendata. Mors, Miracula. Apertum latus.*

I. COnsidera Jesum consummatis omnibus, cum clamore valido clamantem voce magnâ, inclinato capite, humili, & ardenti, plenâque amoris, & reverentiæ in Patrem oratione, spiritum, & animam suam, manibus Æterni Patris cõmendare, & mori. O miraculum super omnia miracula! ô calamitatem super omnia calamitosa, quæ mundo nunquam contigerunt! Iesus mortuus est, & pulcherrimus ille nexus purissimæ carnis, cum Sanctissima Anima, dissolutus est; sublatum est Individuum ex humano genere maximum, & excellentissimum; flos & corona naturæ humanæ, mundi & omnis creaturæ decus, pretiosissimumque margaritum. O damnum damnis majus! O damnum, quod scelus humanum facere potuit, reparare sola omnipotentia poterit! damnum, cui mundus universus com-

comparari non potest, damnum, cujus solius inflictione deicidium puniri poterat, nisi per illud commissum esset. Defle hoc damnum anima mea, & ad deflendum omnes creaturas convoca.

2. NOn est convocando opus: sponte veniunt: en terra mota est, en petræ scissæ, velum ruptum, en mortui surrexerunt. Perculit damni hujus acerbitas etiam rupes, pertigit ad cadavera, & in lymbum, sensumque emortuis dedit, & tu non percelleris? O te saxis duriorem, & mortuis magis mortuam animam! mota est terra mortuo Christo, tu etiamnum segnis, in torpore hæres? ruptæ sunt petræ, tu quando efficaciam tam copiosi, & pretiosi, in te fusi Jesu Christi sanguinis, emollesces, & in manibus Dei tractabilis evades? scissum est velum à summo usque ad deorsum, & detexit Sancta Sanctorum; tu quando peccata confessione deteges? quando cor contritione scindes, quando pretium sanguinis Christi, & viam vitæ, toti, quantùm in te est, mundo evulgare conaberis? Monumenta aperta sunt, cur tu impiorum corda, per claves pœnitentiæ, & prædicationis, Christo patefacere pigritas? surrexerunt mortui, & ad Sanctam Civitatem venerunt: tu quare non surgis, quare alios non excitas, quare ad Civitatem Sanctam, Christi sanguine jam expugnatam, & apertam non festinas, non trahis, non compellis? Moriente vitâ surgunt mortui, scilicet turbata sunt omnia, & in præposteras abiêre leges. Mors non aliter occiditur, aut vincitur, nisi cùm ad vitam ducitur; quod enim est mors vitæ, hoc vita morti; & sicut per lucem tenebræ, per tenebras lux occiditur, ita pernicies vitæ mors, pernicies mortis vita est: periit vita, revixit mors, atque hac ratione mortuo Christo prodierunt mortui ad vitam. Mortuus est Jesus propter te? tu quando mori incipies tibi propter Jesum? Vide quos effectus producat hæc mors Christi? quando illum incipies resuscitare in te, in aliis? Vide an tuâ culpâ, an tuâ negligentiâ, non sit mortuus Christus, etiamnum in te, & in aliorum cordibus? Mortuus est Iesus clamans, orans, caput inclinans, Patri Spiritum tradens & committens, lachrymas fundens. Disce à Christo mori Christiane, ad mortemque te præparare. Clamor est pœnitentia & contritio: Oratio, est veniæ postulatio, & auxilii contra luctas cum dæmonibus imploratio: caput inclinatum, animus est divinæ misericordiæ, & meritis Christi innixus, & confisus. Comploratio & lachrymæ, satisfactio est. Denique Patris compellatio, & Spiritûs in manus ejus commendatio, nihil conscium sibi mentem, & Deum videre desiderantem significat. Sic mori te Iesus docuit; sed si mori vis, quomodo mortuus est Iesus: vive, quomodo vixit Iesus.

3. APertum est latus Christi, ingredere; Cor Christi cupis? patet porta. Sed adhuc illud non habes, tibi, tuæque desidiæ imputa. Et quid est habere cor Christi? inter pericula vivis, cur latus Christi non intras? ingredere anima mea, ingredere confidenter, in hanc officinam bonorum, & donorum, & gratiarum; si times? ibi abscondere: si nuda es? ibi vestire. Si egena es? ditare. Si ægra? sanare: si rudis? erudire: si frigida? calescitor: si maculata? lavator: si fessa? quiescito: Hic habita anima mea, hic spira, hic vive, extra hoc latus nihil tibi placeat, nihil luceat, nihil sapiat, nihil vivat. O IEsu, permitte me ingredi in latus tuum, permitte me in hoc divinitatis palatio, in hac sanctitatis sede, in hac amoris officina, in hoc gratiarum gazophilacio habitare; & da gratiam, ut in eo digne possim degere, vivere, morari in æternùm.

Sabbato.

46. *Depositio, Unguenta, Sepultura.*

1. TAndem accingere anima mea, & Jesum tuum de Cruce depone; quousque enim illum in Cruce imperfectionum tuarum extendes? Considera has Cruces, detestare illas, & emendationem propone. Non se ipsum Christus deposuit, sed deponi ab aliis voluit: perseverandum enim est in bonis, & in voluntatis Divinæ impletione, neque pro tuo libitu cessandum, sed quamdiu placet Deo, manendum, & patiendum; quod si molestum est, & probrosum, cogita, non esse molestius dolore mortis, nec ignominiosius supplicio Crucis.

2. DEposuisti de Cruce Jesum? non est satis; unge insuper, & mundâ syndone involue; unguenta tua, devotio voluntatis, puritas cordis, fervor orationis, stabilitas cogitationis, in Deum defixio mentis, vigor Spiritûs, sublevatio à terrenorum sapore, non solùm animæ, sed

mæ, sed etiam corporis, sinceritas intentionis, constantia boni operis, denique jugis recogitatio & imitatio Crucis Christi & Passionis. His unguentis JESUM unge, & places; sed unde hæc tibi unguenta? pyxides aromaticas quære. En apotheca plena & instructa IESUS ipse, tot pyxides hîc, quot vulnera, sanguis ejus, dolor ejus, mors ejus, hoc est unguentum ejus, hinc sume unguenta, hæc effunde: nec metuè repulsam, in hos usus exposita sunt; securus adi, sume, utere. O anima cur ergo hæc vulnera non amas, non usurpas, non oscularis, non nocte, dieque cogitas. non tibi efficaciter, & medullitus imprimis? JESU, tui hoc muneris est, tu dona.

3. SI unxisti JESUM, etiam sepeli. Sepulchrum IESU cor tuum: saxeum sit contra peccata & tentationes durum, cavatum tamen, excisum & novum, quia mundum & purificatum, & à turbis passionum secretum & liberum. Ibi sepeli IESUM anima mea, scilicet pactum æternum cum IESU ini, quod nempe illi servire, ipsum toto corde amare, memoriam Passionis ejus semper in corde habere, virtutes ipsius seriò imitari, in teque exprimere, secundùm cor IESU cor tuum dirigere, aliorum corda ad IESUM adducere, ipsique in perpetuum addicere velis. Mi JESU, mane in me sepultus! & ut tantò securiùs quiescas, sigillum vulnerum tuorum appone, custodiis tuis cor meum circumda, ut fiat in pace locus tuus, quo maneas apud me quietus & tutus ad mortem. Amen.

GASPARIS DRUZBICKI
SOCIETATIS JESU.

TRIBUNAL CONSCIENTIÆ
PER VARIAS EXAMINUM
INDUSTRIAS
Seipsam dijudicantis,

Tendentibus ad perfectionem, præsertim Religiosis accommodatum.

JNDEX INDUSTRIARUM.

1. Ex parte DEI.
2. Ex parte sui ipsius.
3. Ex parte aliorum.
4. Ex parte Examinis ipsius.
Ratio Examinis suptr ea quæ homo spiritualis in sua vita ordinaria prosequi, & fatere debet.
1. Ex parte DEI.
2. Ex parte sui ipsius.
3. Ex parte aliorum.

INDUSTRIA I.

De Examine Conscientiæ generali, deq; usu illius, ex doctrina S. IGNATII *Fundatoris Societatis* IESU.

NON possum ullo modo committere, quin Examinis Industriam Primam, à Sanctissimo Fundatore Societatis JESU conscriptam, & traditam, hoc loco, aliis omnibus præmittam, non tantum ideo, quia est tanti viri inventum, sed etiam quia est omnium aliarum de Examine adferendarum Industriarum fundamentum ac norma, ita ut omnes quæ sequentur, sint quodammodo ejus, & partes, & imitationes. Sanctus igitur IGNATIUS in libello Exercitiorum spiritualium, à Sede Apostolica approbato, per Bullam Pauli III. quæ incipit; *Pastoralis Officii cura &c.* editam Anno 1548. die ultimo Julii. cùm duplex Examen Conscientiæ statuisset, Generale unum, Particulare alterum; Generalis Examinis, hunc, quem, ipsius Sancti Verbis, subjungo, modum, quinque particulis seu punctis comprehendit.

I. Punctum est. Domino DEO nostro pro beneficiis gratias agere.

II. Punctum est. Pro cognitione & expulsione peccatorum gratiam flagitare.

III. Punctum est. De admissis præsenti die peccatis rationem ab anima exigere per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando, & primò quid circa cogitationem, deinde circa loquelam, atq; operationem.

IV. Punctum est. Poscere veniam de delictis.

V. Punctum est. Proponere cum DEI gratia emendationem, & orationem Dominicam post omnia dicta recitare.

CIRCA hoc S. IGNATII Examen, observandum est, illud, Generale ideò vocari, ut à Particulari distinguatur, de quo inferius Industria 2. erit sermo. Particulare quippè contra unum particulare vitium pugnat. Generale autem contra omnia, unde illud tantùm uni vitio particulari attendit, hoc omnibus; indeque nomen utrique datum est. Observandum præterea est illud, quòd in prædictis quinque punctis lateant alia, quæ oportet cognoscere & servare. ut e.c. in quarto puncto, in quo venia delictorum poscenda præscribitur, latet insuper eorum detestatio, de iis coram DEO confusio, de iis dolor, &c. Ex quo observandum ulterius in Conscientiæ examine Generali fermè hæc includi, atque etiam agi posse. 1 est; Agere gratias. 2. Lumē à Deo petere. 3. Peccata commissa, cogitatione, verbo, opere, omissione vestigare. 4. Eorum occasiones, radices, causas indagare. 5. Ea detestari. 6. De iis confundi. 7. De iisdem ex animo dolere, atque conteri. 8. Emendationem seriam individuamque proponere. 9. Eadem aliqua ratione punire. 10. Veniam postulare. 11. Eadem vitare. 12. Eadem oppositis actibus virtutum frequentatis supplere. Quæ omnia si in examine servarentur, aliquantò, quàm solet exactius, nullum in nostris mentibus posset esse vitium diuturnum, & annosum, atque ita nulla nobis ad profectionem via esset difficilis, quin imò nulla nobis esset facilior, quàm ista examinis.

Observandum præterea ex omnibus examinis Punctis, nullum esse observandum accuratiùs, quàm peccatorum detestationem, de iis confusionem, dolorem, & emendationis propositum. Etsi enim omnia Puncta sint utilia ac necessaria, hoc tamen quod retuli, est omnium utilissimum, & præstantissimum, atque ad animum à vitiis peccatisque liberandum ac purgandum efficacissimum; adeò ut si hoc bene accuratèque fiat, non sit possibile, ut aliquod in nostris mentibus vitium resideat. Atque hic est fons & caput, cur nos, qui, tot in dies Examina facimus quique tam familiarem, nec sanè ut nobis

videtur negligentem usum examinis habemus, tantis tamen, tamque diuturnis vitiis & vitiorum actibus quotidie obnoxii tenemur: nimirum nulla alia est causa, quàm quia in eo, quod jam retuli puncto, parum valdè operæ ponimus, si enim plus poneremus, profectò omne omninò vitium facillimè procul à nobis amandaremus. Id quod etiam observare licet in confessione peccatorum, ad quam dum accedere meditamur, præsertim qui id frequentius, & ferè cum venialibus (uti suppono) facimus, non aliud laboramus, quàm ut defectus in confessione exponendos, in memoriam nobis revocemus, aut scripto adnotemus, quibus habitis mox confessarium adimus, & confitemur non præmissa diligenti accurata particularique detestatione confusione, proposito, nisi fortè in contritionis aliqua formula usitata, quo etiam fit, ut statim post confessionem ad eadem vitia defectusque revertamur, fit inquam, ut cum iisdem imperfectionibus quas confessi sumus statim opera nostra & vitam nostram quotidianam transigamus, quod sanè non fieret; si illa, quàm dixi, specifica particularisque defectuum detestatio confusioque & emendationis propositum fieret. Ea propter maximè censerem cuperemq; esse commendatum perfectionis studiosis, & Examine Conscientiæ ad profectum suum utentibus, hoc quod jam toties retuli Examinis Punctum. Hoc enim si fuerit, experientur examinis utilitatem maximam, adeò ut nullum sint habituri familiarius in vita sua ad suumque profectum exercitium, quàm hoc examinis. Sicuti etiam nullum revera esse deberet familiarius.

Observandum insuper examinis Generalis usum apud aliquos pios homines esse semel in die, apud aliquos bis in die, apud aliquos sæpius in die, apud aliquos in singulas horas, post singulas quasque actiones. Omnes hæ consuetudines sunt laudatissimæ, & ab hominibus spiritualis profectûs, negotiationisque lucriferæ cupidis exercendæ, eâ frequentia, quam ratio, quam unctio, quamque spiritualium magistrorum consilium dictaverit, hic ego nihil definio, aut præscribo hac in re aliud, quàm hoc unicum. Examen Conscientiæ nunquam inutiliter fieri proinde quotiescunque fiet semper cum utilitate fiet, itaque quoties quis inutilitatem hanc optat, toties Examen faciat, & quantam quis utilitatem examinis optat, cum tanta diligentia examen faciat, facereque consuescat.

INDUSTRIA II.

De Examine Particulari deque observationibus in ejus usu.

Præteritæ de examine Generali Industriæ subjungo hanc de examine Particulari, & quidem eam quoque desumo ex doctrina ejusdem S. Ignatii Fundatoris Societatis JESU. Ille igitur de hoc genere examinis hæc observat. 1. Triplex tempus assignat huic examini!

UNUM Tempus est Matutinum quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam, circa peccatum, aut virium aliquod particulare, à quo emendari cupit.

ALIUD Tempus est Pomeridianum, in quo petenda est à Deo gratia ut reminisci possit ille, quoties in peccatum istud particulare inciderit, illudque in posterum cavere, deinde priorem faciat discussionem exigens ab anima sua rationem de peccato illo particulari, percurrens singulas à surrectione horas omnes, ad usq; præsentem, quoties illud commiserit, totidemque notis numerum commissum notet, quibus peractis denuo proponat, per reliquum diei diligentius sese cohibere.

TERTIUM Tempus Vespertinum erit, in quo post cœnæ horam facienda est secunda discussio percursis horis, à priore Examine ad præsens Examen elapsis, similiterque erroribus commissis numeratis & notatis.

2. Sanctus Pater in hoc genere Examinis observat quædam, tum exercitio hujus Examinis tum faciliori celeriorique, sive extirpationi cujuslibet vitii aut peccati, sive insitioni ac perfectioni cujuslibet virtutis, percommoda. 1. est. Ut quoties quis id peccati genus supra quod Examen faciat commiserit, statim manu pectori admotâ doleat de lapsu, quod fieri potest præsentibus nec tamen notantibus aliis. 2. Ut sub noctem computato erratorum totius diei numero, videat an à priori Examine secuta sit emendatio aliqua ad posterius. 3. Ut itidem diem sequentem cum priore conferat, emendationemque videat. 4. Ut id ipsum hebdomadis inter sese collatis faciat: Præter hæc à Sancto Patre observata, observari potest.

III. Etsi ad hoc Examinis genus nō multum requiratur temporis, nunquam tamen esse faciendum ita brevi tempore, atque festinato, ut faciens non satisfaciat dicta-

dictamini & necessitati Conscientiæ de eo faciendo dictanti. Dandum ergo illi, est justum tempus non festinando ad alia, quæ ordinariè minoris momenti esse constabit observanti. Ejus porrò temporis præcipuâ pars collocanda erit in dolore & detestatione errati commissi, & in proposito deinde non committendi.

IV. Examinis Particularis Materiam esse posse non tantùm vitia aut peccata; sed etiam virtutes,earumque actus, sicut enim non tantum debemus mala & malè non agere, sed etiam bona & bene facere; ita etiam examina, possumus & debemus facere,non tantùm, an, & quoties actus vitiosos committamus, sed etiã, an, & quoties actus studiosos seu virtuosos peragamus;ita ut actus vitiosos agere, desuetudine agendi oblivisceamur, virtuosos autem consuetudine agendi agere consuescamus, & veluti connaturales nobis faciamus, hoc siquidem est perfectè vitium extirpasse, nescire illud committere; hoc verò vicissim esse perfectè virtutem acquisivisse, connaturaliter virtutis actus facere. Sicut ergo Examen Particulare facimus super vitia & peccata, ne illa committamus; ita id facere debemus super virtutes, ut illas non omittamus.

OBSERVANDUM 5. Ut Examèn Particulare super vitium extirpandum facilè succedat, accipienda esse vitia non generalia; neque etiam specifica; sed quantum fieri potest,individua: v. g. garrulitatem in hoc loco, cum hac Persona, hoc tempore, in hac materia,hac occasione. Item impatientiam talem, hoc loco, tempore, occasione ista, respectu talis personæ. Item superbiam in tali specie actûs, in hac occasione, loco tempore. respectu hujus negotii, personæ, &c. Id quod etiam in virtutum exercitio est spectandum servandumque ut nempe non exerceamus nos per examen particulare in generalibus virtutibus, aut latè specificis: v. g. in charitate Dei, Proximi, in Obedientia, Humilitate,&c. Sed ut assumamus hos specie actus Charitatis Divinæ, Dilectionis Proximi, obedientiæ,humiliationis, in his occasionibus, temporibus, locis, actibus, personis; generica enim Exxamina, seu materiæ Examinum non magnum fructum, & eum tardum faciunt; particulares materiæ summè sunt faciles & celeres. Eæ igitur accipiendæ non illæ: quod vel ipsum Examinis Particularis nomen ratioque poscit.

OBSERVANDUM 6. Ut adhuc facilius Examèn particulare succedat super vitium aliquod, non sufficiat Examinatori, expectata occasione vitii ultrò se forsan offerente vitare illud, vel attendere, ut vitet illud, vel examinare an vitaverit, an verò & quoties illud commiserit. hæc enim occasionis fortuitæ expectatio, sterilem, & fastidiosum, & diuturnum,insuavemque faciet Examinis Particularis laborem: cum sæpenumero eventurum sit, ut occasionis defectu, non committatur vitium, sicque tempus perdatur, vitiosus habitus quietus in animo maneat ac (quod deterius est, nec infrequens) expulsus putetur, qui nec diminutus, aut loco motus sit. Examinator ergo,non expectet occasionem vitii committendi,vel vitandi, sed ipsemet sibi subministret (ut sic loquar) occasionem, & in ea impugnet vitium. v. g. Experitur quis se, quoties in aliquo, ab aliquo ad superiorem defertur, molestè id ferre, & suspicari de hoc, vel illo, querelas & murmura miscere, amaro animo esse? &c. vult hoc vitium Examine Particulari expugnare? & se ad mansuetudinem patientiamque in tali occasione, ac delationum materia reducere? is ergo, me authore & suasore, non expectet, ut fortè ab aliquo deferatur ad superiorem, & tum demum contra amaritudinem impatientiamque pugnet, sed assignato aliquot sive dierum sive hebdomadarum tempore ad pugnandum cum prædicta amaritudine, assignet simul sibi certas in dies vices, certaque tempora, quibus prædictam amaritudinẽ in se impugnet, donec & expugnet: non quod habeat,sed quasi habeat,vel habiturus sit occasiones. Impugnet autem vel proposito formali explicitoque quiètè perferendi delationem, in hac materia, in tali modo, ab hac persona, coram hoc superiore, &c. vel optatione auxilii divini, ad perferendam modestè delationem; vel complacentiâ ex delatione in fructu, & patientiæ in delatione, vel detestatione impatientiæ damnorumque ex ea fluere solitorum in delatione: vel oratione pro eis, ac amore speciali eorum à quibus eum contingit fortè deferri, vel proposito sponte sua sese deferendi, manifestandi, accusandi apud superiorem, ubi aliquem in se defectum adverterit,delatione dignum, &c. sic impugnata impatientia delationis, nullo modo poterit subsistere in anima; actuum enim frequẽtatione nascetur in ea habitus amandi delationem; nascetur facilitas, imò cupiditas illius perferendæ; nascetur animi præ-

paratio, imò prævifio, ita ut inſperatè nõ invadat delatio, dolorque ex delatione, atque ita prævifum jaculum minùs feriet, minusque afficiet. Quod dixi ſervandum in expugnatione vitii, idem dico ſervandum in acquiſitione & inſitione virtutis cujuscunque. Non expectet homo ſpiritualis occaſionem ultroneam virtutis exercendæ, ſic enim fiet ut raros ferè actus virtutis exerceat, tardeq; aut nunquam virtutem acquirat, ſed ipſe ſibi occaſiones, vel quærat, vel imaginetur, vel ſub conditione quâdam eas, acſi præſentes adeſſent, acceptet, ac in eis reſolutiones, propoſita, actus expreſſos elicitosq; faciat, à Deo petat, optet ſibi occurrere. Sic enim fiet ut ante occaſionem, ſit paratus ad occaſionem, diſcatque miles in otio, qualis debeat eſſe in prælio, quod permagni refert ad profectum, & ad perfectionem. Sed in hoc eſt infelix ſpiritualis diſciplina, præ aliis omnibus artificioſis practicisque habitibus, quia cùm omnis artis diſcipuli, ante occaſionem exerceant ſe privatim, & quaſi in umbra, in ſuæ artis operibus, ut poſtmodum in occaſione ad lucem poſſint, & ſciant, eadem artis ſuæ opera bene, facilè, perfectè, promptè, expeditè, ex habitu facere. Solius Scientiæ ſpiritualis alumni, hoc umbratile in virtutibus exercitium, vel ignorant, vel negligunt, vel contemnunt. Sed volunt nullo exercitio prævio aut vix aliquanto præmiſſo privatim, & extra occaſiones, in occaſionibus perfectarum virtutum perfectos actus, ſine labore, titubatione, & difficultate, ac repugnantia partis inferioris, aut habitus oppoſiti facere, & exercere, quaſi verò non ſit amplior difficultas in virtutum actibus, quàm in aliarum artium operibus exercendis. Qui artem cytharifandi neſcit, & tamen ſcire cupit, magna cura & diligentia & frequentia digitos ſuos format, flectit, curvat, diducit, ut tandem eos aſſuefaciat ad motum collocationisq; rationem celeriter bonam, & bene celerem, & tamen in manu cytharifare diſcentis, non eſt alium impedimentum ſuperandum, niſi quod conſuetudo non ſit, oppoſita verò conſuetudo nulla eſt, quæ debeat expugnari. At verò in arte virtutis v. g. Humilitatis, non ſolùm ea eſt difficultas ſuperanda, quæ eſt in animo ad ſeſe dejiciendum, & ad de ſe abjectè opinandum, ſed inſuper alia, quæ eſt facilitas, & conſuetudo, de ſe altè ſuperbèque ſentiendi & humilem opinionem de ſe apud alios vel videndi, vel patiendi, vel procurandi, &c. Itaque ſi in cytharifatione diſcenda unum diſpoſitionis defectû, ex negatione aut privatione ſimplici ortum ſuperes, jam difficultas ablata eſt omnis à digitis, & manu, at in humilitatis arte ſimul & difficultas animi ad humiliationem renitentis ab eaque abhorrentis, & difficultas ejusdem animi ad immodicam ſui æſtimationem applicationem ſponte inclinati, uſuque aſſuefacti introducta & valdè firmata, eſt ſuperanda. adeò ut ſi una quidem ſuperetur & non altera, humilitatis virtus non ſit in animo commodè futura. Imò etſi expugnata fuerit utraque in certo aliquo materiæ & objecti genere, adhuc poterit eadem remanere in aliquo genere. Unde apparet quanto exercitandi ſtudio opus ſit in virtute, ſtudio inquam privato, umbratili, quotidiano, & in dies crebro, ut ſic ante occaſionem exercitatus inveniat ſeſe animus paratum ad occaſionem, ſive hujus, ſive illius virtutis, ſive in hoc, ſive in illo objecto, ſive in his, ſive in illis circumſtantiis, quod non perficietur melius quàm illâ jam expoſita ratione & Examinis Particularis Induſtriâ, quâ ſpiritualis athleta ſingulis diebus certo numero, & certis temporibus exerceat actus certos, certæ virtutis, & ſuper hunc numerum faciat particulare Examen. An ſcilicet fecerit? an toties in die? an hiſce temporibus? an tales, & tam accuratos actus hujuſce virtutis? an verò, & quare neglexerit? &c.

OBSERVANDUM 7. Ad Examen Particulare accipienda eſſe prius vitia, quàm virtutes, ex vitiis acceptanda priùs graviora, quàm leviora, priùs incurrentia in oculos, quàm occulta, prius communitatem afficientia, quàm privatim nocentia. Idque ipſum in virtutibus exercendis ſervandum modo oppoſito, priùs exerceantur virtutes quæ nos in communi perficiunt, quàm quæ privatim, ut ſunt externa modeſtia ſenſuum, manuum, vocis, affabilitas, amænitas, obedientia externa, prius item in gradibus imperfectis & primis, deinde in perfectioribus, tandem perfectis.

OBSERVANDUM 8. Examen Particulare poſſe fieri non ſolùm unum, ſeu circa unam materiam, aliquam particularem, ſed etiam multiplex, ac circa plures materias, idque varia ratione, v. g. poteſt accipi ſimul vitium extirpandum, & virtus ei oppoſita inſerenda, ita ut eliciatur certo numero in diem deteſtatio vitii, & propoſitum, vel actus formalis virtu-

virtutis. Poteſt etiam accipi una, altera, tertia virtus, eaque vel diſparata, ut charitas Dei, modeſtia, obedientia, vel intra eandem ſpeciem genericam, minores ſpecies, vel intra eandem ſpeciem diverſi actus, atque ſimul circa has plures materias, poteſt fieri Examen particulare ſeparatum. Quod etſi non facilè permiſerim tyronibus quibusque, judicio, & doctrinâ non præditis, nec maturitatem habentibus, proficientibus tamen, & in virtute provectioribus ac ordinatè omnia agentibus, certè exiſtimo valde eſſe utile. Revera enim puto vix quenquam ex ſpiritualibus & bene proficientibus eſſe, qui unius tantum modo ſpeciei virtutis actus exerceat in die, & non ſimul plurium aliarum, & quidem non ex propoſito, ac deſtinato deliberatoque, ſed ex actionum exigentium tales actus incurſu. v. g. Si quis Examinis particularis materiam habeat, profectum in charitate fraterna, is ſine dubio in ſingulos dies non ſemel orat ad Deum, ſed orat tum ſurgendo, tum in meditatione horariâ, tum Sacrum celebrans, vel audiens, tum in horis Canonicis, tum roſarium Beatæ Virgini ſolvens, tum in menſæ benedictione, tum in examinibus generalibus, tum in Salutationibus Angelicis, ter in die, tum in Sanctorum Litaniis veſpertinis, &c. in quibus omnibus orationibus ſolet, certè debet adhibere attentionem, devotionem, Dei præſentis agnitionem reverentiamq́;. Intentionem communem aut privatam &c. Cur ergo is non poteſt ſimul eodē tempore iiſque diebus quibus Examen particulare facit ſuper fraternam charitatem fratribus exhibendam, facere etiam aliud Examen ſuper reverentiam coram Divina Majeſtate in omni ratione prædicta &c. ſimulque in alio Examine notare defectus, hujus Reverentiæ, commiſſos. Cur etiam id non poteſt Examen facere ſuper ordinem temporum & actionum, & modum earum, ſibi conſuetum, an ſcilicet illum ſervaverit toto die. Equidem nihil video quod prohibeat, cùm id à proficientibus præſtari poſſit valde facilè, & abſque actuationis periculo, idemque à fortiori de perfectis aſſero.

INDUSTRIA III.

Examen Conſcientiæ vulneribus JESV Chriſti *iungendum eiusq́; rei ratio & praxis.*

Pii ac ſpirituales viri excogitârunt plurimas, commodiſſimasque rationes Examinis Conſcientiæ faciendi, ut partim planiorem illuſtrioremque facerent hanc exercitationem in via ſpirituali, plusquàm dici poteſt neceſſariam, partim ut facerent etiam etiamq́; utiliorem, licet per ſeſe alioqui utiliſſimam. Ex his, hoc loco, unam pono, quæ eſt à vulnerum Chriſti Domini noſtri applicatione, ad Examinis Puncta deſumpta. Quinque ſunt Examinis Puncta, Vulnera Chriſti itidem quinque. In prima Parte Examinis aguntur gratiæ pro beneficiis. Primū Chriſti vulnus ſit Gazophylacium in quo beneficia, nobis collata reponuntur. In ſecunda Examinis parte, petitur lumen ad cognoſcendas animæ, & conſcientiæ latebras. Secundum vulnus Chriſti ſit Sol illuminans, è quo poſtulatur & ſumitur radius, ad illuminandas cordis tenebras. In 3. Examinis parte indagantur vitia & peccata. Tertium Chriſti vulnus ſit ſpeculum ad quod anima intuetur ſe, & omnia dicta, facta, cogitata, omiſſa ſua ſpeculatur, atque obliquitatem eorum cum Chriſti Iesu rectitudine confert, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant. In 4. Examinis parte, Contritione & deteſtatione abluuntur peccata omnia, præcipuè nunc commiſſa, quod quia ſine Chriſti Iesu ſanguine & meritis non ſit, ideò Quartum Chriſti vulnus ſit Contritionis balneum, in quo lavantur omnes iniquitates cordis. In 5. Examinis parte ſit propoſitum emendationis, proponitur conſtantiæ robur. Eapropter Quintum Chriſti vulnus ſit petra refugii & munitio, ad quam anima confugit, ut ſit tuta &c. Hæc conjunctio Examinis, cum Iesu Chriſti vulneribus, auget in anima pietatem ad Iesum pro nobis vulneratum, reddit Examen Deo gratius, ad pellenda vitia efficacius, ad delenda peccata validius, animam ad profectum excitat, & roborat, ſuavius Examen efficit, delectabilioremque hunc laborem facit. Porrò operæ pretium erit Praxim hujus Examinis cum Chriſti vulneribus conjuncti hîc apponere.

PVNCTVM EXAMINIS I.

Vulnus Chriſti Primum in Pede dextro.

Vulnus Sacratiſſimi Pedis tui dextri, dulciſſime IESU, ſit mihi gazophylacium donorum. 1. Naturæ. 2. Gratiæ. 3. Gloriæ. 4. Quibus

abusus sum. 5. Quibus abs te tuâque gratiâ donandus eram, & essem, nisi me indignum fecissem, & facerem, ac deniq; omnium omnino beneficiorum totius vitæ meæ, ut in illo mihi conserventur, quoniam male illis est, apud me, utpote qui illa digne æstimare non sciens, facile illa negligo, dilapido, deperdo.

PVNCTVM EXAMINIS II.

Vulnus Christi secundum Pedis sinistri.

Vulnus Sacratissimi Pedis tui sinistri Dulcissime IESU, sit sol meus, qui lucis suæ radium emittat in animam meam, ut cognoscam. 1. Quis tu sis? 2. Quis ego? 3. Quid feceris mihi? 4. Quid debeam tibi? 5. Quid sim mihi tecum, & quid sine te? utq; pervadam omnes perversi cordis mei latebras, & perspiciam omnia peccata mea, defleam illa digne, & hujus tui vulneris pretioso sanguine abluam luculenter.

PVNCTVM EXAMINIS III.

Vulnus Christi tertium Manus sinistræ.

Vulnus Sacratissimæ Manus Tuæ sinistræ Dulcissime IESU, sit speculum meum, in quo videam, & considerem peccatorum meorum vitiorumque numerum, gravitatem, fœditatem. Hoc enim vulnus à Te pro meis peccatis susceptum est. Unde & meritò in eo dispici debent. Videam ergo in hoc nitidissimo speculo. 1. Particularia hujus temporis.

2. COGITATIONES, an fuerint otiosæ, vanæ, superbæ, impuræ, gulosæ, acediosæ, ac tepidæ, iracundæ, absorptivæ, frustra solicitæ, murmuratoriæ, inconstantes, respectuosæ, & ad spes, vel timores humanos attendentes.

Verba. An fuerint superba, mordacia, iracunda, impetuosa, præcipitata, superlativa, ironica, immansueta, detractoria, exaggerativa, contumeliosa, mendacia, ambigua, simulata, adulatoria, affectata, otiosa, ridicula, officiosa.

OPERA. An fuerint nulla, non rectâ intentione facta, ad hominum gratiâ spem, laudem, metum, ad commoditatem propriam directa? Non debito loco, ordine, modo, absque attentione, devotione, præsentiâ, & reverentiâ DEI, absque fructu, non cùm prævia consideratione, electione, non ad regulas, nec cùm adjunctione observationum solitarum, ex usu, temerè, casu, contra, vel citra Dei, Ecclesiæ, superiorum, regularum præcepta, præter usum & vitam communem, disciplinamque, contra officium proprium, vel propositum, cùm scandalo, cùm conscientiæ remorsu, cum languore, tœdio, distractione animi, ex judicio & voluntate propria, contra fraternam charitatem, vel absque illa, cùm effusione mentis, sine dominio & præsentia sui, cùm festinatione, & angustiis temporis.

3. OMISSA per negligentiam, inscitiam, effusionem ad unum, & impotentiam affectus, ob levem causam, & irrationabilem, ob dilationem, ob neglectum ordinis, temporum & actionum, cùm tamen debuerint, potuerintque fieri à me, in gratiam Dei, Proximi, & meum fructum, meritum, propter exemplum, obedientiam, disciplinam communem. &c.

4. ALIENA mihi tamen imputanda, ob imperium, consilium, exemplum, authoritatem, dissimulationem, vel ejus spem, protectionem, participationem, nō impeditionem, negligentiam meam in officio, aliis vel notam, vel probatam, vel speratam. Item aliena quidem sed mea facta, ob indagationem meam, censuram, reprehensionem, non cui interat narrationem, cui interat non narrationem, ob non promotionem, & favorem, cùm potuerim, & quo adjecto fieri potuisset, vel simpliciter, vel commodius, vel facilius, vel utilius, atque perfectius, interea verò facta non sint, vel si sunt, incompetenter tamen facta.

5. ORDO temporum, actionum, & in actionibus occupationibusque observationum. An scilicet servatus sit ordo temporum, & horarum punctualiter, & cum dominio mei? an item actiones peractæ suo tempore, & omnes? an item omnes suo modo, & cum adhibitione perfectionum communium? ut sunt, prævisio, electio, deliberatio, conclusio, atque imperatio, Intentio, attentio, diligentia, fervor, intensio, perseverantia, sive constantia. Particularium quoque, ut sunt. Intentio defæcata, conatus heroicus, gradus perfectionis ultimæ, charitas, & resignatio sublimis & gratuita. Fervor in majori & atomica proportione major & major, nomine & affectu, & conatu omnium creaturarum, in unione meritorum appropriatorum Christi, Pretiosissimæ Paren-

Parentis, Sanctorum omnium, sacrificativè, dignè dignissimo Deo.

PVNCTVM EXAMINIS IV.

Vulnus Christi quartum Manus dextræ.

Vulnus Sacratissimæ Manus tuæ dextræ Dulcissime IESU, sit mihi contritionis balneum, cujus virtute, & efficaciâ, & merito, defleo, & abluo omnia peccata mea admissa commissione, & omissione. 1. In Te. 2. In me 3. In superiorem & regulam, & vitam communem, & officium. 4. In æqualem. 5. In inferiorem. Cui ablutioni & dolori meo peto vel guttulam Sacratissimi Tui sanguinis, ex hoc manus Tuæ dextræ vulnere admisceri, & tuo Divino conspectui per Sanctum Angelum custodem meum offerri, â Te autem Domino benignissimo acceptari mihi veram emendationem vitæ, & emundationem abs Te indulgeri.

PVNCTVM EXAMINIS V.

Vulnus Christi quintum lateris & cordis.

Vulnus Sacratissimi cordis tui Dulcissime IESU, sit mihi refugium, munitio, & defensio, 1. Contra iram tuam. 2. Peccata omnia, præcipue mortalia. 3. Fraudes dæmonum, carnis, mundi, amoriſq; mei proprii. 4. Damna corporis. 5. Damnationem æternam. Sit mihi etiam abyssus peccatorum meorum omnium, in quam ego, cum plena cordis detestatione atq; dolore, abjicio, & demergo omnes omnino imperfectiones meas; nunquam inde extrahendas, aut revocandas. Tu tantummodo largire mihi, dulcissime IESU, ex piissimo cordis tui vulnere, vel unicam guttulam, sanguinis tui, in pignus & arrham, peccatorum meorum omnium abs te mihi in æternum remissorum. Include autem me in imis visceribus cordis tui, atq; ibi me detine, excoque, exure, expurga, accende, ignefac, sublima, in cordis tui naturam perfectè converte, ad purissimi cordis tui gustum atq; placitum, ad puram annihilationem meam. Amen.

Quos delectat usus coronæ de vulneribus Christi Domini confectæ, hos etiam prædicta Examinis Praxis delectare potest, in quem finem in singulis Punctis quinque alia Puncta annotata sunt, ut pro numero globulorum in corona expendi hæc Puncta possint.

INDUSTRIA IV.

Examen Conscientiæ, Divinis attributis, nec non humanis imperfectionibus iungendum atque condiendum.

AD superioris Industriæ normam, potest simile condimentum Examinis Conscientiæ fieri, desumptum à Perfectionibus Divinis, quæ in illa Præcellentissima Dei natura elucent, & cùm nostri Examinis Punctis singulis analogiam quãdam habent. Ita Gratiarum actio pro beneficiis potest fieri Deo, ut omnium Principio, Principi, fonti, Domino, conservatori, largitori, dignissimo.

Luminis Petitio potest fieri à Deo, ut est Prima & æterna, incommutabilis lux, veritas, sapientia, cujus oculi multò plus lucidiores sunt super solem, considerantes vias hominum, & abscondita quascunque partes. Inquisitio ipsa & scrutatio cordis nostri potest fieri ad primam legem atque rationem, ad voluntatem, & imperatricem majestatem, ad voluntatem sive signi, sive placiti, ad rectitudinem, & æquitatem, uno verbo, ad Dei conscientiam, quâ ille consciens est totius conscientiæ nostræ, atque ad gustum ejus quem ille habet de omnibus motibus nostris, tam hodiernis, quàm reliquis omnibus. Detestatio, Retractatio, Dolor peccatorũ, potest fieri in detestatione odioque Dei quod Deus habet naturale, in tota natura substantiaque bonitatis suæ, adversus omne peccatum etiam minutissimum. Deinde in Puritate Essentiæ Divinæ, in qua nihil est, esseque potest coinquinatum. Adhæc in amore & complacentia gustuque quem Deus habet erga omne bonum. Denique in miserationum Divinarum simulque judiciorum ejus abysso. Propositum emendationis, potest fieri in placabilitate, atque omnitudine Divina, à qua Deus habet semper sufficientem & efficacem semperque abundantem causam condonandi nobis omnia peccata nostra, sine qua, nullæ sunt causæ ob quas Deus miserias nostras condonare debeat. Deinde in Immutabilitate Dei, qua Deus quidquid ab æterno voluit, vult etiam nunc, ut & nos similiter quod proponimus nunc æternaliter & efficaciter immutabiliterque velimus. Denique in Protectione Dei in quâ qui habitat sicut mons Sion in æternum non commovebitur. Dicet Domino susceptor meus es tu, &

tu, & refugium meum, &c.

Ex his omnibus facile erit praxim efformare cuilibet. Addo autem ad hanc Industriam, quod (etsi separatam Industriam facere poterat) hujus tamen usum facere poterit, si illi adjungatur, longè ad spiritualem profectum perutiliorem. Est autem hoc, ut cum prædicto examinandi modo, ab attributis Divinis desumpto, adjungatur etiam alius ab attributis humanis desumptus. v. g. cum gratias aget homo pro beneficiis, assumat personam clientis, debitoris, mancipii; quod quidquid est totaliter non suum, sed Domini est. Cùm Lumen petet, assumat personam cæci à nativitate, vel in media nocte positi, cum quo sapientia non est, cui lumen intelligentiæ non illuxit, qui necesse habet jugiter clamare; Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt &c. Cùm scrutabitur Conscientiam, & rationem vitæ suæ reddet, assumat personam rei, aut filii prodigi, aut villici iniquitatis & apud Dominum diffamati. Cùm dolebit & detestabitur peccata sua, assumat Personam Lazari ulcerosi, Jobi percussi ulcere pessimo, infirmi, & sordidati, vincti in carcere, suis lotæ in volutabro. Cùm emendationis propositum faciet, & robur contra recidivam, atque tentationes poscet, assumat personam ovis in medio luporum, aviculæ inter laqueos, infantuli & orphani derelicti. Inermis inter hostes, naufragi inter undas, procellas & fulmina; conjiciatque sese, in protectionem Dei, cui adhærens efficiatur unus spiritus cum eo.

INDUSTRIA V.

Examen Conscientiæ in oculis & Præsentiæ Dei faciendi, ratio utilis.

Quis mihi tribuat ut cognoscam & inveniam Deum, & veniam usq; ad solium ejus? ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus, ut sciam verba, quæ mihi respondeat ut intelligam quid loquatur mihi. Verba sunt Beati Job 23. 3. quibus judicari, vel potiùs judicare se ipsum optat in hac vita, ut non judicetur in morte, vel post mortem, juxta illud Pauli. *Si nos ipsos judicaremus, non utiq; judicaremur.* Et illud. *Judicare coram Deo, & expecta eum*, sine dubio enim te absolvet, quia non judicabit bis in idipsum, ita ut fidenter illi cum Da-

1. Cor. 11. 32

Iob. 35. 14

vide dicas; *Feci judicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me.* Horum quæ dixi cognitio, & consideratio, Dei bonitatem, & ad ignoscendum facilitatem, nobis persuadere debet, simulque nos animare, ut potiùs nos à nobismet ipsis judicemur, præveniamusque faciem Domini in Examine & judicio, & confessione, atque satisfactione, quàm ut differamus discussionem nostræ vitæ, operumque ad judicium ipsius Dei, in quo ille, accepto tempore, ita ut non sit ultra ad pœnitendum & emendandum, scrutabitur in lucernis etiam Hierusalem. Quare utilissima erit hæc examinandi sese, judicandique Industria, & quidem in Divino conspectu, atque Præsentia, ut tantò magis seriò rem agat animus noster, cujus quidem judicii Praxis hæc esse poterit.

Ps. 108

I. Invitabis Deum ad aulam cordis tui, petesque ab illo, ut jubeat suæ Majestati Tribunal poni in corde tuo, in quo residens, cum Sanctis omnibus adstantibus, tuo tuimet Examini atque judicio interesse velit.

II. Supplicabis illi ferventer; in hunc, vel similem modum pro lumine.

ILLUMINA Domine Deus meus, omnes angulos sinuosi cordis mei, mihi lucernas illas, quibus aliquando Hierusalem ac Babylonem scrutaberis nunc concede, quo lumine earum intellectus meus illustretur, igne autem voluntas, inflammetur, ut nullum me fugiat peccatum, nulla lateat imperfectio, quàm veritas tua non cognoscat, quam charitas non exurat.

Soph. 1.

III. Accedes ad ipsum judicium tui ipsius; cujus forma hæc erit. Ingredere aulam cordis tui, jam à Deo pro tribunali insessi. Ibi coram Deo ejusq; Sanctis, cogitatio accuset, ac enumeret singula peccata, quæ fecisti, conscientia testetur facta esse, pudore vultus suffundatur, declinent verecundantes in terram oculi, adinstar illius Publicani, aut mulieris adulteræ, Christo adductæ. Ratio præstet Judicis officium, teque ad pœnam quam promeritus es, damnet, Timor sit compedum instar, dolor veluti carnifex & executor Iustitiæ, voluntatem cruciet, atque conterat, lachrymæ, gemitus, tunsiones, aspirationes, incurvationes, sint pro sanguine. Efficacia proposita satisfaciendi, atque ipsa actualis quæ fieri commodè poterit satisfactio, atque satispassio, cùm solido serioque emendationis proposito, sint executionis loco.

IV. Hisce seriò, diligenter ac severè tanquam in oculis Dei Sanctorumque peractis, sententiam contra te, à te ipso latam,

latam, Deo, vel ipse, vel per manus Sancti Angeli custodis tui trades, vel certè distincte voce cordis orisve etiam pronuntiabis.

V. Interim autem misericordiam posce Dei, allegans titulos atque rationes, ob quas tibi parcere, tuique misereri debeat. Ipse enim ait. *Reduc me in memoriam, & judicemur, simul narra si quid habes propter quod justificari debeas.* Quocirca sic orabis.

Is. 43. 26

DOMINE Deus meus, cui soli peccavi, Tibi soli confiteor iniquitates meas omnes, quas feci, & propter quas, me ipsum damnavi, & damno, misericordiam tuam imploro, atq; justificari à te postulo. Scio quidem, ô Domine, nihil me meum adferre posse, ob quod justificer, in conspectu tuo, in quo nō est justificatus unquam de suo, omnis vivens. Unde neq; excusationes, neq; elevationes, neq; ulla velamenta, iniquitatibus meis obtendo, sed magis eas omnes oculis tuis denudo, atq; manifesto, earumq; malitiam & ingratitudinem exaggero, quoniam peccatum meum multum est, & magnum, majus longe quàm cognosco. Sed tamen, ô Benignissime Deus, scio etiam quod etsi ego satis superq; commisi, unde me damnare, & ego necesse habeam, & tu justissime possis, Tu non amisisti unde misericordissime peccatores salvare soles. Quin immo scio, quod quantò major est, miseria mea, tantò majorem campum habebit Bonitas & misericordia tua. Propter ergo gloriam Nominis Tui Sancti, in quo solo oportet nos salvari, propitiaberis Tu Domine nunc & semper peccatis meis. Dices mihi Deus meus, ut narrem si quid habeo, propter quod justificer. Si meum quæris Domine, protestor quòd nihil habeam, nisi nihil & malum, & pœnæ debitum infinitum ac inexhaustum. Si item quæris tuum? habeo sane multum per omnem modum. Habeo inprimis universam naturam, substantiam, dignitatemque tuam, cujus natura est Bonitas, cujus Substantia placabilitas, cujus vita misericordia, cujus gaudium salvatio nostri. Habeo præterea cor & viscera tua, IESUM, inquam Filium tuum unigenitum, habeo eius Incarnationem, Nativitatem, vitam, Labores, Passiones, Humilitatem, Dolores, Cruciatus, Mortem Crucis, Sepulturam. Habeo virtutes, gratias, merita eius, habeo pretium sanguinis eius. Habeo dona, orationes, intercessiones, communionem omnium Sanctorum tuorum, tam viventium in terra, quàm regnantium cum Deo in Patria, totiusq; Ecclesiæ Sponsæ Tuæ Tibi gratissimæ. Hæ utiq; rationes, sufficienter efficaces sunt, ut miserearis mei, qui gaudes in benefaciendo nobis, & quando nostri misereri potes. Efficaces sunt ut justifices, & sanctifices, & abluas, & emundes me, qui justitiâ & sanctitate & perfectionibus nostris pasceris, & glorificaris. Parce igitur Domine servo, propter quem non pepercisti filio: accepta pœnam quàm ego merui, vilissimus servus tuus, quàm pro me luit Tibiq; obtulit Pretiosissimus Filius Tuus.

Hujus Industriæ præclara potest esse utilitas, si ejus adsit usus frequentatus. Vix enim videtur fieri posse, ut in tali anima possit diu stare, non dico, gravis aliqua malitia, sed vel imperfectiuncula aliqua tenuis, quæ sic se in oculis Divinis corrigere, atque emendare consuescet. Restat ergo ut utamur infatigabiliter per aliquantulum tempus v. g. unius alteriusve hebdomadæ, aut mensis, hoc exercitio, & fructum ejus experimento gustemus.

INDUSTRIA VI.

Ratio Examinandi Conscientiam per confessionem coram DEO.

CONstitues te coram Deo Judice, in forma rei & peccatoris, statuesque tibi, juxta Jeremiæ 31. 21. preceptū, speculam, & eam conscendens, pones tibi, vel potiùs Deo, ante oculos, amaritudines culparum & imperfectionum tuarum, recogitando, cum illo Rege omnes annos tuos, omnes horas diei, omnes actus tuos diurnos, in amaritudine animæ tuæ, easque simul ac statim confitendo, cum pudore, dolore, detestatione cordis, confusione faciei tuæ, nullâ quoad fieri poterit, omissa cogitatione, verbo, opere, omissione, imperfectione, quàm Deo non manifestes, atque confitearis exactissimè. Non quidem ideò, ut illas Deus ex te cognoscat quasi ignarus, sed potiùs ideo ut ipse eas cognoscas, & penetres, & coram Deo detesteris ac erubescas, efficaciùsq; defleas ac emendes. Dices ergo more illo Ecclesiæ.

Isa. 38. 15.

MEA culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Confiteor Domine Deus meus adversum me omnem injustitiam meam, quàm in oculis Divinæ Majestatis Tuæ, ego vilis & ingratus commisi. Non conjicio culpam meam Domine in voluntatem Tuam, non in dæmonis tentationem, non in carnem ac sensualitatem quæ me impulerit, non in mundum, qui me dementarit, non in occasionem quæ se obtulerit, non in passionem, quæ præoccupaverit, non in exēplum, quod permoverit, non in defectum auxilii cœlestis, quasi defuerit, sed in meam propriam voluntatem malam, quæ acquievit & voluit, in meâ desidiam, negligentiam, inefficaciam, sensibus & amori proprio indulgentiam, laboris & conatûs fugam. Ego meâ propriâ culpâ consensi, in malam cogitationem, meâ culpâ, protuli verbum otiosum, præceps, mordax, meâ culpâ maximâ, malum opus commisi, meâ culpâ, omisi tot bona, omisi tot perfectio-

fectiones, in bonis operibus, tot abusus sum auxiliis tuis, tot rejeci gratias & inspirationes, tot contempsi occasiones. Mea est malitia atq; culpa Domine, quòd hodie, non in tempore de strato surrexi, quod non obedivi pulsui, tanquam voci tuæ Divinæ, quòd primitias, cogitationum, nec de Te habui, nec Tibi obtuli, sed à dæmone præripi permisi, quòd actus pios à surrectione servari solitos, à meq; mihi præscriptos, à Te mihi inspiratos, neglectim feci, aliquos neglexi, aliquos distuli. Mea est culpa Domine, quod in eâdem surgendi, vestiendiq; horâ, aliena à tempore cogitavi, non habui Te præsentem, non fui honestus & modestus, & angelicus in oculis Tuis, in oculis Angeli mei, in oculis meis Tibi utique sacris. Mea est culpa Domine, quòd imparatus, vel obiter paratus ad orandum veni, quod orationi præmittenda non præmisi, quod nec Te præsentem constitui, nec me coram Te humiliavi, nec cum fame ad orandum accessi, &c. quod non tantùm non invenit me hora orationis orantem, aut signum orandi præstolantem, sed etiam subtraxi de tempore primo orationis non eam statim à pulsu cum aliis inchoando, sed alia interim perficiendo, atq; differendo &c. Hæc tibi omnia Deus meus confiteor, pro his omnibus erubesco, ac doleo eaq; detestor, ac emendare propono, nec illa solum, sed etiam illa quæ mihi occulta sunt, vel ob meam oblivionem, cum tamen scire tenebar, vel dæmonis proprijq; mei judicii malam sub pallio virtutis occultationem, vel deniq; ob desidiam meam, & incuriam in profectu meo, continuamq; negligentiam; & illas etiam confiteor Tibi culpas meas Domine Deus, quas me non cognoscente, non pro peccatis reputante, Tu nosti & reputas, quas nisi Tu impedisses, ego commissurus eram, quas si noscerem etiam confiterer, & retractarem. Has tu clementissime veniarum Pater omnes dimitte, ut mundus & purus sim, in oculis Tuis, quamvis vilissimus & miserrimus sim in oculis meis.

EXCITABIS post hæc in te affectum, perfectæ & veræ Contritionis, hac, vel simili ratione.

PECCAVI *Deus meus, & Pater meus in cælum, & coram Te, Peccavi Tibi soli, & malum coram Te feci. Peccavi contra Te, Deum Trinum & unum, contra Te Patrem Æternum, qui de nihilo me creasti, contra Te Fili Dei, qui me tuo sanguine redemisti, contra Te sancte Spiritus, qui me in baptismo sanctificasti, contra Te Sanctissima Trinitas, quæ mihi tuam imaginem impressisti & Tibi, me in habitaculum elegisti. Peccavi Deus meus contra Tuam infinitam Bonitatem, qua Te impendisti, ad jugiter mihi benefaciendum, contra Tuam charitatem, quâ me gratis dilexisti, contra misericordiam, quâ mihi gratuitò peccata dimisisti, contra omnipotentiam, quâ me juvas in omnibus quæ facio. Peccavi contra omnes perfectiones tuas, eas conculcando, ut meam sequerer voluntatem. Peccavi contra Te Deum meum, Patrem meum, Magistrum meum, Pastorem meum, Regem meum, Protectorem & Benefactorem meum, omne Bonum meum. Peccavi contra omnia beneficia, quæ mihi, ex, & cum summo amore contulisti, quo nomine peccavi etiam in cælum, quod me illuminat, in terram, quæ me sustinet, in omnes creaturas, quæ mihi ministrant, in Angelos, qui me custodiunt, in socios, qui mecum communionem meritorum habent, in corpus & animam meam, quæ à Te Deo meo condita, & mihi ad usum data sunt, peccavi in rationis lumen & fidei, quod rejeci & repudiavi, in Tuam Gratiam Nutricem meam, quam destruxi & in me impedivi. In dona Spiritus sancti, quæ abjeci, in virtutes, quas delevi & infuscavi. Et in his omnibus, Tibi tamen Deo meo soli peccavi, quia istæ injuriæ, tuæ sunt injuriæ, tuæ contumeliæ. Neq; solùm peccavi contra Te, sed etiam coram Te, ô Domine Deus meus; Peccavi coram Tua Sapientia, quæ me peccantem intuebatur, coram charitate quæ mihi indulgebat, coram liberalitate, quæ me ditabat, coram ipsa omnipotentia, quæ me adjuvabat. O me cæcum! cur non attendi, coram quo, & contra quem peccabam? O Deus æterne atq; dignissime! iam non sum dignus vocari filius tuus, nō sum vel ipso hominis atq; creaturæ nomine dignus, non sum dignus, hoc ipso esse, quod à Te accepi, & quod mihi semper conservando donas, siquidem peccavi toto me, totoq; esse meo, in Te, & coram Te, qui illud mihi dedisti. Mallem, mi dignissime Deus, mallem millies non fuisse, nec esse, quàm Te offendisse, quàm Te, vel unico deinceps peccato offendere! Parce Domine parce, & dimitte, quod contra Te, & coram Te feci; ut eluceat infinita Bonitas, & miseratio tua, tantam iniuriarum gravitatem, & multitudinem condonando, & me à tanta, tamq; multiplici miseria liberando, ut & ego Te in æternum laudem, misericordias tuas in æternum & ultra decantando.*

De hac Industria id ipsum, quod de præcedenti, nota, eam inprimis fore tunc utilissimam, quando erit usitatissima. Deinde ad minuendum in ejus usu laborem, puto expedire, habere indiculum vel in memoria, vel in oculis, omnium tam horarum, quàm actionum. Præterea, judico expedire etiam, in eundem finem, ut habeatur indiculus Regularum, sive observationum in unaquaque actione observandarum; sic enim faciliùs erit videre, quid unicuique actioni, non solùm insit imperfectionis, sed etiam desit perfectionis, faciliùs item erit confiteri Deo, & sese accusare apud illum, de singulis: efficaciora quoque erunt proposita emendationis ad particularia respicientis, & distinctè proponentis, quàm ad generalia, & confusè intuentis.

INDUSTRIA VII.

Ratio Examinandi conſcientiam, per Poſtulationem à Deo, ut ille indicet, quid de nobis, noſtrisq́ operibus judicet.

l. Moral. cap. 17.

SAnctus Gregorius Magnus ait: *Sæpe melius ſcrutamur conſcientiam noſtram orando, quàm inquirendo.* facit Sancti Patris dictum, ad proximè poſitas Induſtrias: facit & ad hanc, quam in præſenti tradere aggredimur, in qua etiam modum Examinis præſcribimus orationi conjunctū, & oratione peragendum, & quidem hac ratione. 1. Accedat homo mente ſaltem & corde ad Deum, eumque præſentem habens, atque adorationis & reverentiæ cultu honorans, ejus ſeſe oculis totum, quantus quantus eſt, ſubjiciat.

2. PETAT à Deo lucem veram, quâ illuminatus poſſit cognoſcere ſeſe in Dei lumine, qualis ſit? quid ei deſit? quid Divinis in ipſo diſpliceat oculis? &c.

3. PETAT à Deo cum omni humilitate, & fervore, ut illi ipſemet Deus dignetur ſuum de ipſo ſenſum judiciumque aperire.

Atque hujus Petitionis Praxis hæc eſſe poterit.

DEUS qui es lux vera, claritas infinita, ſapientia æterna, veritas & veracitas, falli & fallere neſcia ſpeculum immaculatum, ecce adſum coram mundiſſimis ſanctiſſimuque oculis Maieſtatis Tuæ, meq́ Sapientiæ Tuæ totum, totaliter notum, totum nihilominus, totaliterq́ pro mea parte, & ex mea voluntate noſcendum ſubjicio. Illuſtra quæſo faciem tuam ſuper me ſervum tuum, & illumina me lumine tuo veraci, & veritate tua lucente, ut illuminer in me, & cognoſcam me, ſicut cognoſcor à Te. Dic obſecro Domine Deus meus, dic mihi ſervulo tuo, ſupplici tuo, mancipio & jumento tuo, quidnam majeſtatis, & Sapientiæ Tuæ, nitidiſſimis oculis diſpliceat in me, in quo hodie defeci coram Te, quid commiſi contra Te, & contra voluntatem tuam, Sponſam meam. Dic obſecro quid diſpliceat Tibi in iraſcibili, & concupiſcibili facultate mea, & in tota ſuperiori parte mea, in paſſionibus & in potentiis meis, in ſenſibus internis & externis omnibus. In membris ac partibus univerſis, in actionibus ſive liberis, ſive involuntariis, in imperatis & arbitrariis, in propoſitis & debitis, in labore, otio, in ſomno, in ſermone, in convictu communi, in converſatione externa, domeſticaq́, in conſiliis, in factis, in officio meo, & in ejus praxi atq́ executione. Dic obſecro quid diſpliceat Tibi, in ordinariis, & extraordinariis occupationibus & operibus meis, in ſurrectione mea, in oratione, in ſacro, in ſtudiis, in cibo, & potu, in relaxatione, in confeſſionibus, in concionibus, lectionibus, examinibus, colloquiis meis, in omnibus denique motibus meis. Dic obſecro Domine quid diſpiceat Tibi in Perfectione & Religioſitate, & ſtatu meo, interno, in Fide mea, in ſpe, in charitate Tui, & Proximi. In Paupertate, Puritate, Obedientiâ, in Diſciplina, vitâ, Obſervatione communium Regularum. In ſtudio Pœnitentiæ, & humiliationis patientiæ, condonationis injuriarum. In ordine temporum & actionum, in manſuetudine, & lenitate, ſuavitate, affabilitate, in gravitate, modeſtia, maturitate, æqualitate, in conatu & fervore proficiendi, in reverentia & reverenti Tecum, & coram Te converſatione. In Puritate & frequentiâ Intentionis, orationis, ad Te recurſus, & reditus, abs Te mendicationis & Poſtulationis. In Fidelitate ad Te, gratitudine pro beneficiis, beneficiorum bono uſu, in reſignatione ad omnem voluntatem tuam, ſub quacunque tandem ſpecie & facie, conditione & circumſtantiâ, &c. Dic obſecro mihi Domine Deus meus, lux mea, ſcientia & Sapientia & directio mea, dic, inquam, mihi, quid requiras & deſideres à me, & in me, quid in Tui gratiam, quid ad guſtum tuum fieri velis à me, in me, de me, per me, circa, & contra me, quid perferri, quid ſubiri, velis à me. Dic obſecro, quomodo, quo fructu, exitu, quibus in circumſtantiis, fieri, vel perferri velis à me, & ſimul da mihi ô Domine vires, ut fieri & ſuſtineri poſſis à me, ſecundùm placitum voluntatis tuæ. Ecce ego Domine ſervus, mancipium, jumentum tuum adſum, coram Te expecto, & expeto nutum voluntatis Tuæ, & imploro auxilium, expeto conſilium, propono humillimum promptiſſimumque obſequium.

USUS. Induſtriæ hujus eſſe poteſt tempore Examinis, tempore Sacri, poſt communionem Sacramentalem, in Præſentia Sanctiſſimi Sacramenti, poſt ſingulas actiones, vel etiam poſt aliquantum longas, ac multas diſtractiones, dummodò ratio habeatur temporis, actionis, proximi, commoditatis, aliarumque circumſtantiarum, in quibus brevior aut prolixior eſſe poteſt, ac debet uſus hujus Induſtriæ. Hoc etiam in ejus uſu monuerim, ut dum quis eâ uti volet, non ſit in ea, (ſicut & in omni altera examinandi conſcientiam ratione, id ſervandum eſt) feſtinus, ſed lentè & cum perpenſione ſingulorū punctorum negotium agat; tum ut in ſuas actiones ipſe oculum poſſit conjicere, earumque ſtatum noſſe; tum ut audire poſſit, quid Divina lux & veritas dignabitur ei forſitan reſpondere.

INDUSTRIA VIII.

Ratio examinandi conscientiam per examen illius à DEO factum.

HÆc Præsens Industria, in hoc cum priori convenit, quod sicut illa, ita ita statum suum cognoscere laborat, ex judicio sensuque Dei, de se, & de animæ statu, defectu, & profectu, in hoc autem differt, quod illa petendo assequi notitiam sui laborabat, in hac verò animæ non petenti, ea ipsa notitia sui offertur. Id enim agit hæc Industria, ut homo à Deo Iudice, & quasi subirato sese cognoscat, & statum suum, statumque actionum suarum quotidianarum meliùs perpendat & excolat. Nimirùm sæpè in nobis dormit charitatis fervor, hic ergo excitandus est timoris frigore, *seponenda sunt* (ut alicubi monet Bernardus Serm: in cant.) *parumper pia vocabula, timor advocetur, excitetur, ut excitet animam dormientem, aut dormitantem*. Hoc igitur Negotiator spiritualis, duce hâc, aget, Industriâ.

1. Putabit se instar servi multa Domino debentis, vel instar villici iniqui apud Dominum diffamati, aut instar servi pigri, qui Domini talentum defodit sudario involutum, in terra, evocari ad Regem & Dominum reddendæ rationis causâ.

2. Audiet à Deo juberi se depromere libellum rationum, veriùs conscientiæ propriæ, cordisque sui, cum operibus & actibus suis, (annuis, menstruis, hebdomadariis) hodiernis.

3. Attendet, Deum in tabella cordis sui accurate legentem, scrutantemque in æternæ illius suæ veritatis, atque lucis perspicacis, oculis, & lucernis, omnia peccata errataque sua. Hic attendet, quomodo Deus expendat suam de lectulo surrectionem, vestitionem, orationem, Sacrum, horas canonicas, studia, laborē, omnem denique actionem. Attendet ad interrogationes Dei, quid sit ei responsurus, v. g. hoc opus sicne agendum dictabat voluntas, Dignitas, præsentia, amor meus? sic ratio? sic Professio? sic Regulæ? sic vita communis? sic exempla Christi, & Sanctorum, sic tua ipsius scientia, doctrina, ab aliis exactio, sic tot gratiæ, & opportunitates, tot proposita, tot merita? An respondebit Deo unum pro mille? Attendet, quàm rara, quàm pauca sint apud Deum judicem, utique verùm & prudentem, bona, quæ apud nos, vel apud homines apparent, putanturque bona. Attendet, quam perfectionem exigat, & voluerit inesse, in uno quoque operū prædictorum. Attendet, quomodo nihil fugiat Divinos oculos etiam minutulum, etiam homini occultum. Attendet, apud Deum omnes excusationes, conniventiæ, causæ, impedimenta, quomodo nihil valeant, & nihil homini prosint. Attendet quomodo alia sunt humana, alia Dei judicia, & quàm verùm sit, quòd nemo credat, quàm Deus exactè, quamque severè judicet. Attendet quā non sine causa & Job & David deprecatus sit judicium Dei, quàm non sine causa dixerit Paulus; nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, etenim qui me judicat Dominus est. Attendet, quàm evanescent coram oculis Dei omnia opera ejus, cum omni eorum perfectione, cum omni diligentia, conatu, fervore, perfectione, & quantò magis cum desidia, negligentia, tepiditate, distractionibus, gravedine. &c. Attendet quomodo, seu quo vultu, atque oculis quibus, intueatur opera ejus singula, & ipsum hominem judicans Deus, quomodo expendat, & quanti æstimet, quomodo, & quibus gestibus motibusque tractet opera, & verset, ab oculosque ipsius hominis proponat, quomodo cum sua, suæque voluntatis perfectione, regulâ, & gustu, eadem opera componat? quomodo excutiat de manibus suis, inque oculis hominis abjiciat, indignans & contemnens opera hominis, quomodo indignabundus abscedat, & tanquam sterili ficui, in qua fructus non invenit, maledicat, vel tanquam arbori inutiliter jam supra triennium locum occupanti, securim minitetur, vel tanquam Corrosaim, Bethsaida, atque Capharnaum, & Nazareth indignetur, vel tanquam supra Hierusalem lacrymas fundat? quomodo recenseat talenta à se data ad bene operandum, negotiandum, scilicet auxilia gratiarum, tam naturalium, quam supernaturalium, quomodo alleget aliorum tot exempla, & quidem horum in his cum homine circūstantiis. Quomodo alleget Dignitatem, voluntatem, merita, gustumque suum, spem suam & expectationem, proœmia data, promissa, pœnas item interpositas. Hominis ipsius proposita, promissa, scientiam, denique omnis causæ & executionis defectum, præter solam tepiditatem, inconstantiam, incuriam, ingratitudinem. Deiq; parvam curam, & æstimationem.

4. Quid hîc expectet homo aliud, quemve finem speret, nisi indignantis, & irati Dei vultum, atque abscessum. Pœnæ atque supplicii impositionem, & assignationem, traditionem executori &c.

5. His attentis, & cognitis, tanquam reipsa & justè omnino præsentibus, & factis, inibit secum rationes homo. Omni ratione deprecabitur faciem Domini & justam iram, fatebitur gravissima quæque se meritum. Petet tamen cum servo debitore procidens in faciem, Patientiam habe in me. Miserere mei, & dimitte mihi omnia peccata mea. Volo emendare, volo diligentiùs sanctiùs vivere, volo hoc opus, illud, istud perfectiùs peragere, volo deinceps in conspectu Dei decentiùs vivere & operari, gratiis Dei uti.

6. Deniq; pœnas ipse de se sumat, neque tamen se pœnis Dei subduci velit: puniat homo prout debet, puniat Deus prout volet.

Hæc Examinis ratio si modo vel cum modica applicatione fiat, efficax valdè est, & ignavis omnino necessaria; ferventibus, & semper sibi in fervore constantibus, forsan non item, attamen tepiditate interdum aut sæpè afflari solitis, incredibile quantùm utilis, quantùm necessaria est: quod melius etiam cognoscet, qui uti non negliget, & usus quidem ejus, non semper forsitan esse poterit ejusmodi, ut per illud omnes omnino diei actiones individuæ decurrantur, attamen si vel aliquæ, nunc hæ, nunc istæ, deinde aliæ & aliæ sic decurrentur, non poterit esse absque grandi utilitate, hoc est morũ emendatione. Qui enim timet, nihil negligit, non potest autem nõ timere ille, qui quotidie, non tantùm credit fideliter se à Deo judicandum, sed etiam practicè hoc Dei subeundo judicium, quodammodo experitur, longe aliter esse judicia Dei, & aliter hominũ, ut dicebat Agathon Abbas, in vitis Patrum libel. 11. num: 2.

INDUSTRIA IX.

Ratio Examinis super spiritus fervorem, ac novitatem.

Punctum I. Examinis erit. Agere gratias Divinæ Bonitati pro omnibus vitæ annis, tibi datis ad hoc, ut servias ejus super eminentissimæ Majestati & Dignitati, quales quidem anni, cum his circumstantiis, paucissimis omnino hominibus contigerunt à Divina manu.

Punctum II. erit. Petere abundans lumen à Deo, ut cognoscas, quomodo & superiora vitæ tempora egeris & sequentia (præcipuè autem præsentia) deinceps acturus sis, maximè quantùm attinet ad fervorem ejus Divini obsequii, ad quod proderit expendere ea diligenter, quæ tertio Puncto adferentur.

Punctum III. Expendere sequentia.

1. An hodie Intentionem generalem renovaveris, reflexè & advertenter, serviendi Deo, faciendique & patiendi omnia propter Deum, cum fervore intensionis, puritate sublimis intentionis, diligentia applicatæ executionis, ordine debitæ dispositionis?

2. An omnia opera tua à Religione, sive statu, ab Officio, à Superiore, à charitate, à necessitate, ab electione, à natura, ab occasione tibi imperata curaveris facere cum majori fervore, ita ut præcedens opus excederetur quantùm in te, & ex vi voluntatis tuæ, in fervore, sublimitate, diligentiaque, in majore & majore millies millies proportione fervoris, sublimitatis, diligentiæ? &c.

3. An in operibus arbitrariis tibi, adhibueris electionem, & advertentiam voluntatis, voluntariique fervoris, puritatis, & applicationis, sive diligentiæ, ita ut dicta opera evaderent Deo gratiora, per voluntatis Industriam, adhibitasque ab ea circumstantias gratiosiores, relictis minùs gratis minùsque grata opera facientibus?

4. An non solùm in circumstantiis operis, præelegeris magis gratas minùs gratis, sed etiam in ipsis operibus, hunc delectum feceris, ita ut relictis minùs gratis operibus, feceris magis Deo grata? Porrò tam circumstantiæ, quàm operationes illæ magis gratæ censendæ sunt, quæ plùs Deum exaltant, quæ hominèm operantem magis vilificant, in quibus nihil hominis ab homine quæritur & intenditur, in quibus puriùs, sublimiùsque resignatiùs, & defæcatiùs quæritur Deus, quæ intensiore fiunt fervore & charitate, quæ fiunt majore cum diligentia, conatu, applicatione, hilaritate, patientiâ adversariorum, perseverantiâ, exinanitione, perditione, oblivione, morte hominis, &c.

5. An excitaveris in te, & quoties in diem, & quomodo, novum fervorem serviendi Deo, eumque exaltandi, ita scilicet ut hodie sic curaveris Deo servire,

quomodo antehac nunquam, hac hora ampliùs quàm præcedente omni, hoc quadrante, hoc minuto temporis, quàm omni præcedente. Item hoc membro, hac potentia, hac passione, hac actione, hac circumstantia, hâc atomo, ampliùs quàm unquam aliàs, in proportione millies, milliesque majori. Ita ut curaveris, nunquã tui similis in fervore, à te, tuaque conscientia, & à Deo, ejusque conscientia inveniri, sed semper ad ulteriora profectus, progressusque sis in fervore, puritate, diligentia, idque in proportione millies, milliesque majori. In hoc passu (& in similibus) etsi intellectus noster non deficit, sciens ita fieri posse, voluntas quoque vult ita facere, efficacia conatur, vires tamen deficiunt, ne adæquemus intellectum, & affectum effectu. Nihilominus apud Deum, & scire, & velle, & conari, meritorium est, non enim Deus ex hoc nos metitur, quod possumus, sed, quod & quantum scimus, scientes volumus, volentes conamur & facimus. neminem proinde terrere ista, & talia, sed solari & animare debent.

6. An proposueris tibi Deum ad imitandum in agendo, ut scilicet sicut Deus quidquid agit, toto se, conatuque toto agit, sic & tu quantus quantus es, totus te toto, non quidem in operationem, sed in operationis finem, hoc est in Dei, per opus exaltationem, applicationemque incubueris.

7. An in operibus tuis omnibus omnino, omnium potentiarum, immò atomorum conatu, curaveris servare progressionem in fervore, sublimitate, diligentiâ, itemque an ipsam progressionem dilatatione auxeris, in millies milliesque majorem, vel in omnipossibilem, vel Dei adæquatam dignitati, exaltationis proportionem.

8. An omnia tua ita vivido conatu peregeris, vel peragere desideraveris, ac intenderis, ut vim non tantum facere cœlo, sed etiam Divino cordi, illudque penetrare apta fuerint, neque præ tepore in cursu ad Deum elanguerint. 9. An Præsentiam Dei vivam præ oculis semper habueris, eâque ad devotionem, æstimationem, imitationem, placendi studium, reverentiam, gustûs expletionem, excitatus, & in Deum absorptus, tibique veluti subductus quodammodo fueris.

10. An quantùm exaltare Deum, tantùm simul deprimere te curaveris, quantùm amare Deum, tantùm odisse, te, quãtùm sperare & fidere in Deum, tantùm desperare & diffidere tibi, quantùm quærere & invenire Deum, tantùm perdere te, jacturamque tui facere laboraveris.

11. An assuescas in rebus tuis actionibusque omnibus, solicitudinem & applicationé, cum lentitudine & advertentia, dominio tui, & dignitate quadam supernaturali, coram Deo, & coram te ipso, & coram hominibus habere, neque uspiam festinare, præcipitari, absorberi, ad naturalia, ad sensualia, ad tua deflectere.

12. An studueris ordinaria potiùs consuetaque & proposita (esto pauca) diligenter, sublimiter, ferventer peragere, quàm nova invenire, arripere, multiplicare, & solius duntaxat executionis causâ festinare, steriliterque agere, cum ordine temporum, actionumque, cùm observatione regularum, religionis aut vitæ communis, cùm observatione dictaminum regularumque tuarum, privatarum, adæquando lumen intellectus, & efficaciam affectus.

13. An studueris commodè multiplicare circumstantias operationum passionumque tuarum, tam ex parte potentiarum tuarum ad operis peractionem concurrentium, quàm ex parte objectorum connexorum? quàm ex parte circumstantium creaturarum, adjunctarumq; circumstantiarum. (omnes eas v. g. acceptando, adjungendo operi, earum affectu illud peragendo, earum vires, potentias, substantias tibi assumendo, earũ nomine agendo, easque tanquàm tuo nomine tuaq; voluntate, & intentione actus, dirigendo ad Deum in eumque referendo, ac illi offerendo) ut tantò plurium rerum usu Deum laudares, nullamve creaturam vacuam laude Dei esse sineres, omnem autem creaturam ac circumstantiam, materiam tui in Deum obsequii amorisque faceres, omnium defectus tu suppleres.

14. An studueris ita facere omnia, etiã naturalia & sensualia, ita perpeti etiam maxima ac minima, & universalia, acsi per uniuscujusque illius solius peractionem perpessionemque salvari deberes, Deoque rem super omnia grata gratissimam, & gustabilissimam gloriosissimamq; exhibiturus esses? 15. An ita hodie omnia (vel an opus) feceris, ac si dies, hora, actus sit ultimus tibi, mediumque salutis, efficaxque gratia, ad fervorem & salutem, qui fervor sit tuæ prædestinationis ultimum medium? 16. An in omnibus tàm prædictis, quàm aliis quibusque, temet in gratiæ Divinæ sinum abjeceris?

17. An

17. An de te tuâque Industriâ penitus & totaliter assiduèque desperaveris. 18. An ad omnia & nominatim ad prædicta, Christum Dominum, Pretiosissimamque Parentem in te (& in aliis) elaboranda conduxeris, quâ mercede, quâ fide solutionis? quoties?

PUNCTUM 4. Erit videre impedimenta quæ habeas, quò minùs hæc perfectè accuratè perficias, continues, observes, tum negligentiam, dilationem, raritatem usûs, oblivionem, dolore, pœnâ, delebis, emendationem statues, quæ poteris ex prædictis, re, & actu ipso statim perficies, & supplebis, atque in opere, quod huic examini succedet, exercebis.

PUNCTUM 5. erit Petere à Deo gratiam efficacem (cum diffidentia Virium propriarum) ad omnia supra dicta. hâc v. g. Oratione.

DIGNISSIME Deus, ego ex voluntate mea per gratiam tuam adjuta, mihiq; donata volo, Tu, sine quo nihil sum, & possum, da mihi novam tuam gratiam efficacem, nove Tibi serviendi, per omnes mei, & creaturarum omnium mihi à me insubstantiatarum impersonatarumq; actiones, passiones, potentias, partes, atomos, sequente præcedentem excedente, in millies millies majori, perfectione fervoris, sublimitatis, diligentiæ, ad purum gustum tuum, ad nullum præmium meum, semel pro semper, dignè Te dignissimo Deo meo, insuperq; amplius, quia hæc est voluntas Tua, & Dignitas voluntatis Tuæ.

Hoc Examen fervori soli examinando, excitando, conservandoque (ut ex decursu apparet) militat. Respicit autem hoc examen fervorem in tribus, nempè in fervore ipso, sive devotione, aut devotionis promptitudinisque intensione, in intentionis simplicitate, puritate, sublimitate, in applicatione diligentiaq; agendi & conatu. Hæc enim tria necessariò conjungenda sunt, in omni operè, si ferventis operis nomen, & gratiam fructumque mereri debet. Porrò usus hujus Examinis spiritualibus perfectisque viris, debet esse quàm commendatissimus semper quidem, at præcipuè matutino tempore, in quo præmitti deberet omnibus actionibus. Deinde Januario Mense in quo, cum novo anno, novus quoque ardor spiritus in Dei servitio concipiendus, & pro toto anno corradendus est, ita ut anni novi proposita eadem sint cum his, quæ sunt hoc loco. Puncto 1. ad exequendum recensita.

INDUSTRIA X.

Ratio Examinandi fontes communiores communium at præcipuè quotidianorum defectuum.

ESSE aliquos peccatorum & defectuum fontes certum est. esse complures, etiam id certum: esse aliquos notiores, occultiores aliquos, id quoque certum esse debet. Hæc Industria aliquos, & eos ferè subtiliores, occultioresque & intimos internosque, etiam perfectis expendendos proponit. Hæc verò expensio, est ad vitæ spiritualis perfectionem maximi momenti, aliter enim quotidiani defectus, nec sanè rari, aut leves corrigi non poterunt unquam: fontibus enim patentibus, scaturiet defectuum aqua: patere autem necesse est fontes, nisi obturentur, obturari non possunt, nisi cogniti priùs fuerint. Eos ergo nosse, expendere, & quotidie præ oculis habere oportet, quod hac examinandi ratione fieri poterit.

PUNCTUM I. Continebit recogitationem Divini Dominii super te, (& super omnes creaturas) absoluti, & plenè Alti, altissimeq; pleni. Continebit etiam, actionem gratiarum pro beneficiis. Denique, continebit æstimationem & dilectionem Dignitatis Divinæ gratuitam & sublimem.

PUNCTUM II. Continebit Postulationem 1. Luminis. 2. Contritionis, specialiter penetrantis animam, solidantisque in bono eandem, ut immaculatè vivere possit coram Deo semper, neq; in varia errata peccataque deflectere.

PUNCTUM III. Continebit inspectionem confessionemque intra positorum capitum, quæ sunt fonticuli communes defectuum plurimorum, pias animas quotidie infestantium, & in conspectu Sponsi maculantium.

1. Inconsideratio, ante, in, post opus: itemque defectus deliberationis, & electionis. 2. Languor mentis, & tepiditas quædam, efficaciam & conatum enervans fervoris, nec sinens adæquari proposita executione, lumen intellectûs affectu, effectuque. 3. Inconstantia in bene cœptis, aut propositis, ob causas leves, aut amovibiles in tempus aliud æquè bonum: unde fit, ut minimæ res, maximas impediant. 4. Dilatio de die in diem, de hora in horam, quæ tamen essent hic & nunc agenda. 5. Fiducia quædam sui, & spes

ſpes ſupplementi blanditioque felicitatis, & facilis compenſationis. 6. Intentionis defectus, & quòd vel abſit, vel pura non adſit, ſed miſta proprio commodo, vel obſoleta, ac frigida, id eſt, pridem non renovata. 7. Irreſignatio & irreſolutio, timores humani, amaritudines ſæpè vanæ, ac tantùm imaginariæ, atque à phantaſia illudente ſibimet profectæ. 8. Delectationes atque commoditatum indulſiones, ſatisfactionesque naturæ naturales, ac blandimenta & ſervitia ſibimet impenſa, condeſcenſiones. 9. Præcipitatio, tumultatio, defectus præſentiæ ad ſe, dominiique ſui, feſtinatio, urſio inquieta, nec cauſam rationabilem habens, ſed ſeſe fallens, ac tempus homini eripiens, vitamque ordinatam perturbans, differri, amitti multa conſueta faciens. 10. Incogitantia & impræviſio, tàm agendorum, quàm incidentium, unde fit ut impræviſa improviſo, ingruant, perturbent, &c. quò etiam faciunt propriæ deſignationes, ad pauca reſpicientes, quæ quando ſecùs eveniunt, animæ perturbationem & moleſtiam, diſguſtus contra authores in animo generant, unde omnia velle oportet ſic fieri prout fiunt, quando jam fiunt, immo & antequam fiant omnia, ita volenda ſunt prout fient, modò ne noſtrâ culpâ malè futura ſint. 11. Inhæſio tenax ad proprium ordinem propriamque deſignationem, quàm dum aliquo interventu neceſſariæ rei turbare cogimur, turbamur animo, & amari reddimur in reſponſis. 12. Juſtificatio ſui, & quædam excuſatio etiam in malo, in errore, poſtque illum contra proprii cordis conſcientiam, & coram aliis. 13. Diſſimulatio & quædam ſepultio atque oblivio affectata in conſcientia errorum, defectuum, remorſuum, monitionum internarum. 14. Inordinatio temporum actionumque, quæ, vel facta non ſuo ordine facit, vel ordinem non habet. 15. Fuga confuſionis, ſilentiumque defectuum confuſivorum coram Deo, conſcientia, confeſſario. 16. Scandala in ſpecie modica data aliis. 17. Obſtructio gratiarum excitantium, & invitantium ad bona agenda, diſſimulatione, dilatione. 18. Omiſſiones minutorum, & fuga laboris & advertentiæ, vel floccipenſiones. 19. Conjectio ſui in temporis anguſtias, unde feſtinatio, omiſſio, levi brachio expeditio. 20. Commiſſiones variæ, defectuoſæ, ex uſu antiquo, vel alicujus hominis cauſa. 21. Occaſiones uſitatæ nobis & ſolitæ deficiendi, dare anſam, præcipuè gulæ, oblocutionis effuſionis, curioſitatis, &c. 22. Reſpectus & humanæ rationes, ſperantes, timentes, differentes, diſſimulantes. 23. Contemptus præcipuè minimorum, tùm non obligantium, vel non ſub peccato obligantium. 24. Oblivio, quæ ſæpè provenit ex fiducia memoriæ. 25. Deſuetudo, vel contra aſſuetudo. 26. Amicitiæ humanæ facilè & dulciter perſuadentes. 27. Mollities animi & debilitas apprehenſionis, faciliſque defluxus à ſeriis, ab inceptis, à propoſitis bonis ad vana. 28. Cauſa non cauſa, ſive apprehenſio cauſæ agendi, vel non agendi, quæ tamen reverà non eſt cauſa idonea v. g. venit in mentem non ſonuiſſe horam, ac ideò non elevandam eſſe mentem ad Deum, non elevatur, &c. Item venit in mentem facere hoc vel illud, & occcurrit jam tranſiiſſe tempus, atque non fit, cùm tamen utiliter commodèque fieret. Item venit in mentem orare, ſed occurrit imaginem nō eſſe, vel rudem eſſe, atque ita non oratur, cùm tamen non ſit cauſa ſufficiens non orandi ruditas imaginis, poteſt enim etiā coram rudi, etiam ſine omni imagine, orari, &c.

PUNCTUM IV. Continebit dolorem deadmiſſis vitiis; Item expiationem ac ſupplicationem.

PUNCTUM V. Continebit Roborationem ac ſoliditatem cordis, atque volūtatis, contra minutias quaslibet peccatorum, in quo præcipuus debet eſſe labor hujus Examinis atque conatus, ut nēpè ab hoc examine voluntas aſſurgat robuſtior, validior, cautior, & quidem ſpiſſior denſiorque, ne facilè effluat in defectus, ob quòd etiam examen hoc concludendum eſt humili confeſſione efficacique oratione ad Deum, cujus virtute & gratiâ ſolidemur roboremurq; in voluntate, ut etiam reliquæ cogitationes noſtræ, diem feſtum agant Domino per gratiam ipſius.

INDUSTRIA XI.

Ratio Examinis ſive Actus Cenſorii.

CEnſorum & Cenſuræ officium, quòd fuerit olim apud veteres Romanos, notum ex hiſtoriis Romanis. Hanc cenſuram, ut quandoque agat Vir ſpiritualis in ſua quoque Civitate ac Republica, expedit profectui in virtute, ut per cenſuram omni-

omnium partium, potentiarum, occupationum, actionum, exercitationum, paſſionum, negotiorum, ratio, fructus, modus, impedimenta, defectus, vitia, ſterilitates recognoſcantur, corrigantur, puniantur. Induſtria ergo præſens præſcribit modum agendæ hujus cenſuræ, per examen, quòd debet eſſe veluti ſupremæ poteſtatis ſupremique judicis ultima ac decretoria cognitio ac dijudicatio, qualis erit vel in puncto mortis, vel in die ultima mundi, à Deo cum unoquoque homine. Examinis hujus erit hæc ſeries.

1. Ad hoc examen actumque cenſorium, exuat homo ſe ipſum, & tanquam non ipſe ſed alius, non ſe, ſed alium à ſe, & quidem hoſtem Dei, hoſtemque ſuum & ſummè reum judicaturus cenſuraturusque ſit, eo animo ſit.

2. Induat Perſonam Domini ſui, hoc eſt Jesu Chriſti, cui omne judicium dedit Pater in manus, atque ita & in præſentia, & in Perſona Iudicis Jesu Chriſti, (qualem vel Daniel, vel Joannes, vel ſe ipſum Chriſtus deſcribit) ſe judicet.

3. Statuat ſe ipſum coram ſemetipſo, nudum, ſolum, ſqualidum, reum, abjectum, incurvum, miſerabilem (ſi placet etiam moribundum, & jam moriturientem) in ſua conſcientia præconvictum, ante tribunal veluti Iudicantis cenſuráq; agentis Dei.

4. Videat quod & quale vivendi genus tenuerit, per id tempus, hac ſcilicet die (hora, menſe, ſemeſtri, anno) aut diei parte temporisve, ut plurimùm negligentiæ, effuſionis, ſenſualitatis, mixti fervoris, inconſtantiæ, amaritudinis, &c. Videat quæ fuerit perfectio in bono, quis animi conatus, quæ animarum circũſtantiarum obſervatio. Videat quod pondus ad malum, quod in malo, quod in ſenſualibus, ac naturalibus, quotus numerus & relapſus, quæ rebellio, vel diſſimulatio ad lumen conſcientiæ relatrantis, dubiumve moventis, de agendo de nõ agendo, de ſic, vel non ſic agendo. Videat quid, ubi, quoties, quare, omiſſum, neglectumque? quàm parvæ res, quàm magnas, Deo gratas, impediverint? quanta bona omiſſa, quantæ occaſiones elapſæ, qui inſtinctus, propoſita, exempla, motiva, rationes æternæ, ſublimes? Videat circumſtantias hodiernas, ſi quæ ſpeciales actionibus, paſſionibus, & ſuæ vitæ adfuerint, quidque ex eis damni, commodi, documenti, cautelæ, profectus decerptum ſit. Videat quomodo ſuppleti defectus, quibus, & qualibus ſupplementis, ac ſatisfactionibus, paſſionibusq; redempti. Videat an, omnia fideliter Deo reſtituta tùm ſemper aliàs, tùm hodie, tùm hoc extremo die (ſi examen hoc ſub noctem facit) tempore, an fideliter & integrè conſervata, aucta, promota, ac integrè, & plenè, & reſolutè ejus voluntati, poteſtati, curæ, gratiæ, guſtui, gloriæ, reſignata, ſacrificata, holocauſtificata. Videat quomodo balneata ſit & purificata tota anima in balneo Jesu Chriſti, &c. Videat quàm ultionem ſumpſerit de ſe, tanquam de ſervo inutili, otioſo, malitioſo, damnoſo, prodigo, infideli, ingrato, tàm ſibi ipſi, quàm toti communitati creaturarum, quàm Deo & Chriſto, videat quo conatu, rigore, perſeverantiâ, fide ad Deum, zelo ad jus Dei ſarciendum, aut ſervandum, quam exacta, in minutis quoque diligentiâ, quàm abſque diſſimulatione, feſtinatione, tumultuatione, perfunctoria inſpectione, hæc ipſa præſens cenſura acta ſit agaturve, an præſens heſternam adæquet, vel ſuperet?

5. Peractâ hunc in modum cenſurâ ſi ſeipſum reum, & culpabilem repererit, moveat ſeſe loco, conſtituat in noviſſimo, & in centro noviſſimi: deinde, ſumat alias pœnas, eaſque exaggeratas intenſione, ſaltem interioris affectus ad Deum, quà bonum, juſtum, amabilem, dignum, ſupremum. Ac denique ſeſe (poſtquàm de ſe fecerit quidquid potuerit) Deo deſerat, ut ille faciat ſecum inſuper quidquid volet, miſereatur ſicut ſciet & volet, pœnas de ſe ſumat quas debet & poteſt, quaſque homo ſe meritum ſciet & fatebitur, ſicque ſeſe abjiciat, relinquat inque poteſtate, ac manibus ultimæ, abſolutæ, adorandæ, Dei voluntatis deſerat & ſepeliat.

Hæc cenſura ſemper habebit locum, præcipuum tamen ultimum diei ante ſomnum tempus ejus eſſe deberet, quando omnibus peractis, finitis, concluſis, in die, omnia ad ultimam & decretoriam cenſuram vocari poſſunt, ut ultimariè perficiantur, expientur, ſuppleantur, adeò ut hæc cenſura, non tantùm omnia ante ſe toto die acta cenſuret, verùm etiam in ſemetipſam vim ſuam exerat, ſuique ipſius cenſura ſit. Proderit ad multa hoc genus exercitii, modò ſit in exercitio, ut alia prætercam, proderit ad hoc, ut homo ſit, quantùm illi fas ſemper ferè abſq; obligatione culpæ, & pœnæ coram Deo, quo bono neſcio an aliquid ſibi homo meliùs optare poſſit. Et denique quidquid ſit de aliis fructibus, quid æquiùs quàm

ut homo,qui nunquam poteſt carere peccatis, & defectibus, nunquàm etiam careat aſſiduis peccatorum defectuumque expiationibus. Ego ſanè in hac ſum opinione, hominem benè ſpiritualis profectus amantem, ſicut ex fragilitate quotidie meretur purgatorium, ita quoque poſſe, ac ſi ſapiat, debere quotidie expedire ſe ab hoc merito, atque id præſtari ab illo poſſe, tum aliis rationibus, tùm hujus Examinis Cenſorii accurrata & diligenti, & non in anguſtias temporis feſtinationisque compacta exercitatione.

INDUSTRIA XII.

Ratio Examinis per contrapoſitionem virtutum ad vitia.

IN geſtis Sanctorum legimus, quosdam Sanctos à morte ſua ad cœleſtem Patriam pergentes, in via per quosdam exactores, in quibusdam veluti teloniis fuiſſe detentos, donec pro culpis in hac vita commiſſis, vel ſe ſatisfeciſſe oppoſitis virtutum ac rectè factorum meritis probaſſent, vel certè inibi ſtatim adæquatè ſatispaterentur. Inde, huic examinandi rationi, occaſio, quàm præſens exponit Induſtria. Exponit enim modum examinis talem in quo defectus, & peccata oppoſitis, aut ſaltem aliis bonis actibus, virtutibus, affectibus ſupplentur, expiantur, ac veluti redimuntur, perſolvunturque (vide Raderum 1. Parte Viridarii Sacratiſſimorum 28. April. Cap. cui titulus, Hiſtoria de miraculo Carthagine in Africa facto, fol.212. Edit.Lugdun. 1627 in Duodecimo.

Hæc Redemptio atque ſuppletio defectuum poteſt fieri variè.

1. Actibus virtutum directè oppoſitarum vitiis ac defectibus. v.g. Actus ſuperbiæ, actibus humilitatis; actus gulæ, actibus jejunii; actus garrulitatis, actibus ſilentii. Et ideò præcipuè hæc examinis ratio ſumpſit nomen contrapoſitionis, eſtque hæc ratio optima, ad profectum & ad parandos, habitus virtutum vitiis oppoſitarum.

2. Poteſt hæc ſuppletio atque contrapoſitio fieri ita, ut actibus vitioſis ſingulis ſinguli item actus virtuoſi, eſto natura ſua, non oppoſiti directè, ex deſtinatione voluntatis opponantur, per eosque expientur, ac redimantur. In hoc enim ſenſu dixit Daniel Regi Babylonis, *Dan. 4. 24* *eleemoſynis peccata tua redime*, & Chriſtus ſuaſit; *quod ſupereſt date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* *Luc.*

3. Poteſt hæc ſuppletio ac redemptio fieri ita, ut actibus vitioſis ſingulis, non ſinguli item actus virtutum opponantur, ſed plures contraponantur virtuoſi uni vitioſo, quò copioſior ſit ſuppletio.

4. Id ipſum poteſt adhuc fieri per progreſſionem ſeu multiplicationem, proportionemque, ita, ut primo vitioſo actui, actus virtutis duo opponantur, ſecundo actui, quatuor virtuoſi. Tertio actui vitioſo, octo virtuoſi, Quarto vitioſo actui, ſedecim virtuoſi contraponantur, quod exercitii genus cum aliis Sanctis, tùm Joanni noſtro Berchmanno legimus fuiſſe uſitatum, ſed in eo, diſcretione opus eſt, ne multiplici progreſſione, atque calculatione capiti vis inferatur.

5. Poteſt etiam ita ſuppletio iſta fieri, ut unus, virtutis actus, vel alter, pluribus actibus vitioſis opponatur, ita tamen ut actus virtutis ſit ſtrenuus, illuſtris heroicus, vel ex ſpecie ſua primæ notæ claſſisque virtutis. Vel intenſus, vel diuturnus, vel conjunctus Sacramento, aut ſacrificio, aut mortificationi ſenſuum, gulæ, affectuum honoris, opinionis, voluntatis, judicii, &c.

Et quia quandoque actus vitioſi, non poſſunt rationabiliter atque commodè ſuppleri, oppoſitis directè actibus virtutum, hos ergo ſatis erit, vel pœnitudine interna, vel etiam externa, itemque propoſito emendationis, vel aliquo diverſo actu bono ſupplere. Porro revocando hoc etiam examen ad communem & debitam formam; ea hæc eſſe poterit.

PUNCTUM I. Continebit Gratiarum actionem pro Beneficiis.

PUNCTUM II. Continebit Petitionem Luminis.

PUNCTUM III. Continebit Reflexionem diligentem ſuper ſequentia Capita.

1. Videbis an feceris omnes actiones, quas ordinariè, ex curſu, & uſu vitæ ſtatusque tui facere ſoles, ac debes, ſi quam non feceris ſupplebis ſtatim.

2. An feceris eas modo, intentione, puritate, diligentiâ, loco, tempore, attemperatione juxta regulas communes aut privatas tuas; ſi inveneris aliquid omiſſum ſupplebile, ſupple ſtatim, aut ſupplendum in fine, reſerva, & adnota. Hîc proderit habere ob oculos ordinem temporum & actionum, & obſervationum in actionibus ſervandarum, in quibus rebus, majorem minoremque experietur diffi-

culta-

cultatem is, qui in ordinaria vita ſua, majorem aut minorem præſentiam ad ſe, recollectionemque inter agendum & diligentiam ordinationemque adhibet, qui verò nullam adhibet, is hæc, quæ proponimus examinanda nunc, nec intelliget quidem.

3. In Particulari deſpicies opera tua directè ſpectantia Deum, ut ſunt orationes, Sacra, horæ Canonicæ, elevationes mentis ad Deum, jaculatorii affectus, præſentis Dei memoria. Item ſpectantia te ipſum, ut eſt præſentia ad te, dominiumque tui, ordo vitæ, actio veſtiendi, lavandi, edendi, inambulandi, officium exequendi. Item ſpectantia ſuperiorem, ut ſunt, obedientia ad punctum cùm conformitate voluntatis judiciique, cùm recognitione Perſonæ Chriſti & Dei, amor, reverentia, defenſio, apud te, apud alios ejus authoritatis. Nomine ſuperioris, intellige Perſonam vivam, legem ſcriptam, vitam communem, pulſus etiam campanæ. Item ſpectantia ad parem, ut ſunt exemplum, ſuſtinentia morum, charitatis exhibitio mutua, devitatio eorum in te, quibus gravis eſſe poſſis alteri, &c. Item ſpectantia ſubditum ut ſunt cura, diſciplina, regimen, proviſio neceſſariorum, exceptio benigna, ultronea oblatio rerum, illi vel neceſſariarum, vel deſideratarum, monitio in tempore, correptio & pœna benigna. Item ſpectantia officium, externos, communitatem.

4. Adhuc magis in Particulari videbis præſentiam tui ad te ipſum, ad Deum, ad rationem, item electionis deliberationis, præviſioniſque, præmiſſionem ante opera. Vigilantiam rationis ſuper te, inter operandum, & ſuper conſcientiam monentem, & ſuggerentem aliquid; ut ſuper circumſtantias, ac rationes, ex quibus poſſit opus gratius ingratiuſque Deo reddi.

5. Videbis uſum, amorem, conatum, frequentationem rationis meditationiſq;, ſuperationem laboris in ea. Item uſum elevationis mentis, & ejaculatoriarum, an fuerint, an crebræ, an ignitæ, an diſtractâ, & ad aliud attentâ mente. an verò tantisper confidente, & conquieſcente, perque quietem ad Deum totaliter aſſurgente, & igneſcente, an verò frigidè, raptim, feſtinè, non ex propoſito, ſed ſolius quaſi cerimoniæ, & expeditionis gratiâ.

6. Vide uſum Linguæ, quando, cum quo, quid, ſeu de quo dictum, quomodo, affectus pondere, quo reſpectu, an ſuo, & commodo, tempore, ſalvâ communi diſciplinâ, eſto de neceſſariis, ſed differibilibus, in ordinatius tempus.

7. Vide cultum, amorem, apprétiationemque ſilentii, etiam interni, etiam tecum, etiam in ſtrepitu, cantu.

8. Vide gulæ dominium refrenationemque in quantitate, in modo ſumendi, in mora ſumendi, & repreſſione appetitus per moram, in uſu obſervationum.

9. Vide opera naturæ, commoditates, illi naturaliter, inadvertenterque indultas, ex ſola ejus exigentia, atque has vel ſtatim, vel poſt paulò, aſperitate & incommodo expia.

10. Anticipationem, vel punctuationem in ordine temporum, & actionum vide.

11. Vide ſpem in Deum, negligentiamque in ejus Providentiam, & curam ſive tui. tuarumque rerum, maximè corporalium & officialium, immò & ſpiritualium (ſalvâ tamen tua cooperatione, ſed excluſâ in cooperationem induſtriamque tuam, fiduciâ) ſive aliarum omnium rerum in toto mundo, Eccleſia, Regno, Provinciâ, Domo.

12. Vide dilationes, vel anticipationes inordinatas, in ſpem compenſationis.

13. Vide cogitationem de futuris, contra puritatem Reſignationis.

14. Vide imaginationes, & apprehenſiones, præcipuè melancholicas, & amaras, dialogiſmos etiam mentis, & concurſus imaginarios, cum his, vel illis perſonis, in his vel illis occaſionibus, futuris, vel quaſi futuris, itemque præteritis, & jam lapſis, nec corrigibilibus; qui dialogiſmi turbant mentem, orationem, furantur tempus, radicant in animo amaritudinem vitioſam, & habitum relinquunt odii, contra Perſonas, paratumque faciunt ad carpendum, ad obloquendum, ad increpandum, ad contemnendum.

15. Vide Propoſita, conſuetudineſq; annuas, menſtruas, hebdomadarias, diurnas, actionum, occupationum, an ſervatæ, omiſſæ, cur?

16. Vide uſum ſenſuum externorum membrorumque inutilem, naturalem, otioſum, præcipue tactus, & oculorum, itemque geſtuum, & motus.

17. Convictum communem cum æquali, inferiore, majore, charitatem fraternam, læſam non ſarcitam, non impenſam, ſarciendam, neglectam exhibere.

20. Vide exempla vitæ communis in publicum danda, non data à te, cum damno ædificationis.

19. Vide, Respectus ad te ipsum ad tua commoda, sensa, honorem, potestatem, labores, merita, in hunc, in communitatem, excusationes quoque tui apud te, & per te apud alios, quasi rationabiliter utaris, exigas, qualique alii id cogitent, & excusent te, apud se. Item respectus etiam ad merita supernaturalia, quæ augenda sunt quidem semper in omni actione, & agendum semper meritoriè, non tamen agendum propter merita, sed propter Dei placita, ita ut ipsum mereri, non sit propter mereri, sed propter, Deo ad gustum facere.

20. Vide opera bona quidem ex se, sed aliunde imperfecta, non finita, neglectim facta.

21. Vide respectus, timores, pudoresque humanos, ob quos facta, vel non facta aliqua.

22. Vide servitium alieno gustui, impertinenti item laudi, amori, spei, speratæ, non propter Deum.

23. Vide occultam cupidinem sentiendi, sciendique aliorum de te, & tuis, sensum.

24. Vide occultam cupidinem internam ad res, quas tamen foris prodas, non te cupere, aut cupiisse: occultam quoque molestiam, ex aliquo casu, alicujusve facto, quam tamen molestiam neges tibi inesse, cum ipsa illa à negotio, à molestia interna proficiscatur, si modo non mentiatur Iniquitas sibi & conscientiæ pupillam intueatur.

25. Vide obedientiam, ac facilitatem, ac tractabilitatem tui, ad nutum rationis hic & nunc, conscientiæ, gratiæ Dei, in quâvis occasione, & in quovis objecto, præcipue ad orandum, ad ordinem servandum, ad abstinentiam alicujus non cæpti operis, aut sermonis, vel confidentiæ cum aliquo provocantis.

26. Vide negligentiam admissam in operando, vel examinando, hoc vel alio examine, in spem & per intuitum suppletionis hoc examine futuræ, vel alio.

27. Vide, an ea quæ, præteritum tale, vel aliud examen supplenda expiandaq; dixerat, sint suppleta, quomodo?

28. Vide, an hoc ipsum individuale examen, quod nunc fecisti, vel facis, ita feceris, faciasvé, ut Deus, & ratio, & exigentia spiritus tui contenta sit usquequaque.

29. Vide usum Communionis & unionis tuæ cum Creatore, cum Ecclesia triumphante & militante, usum item meritorum & thesauri Ecclesiæ, meritorũ præcipuè Christi Domini, an in specie, an & te, & potentias, & actiones, & passiones, & objecta, & circumstantias tuas, actionumque tuarum, ac Passionum intinxeris in sanguine Christi, v.g. vestem induturus, linguâ locuturus, cibum sumpturus, &c.

PUNCTUM IV. Continebit reflexionem recapitulativam super prædictas omnes in notatis capitibus inventas negligentias, quarum inito numero, vel aliqua ratione, atque taxatione, accedendum erit ad actualem suppletionem, contrapositionem, redemptionem. Quodsi aliquid sit impedimenti justi, ob quod non liceat distinctè omnia prædicta capita excutere, fiat saltem reflexio aliqua sufficiens & justa, super vitam hodiernam v.g. & ejus natura statusque ex dictamine interioris conscientiæ mensuretur, negligentiarumque ac vitiosorum actuum copia colligatur, eadem taxetur; ac prout ratio dictaverit, contrapositione suppleatur, & redimatur.

PUNCTUM V. Continebit Propositum emendationis in futurum, quod, ut quantum fieri poterit, sit particulare, & specificum, in his aut illis certis capitibus, occasionibus, objectis, &c. danda est opera: In hoc enim maximus hujus examinis fructus consistit.

PUNCTUM VI. Continebit actualem contrapositionem, expiationemque, & quidem primò primarioque internam, deinde etiam externam, ut ab illa ad istam vis efficaciaque dimanet, fiet autem modo aliquo ex supra dictis ab initio Industriæ hujus actibus, vel æquantibus, vel quod meliùs est, superantibus numero, intensione, motivorum excellentiâ & sublimitate, numerum defectuum. Item actibus dolorificis, humilificantibus, confusivis, privantibus aliquâ commoditate. Item balneo sanguinis Christi, Pretiosissimæ Parentis, Sanctorum, totius Ecclesiæ. Item Sacrificio, & ejus fructu impetrativo, ac præsertim satisfactorio. Item resignatione quam absolutissimâ in Dei voluntatem, pro omni circumstantia & facie illius, æstimatione quoque eminentissimæ Dei Dignitatis, ac voluntatis, & charitatis, cum adjunctione omnimodæ suimet perditionis, mortificationis, expropriationis, & annihilationis.

Hoc Examen (sicut & omne aliud fermè ejusdem est ingenii) etiam negligenter factum, non potest non esse summè proficuum ad profectum in omni virtute, nec non ad permanendum coram oculis

Dei,

Dei, in gratioſitate, & immunitate ab omni debito tam culpæ quàm pœnæ, neq; facilè inveniri poterit ratio (poſt gratiam Dei, Sacramentorumque, & Sacrificii applicatione, nquam non excipi, ſed potiùs adjungi hujus Induſtriæ Examinisq; uſui volo) evitandi pœnas, ſive hujus vitæ, ſive Purgatorii, commodior, quàm iſta contrapoſitoria ſuppletio, atque tam culparum, quàm pœnarum culpis debitarum, expiatio atque redemptio.

INDUSTRIA XIII.

Ratio Examinis ſuper virtutes, & ſuper occaſiones virtutum, uſumque earum, gratiarumq; actualium, ad ipſas oblatarum.

OCcaſionum ſive ad malum, ſive ad bonum, infinita eſt multitudo, nempe ita providente Numinis æterni voluntate, ut nunquam & nuſquam nobis merendi deſit occaſio, merendi, inquam, vel per fugam victoriamque malarum occaſionum, vel per proſecutionem uſumq; occaſionum bonarum, ſive ad bonum ſeſe offerentium. Inde vita hominis appellata eſt juſtè tentatio & militia ſuper terram. Inde etiam homo ad laborem natus eſſe dicitur, ſicut avis ad volandum. Et ſanè cui bono ratione præditi, providi, memores, reflexivi, deliberativi, electivi, liberi eſſemus conditi, ſi non eſſet nobis opportunitas perpetua hiſce facultatibus, quibus ſolis ſupra bruta ſumus utêdi. Et verùm eſt quidem innumeros mortales longè ad alia ſtudia indolem iſtam ſuam convertere, juſtorum tamen virorum, atque perfectionis amatorum eſt, non vivere ad exempla naturam non ſequentium, & pervertentium, ſed potiùs obſequi naturæ ſuæ, rationique rectæ, & ejus indolem ad ea, ad quæ, à Deo condita, ipſiſque conceſſa eſt, contemplanda, perficiendaque dirigere, ac in eorum exercitatione perpetuò occupare. Hoc eſt enim ſolum, ac unum opus, cujus operandi gratiâ *Deus fecit omne genus humanum* (ut Paulus ait Act: 17.) *inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere ſcilicet Deum, ſi fortè attrectent eum, ac inveniant*, inveniant, inquam, per uſum rationis, per uſum liberi arbitrii, per diſcretionem boni & mali, turpis & honeſti, melioris & optimi, mediorum & finis, perque reprobationem eorum, quæ ſunt rectitudini inimica, per proſecutionem eorum, quæ ſunt conformia rationi & Divinæ rectitudini, regulæ, ac voluntati. Hoc ergo ut dixi hominum eſt opus, ſed hominum non *perverſorum*, qui non tantum *difficilè corriguntur*, ſed etiam facilè pervertuntur, & *per riſum malum operantur: & bibunt ſicut aquam iniquitatem, dicuntq;* inſuper, *bonum malum, & malum bonum*, ac Deo reſpondent; *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Vanus enim eſt qui ſervit Deo.* Non horum, inquam, eſt hoc opus, ſed illorum, qui *pulchritudinis ſtudium habent*, qui amant & faciunt veritatem, qui *eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quorum voluntas in lege Domini die ac nocte, quorum ratio lex æterna. Qui diligunt mandata Dei ſuper aurum & topazion, ſuper mel & favum*, &c. Horum eſt hoc opus, omnem occaſionem mali vel declinare, vel ſuperare, omnem occaſionem boni arripere, & uſurpare. Ad hoc facit Induſtria præſens aliqua ex parte, quæ præſcribit rationem Examinis ſuper occaſiones, ſuperq; uſum occaſionum, quæ ſeſe ubique offerunt, ac præcipuè in quotidianis actionibus, & eventibus noſtris, ad exercendas virtutes, ſimulque ad effugiendas imperfectiones. Examinis porrò hujus Partes & Puncta hæc erunt.

PUNCTUM I. Continebit Gratiarum actionem Deo pro gratiis actualibus, pro auxiliis, pro occaſionibus, mente, ore, opere, bene, ac virtuosè agendi, tibi ab ipſo gratiarum fonte liberaliter conceſſis.

PUNCTUM II. Continebit Petitionem magni & efficacis Luminis, ad cognoſcendas, datas a Deo, neglectas, vel etiam uſurpatas, a te, virtutum, & proficiendi in eis occaſiones, atque gratias actuales.

PUNCTUM III. Continebit inſpectionem variorum Capitum, in quibus Gratiæ, inſpirationes, virtutum exercendarum occaſiones, vel eſſe communiter ſolere experimur, vel re ipſa fuerunt, vel niſi ex nobis impedimentum culpabile fuiſſet, futuræ erant.

PRIMUM CAPUT quotidianorum ordinariorum operum diurnorum, uti ſunt; ſurgere, orare, Sacrum dicere, vel audire, ſtudere, preces canonicas dicere, cibum ſumere, officium ſuum quodcunq; illud eſt, exequi, &c. quæ omnia ſunt & ipſæ occaſiones virtutum, & in ſeſe eas continent, ſeu eas ſubminiſtrant, tum naturâ ſuâ illas requirendo, tum etiam ex noſtra voluntate adjunctas quaſi perferendo,

rendo, & ex earum adjunctione, gratiam pondusque & efficaciam recipiendi.

2. CAPUT erit operum extraordinariorum, quæ nimirum nec quotidie, nec certis esto extra ordinē diebus eveniunt, aut fiunt, incidunt tamen, ut fieri debeant, nec prævideri possunt à nobis futura: sed ab occasionibus quasi fortuitò venientibus provocamur ad opera competentia, in quibus eodem modo occasiones sunt virtutum cum quibus exerceri possunt aut debent. Quas extraordinarias occasiones operum, (esto prævideri in particulari non possint) tamen expedit prævidere in genere, vel etiam specie, & sic prævisis regulas præparatas habere, juxta quas parati simus eas agere, si se sors obtulerit: hæc enim prævisio & preparatio, multæ facilitatis erit mater, multas imprudentias præpediet, multas rectitudines actionesque universas causabit; hujus autem defectu, secus omnia evenient.

3. CAPUT est operum ordinariorum quidem, sed nō diuturnorum, seu non quotidianorum, talium tamen quæ certis diebus ordinarie aguntur: ut sunt; confiteri de peccatis, Eucharistiam sumere, externam mortificationem, privatim, vel publicè facere, officium aliquod in triclinio, culinâ, alibique operari, concioni, exhortationi interesse, visitare aliqua loca, vel personas, &c. In quibus etiam peragendis operibus, occurrunt multæ virtutum occasiones exercendarum.

4. CAPUT est operum Irregularium, quæ ideò irregularia voco, quòd ex communissimo etiam perfectorum usu agendi, sine regula rationis fiant, nedum fiant ex regula supernaturali, ut sunt; ad strepitum, vel ingressum alicujus convertere oculos, ad pruritum corporis, vel morsum pulicis manum fricaturam convertere, ad objectum insolens in risum ora solvere, inter loquendum cum aliquo, motare manus, digitos, aliquid manu versare &c. hæc opera regulam ordinariè non habent, immò humanæ fragilitatis fere non est, omnibus regulam rationis, aut fidei adjungere, attamen qui passiones serio domitas habent, multa ex his vel resecare, vel advertentiæ subdere, ut legimus in Sanctorum gestis, possunt.

5. CAPUT est operum assumptorum sponte ab aliquo, quæ respectu aliorum non sunt communia, respectu hujus qui assumpsit ea sibi agenda, sunt ordinaria, substrata tamen communibus, & disciplinæ communi, & per se aut bona, aut saltem non mala sunt, talia sunt certi generis opera corporalia, & exercitia in diem fieri solita ab aliquo; item certarum precum vocalium oratio, officium de Cōceptione, Passione, Sancto aliquo &c. visitatio infirmi domestici.

6. CAPUT est operum ab aliis vel impeditis, vel negligentibus, vel absentibus derelictorum, vel certè ad petitionem alterius &c. Vel certè nulli prorsus ab obedientia injunctorum, talia sunt; infirmorum, absentiumque officia supplere, in servitio ad mensam, in culina, in purgando cubiculo, vel loco aliquo publico, Sacro servire pro alio, supplere pro alio concionem, catechismum, confessionem, assumere viliora, ab aliis prætérita, in vestitu, cibo, lecto, libro, cubiculo, petentem se juvari, vel pro se suppleri, facilè audire, & juvare, immò spontè operam offerre, tempora vacua suffurari, & Deo, orationi, lectioni, actibus piis dare, alium in ministrando tibi officio negligentem, incurium, incommodumvè sustinere, neque de eo queri apud ullum, præsertim qui punire possit, nisi aliud justa ratio exigat, defectus alienos leviores si tibi imputentur, super te suscipere, nec sese purgando alium authorem vulgare.

7. CAPUT est operum ejus virtutis propriorum, quam quis ad exercendum propositam habet, tam externis, quā internis, iisque variis actibus: quos menstruæ virtutis actus, non solùm ita facere oportet, ut scilicet omnia ordinaria hujus temporis, aut mensis opera fiant ex intentione hujus virtutis, sed insuper opus est, ut actus, proprii hujus virtutis, per omnes dies mensis fiant certis vicibus, certis temporibus, certo numero.

8. CAPUT est propriarum consuetudinum, (multòque magis ex usu communis vitæ servari solitarum) in operibus servandarum, ut sunt consuetudines surgendi, edendi, studendi &c. In his ac similibus operibus occasiones sunt plurimarum virtutum, sunt etiam ordinariè occasiones, ac seminaria inspirationum, & gratiarum actualium, quas examine isto oportet expendere, an sint exercitæ. & in effectum deductæ, & quidem quod ad virtutum occasiones attinet, prima ratio habenda est Obedientiæ, communis vitæ ac disciplinæ, exempli boni, charitatis Divinæ, ac fraternæ, regularum, discretionis, prudentiæ, intentionis bonæ, perseverantiæ. Deinde habenda ratio exempli Christi Domini, & doctrinæ, similque

ſinulque Pretioſiſſimæ Parentis, & Sanctorum. Poſthæc habenda ratio humiliationis, occaſionum patiendi, tàm intus quàm extra. Inſuper habenda ratio eſt perfectionis, & heroici gradus, ut ad eum opera ſeu potiùs virtutes operibus juncta deducantur v. g. ut ſit puriſſima Intentio, Præſentia Dei cum reverentia ſublimi, Charitatis ardentis, ſive Dei, ſive proximi, gradus, attentio, conatus, applicatio, diligentia fervens, fervor intenſus, devotio exercitatæ promptitudinis & exaggeratæ, oblivio ſuimet, omnisque boni, omnis ſpei, omnis meriti, omnis voluntatis & placiti, atque etiam deſignationis propriæ, reſignatio & conformitas plena, omnimoda, in Dei voluntatem, placitum, diſpoſitionemque, ſacrificatio ſui ad puritatem & totalitatem holocauſti pertingens in opere, & per opus, ut ſcilicet fiat in charitate, ex charitate, propter charitatem, cum charitate gratuita, inceſſabili. Præterea, habenda eſt ratio exercitii, ſive Virtutis menſtruæ, quam quis hoc tempore, ad exercendum, ſeſeque in ea perficiendum propoſitam habet, ut ex eadem, & cum eadem virtute opera fiant, ejuſque virtutis tum Intentio, tum actus proprii in operibus, quoad poteſt fieri, eliciantur.

Jam verò quod attinet ad gratias actuales, quarum ſeminarium experimur, magis quàm regulam ſcimus, eſſe in operibus noſtris, has quoque expedit noſſe, cognitas arripere, & vel ſtatim, vel cum commodum fuerit, effectui dare. Solent autem gratiæ eſſe aliquæ appropriatæ operibus, & proportionatæ, aliquæ nihil cum operibus, vel ſaltem nihil cum iſtis operibus commune habentes; utraſque viri pii debent maximè æſtimare. Interim tamen, primarum curam & examen in præſenti ſuademus, neglectumque ſummè damnoſum dicimus. Videbit ergo ſpiritualis homo, quas in unoquoque opere ſuæ vitæ habere ſoleat inſpirationes, illuminationes, exercitationes, permotiones, dictamina, ſtimulos, oblectationes, propoſitiones, & quaſi pellectiones, timores item deterritionemque, ac remorſus. Item impulſus vel avocationes, uti ſunt v. g. in actione ſurgendi; Surge ad punctum temporis, ne trahe moras. primitias cogitationum Deo fac, actus conſuetos elice, modo conſueto, &c. Itèm ad Sacrum in præparatione; Da ſufficiens tempus præparationi, fac debitam præparationem & ſolitam, hanc præparationis partem non neglige, hoc aut illud adde, impertinentia non admitte, quæ non ſunt hujus temporis, ſacerdotem agis nunc, non officialem iſtum, aut illum. Hæc & ſimilia dictamina in opere noſtro, nobis occurrunt, ſi modò non ponimus impedimentum ne occurrant. Impedimenta porro ponimus variis modis, v. g. effuſione ad extranea, inordinatione vitæ, feſtinatione, & anguſtiis temporis, regularum neglectu, quotidianis peccatis venialibus, & quidem gravioribus, tepore animi, neglectu inſpirationum, vel in ſimilibus aliis occaſionibus, vel in aliis deſuetudine diligentiæ. Item quæſitione ſui, in rebus & operibus, infidelitate ad Deum, ingratitudine, rebellione conſcientiæ, luminis & veritatis. Affectu impotenti & perturbato, præcipuè cupiditate, iracundiâ, amaritudine, averſione animi, impatientiâ, recenti curâ & ſollicitudine impreſsâ apprehenſioni aut certè urgenti, in qua non moderamur animum. Taceo peccata mortalia, quæ in juſtis locum non habent, præcipuè proficientibus. Super hæc impedimenta examen faciendum eſt, & ſuper gratias quæ hominibus ordinariè dantur, ſi impedimenta nō ponant; faciendum, inquam, eſt, an fuerint? quæ? quot? quàm potentes & urgentes gratiæ? quàm citò notatæ ſunt? quàm promptè obeditum ſit iis? cur non obeditum? cur (ſi non fuerunt) non fuerunt? quæ? & quare impedimenta ſint data?

PUNCTUM IV. Continebit dolorem de negligentiis à te commiſſis, itē eorum ſuppletionem. Continebit actionem gratiarum, pro gratiis & occaſionibus, & uſu earum.

PUNCTUM V. Continebit emēdationem in aliquo particulari Puncto, veniam petet, petet quoque lumen in intellectu, & efficaciam in affectu, & delectationem ex utroque ut conſequatur efficax uſus occaſionum bonarum & gratiarum, & profectus in exercitio virtutum.

Hæc Induſtria atque Examen per illam traditum, pluribus Induſtriis & examinibus æquivalet, proinde & magni æſtimandum, & uſus ejus familiaris valdè habendus eſt, præcipuè proficientibus, & ad perfectionem perfectionis adſpirantibus.

INDUSTRIA XIV.

Ratio Examinis Conſcientiæ, ſuper gra-

tias, lumina, dictamina, veritatesq́ nobis à Deo communicatas.

IN superiori Industria, duplicium gratiarum feci mentionem, quarum aliquæ dantur a Deo tempore operum, appropriatæque sunt ipsis operibus, quædam verò dantur, quasi promiscuè, non appropriatæ ad tempora, & opera, in quibus dantur, sed tamen utiliter dantur, quia illarum usus potest esse in operibus nostris. Harum gratiarum utræque plerumque actuales esse solent, nihilominùs utræque videntur posse etiam, ac solere fieri habituales: experimur quippe habitualiter illa lumina atque dictamina, & stimulos motusve in nobis permanere, qui datis competentibus occasionibus illicò in opus & actum procedunt. Quidquid tamen sit de hoc, priorum gratiarum examen unà cum occasionibus virtutum, superiùs expositum est. Hâc præsenti Industriâ exponitur ratio examinis posteriorum gratiarum, sive illæ vocandæ sunt actuales tantùm, sive etiam habituales, quod ego mallem. Quam rationem antequam exponam; adverto primum aliqua, tam his, quàm aliis etiam gratiis, sive donis Dei in nobis convenientia.

Et quidem inprimis noto illud, quòd duplicia sint dona Dei, esto ordinis supernaturalis, in nobis: quædam sunt gratum facientia, perfectumque coram Deo eum in quo sunt: alia sunt veluti gratis data, quæ hominem habentem non faciunt per sese Deo gratum, aut sanctum, possent tamen eum promovere multùm ad hoc, si accederet donorum illorum usus bonus, practicus, in bonum ipsius habentis. Aut certè ita dicamus. Duplices homines solent reperiri spirituales, gratiis donisque Dei præditi, quidam qui donis, gratiis, luminibusque ac veritatibus à Deo sic illuminantur, ut illis & alios possint instruere, & ipsi instructi quoque fiant, ac in sanctitate virtutibusque practicè coram Deo proficiant; quidam autem, qui gratiis ac donis Dei illuminantur præclarè, & crebrò, sed non sibi ipsis verùm aliis; qui nempe abundant convictionibus, luminibus, doctrinis, dictaminibus, spiritualibus solidis, possunt ac solent ea aliis tradere, eosque per illa convincere, immò & inflammare, ac ad detestationem vitiorum, ad exercitium virtutum, ad sensuum victoriam, ad periculorum, & scopulorum imminentium declinationem summa cū dexteritate, ac discretione spirituali deducere ad fastigiumque perfectionis evehere. Possunt item ac solent ex principiis practicis, conclusiones practicas deducere spirituales, possunt similitudinibus sententiis verbisque cum quodam lumine, cumque energia, aliis abstrusas veritates, ac sublimes, explanare, quibus tamen ipsis, à semet scitis, in suæ animæ bonum, profectumque vel nihil, vel rarò parumque utuntur: consequenterque, parum aut etiam nihil perficiuntur: non tàm gratiarum, & donorum Dei vitio, quæ perinde habentem ipsum, atque illos quibus ab habente traduntur, perficere apta sunt, atque promovere in bono, quā ipsius habentis ignaviā, irreflexione ad aliquid sensuale, aut creatum adhæsione, mentis teneritudine, ac mollitie, aut insolitā ad aliquid pravum consuetudine.

Quod cum valdè intolerabile esse debeat homini talibus donis prædito (est enim valdè periculosum, & nullam, apud conscientiam, Deumque excusationem promittit, immò pœnas potius habenti talia dona exaggerat juxta illud; servus sciens & non faciens voluntatem Domini sui plagis vapulabit multis. Item; Medice cura te ipsum. Item, qui alios doces te ipsum non doces. Item, ex ore tuo te judico serve nequam) ideò qui talis est (& tales credo esse non paucos, aliorum in spiritu duces, & magistros, item concionatores, confessarios &c.) rectè meo judicio, hac Industriā præsenti utetur, in qua ratio examinandi sese, ex talibus donis gratiisque traditur, aliaque genera & capita talium gratiarum, & donorum innuuntur. Cujus examinis is scopus est, ut quis videat, quibus & quantis luminibus, veritatibusque abundet in vita spirituali, quæ speculativè & magni æstimat, & aliis tanquam talia tradit, praximque earum suadet, immò exigit, & interim quomodo practicè easdem in ordine ad sese possideat, hoc est, quomodo, quam accurratè ipsemet in suā quotidianā vitā iisdem utatur, ex iisque proficiat, ac melior & sanctior fiat & cur non fiat, aut cur non proportionatè suis luminibus fiat? Cur quod alios docet, quod aliis nō solùm factibile, sed etiam faciendum proponit, immò ut dixi etiā cū potestate exigit, cur, quod verbo, non etiam facto proprio factibile ostendat?

His jam Præmissis non erit difficilè Examinis rationem tradere, præsenti materiæ accommodatam. Itaque.

PUNCTUM I. Continebit gratiarum

rum actionem pro donis omnis generis, à Divina manu collatis, potiſſimùm autem pro illuminativis, & veritatibus, quibus homo poſſet practicè utendo promoveri in ſanctitate, & perfectione, & gratia apud Deum.

PUNCTUM II. Continebit Poſtulationem Luminis à Deo, ut poſſit efficaciter, atque fructuosè penetrare, quomodo Luminibus, veritatibus, dictaminibusq; ſuis ſoleat ipſe in ſuum bonum uti, an adæquet affectu, & effectu, Lumen cum Intellectu?

PUNCTUM III. Continebit Perpenſionem eorum donorum quænam habeat? quanta? quomodo iis utatur? an adæquatè? cur non? Et primò quidem diſpiciet communia illa, & quæ ex vi ſtatus, atque cum gratia vocationis v. g. Religioſæ, Sacerdotalis, taliſque gradus in Religione, in Sacerdotio, in Eccleſia, in Chriſtianiſmo habet, quæ longùm eſſet hoc loco recenſere, attingam eorum aliqua tantùm, quæ ſunt in Societate communia omnibus, talia igitur dona ego puto eſſe.

1. Exercitia ſpiritualia Sancti Patris IGNATII, cum omnibus in eo libello, ſancti Fundatoris contentis, ab eoque inibi traditis.

2. Conſtitutiones, ac Regulas, tàm communes omnibus, quàm proprias officiis: quot enim Regulæ ſunt, tot omninò Lumina: atque his adjungo reliquas Inſtituti partes explicatrices. Et cùm Regulæ ſint partus, poſt Deum, tot tantorumque virorum, prudentium, experientiâ à Deo illuminatorum, qui eas invenerunt, condiderunt, probarunt, confirmarunt, &c. omnium eorum Lumina, & prudentias, & experientias, regulis, conſtitutionibus, ordinationibuſque ineſſe putandum eſt: Quot ergo in uniusRegulæ lumine Lumina latebunt? Quanta ergo incuria, vel injuria eſt Deo ac hominibus, non uti Regularum Luminibus? hoc eſt non vivere ſecundùm normam Regularum?

3. Examinis tam Generalis, quàm Particularis, quotidianus, & quidem repetitus uſus.

4. Meditationis ſive Orationis reflexivæ uſus, hæc enim fere aliud nihil eſt, quàm quotidiana convictio animi noſtri per Lumina, dictamina, veritateſque, deſumptas ex verbis, exempliſque Chriſti, Sanctorum, Regularum, &c. adjectis ſimul affectibus, propoſitis, poſtulationibus.

5. Manifeſtatio Conſcientiæ ſuis Superioribus, Patribuſque ſpiritualibus, quæ & ipſa eſt ſimiliter eminentiſſimum dictamen, & præterea Mater dictaminũ, atque illuminationum.

6. Renovatio Spiritûs. 7. Collectiones.

8. Confeſſiones generales, ſive illæ ſint annuæ, ſive ſemeſtres ſive etiam ut apud pleroſque in uſu eſt, menſtruæ.

9. Addi his poſſunt colloquia mutua ſpiritualia, lectioneſque ſpirituales, ſive quæ ex libris lectis, ſive ex concionibus, exhortationibuſque domeſticis hauriuntur, in quibus nos & illuminari, & etiam inflammari, quotidianâ experientiâ certum eſt.

10. Addo hic etiam noſtras, quas aliis domeſticis, vel extraneis damus, ſive dandas paramus inſtructiones, doctrinas, veritateſque in confeſſionibus, concionibuſque. exhortationibus, conſiliis, directionibus, quas impoſſibile eſt nobis ipſis non eſſe utiles, neque ſtare cum Lumine, in mente noſtra frequenter, & non accendi ad eadem, vel ſimilia, proportionataque noſtro ſtatui, & gradui perficienda.

Hæc omnia & ipſa Lumina ſunt & Luminum nidi atque fontes, in his ergò diſpiciat ſeſe quiſque & videat, *quem uſum eorum habeat? quem ex eis fructum capiat? an majorem poſſit? cur non? cur alii longe majorem percipiant? & quidem ipſo forſan docente, ipſo urgente, ipſo exigente.* Certè hæc talia ſunt, ut eorum pleraque, etiam ſingula, ſi in aliis ſtatibus eſſent, apta eſſent facere plurimos in illis ſtatibus, vitæque generibus, Sanctos, quæ tamen aliquando, etiamſi conjuncta ſimul, immò multis aliis exaggerata in nobis, non eum faciunt ſanctitatis, & perfectionis fructum, quem deberent, & naturâ ſuâ poſſent, non alio quàm noſtræ propriæ deſidiæ incuriæque vitio.

Deinde verò diſpiciet, qui hoc Examine utetur, dona ſua, ſibique appropriata, & ſpecialiter à Deo ſive immediatâ illuminatione, ſive mediante alterius, vel libri lectione, vel exhortatione, vel colloquio familiari, vel inſtructione, vel exempli conſpectu, audituve, ſive quocunque tandem alio modo intimata. Quæ dona, difficilè eſt ad certa capita revocare, cùm in unoquoque ea habente, ſint ut plurimum alia, atque alia; quodſi etiam ſunt uni cum aliis communia, eò quòd illa ſimul cum ipſo ab uno aliquo hauſerint plures, legerintque, tamen & hæc ipſa, aliter ferè cum alio, cum alio, inquam, lu-

minis gradu sunt in singulis, & adhuc magnam patiuntur disparitatem numeri gradus, &c. nam quod uni hæsit, alterum nihil movit, quod istum rapuit, alter nec advertit, quod huic heri non hæsit, hoc alia occasione inhæsit. Immò contingit, ut aliquis aliquo Lumine audito motus sit, & regatur, nec tamen advertat se eo uti aut regi, nisi alio vel monente, vel aliter in eo sese reflexione advertentiaque excitante. Si tamen aliqua capita ejus rei saltem possibilia, & solita interdum accidere, sunt proponenda, sint hæc ad minimum non veritatis, sed exempli gratia posita.

1. Ergo dispiciat in se spiritum, quo agitari solet frequenter, aut libenter, de quo genere materiæ ac veritatis, meditari, loqui, legere, scribere, audire appetit, & consuevit. Quæ aliis libenter proponit, & suadet, ad quæ tanquam Principia, aut certè ad magni momenti documenta, præceptaque, tum sese ipse, tùm alios, quos monet, docet, informat, revocare in more habet. Videmus quippè in Viris sanctis, & in eorum gestis legimus, quòd ordinariè vel ad unum, vel ad pauca, certè ad aliqua certa capita Principiaque vitæ suæ totam seriem, omnesque virtutes reduxerint, alii ad Humilitatem, alii ad Paupertatem, alii ad Zelum animarum, alii ad opera Charitatis proximi externa, alii ad alia. Observamus item in Scriptoribus rerum Spiritualium ab eis omnes quas tradunt doctrinas, ad certa fundamenta reduci, ex iisq; tanquam fontibus derivari, ita alii ad notitiam sui, alii ad imitationem Christi, alii ad Præsentiam Dei, alii ad Orationis usū, & contemplationis, alii ad Resignationem, sive conformitatem cum Dei voluntate, alii ad alia capita revocant omnia. Hæc ergo quisque in sese dispiciat, & quibus circa hæc Luminibus abundet, cognoscat, quomodoque iis ipse in suum usum & profectum utatur, expendat.

2. Dispiciat quæ peculiariter vitia vel oderit, vel odienda judicet, aliisque odienda fugiendaque proponat, hoc enim ordinariè ex & cum Lumine fieri singulari aliquo solet. Ita alii gulam, alii Impuritatem, alii linguositatem, alii suspiciositatem, alii amorem propium, alii superbiam, alii vanam gloriam, alii tepiditatem, alii profunditatem, seu occultationem sui cordis, alii privatam familiaritatem, alii alia plura, paucioraque insectari solent, & fugienda suadent, habentque circa hæc nova & nova semper Lumina, novosque ac efficaces, proponendi, ac promovendi modos. Hic ergo videbit qui se examinat, quomodo ipsemet hæc, & similia vitia fugiat, quàm sit ab iis ipse remotus, usu ipso vivendi, non solùm de eis loquendi.

3. Dispiciat quas specialiter virtutes amet, quasque principaliter æstimet, & quas principales putet, aut in quibus principaliter excellere, tum se ipsum, tum alios velit, quasque cum gustu aliis, & efficaciâ proponat. vel quarum ab aliis exercitium exigit. Atque simul videat quomodo ipse in eis proficiat, excellat; sese exerceat, cur negligat?

4. Dispiciat suas Consuetudines, atq; Exercitationes, quas sive olim, sive nuper notavit, æstimavit, exercuit, aut etiā exercet adhuc, ex quibus sese in spiritu multùm, tam se ipsum, quàm alios promovisse meminit, in quibusque plurimum momenti esse positum novit, ac aliis hoc efficaciter illuminatèque proponere solet. Talia exercitia apud alios pauciora, apud alios plura, apud alios alia, apud alios eadem, sed in diverso luminis gradu. Sic v. g. aliquos delectat, & promovet in spiritu, amor voluntatis Divinæ, cum eaque conformatio, desponsatio, resignatio: aliquos delectat Divinæ Providentiæ in minimis suavis occursus, & omnium in bonum deductio. Alios Sapientiæ Æternæ gustus, & amor, & contuitus, & cum Salomone eam sibi Sponsam assumendi desiderium. Alii satiari non possunt Charitatis, Bonitatis, ac miserationis Divinæ recogitatione, & amore. Alios Præsentia, & Reverentia Majestatis Divinæ afficit. Aliis præ omnibus hęret Dignitas & Eminentia Dei, cui sese devovere in omnibus, præferunt omnibus. Alii gustum Dei explere ubique cupiunt. Alii ad majorem Dei gloriam omnia facere, omnium loco habent. Alii nutricem omnium (ut Sapiens vocat) Gratiam, tanquam infantuli complectuntur. Alios Incarnatæ Sapientiæ Incarnatio, & amor tenet, & in his alii ad alia vitæ, factorum, dolorum, doctrinarumque mysteria afficiuntur singulariùs. Alii in Pretiosissimæ Dei Hominumque Parentis, amorem, ac servitutem mancipalem, filialem, hæreditariam, sponsalem, effusi sunt. Alii Sanctorum vel omnibus vel certis ordinibus, personisque mirè afficiuntur. Alii in Miseratione super animas Purgatorii excellere laborant. Alii Religionis suæ, Fratrumque mancipia ultima esse desiderant, inque eo spiritu exer-

cere se atque perficere laborant. Alii vitæ Reflexivæ, Examinibusque ac recollectionibus menstruis, hebdomadariis, diurnis, horariis, & frequentioribus addicti sunt, & per hoc proficiunt, vel proficiendum suadent. Alii observationi temporum, actionum ordinariarum, minimorum, exactè plurimùm, se impendere volunt, & alios docent, scilicet ordinaria facere omnia, nihil tamen ordinariè. Alii vitam communem sectari amant. Alii nihil nisi planè necessarium retinere. Alii, Præsentiâ, & dominio sui delectatur: Alii præmeditatè, ex electione, ex voluntate agere, magnum putant perfectionis adjumentum. Alii ubique notitiam & vilificationem sui quærunt. Alii moneri, reprehendi, censurari, pro stultis haberi amant, & cupiunt. Alii honorem proprium, & famam Deo in holocaustum, omnibus creaturis in dominium dant. Alii meditatione, vel potiùs præmeditatione mortis practicâ ducuntur. Alii respectuum, censurarum, linguarum, judiciorum, laudum, contemptum, inter magna ponunt. Alii illud Augustini inculcant. O amare! ô ire! ô sibi perire! & ad Deum pervenire! Alii amorem veritatis, servitiumque rationis, unicè æstimant. Alii unitionem suorum cum Christi Sanctorumque meritis. Alii amorem inimicorum, & condonationem injuriarum cordialem. Alii observationem Luminum, & arreptionem, atque praxim. Alii devotionem, seu cultum Sanctissimi Sacramenti diligenter cõmendant. Alii cupiunt sine obligatione culpæ & pœnæ, coram Deo immaculatè vivere. Alii toti sunt in afflictione sui, tam interna, quã externa, crucisque omnimodæ amore, & desiderio. Alii in more habent, quotidie animam suam in sanguine Christi, vel justitiæ Divinæ balneo abluere. Alii in vulneribus Christi, vel Iesu doloribus libenter commorantur. Alii in defectuum quotidianorum, tam suorum, quàm creaturarum omnium suppletione. Alii in spiritu mendicationis omnium à Deo. Alii in gratitudine, atque gratiarum actione. Alii in æstimatione, ac cultu vocationis propriæ ad Religionem. Alii in Zelo animarum toti sunt. Denique alii aliis spiritibus (ut ita loquar) aguntur, exercitiisque afficiuntur, pluribus paucioribus, prout gratia Divina sese illis communicat, illi verò sese gratiæ Divinæ aptos, & capaces reddunt. Ex his ergo aut aliquibus horum capitum sese ex aminabit Vir spiritualis; videbitque; an in vacuum gratiam Dei accipiat? An qui alios docet, se ipsum doceat? An sanctitatem practicam habeat? an intellectum affectu assequatur? An dicat & faciat? an priùs ipse faciat quod alios docturus est? An non efficiatur sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, cumque aliis prædicaverit, ipse reprobus fiat? an docendo, & non faciendo, non Deum doceat, quomodo illum judicare debeat?

PUNCTUM 4. Continebit dolorem, & confusionem efficacem, timoremque confixivum judiciorum Dei, quando Deus talenta sua & bona requiret, cum fructu & usurâ: sanè mirificus esse debebit pudor iis, qui cum fortè sunt modo aliorum in spiritu efficaces, & accurati Magistri, atque felices Promotores, ac Duces, exactique profectûs in spiritu, & perfectione à filiis suis, discipulisque spiritualibus, exactores: tamen in illo sæculo, invenientur propter suam ignaviam & teporem aliasve faciles causas, longè inferiores suis in spiritu discipulis, inferiores inquam in gratia Sanctificante, in meritis, in gloria. Cujus timoris considerationem existimo non uni spirituali Magistro, & Patri, esse necessariam, & fore utilissimam, si eâ uti voluerit expenderitque illud apud se; Comederunt alieni robur ejus, & ignoravit.

PUNCTUM V. Continebit Propositum forte, atque efficax, & resolutum, emendationis scilicet practicæ, quærendæ Sanctitatis, & Luminum cognitorum in praxim reducendorum. Continebit etiam Postulationem diligentem à Deo, ut ille det gratiam faciendi, parem gratiæ sciendi, ut non minus faciamus, quàm faciendum sciamus. Immò ut nihil det nobis faciendum scire, quod non debemus re ipsâ, culpabilem ob causam ex parte nostra, facere. Hoc enim videtur sonare illud Sapientis postulatum; Domine divitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria. Et extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi & desiderium (sterile ac inefficax) averte à me. Item illud Apostolicum; Scientia inflat, charitas ædificat: Scientia enim si tantùm sciat, revera inflat, quia superbiendi ansam conflat. Item illud; qui addit scientiam addit dolorem: nam qui cognoscit facienda & non facit, hic sibi exaggerat tantò magis pœnam, quantò magis inexcusabilem reddit suam culpam, certiorem autem damnationem, & gehennam. Orandus ergo est Deus, ut quæ sunt facienda sciamus,

Eccl: 23.

mus, quæ scimus faciamus, veniatque super nos illa beatitudo Christi dicentis. *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.*

INDUSTRIA XV.
In horas esse vivendum, & ratio horarii Examinis.

INtegerrimus nostræ Societatis Frater, Joannes Berchmans, inter moralia sua placita, atque animi decreta, quæ sibi observanda præscripserat, valdè præclara, & spiritualis Prudentiæ plena, habet etiã hoc unum positum num: 5. *Vivam in dies, & horas, nihil solicitus de crastino.* Quod dictum atque propositum, etsi in vulgari hominum sensu, possit, & soleat, ad potui assuetos trahi, ad eos scilicet, quorum Deus venter est, qui animales sunt, & terrena sapiunt, quique æternum nihil cogitant, sed de die in diem vivunt, & dicterium illud in ore habent. Edamus, & bibamus: cras enim moriemur. tamen in saniore sensu est maximè viris spiritualibus usitatum, utile, & commendatum. Ita quidam Sanctorum requisitus, quã ratione fieri posset ut citò Sanctus evaderet? respondit. *Si credas te moriturum quotidie.* Alius interrogatus, quomodo assequeretur, ut bene opera sua exequeretur? respondit; *si tibi persuadeas hoc opus quod agis, esse tibi ultimum.* quo forsan respexit adductus jam noster Joannes, qui inter alterius seriei proposita hoc quoque adnotãrat. *Facere omnia tanquam si ultima forent.* Et alibi adhuc. *Nescis an ista actio tibi futura sit ultima, fac ergo eo modo, quo voles à te factam ultimam.* Iterumque alibi sic proponit. *Vivere in dies, & horas, sine solicitudine de futuris contingentibus, committendo omnia mea Providentiæ Divinæ, meisq; Superioribus.* Denique adhuc alibi. *Illud quod possum facere hac horâ, non differam ad aliam horam.* Ex quibus facilè patet, quàm hoc vivendi in horas dictamen fuerit huic commendatum. Cæterùm & ipsi Christo Domino videtur in observatione, horaria ista vita fuisse in usu, in cujus sermonibus legimus hoc frequenter; *nondum venit hora mea &, Pater venit hora mea.* &. *Propterea veni in hanc horam. Tempus meum nondum advenit, de crastino autem nolite soliciti esse Sciens IESUS quia venit hora ejus. &c.* Sed & Joannes Evangelista videtur hoc ipsum in usu habuisse, quin & nobis ut novissimæ sic & cujuslibet horæ apprehensionem commendasse, cum inculcavit. *Filioli novissima hora est.* Id ipsum in Sancto Paulo, in Jacobo, observare est. nimirùm ad profectum, fervoremque spiritualem utilissimum est, brevem sibi ab unoquoque vitæ terminum præfiniri, & singula tanquam ultima opera perficere; hoc est, nihil in eis peragendis perfectionis omittere. In hunc finem Sanctorum exercitia fuêre multiplicia: aliqui enim ut hoc exequerentur, intonabant sibi; *Bernarde, Arseni ad quid venisti?* Alii verò: *Age quod agis.* Alii. *Quod facis, fac citiùs.* Alii. *Quidquid potest manus tua operari, instanter operare, quia nec ratio, nec consilium est apud inferos, quò tu properas.* Alii quotidie se morituros non tantùm cogitabant, sed etiam moribundos exprimebant. Alii timebant dicere; cras faciemus, cras ibo, & mirabantur sic loquentes, & tam longum tempus sibi promittentes. Alii soliciti erant & facere, & suadere, vigesies & quater in dies mori, ut sic copiosè illud implerent Apostoli. *Quotidie morior.* Alii dicebant sibi, aliisque. *Oportet te morientem ducere vitam.* Alii in horas singulas intentionis renovandæ exercitio vacabant, Alii in horas singulas, rationem vitæ, operumq; à sese reposcebant, quod Sancto Patri Ignatio fuisse familiare constat. Aliqui, ut denique finem faciam enumerationi, ad horas singulas excitabant in sese fervorem illa, vel simili voce. Ego dixi nunc cœpi, & quàm perfectissimè opera sua facere proponebant, appositis, expressisq; conditionibus perfectorum operum.

Præsens ergo Industria huc spectat, tradit nempè modum exequendi opera singularum horarum, sive opera singula quàm perfectissimè, præscribitque capita spectanda in operibus, ut sint perfecta. utrumque autem hoc præstat, per quoddam exercitium, nempè per traditionem rationis faciendi Examinis in horas singulas, vel fere singulas, aut certè post opera aliqua graviora, notabiliora, diuturniora. Quæ quidem ratio hæc esse poterit.

PUNCTUM I. & II. Continebit brevissimam gratiarum actionem, luminisque petitionem, illis v.g. verbis. Benedictus Dominus Deus meus ex hoc nunc & usque in sæculum. O Lux Beatissima, reple cordis intima.

PUNCTUM III. Expendet horam elapsam, vel opus factum. 1. An sit bonum factum? 2. An benè? quòd cùm latè pateat, sciendum est, quædam in operibus nostris requiri ad hoc ut simpliciter bona sint, quædam requiri ad hoc tantùm, ut sint meliora, sive meliùs magisque bona &

na & perfecta, sive etiam perfectissima. Ut simpliciter bona sint. 1. Debent esse vel naturâ suâ, bona, vel saltem, naturâ quidem indifferentia, attamen directa ad finem simpliciter bonum. 2. debent esse ab homine in gratia posito, aut se ad gratiam saltem disponente. 3. debent esse libera, voluntaria, ex electione, & deliberatione. 4. debent esse directa ad finem non tantùm honestum, sed etiam supernaturaliter honestum, sive fide Divina notum, in quo capite simul recta Intentio includitur. 5. Debent habere circumstantias bonas, ut ex nulla vitientur, scriptum est enim. Iustè quod justum est exequeris, & iterum. Nonne si rectè offeras, non rectè autem dividas, peccasti? Hæc igitur in Examine isto vidēda erunt, an ea operibus nostris, super quæ Examen fit, adfuerunt? cur non adfuerunt?

Jam ut magis bona sive perfectissima fiant ea requirentur, & inesse debebunt operibus nostris, quæ quisque ex mente Dei, & Christi, Sanctorumque exemplo, ex interna unctione atque gratiâ, ex probatorum magistrorum spiritualium approbatione consilioque *judicabit* benè atque sanctè inesse posse. *Talia* autem sunt. 1. Intentio quàm purissima, atque defæcatissima, solius Dei bonum, id est gloriam, voluntatem, placitum, gustum, æstimationem, seu exaltationem, quàm condignissimam, respiciens. 2. Unitio actualis ardens applicativa meritorum Christi cum operibus. 3. Omnis ad proprium facientis commodum, etiam spirituale, etiam æternum, intuitûs remotio. 4. Imitatio Christi, quàm maximè expressiva ejus in opere. 5. Patientiæ humiliationisque ab opere, vel ab occasione operis dimanatio in operantem, & quidem gravis, exaggerata, vix ulli nota, fortiter, promptè, gaudenter, perseveranter, suscepta. 6. Virtutis menstruæ exercitatio, in opere vel operis occasione. 7. Observatio vel Regulæ, vel obedientiæ, vel dictaminis Prudentiæ, vel observationis privatæ ad punctum, literam &c. Hæc similiaque in Examine videnda erunt, an opera nostra habuerint?

Adhuc autem ut excellentiùs ornatiùsque perfectissima & comptissimè opera nostra sint facta, debent habere, 1. Ut sint non tantùm in charitate, aut propter charitatem, & ex charitate facta, sed etiã propter sublimem, & ex sublimi charitate facta. 2. Sacrificativè. 3. Ut affectu omnium creaturarum, omnium Sanctorum, omnium Angelorum, Pretiosissimæ Parentis, Iesu Christi Humanitatis, Sanctissimæ ipsius Trinitatis facta sint. 4. Ut non solùm opera ipsa principalia, sed etiam omnia adjuncta operibus opera, hoc est, omnium potentiarum, creaturarum, circumstantiarum adjacentium exercitia, & ad operandum aliquid concursus, eodem modo, quo ipsa opera primaria sublimentur, offeranturque divino gustui. 5. Ut per singulas operis potentiarumq; operantium, & creaturarum coöperantium circumstantiarumque atomos, placitum, gustusque Dei quæratur, & omnis alia Perfectio, sublimatioque replicetur. replicetur autem per singulas, magis ac magis majori fervore, milliesque millies majori proportione fervoris. Insuper ampliùs, & ampliùs, omnipossibiliter, dignissimè dignissimo Deo, quantùm homo dignificativus, quantùm Deus dignificabilis est. 6. Ut itidem per Singulas atomos operis, magis ac magis in millies majori proportione homo ipse vilificetur, tantùm scilicet, quantùm aut homo est vilificabilis, aut Deus per se, perque creaturas est hominis vilificativus, idq; purè gratis, sine ullo respectu, ad commodum proprium, nisi ut quantùm dignus est dignificari Deus, tantùm dignificetur, quantùm autem dignus est vilificari, & exinaniri, perdique homo, tantùm vilificetur, exinaniatur, perdatur, juxta voluntatem Dei, ad voluntatem Dei.

Hæc quoque in Examine horario, seu operum singulorum, an facta sint & adhibita, dispicienda erunt, an verò his contraria, vitiosaque admissa?

PUNCTUM IV. Continebit dolorem de Negligentia.

PUNCTUM V. Emendationem proponet. Porrò Examen hoc etsi prævio aliquo usu poterit non multum temporis absumere, tamen etiam poterit ad pauciora capita contrahi, pro cujusque arbitrio. Quin imò poterunt initio pauca de primis assumi, tum ad alia aliaque capita sensim progressus fieri.

Cæterùm extra dubitationem esse debet. Hujus Industriæ usum, hoc est hanc horariam diligentiam, atque hanc in horas vivendi, omniaque tanquam ultimæ sint horæ ultima opera, peragendi consuetudinem, & exercitationem, esse maximè ad promovendam in animo perfectionem accõmodatam, atq; efficacem, dũmodo nõ defatigemur in opere bono, sed abundemus magis, quoniam labor iste horarius est, prēmiũ verò æternitas beata est.

INDUSTRIA XVI.

Varia genera Examinum utilium ad profectum proponuntur, quæ ad normam Superiorum fieri possunt.

INdustriâ præsenti, tantùm enumerationem complectar variorum Examinum, quæ ad profectum in virtute, & ad evitationem plurimorum in vita quotidiana defectuum, plurimùm juvare spiritualem negotiatorem poterunt, si iis exercere sese voluerit. Tale est.

EXAMEN I. Super ordinem temporum & actionum diurnarum, in quo homo dispiciat, quomodo ab hora surgendi, usque ad decumbendi horam, omnes ordinate, (suppono autem ordinatas illi esse, tum à Communitate, tum ab illomet ipso) vixerit, & in occupationibus à se præscriptis traduxerit. Si quam negligentiam à se commissam perspexerit, impunitam non dimittet. Proponet emendationem, & causas inordinationis deinceps amovebit.

EXAMEN II. Super officium proprium quod quis gerit v. g. Superioris, Concionatoris, Professoris, discipuli, Janitoris, Coci, &c. &c. In eo videbit; an officii sui omnes partes plene juxta regulas officii, & Prudentiæ, juxta proposita, & observationes privatas proprias, juxta mentem Regularum quoad fieri poterit literalem, obierit, expleveritque. Atque similiter negligentiam detestabitur, corrigere proponet, pœnâ expiabit, supplebit, causas neglectûs amovebit.

EXAMEN III. Super proposita Collectionis, sive annuæ, sive semestris, sive menstruæ, sive meditationum quotidianarum, sive quælibet alia, quavis occasione facta. In quo revideantur omnia, & videatur, an fiant? Cur non?

EXAMEN IV. Supra virtutum, mortificationum internarum, externarúq; actus omnes, an tanto (quantus est propositus) numero, an diligenter & fructuosè, an verò obiter, perfunctoriè, & cur? exerciti, aut omissi sint. Consimilique ratione, dolore, pœnâ, emendatione, causarum impedientium amotione restaurentur defectus, & negligentiæ. Hoc genus Examinis particulari Examini conjungi potest. Imò materia ejus esse, vel potest, vel debet.

EXAMEN V. Super Regulas, observationes, & praxes, & proposita actionis cujuslibet majusculæ, (quod coincidit cum Examine Industriæ præcedentis) v. g. Super praxes surgendi, meditandi, studendi, Sacri audiendi, vel dicendi, confitendi, communicandi, cibi sumendi, horas canonicas dicendi, potest enim utiliter inquiri, an servata sint omnia? quomodo? cur neglecta? atque negligentiæ, meritò expiabuntur pœnâ, dolore, emendationis proposito.

EXAMEN VI. Agendorum; scilicet super ea quæ agenda sunt hac die, hac hora sequenti: prævidendo nempè, & etiam proponendo, quæ erunt agenda? quomodo? quo ordine? quâ cura? perfectione? Hæc enim prævisio incredibile quantùm ad profectum facit. Est revera Mater omnis boni: sicut ejus neglectus (qui quidem est communissimus etiã omnibus Perfectionis studiosis) est fons omnium defectuum, estque defectus Prudentiæ, atque neglectus ejusdem; ex quo fit ut tardissimè, difficillimè, vel nunquã ad perfectioné perveniant innumeri perfectionis candidati. Et solemus quidem errores nostros corrigere per Examina subsequentia, post opera & acta nostra: nec revera præstaret corrigere per Examina præcedentia, utiliùs enim est & prudentiùs providere, ne aut vulnus aut damnum referas, quàm post acceptum fortè vulnus vel damnum, utrique, remedio opportuno succurras. Examen subsequens curat, & corrigit vitia commissa, sed tamen commissa præcavet committenda in futurum. At vero Examen præcedens Agendorum, cavet, ne committantur, quod utique melius esse nemo nõ videt. Magni ergo æstimanda est hæc praxis Examinis, atque usus ejus, deturq; illi à spirituali Viro tempus semper aliquod in die, & quidem non unum, saltem duplex, nempè manè, deinde post meridiem. optandum verò esset, præmitti illud cuilibet actioni majusculæ, ita ut ante opus sit Examen, quomodo sit faciendum? post opus succedat Examen; quomodo sit opus factum?

EXAMEN VII. Super incidentia. Coincidit cum præcedenti, tantùm in hoc differt, quòd illud prævideat agenda, ordinaria & nota, istud prævideat agenda sed ignota, & respectu hominis casualia, insperata, aut saltem non sperata, unde & Incidentium examen dicitur; quia videlicet præter advertentiam accidunt, possunt tamen prævideri, vel sub hâc ipsâ ratione, quia prævideri non

possunt,

possunt, & potest sese animus contra talia armare, potest ex præteritis incidentiis opinari etiam hodie eventura, vel eadem, vel aliqua alia. Talia sunt, prævidere aliquod negotium, quod etsi nescitur eventurumne sit, scitur tamen evenire posse, quandoque solere. Item prævidere interventum ad se alicujus, eventuram sibi aliquam molestiam, aliquam difficultatem, ab intra, ab extra, ab hac illáve Personâ, occasione, circumstantiâ, &c. Talium incidentium possibiliū prævisio atque præmeditatio utilissima est: ad multa enim prodest, & inter alia ad præparationem mentis, ad pacis internæ conservationem, ad victoriam tentationum, ad vitandas tentationes præoccupantes usum Rationis, subitaneosque motus, &c. Unde inter magnas Dei gratias, hoc est reponendum, si cui hæc agendorum, incidentiumque Prævisio conceditur: talis enim semper in portu, semper in tranquillo navigat, vix unquam fluctuat, vix unquam tempestatibus agitatur, suus semper est, & Dei. Proinde debet spiritualis profectus candidatis & sectatoribus hoc genus Examinis exercitiique esse commendatissimum.

EXAMEN VIII. Repugnantiæ atque Luctæ; quod ita voco, quia illius est, examinare repugnantias quotidianas, quas sentire solemus in nobis, in variis quotidianis occasionibus, cùm volenda nolumus, nolenda volumus, aut ratione, conscientiâ, obedientiâ, charitateq; dictante, sensus tamen noster, vel perversa voluntas, vel consuetudo passione rebellis obluctatur, quam obluctationem expedit vincere, atque super hanc victoriam examinis etiam Industriâ uti.

1. Ut de more agantur gratiæ. 2. Lumen petatur. 3. Percurrantur actiones acti temporis. Ut videatur in unaquaque, num quæque resistentia fuerit & obluctatio in nobis indebita? num ei cesserimus? an succumbuerimus? ut fit sub prætextu compensationis alio tempore, aut respectu aliquo, aut affectu, aut fragilitate, aut indulgentiâ, aut excusatione absentis obligationis, nulliusque peccati aut malitiæ, &c.

Num verò restiterimus, quàm strenue, quo motivo, quàm in puncto, an cum mora, consultatione, dialogismo, atque propensionibus? Num causam dederimus isti obluctationi? Num ea diuturna, num frequens, num antiqua, in nobis sit? inveteraveritne per nostram desidiam?

Ad hoc proderit habere descriptum, paratum indiculum harum repugnantiarum nobis familiarium, quem in præsenti expediet decurrere, habet enim (ut docet experientia) unusquisque Sanctus & fervens, & perfectus, suas repugnantias quotidianas in se, in suis quotidianis operibus, ad quas quandoque superior, quandoque inferior, plùs minùs, pronùs vel robustùs infirmusque esse noscitur, & hoc quidem fieri solet in minutulis rebus, &c. 4. Percursis modo jam dicto, actionibus, atque passionibus & repugnātiis, intra illas habitis, quantùm nos culpabiles, & quoties reperiemus? tantùm, & toties culpas dolore, detestatione, confusione, confessione, emendationis serio ac firmo & longiusculo proposito, pœnâ, actione, passioneque opposita expiabimus. 5. Motiva quibus nos, ad victoriam nostri, & ad expulsionem harum obluctationum ex nobis, exstimulemus, saltem strictè expendentur. Qualia sunt. 1. Quòd his succumbere nos Deus nolit, & contristetur, si succumbamus, nec voluntatis ejus gustum expleamus. 2. Quòd in puerilibus Luctis adhuc vel versemur, vel etiam hallucinemur, & fortasse veterani milites, ac in opinione hominum consummati, etiam Magistri spiritûs, in qualibus luctis pueros, & tirones versari nobis mirum, indignum, & miserum videri solet. 3. Quòd talibus nævis nostra bona opera, atque proposita, & communia inquinari absurdum & turpe sit: tales enim nævi impediunt, ne & nos, & opera nostra nobiscum in conspectu Divinorum oculorum apparere possint. 4. Accedit his pœna Purgatorii, cujus reatum infallibilem, per hæc contrahimus. 5. Similiter Insultatio & recreatio hostium nostrorum dæmonum, quam ex his nostris hallucinationibus habent, cùm quotidie vident nos cespitare, in his minutiis, & dicunt; Euge euge desideravimus eum. 6. Falsa opinio multorum, qui nos his succumbere, quantò minùs modò credunt, tantò ampliùs cum rubore nostro in judicii die succubuisse videntes mirabuntur. 7. Multi inferiores nobis ætate spirituali, scientiâ Religiosæ perfectionis, & virtutum Professione, filii nostri, qui his non succumbunt, immò ne titillantur quidem, & quidem ex nostro suasu, ductu, & magisterio, ab his certè superari, non potest non esse indignū, atque probrosum, & ad verecundiam nostram.

His similibusque motivis in Dei Lumine perpensis, non poterit non moveri animus,

mus, ad pœnitudinem, & ad robustam istarum luctarum excussionem.

INDUSTRIA XVII.

Ratio Examinis de rebus quæ agendæ sunt, & quæ aguntur.

AD perfectionem nostrorum operum, vel maximè conducit illud, ut cujusque operis, & antequam agatur, & dum agitur, & postquam actum est, natura, capacitasque perfectionis, & imperfectionis cognoscatur. Hoc est enim unicum Prudentiæ (quæ est omnium virtutum Magistra, totiusque perfectionis anima) subsidium, & adminiculum, sine quo illa & consistere, & officio sibi proprio ritè defungi, nullo modo potest. Porrò hæc cognitio de natura & capacitate sive perfectionis, sive imperfectionis cujuslibet operis, nulla meliùs atque certiùs ratione acquiritur, quàm usu Examinis, cujus rationem, ut in promptu sit, præsens Industria præscribit. Igitur.

Examen serviens iis rebus quæ agẽdæ sunt, hæc complectetur.

1. An sit opus faciendum? Quare? & ob quem finem? motivum ac impulsivum? nempè intuitu solius Dei, motivo supernaturali, illo vel illo particulariter.

2. Ut prævideam ea, quæ evenire, etiam præter spem possunt, occasione boni, mali, impedimenta, auxilia, mortificationes.

3. Ut circumspiciam omnes, quoad fas, operis agendi, continuandi, perficiendi circumstantias.

4. Zelum in agendo, & vigilantiam exacuam, discretione temperatam.

5. Constantiam, Magnanimitatem, efficaciam, & obfirmationem animi, adferam prævisè.

6. Dabo operam, ut ad integritatem operis attendam, atomicâ etiam intercurrentium actiuncularum, eventuum, obstaculorum, remorarum, insuccessuum, circumstantiarum denique omnium acceptatione, & ratificatione, modò capaces sint.

7. Ad vincendum, me deligam molestiora & vilificantia me magis, sive opera, sive media, & modos, & adjuncta.

8. Adhibebo intensionem conatum perfectionis causâ, & gradus heròici attingendi.

9. Sublimabo quoque opus finibus, & modis, & conatu, & fervore, & gratuitate operandi Deo gustabiliore.

10. Inquiram media operis, vel finis assequendi exequendique; deligam eadem; exequendi ordinem præfiniam: regulas, observationes, industrias adjungam, curaboque uti occasionibus, tam ad naturam operis sequentibus, quàm à me prævisis, adscitis, expectatisque, quàm sponte sua, & alicunde inopinatò incidentibus.

11. Ut cum fructu optato, & debito.

12. Ut cum ædificatione Proximi fiat opus, enitar.

Examen serviens rebus, quæ aguntur, & dum aguntur.

1. In Progressu & decursu operis, frequenter me Deo, & ejus Præsentiæ statuam.

2. Me ad me ipsum ab effusione, & absorptione revocabo.

3. Innovabo Intentionem ex quà opus sum aggressus.

4. Exquiram sensum judiciumque Dei, & conscientiæ de opere, deque modo faciendi.

5. Si quid male actum, mox dolebo, retractabo, emendabo, expiabo.

6. Si quid bene, restituam Deo plenè.

7. Benedictionem, auxilium, gratias operi continuando, perficiendo congruas, pro mensura Divini beneplaciti petam.

8. Instaurabo agendi fervorem juxta habitus mensuram, ad heròicismum.

Examen commune rebus tam agendis, quam quæ aguntur.

1. Obtestabor Dei Benedictionem, Providentiamque, ut me dirigat mihique adsit, in opere sive faciendo, sive quod jam facio.

2. Assistricem sedium Dei æternam Sapientiam orabo, ut mecum sit, mecumq; laboret.

3. Ab eadem Sapientia petam monita, ad rem gerendam, perficiendamque, modos item gustabiliores Deo.

4. Ab eadem fidenter, sed non curiosè, verùm humiliter, ac resignatè inquiram eventuras futuritiones.

5. Imploratâ sic ope Divinæ voluntatis & Sapientiæ, nec non conceptâ vivaci spe benedictionis, directionis, prote-

ctionisque, rei progressum, & finem soli totaliter Deo permittam.

Examen serviens rebus jam peractis.

1. Projiciam me in Dei Providentiam, tanquam in sinum maternum, & in eâ tanquam fessus respirabo, atque requiescam securus.

2. Exponam Deo cum humilitate laborem meum in opere, illumque cum ipso supponam Divinis pedibus.

3. Meum esse, operari, aptitudines, conatus, industrias, intenta, designationes, sufficientias, diligentias, naturales, & supernaturales, habitus item, gratias, intensiones earumque gradus, item merita antecedentia, vel opere acquisita, fructus quoque, & meum esse apud alios (sive opinativum) videlicet gloriam, laudemque humanã, favores, approbationes, amores, spes, prædicationes, applausus, contentationes, gustus, & quidquid tandem meum, vel creatum intercedit, totum totaliterque unà cum memetipso, Divinis pedibus supponam, me confundam, nihilum meum agnoscam, oculisque meis objiciam, & solam ineptitudinem, malitiam, pœnæque reatum ac debitum mihi reservans, Deo omnia attribuam, proq; omnibus gratias agam, & apud ipsum deposita relinquam, solumque me nudum, ac puro nihilo vestitum retinebo.

INDUSTRIA XVIII.

Ratio utendi prædictis Examinibus, & simul fere omnium Examinum compendium.

HAbebit nonnemo, præmissa hactenus Examina usurpare cupiens, difficultatem ex eo capite non levem, quòd in tanta seu Examinum varietate, seu capitum in Examinibus contentorum multitudine, non facilè inventurus sit modũ, quo iis cum satisfactione utatur. Huic incommodo bifariam præsens Industria medetur.

Primò enim ad dictam difficultatem minuendam, commodum erit, ut negotiator spiritualis certa sibi tempora sive in diem, sive in hebdomadam, sive etiam in mensem assignet, quibus ex proposito, quopiam ex dictis examine utatur, quantùm natura cujusque exigit. Sunt enim quædam quibus non erit opus quotidie uti, sed pro libitu, nunc hoc, nunc illo genere Examinis occupari licebit. Tale est, quod prima Industria ad normam Sancti Patris IGNATII præscribit. Tale & illud, quod vulneribus Christi est accommodatum. Talia & illa, in quibus homo aut se coram Deo, aut ab ipso veluti Deo judicatur. Sunt verò quædam quæ singulis diebus salubriter usurpabuntur, si certum & commodum tempus habuerint. Tale est contrapositionis. Tale de fontibus defectuum. Tale de Innovatione fervoris. Tale de occasionibus virtutum. Tale de gratiis excitantibus. Tale censorium. Sunt etiam quædam servitura Mensibus, hebdomadisve singulis, pro cujusque placito. Sunt denique horis quidem singulis accommodata; eadem tamen aliis temporibus servire nullo negotio, nonnulla utilitate possunt. Atque hic primus modus est prædictæ difficultati, in usu horum Examinum, occurrendi. Alter est, ut si cui fortè gravis erit, etiam hæc ipsa Examinum ad certa tempora revocatio, atque designatio, is utatur hoc sequenti Examine, quod veluti compendio quodam omnia ferme prædicta complectitur. Dividitur autem in duo summaria capita. Quorum unum cõplectitur ea, quæ sunt homini spirituali, in quotidianis vitæ occupationibus vitanda. Alterum continet ea, quæ sunt eidem spirituali homini facienda, & prosequenda.

Ratio Examinis faciendi super ea, quæ sunt vitanda homini spirituali, in vitâ suâ quotidiana.

PUNCTUM I. & II. Consuetum.

PUNCTUM III. habebit Capita sequentia.

I. Ex parte DEI.

1. Defectus Intentionis, eò quòd abfuerit, vel non pura fuerit, immista propriorum quæsitioni, jam antiqua, & ideò frigida, modicæque aut nullius virtutis, fortè etiam jam interrupta, & vitiata interventu novæ Intentionis pravæ.

2. Ignoratio & oblivio Dei præsentis, neglectusque statuendi me in ejus conspectu, tum verò irreverens & indigna

oculis Dei, coram Deo permanſio, operatioque.

3. Occultus intuitus magni apud Deum meriti in operibus, quem ſtatim ita, Domine, ex nunc pro ſemper removeo coram Te, ut nihil à Te mereri velim, niſi quod, & quia vis Tu, Te autem ſolùm, & guſtum placitumque tuum propter Te intendo.

4. Vitatio confuſionis, & inde occultatio defectuum confuſivorum, (etiam in confeſſione) apud Superiores, & apud alios.

5. Elevatio & excuſatio defectuum, tam apud me, quàm apud alios.

6. Diſſimulatio Gratiarum Dei excitantium ad bona, & bene agenda, imperfectionesque vitandas, Gratiarum item convincentium intellectum, & accendentium affectum diſſimulatio, dilatio, ac per hoc abjectio, idque vel ex anguſtiâ cordis puſilli, vel ex reſpectuum adoratione, vel ex fuga moleſtiæ externæ, vel ex inordinato ad quid vilius, ad commodiorem vitam affectu, vel quòd non ſit præceptum.

7. Facilitas in propoſitis deferendis, præſertim verò ac præcipuè in deſignationibus, quæ primo intuitu occurrentes, ſæpè ſolent eſſe meliores omnibus ſequẽtibus, & neſcio quid de Divinæ Sapientiæ luce habent, quas proinde deſerere, aut mutare temerè non expedit.

2. Ex Parte ſui-ipſius.

1. Infrigidatio Devotionis ac fervoris ex neglectu ordinis temporum, & actionum, ex feſtinatione, & effuſione affectus, & dilatione recollectionis. 2. Imprævisio agendorum, & incidentium, unde factum ſit, ut improviſa, improvisò ingruerint, etiam perturbaverint, & rapuerint. 3. Fuga laboris, conatûs, mortificationis in opere aliquo futuræ, cùm tamen operis ſuſceptionem rectior ratio dictaret. 4. Languor mentis & mollities, ex eâque omiſſio alicujus vel exercitii interni, vel mortificationis externæ vel operis utilis, ob vivaciùs, quàm res erat, apprehenſam virium corporis inſufficientiam, vel alienam cenſuram, aut ſugillationem. 5. Quæſitio mei, & propriorum commodorum occulta quidem, ſed tamen maculans mentem, & intentionem operis, ac ad inutilem condeſcenſionem, commiſerationemque ſuper me, meipſum inclinans: 6. Incõſtantia in propoſitis, & obſervationibus temporum, actionumvé, ſolennitatum Eccleſiæ, propriis, menſtruis, annuis, ob cauſas exiles, transferibiles, vel prorsùs amovibiles, ſi adeſſet efficacia voluntatis. 7. Dilatio de hora in horam, de die in diem, quæ tamen expediens eſſet, ſtatim perficere. 8. Aſſumptio, & peractio rerum debitarum ex vi ſtatûs vel officii, vel propoſiti, nullo alio fine & fructu, niſi ut conſcientiæ clamaturæ os obſtruatur, nevé ſit opus confiteri, aut punire. 9. Defectus ſilentii non tantùm cum aliis, ſed etiam cum me ipſo, ut fit, cùm rapior indignatione, ex aliqua re, non ſuccedente, contranitente, vel cùm loquor abſentibus tanquam præſentibus, arguens, reſpondens, accuſans, excuſans &c. 10. Cogitatio de futuris (fortè non futuris) quaſi futuris, circa me, vel alios, contra puritatem reſignationis. 11. Cenſurativi impetus, de aliorum dictis, factis, viſis à me, vel ex alio cognitis. 12. Nõ evitatio, occaſionum, maximè cum certis perſonis temporibus, locis, materiis, circumſtantiis, in quibus expertus ſum me lapſum ſæpius, & labilem eſſe, ac liberum, in examinandis aliorum talentis, factis, dictis, conſiliis, moribus, cum parva refrenatione linguæ, cum cenſura, cum motu vindictæ, aut ſaltem memoria offenſæ acceptæ. 13. Occulta Cupido ſciendi, quid alii ſentiant de me ipſo, deque meis rebus, dictis, ſcriptis, moribus, officiis, functionibus. Item vel elatio vel dejectio, & amaritudo nimia, ex judiciis, ſermonibusque, (præſertim delationibus) in alterutram partem. 14. Nimia ſolicitudo, res officiaque quàm optimè faciendi, aut ſaltẽ quod ita fecerim, apud alios opinionem habendi, idque non intuitu Divinæ gloriæ, vel perfectionis ac ſalutis meæ, vel proximi, vel famæ communis, ſed ne jacturam faciam boni privati nominis. 15. Juſtificatio mei apud me ipſum, quòd defectus iſtè, vel ille, non ſit defectus, quòd factus rationabiliter. Item quòd aliis ſit ejus cauſa. Item quòd contra nullam ſit obligationem, regulamve factus. 16. Propriæ deſignationes, quæ ſi ſecus ac deſignavi, eveniant, etiamſi ex juſtâ, ac ex meliore, quàm meum fuit, conſilio, aut finè, turbor, & indignor. 17. Inhæſio tenax diſpoſitionibus, intentiſque meis, quibus obicem poni, ita ut cogar mutare, omittere, differre, transferre, interrumpere, indignor, charitatem fraternam lædo, amaroq; vultu excipio, importunos, indiſcretos, voce,

ce, signo, mente, appello, & ut tales, contristatos, neque contentos expedio. 18. Ex non servato temporum, & actionum ordine, ex impenso inutili occupationi, majori quàm par erat tempore, ex dilatione: conjectio mei in angustias, unde omissio, festinatio, præcipitatio, negligens & perfunctoria, & confusa actio, operis incumbentis. Vel è contra, præpropera anticipatio, festina expeditio, inordinata ex metu non suffecturi temporis, præmaturaque transactio, cum neglectu solitarum observationum. 19. Amaritudines animi ex apprehensionibus, recoctionibus malorum, injuriarum, impedimentorum, molestiarum, præsentium, vel præteritarum, ex præsagitionibus futurarum. Unde melancholiæ, proposita vindictæ, dialogismi interni, vel etiam cum certis consciis, æquè amarulentis, resolutiones conditionatæ, parum sanæ. Hinc proposita, & designationes in futurum, prævisæ excusationes, replicæ, rationes, imaginarii eventus rerum, ex quibus tristitiæ, dejectiones mentis, &c.

3. Ex Parte aliorum.

1. Rationes humanæ timentes, sperantes, differentes, dissimulantes, pudorem incutientes. 2. Servitium alieno gustui, amori, timori, spei, commodo, (non propter Deum) impensum, tam commissivè, quàm omissivè. 3. Blanda tractatio alieni delicti, dissimulatio, defensio. 4. Fuisse occasionem ut quis in spem amicitiæ meæ peccaverit, peccet, sperans à me præsidium, non timens reprehensionem, aut pœnam.

4. Ex Parte hujusmet Examinis.

1. An supra scripta vitaverim, & cur non? 2. An super ea Examen statis temporibus fecerim? 3. Quibus mediis præstare poteram, nec præstiti? 4. Quibus in posterum præstare potero, & præstabo? 5. Designabo ordinem, tempora, vices, occasiones præstandi, & modos. 6. Dolebo de negligentia præterita, eâq; puniam. 7. Emendationem proponam. Emendationis gratiam à Deo, per merita Christi, pretiosissimæq; Parentis, Sanctorum, petam.

Ratio Examinis super ea, quæ homo spiritualis, in sua ordinaria vita prosequi, & facere debet.

PUNCTUM I. & II. Consueto more. PUNCTUM III. Habebit Capita sequentia.

1. Ex Parte Dei.

1. Fidelitas & sinceritas agendi cum Deo, propter Deum, Divina, divinè, simulque assecuratio Dei quòd in nullo prorsus, etiam occultâ, obliquâ, palliatâ commodi mei quæsitione, spiritualis, aut sensualis, independentiæ, libertatis, reputationis, delineationis, me quæsiverim, vel quæsiturus unquam sim. 2. An captivato apud unicum Deum corde meo, cordisque affectibus, omnium creaturarum nauseam, & fastidium procuraverim? 3. An agnoverim dominium Dei super me, naturale, supernaturale, ordinis præsentis, obedientiale, meum spontaneum, emptitium, beneficiarium, eminentiale, atq; Deo super me, ex dignitate ejus debitum, ex eaque Dominii cognitioni, me humillimè totaliter Deo subjecerim semper? 4. Reverentiam Dei in agendo cum ipso, & coram ipso. profundè reflexam, an tenuerim jugiter? & an devotè, res Dei, & cultum, & obsequium, voluntatemq; spectantes, tractaverim? 5. An, & quàm frequens mea fuerit ad Deum, inter res agendas interque conversadum cum proximis conversio, & adhæsio, nec non ad Dei voluntatem resignata, pura, reflexa, in omnem speciem, circumstantiamq; parata intentio? 6. Quæ mea in peculiaribus Dei de me dispositionibus quies, voluntatisq; meæ contentatio gustus, ratificatio? illane Davidica? Quoniam Tu fecisti, Illane Christi Domini? ita Pater, quoniam sic placitum est ante Te. 7. Quâ libertate cum Deo, cumque aliis propter Deum, usus sim, & utar? memor Divinæ erga me liberalitatis; 8. Vigilantia super intimationes Divinæ voluntatis, quas præsumitur Deus velle per instinctus, regulas, jussa Superiorum, monita, quæ fuerit in me? 9. An arctam viam crucis (potiùs quàm laxam sensûs & liberalitatis) & humilitati Verbi Incarnati, semitam presserim jugiter, dulciter, spontaneâ, etiam quæsitione, & accersitione? 10. Quàm promptè toleraverim omne malum incidens, ex quâcunq; causa, persona, materia, occasione, circunstantia, propter Deum? 11. Quæ me ad orandum aviditas, resolutio, frequentia, constantia? quæ omnium Deo, & cum Deo communicatio? quæ diffidentia mei, spes in auxilio, & certitudo auxilii Dei?

2. Ex Parte sui-ipsius.

1. An assiduò supra naturam vigilaverim,

rim, eamque sublimare conatus fuerim? 2. An difficultates in rebus agendis subortas vicerim, ex quocunque tandem capite essent, naturæ, personæ, rei, circumstantiarum? 3. Inventio occasionis, & usus ejus ad vincendum me, etiam in minimis repugnantiis, pigritiis, nolitionibus, volitionibus, an fuerint? 4. Abjectam mei opinionem an habuerim? quæsierim? dissimulanter auxerim? an me viliter compelliaverim? 5. An odio habuerim meum sensum, famam, libertatem, talenta? 6. An me in omnibus, neglexerim, & oblivisci curaverim? 7. An omnia juxta mensuram habitus Gratiæ, virtutisque peregerim. 8. Quot, & quos, & quàm heroicè actus fecerim id temporis? 9. Minima observaverimné ad punctum? Præcipuè verò, an ordinaria, & supererogationis opera fecerim cum exacta diligentiâ, absque omni vitabili defectu? 10. An assueverim obedire temporibus communibus, & meis in puncto, transeundo ab occupatione una ad aliam, cùm tempus, vel signum, vel potiùs Deus vocat? 11. An familiare mihi fuerit supplere defectus quoslibet, etiam inadvertenter commissos, actione, vel passione oppositâ, in multiplici etiam gradu superativo defectûs? 12. An minimas mentis vel corporis molestiolas toleraverim? durare permiserim? saltem aliquamdiu, sponte, & hilariter, & tacitè? 13. An temporis parcus fuerim, bonusq; collocator? & an fures temporum socios, occupationes, collocutiones vitaverim? 14. An omnia, & singula, præviâ ratione, & quidem etiam supernaturali, ex electione, ex affectu ad Deum, cum meimet Sacrificio, aggressus fuerim, & fecerim? 15. An omnem sermonem de rebus meis inferre, audire, vitaverim? & præsertim an ab usu vocis, *Ego*, in sensu ejus complacitivo, abstinuerim? 16. An firmum, elevatum, æquabilem animum gesserim, contra censuras, linguas, calamos, judicia, incidentia, insperata, tristia, vel læta, urgentia, remota, certa, dubia, contra spem, promissa, vota, desideria mea, inimica famæ, sensui, libertati meæ, authoritatique, cum dominio mei in actionibus omnibus, & in omni fortuna? 17. Experimentalem gustationem Paupertatis, confusionis, doloris, pœnalitatis, censurationis, an, quotiesq; quæsierim? aut saltem an promptè acceptaverim? cum desiderio amplioris, sine querelâ apud ullum, etiam amicissimum. 18. An de me meisque rebus formaverim judicium, juxta conscientiam, quale in articulo mortis sperem me habiturum, quale Deus de me habet?

3. Ex Parte aliorum.

1. An Christum in omni etiam minimo Superiore, Officialive agnoscam? 2. An zelo animarum practico arserim? 3. An alios in omnibus ædificaverim? 4. Quomodo cum aliis in omnibus processerim? 5. An molesta mihi in aliis toleraverim? 6. An defectus aliorum excusaverim misericorditer? salvo tamen officio.

A. M. D. G.

GA-

GASPARIS DRUZBICKI
SOCIETATIS JESV.
In Dominicas anni totius
MEDITATIONES.

DOMINICA I. Adventus.

1. *Erunt signa in Sole.* Luc: 21.

CONsidera, qualia, & in quo Sole signa hodie Dominus JESUS prædicit tibi futura. Erunt signa Panis & Vini, in Sole Dominici corporis & Sãguinis, in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento; & sub his signis, ad te hodie veniet Sol ille. Vide ergo, ut cum venerit credas, quia ecce prædixit tibi; vide ut cum venerit hora, eorum reminiscaris. Respice & leva caput tuum, quoniam appropinquat redemptio tua, atque jam nunc in adventum istius præpara te Solis; ita, ut & tu ipse Sol fias, capax signorum cælestium. Scire enim debes, quod etsi omnes eundem Dominum in Eucharistia recipiant. non eadem tamen iste Dominus in omnibus signa operatur; sed alia in Sole, scilicet perfectis & constanter Deo servientibus, alia in Luna, scilicet in iis, qui fervorem perpetuò mutant, & claudicant in utramque partem; alia in Stellis qui scilicet toti sunt alias in defectibus quotidianis, sed communicaturi, modicum tamen luminis, hoc est devotionis & compunctionis semper induunt.

2. *Videbunt Filium hominis venientem in nube.*

BEati oculi qui te videbunt Domine, & in amicitia tua decorabuntur. Beati qui te videbunt in nube panis & tamen agnoscent te cum potestate magna & majestate venire. O Domine, credo; sed adjuva incredulitatem meam. Veni ad cor meum cum potestate magna, ad ejiciendas ex me adversarias potestates criminum, mihi regnantes: Veni cum majestate, ut anima mea in tui admirationem & amorem rapta, dicat tibi, vere mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Tunc ego ô quam beatus ero! si tantum reliquiæ seminis mei fuerint ad videndum claritatem tuam. Adoro te Deus meus nunc in nube Panis velatum venientem; da vivam fidem, quâ te videam, da amorem, quo te videns gaudeam.

3. *Scitote quoniam prope est regnum DEI.*

DIc anima mea omnibus membris tuis, scitote quoniam prope est regnũ Dei, prope est in januis: regnum Dei intra vos est. Ubi enim venit, ubi regnat JESUS, ibi sine dubio est regnum DEI. Dilatare Anima mea ut intret in te regnum Christi; & illum roga, ut regni ejus non sit finis.

4. *Erunt signa in Sole.*

COnsidera Dei justitiã. Disceptaturus enim cum peccatoribus, armat etiam omnes creaturas contra illas, scilicet Solem, Lunam, Stellas, confusionem maris: ponit in illis signa, tanquam vexilla militantia, tanquam ingruentis prælii tesseras; ut scilicet peccatores qui istarum rerum ministerio & usu sibi ad salutem æternam, & Servitium Creatoris concesso, abusi sunt, contraque Deum istas res militare fecerunt, jam earum nunc ministerio destituti, vicissim puniantur per eadẽ, per quæ peccârunt. Assuesce nunc creaturis uti pro salute tua, ut serviant tibi; ne post, in damnationem serviant DEO.

5. *Erunt signa in Sole.*

COnsidera DEI misericordiam, qui ablaturus ab hominibus miserendi tempus, & justitiæ regnum superinducturus, nihilominùs, non plane obliviscitur misericordiarum suarum, sed ponit signa justitiæ ingruentis; ut ea videntes homines, agere possint pœnitentiam. Ponit autem

ſigna in rebus clariſſimis, & communiſſimis, & omnibus, & omni tempore patentibus, Sole ſcilicet, Luna, Stellis, mari, fluctibus; ne ſcilicet quenquã imminens hora judicii ejus lateat. Pone & tu anima ſigna, in Sole & luna, in intellectu ſcilicet, voluntate, & omni cogitatione tua: ut nunquam obliviſcaris judicii Divini, ſed potiùs quaſi tumentes fluctus aquarum ſuper te, ſeveritatem Dei reformida, agnoſcens quod pondus ejus portare non poſſis, & pete ab illo, ut configat timore ſuo carnes tuas, ut à judiciis ejus timeas.

6. Erunt ſigna in Sole.

COnſidera quanti Deus hominem faciat, perituris enim generationibus, & ſublaturus homines de facie terræ, planctum indicit omnibus creaturis, tanquam mox ſuo Domino carituris. Plangit ergo Sol, quod non ſit habiturus quibus luce ſuâ ſerviat, tempora diſtinguat, res producat, opera lumine dirigat & exornet &c. Et tamen homines interitum ſuum non plangunt; imò etiam procurant, & ſponte vadunt in præcipitium.

7. Areſcentibus hominibus præ timore.

QUis cogitet, quanta illa mala ſint futura! quis exprimat? quæ ſola ſui exſpectatione ſolo ſui timore areſcere homines facient. Quis mihi det ô Deus ut in inferno protegas me, donec pertranſeat furor tuus, quo judicabis etiam juſtitias hominum. Utinam ita memor ſim judiciorum tuorum imminentium, ut areſcat in me omnis improbitas, & ſuccus malitiæ atque concupiſcentiæ extinguatur.

8. His autem fieri incipientibus.

HOc ſolatium Sanctorum eſt, & eorum quos odit nunc & ſpernit mundus. Etenim toto tremente ſæculo, ipſi ſtabunt in magna conſtantia; quando riſus mundi in fletum tranſibit, fletus verò Sanctorum, in riſum mutabitur æternum; quando triſtabitur mundus, Sancti autem gaudebunt; quia dum mundus gaudebat, illi contriſtabantur, ſed tunc jam non erit, capite demiſſo incedere, quia jubebuntur capita levare. Mundi in præſenti eſt ſymbolum, celſo vertice, erecto collo, nutibus oculorum irè; Sanctorum nunc contra eſt: inclinato & humili terram ſpectare lumine, & preſſum collum jugo Domini deorſum incurvare. Veniet tempus, cum reſpicient, & illi ſurſum levabunt capita ſua ad redemptionem ſuam, quàm videbunt appropinquare. Noli ergo nunc ô anima mea conformari huic ſæculo, ne etiam conformeris in fine; ſed conformare Sanctis Dei in præſenti, ut olim etiam inter Sanctos ſors tua ſit: ſed & conſolare te ipſam in iis, quæ tibi ac tuis ſodalibus à mundo mala fiunt, hæ infamiæ, hæ detractiones, hi linguarum doli, hæ contumeliæ, ibunt in honorem aliquando, & aliquando habebunt redemptionem.

9. Scitote quoniam prope eſt regnum DEI.

QUis ſcit quam prope eſt regnum DEI? Salutaris proculdubio ſcientia, operatur pœnitentiam: Pœnitemini, appropinquavit enim regnum Dei; excitat fiduciam, auget fervorem, mercede laboris propinquâ, & appropinquante fine: Et unde tanta, non in mundo tantum ſalutis æternæ incuria, ſed etiam in iis, qui Sanctos ſe eſſe valde profitentur, tepor & negligentia niſi quia neſciunt prope eſſe regnum Dei. Adveniat regnum tuum Deus, adveniat in memoriam, in deſiderium, in curam, in meritum, & tandem in poſſeſſionem. Quis ſervus Dei non laboret, ſciens prope eſſe regnum Dei, quo & Deus in illis, & illi in Deo, regnabunt; quantò ardentiùs diligimus, tantò ſereniùs videbimus.

10. Cœlum & terra tranſibunt.

ATtende verborum Chriſti infallibilem veritatem, faciliùs eſt mutari cælum & terram, quàm Chriſti verbum, & quidni faciliùs? verbo Domini facti, verbo Domini firmati ſunt cæli, potentiùs verbum quàm cæli. Et tamen infelix ego, ita Chriſti Magiſtri mei verba audio atque ſi mihi aniles næniæ ſonarent. Quoties, hoc illudve Chriſti præceptum, conſilium, dictum, factumve, recolo, mihi ad inſtructionem, ad ſalutem, ad exemplum eſſe perquam utile, neque tamen quidquam inde fructûs ad animam meam derivatur. Verba Chriſti, ſunt theſaurus in agro abſconditus, ſunt ager theſaurum oſtendens, ſunt margarita pretioſa, ſed ego rudis negotiator, ac negligens, has opes ſtultus contemno. Amor & ſtudium vitæ Chriſti.

DOMINICA II. Adventus.

Cum audiſſet in vinculis opera Chriſti. Matt: 11.

QUis non audivit in vinculis opera Chriſti? in vinculis charitatis, quæ potenti dextera ſua fecit & facit? Ma-

Magnum opus Christi in vinculis, qui ad vocem Sacerdotis venit in vincula Specierum. Magnum opus, quia panis fit Caro; vinum fit Sanguis; Magnum opus, quia sub tantillis speciebus, totum corpus Jesu, totus Sanguis, totus Christus, cum anima, corpore, Divinitate, virtutibus meritisque concluditur, & totus in toto & totus in qualibet parte continetur. Magnum opus Christi in vinculis istis, quia à Sacerdote tenetur, portatur, frangitur, porrigitur. Putas hoc illi fieret, nisi in vinculis esset? O magna Christi opera in vinculis! sed & magna Christi vincula. Vincula utique Adæ, vincula charitatis. Magnum sanè, & nescio an non maximum opus Christi in vinculis, quo ad hominem, ad me miserum venit; & quasi non satis illi esset vincula Specierum intrare, sed & carceres corporum, pectorum, cordium. O cor meum! si scires donum Dei, & nosses hunc vinctum, exornares carcerem tuum, & faceres ex illo paradisum. Tu ô vincte amabilis Jesu, adjuva infirmitatem meam, & præsta hoc; facque opera tua gloriosa in carcere, hoc est corde meo, quod nunc ingrederis.

2. Cùm audißet in vinculis.

ATtende quomodo Deus Sanctos suos in hac vita tractet. Joannes, ille magnus coram Domino; ille Helias in Spiritu & veritate; ille Angelus, ille neque manducans neque bibens, ille quo inter natos mulierum non surrexit major; ille qui primus cælum vim pati docuit; ille Propheta altissimi. Vox Verbi, Sponsus amici, Baptisator Christi, in vinculis est. Itane nimis honorati sunt amici tui Deus, ut post omnes honores ad catenas deveniant? hoc utique non honorari, sed onerari est. Verum, hæc est Sanctorum nota ex Christi forma desumpta: Bona agere, mala pati; bonum esse, malum reputari. Quid tu vesane, Sanctus esse vis, sine tribulatione? Sed præter doctrinam & exemplum Christi, præter morem Sanctorum, quin & præter fructum commodumque Sanctificandorum. Non enim expedit Sanctis non pati, etiamsi possent non pati; tum quia forma vitæ Christi id exigit, tum quia in Sanctitate crescere, est in patientia crescere & proficere. Obfirma igitur animum non solum ad non fugiendum, sed potius ad prosequendam, quærendamque patiendi materiam.

3. Cum audißet in vinculis.

JOannes de vinculis quærit quã potest via, adit audit, videt Christum, opem illius. Id scilicet Sanctorum est, nunquã dicere sufficit mihi, justus sum, nec deficere, nec proficere amplius volo, sed potius, ante vivendi quam proficiendi finem facere; nec ullis retardari difficultatibus, quominùs melior seipso semper fieri contendat. Et Joannes quidem sic; nos autem non sic, sed qualibet cessandi à bono ac proficiendi studio & labore occasione gaudemus, Servi planè non filii, virga ac calcaribus indigentes. Propone indefessum emendandæ vitæ Studium.

4. Tu es qui venturus es?

SCiebat Joannes Christum esse Messiam, & tamen quærit an ille sit? Non ut ipse disceret, sed ut alios doceret. Vera quippe charitas, fit cum scientibus, & nescit cum discentibus, fitque omnibus omnia ut omnes Christo lucrifaciat. Et ubi sunt sunt illi, qui nonnisi in ædibus Christum prædicare, & nonnisi sapientibus magnatibusque sapientiam cæli revelare cupiunt, inter puerorum autem, rusticorumque greges de Christo dicere, aut erubescunt aut non sciunt. An vero pro his Christus non est mortuus? an istis non est opus Christo? an magis sapientes quã rudes prædicatione Christi opus habent? Zelus Christo pauperes lucrificiendi; desideriumque cum abjectis & pauperibus potius, quam cum magnatibus agendi & conversandi.

5. Tu es qui venturus es?

O Quoties gratia Christi ex vinculis illis cælestibus liberalissimi Jesu ad te nuntios suos mittit, quærens ex te Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Vellet ad te Gratia Jesu, sed quia in te obicem videt, apud Jesum veluti vincta tenetur. Mittit ad te igitur nuntios, inspirationes, Angeli custodis monita, varios mentis motus. Itane desiisti esse quod eras, homo tui amans, superbus facilis ad offensam Dei, quousque alium te exspectare Bonitas Divina debet? quousque divitias bonitatis ejus contemnes? cur thesaurisas tibi iram in die iræ, & impœnitens cor? Quare & quousque tenent te vanissimæ istæ mundi carnisque illecebræ? ô quid respondere soles istis nuntiis; quandoquidem eundem te deprehendunt qui fuisti; superbũ scilicet ut ante, curiosum ut ante, vagum, tepidum ut ante. Excitare aliquando, & labora, ut possis respondere talibus nuntiis Dei; Quod in Evangelio hodierno scriptum est; Cæci vident, quia nihil scilicet ex se, sed omnis sufficientia illorum ex Deo. Surdi audiunt, Deum potiùs quàm homines,

nes, quamvè seipsos. Claudi illi in utrãque partem claudicantes, jam tandem in plenitudine cordis ad Deum contendunt.

6. Tu es qui venturus es?

CRedisne tibi mortem imminere? credisne te Christi judicio tremendoque ejus tribunali sistendum? Quod non credas, argumento est præsens ista tepiditas, atque segnities in Servitio Christi ejusque vitæ imitatione. Quid autem, an talis ante judicis illius oculos comparere velis, qualis es? Quam vere tibi nũc à Christo dici posset. Tunc es qui venturus es ad judicium meum, & redditurus rationem de omnibus? an verò alium exspectamus? Ecce tres anni sunt, & sterilis arbor sterilis est, ut quid terram occupat, ab aliquo alio fructuosius occupandam? Igitur qualis ante Christum in hora judicii comparere velis, nunc tecum statue & talis esse incipe.

7. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

MAgis optantis quam sperantis vox ista est: licet ejus sit, qui finxit corda hominum. Usque adeò rari sunt qui in Christo non scandalizantur. Et tamen Christus quamvis videret tam multos in se scandalizandos, suâ ipsorum culpâ non tamen neglexit ideo opera Patris sui cælestis facere. Ita prorsus, nec te decet, propter humanas rationes, à Dei beneplacito recedere; sed potiùs oportet te dicere cum Paulo; Si adhuc hominibus placerem, servus Christi non essem; mihi enim pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die; etenim qui me judicat Dominus est, qui solus novit corda hominum, solusq́; rectè judicat. Contemne respectus humanos.

8. Beatus qui non fuerit Scandalizatus in me.

SCandalizatur in Christo, qui erubescit confiteri Christum, qui pudori sibi ducit, cum insignibus Christi Domini sui coram hominibus comparere, ô quoties scandalum istud in te patimur Domine Jesu; quoties crucis ignominiam, paupertatem, obedientiam, dolores, labores, humiliationem propter te sustinere erubescimus. Et quid est hoc aliud, quam scandalizari in te, dedecusque putare, tuis insignibus insigniri!

9. Quid existis in desertum videre?

COgita quid in hoc desertum egressus sis videre, ad quod videndum natus es? Desertum, mundus est; desertum, quia à Deo est desertum, Deo vacuum omni bonorum cælestium affluentia orbum. Exeunt aliqui in hoc desertum videre, qui revera non videre sed cæcari egrediuntur. Exeunt enim videre vanitates & nebulas, lutum, voluptates; & hi vident omnino nihil, imò videntes cæci fiunt. Ille vero exit in desertum videre, qui videt desertum, qui animum suum in rebus creatis non conquiescere agnoscit, qui ex creaturis ascendit ad Creatorem, qui cælum intuens, terram sibi sordere facit. O utinam ita anima mea exeas in desertum videre, non arundines superbiæ vento agitatas, non homines voluptuosos & mollibus vestitos, sed prophetam, qui antiquis, Videns, dicebatur, præscium, videlicet futurorum, mortis futuræ, judicii Dei, damnationis, præmiique in cælo perennis. Despectus terrenorum omnium.

10. Qui præparabit viam tuam ante te.

QUis erit iste qui præparabit viam tuam ante te hîc in hac vita, & in illo ad aliam incognitam vitam digressu? Planè, nisi is Joannes, Gratia scilicet erit, actum est de te. Sed quis iste est Joannes? excute eum totum quantus est, nomen enim ejus Gratiam Dei sonat, officium ejus est vocem esse clamantis in deserto, Homo enim est sed non vestitus mollibus: Propheta & plusquam Propheta, imò Angelus est. Talem te Joannem habere imò esse oportet, si viam ante te vis præparari. Ama igitur & præ omnibus cura ut Gratia Dei sit in te, ut vacua non sit, ut illam in vanum non accipias; scitoque quod in corpore molli delicatoque, Gratia Dei fervens & efficax moriatur.

11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt.

AUdivi aliquando objectum aliquibus; Ecce isti & isti in domibus Regum sunt, Cur? quia mollibus vestiuntur, væ nobis, & væ Religiosis. Si ideò eis Regum Procerumque domus patent, quia mollibus vestiuntur, quia mollis & adulatoria est lingua eorum, quia molliter & laxè conscientias tractant. Equidem verùm est illud; Multi veniunt ad nos ut ditiores fiant, pauci ut meliores. Miserum planè sic egredi Ægyptum, ut ad te Ægyptus recurrat divitiarum, honorum, promotionumque causâ. Utere quisquis es hoc excusationis clypeo. Ecce qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt: Cella mea, secretum meum, paupertas mea, mihi cordi. Quid Religioso & mollitiei? quid profugo à mundo & Domibus Regum? Amor asperitatum, carnisq́; afflictionum, & fuga negotiorum sæculi.

DOMI-

DOMINICA III.
Adventus.

1. *Tu quis es?* Ioan: 1.

DEus meus mi Jesu, quis tu? quis ego? Tu Deus meus & omnia, ego autem Servus tuus & filius ancillæ tuæ, Tu venis ad me, ego autem recipio te & quæro ex Te, Tu quis es? Tuque vicissim ex me, Tu quis es? sed tu respondes mihi voce grandi & magnificâ: Ego sum qui sum; & ecce ad te venio, ut cibus tuus sim. Ego verò quid dicam de me non habeo, quia ex me nihil sum; gratia autem tua sum quod sum. O Domine: pretiosissimum corpus Sanguisque Tuus, det mihi cognoscere hæc duo; Quis videlicet es tu? & quis ego? utq; recipiens & manducans Te, hæc penetrare possim; quærendo ex te, Tu quis es? Et quandocunque Tu veniens ad me, quæres ex me Tu quis es? cognoscam me incomprehensibilibus à Te distare intervallis, Teque esse Omnia, me verò omnium Nihil. Te esse aliquid omnibus nobilius, & excellentius, & pulchrius, & consummatius; me autem esse omnino nihil. Dei magnitudinem in Communione; tuamq; parvitatem considera.

2. Medius vestrum stetit:

MEdius omnino nostrum est Dominus Jesus, quoties sese nobis in Sanctissimo Sacramento communicat; medius in ore, medius in corde, medius inter nos omnes, & singulos nos, medius mediator pro nobis. Væ mihi, si hunc medium in me stantem, manentem nescio, indignè recipio, non dignè receptum tracto, indignè cum ipso versor. Aufer à nobis Domine Jesu hoc maledictum, ne de nobis dicatur, Medius vestrum stetit, quem vos nescitis: quia væ nostris tam frequentibus communionibus, & Sacrificiis, si quando te Deum nostrum sumimus, quẽ sumimus, nescimus, aut non perpendimus.

3. Tu quis es?

COnsidera quis tu es? quis in natura, quis in gratia; seu quis ex te, quis ex Deo? Rursum. Quis ex Deo sis, quid egisse poteras? quid merearis? Jam quis sis in corpore & anima, quis in utriusque partibus, potentiis, ac passionibus? Quis es officio & obligatione? Quis es apud Te? quis apud Deum? quis esse teneris, & quis esse neglexisti? quis es, collatus cum aliis majoribus, minoribus, æqualibus? quis es comparatus Deo? Notitia sui.

4. Tu quis es?

IN his verbis omnis latet medicina adversorum omnium, omniumque passionum importunè effervescentium. Læsit te aliquis? indignè fers? ultionem cogitas? cogita statim? Tu quis es, Prælatus est tibi alter, tuo judicio minor? Tu quis es? Perge sic per omnia in hac communi vita, contingentia, & invenies hanc quæstiunculam, in omnibus medicamento esse posse.

5. Tu quis es?

COnsidera quis sit Deus in natura sua? quis in operibus externis? quis ad intra, quis in dignitate, potentia, pulchritudine, gubernatione, Sapientiâ, providentiâ, miserationibus, bonitate, amore, & in aliis infinitis attributis; potissimùm autem in longitudine æternitatis, latitudine charitatis, altitudine Sapientiæ, profunditate judiciorum. Item quã sit admirabilis in Angelis, in hominibus amabilis, in reprobis terribilis &c. Dei Cognitio.

6. Tu quis es?

QUære ex omnibus & singulis creaturis, Tu quis es? Ac primum disces quod sint ex nihilo, à Deo in usum & servitium hominum factæ, quas tamen insipientia hominum Dominas proprias constituit; fecitque ex adjumento impedimentum. In omnibus ergo creaturis, quæ sese ad usum, vel ad voluptatem, vel ad necessitatem offerent, hanc quæstionem, Tu quis es institue, ac ipse respondere debebis. Allicis me ad te ô creatura? sed quis tu es, ut tui causâ à Deo discedam? An sapit, qui à fonte rivuli causâ discedit? An sapit qui à Sole ad radium transit? an sapit qui ramum arbori præfert? Sed ais; Illa creatura, sese mihi opponit, facitque molestiam in via Dei; sed tu, quis es? ei responde, qui opus Dei impedis & avertis: non es tanti, ut me timor tui, aut laudes tuæ à Divinis obsequiis avertant.

7. Ego Vox Clamantis.

TOtus Joannes Vox, totus & Religiosus Vox est. Clama ad Deum, Clama pro Deo, ad Deum pro auxilio, pro Deo ad homines, Clama pro peccatoribus contra peccata, clama intentione cordis purâ & rectâ, clama fervore oris, verbisq; cum zelo prudenti igneis. Clama exemplo, vita, opere, charitate, Dei gloriæ, Salutisque proximi dilectione. O quis iste qui dicere potest Ego Vox, Vox motu, aspectu, gustu, incessu, linguâ, oculo, manu, pede, veste omnibus denique moribus & membris, Vox Deum laudans,

Deum prædicans, arguens peccata, virtutem docens. Sed enim multi hodie sumus vox oris, voce externa Speciei, sed pauci sumus Vox cordis, pauci Vox operis, pauci Vox arcti exempli, morisque compositi. Et tamen certum est Frustra clamatur ore, si non clamatur opere; & hinc tam modicus nostrarũ Concionum, nostrarum conversationum fructus.

8. Ego Vox clamantis

OMnis creatura quanta quanta est, vox est, Clamat, ipse fecit nos & non ipsi nos. Clamat deficio, clamat non Satio, clamat maculo, clamat onero, sed homines surdi sunt, aures habent & non audiunt, vel potius opposita audiunt.

9. Ego Vox clamantis in deserto dirigite viam Domini.

QUi clamat in deserto hujus mundi Deus est. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri; vox autem clamantis, & quasi echo resonans, seu, qui vocem intus audiunt foris reddunt, sunt Concionatores; sed quid istæ voces sonant certè non debent aliud quidquam sonare præter istud: Dirigite viam Domini; Non seipsum debet concionator prędicare, non quæ sua sunt quærere, non aliud creatum ambire, sed directionem viæ Domini. In hoc solo præcipuè officium eorum situm est, ut dirigant viam Domini. Alii Doctores, alii magistri, alias vias dirigant; docent enim vel malas, vel humanas tantùm artes; vel si altiores paulo, indifferentes tamen in usu. Concionator non sic. Dirigunt alii viam Superbiæ, alii ambitionis, alii arrogantiæ, alii avaritiæ, fraudũ, hæreseos, pseudopolitiæ &c. Concionator viam Domini debet dirigere, hoc sonare, hoc clamare, hoc inculcare, & ita, ut præter hoc nihil aliud clamet; nec cessare debet; non enim Deus clamare cessat. Videat itaque ut semper Vox clamantis sit, & dignè sit. Non decet Deum vox turpis & absona, non quadrat Verbo humilitatis, Vox superbiæ, non decent stultum verba composita ex sermone verboq; ovino, voce & ululatu lupino; absona vox est, quæ aliud dicit, aliud facit, dicit benè, vivit malè; ore bona, corde mala, opere pejora clamat. Uniformis, proportionata, tractabilis, flexibilisque vox esse debet Dei. Clara, quæ verum dicere non reformidat; sonora, viva non placentia tantùm sed utilia loquens. Animata Spiritu, non externo eloquentiæ fuco; talem enim Dei vocem esse decet. Si concionatori vox est, & non talis, non Dei vox est, sed diaboli, mundi, hominis Superbi. ex eoq; apparebit, quia non appetunt desertum sed frequentiam.

10. Ego vox clamantis in deserto.

COncionatoris officium, dignitatem, finem, considera, & disce hîc maxime, quod sit & esse debeat, non vox simplex, sed Echo; ut nempe prius à Deo audita dicat, ut priùs ipse impleatur antequam effundat, ut sit vas, non canalis: ut ex abundantia cordis loquatur os ejus, ut videlicet sit repercussio operis, & vitæ imago oratio ejus; ut sciat, inter convalles repercuti vocem, in patenti verò ac plano loco Echo non audiri, quia humilium scilicet verba efficacia sunt & valida, voces verò superbiæ, & oratio in oculis hominum facta, laudesque & plausus eorum captans, enervis & infructuosa, concidit, rapiturq; à vento.

11. Ego vox clamantis in deserto.

VIde quanta vallis sit Joannes; Pro Messia à Principibus agnoscitur, At ille quid? ingenuè negat. Messias es tu? non, Propheta? non, Vides ut resonat, quam probe sonum reddit. Quid igitur dicis de te ipso? Vox ego sum clamantis; non ipse clamans, non ipse clamor, sed vox tantum clamantis. Echo sum tantum. Non ego sum qui clamo, non ego sum qui loquor, verba mea non sunt mea, non ego mihi tantùm sumo, vox saltem sum ego. Minimum est in sermone humano Vox; à corde, à mente omnia procedunt; hoc sentio, (ait Joannes) de me. Hoc omnes Concionatores qui viam Domini dirigunt, sentire debent. Ita Joannes se subjecit, ut corrigiã calceamenti Christi inferiorem indignioremque se dixerit. Tu quoque Concionator fac similiter.

DOMINICA IV. Adventus.

1. Parate viam Domini. Luc: 4.

DOminus veniet saliens in montibus, transiliens colles. Festinat equidẽ, amore & bonitate impellente, sed quia montes & colles cursum præpediunt, salire & frequenter transilire cogitur. ô ingratitudo cordis mei, agnoscit, enim majestatis Dominum festinare ad se, at tamen viam ejus complanare negligit. O cæcitas nefanda, quæ sic montes & colles tuos amas, ut Christo eos malis objicere, quàm propter ipsum dejicere. Ecquid tandem

tandem proderit tibi superbia tua, fastus tuus, vanissimæ tuæ reputationes? si Christus te transierit, & ad te venire non poterit? Depone anima mea Superbiam tuam, & omnem cordis tui sublimitatem, eamque quantum potes deprime. Dominus enim JESUS humilia respicit, & demissa intrat domicilia, alta autem & superba corda transilit, eaque à longè declinat. Cùm enim montes sint alti, videri facilè possunt, sed non adiri, præsertim ab his, qui oneribus aut muneribus onusti aliquo festinant, planam enim isti & rectam nec asperam amant viam. Si itaque Dominum vis ad te venire, tecumque manere, para illi viam; omnem montem & collem in te humilia, omnibus, etiam vilissimis creaturis te subjice collocans te infra singulos. Omnem autem vallem defectuum, & imperfectionum quotidianarum, imple novo fervore, charitate, & diligentia, hanc enim viam JESUS intrat libenter, quia recta est & plana. Ipse à muneribus gratiis, meritisque incedit onustissimus, quæ vult apud te deponere, si modo in via impedimentũ non posueris. Præparatio.

2. *Factum est Verbum Domini in deserto.*

COnsidera quam felix, ac quam utilis Deoq; grata, sit piæ mentis Solitudo, suiq; ab humana conversatione subtractio & liberatio. Non enim potest Spiritus S. loqui ad cor hominis vagi ac distracti ac per humana, mundanaq; dispersi. Secretò Spiritus loquitur, in Secreto manet, & nonnisi à secreto & in secreto sentitur. Vis verbum Dei ad te fieri? in deserto mane, non quidem corpore sed magis mente; intus tecum mane; Quin & corpore Solus esse ama, quamdiu per charitatem aut obedientiam licet. Liquor pretiosus non bene clausus, amittit odorem: & feraens Spiritus, rarò cubiculo inclusus, deperdit ardorem. Ama igitur Solitudiuem & loquar tibi ad cor, ut cor audiat, quid cor volet, quæ cordi sapiunt, quæ cordi vitam dabunt, loquar efficaciter, loquarq; ita, sicut cor cordi loqui potest. Ego enim spirans cor suum Sanctissimæ Trinitatis, & in cordibus hominum habito.

3. *Parate viam Domini.*

OMnium hoc mortalium munus est parare viam Domini, sed aliqui sunt qui tantum in seipsis eam parare tenentur, aliqui etiam qui in aliis. Tu vide quorum sis de numero. Rursus multæ sunt & multiplices viæ Domini, Latiores aliæ, aliæ strictiores, quæ semitæ nuncupantur: magis quidem compendiosiores, minùs verò notæ. Non enim omnes capiunt verbum illud, Beati Pauperes, Diligite inimicos &c. Alii sunt Eunuchi &c. Qui vos audit &c. Addo quod iisdem viis homines ad Deum quibus Deus ad homines venit. Nec quâlibet viâ ad hominem venit, nec qualibet venientem recipit. Multùm igitur considerandum est, quæ sint viæ quibus incedas, & ad Dominum vadas, quamq; Deo ad te venturo facias. Est quippe via quæ videtur homini recta, sed novissima ejus ducunt ad interitum. Præterea, Viæ Domini, aliæ sunt in ipso, ad ipsum, & hæ investigabiles, aliæ in Creatione admirabiles; aliæ in Redemptione, hæ imitabiles; aliæ in justificatione, hæ amabiles; aliæ in glorificatione, & hæ admirabiles, desiderabiles; aliæ in judicatione, & hæ formidabiles. Insuper parant alii viam Domini ad homines, alii viam Domini ab hominibus, alii pro hominibus, alii contra homines. Ab hominibus & contra homines parant viam Domini, peccata hominum & Scandala. Ad homines & pro hominibus parat viam Deo patientia & zelus animarum. Denique Viæ Domini quædam sunt quæ videntur difficiles, cum sint faciles valde, videntur obliquæ, & sunt rectæ, videntur asperæ & sunt molles, videntur tenebricosæ & sunt lucidæ, videntur longæ, & sunt compendiosæ.

4. *Parate viam Domini.*

VSque modò Deus ad nos iter instituit, & ex nunc præparatio ejus adventûs, dicitque, Vado & venio ad vos, quaque horâ non putatis filius hominis veniet. Quid igitur agendum? hoc; si veniet Christus, jam non ad salvandum sed ad damnandum; non ipse judicandus, sed te judicaturus veniet, non humilis, sèd in gloria & majestate magna; huic ejus adventui cõpetenter viæ parandæ. Venturus est Christus ad judicandum te? judica teipsum; venturus ad humiliandũ? humilia te ipsum, venturus ad confundendum & arguendum? confunde & arguè tu teipsum. Si enim teipsum judicaveris, utique non à Domino judicaberis: Deus enim non percutit bis in idipsum. Nescit Ira Dei sævire in eum qui sibi ipsi non parcit; nescit eum deprimere qui seipsum humiliat; nescit eum accùsare, qui se arguit. Itaque quod tibi, tunc à Deo fieri non vis, hoc tibi ipse nunc facito.

5. *Omnis vallis implebitur.*

QUo implebitur? bonis: Esurientes im-

 plevit

plevit bonis. Unde Moysi esurienti videre faciem Dei, Ego, inquit, ostendam tibi omne bonum. Et Christus, Beati qui esuriunt, ait, & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur: quod & David Dei nomine spondet; Replebitur, dicens, in bonis desiderium tuum. Est enim fames ista vallis profunda, quantoque fames major, tantò vallis profundior; & quantò vallis profundior, tantò capacior. Vis impleri? esuri; vis impleri multum? esuri multum. Multùm esurit, cujus anima renuit consolari, dum dicitur illi quotidie, Ubi est Deus tuus? multum esurit, qui solum Deum, solam justitiam, solam perfectionem esurit. O Beata fames, noli illam implere anima mea delectationibus sæculi, si vis impleri bonis &c. Fames & Desiderium amplius proficiendi, vide Aug. in Ps: 41. & Psal: 64.

6. Omnis vallis implebitur.

COr humile, vallis est. Si itaque cor tuum humile est, à Deo implebitur. Corda Deus implet non ora; aut certè priùs corda quàm ora. Sis igitur humilis corde, ut implearis Deo. Non solum autem capax, sed & pretiosum Deus esse vult vas illud, quod seipso debet implere: Cordis verò pretium est Caritas, ejusdem capacitas, est Humilitas. Amator Dei humilis, ipse est capax, profunda, & implenda vallis; Humilis fuit Beatissima Virgo, & respexit Deus humilitatem ancillæ suæ, fecit eam gratiâ plenam: Spiritus S. supervenit in eam, qui super humiles requiescit, replevitq; Virginis, non solum mentem, sed etiam Ventrem, Verbo illo, unico quidem, sed quod significat omnia, in quo omnia, per quem omnia, & sine quo factum est nihil. Vide quomodo impleta sit vallis ista, ita quidem ut de ejus plenitudine nos omnes accepерimus. O Humilitas, quæ sola Deo impleris, Deum capis, Deum concipis & paris! ut non solum ipsa abundes, sed & alios etiam abundare facias, generesque Deo filios Dei. Hoc habet privilegium Humilitas: amas illud? ama Humilitatem.

7. Omnis collis humiliabitur.

QUid mirum si colles humiliantur, cum ipse mons Dei, Deus ipse, ipse Altissimi filius humilietur. Hoc potius mirum, quod Deo sic humiliato, tamen homini veniat pes superbiæ? verè diaboli superbiam esse oportet, in eo qui in tanto humiliationis Divinæ exemplo superbus manet. Ideò namque cecidit diabolus, quia Verbum incarnandum audiens, humiliari coram ipso renuit. Quid igitur homo, nisi diaboli superbiam habeat? qui Verbum videat Incarnatum & humiliatum, humiliari tamen vel coram ipso, cum ipso renuit. Rectè sane nascente Christo omnis collis humiliabitur, vel sponte, Christi exemplo, vel coactè diaboli supplicio. Tu elige utrum velis.

8. Erunt prava indirecta.

COnsidera Christum ad hoc natum, ut ea quæ ante Sapientibus stulta videbantur, ostenderet esse Sapientiæ mysteria; quæ fortibus videbantur infirma, robustiora fierent hominibus; quæ superbis erant contempta, ea fierent amicis Dei honorifica. Ita Paupertas honorabilis, Castitas amabilis, Obedientia gloriosa, Persecutio dulcis, Amor hostium facilis factus est. Considera ad hoc natum Christum, ut viam cœli difficilem, facilem faceret, sublatis cæremoniis, collatâ gratiâ, dato exemplo fuso sanguine, spe præmii certi, nec differendi positâ. Cum itaque jam & prava directa, & aspera sint complanata, quàm excusationem homo prætendere potes, quominus per viam salutis & perfectionis incedas, totumque te Sanctitati, & Cruci Christi ferendæ devoveas?

9. Erunt prava in directa.

POstquam Christus venerit ad judicium, hæc omnia consummabuntur. Vallis omnis implebitur, Collis humiliabitur, Prava erunt in directa, & aspera evadent in vias planas. Multi enim nunc sunt, qui ita habent profundum avaritiæ sinum, ut nullis eum opibus possint implere. Ita multi laudum honorum dignitatumque sublimitatem appetunt, ut illis impossibile sit vel uni cedere, vel ab uno puncto gloriæ recedere. Ita quibusdam stulta videatur & prava perfectionis Evangelicæ Via, ut malint juxta leges Sapientiæ mundanæ vivere quam magisterium exemplumque Sapientiæ Increatæ & Incarnatæ sequi. Ita denique plerisq; Via Domini, & Via Spiritus videtur difficilis, ut æstiment Vitam Sanctorum esse insaniam & finem eorum sine honore, putentq; impossibile esse, carere mundi carnisque voluptatibus & delectationibus. Sed hi omnes has universas suas fabulas, manias & insanias, in die mortis aut judicii extremi, condemnabunt: videbunt quoq; & fatebuntur, facillimum sibi, si voluissent fuisse, & vallem cupiditatis impleri & collem superbiæ humiliari, viasque Domini non pravas sed directas, atque ad beatitudinem rectâ tendentes; nec

Vias

Vias Sanctorum asperas sed planas; valde se verò erraſſe à via veritatis, laſſatos eſſe in via iniquitatis, & ambulaſſe vias difficiles. Tu igitur ſi ſapis, nunc ultro pravum tuum, ſi quod habes, de rebus judicium corrige, ne aliquando illud fruſtra & ſerò cogaris corrigere.

DOMINICA Infra Octavam Nativitatis.

1. Erant mirantes ſuper his. Luc: 2.

BEatiſſima Virgo & Joſeph mirabantur ea quæ de Puero Jesu dicebantur. Non miraberis & tu, quæ ab eodem Iesu Domino & Deo tuo in te, & tibi fiunt? Miraris Infantem faſciis involutum, in ulnis maternis jacentem, ubera ſugentem, & non miraris eundem jam glorioſum, faſciis tamen ſpecierum tectum, in corde tuo miſerè commorantem; te uberibus pietatis & gratiâ ſuâ lactare. O ubi eſtis Stupores! cur non omnes ſuper his eſtis mirantes?

2. Ecce hic poſitus eſt in ruinam.

SUmunt boni ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitûs. Vide igitur quam diſpar ſit paris hujus ſumptionis exitus? & excute aliquando, inveteratam illam tuam in ſumendo Sacroſancto Chriſti corpore tepiditatem. Et ſi te tanta non cõmovet majeſtas, tam anceps, ſaltem periculum commoveat. Ruina eſt Cibus iſte, ſi indignè ſumatur; Refectio eſt, ſi puro & humili corde manducetur. Quoties igitur Corpus Chriſti, vel tractas, vel conficis, vel ſumis, toties dici tibi puta; Ecce hic Cibus poſitus ante te, vel in ruinam vel in refectionem tibi. Cogita utrum ex ejus uſu fructum reportare velis. Nonne anima mea contremiſcent omnia oſſa mea ad denuntiationem hanc tam perplexam tam ancipitem? Væ tibi ſi hic cibus fiat in ruinam tibi vel ſemel. Quem interficit medicamentum, quid ſanabit illum? Digna Communio.

3. Erant Pater & Mater ejus mirantes.

DIſce à Sanctiſſima Virgine & Joſepho mirari ea, quæ vel de Chriſto narrantur, vel à Chriſto fiunt. Et turbæ quidem imò Doctores ſtupebant in doctrina & reſponſis ejus, mirabanturque in ſermone & verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. Et quidni miranda diceret verba Verbum Incarnatum? quidni mira de eo prædicarentur? Generationem enim ejus quis enarrabit? & quis tentabit, talia tantaq; enarrare? opera geſtaq; ipſius Utinam tamen ſciamus mirari verba quæ dicuntur de Jesu & ab Jesu, & ita quidem, ut exemplo Sanctiſſimæ Virginis, conſervemus omnia, conferentes & meditantes ea in Corde noſtro. Quæ enim potior occupatio vel ſolatium majus? unde doctrina certior, quam ex ruminatione Divinorum eloquiorum? Meditatio Scripturarum.

4. Ecce hic poſitus eſt in ruinam.

CHriſtus Dominus licet Salvator omnium eſſet & Speculum omnis innocentiæ, ea tamen in mundum conditione venit ut paratus eſſet tam bene dicentes ſibi, quam contradicentes ſuſtinere: ut & tu diſcas, hac tibi conditione, Chriſti inſiſtendum eſſe veſtigiis, ut & per ignominiam & bonam famam per approbationes & detractiones multorum, eum ſequaris; ſciasque & abundare & pati penuriam, adeò ut quantum quidem in te ſit, omnibus ſit vita tua in reſurrectionem, doctrinam, & ſalutem: attamen ſi fortè alicui abſque culpa tua fuerit, in ruinam; non tamen ideò, à Chriſti imitatione recedas, cum habeas contradictionis in ipſo exemplar; ſi enim ipſum perſecuti ſunt, utique nec tibi parcent: quis enim major meliorq; Deo tuo eſt?

5. Ecce hic poſitus eſt in ruinam,

REcogita è quorum ſis hominum numero, eorumne quibus Chriſtus in ruinam, an quibus eſt in reſurrectionem? Utique Beatus, ait Chriſtus, qui non fuerit in me ſcandaliſatus. Et rurſum; Lapidem quē reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: qui ſuper eum ceciderit collidetur, ſuper quem autem ceciderit ipſe, confringet eum. Exemplo eſt lapillus ille Danielis, vide itaq; inter quos ſis; Illis Chriſtus eſt in ruinam, quibus vivendi malitia & tepiditas, inconſtantiaque in Divino ſervitio eſt uſitata. Odit enim Deus duabus viis incedentem ſimulque Dei arcam cum Dagon ſtatuentem. In Salutem iis eſt Chriſtus, qui puro corde & perfecto jugiter Deo placere, Chriſtoque per omnia aſſimilari contendunt. Talis eſto ſi Chriſtum in reſurrectionem tibi eſſe cupis.

6. Tuam ipſius animam.

JAm tunc ab iſta Simeonis prædictione, in Corde Matris gladius ſtetit dolorum, audiens ſiquidem filium ſuum in ſignum cui contradiceretur poſitum, haud dubie & ſe ſine contradictione non futuram videbat,

debat, & contradictiones Filii tanquam suas futuras, imò tanquam præsentes sentiebat. Toto igitur tempore Beatissima Virgo, quo Christus vixit, gladium in corde portavit. O si verus hujus Matris filius aut servus fores, nonne compatereris frequenter Matri, gladium illum tam diu & tam acerbe in corde portanti! Ad hoc sane gestavit eum, ut revelentur ex cordibus multorum cogitationes. Constitue in singulos dies, sicut de Christi Passione, ita & de doloribus Matris aliquid meditando delibare ut sic te verum hujus Matris ac Dominæ tuæ filium servumque demonstres.

7. *Et in signum cui contradicetur.*

TOtus Christus signum est quod & contradicat omnibus, & cui contradicant omnes. Primum fatentur impii. Contrarius est, ajunt operibus nostris, abstinet se à viis nostris, Alterũ Simeon hic Sanctus denuntiat. Percurre itaque vitam Christi totam, omnia verba, omnes mores, rationes, doctrinam & illi mundana omnia compara, videbis quam sint contradictoria inter se. Est proinde Christus signum, cui mundus contradicit; & mundus signum est, cui contradicit Christus. Tuum est, alterutri assistere parti, cumque Christo esse Signum cui contradicat mundus, vel cum mundo cui contradicat Christus: qui enim, ait ille, non est mecum, contra me est.

8. *Quæ non discedebat de templo.*

SUrgunt indocti & rapiunt cælum; surgunt imbelles fœminæ, & vim inferunt ostiis æternis. Ecce hæc mulier Hebræa, confusionem facit tibi Christiano, tibi Religioso: hæc enim ad annos 84. non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus instabat die ac nocte, & quantum id distat à teporibus tuis? quantò id magis conveniret vitæ tuæ rationibus?

9. *Puer autem crescebat*

ATtende an in te formatus sit Iesus? an natus? an crescat? an confortetur? quam enim sæpè nascitur in corde tuo Iesus per melioris vitæ proposita, atque principia, quæ tamen quia non diu durant, sed citò flaccescunt & extinguuntur, Christus nõ crescit uec confortatur, verùm instar seminis illius, quod cecidit vel secus viam, vel super petram, vel inter spinas, excrescere non potest, quia ab humanis cogitationibus, conculcatur, opprimitur, nec crescit, fitque cibus avibus cæli, hoc est irrisio Dæmonum, quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consũmare; aruit in illo bonum semen, quod fuit enatum, quia caruit perseverantiæ humore, & ab æstu sensualitatis negligentiæque, incrementum vigoremque sumere non potuit.

DOMINICA I.
Post Epiphaniam.

1. *Quid fecisti nobis sic?* Luc: 2.

QUam merito quilibet communicans Sanctissimo Sacramento, potest ad Iesum hæc verba usurpare, Quid fecisti nobis sic? Obstupescunt enim Angelicæ mentes ad tantam Christi dignationem ac amorem, videntes Dominum suum, in quem illæ prospicere desiderant, tam frequenter, tam amanter, tam liberaliter, vili adeò, ingratæ, ac pauperi creaturæ, homini videlicet sese communicare. O Anima mea intuere saltem altare illud, in eoque Christum commorantem, adventum tuum præstolantem, ac Cænam illam magnam & admirabilem propter te instituentem. Nonne meritò obstupefacta dices illi, Quid fecisti nobis sic? video Divinitatem, video corpus, video Animam, Sanguinem, merita, virtutes, majestatem, gloriamque Dei, ac Redemptoris mei Iesu Christi mihi ad sumendum participandum possidendum esse propositam ab ipso Amore meo Iesu, & nonne illi merito dicam? ô Amor mi Iesu, quid fecisti nobis sic? Quis ego sũ? & Quis Tu ô Iesu? & quid fecisti tu mihi, & quomodo fecisti? Sic, ô verè, sic Domine fecisti, sicuti scilicet tu solus facere & potuisti, & voluisti: quod nimirum nullus intellectus apprehendere, nullaque verba humana exprimere, quemadmodum factum est à te, possunt. ô Anima! à te ipsa descisce præ admiratione eorum quæ tibi hodie Iesus tuus facit sic. O si intelligeres quid fecerit tibi Dominus tuus sic? quomodo fecerit? & quare fecerit?

2. *Cum factus esset annorum 12.*

MAturè Christus Dominus se à maternis consanguineorumque Domibus ac curis segregat, jamque prædicat exemplo, quod postmodum prædicaturus est Verbo: Si quis diligit matrem &c. plus quam me, non est me dignus. Tu vide quomodo affectum ad Sanguine junctos exueris, maximè verò erga, tuam ipsius carnem, sensualitatem, judicium proprium & voluntatem.

3. Cum

3. Cum esset annorum 12. remansit Puer IESUS.

SIngula verba perpende, quia ideo Spiritus S. per Evangelistam minutim ea exprimi voluit, ut tantò nobis efficaciùs esset Christi exemplum. Annorum adhuc 12. Iesus, descendit in templum, & puer duntaxat, remansit ibidem, negotiis solummodo Patris sui cælestis intentus, Sanctæ vero V. Matris oblitus; dolorum etiam ei ob suam remansionem imminentium gnarus. Erubesce tu, quòd in tanta licèt ætate, necdum tamen, sincere ex integro Deo servire cæpisti, admove manum cùm Davide dicente, Nunc cœpi, & fac similiter.

4. Et cognoverunt Parentes ejus.

NEmpe frequenter se nobis Iesus occultat, tentatq; nos Deus noster, num sincero eum corde diligamus, num tempore tantùm consolationis credamus, tẽpore autem tentationis recedamus: Socii mensæ, sed non Socii dolorum. Item quia tu frequenter recedis, ab Hierusalem, descendis in Hiericho, ideò etiam frequenter pendis Iesum, incidis in latrones, qui & despoliant te, & plagas tibi imponunt, vis autem recipere Iesum, frustra illum inter cognatos & notos requiris, frustra in comitatu externarum occupationum, sensualium delectationum, aut corporalium phantasmatũ quæris, in Hierusalem te redire oportet, ibi videbitur Deus in templo Sancto suo, videbitur Deus in Sion: Exemplum habes in Matre Virgine, quæ sic fecit, & filium recepit.

5. Et factum est post triduum.

COgita quid hoc triduo Christus egerit? Ubi & quomodo vixerit, manserit, hospitatus est, pernoctavit? & invenies, multùm te adhuc delicatum ejus esse imitatorẽ. Statue aliquid simile hodie cum illo & pro illo sustinere.

6. Et factum est post triduum.

CHristus amissus nonnisi per triduum requisitus inveniri potest Dolore videlicet, Emendatione, Constantiâ, vel, Humilitate, Desiderio, Patientiâ. Amittitur enim Christus, tum per peccatum, tum sine peccato, prius, itaque triduum priorum est, posterius posteriorum. Amittitur aliquando Christus, quia quæri vult, quia docere vult, se amitti posse, quia custodiri, detineri, vim sibi fieri amat. Amittitur, ut humiliet per absentiam, quẽ fortè extulit per præsentiam. Amittitur, ut pellat securitatem negligentiæ, manente amissionis periculo, ex quo postea solicitudo profluit. Amittitur, ut ex desiderio ac sequenti dolore, tædioq; amorem vel procreet, vel stimulet. Amittitur, ut homo seipsum cognoscat, quis videlicet sim cum Iesu quis sine Iesu. Amittitur denique Iesus, quando ita tenetur, ut amor ejus in proximos non derivetur, non vult enim ita haberi Iesus, ut privatim uni tantùm sit & prosit, sed ut etiam communicetur. Itaque respondet; An nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? quoniam opera quæ Pater facit, filius similiter facit. Et quia Pater meus, usque modò operatur, ideò & ego operor. Sæpè etiã Jesus à piis abit, cum soli sunt, at si conversari cum proximis incipiunt, interque eos Iesum requirunt, fit ut ipsi Iesum inveniant, & alios ad eum adducant, juxta illud: Si quis audit, dicat veni; & illud, Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum &c. qualis dilectus tuus? &c. est enim communicabile bonum Iesus. Oleum effusum nomen ejus. Et ne cunq; blandiaris tibi, de quali animarum zelo, neve contentus sis, unum aut alterum proximum Deo reddidisse & in uno, alterove Iesum generasse, adverte quod etiam à Parentibus amittti possit; quia non solum steriles Christus deserit, sed etiam minus fæcundos.

7. An nesciebatis quia in his quæ Patris &c.?

DIsce, ubi? & in quo? inveniendus sit Iesus, non alibi quam in his quæ Patris cælestis sunt, quidquid non Deo, nec propter Deum agis, ibi Iesum non invenies. Et quam multa sunt opera tua hujusmodi, ex quibus nullus Deo honor, nullum proximo auxilium, nullum tibi meritum profluit, in quo sola tua supina tibi nocet negligentia.

8. Erat subditus illis.

QUis? quibus? Deus hominibus. Attamen erat Subditus illis! Disce terra subdi, disce vilitas humiliari, ne ista subjectio Christi, tua fit aliquando, qui obedientiam vovisti damnatio! Quã enim, improbe, dabis tuæ inobedientiæ excusationẽm, hoc unico contra te Christi stante exemplo.

9. Et descendit cum eis, & venit Nazareth.

AB Hierusalem Christus in Nazareth descendit, ut sit subditus parentibus: ut satisfaciat obedientiæ, relinquit Hierosolymitanum templum, & Doctores, & miratores suos &c. Hoc quid est aliud, quã ut exemplum perfectæ obedientiæ relinquat tibi; ut nempe omnia propter unicam obedientiam deseras, contemplationem,

nem, & extases, & Deum propter Deum, & quælibet honorifica; & sis subditus illis, quos tibi præposuit Deus.

10. Et IESUS proficiebat.

JESUS ne proficiebat? ita omnino, proficiebat, non sibi sed nobis. Proficiebat, ut nos proficeremus, ut nobis nunquam de profectione blandiremur. Si non proficis, Jesus autem profecit, quomodo illi similis eris? quomodo sicut ille perfectus eris? Utique qui non crescit, respectu ejus, qui crescit, decrescit, & qui inferius manet, respectu ejus qui sursum ascendit, descendit; & qui stat, respectu ejus qui pergit, quodammodo retrocedit; Stans equidem euntem nunquam assequitur, quantò minùs festinantem, & tanquam Gigantem ad currendam viam exultantem. Proficiebat Jesus, tu itaque perfectum te esse, nunquam tibi persuade.

DOMINICA II.
Post Epiphaniam.

1. *Nuptiæ factæ sunt.* Ioan: 2.

O Verè nuptiæ! in quibus sponsus obnubit se velo specierum, & ad sponsam, id est, ad animam venit; In his nuptiis Jesus est convivator & Neosponsus. Anima autem Sponsa est, & ad convivium accedit Sponsoque suo pascitur. Venerunt Nuptiæ Agni, & non solùm uxor ejus, sed & ipse Sponsus præparavit se, adduxit secum Matrem, adduxit discipulos, venit in Cana Galileæ, zelo & pietate ductus, migrat de cælo in terram. O quis dignè consideret nuptias istas inter Christum & animam, in Sanctissimo Sacramento institutas! verè zelus hic est, & æmulatio, quâ Christus animam zelat & æmulatur. Ut enim anima per cibum corporalem, corpus suum quod animat, nutrit, vegetat, & impinguat, ita quoque cibo spirituali, id est, seipso Christus eam nutrit, vegetat, & impinguat, facitque plenam & opulentam divitiis spiritualibus. O si & tu anima mea degustares nuptias istas! Et quantum quidem est ex parte Christi, planè nihil desideratur, dum modò tu tibi ipsi non desis. Zela itaque amore Sponsi tui, æmulare eum, migra ab omnibus quæ terram sapiunt, migra de tepore ad fervorem, de vitiis quotidianis ad jugem cordis puritatem, serviasque Christo volubiliter & promptè, idque tamdiu, donec transmigrationis tempus veniat, id est, donec deposito carnis tabernaculo, intres ad cælestes illas, æternasque Sponsi tui & Agni nuptias.

2. Et erat Mater IESU ibi.

O Beatæ nuptiæ! in quibus Mater Jesu adest, non enim timendus est ibi vini defectus. Quid namque desit Gratiæ, ubi ipsa est Mater Misericordiæ? Non hæc est Mariæ natura. O Anima mea Jesum quoties in nuptiis tuis habere cogitas, Mariam invita, quæ te Filio suo reconcilict, cõmendet, repræsentet, ipsũque ad te Filium adducat; Nescit enim Jesus sine Maria, nescit filius venire sine Matre, sed & nescit abesse, Matrem ubi novit adesse. Cura itaque ut dicatur de anima tua, Et erat Mater Jesu ibi. O quantas opes, ô quantum habet præsidium, Mariam qui habet! quis infernus terreat istum, apud quem residet Maria? Age anima mea! Mariam tibi fac propitiam, fac familiarem, in omnem quidem vitam, sed præcipuè mortis in hora.

3. Deficiente vino dixit Mater ejus ad eum, vinum non habent.

AGnosce quam utilis sit Mariæ ubique præsentia, quid egissent Neonupti deficiente vino, nisi occurrisset Maria, vel nisi adfuisset necessitatemque prævenisset, ac rubori sponsorum occurrisset? Rursum vide quam sint pietatis perplena apud Mariam viscera. Defuit vinum, nemo ab ea ut succurrat petit, ipsa ultro rem suggerit Filio, & ut inopiæ subveniat precatur; Usque adeò parata est Maria egentibus succurrere, ut non sint tam faciles promptique homines postulare subsidium, quam ipsa impetrare auxilium. Elabora igitur Mariæ te patrocinio, assiduis tuis in eam obsequiis reddere commendatum, si etiam nihil cogitans ejus vis experiri intercessionem. Devotio ad B. Virginem.

4. Vinum non habent.

O Quam multi sunt qui vinum non habent! aliis vinum deest gratiæ, aliis pœnitentiæ, aliis fervoris, aliis consolationis, aliis misericordiæ in proximos, aliis zeli Dei gloriæ, hominumque salutis, aliis aliud vinum deficit; sitique pereunt tam ipsi, quam jumenta ipsorum. O Rebecca, quis dabit potum nobis & camelis nostris, nisi tu Soror nostra Maria Filio tuo dixeris, Vinum non habent. Ecce Fili servi tui sicut in via deserta & inaquosa sic in Sancto apparent tibi, miserere illorum. Vere ô Maria non habet vinum anima mea, quo olim abun-

abundabat, fervoris & jugis, constantisque ad perfectionem conatûs: plena est aceto amaritudinis fecibus peccatorum, aquâ tepiditatis, ac immortificationis: vult & non vult, quia ei vinum deest, illud quod lætificat cor & dilatat. Impetra mihi vinum istud, vinum conditum, vinum Sanctorum.

5. Quid mihi & tibi mulier?

HÆc utique deberet esse vox verè Spiritualium; quorum attendere est non quid caro possit, sed quid Spiritus velit, non acquiescere carni & sanguini, sed scire se expedire à carnis blanditiis. Blanditur vanitas, blanditur curiositas, blanditur sensualitas, voluptas, Propria voluntas, Superbia, blanditur vana multorumq; rectefactorum conscia gloria: Responde illi; Quid mihi & tibi mulier? Non propter te cœpi, non propter te finiam. Ego me non arbitror comprehendisse; & licet nihil mihi conscius sim, tamen nescio utrum amore dignus sim an odio? quare mihi pro minimo est, ut ab humano judicer die, si enim adhuc hominibus placeo, servus Christi non sum. Esto omnia, quæ facere debui, fecerim, tamen servus inutilis sum. Quid enim habeo quod non accepi? aut, quid prior dedi illi, ut retribuat mihi? Sic districto tibi, nunquam lascivire licebit.

6. Nondum venit hora mea.

TEmpus vestrum semper est, hora autèm mea nondum venit, ait Christus iis, qui eum mundo manifestare se requirebant. Fac homo & tu similiter. Non enim hic est hora gloriæ, non est hic hora mercedis, non hora triumphi, sed hora hic est gratiæ, meriti, hora humilitatis, patientiæ, laboris, pugnæ. Dic proinde superbæ cogitationi cupienti honorari, Non dum venit hora mea; Dic desidiæ volenti quiescere, Nondum venit hora mea, nec quies mihi aut honor, sed labor & confusio debetur. Disce hîc à Christo, cui ea verba frequenter sunt usitata, Domûs religiosæ tempora ordinemque non negligere, si Religiosus es; ferè enim unus ex defectuum fontibus est, Temporum neglectus. Cogita hisce quoq; Christi verbis, tepidos sæpè homines uti, qui quoties illis de morum emendatione, deque pœnitentia & novo fervore sermo vel cogitatio insinuatur, respondent quãdoque, Nondum venit hora mea, adhuc satis ad pœnitentiam temporis est; cum mors ingruet, agam quæ sunt agenda. Tu cave horum sequaris exempla, sed potius nunc agenda age; cogitans hanc esse horam animæ tuæ, hoc esse tempus salutis, tempus acceptabile, & breve quidem ac momentaneum. Non itaque carni illud impende, sed dic; O Caro noli præripere tempora; Animæ quidem salutem impedire potes, tum autem operari non potes. Nondum venit hora tua caro ut requiescas, & affluas deliciis; exspecta, dum anima & sibi & tibi prospiciat. Hæc enim prudentia est Sanctorum, ut carnem in præsenti premant, spe autem laxitatis futuræ lactent. E contra improbi, nunc quidem carnis desideria perficiunt, in futurum autem illam æternis suppliciis secum reservant.

7. Quodcunq; dixerit vobis facite.

TIbi dictum puta, nam & minister es Sapientiæ, minister & dispensator Mysteriorum Dei. Non habes quid dispenses? MARIÆ præscriptum serva; Quodcunque dixerit tibi, facito. Non succedit tibi cura animarum, nec votis laboribusque fructus respondet? vide ne sit culpa in te, vide ne Dei servitium negligas. Revera enim indignus est quem homines audiant, qui Deum ipse non audit. O Homo, ordinem serva, tu Deo subjiciaris, tibi caro, si autem renuis tu subjici Deo, nequaquam caro subjicietur tibi, aut alius aliquis homo. Scito itaque, quia conversionem animarum, maxime & frequentissime Convertentium impediunt peccata.

8. Impleverunt usq; ad summum.

OBedientia ut sonat est implenda. Quinimò nec præmium meretur, qui non ad exitum perseverat. Ridetur enim ille, qui ædificare cœpit, & consummare non potuit; potiusque Filius ille Patris implesse voluntatem est judicatus, qui quamvis ad initium noluit, in fine tamen ivit, præ illo qui dixit, vadam, & non ivit. Ad hæc, verus Christi servus, nunquam dicit Sufficit; nunquam enim ignis satiatur lignis, nec Amor Dei, divinis obsequiis, sed ad summum usque implet hydrias, legem scilicet & Consilia: pro mensura Gratiæ perfectioni insistit, & constanti incumbit animo, ut nihil perfectionis, quod Divina gratia potest consequi, negligat. Et licet hydriæ lapideæ graves sint ad portandum; tamen eas implet. quia verus obediens & proficiens, gravitatem aut duritiam præceptorum non æstimat, quia obedire tantùm & proficere amat, ibi autem non dura necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur.

9. Haurite nunc & ferte.

QUando impleberis ad summum; post-

quam Concha fueris plena fervore & robore Spiritus, tunc hauriendum aliis præbe, tunc ad Deum alios trahe, tum pretiosum educ de vili; alioquin quid prodest mundum lucrari Christo, & perdere animam tuam. Si mundum totum vis esse Christi, cur te excludis; an tu aliquid mundi non es. Nihil prodest lucernæ, quamvis aliis luceat, sibi autem consumatur. Proinde cave ne sis sicut æs sonans & tympanum tinniens, neve dum aliis prædicaveris, ipse reprobus efficiaris.

10. Omnis homo primùm bonum vinum ponit.

ITa est omnino. Oportet mundum & carnem minui, Deum autem & Spiritum crescere; Initia mundi sunt magna, Dei vero initia sunt parva, at finis e contra mundi parvus & tenuis, vilis, malus; DEI finis magnus, solidus, gloriosus, bonus. Vides, quod sæcularium gloria tempore senescat, Sanctorum verò succrescat. Sic igitur & tu servatum puta bonum vinum usque adhuc. Crede te nondum mensuram tuam implevisse, grandemq; tibi viam restare ad montem Dei. Intellige, te adhuc esse in matutina luce, nondum profecisse; nondum ad perfectum usque diem crevisse. Si quid boni & jucundi in mundo vides, scito fallaciam, bonumque vinum primo sanè positum esse, at servatum deterius ad vesperam, postquam jam convivæ inebriati fuerint. Non utitur hâc fraude Deus; initio apponit quod deterius quidem esse videtur, salubrius tamen est, purgat enim, roborat postea, denique consummat. Unde hæc Sanctorum Dei est methodus, lugere, dolere, pati, laborare, crescere, proficere, augeri semper, juxta illud: Qui justus est justificetur adhuc, qui Sanctus est sanctificetur adhuc.

DOMINICA III. Post Epiphaniam.

1. Ego veniam & curabo eum. Matth: 8.

O Voces plenas magnificentiæ & munificentiæ! In propria persona Deus & Dominus JESUS promittit se ad me venturum. Ego, ait, veniam, non Angelum mittam, non per aliquem Sanctorum rem expediam, sed, Ego veniam. O Domine nonne millia millium assistunt tibi, & decies centena millia ministrant tibi! mitte horum aliquem & satis erit. Sed neque horum aliquo opus; dic verbo, mitte Verbum tuum; Non ita, inquit, fiet, Ego veniam. Sed quis sum ego Domine ut venias ad me? Ecce homo peccator sum veniam & curabo te. Facessite itaque ego Curatores & curationes aliæ, Dominus solicitus est mei, & quid deerit mihi? Obstupesce anima mea ad verba ista, Ego veniam & curabo te. Quis loquitur, aut quid loquitur, aut quem curare, aut cujus habere vult curam, Deus est. JESUS te curare vult. Morbida es? curabit; confracta? curabit; jaces? faciet ut stes; polluta? curabit ut munderis, paupercula? curabit ut diteris: omnia quibus eges, tibi curabit, dicit enim: Ego veniam & curabo. Quid retribues ei? non est aliud, quam illud, Domine non sum dignus. Indue affectum Centurionis, & Christo illum da. Sat ei erit, mirabitur insuper donum, & dicet; Non inveni tantam fidem. Sic fac Anima, Sic age; dic, Domine, Domine non sum digna; Hem quo sim digna quæ in conspectu tuo sum nihil?

2. Domine si vis potes me mundare.

DIsce ab hoc leproso orandi modum, si vis orationis consequi effectum; magnifice petit leprosus, magnificè mundat Christus. Ille Soli Christi voluntati potentiam tribuit mundandi, hic sola quodcunque vult potest & facit voluntate, Ille magnificè sentit de Christi voluntate, ac proinde mox magnifica à Christo sanatur virtute. O si sciremus aut vellemus tam magnificas preces fundere ad Deum! quid non à magnifica ejus bonitate & voluntate obtineremus? Gaudet enim magnificus Deus, magnificè rogari: magnificè verò rogatur, quando resignanter in ejus Sanctissimam voluntatem oratur.

3. Domine puer meus jacet paralyticus in domo.

ECce aliud orationis fideiq; exemplum, nescio an non priore magnificentius. Tantùm exponit, nec amplius addit, tamen quod vult obtinet. Deus enim qui cor videt, & radices desideriorum exaudit, ait; Ego veniam & sanabo. O mi JESU, Ecce puer meus unicus, mihique pretiosus, Anima videlicet mea jacet morbida in hac corporis domo, & male torquetur, Responde etiam mihi, Ego veniam & sanabo eam. Plus equidem centurio impetrat quàm postulat; indignum se Christi ingressu ad se judicabat, nec tantam Christi dignationem sperabat, multò minùs petebat; sanitatem quoque

servo

ſervo ſuo non poſcebat, ſed re tantùm expoſitâ, totum voluntati ejus relinquebat, & tamen omnia ad amuſſim impetrabat. O verè mirus, verè magnus, verè rarus, verèque efficax orandi modus! penetra illum cor, & medullitus ediſce. Hoc enim verè eſt jactare cogitatum ſuum in Dominum, & ipſe faciet. Quid faciet, imò quid non faciet?

4. Ego veniam & ſanabo.

O Pietas, ô manſuetudo! audit infirmitatem, promittit ſanitatem. Utinam guſtare poſſemus ô Iesu ſuavitatem manſuetudinis tuæ! Verè mirabilis es Domine & facies tua plena eſt gratiarum. Applica aures anima mea ad audiendas has voces Chriſti, Ego veniam &c. Applica oculos ad videndam ſuavitatem hilaritatemque dicentis; Applica guſtum ad iſtorum verborũ mel deguſtandum; Applica mentem ad interiores affectus Chriſti dicentis penetrandos, ediſceque modum cum proximis tuis ſuaviter procedendi.

5. Ego veniam & ſanabo.

ERubeſcat Operariorum, & omnium eorum, quibus ex inſtituto aliorum curare ſalutem incumbit pigritia. Vocaris ad conſolandum mæſtum, nunquid dicis Ego veniam? Vocaris ad faciendã concionem, nunquid dicis Ego veniam? Nonne potius difficultates prætendis, moroſum te geris, adfers excuſationes, prætexis fatigationes, ad alios remittis, & ſimilia? Hoc videlicet eſt cum Chriſto dicere, Ego veniam, hoc Chriſtum eſt imitari, ejuſque zelum & ſuaviſſimos mores exprimere! At verò ſi ad convivia, tractationes munera, vel recreationes invitamur, ſanè tum zelus, tum facilitas prõpta eſt, primi tum ire contendimus, aliisvè invidemus. O cæcitas, ô caro, ô ſenſualitas, quæ non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæris quæ tua ſunt, non ea quæ Chriſti: Utinam vel unico hoc Chriſti exemplo, veram diſcamus ad alios juvandos accurrendi promptitudinem. Ne fortè nomine quidem & inſtituto Chriſtum jactemus, re autem & facto longè ab eo abſimus:

6. Domine non ſum dignus.

O Mira humilitas! ô ſolidæ exemplum virtutis, promittit ſe Jesus venturum ille verò judicat ſe indignum. At nos ſi quæ fortè nobis gutta Solatii venit de cœlo, continuò ad cor altum aſcendimus, de Sanctitate nobis blandientes, gratiaq; ipſa extollimur; quaſi prœmium illa eſſet aut debitum, & non gratis data. Hinc etiam fit, ut ſæpè fervor ille divinus recedat à nobis, quem indignè tractavimus, indignèque ad eum acceſſimus: imò, peccatum, ut appareat magis peccatum, per bonum operatur nobis mortem, ut fiat, ſupra modum peccans peccatum. At in hoc Centurione vide certamen pulchrum, & diſce implere illud Sapientis. Quantò major es, humilia te in omnibus; rara enim ſed ſolida eſt virtus, Humilitas honorata, maximè, ſi à Deo honoretur.

7. Nam & ego homo ſum.

AGnoſce unde tanta in Centurione, ſui humiliatio? Nam & ego, inquit, homo ſum. O! ſi ſcirent gentes, quia homines ſunt, utique ſe magis ſub potentis Dei manu humiliarent. Nunc autem dicitur illis, Si ignoras te, egredere & abi poſt tabernacula paſtorum, paſce hædos tuos, vis humilis eſſe? vis hoc maledictum effugere? dic tibimetipſi, Ecquid feciſti homo quod non poſſit facere alter homo? Noſce teipſum.

8. Habens ſub me milites.

COgita, utrum & tu dicere poſſis, Habeo ſub me milites, vel potiùs dicere debeas, Habeo contra me milites. Exẽplo illius qui dixit; Oculus meus deprædatus eſt animã meam? Etenim, quid ſunt aliud immortificatæ paſſiones tuæ, ſenſuſque externi, niſi quædam militum cohortes, quæ militant adverſus animam? Si itaque ſub te eſt appetitus tuus, & tu dominaris illi, habes ſub te milites; ſin verò ratio ſervit concupiſcentiæ, contra te eſt miles tuus, inque ipſis caſtris furit, ſeditio, quâ niſi ſedatâ, victoriam nullam ſpectare potes. Mortificatio paſſionum.

9. Non inveni tantam fidem in Iſrael.

AN hoc novum eſt bone Iesu, ut Sæculares ferventius tibi ſerviant, quam plerique noſtrûm qui veſte tenus Religioſam profitemur vitam? Heu mihi! quoties ego abundans & affluens bonis Spiritualibus fame pereo! cum interea mercenarii in domo Patris mei ſatientur panibus, & Publicani ac meretrices, accummumbant in regno cælorum filii autem regni ejiciantur foras!

10. Dico autem vobũ quod multi.

O Quam multi me poſteriores, temporè, ætate, ſcientiâ, rerumque experientiâ, priores tamen fervore, recumbunt jam in pace animæ, in cordis puritate, in perfectione charitatis, in Sponſi amplexu, in Dei unione! Ego autem in tenebris erro, impingo, palpo, paſſionibus agitor, & tamen in luce me eſſe glorior, Sanctitatem

tem fimulo, folâ annorum pluralitate & pigritiâ fuperbiens; nec adverto, eos qui noviffimâ horâ venerunt, pares mihi jam factos effe virtute, mercede: quia me fervore fui abnegandi, excefferunt. O quanta mihi nunc confufio, & quanta in judicio erit, quando Noviffimi fient primi; & Primi, incipient cum rubore tenere noviffimum locum.

DOMINICA IV.
Poft Epiphaniam.

1. Quid timidi eftis modicæ fidei. Matth: 8.

SI nulla natio tam grandis eft, quæ Deos habeat fibi tam propitios tamque propinquos, ficuti Dominus Deus tuus tibi Anima mea, quid itaque timida es? Nonné timor ifte modicam arguit fidem? At, inquit, infurgunt tentationes, crebri lapfus, etiamnum novam minantur ruinam, refurgendique faciunt difficultatẽ, terrent veftigia aliorum, qui è Sanctiori prolapfi funt gradu; Audi dicentem; Quid timidi eftis modicæ fidei? Habe itaque fidèm cor meum. Ecce enim in navicula tua Iesus; fpera in eo, & ipfe faciet. Quamvis quidem dormire videtur, tamen ipfi eft cura de te. Nam ad quid aliud venit, inque tuam naviculam afcendit? Verum, inquies, venit non ut me curet, fed ut quiefcat. At ftulte, quomodo quiefcet ipfe fi non curabit te? putas te naufragante, & ipfi furgendum nõ effe? Si apud te vult quiefcere & dormire, utique & te debet falvare. Moleftum itaque effe Chrifto, cognofce, fi quis in ejus præfentia timeat naufragium, aut periculum, licet ipfe dormire videatur, cor ejus vigilat & excubat pro navicula; ne igitur timeas, aut fi fortè fine timore effe non potes, Ecce nunc eft, ecce vigilat in Sacramento ad preces tuas, pericula illi expone tua, & ipfe imperabit ut fiat quies: Et dices tunc, Quis eft hic, quia venti obediunt ei? ô verè quis eft hic? qui ex me tam arido tam vegetum, ex me tam frigido tam ferventem, ex me tam debili tam fortem, ex me inconftanti, tam ferium, accuratumque facit? ex me tam turbato paffionatoque ut mare, tam quietum & mortificatum, ex me tam levi, & volatico ut ventus, facit tam folidum & conftantem ut petra. Nonne is ipfe eft cui venti & mare obediunt. Huic fide ô navis mea, huic adhære, ad hunc portum anhela, & quoties communicas in eo conquiefce.

2. Secuti funt eum difcipuli.

COnfolatio magna infirmis Spiritu, quia Jesus non folum in terra, folide perfectorum, fed in navicula interdum ex imbecillitate fluctuantium, dormit & quiefcit. Non eft enim difficile Domino ditare pauperem, cui non abominabile eft, eundem de ftercore erigere & collocare cum Principibus populi fui; quoniam pufillum & magnum fecit ipfe. Eft autẽ & exemplum omnibus Chrifti affeclis, quod eum fecuti fint Apoftoli, non folum per terras fecuritatis, fed etiam afcendentem in mare gravium turbationum & afflictionum. Hinc enim omnes difcere debemus, Chrifto non folum in profperis effe adhærendum, fed etiam in adverfis, non folum in pacatis, fed etiam in rebus periculofis, nec folum Deo fidere in rebus certis, fed etiam fpem contra fpem habere.

3. Et ecce motus magnus.

MAre eft mundus, feu mundanorũ corda. Quâm facilè illud, tam facilè ifta turbantur. Mare eft ventorum ludibrium, nutrix monftrorum, omnes in fe fluvios excipit, nec tamen accrefcit, & quãvis dulces in illud influunt aquæ, ipfum tamen amarum eft & falfum. Omnia hæc in mundano accidunt corde; nec tantum mare agitatur procellis, quantum paffionibus & affectibus animus cruciatur, & divexatur. Plenum quoque eft cor mundanum monftris fcelerum, ftruthiones ibi habitant, & omnia immunda; terrenis bonis femper inhiat, quibus tamen fatiari non poteft: fluvii funt refluentes; quia bona mundi manère & ftare nefciunt, ab uno fluunt ad alium. Ubi magni reditus, magnæ etiam expenfæ. Qui a multis timetur multos timet; quem alii honorant, & ipfe alios colere cogitur. Omnia dulcia vertit in falfa: quia dona Dei, æternæque falutis auxilia, vertit in peftem fibi æternam &c. Tu itaque fi hæc maris figna in te advertis, mundanum te cor habere fcito. Et quid prodeft tibi, de mundo exiiffe, & cor mundi retinuiffe? Profeffio tua eft, omnibus caducis fuperiorem effe, folis æternis duci rationibus & movèri. Iam fingula occupationum tuarum puncta percurre, quibusque rationibus ductus, ea obire foleas, vide, & an id terrenum, vanum, fluxum, fenfuale, proprium, an verò Divinum, æternum, folidum fit, adnota.

4. Ipfe verò dormiebat.

Agno-

AGnoſce quid factus ſit propter te Deus tuus, quo propter te devenerit ille, de quo dictum eſt; cce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël; en jam in tanto diſcipulorum ſuorum totiusque naviculæ periculo obdormivit. Non ſanè ob torporem aut ſomnolentiam, ſed tum ob nocturnam in orando vigiliam, tum ob diurnam in prædicando ambulandoq; defatigationem. En tanti Chriſto conſtitit, perditam ovem quærere Hem! quantùm verò tibi pro propria ſalute, vel Dei gloria eſt laborandum, ſi Deum pro aliena & tua ſic laborare vides ſalute? Ecquis jam Domino IESU nolit ſervire ad defatigationem, quem usque ad tantam videt laborare laſſitudinem?

5. Ipſe verò dormiebat.

SEcurus ſcilicet omnis periculi, qui expers erat omnis piaculi. O ſi peccatum ex corde expellere poſſemus, nihil eſſet diſcriminis quod metueremus. Iuſtum enim ſi intus bene eſt, omne quod exteriùs ſtrepit & furit non terret, quia ei non nocet. O ſi ad eam animi quietem liceat pervenire! ô ſi ad eam in divina providentia reſignationem & acquieſcentiam fas ſit aſcendere: ut in omni videlicet adverſitate & diſcrimine, in omnium oppugnatione & reſiſtentia, Animus quieſcat, & quaſi dormiat, ſecurus Dei, ſecurus ſui. Unica in his via eſt efficax, Divinæ providentiæ experimentalis cognitio ac penetratio: qui enim Deum ſibi in omnibus providere certus eſt, nullum malum timere poteſt, at qui Chriſtũ dormire putat, & nonniſi ſuſcitatum & vigilantem auxilium dare poſſe putat, nunquam à turbis liber erit. Conquieſce anima mea in providsntia Dei, & non cõfunderis in æternum.

6. Ipſe verò dormiebat.

CAuſa turbati maris ſomnus Chriſti eſt. Inde in mari tempeſtas, quia Chriſtus in mari dormit; & inde quoque in homine exſurgit tempeſtas, quia Chriſtus in corde ejus obdormivit. Quia dormitavit anima tua præ tædio & tepiditate, ideò res tam vilis tam levis, verbulum unum, te turbavit. Si amor IESU in te vigilaret, hoc eſt ſi ferveret, iſta te non turbarent, nec alterarent: vis eſſe ſine turbatione, mane in fervore. Item quando mare turbatur Chriſtus tunc dormit, id eſt, quando cor circa externa vagatur, Chriſtus in eo obdormit, & tale cor negligit. Vere igitur dici poteſt, & quia Chriſtus dormit, mare turbatur; & quia mare turbatur, Chriſtus dormit. Interdum etiam quando amatores ſuos Chriſtus vult probare, vel eos quid in ſe ſint ac poſſint, docere, obdormiſcit aliquantulum, ſive deſerit eos; ut ſic poſtquam ſe agnoverint turbatos, intelligant, à quo id quod ante quieti fuerint, habebant; ſecundum illud Davidis: Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum; avertiſti faciem tuã, & factus ſum conturbatus. Quando igitur bene eſt animæ tuæ, ſcito IESUM vigilare: quando verò non nihil turbatur, IESUS obdormivit & ſuſcitari deſiderat. Dormiẽte IESU vigilat mare, quia devicto Spiritu inſoleſcit caro. Dormiente IESU turbatur quoque mare, timet & tremit, quid putas faciet eo vigilante? Quieſcet ſine dubio, obediet, & ſi opus fuerit, ſolidum ſe pedibus ejus ſubſternet.

7. Et acceſſerunt ad eum.

AN receſſerant quia accedunt? receſſerant diffidentia, accedunt fide, receſſerant deſperatione, accedunt invocatione, receſſerant in ſecuritate, accedunt in periculo, nempe cum occidebat eos, revertebantur ad eum. Vide quantus tribulationis fructus. Ipſe accedit ad IESUM, ſuſcitat IESUM, impetrat ſalutem. Quàm verè dictum eſt, Pædagogus Sanctorum eſt Tribulatio: At pueri qui diſcoli ſunt, ſub hoc Pædagogo eſſe, moleſtè ferunt.

8. Acceſſerunt & ſuſcitaverunt.

MIro modo fides infidelitati plerumque permiſta eſt. In periculo ad IESUM fugiunt, Salva nos, clamant, hæc fides eſt: A ſomno eum ſuſcitant, tanquam evigilandum ei ſit, ſi ſalvare velit, hæc eſt infidelitas. Placuit ergo Chriſto petitio, ac proinde illam implevit, non placuit ſuſcitatio, ideò timoris illam arguit: ſi enim credunt quid excitant? quod ſi excitare opus eſt, ſanè plena fides non eſt, modica eſt. Verè pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Nonne juſtè dicès anima mea; Verebar omnia opera mea, quoniam & ſi mihi nihil conſcius ſum, tamen utrum odio an amore dignus ſim, neſcio. Deus autem judicat me, non parcit delinquenti. Beatus qui ſemper pavidus eſt, & juſtorum eſt timere peccatum, ubi etiam non eſt. Timor Salutaris.

9. Domine ſalva nos perimus.

IMitare diſcipulos Chriſti in hoc, quia in periculo ſalutem à Chriſto petunt; in hoc verò non imitare, quia tum primùm cum pereunt, eum quærunt. Nam etſi nec tunc deſperandum eſt, pœnitentia tamen ſera, rarò vera; Paucos invenies

nies latrones, qui in morte ad Christi cognitionem venerint, paucos reperies Simones, qui senes de villa amoris mundi egressi, crucem portârint post IESUM. Paucos quoque Religiosos invenies, qui ætate exactâ fervorem amplexi, ad perfectionem pertigerint. Quam est stultum dicere, tunc istud pondus tam vastum feram, cum viribus destituar; nunc quando robustus sum, non feram. Quam esset stulta Volucris quæ diceret, postquam mihi exciderint pennæ, tunc volabo; integris alis volare nolo. Sic facit, quisquis sibi post certos annos, fervorem in orando, in servandis regulis, in carne mortificanda promittit. Fac nunc si sapis, quod post facturum te dicis. Nam quis tibi pollicitus est vitam, quis spopôdit sanitatem, quis bonam promisit voluntatem? Deinde nonne in desuetis major erit dolor, in radicatis major labor? Nescis, plures inveniri, qui innocentiam servant, quàm qui verè pœnitentiam agant? nescis plures esse qui nunquam intepuerant, quam qui à tepore ad fervorem redierunt? Nescis rariorem Phœnice esse, eum, qui ab eo gradu perfectionis, quem semel in initio Religionis assecutus est, ad ulteriorem ascenderit? Ardua adeò res est ascendere! quid igitur dicis, postea fiam melior? dic potius, nunc fiam melior. O quot bonæ voluntates, & Sancta proposita ardent in inferno. Corvorum hæc vox est, Cras, Cras, nigredinem deponam, aut assumam albedinem, quod tamen nunquam præstant.

10. Venti & mare obediunt ei.

PRoh pudor! agnoscunt venti & mare Christum imperantem, & obediunt ei! Ego autem rationalis creatura, non tantùm imperantem non audio, sed nec petentem exaudio, nec præeuntem sequor. An non meritò, Erubesce Sidon, dicit mihi mare, quoniam id quidem imperium cognovit, ego verò & minas, & beneficia, & exempla, & præmia negligo, eique obedire recuso. Hem tandem nonnè aliquando subdita eris Deo Anima mea? cui servire, regnare est?

DOMINICA V. Post Epiphaniam.

1. Domine nonné bonum semen seminasti? Matth: 13.

COgor mi IESU loqui & fateri contra me amaritudines, & utinam ad salutem, & non ad insipientiam mihi; En toties tam bonum Sacratissimi Corporis Sãguinisque tui semen seminasti in corde meo, & nihil prætermisisti, quod facere poteras, ut fructus tibi facerem perfectionis, fervoris, constantiæ, patientiæ, humilitatis, & nihilominùs ager iste infelix habet zizania, parturit lolium, profert spinas, opertus est urticis, nec accusandus mihi alius est quispiam præter me ipsum; ego enim inimicus ille homo sum, non qui hoc feci, feci autem solum occasione somni, sed ipso somno. Quid est enim tepor iste meus tam grandis, tamque inveteratus, aliud? nisi somnus, quo Anima mea velut lethargo depressa supina stertit? Quid faciam mihi ipsi mi IESU tam male laboribus tuis respondenti? nihil quidem mihi restat aliud, quam confundi ante te, & confiteri adversum me injustitiam meam. Tu autem remitte iniquitatem peccati mei, & etiam hac vice, semina semen tuum in corde meo; si fortè ego, auxiliante te, abjiciam omnem immunditiem & abundantiam malitiæ, suscipiens verè in mansuetudine hoc tuum insitum verbum, quod potest salvare animas nostras, faciam dignos fructus, omneque zizaniorum genus, procul à me exterminem. Tu verò anima mea præpara te ad excipiendum dignè hoc admirabile semen, verbumque insitum, & postquam illud susceperis, non ampliùs des oculis tuis somnum, & palpebris tuis dormitationem; ne forte iterum veniat inimicus homo, & superseminet zizania, & fiant novissima pejora prioribus. Quoniam væ terræ ex hoc semine fructum non ferenti, vel lolium ei admiscenti &c.

2. Simile est regnum cælorum.

HOmo qui seminat bonum semen in agro suo, Deus est; semen, ejus est voluntas, mandata, consilia; Seminatio, est inspiratio, ager, cor humanum. Dormiunt homines, quando neglectis Dei inspirationibus, sua desideria sequuntur, cessantque ab operibus bonis, à lectione Spirituali, à fervore & frequentia orationis, à discussione conscientiæ, à colloquiis bonorum. Inimicus homo, diabolus est; dictus homo, quia in suis tentationibus, humanitatem præsefert, ab humanis incipit tentationibus, induit speciem humanam, & blande voluptates carnis ingerens superseminat zizania, ita ut ii qui Spiritu olim cœperunt, carne tandem consumment, quærantque honores, præeminentias, commoditates in omnibus, in cibo, veste, lecto, domo, recreatione

tione &c. ostentationes & similia. Hæc enim omnia diabolus, tritico piarum & ordinariarum actionum superjacit, ut nō purè ad Dei honorem, profectum proprium, sed perfunctoriè. vel mercedis terrenæ ac caducæ causâ fiant. Quod bone Deus! quam frequens est? Cum tamen de hoc Veritas conqueratur, dicens; Amen dico vobis, perceperunt mercēdē suam, dignam laboribus & adinventionibus suis; vani videlicet vanam, & nullius frugis. Agnosce tandem Anima mea, quam sit miserum, iis laboribus quibus æterna poteras mercari præmia, vanissimas lucrari commoditates ac reputationes; & non desidera, ut opera tua in hac tibi vita compensentur.

3. *Simile est regnum cœlorum homini.*

IN hoc Evangelio explicatur initium, progressus, & finis tam bonorum quam malorum. Bonos Deus seminat, en initium; boni crescunt, en progressus; boni colliguntur in horreum, en finis. Superseminantur & mali ab inimico homine, & hoc est initium eorum; Sinuntur crescere usque ad messem, en profectus; & mittuntur in ignem, hic finis. Attende quorum sis ex classe; num inter triticum, num zizania? Si exerceris à malis, triticum es, si tu exerces bonos, Zizania es? Considera linguam tuā & indicabit tibi.

4. *Simile est regnum cœlorum homini.*

COnsidera proprietates hujus boni seminatoris. Prima est, quia seminat bonum semen; quod enim Deus facit, bonum est. 2da, Quia seminat in proprio suo agro non alieno; suo, ob creationem; suo, ob redemptionem; suo, ob naturale, quod in quemlibet habet hominem dominium; ita ut non sit qui possit resistere voluntati ejus; Suo, ob voluntariam hominis subjectionem, Deo in baptismo, inquè professione factam. 3tia, Quia patienter tolerat superseminationem zizaniorum & ipsa zizania. 4ta, Quia ita favet bono semini, ut propter ejus securitatem parcat & zizaniis, usque ad messem. Ubi ejusdem apparet prudentia, nā initia zizaniorum & tritici fermè æqualia sunt, cum & reprobi incipiant bene, sicut & prædestinati aliquando malè. Et quandoque utrique incipiunt perguntq; bene, & utrique incipiunt perguntq; malè: unde non facilè est reprobum dignoscere ab approbato, donec advenerit messis, hoc est hora mortis. 5ta, Quia tritico maturitatem consecuto, separat illud à zizaniis, & in horreum suum reponit, zizania verò in ignem amandat, juxta illud Apostoli; Quos prædestinavit, vocavit, quos vocavit, elegit, quos elegit, sanctificavit, quos sanctificavit, hos & glorificavit, ô me Beatum si cum illo inveniar tritico! væ autem mihi si de zizaniis fuero.

5. *Cum autem dormirent homines.*

INfelix dormitio quæ dat locum zizaniorum semini. Et quamvis sanè pessimè mortalibus isthæc cedat somnolentia, nullum tamen vulgarius inter homines vitium hoc ipso est. Ubi enim non plena omnia socordiæ & acediæ, circa divina obsequia? Vide quanti viri, quanta passi sint in somnis. Noe dormiens nudatus, derisusque est à Filio; Dormiens Samson proditus est à Dalila. Dormiens Sisara, occisus est à Iahel. Dormiens Holofernes, Judith manu occubuit. Dormiens Miphiboseth, à latrunculis in meridie necatus, dormiente ostiariâ. Dormiens David periisset, nisi a Michol, ad fugam excitatus fuisset. Dormiens Saul pene periit. Dormientium discipulorum Christi oculi erant somno gravati in horto, unde & Sathan expetiit cribrare eos. Anima mea excute veternum, audi Apostolum, surge qui dormis, hora est, jam nos de somno surgere periculosa nimis res est dormitio, si his & tantis tam male cessit, quid de me fiet! verè hora est mi Iesu, & quæ? aut quota est? decimus annus est, & ego dormio adhuc. Tu clamas & ais: Simon dormis? quid dormitis? Vigilate & orate. Ecce Sponsus venit exite obviam ei. At ego fatuis similis Virginibus, postquam oleum quærendum fuerat, & ornandæ lampades, dormivi; jam cum excipiendus sit Sponsus, Oleum quæro; Horâ Surgendi, me trico & frico, & moram facio, similis illi pigro dicenti. Sine paululùm, exspecta modò, ecce modù, sed modò non habet modum. Excita me Domine; Intona super me voce grandi & forti, ut evigilem & custodiam vestimenta mea.

6. *Venit inimicus homo.*

COnsidera inimici hujus proprietates. Prima est, Quia est homo. Dicitur videlicet homo, non propter humanam naturam, sed quia, vel hominis inimicus est, vel, quia humanis se se moribus, & humoribus, dum tentat, accommodat; vel quia homines tentat per homines. 2da, Quia inimicus est, vel, ut Christus eum vocat, Homicida ab initio: nihil enim quærit vel spirat aliud, quam damna, ruinas, cædes, & necem. Estque inimicus crudelis, assiduus, fortis, astutus. 3tia.

Quia

Quia nocte operatur. Qui enim malè agit, odit lucem, ut non videantur opera ejus, quoniam mala sunt. Nocte igitur operatur, id est, cum fuco, dolo, & ignorantia. Imò ipsum peccatum nox est, & ipse Princeps est tenebrarum. 4ta, Quia cum dormirent homines venit. Maximè enim diabolus decipit homines in securitate & negligentia; hæ duæ ejus sunt ad homines viæ. Quare scitè Apostolus monet; Fratres; Sobrii estote & vigilate. Et Christus sæpissime; vigilate & orate. 5ta, Quia superseminat zizania. Quid enim a malo, nisi malum? omnibus igitur modis conatur humanam salutem si non tollere, saltem impedire & difficilem reddere.

7. Nonne bonum semen seminasti.

VOx hæc. Primo, Apostolorum est ad Deum, mirantium, cur inter fideles tanta sit salutis æternæ negligentia, tantus pœnarum inferni contemptus, Dei & districti ejus judicii oblivio? quamvis Christianos se se, & Christi discipulos profiteantur; ejusque doctrinam quasi semen toties excipiant in agro cordium suorum. Est 2do Concionatorum, Patrũ Spiritualium, & zelum Dei habentium, qui euntes & flentes mittunt semina sua, nec tamen inde reportant manipulos in horreum Dei; Nonne bonum semen seminasti per ministeriũ nostrum? & quis verò credidit auditui nostro? Ecce hominum ager habet zizania. Væ mihi! si hæc querela eorum, qui meum profectum curant, justè de me fieri poterit; Est 3tiò Vox diaboli Deo, Angelis ejus, ac Operariis Dei insultantis, quòd tam parùm circa hominum salutem proficiant, ipse verò malignus Spiritus, tam multùm: quod filii hujus sæculi, prudentiores sint in generatione sua filiis lucis. Est 4tò vox hominis sibi improbrantis, piè indignantis, suamque infirmitatem & inconstantiam Deo confitentis. O Domine, quoties seminasti semen bonum in corde meo, quoties & ego bona propono in oratione, lectione, tum patientiam, tum observationem instituti &c. Et unde tamen anima mea habet zizania? dedi locum per negligentiam meam diabolo, quâ usus est ille, ac infausta ea superseminavit zizania.

8. Unde habet zizania?

VTilis quæstio, necessaria valde cognitio, Unde ô Religiose homo habet ager cordis tui zizania? Nonne bonum semen seminasti? Nonne eo proposito hoc vitæ genus es amplexus, ut & Sanctus fieres, & Deo per omnia placeres? Nonne ideò in tirocinio per vota Deo te obligasti, ut in solidarum perfectarumq; virtutum studium incumberes? Nonne hoc semen quotidie in terram cordis tui immittis, dum meditaris, oras, legis, colloqueris, Sacramenta suscipis, cohortationes audis, exempla vides? Unde igitur habet tot & tanta tamque adulta vitiorum, immortificationum, murmurationum, dijudicationum, discordiarum, aliorumque linguæ, gulæ, superbiæ, iræ &c. malorum zizania? nempe dormiunt homines, atque à primis illis fervoribus recesserunt, & ideò inimicus homo mala hæc insevit. Quis autem hic inimicus? Amor proprius, privata voluntas, judicium proprium, familiaritas prava, occasionum nulla devitatio, respectus humani, diffidentia, & malæ de superioribus opiniones, Evagatio mentis, incuria sensuum, Libertas linguæ, cordis non solicita custodia, perfunctoria conscientiæ discussio, Lectio & Oratio tepida, non præparata, non ædificativi sermones mutui, hæc innumera vitia, homines sunt inimici, hæc sunt zizania: hæc si abessent, nec zizaniis, nec diabolo locus esset, non esset, unde quis dicere posset; ô Divina, ô sancta Religio! unde habet ager tuus zizania? nonne optimos quosque, tuoque instituto accommodatos, & seligis & formas homines? nonne tantis tamque præsentibus auxiliis & commoditatibus ad bonum abundas? unde igitur ego tam distortus, discolus, difformis? dormiunt homines, qui sese ad interiora reducant, qui propositis auxiliis exactè utantur; Rara devotio est, momentanea compunctio, nulla constantia, & quid prodest decem millia habere Pædagogorum, si quis sibi ipse nequam est.

9. Unde habet zizania?

ILli qui salutem aliorum curant, bonamque sementem docendo, confessiones audiendo, concionando, scribendo, consulendo, ferunt, nec tamen scandala in regno Dei minui vident, sed potiùs quotidie scandala crescere intuentur, meritò quærere debent, Unde habet zizania? Timere videlicet debent, suanè culpâ accidat, quòd tantorum laborum, tam exiguus respondeat fructus? Qui enim sibi nequam cui bonus? vis esse devotos alios, qui ipse tepidus es? vis multos per te à Deo juvari, & ipsum Dei instrumentum esse negligis? recusas à Deo tractari prout ipsi placet, cum tamen hoc alios doceas. Fae quod prædicas verbo, & effice

effice exemplo; atque tunc necesse tibi non erit quærere. Unde ager ille, quem colis, habet zizania?

10. Vis, imus, & colligimus.

VErè zelosi, Deique gloriam amantis est. Primò, Seminare semen in agro Dei. 2do, Invigilare quomodo crescat. 3tio, Observare zizania etiam in herba. 4to, Ascendere ad Deum in oratione, eiq; nascentia mala demonstrare ac auxilium petere. 5to, Succinctum & ad nutum Dei paratum esse si fortè jubeatur colligere zizania. Beati servi isti qui ita vigilant pro agro Domini sui! Væ autem mihi infelici, qui non tantùm non dico, Vis? eo, colligo; sed postquam dicitur mihi, Volo, ut eas, colligas; pigritor, renuò, moras necto; excusationes obtendo.

DOMINICA VI. Post Epiphaniam.

1. *Granum Sinapis accipiens homo, seminavit in agro suo.* Matt: 13.

SI aspicis, si tenes, si gustas granum Sinapis, informe, parvum, subamarum est: Si tamen sumas, si manduces, magnæ virtutis, miræ efficacitatis, multiplicis & saluberrimi effectus est. Aspice Sacram hostiam, tange gustu; panis est & visu, & tactu, & gustu simplex. Aspice fide eandem, sume devotione, manduca charitate, nihil eâ beatius, nihil ditius, nihil in omni bono abundantius. Aperi oculos fidei, quid sub hac tantilla quantitate nõ videbis? Hominem Deum, Corpus, animam, Sanguinem, virtutes, merita, Sapientiam, Potentiam, Bonitatem, Pulchritudinem, Charitatem, Humanitatẽ, Mansuetudinem, Patientiam, Obedientiam, Paupertatem. Quid vis amplius? ô Divinum Sinapi quam mirabile es! quis mihi te det gustare, sumere, tractare, prout oportet! seminareque in agro mei cordis prout decet! sit mihi amaritudo, sint lacrymæ, sit exinanitio, dummodo te pascar cibo animarum.

2. Simile est regnum cælorum fermento.

FErmentum Christus est, latens sub specie panis. Hoc anima pia accipiens, abscondit in satis farinæ tribus; in Anima scilicet, Corpore & Spiritu. Verbo, Opere, & Cogitatione; Vel, in triplici Religiosorum voto. Vel, in tribus mensuris, quas quodvis opus bonum habere debet, nempe, in intentionis puritate, in charitatis fervore, seu devotione, in perseverantia usque in finem. Etenim æquũ omnino est, hominem frequenter Sanctissimo Sacramento communicantem, ita hoc cæleste fermentum in prædicta sata abscondere, donec tota fermententur, hoc est, donec totus homo Divinus fiat. Non siquidem majoris est efficaciæ, farinarum fermentum, quàm hoc animarum. Et sanè, valde malis corpus illud abundare oportet humoribus; quod licèt cibo saluberrimo & tẽperatissimo pastum, moribundas tamen generat qualitates. Da mihi, mi IESU, sic te sumere, ut totus fermenter, totus tibi similis fiam, totus in te transmuter, totus tuum gustum saporemque habeam, Tu totus in me emineas, & ego totus sim tuus!

3. Simile est regnum cælorum grano Sinapis.

SInapis granum specie parvum est & vile, virtute magnum, typus est Christi: qui ita parvus factus est, ut minoratus sit ab Angelis; ita vilis ut non esset ei aspectus, ita virorum novissimus, ut opprobrium esset hominum, vermis, pede cujuslibet proterendus; Magnus tamen quia exaltatus à terra, omnia trahebat ad se, exibatque virtus de ipso, & sanabat omnes. Nemo est Christianorum, qui nolit esse magnus ut Christus virtute, sed & ferè nemo est, qui ei par esse velit, in vilitate, quasi non ideo Christus esset exaltatus, quia seipsum humiliavit! Stultum igitur est gloriam Christi appetere, & vitæ ejus viam refugere ac negligere, Vis eo pervenire quo pervenit Christus, eadem ito viâ, quâ ivit Christus.

4. Simile est regnum cælorum grano Sinapis.

GRanum Sinapis vile & exile, forma est humilitatis, quid enim vilius humilitate? ipsa est vilitas, nisi quia voluntaria, quamvis sit & necessaria. In quantum enim quis se, contemptibilem cognoscit, in tantum se contemnit, in quantum verò contemnit, in tantum se humiliat. Parva est, ut granum sinapis humilitas, adeò, ut cum omnibus maxima videatur, sibimet appareat minima. Verus quippe humilis mavult vilis reputari, quam humilis prædicari. Rotunda est & angulis caret humilitas, quia superflua non quærit, secundum naturam facit omnia, nulla in oculos affectatione incurrit, amat & gaudet defectu, ex omnibus humiliandi accipit occasionem; Omnis, Virtutes sine humilitate congregans, quasi pulverem in ventum portat. Volubilis est Humilitas, facilis motu, ad omnem Dei, Majo-

rum, Rationis, nutum. Amara item ut Sinapi hæc virtus est; quia sicut Patientia ad Pacem, ita humiliatio ducit ad humilitatem; humiliatio autem non provenit sine amaritudine. Perfectissima denique humilitas est, quia sola perfectos homines facit, & sicut circuli in omni figura inscribi possunt, vel illis omnes circumscribi, sic omnis virtus vel servatur humilitate, vel eâ paratur, unde dictum est: Melior est peccator humilis, quàm justus superbus.

5. Simile est fermento.

FErmentum fervor Spiritus est; abscondere fermentum in farina, est fervorem operibus adjungere. Ut enim sine fermento panis non sapit, sic sine devotionis fervore bonum opus Deo non placet. Unus porro actus intensus, facit pro mille remissis. Et Augustinus ait; Quantò ardentius diligimus, tantò serenius videbimus; hoc est, juxta fervorem charitatis nostræ in opere, accipiemus amplitudinem in mercede.

6. Quod acceptum mulier abscondit.

AMant abscondi gratiæ divinæ dona; nec audet Deus cordibus perviis, thesauros suos concredere. Vult enim abscondi eos, ab hominibus, vel potius ab humanis laudibus, ut scilicet, quod facit dextra, nesciat sinistra: Valde quippe difficilè est dona Dei in se reposita, aliis sine vanitate narrare, nec minùs laboriosum est, in oculis hominum bona agere, & laudibus eorum non tangi. Prudens ergo anima abscondit fermentum suum; vel quia id, quod facit, non magni æstimat ipsa; vel quia se multis modis, & in ipso bono opere defecisse cognoscit; vel quia novit, sæpe hominibus videri quod bona agant, cum tamen Dei oculis pravè eos agere constet, & inde eos mereri pœnam, unde præmio se dignos fore putabant; adeoque verentur opera sua; Et etiamsi justi fuerint, non audent tamen elevare caput; Intelligunt, nulli unquã Sanctorum obfuisse, quod latuit, multis obfuisse quia inclaruerunt.

7. Simile est regnum cælorum fermento.

VIlibus & obviis comparatur cælum. Non quia ipsum vile est, sed quia facile, quia cuivis obvium est, quia omnibus sive ad emendum, sive rapiendum; sive ad furtum est expositum. Noli quærere de pretio regni cælorum; tantùm valet quantùm habes, te da & habebis illud. Esto granum Sinapis, esto fermentum, & habebis cælum; imò eris cælum, Esto granum, modicus videlicet in oculis tuis, in æstimatione tua, velisque talis esse in æstimatione aliena, & habebis cælum. Esto Sinapi; fervens, videlicet, & ardens Spiritu in Deum, in salutem tuam ac aliorum. Esto fermentum vile, tibi videlicet & apud te, sed virtute, labore, charitate, patientiâ, doctrinâ, ac exemplo talis sis, ut possis totam massam fermentare, inque panem Christo ac mensæ ejus sapidum convertere; non sapit sine fermento panis, nec sine zelo labor Spiritualis. Angeli sunt sine zelo nihil, haud dubium quin nec homines sine zelo Angelici futuri sint.

8. Hæc omnia locutus est IESUS in parabolis.

VSque modò Dominus Iesus in parabolis loquitur; usque modò sine parabolis loquitur nihil. Sed enim, quisnam credit Domine Jesu sermonibus tuis? Tanti sunt etiam hodie verba tua, quanti viles parabolæ, & triviales gerræ. Omnes quidem doctrinam Evangelii laudamus, at quis est qui verba illa facit? cum tamen scriptum sit, Estote factores verbi, non auditores tantum. Laudamus verba Christi ore, vituperamus ea opere. An non parabola est, Væ vobis qui ridetis. Diligite inimicos vestros. Nolite judicare & non judicabimini. Beati qui persecutionem patiuntur. De omni verbo otioso, reddent rationem homines in die judicii. Omnia ista sunt parabolæ mundo, quia nihili fiunt à mundo, suntque tanquam deliramenta coram hominibus. Attendite verò dicentem Dominum; Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, donec hæc omnia fiant; ut ne jota unum vel apex sit, qui non impleatur. Sed & tibi homo Religiose, non videantur parabolæ, minutiæ illæ Regularum, passim à te violari solitæ. Sermones & adhortamenta majorum, Exempla meliorum, Conscientiæ remorsus & stimuli, non sint tibi, inquam, Parabolæ, sicut eæ sunt tepidis.

DOMINICA
Septuagesimæ.

1. Quia ego bonus sum. Matt: 20.

QUam majorem, anima mea, Christi in Sanctissimo Sacramento ad te adventûs rationem requiris, quam aliam libertatis ejus quam cum illo versari possis causam, præter hanc postulas, quam explicat tibi ipse, Quia ego bonus sum. Bonus sum ait, bonitatem tibi meam commu-

communico, bonum te facere & esse volo, idcircò ad te venio & tecum habito, quia ego bonus sum. O Anima penetra hæc Christi verba, quia ego bonus sum. Nullis, inquit, me minis adegisses nulla vi coëgisses, nullis muneribus pellexisses ut ad te venirem, nisi tantummodo propter hoc, quia ego bonus sum. Ne putes quod vel tua pulchritudine pellectus, vel tui, tuorumque bonorum indigus, quod alicujus recreationis, commoditatis, vel laudis spe inductus, ad te venerim? non: nisi, Quia ego Bonus sum. Quid enim est in te, quod mihi placere aut possit aut debeat? an origo, an natura, affectus, an tuum, Nihil, tua imperfectio, tuum peccatum? nequaquam, sed quia ego bonus sum Hæ sunt catenæ, hæc vincula, hæ compedes, quæ me ad te, traxerunt, hæc munera, hæc species est & pulchritudo, quæ me illexit, quæ me venire coëgit Bonus sum & bonitas mea bona est, amo hanc bonitatem meam, hæc me jussit, hæc me coëgit ad te ire; feci, ivi, veni: cur? Quia ego bonus sum. Et tu cur quoque bonus non es? aut quando tu bonus eris? Et quam bonus tu esse deberes atque posses, quamque bonum vellem ego te fieri si & tu velles, ô quantum vilia hæc sunt, quæ te impediunt! quæ bonum te esse non permittunt! Meus quidem pudor hic est, quod ego adeò bonus, toties apud te manens, bonum te tamen non effeci; at tua hæc est damnatio, quod me tam bonum hospitem tecum habens, hactenùs tamen bonus factus non sis. Jam ipsa bonitas esse potuisses, & bonus esse nondum incepisti! De Deo Scriptum est, Cum Sancto Sanctus eris, & cum bono bonus: tu cum Bonitate, cumque ipsa Sanctitate habitans, nec bonus, nec Sanctus es. ô quis es! in sole es, & non illuminaris; in igne es, & non ardes? mi homo, en ad preces vertor, en supplex tibi fio, sis bonus, quia bonus sum ego; salus ex me parata est tibi, hac fruere, si non præmii, nec supplicii causâ bonus esse vis, saltè ideò bonus sis, quia ego bonus sum: Mihi quidem licitum est facere quod volo, sed tamen te non cogo, non terreo; solùm rogo, quia ego bonus sum. Tu vide quid te facere oporteat atque deceat, Inhære singulis verbis anima mea, & si bona amas, ame JESUM, quia ipse bonus est.

2. Simile est regnum cælorum homini Patrifamilias.

MAgnus omnino Paterfamilias, cujus familia totus est mundus, quem ea facilitate, & sufficientiâ, & providentiâ, & sapientiâ, & suavitate, & efficacitate gubernat solus, quali totus mundus non potest regere & gubernare, unum vermiculum, vel levissimum pulvisculum. Si qua tamen alicubi paterna hujus Patrisfamilias eminet providentia, certè in hominibus gubernandis elucet; Ne longè abeas, te ipsum in exemplum accipe, quãtam, quam jugem, quàm minutam hujus Patrisfamilias experiris providentiam. Percurre omnia Patrisfamilias officia, & videbis quam omnia abundè Deus expleat. Considera è contra familiæ debita, & erubesce, quod tu nullum ex iis, ut te decet, impleas.

3. Exiit primo mane conducere operarios.

VIde vigilantiam Patrisfamilias, primo mane exiit quærere conducereque operarios in vineam suam; idque non semel, non unâ tantùm facit horâ sed singulis. Primo mane exiit conducere; quia nihil illi dulcius, quàm si à prima ætate ei aliquis servire incipiat, unde tales operarios dicitur præ aliis conducere, quia illos suavibus & Spiritualibus solatiis demulsos ad se trahit; quod non facit aliis, sed eis vel potestativè imperat, ut vocatis, 3tia, 6ta & 9na hora fecit; vel etiam objurgativè, ut undecimâ horâ ultimis, Quid statis totâ die otiosi? Hinc ergo tu primùm gratulaberis tibi, si ab adolescentia timere Deum didicisti, gratiasque illi ages, qui te in benedictionibus suis prævenit; Sin minus, gratias illi ages quia saltem in juventute vel virili ætate, præmii spe justi, te induxit ad salutarem vineæ ejus curationem, Roga verò eum, ut postquam hora 11. venerit, teque fortè otiosum deprehenderit, salutari te judiciorum suorum timore, vitæque malè transactæ dolore concutiat, compungat, sincereque ad se convertat. Reflectes te deinde super temetipsum, & cognosces, quod adeò sis piger in conducendis ad Animæ tuæ vineam colendam operariis; qui sunt, Proposita bona, desideria sancta, crebræ aspirationes, orationes ardentes, mortificatio perpetua, jugis tui abnegatio, & super omnia tot occasiones ad bonum, quæ in religione, totâ die stant otiosæ, exspectantes, ut ab aliquo conducantur, interim autem nullum facientes fructum, non suo quidem sed eorum vitio, qui eas negligunt, quorum tu es primus.

4. Conducere operarios.

COnsidera te esse operarium Dei, operarium naturâ, emptione, conductione ve-

ne voluntariâ, addictione; & vide, quæ & quantâ hinc tibi incumbat necessitas Dei vineam colendi. Operariorum virtutes sunt Fidelitas fervor, perseverantia; in hæc libenter labores tuos expende.

5. In vineam suam.

MUltiplex tibi concredita ad colendum vinea est, Ecclesia, Religio, Anima proximi, officium. Nobilis quælibet, & singulæ instar paradisi. Omnes colere debes, quia ad hoc vocatus es. Colere autem, extirpatione vitiorum, plantatione virtutum &c. Quâ ratione itaque tuam exequaris operationem, vide, & memento, tibi quoque dictum, Ecce posui te super gentes & regna, ut destruas &c.

6. Quid statis totâ die otiosi?

NEmini exprobrat Deus quod totâ nocte sit otiosus, sed quod die totâ. Per Noctem, potes intelligere antiquam legem; per Diem, Gratiæ legem. Non igitur antiquos homines Deus arguebat, si perfectionem non assequebantur; sed Christianis, non potest non succensere, qui tantam salutem negligunt; quibus licet nox abscesserit, diesque appropinquarit, non tamen abjiciunt opera tenebrarum, nec arma induunt lucis. Potes etiam per noctem intelligere, Statum peccati, aut statum vitæ sæcularis, per diem statum gratiæ & vitæ Religiosæ. Non est ita molestum Deo, etiamsi sæculares mala agant, vineam non colant, stentque otiosi; sed si homo religiosus, qui professus est religionem, sit otiosus, hoc indignè fert. Quis, ait, cæcus, nisi servus meus? & quis surdus nisi ad quem mitto nuntios meos? Extremè cæcum esse oportet famulum lucis æternæ, si in tanta luce impingat, Extremè surdum, qui vocem Dei sibi loquentis non audit. Cogita an tu non unus sis ex istis, cæcus & surdus?

7. Quid statu totâ die otiosi?

TOtâ die, vere otiosi stant, qui peccant. Quid enim est otiosum esse, nisi nihil agere? & quid est peccare nisi otiari? O otia æternos labores parturiẽtia. Quod si adhuc totius diei otia, id est totius vitæ peccata attendantur, quantus maledictionis cumulus consurget? Otium peccatum est, quia etsi negotiosa res sit peccare, neque potest quisquam nisi lassatus in via iniquitatis incedere; sed tamen otium merum, quia infructuosum, quia pœnale, quia damnabile. O quoties ego totius vitæ meæ diebus steti otiosus! in quibus ne unica aspiratio, nec unus oculorum nutus, divino cessit obsequio! Quid faceres Anima si redirent illi dies vitæ tuæ? fac nunc in iis, qui adhuc supersunt nec otiosos eos esse sine.

8. Quid statis totâ die otiosi?

OMnis ad bene agendum opportunitas vel necessitas, est dies; otiosè stat totâ die, qui totam bene agendi negligit occasionem. Quis numeret quam multarum exercendarum virtutum, quàm multorum comparandorum meritorum occasiones, imò necessitates, quotidie sese mihi obtrudunt? quæ tamen à me negliguntur. Omnia beneficia, omnis fides, omnis spes, omnis charitas, omnia supplicia, omnes res, omnes actiones; totus ego, sunt dies in quibus laborare fructificareque possem, nisi otiosus esse & stare mallem. Tot Lectiones, tot orationes, tot examina, tot sermones Spirituales, tot exempla bonorum, tot peccantium supplicia, tot interni motus, tot de peccatis confessiones, tot Sacræ Communiones, tot Regulæ, tot habitæ illustrationes; tot compunctiones niternæ, tot consolationes divinæ, quid sunt aliud quàm dies? ad hoc unum stantes, ut sint usui, ut conducantur, ut ego non otier.

9. Nemo nos conduxit.

NOn est relicta hæc excusatio tibi. Signatum est super te lumen vultûs Domini. Redemit te Deus in Sanguine, & fecit te sibi regnum; Eduxit te de Ægypto, & introduxit te in terram lacte & melle fluentem, vocavit te in vineam, & quod justum esset, tibi dare promisit. Elegit te, & posuit te, ut eas, & fructum afferas, fructusque tuus maneat; ipse Filius Dei descendit, ut te conduceret, imò redimeret, ut te doceret, non verbo solum, sed magis exemplo, quo ergo effugies si tantam negligis Salutem?

10. Acceperunt singuli denarios.

TAm primi quàm ultimi, tam qui primâ horâ venerunt, & pondus diei toleraverunt, tam ii qui novissimâ horâ undecimâ accesserunt, & tamen nulli facta est injuria. Ut intelligas, non in annis, sed in fervore virtutem consistere. Primi sunt conducti; aliis quod justum esset dari, est promissum; tertii sine ulla conventione ierunt & laboraverunt. Multùm videlicet interest gratis Deo servire, & liberaliter cum ipso agere, quia quantò se quis liberaliorem in eum præstiterit, tantò eum in se liberaliorem experietur. Non gratis servis Deo, si ut aliquid ab eo accipias, id facis. Gratis servi, & ipsum accipies. Nemo scit utrum amore

amore dignus sit an odio. Cur non scit? quia incertum est, utrum gratis serviat. serviat gratis, & sciet: non enim odisse Deus eum potest, qui gratis amat eum, & qui gratis servit.

II. Multi vocati, pauci electi.

HEu! è quibus sum! vocatum me scio, Electum nescio, inter multos jam sum, inter paucos quis nostrum erit? Multi speramus nos de paucis futuros, quasi inter paucos futuri sint multi; Et quomodo quæso erunt pauci, si inter eos multi sunt sunt futuri? Sed nunquid non justus est Deus, aut temerarius, qui nos ideò creaverit ut nos perdat, infernosque ex nobis repleat? Perditio tua ex te Israël, in medio tui; tantummodo ex me auxilium tuum, proinde quod multi vocantur, Dei est, quod pauci electi, hominum est. Cur enim pauci electi? nisi quia pauci digni. Indignos enim Deus non recipit, sed eligit dignos se, Cur verò pauci digni, quia pauci dignè suâ vocatione ambulant. Vis esse inter paucos, solicitè ambula. cum Deo tuo. Quid est solicitè ambulare cum Deo? illud videlicet: Ambula coram Deo, & esto perfectus; si coram Deo ambulas, non potes non solicitè ambulare; si solicitè ambulas perfectus es; si perfectus es, electus es; si tamen ad finem usque perseveraveris.

DOMINICA
Sexagesimæ.

I. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Luc: 8.

COnsidera, Christum in Sanctissimo Sacramento esse velut Seminatorem quendam, linteo seu telâ præcinctum, & semen ferentem, exeuntemque ad seminandum semen suum per varios agros, & terram multiplicem. Christus ergo est qui seminat. Olim Deus se vocabat, Ego sum qui sum, & qui est misit me &c. nunc se vocat eum, qui seminat. Olim Deus erat in se tantum & sibi, nunc se creaturis communicat, & tot sunt ejus semina, quot rerum creatarum species. Ab initio quidem exiverat, seminare semen quasi non suum, Creaturas enim quas creabat, in suis puris naturæ viribus relinquebat; postea misertus earum, videns non posse eas hoc modo salvari, exiit seminare semen proprium, id est, dona & virtutes supernaturales, cælestes, ac Divinas. Et egressus quidem ejus olim fuit multiplex & varius; ut in nube, in columna, in fulgure & tonitru; postmodum verò ex utero Sanctissimæ Virginis; tum in Specie & forma servi, tum in forma Regis mansueti; similiter in specie captivi ex horto, in specie Stulti ab Herode, in specie damnati a Pilato, in specie illusi crudeliterque tractati, ad populum cum corona Spinea, Sceptro & purpura. Tandem in forma gloriosi de Sepulchro, & in specie victoris ad cælum. Sed nunc maxime prodit in Specie Seminatoris de Cælo in terram, sub velo & tela Panis; quâ specie tectus exit seminare semen suum, venitque ad corda hominum. Tu jam cogita, quæ & qualia seminet iste Seminator semina. Ac primum quidem, ipse est qui seminat, & ipse qui seminatur; seu ipsum semen. Etenim sic se spargit, sicque suo corpore totum implet mundum, sicut qui seminat, implet agrum. Et quid est adeò sparsum, quod non solum Regna, Urbes, templa, altaria, sed & viscera replet hominum. Verè ergo Christus Semen, quia ipse Christus Christi est Semen, & ad hoc spargitur ut nascatur. Christus verè semen Christi; quia quoties Sacramentum conficitur; toties Christus nascitur, & Hypostatica Unio innovatur. Tu vide qualis sis terra, an nascatur in te Christus? quomodo crescat, quem & quantum fructum faciat. Væ tibi si toties in te seminatus Christus, nunquam in Culmum, nunquam in spicam assurgat; nec adferat fructum non solum centesimum, sed nec trigesimum, An non sterilem, petrosam, spinosam, perviam esse oportet terram? Certe terra bibens sæpè super se venientem imbrem, & nullum fructum proferens, maledictioni proxima est. Non immeritò igitur quidam moriens clamavit, Væ nostris confessionibus, & Væ Communionibus; quia non ita sunt prout fieri deberent, non eo sunt Spiritu, fervore, intentione, profectu, fructu, sed aridè, temerè, ex usu, imparatæ, & post Christum susceptum statim ad nugas effusione. O Jesu! nunquã te manducem in judicium, sed in præmium mihi!

2. Exiit qui seminat Seminare.

OLim Deus creabat, nunc verò seminat. Creabat olim naturam, ut multiplicaretur super terram, seminat gratiam, ut augeantur incrementa justitiæ nostræ cælo. Quantò ergo nobilior est naturâ Gratiâ, tantò nomen Seminatoris nomine Creatoris. Quid enim prodest agrum cultum esse, nisi eum quoque conseveris.

Per agrum hominis pigri transivi, ait Sapiens, & ecce totum operuerant urticæ. Agedum, teipsum dispice, & sicuti es creatus, vide an etiam es seminatus, quovè in te proventu succrescat istud semen! num centesimo, sexagesimo, trigesimo, an verò millesimo? Semen Baptismus est, Semen Confirmatio, Semen alia Sacramenta, Semen vota, Semen vitæ Institutum, Semen multiplices gratiæ, Semen Fides, Spes, Charitas, Semen Verbum Dei, Semen doctrina, Semen ipsa ratio. Vide quanta semina; at quanta seges, quanta spes messis? Videte ne in vacuum gratiam Dei accipiatis, ait Apostolus; ne videlicet in vacuum seminetis.

3. Exiit qui seminat seminare semen suum.

QUi seminat, Deus Pater est. Is exiit seminare semen suum, JESUM videlicet Filium suum; juxta illud. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Satus igitur Christus in mundo est, dum de Virginis prodiit vtero; Cecidit secus viam in stabulum, posthæc in petrosa Judæorum lapidea corda, à quibus aliquoties penè est lapidatus, tum inter Spinas Cruciatuum, Flagellorum, Coronæ spineæ, Clavorum Crucis, tandem in terram bonam Sepulchri, de quo prodiens, omnia traxit ad se ipsum juxta suam prædictionem: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Tu hic adnota solum ortum progressumque seminis Domini. Quomodo a via ad petram, hinc ad spinas, tandem ad selectam terram pervenit. Tu quoque semen & genus Dei es, nunquam verò secus viam, nunquam in petrosa incidere, nunquam Spinas sentire, sed semper in molli terra esse cupis. Nescis autem dictum à Deo; Dilecti mei ambulaverunt vias difficiles & unus eorum, de se ad Deum ait, Propter verba labiorum tuorum, ego sustinui vias duras. Sic itaque & te oportet facere, si fructum vis multum afferre.

4. Exiit qui seminat seminare.

ET tu Seminator es. Bonum Seminatorem te esse oportet. Qui seminat exit in agrum, Semen ipse manu portat, seminat totum agrum, seminat bono selectoq; semine. Non tibi satis est, si intus in cubiculo pro aliorum salute orês: prodi foras ad agrum; fer semen manu, hoc est, quod doces, fac ipse; semina agrum totum, non uni tantum loco prodesse velis, non loquendo tantùm placentia, non cùm solis tantùm agens amicis aut cum Divitibus, negligendo vero pauperes. Selectum semen semina, quod verè Divinum sit, dè cælo haustum, non peregrinum, non quod oleat sæcularismum, non ut laudes captentur, non ut fallatur tempus, non ut tædium vitetur, non ut lucrum têporale paretur, sed ut succrescat Christus.

5. Exiit qui seminat seminare.

MEritò, quid enim agat aliud Seminator? quàm seminet At quot sunt qui cum Seminatores non sint officio, messores tamen volunt esse fructuum? Heus! metitis, ubi non seminastis, in alienos labores intrastis, falcem mittitis in messem alienam! Quo jure? desidiæ: quo fructu? Perditionis! Sed ecce & ego in labores Patrum meorum introivi, fructus industriæ ipsorum meto, de illis vivo, propter illos honorem laudemque doctrinæ & virtutis habeo: an verò similia semino? quæ crescant in posteris, an potius contra legem, diverso semine ab illis agrum consero? væ mihi si taliter ago! Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, fructuosas, aut diu mansuras, sed omnis plantatio, quam non plantaverit Pater meus, eradicabitur & arescet, & in ignem mittetur; & ardebit.

6. Exiit qui seminat.

VTique de die, utique de mane, utique spe proventûs & incrementi, non a se sed a Deo futuri. Inimicus homo est, qui noctu seminat nocte, dum dormirent homines. At S. Paulus non erubescit Evangelium. Et Christus monet; Operamini dum lucem habetis, alioquin vanum est vobis ante lucem surgere. Siquidem semita justorum quasi lux, & qui bene agit ad lucem prodit. Mane autem seminat; quia etsi nullum tempus opportunum nô sit seminationi, pœnitentiæ, & vitæ emendationi, bonum tamen est viro, si portaverit jugum Domini ab adolescentia. Porrò sibi nihil tribuat, sed cum omnia fecerit, dicat, Servus inutilis sum & si quod debui facere feci, servus inutilis tamen. Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui dat incrementum Deus.

7. Exiit qui seminat seminare.

NOn exiit otiari sed seminare, non lapides, sed semina. Ad hoc, non exiit metere, sed seminare. Non est hic otii locus, nec lapides in terra crescunt, quia vivi non sunt. Cælestis hoc est agri proprium, ut ibi sint lapides vivi & crescentes: nec est hic tempus messis, sed tempore suo metemus, ait Apostolus. Denique se-

quē ſemen eſt quod ſeminare exiiſti, non matura ſeges; creſcere debes non meti. Viatores quippe ſumus non comprehenſores, in via non in termino manemus. Nunquam in hac vita proficere potes, quin melior adhuc eſſe poſſis & Sanctior. Quidquid facis hic boni, ſemen adhuc alterius boni eſt, nec ſolùm meriti præmiive futuri, ſed & præſentis gratiæ meritorumque futurorum & ſequentium. Tantò enim te magis ad gratiam charitatemque diſponis, quantò ampliùs in Charitate & gratia laboras; Labora itaque multum ut creſcas multum. Et agnoſce Dei liberalitatem, qui in hac vita terminum tibi non præfixit, ſed quamdiu vivis tamdiu creſcis, tamdiu ſeminaris. In Cælo jam ſemen non eſt, ſed quidquid agitur, metitur; hic hîc omnia ſeminantur in ſpem meſſis cæleſtis. Vis multùm illic metere, hîc multùm ſemina. Quid putas, quàm copioſam æterna meſſis requirat ſeminationem, qui enim ſeminat de benedictionibus & metet. Vis ſcire compendium? Deus eſt ager tuus, ſemen quoque tuum Deus eſt, Deum igitur in Deo ſemina, hoc eſt omnia in Dei gloriam facito, & ſemen tuum, meſſem in æternum duraturam habebit. Si Deus finem habet, & ager tuus aut meſſis tua finem habebit. Dei tu Genus es, Deus ſemen tuum; Exi igitur qui ſeminas, qui in ſtatu ſeminandi es & ſemina ſemen tuum. Noli teipſum & in teipſo ſeminare, quia non creſces; non enim tu es tuum ſemen nec tu tibi ſufficis; non enim potes ad ſtaturam addere cubitum unum, multò itaque minùs poteris augere meſſē in omnem æternitatem ſuffecturam.

8. Et dum ſeminat, aliud cecidit.

BOnitatem Dei conſidera. Semper quærit omneſque vult ſalvos fieri, ad agnitionemque veritatis pervenire. Spargit enim ſua ſemina copioſa, omnibus, ſemper, & multipliciter; pluit ſuper juſtos & injuſtos, illos, ut argumentum ſumant in juſtitia, iſtos ut creſcere incipiant. Facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos; tum, ut illi videant, multùm ſe adhuc à perfecto abeſſe die, tum ut hi tenebras ſuas execrati ad diem illum currant, & abjectis operibus tenebrarum, induantur arma lucis. At quis eſt ager, vel quæ agri portio, quæ poſſit conqueri ſuper eum dicens; Ros cæli non cecidit ſuper me, non dabo fructum? Aut quis eſt, qui dicere poſſit, Luce lucente Sol non illuſtrat me, videre non poſſum? O Domine, Tu mittis cryſtallum tuam, ſicut buccellas, & non eſt qui ſe abſcondat à calore tuo, niſi qui mordicus amat frigus ſuum. Da mihi, ut ſim gratus gratiæ tuæ, utque reſpondeam ei ſemper, potiſſimum verò ne permittas me gratiam tuam ultimam excitantem, ſeu remotam, ſeu propinquam, negligere, ſed ut omnino benè illâ utar, & non deſim ſaluti meæ, ſicut tu Pater benigniſſime nunquā dees mihi.

9. Aliud cecidit ſecus viam.

BOnum ſemen cecidit à bona manu, ſed in malum locum ſecus viam omnibus perviam. Et quis unquam copioſam meſſem collegit juxta viam? Secus viam, quid eſt hoc aliud, quam cor vagum, curioſum, nugis diſtractum, Dei, & ſui oblitum, in eo quid ſuccreſcet boni? A Creaturis ſolatia emendicat, quomodo gloriam quæ à ſolo Deo eſt, ſperabit, & ſolatium? Pervium eſt volucribus Harpiis, & quomodo à mundiſſimis incoletur columbis? Denique id eſt, cui dicitur, Incurvare ut tranſeamus, hoc eſt, effunde te ad externa, inclinare ad terram. O cor, ſi ſurſum eſſes erectum & cæleſtia ſpectares, Dæmonibus pervium non eſſes! Non itaque Cor meum ſis ſecus viam, ſed fuge terrena. Secus viam publici ſunt peccatores qui ſcandalo ſunt aliis, juxta illud. In via quâ ambulabam, peccatores abſconderunt laqueum mihi, objecerunt videlicet mihi offendiculum exempli ſui peſſimi. Secus viam Thamar ſedens, Judam decepit. Peccatum inſtar eſt fæminæ tabernariæ, ſecus viam dulciaria divendentis, & à pueris pecuniam emungentis; alioquin quis incideret in illud, ſi in via non eſſet: Commune eſt, venale eſt, omnes emunt, non tu ſolus peccas, non eſt dedecus, difficilè eſt ab his cavere? Nonne hoc eſt ſecus viam? ô Anima mea attende tibi, & in via peccatorum non conſiſte.

10. Aliud inter Spinas.

COr paſſionibus vivis ſcatens, cor ſpinoſum eſt; quod à nemine tangi ſine læſione & punctura poteſt, & ipſum ſibi carnificina eſt perpetua. Vide itaque quibus tu frequentiùs perturberis paſſionibus, Irâne, an invidiâ, an murmurandi, detrahendi, judicandique alios libidine?

11. Aliud cecidit ſupra petram.

COr durum quod nec Deum timet, nec homines reveretur: durum, quia duratum tepiditate, quod licèt gravi percuſſionis & motionis Divinæ malleo cōmoveatur, mox tamen ſua ferrea voluntate, in ſolitum ſibi trahitur teporem. Vide an non de te fabula hæc narretur.

O Cor

O Cor meum quid te tepidius, quid inconstantius? Credis quidem & tu, ferves, & aliquando proponis, sed quoadusque occasio se non offert delinquendi.

12. *Aliud in terram bonam.*

BOna terra est, quia etsi non sit pervia, nec tamen est invia, etsi non petrosa, non tamen arenosa; etsi non spinosa, septa tamen nec rapinæ exponitur, ut secus viam, nec deficit, ut petrosa, nec suffocat, ut spinosa, sed recipit, condit, fovet, & fructum fert centuplum. Euge si tu terra bona es, ubi fructus, ubi centuplum? quanta semina recepisti, & quantuli sunt fructus? Ergo tu tellus bona? nonne magis maledictioni proxima? Cétuplum fert fructum quisquis de die in diem, de virtute in virtutem proficit, qui seipso quotidie vult fieri melior, qui non sibi sed Deo laborat, qui omnia in Charitate facit, qui non sua tantum salute contentus, etiam alios quosquos potest, ad Deum trahit, qui aufert scandala de regno, quem mala pati & bona agere delectat, qui libenter impenditur & superimpenditur pro animabus proximorum. Denique qui se in Charitate perficit centuplum parit.

13. *Aliud in terram bonam.*

CEcidisti ô semen in bonam quidem Ecclesiæ bonamque Religionis terram, facisne verò fructum Centuplum? quam bona terra Ecclesia, quàm bona Religio, quàm culta, quàm munda, quam pinguis, Sole pluviisque oportunis, quàm sedulis curata agricolis quantis fæcunda exemplis! Age quàm te sterile semen esse oportet, qui in hoc tam bono agro nullum fructum facis.

14. *Qui habet aures audiendi.*

HÆc dicens Clamabat Jesus. Clama & tu, clama tibi, clama aliis. En tam copiosa seminatione tam boni seminis, unus tantùm ager fecit fructum æternæ Salutis. Ergonè unus tantùm salvabitur? vix non ausim dicere, Unus in comparatione tantæ multitudinis damnandæ! At cujus hæc culpa? non Seminatoris, non Seminis; sed quia terra alia secus viam, alia petrosa, alia spinosa. Qui aures habet audiendi audiat. At terra secus viam non audit, quia strepitus prætereuntium impedit. Petrosa non audit, quia petrosa est. Non audit spinosa, quia sepivit aures suas Spinis, & quia suffocat semen Dei; quanto magis aures suas. Non itaque aures habet audiendi, quomodo ergo audiet? quod si non audiet, quomodo credet? si non credet, quomodo salvabitur? qui enim non crediderit condemnabitur. Exhorresce igitur quod pauci adeò salvabuntur, & quidem culpâ suâ: Curaque ut inter paucos hos inveniri merearis.

DOMINICA
Quinquagesimæ.

I. *Quid tibi vis faciam.* Luc: 18.

QUære & tu ex Christo recepto, vel recipiendo in Venerabili Sacramento, Quid tibi vis faciam Domine Jesu? Respice enim ad illum qui stat, cæcum clamantem, adduci præcipit, quæritque ex illo, Quid tibi vis faciam? hoc est; Ecce ego paratus omnia facere, potens omnia facere, quid vis tibi faciam? nisi tu homo cæcior esses cæco isto, obstupescere deberes omnibus stuporibus, ad tantam Jesu dignationem, facilitatem, promptitudinem. Sed ne in alienis verseris; quandocunque Jesus in Venerabili Sacramento ad te venit, quid aliud dicit, quàm, Quid tibi vis faciam? Postula à me & dabo tibi petitiones cordis tui; pete quæ tibi putas maximè necessaria, pete quæcunque scis me digna, & illa tibi faciam postula à me & dabo tibi, imò ne pete quidem, sed tantùm dic, & faciam; Petis ut dem tibi merita mea? faciam; petis ut tibi dem virtutes meas? faciam: petis ut te Sanctum, ut Servum meum, ut te castum, humilem, obedientem, patientem, modestum, ferventem, zelosum, prudentem, mortificatum, animâ & corpore sanum, in bono perseverantem, perfectum efficiam? faciam, denique quid tibi vis, totum faciam. Ut autem petere audeas, Ecce feci tibi gratiam super omnem gratiam, ad te veni; Dic igitur: Quid adhuc tibi vis faciam? Sciebam velle te venire ad me, non poteras venire, ego veni ad te, quia sum & maneo apud te, si parum tibi videtur, quid præterea vis faciam tibi? Feci te, redemi te, vocavi te; feci te talem, vocavi te huc, servavi hactenus, in statu tali, tecum insuper maneo & conversor, te meipso cibo, pasco & nutrio, quid vis adhuc tibi faciam? Scio quia pauper es, cæcus in intellectu, malitiosus in voluntate, obliviosus Dei beneficiorum judiciorumque meorum, immortificatus, inconstans, undique mille periculis hostibusque tam animæ quam corporis expositus, veni ad te ut indices mihi, Quid tibi

tibi vis faciam? Sæpe me offendis, pœnitentiam serò aut nunquam agis, in Servitio meo prout debes & ut recepisti, non proficis, pœnâ & eâ multiplici es dignus, & usque huc pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit in conspectu meo anima tua. Tu jam ipse judica in ter me & te, quid tibi vis faciam? Percurre omnia quæ in terra, supra terram, intra terram, in aqua, àëre, cælo, super cælos, omnia corporalia, naturalia, omnia feci propter te, omnia tuis obsequiis addixi, ipse propter te ego homo factus sum, triginta tribus annis in terris vixi, laboravi, feci mira, pertuli dira, omnia tibi factus sum, etiam cibus, quid præterea vis tibi faciam? quandoquidem & omnia alia, & meipsum propter te feci, & usibus tuis servire feci? O Domine ad hæc omnia quæ fecisti, adde unum: ut videam! quid enim prodest te fecisse, si ego ea non video? Videam mi JESU ea quæ fecisti mihi, & quæ pro me. Videam quis tu, qui fecisti, quis ego, cui fecisti, quid debeam tibi pro his omnibus quæ fecisti mihi.

2. Ecce ascendimus.

PRædicit Christus Discipulis suam Passionem, ut eos erudiat, quod non ad delicias sint vocati, sed ad Crucem. 2. Ut se sponte suâ mortem oppetere ostenderet, quàm multò ante & prævidit & prædixit, qui enim præscire potuit, utique & evitare potuit. 3. Ut animos eorum præpararet, ne illis novum esset & insolens videre eum morientem, super quem hæc ventura dudum ante cognovissent. Et discipulis quidem ideo; At cur prædicit & nobis? An ominantis præsagientisque vox ista est tanquam malum aliquod sibi hoc tempore à nobis imminere prævideret & præsentisceret? O ad quā multos hodie Christus tanquam ad Hierosolymam aliquam ascendit, à quibus, gentibus tradetur & illudetur. An timentis hæc vox est? vere timet Christus ne his temporibus pejora à fidelibus patiatur, quam olim a Judæis, & non immeritò! Quot enim sunt qui hos dies effrènes, omnibus devoverunt nequitiis? quis itaque dubitet Christum ab his tradendum esse gentibus, offendendum videlicet peccatis, & quidem talibus, qualia nec inter gentes experitur! Nonne bone JESU illuderis, nonne flagellaberis hodie, & sequentibus his diebus, & quidem à Fidelibus à Christianis tuis! ô quanta hodie perditionum, flagellationum, illusionum, sputorum plaustra in Christum congerentur! ô quantâ animarum pericula, quam millena Innocentiæ, Sanctimoniæ Gratiæ Divinæ, Pudoris, Virginitatis, omnis denique virtutis, multis imminent naufragia. Et tu hodie non illuderis Christe? An admirantis & præ stupore hærentis vox est ista? Dubitat videlicet Christus & vix credit, hæc his diebus super se ventura Hierosolymis, scilicet, inter Christianos, in tali loco, corde, urbe, in qua toto transacto anno, cultus, amatus, honoratus fuit, in qua ei dum nuper in festo corporis sui processionaliter obiret illam, tanti plausus, tanti sumptus, tanti ornatus, tanti honores sunt exhibiti. Verè mirum est, mi JESU, sic nos repente contra te armari, & verendum tamen est, ne à nobis tradaris, ne à nobis illudaris; quis enim nunc non audet omnia? quis non omnia sibi permittit? quis prohibet? habet etiam insania laudem, plausum, spectaculum, admirationem, Universitas iniquitatis tempus illud est. Inferorum recreatio, Regnorum insania, Spatium ad exercendam patientiam Dei, ab hominibus præfixum, Angelorum infernalis cruciatus, & infernus ipse, mors virtutum, Conjuratio hominum contra Christum, Apostasia totius mundi à Deo, seditio Generalis, Idololatria publica, licita, laudata, vera tragædia, qua Christi, omnes cruciatus non tam repræsentantur quam innovantur: Æmulatio scelerum, quidnam graviorem Deo injuriam, contumeliamque faciat, quid certiorem mundi causet ruinam? An minantis est vox? quia videlicet minatur Christus pœnam Christianis talem, quæ est super omnem pœnam peccandi scilicet licentiam. Ita enim homines his diebus peccant, planè ac si Deus puniendi haberet impotentiam, vel ac si Deus totius anni peccata dissimulans demum hac peccatorū permissione, mundum punire vellet? Frequenter sanè Deus peccata punit peccatis? ut videlicet ira Dei & pœna super omnes pariter effundatur. An vox ista commiserationem exigentis est? ut videlicet pii homines videntes hisce temporibus, tam graviter Christum lædi, iterumque quasi à peccatoribus crucifigi, ei non secus atq; die parasceves facere solent, cōpatiantur. An causam assignantis vox est? quâ videlicet fiat, quod tantam peccandi licentiam Deus non subito puniat? Obstare nimirum Christi Passionem, quæ eum in finem tum ab Ecclesia commemoratur. An vox ista remedium contra præ-

sentium temporum licentiam ostendentis est? ad Christi, videlicet patientis recurrendi memoriam? Tuum itaque est hæc omnia intelligere, cavere, deprecari, in te punire, nunc præcipuè conari Deo, quam ferventissime, accuratissime, instantissimè servire, adesse, placere, postquam offenditur negligiturque à pluri-mis, postquam quilibet peccat, peccat enim eo tempore, quo mundus totus peccat, Deumque exasperat & offendit, & quantum in se est, ostendit se de numero esse eorum, qui cùm mundo, carne, inferno, peccato, in Dei offensionem conspirârunt, conjurâruntque.

3. Consummabuntur omnia.

NOndum scilicet satis Christus à Judæis est passus; adhucne à te, ô Christiane homo, Passio ejus consummari debet? qui tradis illum gentibus, repugnas illi, videlicet perversis animi tui moribus ac motibus. Barabbæ enim gentes, immortificatæ sunt passiones in Anima tua, quæ rationi repugnant, solaque sensualitate ducuntur; his quasi Rex præsidet Amor proprius, cujus est proprium, Deo refragari, & æmulari omnipotentem, non enim novit, nec nosse vult Dominum. Itaque tunc homo gentibus tradit JESUM, quando omnia facit propter se, utque sibi aliquantulum molestus non sit, à Deo recedit. Vide ergo ne JESUM gentibus tradas, sed avertere ab amore tui, convertere autem ad amorem JESU, insuper quoque dole & defle, quod toties illum tradideris.

Cæcus quidam sedebat secus viam.

VIde, ne in te hoc de cæco secus viam Hiericho sedente, quadret. Quid enim stultus amator sæculi, & rerum præsentium captator aliud agit, nisi quasi Cæcus secus viam Hiericho sedet? infelix, quia secus viam Hiericho; infelicissimus quia sedebat. Extremum autem miseriæ exprimitur ejusdem, quia mendicus esse dicitur. Vere enim quisquis sæculum amat, quisquis solatiis delectatur terrenis, cæcus est, hæc, quæ amat, non cernens peritura esse: cæcus est, hæc, quæ à mundo maximo pretio emit, eique ingenti summâ solvit; cæcus est quia non videt sibi falsa pro veris, mala pro bonis, transeuntia pro manentibus obtrudi, & non tam dari quam mutuari tantum. Mendicus autem est quia mavult à mundo hæc obtinere precariò quæ à Deo gratis habere potuisset, si illum audisset dicentem; Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. O Anima mea, & tu aliquando sic cæca, sic mendicans sedebas secus viam infelicissimi hujus mundi, Hiericho amabas, quia misera famem fers, cum scires in domo Patris tui mercenarios panibus abundare; da nunc gloriam Deo quod JESUS Nazaræus hac transiens jusserit te adduci ad se, & tibi dixerit, Respice, vidisti namque confestim, & secuta es ipsum, dico tibi, usque modo sedisses secus viam istam mendicans, & cupiens de siliquis porcorum saturare ventrem tuum, nec tibi quisquam petenti dedisset eas, quia etsi fortè clamare post JESUM cæpisses invocans misericordiam, increpasset te turba præteriens, ut taceres. Proinde benedic Anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui redemit de interitu vitam tuam.

5. Quid tibi vis faciam?

MUltis mihi opus est, quæ facias Domine JESU mihi; sed præ cæteris illud, Ut videam, quibus modis hoc Sacrosancto ingruentis Quadragesimæ jejunio tibi placere, inque vitæ Sanctitate ac morum integritate & emendatione proficere possim. Ut videam quanta tu Dominus meus fecisti sustinuistique pro me? Ut videam quibus rationibus, quo zelo, quâ prudentiâ animas Fratrum meorum, Servorum autem tuorum juvare, ad te perducere, inque servitio tuo firmare possim. Ut videam, non minùs corpore mihi nunc esse jejunandum, abstinendo videlicet à cibis vetitis, quàm animâ, mortificando ejus passiones, eamque à terrenis avocando ad Te solum convertendo. Ut videam utendum esse nunc parcius somnis, jocis, cibis & potibus, linguam esse frenandam, Orationi plus dandum, plus vacandum Lectioni, habenda esse pia colloquia, ab otiosis conversationibus abstinendum, mysteria divinissimæ tuæ passionis accuratè & fructuosè esse recolenda, Carnem flagellis atterendam, actus humiliationis frequentandos &c. Ut videam quid adhuc desit mihi, quàm longè sim à te, quàm sim nihil ipse in me. Ut videam quid sit supra me, quid infra me, quid pro me, quid ante me, quid post me, quid circa me, quæ aliena, quæ mea, quæ tua! Ut videam quis tu, & quis ego? Ut videam quo tu dignus? & quid ego debeam tibi? Ut videam quàm sis admirabilis in Angelis, quàm amabilis in hominibus, quàm terribilis in reprobis? Hæc videam Domine, ut confestim sequar te, magnificans te, & laudans nomen tuum in sempiternum.

DOMI-

DOMINICA I.
Quadragesimæ.

1. *Non in solo Pane vivit homo.* Matt: 4.

VErè non in solo pane, non solùm secundum panem seu panis speciem, Corpus Domini sumendum est, sed secundum Spiritum, qui enim indignè manducat, judicium sibi manducat, non dijudicans illud. Væ mihi si in solo pane vivere soleo! cum spiritus sit qui vivificat, caro autem non prodest quicquam. Non igitur in solo pane Sanctissimi Sacramenti vivit homo; id est, non tantùm contentus esse debet se Sacratissimam Eucharistiam sumpsisse, sed etiam conari, bene sumpsisse. Bene autem sumit qui cum fide, cum desiderio, cum charitate, cum humilitate, cum fiducia sumit; qui sumit cum carnis afflictione, cum profectus desiderio, non autem ex usu, qui agnoscit se nihil esse, se sibi nihil prodesse, omnia ex Deo habere, omnia ex Deo posse; hoc siquidem non ex solo pane vivere est, sed ex omni zelo Dei, gladio quocunque ancipiti, penetrabiliori, pertingente usque ad divisionem animæ, compagum quoque & medullarum. Et quid autem causæ quod ego toties Corpus Christi sumens, vix tamen vivam? Nonne quia in solo pane vivere volo, non verò in omni Dei verbo? verbo inquam Divinæ inspirationis, correptionis, mei ipsius dijudicationis, exhortationis & inspectionis, Dei cognitionis, Spiritûs accensionis, fervoris. Audi anima mea verba ista, & fac ea ut vivas.

2. In manibus tollent te.

DIc Anima mea Christo: Estne possibile Domine Jesu, quod homines in manibus tollent te, imò tollent te linguis, ore, visceribus, idque homines non Angeli, quasi non solis Angelis mandatum sit de te Domine, sed & hominibus. Porrò quoties & ego fero Te mi Jesu, & ore & manu; quàm verò dignè! Tu quidem nosti imperfectum meum, sed tamen & ego conscius mihi sum, quia indignè, quia indevotè, tepidè & inconsideratè, ac: quod pejus est, sine ullo emendationis conatu te fero. Da mihi mi Jesu, ut aliquando resipiscam; ut dignè te tractem ac recipiam fideliter, audacter, humiliter, fide vilicet, desiderio, humilitate, meque semper magis magisq; emendem.

3. Ductus est IESUS in desertum.

DUctus est; Credo à Spiritu Sancto, à Spiritu Amoris, quis enim eum in tantum cordis & animæ meæ desertum inducere potuisset, nisi, Spiritus ille Amorosissimus, eum vel duxisset, vel etiam expulisset. Gratiæ tibi ô Divine Spiritus, qui vel coäctum Jesum ad corda nostra ducis, & gemitibus inenarrabilibus clamas in nobis proque nobis ducis eum ad deserta nostra; verè deserta, desolata, solitaria, ejus gratiâ, ejus meritis, ejus virtutibus, ejus institutis indigna. Tu attende anima mea, ne diu in te desertum habeat Jesus; sed vive cum illo, age cum illo, si tu ipsa semper non potes, cor saltem illi socium jugiter relinque, quo, & cum quo, seoblectet; Pasce illum, ne esurire cogatur aut tentari pane lapideo; pasce profectu, pasce fervore, pasce lacrymis, pasce humilitate, patientiâ, resignatione, hi sunt cibi, quibus libens vescitur, quibus desertum suum solatur, & quorum causa putat delicias esse, cum hominibus conversari.

4. Ductus est IESUS à Spiritu.

OLim dixerat per Spiritum, Fili accedens ad Servitutem Dei, sta in timore & tremore, & præpara animam tuam ad tentationem, nunc ipso exemplo id ostendit; ducitur enim in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo, post jejunium bene longum. Vocatus es ad vitam desertumque Spirituale, & ad obligationem Sanctitatis, sta in timore, desertum id est, non frequentia; nulla hic deliciarum, carnis, oblectationum, sensualitatum, propriæ voluntatis judiciivé frequentia, vacua sunt hìc ab his omnia & deserta, horrida verò omnia, durâ asperâ carnis passionumque mortificatione, silentii solitudine, paupertatis defectu, disciplinæ rigore, obedientiæ magisterio. Una hìc est consolatio quia à Spiritu S. ductus es, ut tenteris à diabolo; illo te solare, isthæc autem tolera, neque hoc cogita quomodo non tenteris, sed quomodo non supereris; & resolve te animo prorsus religioso & generoso, ut à Spiritu S. duci te sinas, tentari quoque sinas, vinci verò non sinas, nam sine tentatione vivere non potes, tentationem verò vincere potes: non itaque in hac vita tentationes refuge, nec eas molestas puta, sed ad eas ferendas ad victoriam & tolerantiam earum, armare.

5. Ut tentaretur à diabolo.

CHristus à Diabolo, Deus è Dæmone: Quis? quantus? à quo? & quanto tentatur, gestatur, assumitur, collocatur?

 quid

quid amplius? etiam ad casum, ad adorationem sui, ad petitionem à se regnorum mundi incitatur. Magna equidem hæc humilitas, mansuetudo, patientia, prudentia magna. En arma contra Hypocritas, contra falsos, contra fictos fratres, quos tolerare nec scis, nec potes, quos tamen tolerare debes, quia in Communi vita sine hoc non vivitur; ac non solum debes, sed etiam humiliter debes, mansuetè, patienter, prudenter; toleravit Judam Christus, tentatus à Diabolo est; ille osculo eum prodidit, hic tentando, de loco in locum gestavit. An tui fratres quos subdolos putas tibi, usque eò pervenerunt? Non puto; & esto; quomodo suos toleravit Christus, eo quoque modo, suos tolerare debet Christianus.

6. Et cum jejunasset.

CHristi jejunium Gulæ remedium est, simulque sobrietatis & abstinentiæ exēplum. Jejunavit Christus, quia tu voracitate, sensualitate, voluptateque ciborum, saporum, condimentorumque delectu frequenter delinquis. Jejunavit Christus, ut daret gulæ tuæ medicinam; doceretque te pugnare, mereri victoriam, ideò istud Christi jejunium Ecclesia & veneratur & imitatur. Ideoque tu, filius si es Ecclesiæ, obedi Matri, sequere magistrum & scito te adhuc valde in Spirituali pugna novitium, si gulâ superaris, scitoque te diabolo contemptum esse, qui Spiritualibus armis tecum pugnare non dignatur, cum sciat te carnali illo vitio, tam facilè, tam sæpe posse superari. Quare non solùm libenter jejuna, sed etiam cautè comede, nec sensualiter, nec avidè, nec ad satietatem. Et hæc faciens, jejunium Christi aliquantum non tantùm carnis tuæ jejunio exprimere debes, sed multò magis mentis jejunio: frustra enim caro abstinet à cibis, si Anima vitiis distenditur. Collige igitur mentem vagam, immortificatam, tepidam, curiosam, ad vana aspirantem, sui oblitam, oblitam & Dei; eamque mortificationi, orationi, fervori, aliisque Spiritualibus exercitiis applica, tantò ampliùs, quantò hoc tempus & sanctius est & aptius, ut verè cum Matre Ecclesia canere Deo possis; Qui Corporali jejunio vitia comprimis, virtutem largiris & præmia.

7. Si Filius Dei es, dic ut.

VNa hæc est de technis diaboli, fiducia, videlicet virtutis propriæ & meritorum suorum; quâ nonnunquam elevati servi Dei, peccatorum se se periculis exponunt. Præsumunt quidem de Deo, magìs autem reverà de seipsis, ita ut videantur Diabolo obtemperare ea suggerenti, Si Filius Dei es, dic ut lapides &c. jam scilicet multùm profecisti, mortificatos habes sensus, iramque in potestate, ne timeas &c. Fidendum sane est Deo non tamen præsumendum, fidendum, ubi gloria Dei requirit, aut Charitas proximi, sed ubi inanis probatio virtutis est, periculo res est vicina. Deprędari enim haud dubiè desiderat, quisquis thesaurum in manu portat. Ac latrones & Piratæ, non invadunt fluentem è portu, mercesque aliunde petentem navim, sed onustam mercibus portuique appropinquantem, diripiunt. Est igitur bonum dona Dei agnoscere, sed occultare ea oportet; sæpè enim fit, ut dum virtutem nostram agnoscimus, cadamus; qui quamdiu eam nesciebamus, cum timore & tremore salutem nostram operabamur.

8. Dic, ut lapides isti, panes fiant.

VIdebat tentator Christum esurire, ac proinde orsus est tentationem à commiseratione. Nempe non temere tentat diabolus, sed prius inclinationes explorat, unde quem tristem agnoscit, murmurationem ei suggerit, quem lætum videt, huic superbiam obtrudit & lasciviam. Ars itaque adversus diabolum magna est, invigilare inclinationibus suis, nec temere eas foris prodere. Etsi enim multæ illi sunt tentationum viæ, si tamen nostras ignorat propensiones, qua ratione nos tentet, difficilè statuit. Unde Apostolus monet, Nolite locum dare diabolo. Vis hoc implere? nihil timeas, nihil cupias, claude portas hosti & non poterit intrare. Etenim diabolus, nos per nos oppugnat.

9. Non in solo pane vivit homo.

NOn planè in solo pane; quæ enim hæc vita, solo pane vivere? Sit quamvis panis Angelicus, non tamen in illo solo vivit homo. Audi Israëlem, quomodo nauseat anima ejus super Pane Angelico, sicut super cibo aliquo levissimo. Compositus homo est ex carne & Spiritu, ideò opus habet pane nutriri & verbo, quare tam pauci in mundo homines plenè sunt vivi, quia solo ut plurimum pane vivunt. In religione sanè frequentiùs homines vivos, vegetos, robustos, lætos, invenies, quia non in solo pane vivunt. O felicitatem Religiosorum, si tamen & hi bona sua norint; etenim & illi frequenter cibum fastidiunt de ore Dei procedentem. Miser est infans, qui cibum præmansum à nutrice respuit, miser & homo,

qui verbum procedens de ore Dei respuit & fastidit: Quisquis talis est, Dei non est, quia qui ex Deo est verba Dei audit.

10. Non in solo pane vivit homo.

PRæclarum hoc est contra omnia tentamenta amuletum & antidotum. Facta tibi injuria est aliqua, suggerit vindictā tentator, responde; Non in solo isto vindictæ pane vivit homo, sed & in illo verbo, Dimitte ut dimittatur, hoc enim processit de ore Dei. Bene fortè tibi res cessit, applauditur, passimque gloriola se se ingerit, & amor proprius, responde Gloria mea non est mea, ego non glorifico meipsum, Scriptum est enim, Omnia in gloriam Dei facite.

12. Mitte te deorsum.

OMnis tentatio diaboli, Superbia est: sive enim ad alta, sive ad humilia incitat, ad Superbiam vocat. Tale videlicet malum superbia est, ut sine illa diabolus tentare non possit, etiam tum, cum deprimere se suadet, exaltationem molitur, adeò, ut fit qui se nequiter humiliat. Rursum omne peccatum deorsum trahit semper, & tendit ad profundum usque inferni. Diabolum respice, quam ab alto loco ad quam imum ille cecidit. Epulonem vide, supra Lazarum ille fuit, at quātùm decidit! Magnum chaos, ait Abraham, inter nos & vos firmatum est, ut neque hinc ad vos, nec à vobis ad nos transire quis possit. Et nonne fugies etiamnū peccatum omne, tanquam à facie colubri.

12. Ostendit illi omnia regna mundi.

VAna, vaga, inque momento transitoria omnia sunt bona mundi, quæ & in momento ostendi & videri & cognosci possunt, quia videlicet sunt momentanea, non solùm quòd vix momento uno durant, sed quia in momento mortis amitti possunt: Et hæc ipsa diabolus tantùm ostendit; non finit ea possidere, non finit uti, cùm minimè cogitas, aufert ea, adque alium trnasfert. Ad hæc, talia sunt bona hæc, ut nisi cadens Dæmonem adoraveris ea non sis habiturus. Quæ verò ista gloria si corruam, si cadam, si prostratus jaceam, si me alteri & quidem diabolo submittam? O diabole si omnia mundi regna dabis, quare tamen vis regnare mihi? si omnem gloriam dabis, da etiam istam, ne cadam. Quodsi vero alteri subesse debeam, malo utique subesse Deo, quàm tibi; si quem adorare debeam, adorabo potiùs, quia justius est, Deum, eique soli serviam. Vade itaque Sathana. Te autem adoro Deus meus, omni adoratione quam tibi debeo super omnia.

13. Angelis suis mandavit de te.

COnsidera beneficium Dei, quod Angelo te tradiderit in custodiam; quaque cura Angelus iste te custodiat, cui ipse diabolus testimonium diligentiæ perhibet. At tu quomodo cum hoc te custode geris? quam dignum te tali custodia præstas, qualemque te præstare debes. Sed quid est quod dicitur, Angelis, non Angelo? An non unus tui custos? Certè nō unus si sapis; tot custodes sunt tibi, quot curam gerunt tui, qui omnes invigilant pro anima tua, tanquam rationem reddituri. Vide ne id faciant gementes.

14. Accesserunt Angeli.

VEl unam hanc ob causam diabolo esset instanter repugnandum, ut Angelis pariamus lætitiam, ut eorum ministerium, protectionem, auxilium, applausum promereamur. Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus; utinam etiā curaremus fieri recreatio eorum! Audi Bernardum dicentem. Currite fratres, currite; non soli Angeli; sed ipse Angelorum creator vos exspectat: Lætari fecistis Angelos in conversione, proficiamus & festinemus eorum implere lætitiam. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena est domus, adhuc exspectantur, de quibus nuptiæ impleantur. Etenim, cur tam prompti ad ministerium accurrunt, &c.

DOMINICA II.
Quadragesimæ.
1. *Transfiguratus est ante eos.* Matth: 17.

IEsus transfiguratus est ante fideles in manibus eorum, in ore, in corde eorum; propter solatium, nutrimentum, auxilium illorum. O mira dignatio! Transfiguratus est, at quis? quomodo? ex quo in quem? is, qui sedet ad dexteram Dei, sub specie panis est in altari, quem Angeli intueri contra non audent, pro majestate in cælo, ille se hominibus dat in cibum in altari. Verè transfiguratus es Domine Jesu antè nos, quia propter nos: Utinam & nos transfiguremur ante te, per te, fiamusque similes tibi. Id ego te precor per amabilem admirabilemque istam in Sanctissimo Sacramento transfigurationem tuam. Quid autem mi Iesu? efficaciorane sunt verba Tua ore Sacerdotis prolata, quam Tu ipse in ore & corde

meo positus? Sacerdos Verba tua proferens, Panem transmutat in Te, Tu in ore cordeque meo præsens, me in Te transmutare non potes? Potes Domine quia omnia potes, tantummodò velis, & mihi da, ut velim. Ignescit ferrum in igne, aqua à calore calescit, aër penetratur à luce, at ego ferrum, cur in te ignem non transmutor? ego aqua tu calor, cur abs te non calesio? ego aër, tu lux, cur non penetror & illuminor totus?

2. Hic est Filius meus dilectus.

VOx æterni Patris Filium suum unigenitum Christum JESUM, tibi, ô Anima mea, commendantis est. Suscipe illum, vide lumen, ut scias quem suscipis; vide ut scias, quomodo susceptum tractes! Filius Dei iste, quem in Sanctissimo Sacramento cernis & sumis, & Filius quidem dilectus, in quo sibi Pater complacuit: tu itaque cura, ut in eo tibi bene complaceas; ipsum audi, ipsi obtempera, tanquam Filius Patri, tanquam subditus Domino, tanquam figmentum Factori, tanquam Sponsa Sponso, tanquam æger medico, tanquam discipulus Magistro, tanquam instrumentum artifici, tanquam miles Imperatori, tanquam Viator ductori, tanquam emptitius redemptori, tanquam reus judici. Id enim Pater æternus exigit à te, cum ait; Ipsum audite, ipsum solum tanquam legitimum & certissimum audite libenter, humiliter, constanter in omnibus. O Anima mea! ecce nunc suscipis aut suscepisti hunc Dilectum Dei Filium ad cor tuum, erige interiores aures tuas ad verba cælestis hujus Doctoris, & dic; Audiam quid loqueris in me Deus meus, quoniam verba æternæ vitæ habes.

3. Assumpsit IESUS Petrum, & Iacobum, & Ioannem, in montem.

AScensurus & tu in montem Perfectionis transfigurandusque, assume exemplo Christi, Petrum Charitatis, Jacobum fervoris, hoc est submissionis continuationem, & Joannem, puri cordis corporisque custodiam, ista enim tria omnino sunt necessaria ei, qui montem culmenque virtutum conscendere velit aut debeat. Vide igitur tu, quantum hic fervor charitatis, hæc continua submissio, hæc jugis cordis corporisque custodia, in te, hoc potissimum tempore, succrescant; certoque scias, si eæ virtutes tecum non fuerint, perfectionis verticem te non conscensurum, nec unquã ad gloriam Transfigurationis admittendum, multò minùs autem, vel cum Moyse locuturum, hoc est, contemplativam vitam & viam adepturum, vel cum Elia, veri zelosi hominis typo, ullam unquam similitudinem habiturum. Cum tamen ista omnia, instituti tui ratio à te exigat, tuque hæc singula, in vitæ tuæ ratione profitearis.

4. Ducit illos in montem excelsum.

NOn est mons si non est excelsus, nec est excelsus nisi seorsum, ita ut neque mons esset nisi seorsum esset. Quid est hoc seorsum? illud nempe: Ducam eum in Solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Et illud: Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Non loquitur Deus ad cor nostrum in turbis positum, sed oportet, ut homo prius sedeat Solitarius, & tunc in Silentio & spe fortitudo erit illius; quia Deus loquetur ad cor & transfigurabit, illud ante se, & se ante illud, ostendens ei quale esse debeat, & ad cujus similitudinem. Ama igitur cor meum abstractam vitam, & Silentii curam ac contemplationis occupationem, quantum salvâ obedientiâ & charitate vales; & fuge otiosas, imò quaslibet non sanctas Sermocinationes, ac conversationes; ut usurpare possis illud Isaiæ, & Francisci, Secretum meum mihi. Secretum meum mihi. Verè enim homo secretum suum proprie habet, quandu in Contemplationis monte manet, nullius enim rei consortium contemplatio patitur. Unde merito seorsim, & excelso in loco esse dicitur; at quando cum proximis conversatur, de monte se demittit; quia qui fructum in proximis vult facere, eorum captui & infirmitati condescendere tenetur.

5. Et transfiguratus est ante eos.

VIdentibus videlicet illis. At cur hoc? num ut gloriam suam demonstraret? num ut futuris suis ignominiis, hanc gloriæ suæ visionem usurpationemque præmitteret? An ut futuris terroribus, hanc majestatis suæ anchoram opponeret? An ut fidem firmaret futuram? An ut Sanctissimæ humanitatis gloriam, doloribus & morte parandam præmonstraret? An ut discipulis se non absque causa, sed ob talem qualem in ipso viderant gloriam, omnibus hominibus promerendam, indigna omnia brevi subiturum declararet? An ut ostẽderet, se sponte suâ, nullâ vi aut potentiâ hominum compulsum, moriturum? An ut magis discipulorum animos compassione commoveret, cum recordarentur, illum nuper tam gloriosum inter Moysen & Eliam apparuisse, nunc verò tam contemptum in cruce, inter duos latrones pendere? An quia tum habuit, co-

ram quibus dignè se transfiguraret? Petrum videlicet, Jacobum, & Ioannem, Moysen, & Eliam? An excitare carnem suam ad passionem volebat, ideoque Charitatem fæditati, impassibilitatem passioni, gloriam ignominiæ præmisit? Spiritus, enim promptus est, Caro autem infirma, ideoque roboranda quandoque. O Anima mea! utinam intelligeres, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram, gloriam quæ revelabitur in nobis!

6. Transfiguratus est ante eos.

AT quomodo? Resplenduit facies ejus ut Sol; quia in morte sua obscurandus dus erat: Vestis autem apparuit alba; quia albâ induendus erat apud Herodem. Transfiguratus est in monte: quia verè in Calvario monte erat transfigurandus de vivo in mortuum. Transfiguratus est ante eos, nempe & propter nos; & ut discipuli ejus, transfigurari cuperent in imaginem gloriæ Filii Dei; id verò fiet si facies intentionis fiat lucida ut Sol, si vestis morum candida ut nix, si verax, simplex, æquabilis, solicita & soli Deo tantû placens conversatio, si Animus sit in monte excelso, hoc est, omnibus creaturis, & semetipso excelsior & generosior, si ad magna cum Moyse & Elia pro Deo audenda & agenda consurgat, seque ipso quotidie melior esse contendat; gnarus quod ille non sit verè bonus, qui melior esse non cupit. Transfiguratus est ante eos, tu verò quando aliquando transfiguraberis coram Deo? quando mutaberis in virum alium? quousque, ô parvule, diliges stultitiam tuam? quando transfiguraberis ante fratres, ante domesticos, ante proximos? quâ fronte satagis transfigurare proximos tuos, cum teipsum transfigurare negligis. Iam aliquoties transfiguratus es, de non malo in pejorem, de fervido in tepidum.

7. Domine bonum est nobis hic esse.

VBi bonum? & quàm bonum Petre? Bonum est esse in loco transfigurationis Christi; ubi splendet Christus sicut Sol, ubi vestis ejus sicut nix. Et quis dicit quam bonum est esse isthic? Misera & minuta sunt omnia, quæ nec dicere possumus; proinde nec bona sunt, quæ dici non possunt vera bona. Bonum equidem est hic esse; sed nunquid jam opportunum? Nondum hyems transiit, nondum imber abiit, floresque isti, qui apparuerunt, extra tempus erumpunt in terra nostra. Non audis Petre quid Moyses & Elias cum Christo loquuntur? De excessu videlicet; hoc est, de obitu, deque morte ejus. Si igitur bonum est hîc esse, potesne Calicem bibere quem Christus bibiturus est? imò quem bibit? ô quam multi sumus, qui dicimus, Bonum est nos hîc esse? at nos de excessu non libenter loquimur, de morte & Cruce non libenter audimus, Socii videlicet consolationum non autem tribulationum.

8. Si vis, faciamus hic tria tabernacula.

VNusquisque perfectorum & Spiritualium tria debet tabernacula ædificare in corde suo; videlicet Christo, Moysi, & Eliæ: Contemplativam. Activam, & Mistam debet callere vitam, Ut nimirum, Moysen contemplando, Eliam conversando, utrumque perfectè obeundo, Christum exprimat. Ut in curandis aliorum bonis, in portandis aliorum defectibus, pietatem & mansuetudinem Moysis; in honore & gloria Dei defendenda ac propagãda, ignitum fervorem retineat Eliæ; in omnibus verò cujuscunque generis oppressionibus, ac molestissimis licèt operibus, unionem conservet cum Christo. Ad Christum medium, tam Moyses quàm Elias recurrunt, & cum eo de excessu loquuntur. Sic ergo, ô homo, te tradas aliis, ne tamen obliviscaris tui, sic quoq; vaces tibi, ne tamen negligas alios, sed ad illud ex hoc recurrẽdo, Christum ubique medium retine, inque omnibus tuis occupationibus ad ipsum convertere.

9. Hic est Filius meus dilectus.

QUis dubitet Patri æterno dilectum esse Filium unigenitum? Ad quid igitur hæc vox de nube? an ut nos ad Filium suum amandum suo exemplo excitet? An ut ostendat omnia in eo esse amore digna, quoniam in eo sibi Pater bene complacuit? An causam ipsum amandi nobis ostendit, cum ait, propterea quia in ipso mihi bene complacui, amate illum, ut & vos amem cum ipso, ut vobis benefaciam propter ipsum. Bene mihi complacui in ipso, quare & vos ad Filii mei exemplar vos componatis, eique similes fieri laboretis. Moneo itaque, ipsum monentem audite, & docentem, ipsum exprimite facientem. Audit ille me, audite vos illum, & vos dilecti mihi eritis. Age anima mea quomodo tu audis dilectum hunc Patris Filium, & quomodo eum audire debes.

10. Nemini dixeritis visionem.

SIcut propter nos nobis dat IESUS dona, communicatque gloriam suam, sic propter nos eandem celare mandat. Non enim sibi cavet Deus, dum sua vult laterè dona,

re dona, sed nobis, qui ex donis Dei quandoque acceptis ab illo, superbire solemus tanquam de propriis. Potes autem, ô anima, in alium quoque sensum derivare verba ista. Audisti ab alio aliquid factum male, nemini, cui non interest, visionem hanc dixeris. Audisti ab alio, de alio dictum aliquid, nemini dixeris visionem hanc. Vidisti aliquid contra alterum factum? nemini dixeris visionem hanc. Audisti verbum, filí? moriatur in corde tuo, non enim te disrumpet, alioquin, sicut sagitta in femore canis, sic verba in ore stulti, dicetur tibi. Intellexisti aliquem hoc vel illud proposuisse. in hoc vel illo orasse, infortunium illud subiisse; memento ut nemini dixeris visionem hanc, sed in te sepeli illam, & quod tibi vis fieri, alteri idipsum facias.

DOMINICA III.
Quadragesimæ.

1. Pervenit in vos regnum Dei. Luc: 11.

PRofecto pervenit. Et quis pervenisse dubitet? Eò pervenit, quò & Iesus; nam Iesus est regnum Dei, ad me autem pervenit Iesus, nonne itaque simul cum illo regnum Dei? ubi enim esset regnum Dei si non in Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter? Facta mihi est petitio mea, quâ petivi, ut adveniret in nos regnum Dei; venit, quia Iesus Deus meus venit. Nonne agnoscis anima mea commodum tuum? O Corpus! ô Anima! pervenit in vos regnum Dei. regnat in vobis Iesus, in Iesu Deus, quid vis amplius? O Cor! regnum es Dei. Quid? quod tale regnũ venit in te quale est in Deo, eodemque modò pervenit in te. Regnat Deus in Christo, veni huc, mane hîc, exi hinc, vade illuc, veni de cælo sis sub specie panis, abi ad viscera mea, abi ad viscera illius. Nonne hoc est regnum Dei? ô quid erit aliud? Pervenit in te, ô Anima mea, regnum Dei.

2. Beatus venter qui te portavit.

AB æterno Domine Iesu portavit te uterus Patris: Ex utero ante Luciferum genui te Psal: 2. Olim te portavit uterus Virginis, & beata quæ credidit, meritò enim dicit Deo, Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est. Et tu quoque anima mea beata, siquidem & tu portas in utero eundem Dominum Iesum in Sanctissimo Sacramento receptum. Gratulare tibi ô anima mea: sed scito, non assuevisse Iesum portari, nisi vel in æterni Patris, vel in Virginis Matris Sacratissimo utero, proinde conare, ut assimiletur uterus tuus illorum uteris; Ut casto & Sancto Iesum viscere portes. Et quia multum distas à Patre illo cælesti, Matreque illa Sanctissima, tui contemptu & humilitate omnia compensa, ab iisque quod in illis superabundat, suppliciter exora.

3. Erat IESVS ejiciens dæmonium.

PRoprium Christi officium est, ejicere dæmonia. Quis enim ejiciet illa, si non Christus fortis? Armatus est dæmon, fortiter custodit, non solum domum quietis suæ, sed ipsum etiam atrium, fortiori igitur ad ejiciendum ipsum opus est: & quis fortior illo, quem dixi, Christo? Dole quod toties mancipium fueris diaboli, & quidem propter ignaviam tuam, vel propter res vilissimas. Gratiasque age Christo, quod te ab hoc possessore liberaverit; & pete ne in ejus potestatem te posthac venire sinat. quin & tu omne ejus vestigium eradices, ne quidquam suum in te inimicus habeat; magna enim est tyrannis illius.

4. Et illud erat mutum.

FRequens est, ut te mutum invenias; Vide ne hoc sit dæmonis, te mutilantis signum, si mutus es in oratione, mutus in Dei laude, inque gratiis agendis, si mutus in miseriarum tuarum apud Deum expositione, mutus in peccatorum confessione, mutus in piis operibus, mutus in peccatis, quantum licet, liberè, quantumque tua interest, arguendis, mutus in juvandis ad pietatem, qua consilio, quâ doctrinâ, quâ concione, credere potes, dæmonium mutum eo tempore te infestare. Mi Iesu, ejice hoc dæmonium, ne sileam à bonis; ut aliquando dicere non cogar; Væ mihi quia silui! pollutus ego sum labiis. Non sola enim loquela polluit hominem, sed & silentium.

5. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus.

MAgnum signum ejecti dæmonii, locutio muti est. Sive quando tentationes fædæque quævis cogitationes superiori deteguntur; sive quando latebræ conscientiæ & peccata in confessione aperiuntur, in his quippe duobus, dæmon, præcipuè mutus est, mutosque homines reddit. Sive quis vitia, propria, confessionis gratiâ publicè aliis detegit, hoc muti

confessionis

muti dæmonis ejecti evidens signū: proprium namque Sanctorum est, quærere confessionem propriam, sicut malorum est, timere confundi. O Domine ejice hoc ex me dæmonium, ut confitear adversum me injustitiam meam tibi.

6. Et admiratæ sunt turbæ.

REctè omnino, talia quippe opera mirari addecet. Sed, ô quoties talia spectamus, nec tamen miramur! Vilescunt opera tua Domine apud nos, non quia mira non sunt, sed quia crèbra sunt. An miraculum exiguum hoc est, homines grandia sua peccata homini pandere? & tamen hoc fit, quando tu id jubes Domine qui ejicis dæmonia; nos verò ista non miramur, quia non attendimus, majus esse miraculum convertere peccatorem, quàm suscitare mortuum. ô si id faceremus! magis utique ad eorum conversionem excitaremur, frequentius & ferventius pro peccatoribus oraremus, pœnitentias subiremus, intelligeremusque, hoc sacrificio, nihil apud Deum esse gratius.

7. In Beelzebub principe dæmoniorum.

NIhil est tam Sanctum, quod improbitas non adscribat impietati, ex suo omnia metiens. Gravissimum certè peccatum, sed tamen communissimum, interque Religiosos non infrequentatum, cujus est mater invidia. Tu cave ne hoc malo labores, quoties enim bona aliena culpas, extenuas, invides, inque malam partem interpretaris, toties Christo, vel Spiritui Sancto, boni omnis authori dicis. In principe Beelzebub &c. Fuge hoc malum, & potiùs mala aliena lauda, inque bona pertrahe, quàm quod sive bona, sive mala culpes. Quis enim es tu qui alienum judices servum?

8. Alii tentantes signum de cælo.

HIc stulti sumus, ut miraculum in miraculo quæramus Vident judæi mutum, ejectum dæmonium, & tamen aliud signum quærunt. O quoties Deus mira in nobis operatur, quæ tamen nos non agnoscimus; signum de cælo poscimus, quasi inspiratio illa ad bonum, à nobis aut ex nobis, & non potius ex Deo sit, ex quo omnis sufficientia nostra. O Domine! discam non scrutari thesauros tuos, aut majestatem tuam, ne opprimar à gloria; sed potius discam, dona tua cum humilitate acceptare, & pias à te immissas voluntates cognoscere, & amplecti, sequi, exequi.

8. Vidit cogitationes eorum.

ET audes aliquid cogitare impurum, leve, scurrile, mordax, murmuratorium, detractorium, superbum! Quod te pudet facere, quod pudet aliis dicere, pudeat quoque cogitare. Nam Deo loqueris, quidquid ipso conscio cogitas, nam sicut homo audit voces, vel videt opera, sic Deus, intuetur, & audit cogitata. Cogitati, dicti, facti, discrimina apud homines sunt, apud Deum non sunt, nam sicut in suis, sic in hominū operibus, has differentias non habet. Ergo Deum cordis tui censorem reverere; non secus, immò magis etiam quam homines operum judices metuis. Quid enim hoc impudentiæ esset, in tenebris erubescere, in sole perfricare frontem? Aspectus hominis tenebræ sunt; aspectus Dei, plus quā sol est.

10. Omne regnum in se divisum.

MIrere etiamnum causam desolationis tuæ Anima mea; & causam require domûs supra domum labentis. Divisum est regnum tuum, quid miraris? Regnum tuum, ô homo, cor tuum est, Anima tua est, tu ipse es: si divisum est cor, si anima secum pugnat ipsa, si Rationi voluntas, si caro spiritui subdi nescit, nonne regnum in seipso divisum est? Et nonne hæc tu experiris, nonne quod divisum regnum tuum, ideò & desolatum agnoscis? Non est desolatio super animæ desolationem: mavult Deus desolari cælum, quam animam; quoniam ne anima desolaretur, ipse deseruit cælum, & ob hoc in terris visus, cumque hominibus conversatus est. O ingratum mundum, qui desolari potiùs à Deo vult, quàm incoli ab eo! ô ingratam animam, quæ Dèo hoc studium negat, quæ in hoc Deum non juvat! Et quam olim Deo causam tantæ suæ desolationis offeret? Reduc ergo anima mea ad concordiam teipsam, subjice te Deo, carnem tibi, voluntatem tuam rationi. Tu servi Deo, & caro tibi: quod si feceris, sedebis in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requiē opulenta, tam hîc, quàm in altera vita.

11. Ideò ipsi judices vestri erunt.

VEstri, ô viri Spirituales, ô Pharisæi, ô annosi Dei servi, erunt judices Publicani & peccatores, seculares homines, novitii, aliique longè vobis simpliciores, quoniam illi, etsi minus acceperunt, faciunt tamen plùs & præcedunt vos in regnum Dei; vos inquam, duces cæci, vos Magistri in Israël, vos emeriti & veterani, vos qui jam divites facti estis, qui jam nō egentes, qui nauseatis

super profectu & fervore Spirituali, minutarumq; rerum observantia, vos qui accepta talenta sudario involuitis & defoditis: apparet enim, nequaquam vos sudare in labore, quoniam sudario non egetis. Eccè hi, quos dixi, judices vestri erunt, sed immutato nomine, de te, tu fabulam accipe.

12. Ideò ipsi judices vestri erunt.

HOminum Christianorum erunt judices Judæi, Mohometani, Hæretici, hi enim ita zelant pro suis superstitionibus & erroribus, ita eos mordicus retinent, ut nihil nō agant, modo suos errores vel dilatent vel defendant. Ubi inter Judæos de lege Schismata? ubi inter Mahometanos de sectis & fide certamina? inter solos Christianos divisus est Christus. An potentior est Diabolus ad regnum suum in pace servandum quam Christus? an filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis? cur alius dicit, Ego quidem sum Pauli, Ego verò Cephæ, Ego Apollo, Ego Calvini, Ego Lutheri, ô pudor! Christiani, quantum in se est, regnum Christi in se ipsum dividunt, Cur? ut desoletur.

13. Profectò pervenit in vos regnum Dei.

QUis Sapiens est & hæc intelligit? quia videlicet pervenit in nos regnū Dei, En digitus Dei id monstrat, si ejicit dæmonia, si monstra & vitia comprimit, si mutorum ad Dei laudes ora resolvit, si auget fervores, promovet virtutes, si solvit in lacrymas oculos, si cor ad dolorem compungit, profectò pervenit in nos regnum Dei. Adveniat ô Domine, & da mihi ut in me etiam regnum tuum, & da mihi ut cognoscam adventum ejus, omnem autem divisionem ejus vitem. Sciam tempus visitationis meæ, & eorum, quæ ad pacem sunt mihi, alioquin in scientia abscondita, & thesauro latente, quæ utilitas?

14. Cùm fortis armatus custodit atrium.

NOn solum fortis sed etiam prudens est armatus iste. Fortis, quia armatus; prudens quia atrium custodit; non sinit hostem & in atrio consistere, principiis obstat, elidit pestem in semine, adversario repugnat in foribus, & si intrare contendat, bellum minatur. Hoc fac, & erunt in pace omnia quæ possides. Atrium tuum, cogitatio tua: intrat hostis atrium, quando cogitationes suggestionesque malæ consensum quærunt vel oblinent, allide istos parvulos ad petram, ne nascantur, ne per longas invasecant moras. Deus meus quanta mea hoc in genere negligentia est? quantus, examinis circa cogitationes neglectus, quanta sensuum incuria? Arma me Deus & fac robustum, ut non satis putem ab intimis cubilibus ejecisse hostem, sed etiam ab atriis portisque illum arceam. Nam, etsi illud plane malum non est, ad pacis tamen possessionem turbandā multum valet.

15. Si autem fortior.

HOstis tuus ô anima mea non ideo vincit quia te fortior, sed ideò fortior, quia te vincit; nunquam enim hostes tui fortiores te sunt, quia Deus non permittit te tentari supra vires tuas: quando ergo ab hoste vinceris, non provenit hoc ex hostis robore, sed ex tua ignavia, Quare, vide quam sit malum te ignavum esse ac tepidum, Nam primum das hosti de te victoriam, deinde eum fortiorem reddis, qui te erat infirmior; demum, arma tua illi cedunt, ac ultimo spolia tua tibi erepta; & vasa instrumentaque bonorum operum ac meritorum tibi accepta, distribuit, in tuam perniciem vertit, & mortificat. Da Domine ut nunquam intrem in tentationem, nunquam immitte mihi hostem, me fortiorem, sed talem quem vincam, faciamque cum tentatione proventum.

16. Spiritus ambulat per loca humosa.

NOn invenit Spiritus nequam in locis siccis requiem, habitat enim in locis humidis, dormit in secreto calami. Humentia loca sunt, corda immortificata, corpora delicata, & asperitatem horrentia, ubi ergo voluptas non est, ibi requiē Spiritus immundus non habet. Sed ah! quàm difficilia sunt prælia castitatis, quā laboriosum est Spiritum immundum, tomenta libidinis ex locis humentibus ejicere! Solius hoc Dei opus est; nemo enim potest esse continens, nisi Deus tribuat; alioqui nos quidquid agimus ignes suppositos cineri doloso calcamus, & plenum laboriosæ aleæ opus tentamus. Ama tu anima mea mortificationem tam internam quàm externam, melius est enim corpus mortificatione siccare, quam immundi Spiritus requiem aut habitationem esse.

17. Revertar in domum meam.

O Anima! sic pœnitentiam age, sic meliorem vitam inchoa, sic indue fervorem, sic muta mores, ut hostem in desperationem de reditu adducas, si enim potest & audet tuus hostis dicere, Revertar in domum meam, apparet te negligenter pœnituisse, apparet te jam in-

tepu-

tepuisse. O Domine! ècce ego infelix jam vocem hanc, Revertar in domum meam, familiarem feci diabolo inconstantiâ meâ? Toties namque egredi quidem eum à me, confessione, communione, Sanctisque propositis cogo, at nihilominus more canis ad vomitum protinus convertor, ille post diem horamque dicit, Revertar in domum meam. O Domine! confirma me, ut æternum excludam hostem meum.

18. Tunc vadit, & assumit septem.

HOc est recidivantium damnum, ut quotidie deteriores fiant, liberiores, dissolutiores. An non tu anima mea experiris, ex quantò scilicet fervore, in quantum recidisti teporem, ex quanto vigore, ad quantam lexitatem, quàm difficile tibi nunc meditari, quàm jugiter tibi vas cordis angustiatur, ne gratias, ne illuminationes, ne auxilia Dei recipias. Exhorresce anima mea execrabilem istũ teporem, & time ne novissima fiant pejora prioribus. Nam isthæc inconstantia tua, facit te difficilius converti, tardius compungi, citiùs arescere, faciliùs ad vomitum redire, ad cordis duritiem transire, iram Dei thesaurizare, quæ omnia inferno pejora sunt, quia infernus propter hæc tantùm malus est.

19. Beatus venter & beata ubera.

VEnter animæ memoria est. Beata memoria quæ Deum habet præsentem, Beata ubera, quæ Jesum lacte fervoris nutriunt, conatuque ei magis semper placendi. Exprime ubera tua anima, & vel ad sanguinem Christo sugenda præbe, ut crescat in te & roboretur, & proficiat gratiâ apud Deum & homines.

20. Beati qui audiunt.

AUdiunt verbum Dei interius inspiratum, exterius prædicatum, audiunt legendo, orando, loquendo, exempla aliorum attendendo, opera Dei considerando, beneficia ponderando & simul ad interiora reducendo, conscientiam deniq; ad examen revocando. Beatus qui se se his exercens, audit verbum Dei, loquentis excitantisque. Agnosce anima mea negligentiam tuam in his omnibus, in tanta licet omnium copia, deprecare, fervoremque statue. Custodiunt verbum Dei qui implent, qui ut ab aliis custodiatur curant, qui ab hæreticorum depravationibus illud defendunt, qui scrutantur scripturas aliisque explanant, qui quemadmodum alios docent, ipsi faciunt; alioqui, nullam sibi excusationem faciunt à peccato.

DOMINICA IV.
Quadragesimæ.

1. Unde ememus panes? Matt: 14.

QUam promptè Benignissimus Jesus de Cibo populo illi necessario cogitat? quàm copiosè eundem subministrat? Unde ememus panes? En cura; Distribuit discumbentibus quantùm volebant: en copia! Sed quantò libentiùs tibi providet de cibo corporis sui sacrosancti, si modo ad eum accedas, si digne adeas. Confer, & meritò præfer studium Christi in te pascendo, illi in pascendis quinque millibus. Quod tibi dat soli, toti mundo sufficere potest. Quod ist ic uni dedit, non satis erat pluribus. Deinde illis panem, tibi corpus suum, illis panem nudum cum paucis pisciculis, tibi cum corpore sanguinem suum, vitam suam, animam, merita, virtutes, divinitatem dedit. O! digne accede anima mea ad cibum hunc nobilem, ô! propera, & noli esse solicita de pretio, dicendo, unde ememus hunc panem? Te da, & habebis illum: si aliud dare pretium velles, ducenti denarii, hoc est, infinitum pretium non sufficiunt. Affer fidem, affer charitatem, affer humilitatem, affer desiderium, affer cor, & habebis quantùm voles, imò plus quàm voles. non enim capies quod habebis, sed comprehenderis ab eo, quem manducabis, mutaberisq; in eum, & non in te ille. O quam bonus es Jesu, quam admirabilis in hac tua liberalitatis ratione, cum prospicis commodis nostris, cum voluntati nostræ subservis! das quia vis, sed non das quantum vis; verum quantum volumus tantum das. Et quis similis tibi ex mundi magnificis! ô Anima! si non saturaris, si non impinguaris, quem culpas?

2. Quantum volebant.

ET quid dicis Anima te velle Deum, te cupere amare Deum, te famescere Deo? en dat, en distribuit Jesus quantum volebant. Exere itaque famem, dilata cor, intende desiderium, diffunde voluntatem, Spiritu anhela. Magnus est Dominus, magnum & capacem locum quærit, quantum de illo voles, tantùm tibi communicabit, quid quæris amplius à Deo? Dilata ô Deus cor meum, ut sit capax tui, & sit multum capax.

3. Subiit in montem & sedebat cum discipulis.

IN montem Jesus subit cum discipulis,

& cum eis ibi ſedet, ad turbas verò deſcendit, quia turbæ non poſſunt ad eum aſcendere, imò faciliùs JESUM comprimunt quam tangunt. Tu vide è quorum numero ſis; An de diſcipulis, num verò de turba; Si aſcendis in perfectionis montem, ſi quotidie te ipſo exiſtis melior, ſi tibi ſordet terra, ſi animum excelſiorem omnibus creaturis habes, ſi nihil te adverſorum turbat, ſi gratis Deum ſequeris, & non ideo quia ex panibus ejus ſaturatus es, ſi in orationis monte cum Jesu verſaris, & ibi quaſi diſcipulus ſedes, verè diſcipulus es. Si autem Jesus ad te deſcendere debet, condeſcendere tibi, lacte non ſolido cibo te paſcere, de turba es. O Anima! profice, & montem ſubire, conare.

4. Cum ſublevaſſet oculos IESUS.

INtuere ô homo oculis tuis elevatos oculos benigniſſimi Jesu, ſpectantes ad ſe venientem turbam, de ejusque ſaturatione cogitantes. O quam libens JESUS elevat oculos ſuper turbam ad ſe venientem! nonne cupies anima mea turbas hominum ad Jesum pertrahere, ut oculos ejus tam jucundo recrees ſpectaculo? Si verò tam jucundis turbas reſpicit oculis Jesus, quibus putas oculis reſpiciet diſcipulos, quibus electos, ſponſas adamatas? Non fruſtra Jesus levat oculos; levat enim ut miſereatur, ut neceſſitati ſubveniat, ut ſublevet cadentem, ut animet pugnantem, ut recreet feſſum, ut coronet victorem, ut alliciat accedere verecundantem. Leva mi Iesu oculos tuos ſuper me, & pone eos ſuper me, ſicut ſuper ſponſam aut diſcipulum, ſaltem ſicut ſuper unum de turba.

5. Unde ememus panes?

PRovidentia quærit, unde providebis? an hoc dicit tentans, cum ſciat quid ſit factura? verè ô providentia tentans dicis, quoties aliquid facere conſtituis: ſed tentas, ut fidem probes & fiduciam explores, ô utinam ſciat mundus quid ſit providentia Dei! n[illegible] 1 tam parcus eſſet in Jesum, ut quæ ille mundo dedit, emere cogatur ab illo, & quod magis eſt, etiam panes renuit gratis dare pauperibus, qui fratres ſunt Chriſti & membra ejus.

6. Unde ememus panes?

VOx Prælatorum, Doctorum Concionatorum ea eſſe debet. Ecce ſubditi, ecce rudes, ecce populi quærunt panem directionis, ſolatii, doctrinæ diſciplinæ, admonitionis, Unde ememus panes? At miſer es quisquis ab homine quæris, qui ab homine emere cupis, qui ipſe eget, qui ipſe eſt pauper, conſervus tuus eſt. Vade ad divitem, qui dicit, Emitte ſine pretio, ſine argento, ſine ulla commutatione. Ad Sapientiam abi & eme; pudeat te prædicare quod è cœlo non hauſiſti, quod oratione, lacrymis, humilitate, mortificatione non emiſti.

7. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.

SÆpe Dominus tentat nos. Jubet aliquid agere, ſucceſſus verò negat; non quia à nobis fieri non vult, ſed quia tentat an potiùs illi, quàm nobis fidamus. Si ergo aliquid acturus es, quod Deum te velle putas, age quod in te eſt, ſed in Deo ſpera, & ſcito Jesum ſcire, quid ſit facturus. Non ſuccedit negotium? habes adverſarios potentes? tantò magis fide, ſpera contra ſpem, ſpem habe, cogitans, quod ſcit Iesus quid ſit facturus.

8. Ducentorum denariorum.

ISta eſt carnis & ſæculi prudentia, quæ ſuas examinat vires, nihil habet quod ſuum poſſit dicere, & tamen centenarios computat. Noli tuas attendere vires, ſed Dei divitias. O quantum Dei diſtant cogitationes, quantum ejus judicia à noſtris! Ducentorum denariorum panes paucos judicamus, Chriſto verò & quinque ſunt nimii. Noli tuis ex viribus metiri Deum, crede eum plus poſſe facere, quàm te cogitare; diſceque Deo committere, ut ipſe faciat.

9. Colligite Fragmenta.

VIde quam providus ſit Paterfamilias Dominus Iesus: Iubet colligi fragmenta ne pereant, at ego prodigus fruſta integra colligere negligo, plane ac ſi Deo ditior eſſem! ô quanta negligo fragmenta, quando occaſiones meritorum prætereo! Plura ſunt fragmenta quàm ipſi panes fuere. Facilius ſcilicet hi proficiunt in virtute, qui etiam minutiſſima obſervant, quàm qui tantum magna agere contendunt. Valde magna facit, qui etiam minima facit, qui minima ut magna facit, qui nihil perfectionis omittit, quod Divina gratia conſequi poſſit.

10. Colligite fragmenta.

COgita quomodo divitias Chriſti, hoc eſt, paupertatem ſervas, tractas acceptas. Integrosne requiris panes, an fragmentis contentus es? Optasné ea tibi dari quæ viliora ſunt domi? Male veſtiri Paupertas non poteſt ſi paupertas eſt, quantò nudior eſt, tantò ornatior, & ſuis planè veſtita coloribus, ſed nos ne de nomine quidem Paupertatem novimus, qui fragmenta aſpernamur.

11. Colli-

11. Colligite fragmenta.

O Divites quod superest, date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Non vult Deus à vobis possessiones integras; date fragmenta, date quod superest, date calicem aquæ. Et vos, ô Discipuli! fragmenta colligite, fractos homines peccatis, convertite, eos si negligitis peribunt, sed & sanguis eorum, de manu vestra requiretur.

12. Colligite fragmenta.

SI Discipulii fragmenta neglexissent, miraculum non cognovissent, vel saltem non ita cognovissent. Maximus est Deus in minimis, si modò quis oculos habeat, ut videat quantus est Deus, in providentia rerum etiam minutissimarum circa unum hominem. Totius vitæ meditatio, huic cogitationi parva est.

13. Facturi eum Regem.

COmpara tuam, cum turbæ hujus, gratitudinem. Illa post unum beneficium Iesum vult Regem facere, tu post tanta, tamque multa, ipsum Regem non facis. Cum tamen Iesus cupiat esse Rex tuus, si eum facere velis. O Iesu esto Rex meus; rege me, & guberna. Dignus es Regis titulo, qui me etiam nolentem, certè negligentem, ultrò tam suaviter regis.

14. Fugit in montem solus.

NE quære mercedem operum in hac vita, gratis Deum ama, liberaliter Deo servi, modico nolis esse contentus, nec putes tibi satis esse, si tuo satisfecisti officio. Officium tuum est, facere quantum potes, si plus potes quam facis, officio tuo non satisfecisti. Neminem ex Catalogo sibi ad famulandum Deus conduxit: nemo magnus evasit Dei amicus, qui omnia servitia sua ad calculos revocavit, aut, quid teneretur, quid non, examinavit. Multò autem minùs hic, qui pro singulis mercedem speravit, exigit, vel recipit. Gratis ergo Deo serviendum, ut servias non gratis, sed servias, ut sis gratus.

15. Fugit in montem solus.

FUgit honores Iesus, ut tu eos non fêceris: & fugit in montem. Non enim quælibet fuga, fuga est, sed ille verè fugit, qui ad montem fugit; id est, qui soli Deo tanquam summo vertici, honorem tribuit, ipse verò sua humilitate supra omnes honores sæculi, & laudes hominum, ne ad ipsum pertingant se attollit. Hoc est accedere ad cor altum omni honore humano altius, ut exaltetur Deus, & in ipsum solum omnis honor redundet.

DOMINICA V.
Quadragesimæ.

1. *Quem te ipsum facis?* Luc: 8.

O Iesu quem te ipsum facis, quando in Sanctissimo Sacramento cibum hominum te facis? quando ad me ingrederis, ut à me manduceris? quando à me manducari vis, rogas, jubes, gaudes? Nostine tu quis sis, nostine quis ego sum? Quem te ipsum facis, quãdo te mihi ita communicas, quando te ita propter me vertis, evertis, convertis, exinaniris, viliorem te memetipso reddis? O quem te ipsum mi Iesu facis propter me! fac me quoque talem, fac me humilem, fac me qualem me esse desideras propter te. O homo quem sic creator dignatus, qui Redemptorem Deumque tuum es suscepturus, qui conviva Domini factus, quem te ipsum facis? Ah! quàm tepidus, quàm distractus, quàm vagus, quàm imparatus, quàm sine ulla fame ac præmeditatione accedis, quàm facilè hoc cibo sumpto, te ad vana convertis? O conviva Dei, ô Christo satur homo! oblitusné quid modo egeris, quid obtinueris, quèm manibus & ore tractâris? supra sortem Angelorum modo primum evectus, protinus ad lutum, feces, teporem, garrulitatem, evagationes recidis. Ubi morum compositio, ubi devotionis internæ sensus? O stulte, quem te ipsum facis? Christus te vult esse Divinum, tu te facis suem in volutabro luti, O utinam videres aliquando, quem te ipsum facis?

2. Quis ex vobis arguet.

QUis in Sole tenebras, in igne frigus inveniet? In Tene peccatum sit mi Jesu? Contemplare, ô Anima, defixis oculis innocentiam Iesu, cui nec hostis quod objiciat habet; Gratulare ei, & quod tam purus sit, gaude. Sed cum ille tam sit innocens & mundus, & tamen talia in vita sua passus, quid tandem te decet? 2. Plerumque nobis id accidit, de absentibus male loquimur, facta eorum consiliaque ac mores, culpamus, quibus palam objicere nihil possumus. O! utinã discamus frena imponere linguæ? 3. Quis mihi det vivere ut ita, adversariis, tam visibilibus quam invisibilibus, tum in vita tum in morte, dicere possim, Quis ex vobis arguet me de peccato? solus Deus vere & secure dicere potest, Quis ex vobis arguet me. No s crebro id quidem

dem usurpamus, sed vel ex superbia, vel, quod pejus est, ex malorum nostrorum excusatione, malè enim facimus & pejus defendimus.

3. Si veritatem dico, quare &c.

VErè mirum est Domine Jesu, quare tibi non credimus, vel saltem non in omnibus credimus. Persuasisti nobis, ut credamus abstrusa, difficilia, supra captum nostrum; quæ verò facilia & obvia sunt, his non credimus. Quis enim nostrûm credit amandum esse inimicum, de omni verbo otioso reddendam esse rationem? Ecce ego mi Jesu, qui speciali ratione tibi credere deberem, sæpe fidem dictis tuis non adhibeo, & si eam non ore, opere frequenter nego.

4. Si veritatem dico.

VTilis interrogatio his qui præsunt, qui alios docent. Quoties enim veritatem dicunt, & quare tamen tam raro, tam pauci credunt? An in auditoribus culpa est? Non raro quidem. An in docentibus? frequens & in his. Damnatio sanè audienti & non facienti; sed & væ illi qui unâ tantum manu homines ad Deum trahit, alterâ verò, exemplo scilicet suo, ab ipso repellit. Non erat in Christo culpa, sed in Judæis, unde meritò eos arguit. Si veritatem dico, quare non creditis mihi? sæpe tamen & in docentibus culpa quare non creditur eis.

5. Qui ex Deo est, verba Dei audit.

LIbenter amicus verba audit amici; si audire non vult non est amicus, quis æque amicus est nobis atque Deus? Ipse plus amat nos quam ipsi nos. Cujus itaq; potius verba audiemus, quam amici Dei? Attamen quam multi sumus, qui nugas & fabellas quasvis audire malumus, quam verba Dei. Audimus quidem Conciones, sed eas non ut verba Dei, sed ut verba hominum, acutè, doctè, novè excogitata attendimus, Spiritum verò, mores corrigere negligimus. Sed væ nobis, venient enim dies, quando etiam Deus verba nostra audire non volet! quanquam quid dico, venient dies, quidsi jam venerunt? Quoties Deum oramus, clamamus ad Deum, nec tamen audimur à Deo? an non quâ mensurâ metimur, eadem remetitur nobis? O ovis, vis à Pastore audiri, vis ab eo curari, audi vocem ejus. En canes ob modica beneficia audiunt voces Dominorum, negligunt escas captasque prædas, En accipitri, ad sibilum, libertatis suæ obliti, manum & vincula Domini repetunt. Tu vide, qualis sis in Deum tuum ô homo!

6. Honorifico Patrem meum.

VTinam hoc mihi sufficiat in omnibus operibus meis, ut nec oculos quæram hominum, â quibus videar aut lauder; nec reformidem judicia linguasque eorum, à quibus videar; nec frangar objicientibus se se difficultatibus & impedimentis, sed hoc unum respiciam, hoc solum præcipuumque motivum mihi sit ad omnia, Honorifico Patrem meum qui in cœlis est! Sic fecisti tu mi Jesu, audisti enormem blasphemiam, dæmonium habes; contentus fuisti negasse, Ego dæmonium non habeo. Non reddis contumeliam contumeliâ, non refundis convitium convitio; non minaris, non infers ruinam aliis, non quereris, non accusas. Verè honorificas Patrem tuum; at ego impius non honorifico te.

7. Et vos inhonorificastis me.

QUoties propter culpam tuam pusilli scandalizantur, quoties causa es peccati alieni, quoties causa es peccati alieni, quoties propter quemcunque, à virtute devias, Deo pro accepto beneficio gratias non agis, virtutem alienam in malum convertis; pudore, torpore, timore, id quod ad laudem Divinam facit, omittis, toties inhonorificas Christum. Mori mihi priùs contingat Domine Jesu, quàm justè à te audire, Tu verò inhonorificasti me, Terrent me aquæ contradictionis, ubi te Moyses & Aaron inhonorificaverunt coram populo, & mortui sunt. Honorificasti me Domine Deus in creatione, imagine tua; in redemptione, sanguine tuo, in gubernatione curâ tuâ, baptismo, fide, & charactere gratiæ tuæ; in vocatione, statu me religioso honorificasti; spondes etiam honorificationem gloriæ æternam. Absit ergo à me, ut ego inhonorificem Te.

8. Non quæro gloriam meam.

OMnis quidem hominis, sed præcipuè Religiosi Apostolicam vitam profitentis verum hoc stemma est. Exige itaque à te rationem, an verè dicere possis, Non quæro gloriam meam, non quæro quæ mea sunt, sed quæ sunt Iesu Christi; magna omnino hominis dignitas est, cui Deus gloriam suam concredidit quærendam; nam omnes ferè homines, Deo, aut furantur, aut rapiunt, aut negant, aut saltem diminuunt gloriam. Si tibi hoc munus commisit, ejus ut gloriam quæras, vel propages, vel amplifices, considera quâ fide hoc te agere oporteat. Omnia Deus dedit hominibus, & Filium suum unigenitum, solam excepit gloriam;

Glo-

Gloriam meam alteri non dabo, tanti Deus gloriam facit. Ama ô homo Dei gloriam; & tuam in hoc felicitatem colloca, si vitæ, honoris, aut cujuslibet boni tui, etiam maximo detrimento, gloriam Dei augere, & amplificare potes. Statueque omnia ad majorem Dei gloriam, exemplo S. IGNATII agere.

9. Est qui quærat eam.

COnsolatio hæc nostra est, quia quando ego gloriam meam non quæro, quãdo eam propter Deum negligo, Deus curam gloriæ meæ suscipit, Deus illam quærit, mecumque hunc init contractum, dicens, Fili quære tu gloriam meam, ego quæram tuam, ô si hoc penetrare valeam, ut pro Dei ploria meam negligam! ut sive per ignominiam, sive per bonam famam, Dei gloriã amplificem! quia Deus in se patrocinium gloriæ meæ recipit, & pro hac temporali quam perdo, parat mihi æternum gloriæ pondus in cælo; & non solum in cælo, sed etiam in terra, nimis honorati sunt amici Dei, ut in omnibus Sanctis ejus cernimus. Confidenter ergo, anima mea, gloriam tuam despice, Divinæ te totam impende, contemptus Dei causâ, affecta: quia est, qui quærat, qui curet, qui amplificet gloriam tuam.

10. Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem.

QUomodo mi IESU gustans sermonem tuum gustet mortem, cum verba æternæ vitæ habeas? cum verba tua Spiritus sint & vita? qui ergo servat verba tua, spiritum servat, vitam servat; nec mortem videbit in æternum, qui sermonem tuum servat in æternum; cum verba tua sint vita æterna. Da mihi, mi IESU, cor docile, & amans sermonis tui, ut vivam tibi; sint verba tua in corde, sint in ore, sint in lectione, sint in meditatione mea semper; vox enim tua dulcis, & verba tua decora; unde etiam, propter verba labiorum tuorum, (ô utinam verè dicam) sustinui vias duras; Sileant mihi verba omnium creaturarum, quoniam vanitas sunt, quoniam earum verba emortua, strepunt non vivunt, suntque sicut sonitus æris sonantis, & Cymbali tinnientis; quia non à vitali potentia procedunt, sed à collisione inanimatorum corporum: Amem verò & servem verba, & sermones tuos mi IESU in æternum.

11. Nunquid tu major es Patre nostro Abraham?

HÆc tepidorum vox est, quam ferventibus & reformantibus sese, corripientibus sese objiciunt. Sic enim vixerunt alii, sic viximus nos, sic vixit ille; nunquid tu es major èo? nimium esse vis Sanctus. Utinam saltim hæ voces in Religiosis Ordinibus non audiantur! verum utinam magis ego ipse eas non usurpem! mori mihi JESU prius contingat, quam talia dicere. Quod si verò illas audire, aut perferre me vis, paratum cor meum, ut scuti loco tibi sim, utque improperia improperantium tibi, cadant super me; ego autem iis non movear, nec à cæptis bonis desistam; sed illud mihi persuadeam, quod etsi nemo in Ordine hoc juxta institutum suum vivat, ego vivere tenear? ad regulas enim servandas veni, non ut aliis me conformarem. Daque mi IESU, mihi ut in lucris reponã, si in tali casu unquam aliquid patiar

12. Quem Te ipsum facis?

O Homo! ô Vanitas! ô Nihil! quem te ipsum facis? cur inflaris? quanti te æstimas? Sed o homo, ô imago Dei, ô deliciæ Sapientiæ æternæ, ô Sanguinis Christi pretium! ô Fili Dei, quem te ipsum facis? cur te ad vana, ad turpia, ad ista vilia demittis, cùm natus sis ad magna? ô Religiose! quem te ipsum facis? Postulas immunitates, exceptiones, reputationes, blandiri tibi vis de virtute, labore, antiquitate, ætate, doctrina, gradu, meritis; quem teipsum facis? nunquid tu major es quam te Regulæ esse volunt? Implevistiné mensuram illam quam tibi vocatio tua statuit, ut nihil perfectionis quod Divina gratiâ consequi possis, prætermittas? Si nondum hæc implere cæpisti, quid extolleris? quemq; teipsum facere gestis?

DOMINICA Palmarum.

1. *Cum appropinquasset Hierosolymis.* Luc: 19.

TRiumphat JESUS appropinquans civitati suæ Sanctæ, Civitati Pacis; jam enim tempus aderat, quo, conciliato hominibus Patre, progressurus erat ad cælestem Hierusalem. Sed anima mea, ecce appropinquat etiam tibi in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; quid videtur tibi? triumphatné etiam? Hierusalem cum intraret, commota est universa Civitas dicens: Quis est hic? Commoventurné etiam ad introitum Christi in cor tuum omnes potentiæ? viresque tuæ, & mirantes, jubilantesque dicunt, Quis

est

est hic? ô vere Quis est hic? Hic enim est Iesus Propheta à Nazereth, qui de cælesti migravit Nazareth, & venit ad te, manetque apud te sub Speciebus Panis & Vini. Venit autem Rex tuus, tibi mansuetus, insidens asello. Rex est? revere eum; Tuus? ergo exulta quia tuus tibi venit, ergo multa ab eo spera, multa pete. Mansuetus venit? ergo nô timeas, ne opprimaris à gloria, Asello insidens? (specie scilicet panis vectus) proinde animum cape; cum enim asellum non dedignetur, nec te aspernabitur.

2. *Sedens super pullum asinæ.*

ASellus est Spiritus & caro mortificata, carens equis indomitis, passionibus & affectibus: pigra ad delicias sæculi prôpta ad obediendũ Spiritui: patiens ponderis, laboris & æstus; quæque ut jumentum apud Deum est, & tamen semper cum Deo. Tali asello libens vehitur Iesus, in tali jumento triumphat: quod quidem vult esse pullum, hoc est Spiritu primævo & novitio fervens, simplexque & candidum.

3. *Ite in castellum, solvite.*

O Quanti aselli & asinæ in castello Ecclesiæ hoc tempore solvi egent, à peccatorum vinculis, scilicet liberari: ab erroribus quà doctrinæ, quà morum expediri! Proh! cujus asinus aut bos si die festo cadat in puteum non extrahitur etiam in Sabbato! In tuis solùm jumentis extrahendis Domine Jesu pigritamur. Quomodo audeam me à tali occupatione excusare, quando hoc sanctioris hebdomadæ tempore dicis, Ite in castellum, solvite, & adducite ad me? quomodo præponam meas privatas ratiunculas devotiunculasq; tanto lucro? Cum itaque anima mea, Dominus Iesus opus habet asello (anima videlicet in peccatis jacente) nunquid moraberis illud ad Jesum adducere.

4. *Dominus hũ opus habet.*

COgita quantum hoc ad promptitudinem ad fervorem & diligentiam motivum sit. Quid non agam promptè, si quâ re Dominum opus habere intelligam? quid non ferventer? quid non diligenter exequar, si operâ meâ Dominus opus habet? Da mihi, mi Jesu, ut cogitem te semper, licèt nullius egentem, ex bonitate tamen tua, nostris voluisse egere bonis, nostra à nobis exigere obsequia. Da semper ut omnia quæ tibi placent, alacriter, ferventer, constanter aggrediar atq; perficiam; utque asinum istum propriæ voluntatis, aut judicii, propriæ cõmoditatis vel negligentiæ, alligatum, continuò solvam, quia tu his opus habes.

5. *Fecerunt sicut præcepit.*

NOn solùm quod præcepit, sed etiam sicut præcepit fecerunt. Vide: opus est asinos agere? fecerunt. Audax, periculosum, & probro vicinum est, aliena solvere jumenta? totum tamen fecerunt. Hoc vere obedire est non tarde, non ægrè, non curiosè, sed simpliciter quia imperatum, & quando imperatum est facere. Tale ministerium, etsi in speciem vile, etsi contemptibile est, Christo tamen gratum est, ac proinde nobile est. Examina ad hoc exemplar obedientiam tuam.

6. *Alii autem.*

VIdes quia in triumpho Christi nemo otiosus est; alii asellum ducunt, alii asellum ornant, alii Christum super illum sedere faciunt, alii vestimenta in via sternunt, ramos alii cædunt, alii Osanna clamant, alii Jesum portant, alii præcedunt, subsequuntur alii, comitantur alii. Non potes tu magna pro Dei gloria operari in Religione, saltem laboribus aliorum non invide, non detrahe; sed saltem applaude, saltem respice, saltem pro iis Deum ora, Deo saltem congratulare, eiq; quod habeat qui ejus gloriam strenuè promoveant, quod excitet sibi animosos famulos & idoneos, gratias age: & pete, ut si tu unus eorum esse non potes, nec dignus es, eorum saltem admirator, laudatorque esse possis.

7. *Alii autem.*

COnsidera in tantis & tam variis omnium, digne Iesum excipiendi studiis, asellum plus omnibus facere plusq; Christo commodare, & si omnibus contemptibilior sit, & videatur. Quis enim Christum portat, quis Christi pondus fert, cuinam Christus insidet, nisi asello? Dant vestes alii, alii ramos, alii voces, alii plausus, nemo seipsum. Subjiciunt alii Christo vestes, alii ramos sternunt, seipsum substernit & subjicit nemo. Solius hoc aselli munus est. Scio, mi Iesu, me pigrum, veluti asellum, scio me nullius frugis, scio contemptibilem & ad laudem splendoremque tuum, valde ineptum, obsecro, saltem idoneus sim ad pôdus tuum: ferendum, ad onus, ad jugum tuum hoc solum enim asellum decet & huic solummodo ferendo idoneus est. O quis mihi det ut asellus tuus sim mi Iesu! dent alii tibi divitias suas, erogent substantiam in pauperes, ramos trophæaque in glo-

in gloriam tuam erigant, statuant, ferant, substernar ego tibi & sufficit mihi! Onus meum, amor meus, pondus meum, honor meus.

DOMINICA
Gloriosæ Resurrectionis.

1. *Emerunt aromata ut ungerent.* Ioan: 20.

COnsidera diligentiam istarum mulierum in præparandis aromatibus Corpori Christi mortui ungendo, Sciebant unctum esse ante sepulturam, non tamen contentæ, novam unctionem parârunt. Hæc ille Christo, summo mane facere conatæ, magnoque sumptu. Tu vide, quantum adhibeas studium ad corpus Christi vivum gloriosumque honestandum? quã ad illud ruditer & imparatè accedis? quàm nulla affers aromata virtutum, devotionis, fervoris, desiderii? Indignare tibi ipsi, teque diligentiùs præpara: cogitans, quàm indignum sit, ut Christi corpus, post tantas à Judæis toleratas defædationes jam glorificatum, resurgens, hodie tamen abs te perceptum, eo ipso glorificationis suæ die, à te conspurcetur; omnino si rectè attendis, illis Christi Crucifixoribus deterior es: illi enim Christi resurgentis Corpori nihil intulerunt injuriæ, tu autem etiam in cælis beatifico, infligere multos contemptus non vereris.

2. Ecce locus ubi posuerunt eum.

EN admirandi materiem. Intuere Christum sub panis specie in altari ante oculos tuos, in manibus tuis, in ore tuo; & si potes, mirare dicens: Ecce locus ubi posuerunt eum! ô locus! ô ubi! locus os meum, lingua mea, cor meum, Dignius forsan nuper fuit Iesus positus in Cruce, vel sepulchro, quàm in ore meo, quã in corde meo. Positus fuit in Præsepio quondam, sed à Virgine, & in Cruce, sed à seipso, oblatus enim est quia ipse voluit; in sepulchro, sed ab amicis; At in ore, & in corde meo à quo positus? A sua quidem benevolentia in resurrectionem; sed vereor, ne etiam à mea negligentia, iñ ruinam mihi! Adeste dulces lacrymæ, admirationis, gratiarum actionis, Ecce locus ubi posuerunt eum!

3. Veniunt ad monumentum orto jam sole.

VEre ita, ibant enim ad mortuum qui jam resurrexerat; ibant ergo, orto jam sole, redivivo jam Christo. Etiam nunc peccatores eunt ad monumentum suæ animæ orto sole Gratiæ in cordibus suis, quæ illos monet ad pœnitentiam. Utinam hanc Dei gratiam, seriò cognoscant! sed videas alios currere ad monumentum, quamvis jam sit ortus sol, hoc est redire ad peccata antiqua, quæ Paschæ diebus istis abjecerant, & à quibus resurrexerant, planè ac si ideò resurrexisset Christus, ut ipsi repetere possint tandem sua monumenta. Vide ne tu sis horum similis, ne tibi quadret illud Quàm vilis facta est filia Sion iterans vias suas. Pedes lavisti tuos, quomodo iterum inquinabis eos? Exuisti te tunicâ tuâ, quomodo iterum indueris illâ? ô Domine aliquando incipiam sapere!

4. IESUM quæritis crucifixum.

COnsidera, Christum eductis è limbo Patribus ad vitam redire; Corpus illud nuper laniatum & fædatum ad gloriam surgere, esse jam clarum impassibile, agile, subtile; animam plenè esse beatam; visitare Matrem suam, adire & solari lugentem Petrum, plorantem Magdalenam, dispersos discipulos congregare, pacem congregatis dare; Gratulare hæc omnia Christo, teipsum junge in Spiritu omnibus istis Christi visitationibus, singulas specta, mirare, dulcedinem IESU gusta, & si cum patibili contemptoque adhuc, versari dulce fuit, quàm dulce jam erit cum glorioso? Pete a Christo ut te educat a lymbo & limo imperfectionum & tenebrarum, inducat autem in admirabile lumen suum, faciat te ita redivivum, ut nunquam moriaris Deo; subjiciat perfecte totum corpus animæ, ut non dominetur tibi ulla immunditia; faciat te clarum Superioribus & intimè cognitum, faciat mortificatum & domitas passiones habentem, faciat te subtilem patientiâ, & omnium humanarum rerum contemptorem; faciat Agilem ad omnem nutum obedientiæ, faciat denique immortalem, per Sanctam in bono perseverantiam. Si te his donis beârit, convertat te ad proximorum salutem, ad auxilia, ad pœnitentes sanctificandos, ad lugentes solandos ad confirmandos vacillantes, ad animandos timidos, ut verè olim possis usurpare illud quod Christum usurpasse Resurgentem credibile est, quando scilicet more suo, Patri æterno pro sui resuscitatione & gloria, gratias agens dixit. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar amplius meâ

tristitiâ aut imperfectione atque peccato, sed tibi semper in novitate serviam Redemptori Domino Deo meo in æternum.

Feria II. Dominicæ Paschatis.

1. Loquebantur ad invicem de his.

AUdi querelas duorum istorum discipulorum, dolorem de Christi morte, insuper incredulam desperationem; & vide, quàm facilè in peccata proruant homines, cùm à Dei præsidio discedentes, suæ nimirum industriæ sapientiæq; fidunt.

2. Dum fabularentur & secum quærerent.

ATtende quàm facile sit Jesum allicere Loquere bona, loquere de Iesu, & ipse Iesus appropinquans ibit tecum. O vere deliciæ tuæ Iesu, esse cum filiis hominum, ad quos tam facilè pellici te finis. O me ingratum! qui tam facili medio tam raro utor, & cui dubium quod tuam præsentiam non amem? cui dubium quod per me solum stat quominus te mecum habeam? sanè ibi homines cupidissimè agunt, ubi suas delicias habent, illucque facillime trahuntur, ubi sciunt esse quod amant. Quia ergo tu propter sermones nostros de te habitos, ad nos accurris, certum est tuas inter nos delicias esse. O anima mea si Iesum amas, hoc illi amoris argumentum exhibe; ama sermones pios, de illo loquere, & ipse appropinquabit tibi!

3. O stulti & tardi corde.

CHristus errantes & desperantes discipulos erroris admonet, magnamque hinc capit voluptatem, ut te suo exemplo doceat, nulli parcendum industriæ laborique, quoties proximi tui egent ab errore, tuâ operâ, liberari, ad virtutem, excitari; cum nullum aut tibi utilius opus, aut Deo gratius præstare possis, quâ educere pretiosum à vili, animam è peccato. Totis ergo viribus in eam curam incumbe, & jam nunc totum te Deo commenda.

4. Qui fuit vir Propheta.

VIde quibus titulis ornent Iesum hi discipuli. Fuit vir Propheta, Potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Quantum ergo potes elabora, ut in his Salvatori tuo quàm simillimus efficiare.

5. Et aperti sunt oculi eorum.

COactus Christus fuit ad manendum cũ discipulis invitatus hospitio. Vide jam quomodo liberalem compenset animum; redivivum se illis clarè ostendit, eorumque animos donis ornat. Esto securus ô homo; si quid Dei causâ facis, non vincendum abs te Deum. Qui credit Deo, fœneratur; cum fœnore enim debitum recipit. O liberalitas cum Deo! Utinam aliquando tui amor, studium, exercitiumq; corda nostra occupet! Quis nolit aureum credere, ut centum aureos recipiat? sanè aut Deus mihi mendax est, aut parum promissis ejus fido, si parcus sum in Deum, si non sum in Deum dives.

Feria III. Dominicæ Paschatis.

1. Pax vobis nolite timere.

O Jucundam salutationem, & nonnisi post Christi Resurrectionem optimè usurpatam! Ubi pax, ibi Deus. Unde quando Christus pacem dat discipulis, Deum ad illos inducit, ipsos filios Dei facit; juxta illud; Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Vides quanta conferat bona Christus, pacem conferens. Unde sequitur; Nolite timere. Quid enim timeam, cum pacem habeam, cum pace Deum, cum Deo hæreditatem cælestem & omnia? O pax quæ sensum omnium immortificatorum hominum exuperas, quando te potiar? mi Christe affer hanc pacem ad me semper, quoties te in Sanctissimo Sacramento percipio.

2. Pax vobis.

CHristi discipulis, non vobis discoli & impii, Non est pax impiis, dicit Dominus. Apud solos justos pax vera; juxta illud: Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te: Frumentum est vita justa, adeps ejus pax. Iusti hac satiantur, quia fruuntur. Unde & Isaias; Sedebit, inquit, populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculo fiduciæ, in requie opulenta. At pax impiorum, non pax; quia non pulchra, quia sine fiducia, quia non opulenta.

3. Videte manus meas & pedes meos.

QUia ego ipse sum; palpate & videte. En veritas resurrectionis Christi, En efficax discipulorum in fide de hoc articulo confirmatio, En molesta infidelitatis eorundem accusatio! En liberalis ad Divinitatis thesauros tractandos, habendosque invitatio! O Beatam animam, quæ à Christo ad hos misericordiæ fontes invitatur! Et quoties ego invitor abs te, ô Bone Iesu, administro Sacramenta vel percipio, præsertim Eucharistiæ, quid aliud mihi loqueris, quàm istud; Vide manus pedesque meos, quia ego sum; vide &

de & palpa. O dignitas Sacerdotum, scilicet, Sacramenta usurpantium! Attende etiam quod Christus discipulorum fidem per omnes corporis sensus stabiliverit. Videri se jussit? en oculos visumque firmat: Loquitur illis amabiliter? en auditum: Comedit coram illis, extra corporis glorificati necessitatem? en gustum. Palpari se tangique imperat? en tactum: Odore corporis sui gloriosi eos recreat? en odoratum. Quis jam de resurrectione dubitandi locus? Verè aperuisti discipulis tuis sensum Domine Iesu, aperi & nobis, ut efficaciter credamus, nos etiam olim resurrecturos, sicut Te credimus resurrexisse.

DOMINICA I. Post Pascha.

1. *Stetit JESUS in medio Discipulorum.* Ioan: 20.

Considera, quàm frequenter Jesus tui causa consistat in medio Discipulorum ad vocem Sacerdotis, januis clausis, invisibiliter, Pane in suum corpus mutato consistit illicò in medio altaris, in medio plebis suæ. Mirare tantam Dei tui dignationem; judica te illâ indignum; gratias Deo age; gaude de tam bono Domino tuo, tam amabili, sociabili, qui etiam ad manducandum tecum dignatur descendere. O quanta dignatio! In medio stat Iesus discipulorum, in medio altaris, in medio hominum, in ore visceribusque illorum: Agnosce anima mea hanc stupendam Dei tui bonitatem.

2. Sero, una Sabbatorum, Fores clausæ, Discipuli congregati.

Agnosce conditiones ad adventum Iesu necessarias, sive communicaturo requisitas. 1. Ut sit serò apud te, hoc est; ut tibi solatia laudis lucisque humanæ occidant, & ut inclinentur umbræ occupationum externarum: Verecundus enim est sponsus tuus & turbas aversatur. Vel serò, propter vehemens desiderium adventûs ipsius. Vel serò, ob longam perseverantiam, virilem exspectationem ac sustinentiam Domini, non enim quando tu voles, sed quando ipsi videbitur, veniet: vel denique, Serò, in tenebris scilicet & solitudine, in squalore & humilitate, ibi enim nos constitutos, libenter Iesus visitat. 2. Ut sit Sabbatum: Festus nempe dies, ut ferietur mens ab omni opere, non solùm malo aut otioso, sed etiam minùs sancto, intendat autem laudi Divinæ, sciens quoniam sabbatum Domini est; vide ergo, an quando communicandum aut celebrandum tibi est, Sabbatum apud te sit? vide, an quid præter instantem communionem vel celebrationem aliud cogites? Quam enim quæso putas graviorem magisque urgentem, ac magis ancipitem occupationem hâc unâ, tractare videlicet Dominum majestatis, eumque vel in vita vel in mortem sumere? 3. Fores clausæ: oris scilicet, cordis, aurium, oculorum, nec eo solùm die quo adventum Dei præstolaris, sed & pridie. An enim decet linguam, quæ verbum æternum & Deo Patri consubstantiale ferre, imò etiam conficere debet, verba otiosa, jocosa, aliave his pejora proferre. An decet oculos esse vagos, qui Deum suum venientem & præsentem sunt visuri? An decet cor distrahi, aut inquinari cogitationibus inutilibus, quod Deum suum hospitio excipere debet? An aures vana audire decet, quæ excipere debeant quid loquatur in se Dominus Deus suus? 4. Congregati discipuli: sit videlicet amor integer, & unio cũ omnibus; ut nec tu ulli, nec tibi ullus offensus sit, quin primus eum tibi conciliatum reddas. Sic itaque paratum Jesus libens volensque invisere festinabit.

3. Pax vobis.

Quid afferat aliud Angelus pacis quã Pacem? Utinam verò liceat nosse qualem Iesus suis afferat pacem! Non talem, quasi nullum sit bellum; non pacem ita, quasi nulla sit angustia quæ premat, nulla probatio quæ affligat, sed pacem quæ ab hoste impugnatur, & non turbatur; quæ in probatione constans est, in tristibus læta, in angustiis animosa. Unde Christus datâ pace, manus & latus ostendit; Manus, videlicet, quia in hac pace laborandum est; Latus, quia patiendum quia tunsionibus, calcaribus, ac stimulis adversariorum illud exponendum. Vis pacem habere Anima mea? pacem Christi require. Pax verò Christi in patiendis & sufferendis adversis, non autem eis refugiendis est; non habet Christi pacem, qui adversis caret, sed qui in adversis gaudet. Affer, Domine Iesu, hanc pacem ad animam meam, ut sciat in quo perfecta sit lætitia, feramque fructum centesimum in patientia.

4. Ostendit manus & latus.

Ut viderent quod pro eis gessisset & sustinuisset. Manus, ut scirent se in ma-

nibus esse scriptos; Latus, ut viderent se in latere & corde Christi conservari, sibique illud tutissimum ac paratum contra metus Iudæorum, variorumque hostium insultus, esse perfugium; juxta illud: Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Ostendit eis manus, creatrices, Redemptrices, remuneratrices, auxiliatrices. Ostendit latus; indicans se verum esse Adam, qui ex latere suo formasset Evam, Sanctam Ecclesiam, ostendit manus perforatas, ut Christo talia passo, intelligerent quid sibi Dei causa sufferendum laborandumque sit. Ostendit latus, quod videlicet & ipsi oppositu laterum suorum deberent pro gloria Dei stare. Ostendit in manibus auxilium, in latere solatium. Ostendit manus & latus; ô quantos thesauros! nunquam terra tales vidit. En anima mea fodinæ, en venæ, eruere ne dubita, ditaberis.

5. Ostendit manus & latus.

CHristus Dominus in corpore suo vulnera retinuit, multis de causis. 1. Ut ostenderet, idem corpus redivivum surrexisse, quod tanta nuper fuisset passum. Unde disces, Corpus non frustra atteri laboribus, cum labori respondeat gloria. 2. Ut pateret, quanti suam Christus faciat passionem, cujus insignia in corpore suo glorioso voluit conservare. Unde Christi passionem disces æstimare, & eam, identidem piè ac religiosè meditari. 3. Ut horum vulnerum respectu, Christus ipse novos semper in se erga nos amoris ignes excitaret; memor videlicet, quod nostri causa, vulnera illa sint suscepta. Assuesce ergo & tu, hæc Christi inspicere vulnera, ut nova semper concipias charitatis incendia. 4. Ut horum oppositio vulnerum, iram paternam mitigaret, indignationemque ejus in homines emolliret. O Pie Iesu! quoties miser ego periissem, nisi me vulnera hæc tua defendissent! 5. Ut ipsis vulneribus, gloriosum suum corpus, & hanc gloriam corpori, pro illis vulneribus daret. O Beatæ cicatrices, quæ ad corpus honestandum assumuntur! quæ pro ornamento gloriosi corporis adhibentur! Ita novit Deus omnia nostra incommoda, in commoda & ornamenta convertere. 6. Ut habeamus semper libros patentes Divini amoris, possimusq; legere, & quantùm nos Deus dilexerit, & quantùm ipsum diligere debeamus. Etenim, quot sunt in corpore Christi vulnera toties inibi scriptum puta: Sic Deus dilexit mundum, & diligite sicut dilexi vos; Ne avertas unquam oculos tuos à libris istis, multa enim disces si hanc scripturam disces. 7. Ut nobis præsidium & refugium relinqueret contra omnes hostium nostrorum infestationes, sive enim passionibus perturbaris, sive adversis vitæ hujus premeris, sive te dæmon oppugnat, sive mentis cæcitas hebetat, sive te malitia pravæ voluntatis inquietat, sive tepor infrigidat, sive cupiditas versat, sive defectus arctat, omnium hinc malorum medicinam hauries. Hic quies habitat, hîc omnium securitatum sedes est, hic terror dæmonum evanescit, hic lux refulget, hîc oleum miserationis stillat, hîc ferventis charitatis igniculi accenduntur, hîc omnium plenitudo bonorum, & omnium divitiarum thesauri continentur. 8. Ad æternam damnatorum ignominiam, Christus hæc sua servavit vulnera; ut visis iis, agnoscant in quē pupugerint, intelligantque, nullam sibi salutis tamdiu spem fore, quādiu vulnera illa in Christi corpore à se vel inflicta, vel contempta manserint. Exhorresce cor meum, & hoc tam acceptabili tempore utere. 9. Hæc vulnera horti nobiles sunt paradisi, poma nova & vetera continentes: sunt cellæ vinariæ, quas ut intres, præit Thomas ingredere & ad ebrietatem pota: Omnis in vini hujus ebrietate temperantia. Omnis in hoc vino ebrietas salutaris. Sunt soles, totum cælum radiis suis illustrantes: pande itaque cor tuum, ut his radiis illustreris, ut nubila cupiditatum dissipentur, ut paludes luxuriæ siccentur, ut abscedant ignorantiæ tenebræ. Sunt fontes abluendis sordibus accommodati, levandæ siti idonei, rigandis plantulis optabiles. Sunt succensæ fornaces, igne plenissimæ: alges? accede, calefies, imò ardebis. Sunt apothecæ omnium aromatum genere refertæ, odore beato plenæ, ut mens inde recreetur abunde; Sunt ubera lactis, quo lactentur infantes, cibo solido nondum idonei. Curram mi Iesu post te, memor uberum tuorum! Sunt apparatissima triclinia; comede igitur fidenter de ferculis istis, bibe avidè & largiter de vino isto, nulla metue venena, omnes cibi sunt antidota, sunt sanitas, saturari licet ad ingluviem usque: Non est hic panis arctus, non aqua brevis, maria sunt ista, horrea sunt ista, ut quid fame peris? quem accusabis si ad has mensas non accedis? Sunt Gazophilacia unionibus refertissima: quos uniones vis? accede, cape, habe. Etiam tibi dicitur quod Apostolo, Affer manum tuam, & mitte in latus meum: immitte

mitte

mitte in manus meas, in pedes meos. Felix anima quæ his se ornamentis ornat, & conspectui sponsi sistit! Sed in tanta opũ varietate, quæris quid potissimum eligas? si me consulis, nihil prius accipiendum censeo, quàm ipsa vulnera; hoc ornatu, hoc amictu, Christo totus similis ero.

6. Gavisi sunt discipuli viso Domino.

CHristus manus & latus ostendit: Discipuli verò viso Domino gaudent: tanquam dicat Evangelista; Discipuli visis Christi manibus & latere gavisi sunt. O quoties tu, & manus Christi in te vel aliis, opera scilicet Christi vides! amorem Christi erga te vel alios, non aure solùm, sed oculis etiam, & penè manu palpas, & tamen, tantùm abest ut gaudeas viso Domino, ut necdum authorem bonorum cognoscas, illivé laudem tribuas, sed vel tibi arroges, vel aliis bona invideas, tristerisque de illorum successu ac favore. Assuesce amare Dei dona, tam in te quàm in aliis, pro iisque gratias Deo agere, & pro augmento illorum ei supplicare.

7. Sicut misit me Pater & ego mitto vos.

O JESU quomodo misit te Pater tuus in mundum? an in splendore, pompa, sufficientia rerum, cum gloria, laudibus, humanis? Aut, ad quid misit te Pater? an ad conquirenda terrena bona & regna? non verò in humilitate, paupertate, contemptu, dolore, nuditate, ad quærendas animas, ad faciendam voluntatem Patris, ad viam vitæ docendam. Confer tu missiones tuas cum Christi missione, & invenies te delicatum operarium in vinea Domini.

7. Vidimus Dominum.

CHaritatis hæc virtus est, ut suo non contenta profectu, aliis communicet bona Domini. Viderunt Christum discipuli, & communicant gaudium suum Thomæ. Disce & tu sine invidia communicare aliis bona Dei, modò circa superbiam.

9. Nisi videro non credam.

DIxisse debuerat Thomas; Si videro nõ credam; nam cum quis videt, quid credit? Fides enim eorum est quæ non videntur, & argumentum non apparentium. Talis aliquando in iis fides est, qui miracula desiderant, cum tamen sine miraculis credenda sint dogmata fidei. Infideles opus habent miraculis, Judæi quærunt signa, supra quorum corda velamen est. Ego verò, ô Domine, credo omnia quæ revelas per Ecclesiam tuam, licèt Angelus de cælo lapsus contrarium dicat.

10. Dominus meus & Deus meus.

O Utinam hæc cordi meo hæreant medullitus verba! ô utinam mihi familiaria omni sint hora! Sive Sanctissimæ Eucharistiæ communico, dicam Dominus meus & Deus meus, sive peracto aliquo opere bono, concludam, Dominus meus & Deus meus sit benedictus; sive ab alio, sive à me quidpiam factum mali, illico dicam, doleo quia Dominus meus & Deus meus est offensus. Permisit Deus aliquid cladis, aliquid contra meum desiderium, contra meam existimationem? Laudetur Dominus meus & Deus meus. Occasio sese offert peccandi? Prohibet Dominus meus & Deus meus absit ut agam. O Domine imprime dulcissima hæc verba cordi meo profundius, Amen.

DOMINICA II.
post Pascha.

1. Ego sum Pastor bonus. Ioan: 10.

VErè bonus, quia cum non habuerit in mundo pascua suis ovibus salutifera, panem de cælo illis præstitit, dans illis propriam suam carnem in cibum. Boni dicitur pastoris esse, tondere pecus & non deglubere. Quantùm verò boni Pastoris erit, semetipsum & tondendum & deglubendum dare pro ovibus, imò totum dare ovibus. Ecce sicut ovis coram tondente se obmutuit, ita factus est nobis, pro nobis in escam, ut proprio sanguine viveremus & corpore. Aperi oculos fidei anima mea, & Christum in Sanctissimo Sacramento latentem intuens, dic; Verè tu es Deus absconditus, verè Tu es Pastor bonus! Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

2. Ego sum Pastor bonus.

VErè bonus Pastor cui adeò curæ & cordi sunt oves suæ, ut cum in mundo non inveniret Pastorem cui oviculas committeret suas, ipse de cælo descenderit, ad eas pascendas. Unde etiam similis illis incedit, ante ipsas vadit, dans eis in se ipso exemplum. Imitare ergo anima mea Pastorem tuum. Quæ enim major oviculæ felicitas, quàm assimilari Pastori suo? Quanta autem sub hoc pastore securitas, si modò ovis se pasci sinat. O! væ profugis ab hoc Pastore! Cogita verò, Christum etiam nunc hoc munus Boni Pastoris diligenter obire, dum tam frequenter oves suas visitat; partim in Sanctissimo Sacra-

mento, partim in inspirationibus & solatiis internis, partim tribulationibus. Tuum munus ô homo est, ne te pastor tuus aliquando vagam, erraticam, discolam, ovem inveniat. Age si hoc articulo ad te veniret, qualem te inveniret? num similem iis quæ de grege tonsarum sunt, omnes gemellis fætibus, & sterilis non est inter eas? An confractam an scabiosam?

3. Bonus Pastor animam suam dat!

O Quantùm tu ab hoc boni Pastoris distas exemplari! quid laboris, quid periculi, quid defatigationis, quid incommodi subis, pro animabus fratrum tuorum? Oves illæ sunt, & quidem errantes; tu illarum saltem ex charitatis obligatione Pastor, quid illarum causa agis? Si minutissimas commoditates negligere propter eas nescis, quomodo animam pònes pro illis? Et tamen si id non facis, bonus Pastor non es, Mercenarius es.

4. Mercenarius.

O Te maledictum si mercenarius es! non potes majus convitium à Deo audire, quàm si dicat tibi mercenarius es, si propter quid terrenum Deo servis, si præeminentias quæris, si non gratis Deo servis, si nihil laboris subis, nisi simul aliquid temporalis proventus sequi videas, mercenarius es, Pastor non es! O Deus! quid mihi est in cœlo, & à Te quid volui super terram! Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Nihil habeo in cælo aut in terra Deus meus, quod à Te velim mihi dari, nihil habeo quod velim accipere à Te, præter Te: sed Te solum volo, imò etiam (liceat dicere) nec Te volo, sed Te libens carebo, dummodo tibi placeam, & aliquid in augmentum gloriæ Tuæ facere possim. Nihil enim tu mihi debes tui, & ego totum me debeo Tibi.

5. Non pertinet ad eum.

DE segnibus & pigris hoc dictum puta. Hi enim quoties ad curam animarum, ad excipiendas confessiones, ad habendas conciones, ad visendos pauperes evocantur, mox respondent: Non pertinet ad me de ovibus: Quoties amore obedientiæ ex ordine domestico aliquid agendum est, non pertinet ad me, aliorum, juniorum id est. Sed ô homo! quid dicis? nonne ad te pertinet de ovibus Jesu? tuné negliges oves Christi? non curabis animas Crucifixi Sanguine, vitâ, morte redemptas? & quid pertinebat ad Christum de Anima tua, pro qua ille tot fecit mira, tot pertulit dira, tot subivit abjecta & sua divinitate indigna? Non te miseret sanguinis Christi, quem nequissimus Sathan in animabus hominum calcat, & ad pænas æternas rapit, facitque fomentum ignis perpetuum, Sanguinem illum, qui erat arrha vitæ, & salutis perpetuæ officina futurus. O zelus meus! expergiscere: en lupus, & hic multiplex, qui rapit & dispergit oves: en superbia, en divitiarum jactantia, en opum cura, en Sanguis sanguinem tetigit, & inundaverunt mala. en atheopolitica, en hæresis, en Dei nomen blasphematur; ô pertineat hoc ad te cor meum! Domine forma me gratiâ tuâ, & Pastorem me fac tuum, ut plurimos traham ad Te.

6. Cognosco oves meas.

CHristus ita cognoscit oves suas, ût eas cognoscendo esse suas, simul faciat suas. O si possem intellgere quid adhuc desit mihi, ut ovis Christi sim! ô si possé cognoscere, quid sit cognosci a Christo inter oves ejus! non ita curiosè alienas de me inquirerem cognitiones; sufficeret mihi à Deo meo cognosci, interque oves ejus numerari, nec judicia de me hominum curarem. Cognoscit Jesus oves suas, & dat illis hoc, per quod sint oves ejus: Vis cognosci à Christo inter oves ejus? notas ovium ejus assume. Hæ autem sunt: Bona agere, mala pati.

7. Non sunt ex hoc ovili.

HAbesné & tu oves aliquas quæ non sint ex hoc ovili Christi, quasque te adducere oporteat? mores tui indisciplinati, passiones immortificatæ, sensus tui adeo sparsi & laxi, lingua tua garrula, judicium tuum adeò tenax & temerarium, suntné oves ex ovili Christi? minime. quia nec ad institutum vitæ tuæ religiosæ. Quare, oportet eas adducere, imò jam oportebat dudum eas adduxisse, si verus bonusque pastor esse voluisses. Jam itaq; sine mora adduc èas, ut sit unum ovile, unum conformitate, unum charitate, unum perseverantiâ. Vide mi Jesu: alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, oportet te & has adducere: Adduc ergo eas, ut sim totus tuus, & nihil sit in me quod sit extra ovile tuum.

8. Vocem meam audient.

O Quam vocem audient! Non vocem exasperantem, non verbum asperum, sed Vocem virtutis, Vocem salutis, Verbum vitæ æternæ, quo in æternum pascentur & vivent. Quando autem? nunc quidem ex parte, mi Jesu, oves tuæ audiunt vocem tuam, ex parte custodiunt illâ; tum autem ex toto, & revelatâ facie, cum dices illis: Venite benedicti. O, quàm beatus

beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad audiendam claritatem vocis tuæ! Sonet vox illa tua in auribus meis; Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Tūc verò erit unum ovile & unus Pastor, tunc vades ante oves tuas, & ipsæ ingredientur & egredientur post te, & pascua invenient semper, quia tu eris pastus ipsarum, de te, & gloria tua satiabuntur, & pascentur in æternum usque, & ultra.

DOMINICA III. post Pascha.

1. *Modicum & non videbitis me.* Ioan: 16.

VErè modicum est quin à nobis videatur IESUS. Modicum, siquidem species Panis, obstat quominus ipsa Divinitas latens cum humanitate videatur. Sed ô fides sustine modicum; sustine invisibilem quasi videns eum, sustine latentem quasi verè præsentem? Ne tristeris, anima mea, quod per modicum non videas IESUM tuum, ecce supplebitur damnum tuum, gustabis namque eum, quem modicum non vides. Nunc enim mavis ad tempus illius carere visione, cujus plenam accipis gustationem. In tua, anima, potestate est, tantum gustare quantum vis, dummodo præparata accedas. Purga linguam, acue palatum & gusta. Quanquā quid gustatione pensari visionem dico? non pensatur sed gustatio præcedit; Gustate enim & videte ait Psaltes, vis videre IESUM anima serva ordinem. Gusta prius, ut videas? Non est enim cibus carnis sed spiritus. Cibus quidem carnis priùs videtur quàm gustatur; Cibus verò animæ, priùs gustatur quàm videtur, priùs sentitur quàm cognoscitur, priùs possidetur quàm videtur, nisi enim possideretur non videretur. Adeò sincere nobiscum agit Deus, ut priùs se nobis gustandum quàm videndum tribuat; quo ipsi judicare probareque possimus, Dignusnè sit quem videre desideremus, ad quem videndum aspiremus, oculosque nostros attollamus. Lauda, ô anima mea, mirare, totique mundo & creaturis omnibus tantam IESU benignitatem prædica, redde te illi totam, festinaque ad ipsum gustandum & videndum.

2. *Modicum & videbitis me.*

SUstine Dominum anima mea, cupisnè dissolvi & esse cum Christo? modicum & videbis eum. Premunt te afflictiones, ita ut vivere tædeat? modicum & videbis me, ait Dominus. Modica tibi necessaria est patientia, multas videris tibi injurias laboresque sustinere? modicum & videbis me, ait IESUS, Pro isto modico, levi, & momentaneo tribulationis præsentis, æternum gloriæ pondus habebis, id est, visione Dei perfrueris, IESUMQUE videbis. An sufficit laboribus præmium hoc? verè modicum à nobis exigitur ut possimus videre IESUM, Fac modicum, dicit Christus, & videbis me, contende modicum, eleva oculos, exi foras, ascende arborem sycomorum, abi ad discipulos & dic eis volo videre JESUM: nonne ista modica sunt? fac illa, & videbis IESUM: modicum est Fides, modicum est amare Deum, modicum est quod Dominus ait, Nolite judicare, & illud; Quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. Fac ista modica & videbis IESUM. O quàm modicæ res istæ sunt, quæ ad tam magnas perducunt!

3. *Modicum & jam non videbitis me.*

O! Si consideraremus quàm modica ista sunt quæ nos à Deo seperant & avertunt, quæ nos à perfectione vitæ & multis meritis retrahunt! puderet sanè nos dementiæ illius. Contemne tandem anima mea modica ista, eaque ut par est æstima. Propter modicos defectus venialiaque peccata aut omissiones leves, visio Dei saltem ad tempus aufertur, arcetur anima à complexu dulcissimi sui sponsi, aspersa pulvisculis istis. Excute illos, & quantum potes, à venialibus abstine.

4. *Modicum.*

MOdica creatura est quæ à Magno Deo nos separat. Cogita totum quod in mundo est, nonne modicum est? Percurre omnia quæ sunt, vivunt, sentiunt, intelligunt, nonne modica sunt? Percurre ea quæ ad splendorem, pompam, honores, divitias, delicias, potentiam, majestatem optari possunt, nonne modica sunt? Teipsum considera quod es, vivis, sentis, intelligis, duras, quod possides, desideras, habes, nonne modica sunt? Dixit Psaltes; Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Cogita tandem; Deum creatorem tuum, quantus ipse est? Et tamen si illa modica spernis, Deus se se tibi donat; si verò hæc modica amplecteris, Deus tibi se se negat.

5. *Modicum.*

MOdicum est vita mea: Ergo urgere perfectionem meam debeo. Modicum hactenus pro Deo, cælo, salute mea laboravi:

ravi: Ergo dixi, Nunc cæpi, & magnis passibus præteritæ negligētiæ damna pensare volo. Modicum sunt merita mea: Ergo non est unde superbiam, nec unde magnam mercedem exspectem. Modicum ferveo, & tamen hoc fervore, in æternum fervere, & vigere, & vivere volo. Modicum roboris & virium habeo, tam facilè pecco, quam facilè spiro: Ergo cautè mihi ambulandum: Ergo Dei auxilium jugiter implorandum est. Modicum valde est quo perdere cælum, mereri infernum possum. Modicum est pro quo cælum promittitur, quo cælum venditur, quo Deus possidetur: Ama, & habes eum. Quid faciliùs, quàm velle, quam amare? Amanti nihilominùs dat Deus seipsum. Proh! quantùm præmium, quam modico labore? Et tamen in hoc modico, pigri & infideles passim invenimur. Modicum illud hominum est, quod in cælo est futurum, nam multi sunt vocati, pauci electi; quia pauci pro cælo laborant, prout laborandum est. Illudimus Deo plurimi nugantes, & quidvis aliud curantes ferventius quàm salutem nostram; quod loquor quoque de his, qui nulli alteri rei se vacare prætendunt quam Deo. Pauci salvandi sunt: Timete itaque Deum, etiam omnes Sancti ejus, etiam vos virtute potentes, cum timore & tremore operemini salutem vestram. Etsi enim magna est misericordia Dei, & parata recipere pœnitentes, attamen terret me veritas ista, quia angusta est porta quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Deus bone! pauci sunt qui inveniunt! Ergo fortè pauciores qui intrant: ergo fortè pauciores qui salvantur! Deus meus! inveni quidem portam, video me esse in via, sed da Domine intrare, da progredi, da transire usque, in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum tuam.

7. *Nescimus quid loquitur.*

INcognita lingua videtur hominibus, quando illis dicitur, Modicum, quando repetitur, modicum. Omnia enim existimant magna, observant ut magna, deflent ut magna; ô stulti, modica sunt ista, imò ad vile nihilum tendentia; verum hoc non capiunt homines, & dicunt, Nescimus quid loquitur. Sic enim terrena curant, ac si Evangelio non crederent. Sed verè nesciunt, quia verba medullitus non internoscunt, sensumque eorum non penetrant, nec intelligunt corde.

7. *Plorabitis vos, mundus gaudebit.*

AD oculum patent ista. Quis enim contemnitur nisi servus Dei? Quis deridetur, nisi justi simplicitas? Quis verò honoratur nisi amicus mundi? At noli æmulari in malignantibus anima mea, Elige abjecta esse in Domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Tabernacula enim sunt transitura, non domus æternitatis. Elige modicum hunc planctum, ut gaudium possideas sempiternum. Sic enim ait veritas! Tristitia vestra vertetur in gaudium. Verè vertetur, & nunquam immutabitur: quia gaudium tuum Deus erit, qui non mutatur, quique nunquam recedet à te, quia gaudium tuum nemo tollet à te, sed erit Dilectus tuus tibi, & ad te conversio illius in æternum.

DOMINICA IV. post Pascha.

1. *Et nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* Ioan: 16.

MEritò IESUS conqueritur de iis, qui communicantes, eum non interrogant, Quo vadis? Quo vadis? quique nihil considerantes eorum quæ agunt, cum quo, aut quomodo agunt, Corpus Domini non dijudicant. O Domine quo vadis? ad mene vadis? ad peccatricem creaturam tuam, ad fugitivum debitorem tuum, ad proditorem tuum, ad locum plenum fætoris, squaloris, sordium, immunditiæ, vanitatis, superbiæ? O Domine! quo vadis? Da mihi, piè IESU, penetrando cognoscere quo vadis, quando ad me in Sanctissimo Sacramento vadis? Sed adhuc interrogo Domine IESU, Quo vadis? ad eum quem ad gloriam tuam creasti, ad eum quem sanguine tuo emisti, ad eum quem infinitis beneficiis in singula momenta afficis? ad eum quem de millibus in servum, in discipulum tuum, in amicum, in sponsam tuam elegisti. Rursum Domine IESU interrogo, Quò vadis? de sinu Patris, de gloria, de adorationibus, & laudibus Angelicis vadis ad me? An sinus meus nobilior paterno sinu? an anima mea cælum? an cor meum gloria tua? an ego te puriùs castiùsque adoro, quàm Angeli tui? ô Domine Quò vadis? Sed vadis ditare pauperem, sanare infirmum, solari mœstum, solidare confractum, erigere jacentem, sustinere ruentem, visitare hospitem, beare miserum. O! amo te mi IESU, summum meum bonum, & bene-

& benedico pietati tuæ. Sed & te interrogo ô homo, Quò vadis? an eò quo vadere debes, an ad eum, qui te in mundum misit, ut salveris? an ad eum qui te quærit, ut damneris? vadisné ad eum statum, ad eam religionem ad quam vocaris, vel ad eum locum à quo fugere deberes? Hoc tuo opere quo vadis? Spectasné Deum in eo & gloriam ipsius? an aliquid temporaneum? hac tua inconstanti vivendi ratione quo vadis? ad perfectionemne? ad Deum? ad cælum? an aliò? Cur non dicis intellectui tuo subtilia magis quam utilia quærenti, Quò vadis? Cur non voluntati falsa bona magis, quàm solida quærenti, & amanti Quò vadis? Cur memoriæ Deum non memoranti non dicis, Quò vadis? Cur non dicis judicio tuo aliena censuranti, sua verò laudanti, Quò vadis? Cur non affectibus se immoderatè exerentibus, cur non oculis vanè curiosèque circumspectantibus, cur linguæ murmuranti, detrahenti, mordenti, invidenti, gulæ sese saginanti, deliciasq; appetenti non dicis, Quò vadis? Cur antequam quidquam proloquaris, non dicis verbo tuo, Quò vadis? Cur intentioni operum tuorum non dicis, Quò vadis? Ecce via qua pergis præcipitio terminatur, opera quæ exerces in ignominiam tuam desinent. Cur salutis tuæ oblitus, tanto studio divitias, voluptates, robur, potentiam, ac vanitatem quæris? Quò sectando ea, vadis? Alloquere insuper creaturas omnes, & quære ex iis, Quò vadis? Vita mea quo vadis? tempus, forma, species, doctrina, scientia, imperium, majestas, Quò vadis? O caro, munde, peccatum quò vadis? in quid verteris? quò me pertrahis? ô æternitas quo vadis? quousque duras, quibus concluderis terminis!

2. Expedit vobis ut ego vadam.

SAnè expedit proximis meis communique saluti, ut ego proficiam. Mea enim obsistunt peccata, quominùs multorum à Deo per me procuretur salus. Dic ergo proximis tuis in corde tuo; Nunc expedit vobis ut ego me privatim ad vestram salutem exerceam, olim meliùs procurandam. Expedit vobis, ut vadam pro vobis exorare Dominum, ut me labori contemptui, inopiæ, confusioni, pro salute animarum vestrarum exponam. Expedit vobis, ut sim vobis exemplo bono, si sum vestrum aliquibus occasio peccandi. Expedit vobis, ut me à familiaritate vestra segregem. Expedit vobis sensus mei, caro mea, ut vos duriùs in hac vita tractem, ut vobis meliùs olim sit in futura: quoniam tantùm in gloria proficiemus, quantùm in hac vita nobis ipsis vim inferemus.

Si ego non abiero, Spiritus Sanctus non veniet ad vos.

VIde quàm difficile sit & animæ & corporis suavitatem simul habere, cum Corpus Christi videri & simul Spiritus Sanctus haberi non possint. Despice ergo bona transeuntia & visibilia: Despice voluptates & solatia externa, ut experiri possis interna. Tantùm proficies, quãtùm tibi vim intuleris.

4. Multa habeo vobis dicere.

PAratus est Deus tibi multa dare, si tu solúmodo paratus esses accipere; Tolle impedimenta, tolle externa onera. Quomodo enim terrenis onustus desideriis, portare poteris cælestes thesauros? Melle implendus es, at si aceto es plenus, quo mel repones? O te stultum si terrenis posthabeas cælestia! Quid prodest tibi si universum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris?

5. Non loquetur à semetipso.

SPiritus Sanctus non loquitur à semetipso, tu autem si quid boni ad ædificationem profers à temetipso dictum putas? ô pudor! Spiritus S. de alieno sumit, tu te sufficientem existimas: ex te, tanquam ex te aliquid cogitare posse putas; non ex Spiritu Sancto hoc est: is enim de alieno loquitur; at ex spiritu maligno, hic enim de proprio loquitur, unde & continuò mendacia loquitur. O si Ecclesia illis abundaret prædicatoribus, qui non à semetipsis loquantur, sed quasi sermones Dei. Da mihi mi IESU, ut nunquam à memetipso loquar, sed quæcunque à te audiam, hæc loquar & enuntiem aliis.

6. Non loquetur à semetipso.

NUm nescit à semetipso loqui? utique ipse est, qui arguet mundum, qui convincet mundum de peccato, de justitia & judicio: numnè ergo pro semetipso loqui nesciet, qui etiam alium convincet? Num à semetipso loqui non licet? nempe; mihi vindictam, & ego retribuam, ait Dominus. Nescit mansuetudo Christi defensionem, nescit à se ipso, pro semetipso loqui, unde & JESUS in judicio tacebat, nec se defendere volebat.

7. Arguet mundum.

DIgnus mundus qui arguatur; Dignus quoque ille à quo arguatur. Quis enim veracior Spiritu Sancto? quis nequior mundo? mendax est mundus, & à quo mendacii convincendus est? nonne & omnis

omnis homo mendax? ô Sanctissime Spiritus, qui solus verax es, veni, & convince mundum mendacii sui, argue eum peccati, quod facit; argue eum justitiæ, quam non facit; argue eum judicii, quod non reformidat.

8. Ille me clarificabit.

NOlo me clarificet os hominum, lingua mendax, lingua adulatoria, ignara quid lateat in homine; ille me clarificabit aliquando, qui solus claritatis lucem inaccessibilem inhabitat, & in cujus dextera sunt honores. O utinam, homo, solius ejus clarificatione contentus, omnes laudes humanas, omnes reputationes vanas despicias! ô utinam quoque in omni opere bono, hoc solum mihi solatium sit; Ille me clarificabit. Valeant censuræ hominum, valeant laudes eorum, Deum specto; Ille me clarificabit.

DOMINICA V. post Pascha.

1. Creditis quia à Deo exivi. Ioan: 16.

CRedimus etiam hoc mi Iesu, te à Deo exisse; quia Te præsentem in Sanctissimo Sacramento credimus, agnoscimus, & supplices te adoramus, amamus, ac sumimus. Existi nimirum à Deo, ut nos duceres ad Deum: Existi à Deo, ut nos donis ditares Dei: Existi quidem olim ab æterno à Deo per generationem æternam, existi in tempore per Incarnationem, at nunc existi per Sacramentalem panis in Tuum verũ corpus transubstantiationem. Credimus hoc totum mi Iesu, quia nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi à Deo sit egressio ejus. Præsta itaque dulcissime Jesu, ut Pater tuus amet nos, quia tu dixisti Apostolis tuis; Ipse Pater amat vos, eò quod me amastis, & credidistis quia à Deo exivi. Credimus & nos, & amamus te. & desideramus te suscipere in Sanctissimo Sacramento. Amet nos Pater tuus, & sufficit nobis.

2. A Deo exivi.

ESt quod miremur, quod amemus, & quod gratias agamus. Exivit Verbum æternum à Patre secundum Personam Divinam, egressio admirabilis: Exivit à Deo ad naturam humanam in Incarnatione, egressio amabilis; & omnibus hominibus utilis; Exivit & sub specie Panis; ad quem? ad te ô homo! unde? de cælo in terram. Ad quem? ad hominem peccatorem, ut cibus tuus fieret, ut in te maneret. Quid ages ô homo? mirare, ama & gratias age.

3. Amen, amen dico vobis.

ASseverationem tam gravem considera. Sine dubio enim Christi sermo verus esse debet, & res quæ promittitur magni momenti. Si quid, inquit, petieritis Patrem dabit. Nihil hâc denuntiatione majus, nihil utilius, nihil liberalius; nihil ô homo excipitur; Pete cælum, pete gratiam, pete gloriam, pete quodvis donum, pete ipsum Deum, omnia hic promissa sunt. Si quid petieritis: Ab omni dubitatione hæc promissio aliena est: dicitur enim Amen amen; & ab eo qui mentiri non potest Deo. Sume ergo animum, ô homo, & pete, quia parva sunt quæ petis, & minora promissis: Fons manat, quin bibis; thesaurus patet, quin ditescis.

4. Si quid petieritis.

PRopterea nihil impetras, quia nihil petis; pete aliquid & obtinebis. Dicitur enim; si quid petieritis. Nihil verò petis, quando ad orationem imparatus venis; nihil petis, quando ad mentem voluntatemque Dei non petis; sed modo amorem & gratiam hominum, modò laudem, aliaque his pejora petis & vaniora; O! utinam apprehendamus, à Deo, esse Quid petendum, nõ Nihil. Ipse enim, Nihil nobis dare, non potest: cum Nihil, non factum sit ab illo, & sine ipso sit.

5. In nomine meo.

IN commemoratione videlicet nominis mei, in vi sanguinis mei, in meritis, in humilitate, & virtute obedientiæ meæ, quâ obedivi Patri meo usque ad mortem. In nomine meo, & quasi mihi non vobis petite; faciliùs enim Filio indulgebit Pater. Aliqui in nomine suo petunt; in nomine scilicet propriæ voluntatis; qui ea quæ petunt, sic & non aliter, hoc & non alio tempore fieri volunt, præscribentes legem Deo. Quia, licèt non sint aliqui ita expresfè animati & dispositi, tamen resignati & indifferentes non sunt in manus Providentiæ Divinæ. Petendum in nomine Iesu, quia hoc nomen super omne nomen est, in quo nos omnes salvos fieri oportet. Hoc nomen Christo dedit Pater, ut in illo omne genu flectatur: non ergo leve ducas, in hoc nomine Iesu petere. Certè in re magna petitur, quia in præmio Christo à Patre dato petitur. Homines, magnorum laborum præmia servant, ea sola de causa, quod magno

magno sint labore parta & maximè si à Rege sint collata: Quantùm autem Christus laboravit? & pro his laboribus cunctis, præmium à Patre cælesti accepit Nomen suum: Hoc præmium contulit nobis Christus, & dedit tanquam in usuram, ut cum eo accedentes ad Patrem, oppignoremus ei cum opus est: eâ tamen lege, non ut nos illi, sed ut ille nobis usuram solvat. Gratias tibi, mi IESU, pro hoc liberali dono Nominis tui, volo frequenter eo fænerari. Est enim hoc donum. Da mihi, dulcis JESU, hoc gloriosum donum, nomen tuum JESU, dignè venerari, devotè colere, ardenter amare. Homines communiter omnia nomine alicujus faciunt, præfiguntque operibus suis nomina sua, sic artifices, Sculptores, architecti, Principes, rebus à se erectis, nominis sui auctoritate excusis, scriptores frontibus librorum sua apponunt nomina; quibus significare videntur, quod ea omnia in suo faciunt nomine. JESUS verò omnibus suum vult præfigi nomen, omnia vult suo nomine fieri, omnia propter nomen suum impetrari: vultque nos docere, omnia nonnisi propter se suaque merita nobis dari. Hinc agnosce quanta reverentia & amore nomen IESU sit prosequendum, in quantamque ejus venerationem, apud omnes promovendum: cum in tantum IESUS nomen suum amet, ut nec vitam, nec corpus, nec animam suam, nec vulnera sua, tantùm amet. Omnia enim adversa in eo nos pati jubet, omnia in eo nobis impetranda promittit, omnia contraria superanda, & dæmonia in eo ejicienda prædicit.

6. Usque modo non petistis.

HOc fortè singulis nobis dictum putemus, qui potiùs in nostro, quam in JESU nomine, potiùs in nostris meritis confisi, quam Christi, Deum oramus. Erubescamus de hac præsumptione, & Christo ejusque nomini hanc prærogativam tribuamus, omnia in eo à Deo postulantes; maximè conscii, nos nostro nomine frusta omnia petere.

7. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

PRimus sensus est; si vultis gaudium vestrum esse plenum, petite: 2. Scitote, quid petere debeatis; non aliud quàm hoc, ut gaudium vestrum plenum sit, & gaudium vestrum nemo tollat à vobis. Quod idem cum eo est; Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus. 3. Nihil est perfectiùs, quàm cum petitio nostra intendit Christum: tunc enim verè gaudium nostrum erit plenum, quia petita nostra obtinebimus. 4. Hæc orationis est excellentia, ut qui ei apprimè deditus est, gaudium plenum semper habeat.

8. Ut gaudium vestrum sit plenum.

COgita quid sit gaudium illud plenum. Gaudium, primò est de bono quod est præsens, plenum verè, de bono quod perfectum est, quod plenum bonum est, implens omne desiderium. At plenum Bonum, nonnisi Deus est, Ergo & plenum gaudium nonnisi de Deo est. O Amare, ô ire, ô sibi perire! ô ad eum pervenire! ô quantum Bonum, quàm plenum Deus est, quid in illo non bonum! aut quod bonum est extra illum? O Deus meus & omnia! Nulla alia bona sunt plena, nulla alia cor implent, solus Deus implet, quia solus Deus plenum Bonum, vocantur tamen etiam plenum bonum, Opera bona, perfectè facta, secundum illud: Non invenio opera tua plena coram Deo. Plena non sunt, quæ circumstantiâ aliquâ carent; quæ non propter solum Deum, aut ut illi placeant aut quia ille dignus est, fiunt, & ita qui in uno offendit, fit omnium reus. Sunt equidem & gaudia plena, sed pauca! quoties gaudium habent mundani, sed non plenum, deest aliquid, perpetuum non est, cessat, Quod ergo est plenum? Primum in Deo, & in cælesti Patria, ibi est certa securitas, secura æternitas, æterna felicitas, felix suavitas. Secundum in hoc: Petite & accipietis, hoc est in voluntate ad Dei nutum resignata; In animo, qui Divinæ providentiæ bonitatique tutò fidit, & in ea acquiescit; qui securè dicit, Dominus regit me & nihil mihi deerit; In eo & gaudium erit, & gaudio nihil deerit, quia plenum erit. Is enim verè petit, & petita obtinet, imò is semper orat, & petita impetrat, qui in omnem Dei voluntatem paratus stat, cujus pondus, Velle divinum est. Pondus meum amor meus est; qui hoc solum amat, quod Deus vult: Talis ergo petit, & semper accipit, semperq; gaudium plenum habet, quia quidquid Deus vult, & ille vult, & sequitur, hocque solum petit, quod Deus dare decrevit; quod autem decrevit, hoc utiq; dat, ut proinde quodcunque talis petit, semper impetret, habetque hunc fructum resignationis suæ, ut omnia impetret. Utinam intelligas vim voluntatis in manus Dei resignatæ, & Animæ indifferentiæ virtute ornatæ!

9. Venit hora cum jam non in proverbiis.

AUdi & contremisce. Audi quoque &

lætare. Contremiſce ſerve nequam & infidelis, ecce enim venit hora, cum jam nō in proverbiis Deus loquetur, ſed omnia palam dicet, revelans abſcondita cordium & ſcrutans in lucernis Hieruſalem. Proverbia nunc multis videntur eſſe; quæ Jesus dicit: Nolite judicare &c. Diligite inimicos veſtros; De omni verbo otioſo reddent homines rationem in judicio: Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter; Beatus qui ſemper eſt pavidus. Sed veniet hora, cum jam non videbuntur proverbia, cum ampliùs non dicent, Neſcimus quid loquitur; ſed cogentur fateri, Ecce nunc palam loqueris & proverbium nullum dicis. Sed væ tibi ignoranti, qui proverbia non intellexeris, væ tibi qui ſermones Dei proverbia dixeris; Ubi enim abſconderis à verbo aſpero & à vultu majeſtatis ejus? Euge verò, lætare ſerve bone, ecce enim venit hora, ecce appropinquavit regnum cælorum. Venit optatus dies, ut ubi Dominus eſt, illic & miniſter ejus ſit, ubi fuerit corpus,ut illuc congregentur aquilæ, ut rapiamur obviam in aëra Chriſto, ut ſemper ſic cum eo ſimus, & revelata facie gloriam Dei contēplemur, & Chriſtum, de Patre ſuo palam annuntiantem nobis. O jam tunc ceſſabunt proverbia cuncta,nec ipſe Jesus rogabit Patrem pro nobis, ſed ipſe Pater amabit nos,quia nos perfectè Jesum amabimus. O quis mihi det ut capiam, quis det ut intelligam, quid ſit illud, Amare Jesum, quid ſit illud, amari à Patre Jesu! Da bone Jesu ut Te nunc amem, quò in æternum Te amare, & à Patre Tuo cæleſti, amari merear! Amen.

DOMINICA VI. poſt Paſcha.

1. *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis.* Ioan: 15.

AGnoſce Chriſti erga te liberalitatem. Apoſtolis ſuis, cum eis promittit Spiritum S. ſubtrahit ſuam corporalem præſentiam, tibi verò & Spiritum Sanctum promittit mittendum, & ipſe ad te ſua præſentia, in Sanctiſſimo Sacramento venire parat. O! quid facies ita ab eo æſtimatus, & Apoſtolis ipſis quaſi prælatus? nonne exultabis? nonne ad thronum tantæ gratiæ Chriſti properabis, omnemque humilitatem, fervorem, Charitatem, ſpem, & deſiderium, indues, ut dignè corpus Chriſti ſumas, ut dignè arrham pignusque, imò domum palatiumq; Spiritus Sancti ab ipſo Fabricatore dignum inhabitari, eique excipiendo unicè accommodatum tractes? Provoluere ad Chriſti pedes, rogans ut ipſe ad te venire, inque te manere dignetur, quo ſic Spiritus S. ex alto veniens, ſibi habitaculum dignum in te reperiat, & libens in te requieſcat. Cave ne de te dictum ſit: Non noverunt Patrem neque me. Poſſent enim homines dignè recipere Spiritum S. ſed quia Corpus Chriſti,quod illis pæne obtrudit, dignè non tractant, non habent quo Spiritum S. recipiant. Optima itaque præparatio eſt ad Spiritum S., digna Corporis Chriſti ſumptio. Qui corpus Chriſti malè tractat, Spiritum S. quomodo tractabit? O Jesu per hanc quæ inſtat Corporis Tui Sanctiſſimi ſumptionem, da mihi gratiam, ut poſſim me dignè ad adventum Spiritûs S. præparare.

2. *Spiritum veritatis.*

VIde quis te Spiritus regat, Veritatisne an mendacii? Si cum Deo & proximo agis ſincerè & conſtanter, Spiritus veritatis in te eſt; ſi fucatè, fallaciter, perſunctoriè, ſi verba tua ſcatent mendaciis, jocis, ironicis, amphibologicis, politicis evaſionibus, quæ Spiritui veritatis repugnant, Spiritus mendax in te eſt, qui non à Patre Deo ſed à Patre Diabolo procedit.

3. *Ille teſtimonium perhibebit de me.*

HÆc veræ innocentiæ vera eſt confidentia. Accuſatur? non ſe excuſat. calumniis & contumeliis fama denigratur? ſervat modeſtiam, nec meditatur vindictam. Opprobria in eam mendaciter jaciuntur? vel ſilet, vel verbo negaſſe contenta eſt! Sic ſiluit Suſanna, & cor ejus confidens erat in Domino. Sic Jesus tot ante Præſidem impetitus calumniis, tacebat, ita ut Præſes miraretur vehementer. Tacebat Iesus, ut videlicet Spiritui S. locus de ſe teſtimonium perhibendi remaneret. Recordabatur quod dixerat: Teſtimonium ab homine non accipio, ſed opera quæ facit teſtimonium perhibent de me.At ubi noſtra patientia? quid non facimus etiam verè accuſati? ſi verò quid innocentibus obtruditur, ô quantùm furimus! ô Iesu da ut Tuo exemplo doctus taceam, memor iſtius; quia olim Spiritus tuus teſtimonium perhibebit de me.

4. *Et vos teſtimonium &c. quia ab initio &c.*

ECce & tu cum Chriſto ab initio es, ab initio

initio videlicet vitæ & ætatis. At dignusné cui Christus dicat, Et tu testimonium perhibebis de me; an verò cui dicat, Tanto tempore tecum sum, & non cognovisti me, ut testimonium de me perhiberes vitá, aut factis tuis. O Iesu, negligens ego sum in tua schola discipulus! nec cor, nec lingua, nec corpus meum, nec conversatio, testimonium de te perhibent. O me infelicem & sterilem arborem, quæ gratis terram Religionis & Ecclesiæ occupat.

5. Ab initio mecum estis.

QUid est cum Christo ab initio esse? nisi ut talis sis semper in progressu servitii illius, qualis circa initia fuisti, talis ut sis Veteranus & Professus, qualis Novitius. Sed ô quam ferventes fuere illi, & quàm nunc tepidi progressus tui! Tanta illa fuerunt initia, ut te ab omnibus mundi bonis, à carnis commodis, ab amicis, Parentibus, libertate, fama, opibus, honoribus, re &. spe, abstrahere potuerint, & ad Religiosam paupertatem traducere. At progressus tui nunc sunt adeò tepidi, adeò frigidi, ut à minimo vitio, à levi cupiditate, & passiuncula, à modica commoditate, delectatione, reputatione, honore, aut proprio judicio, non possint avocare, & ad tui mortificationem impellere. O quantus pudor, si quid tibi frontis est, inde consurgit? quibusque conatibus opus habes, si ad initialem fervorem redire velis! Quanta verò gloria ejus erit, qui à Domino audire merebitur. Ab initio mecum es, usque huc; in primo scilicet tuo fervore & Spiritu, in initiali illa legum Regularumque observantia. Excita te ô Anima & revoca te ad pristina illa tua initia.

6. Hæc locutus sum vobis, ut non scandelizemini.

ATtende Scopum verborum Christi. Odit te mundus, persequitur te gratis, sermonem tuum non servat? ne scandelizeris; idem prius Christo fecit, eum priorem odio habuit: Non poteris esse major Domino tuo, nec felicior illo, ut videlicet mundo non servias, & tamen ameris ab eo. Alterutrum elige, vel mundo servire & amari ab eo; vel mundo nó servire, & odio esse illi. Erras omnino, si nec servus mundi, nec exosus illi esse cupis, nam sic affectum, necesse est te scandalizari in Christo, quem mundus odio habuit. Proinde resolutus servus Christi ad alterutrum esse debet, imò hoc sibi persuadeat, eum, quamdiu vivet, contradictiones habiturum, non solùm à mundo, sed etiam ab eis qui non videntur esse de mundo. Nam non solùm Christiana, sed etiam humana vivendi hæc ratio fert, ut unus omnibus placere non valeat, sed necesse sit eum alicui non probari, Non ergo in hoc laborandum, ut ab omnibus ameris, ut omnibus satisfacias, sed fac quod debes ac potes, de reliquo patientiam habe, & ne scandalizeris, si multi te inferiores magis reputabuntur, magis amabuntur quàm tu, si plura illis concedentur, quàm tibi, si tu, etiam bene agendo habeberis vitiosus, fuerisque despectus: Vide ne scandalizeris, ne indigneris, ne invideas, ne murmures, ne declines in verba malitiæ, nec te cum aliis compares; sed oculi tui Deum omnia videntem respiciant, illique cor tuum soli placere studeat.

7. Venit hora, ut omnis qui vos interficit, arbitretur &c.

VSus & veritas horum verborum ab experientia discitur. Detrahitur tibi, & filii matris pugnant contra te, imò in hoc ipso, in quo maximè prodesse, & gloriam Dei promovere conaris, ab omnibus culparis; quodque gravius est, illi qui culpant, arbitrantur se obsequium præstare Deo. Quodnam contra talia Christus dat remedium tela? Ut non scandalizémini. Nam sic volvitur orbis, sic agitur in mundo. Non intuentur homines Cor, ab extra tantùm judicant, ex probabilibus decernunt conjecturis, quisque suum judicium & sensum suum individualem habet. Tuum attendere est, an vera culpent, ut corrigas; Sin minus, ut non scandalizeris. Hoc accuratè ponderandum, ut pote in omnem vitæ quietem in omnẽ securitatem profuturum. Nemo diffitetur id esse difficile, sed Christi est semita, & aliter salvari non possumus, nisi Christum præeuntem sequamur. Quare gratia Dei est invocanda, patientia procuranda, & soli Deo conscientia probanda.

8. Venit hora.

VErba utilissima, venit mortis hora, at ego paratusne sum? venit judicii hora, & dicitur mihi, Redde rationem villicationis tuæ, ego verò diffamatus sum, quasi dissipaverim bona Domini mei: quid faciam? Hora venit ut ad æternitatem transmigrem; at ego in tam longam viam de alimento mihi non prospexi. Venit horá, quâ jam perfectus esse potui, certè ut religiosus debui; at invenior recessisse à perfectione, defecisse à primis propositis, & pristino fervore. Venit hora, quâ Deus paratus est gratiam suã

mihi tribuere, si paratus essem eam excipere; sed ego nugis distrahor, Deum nō cogito, & vanis me rebus potiùs quàm Divinis, meæque saluti impendo. Venit hora, apud Deum multa merendi, sed occasiones negligo, damnaque mea non sentio. Venit hora, qua pœnitentiam agere, peccata deflere, Deo in contemplatione conjungi possim, at ego garriendo, otiando, nugando, eam consumo. Venit hora, aliquid pro Deo perferendi, memet humiliandi; ego autem occasionem Deo tā gratam, tam mihi utilem, tam nunquam redituram, aversor & refugio. Venit hora, quâ literâ imperfectâ relictâ, ad opus ad quod vocor, me conferam, at nec pulsui signoque attendo, nec diligenter aut seriò opus conficio. Venit hora tentationis & belli, quam sequentur paulò post Coronæ & triumphi, at ego veluti ignavus miles arma ultrò abjicio, manus porrigo, suggestionem sequor, & resistere nolo, imò nescio. Venit hora, ut proposita exequar; at ego præter proposita, nihil ampliùs Deo ostendo; ô Homo utinam esses homo, cum sis in honore & hæc intelligas, horumque in præsenti hora reminiscaris, ne jumentis comparatus, similis fias illis; ut demum post horam sapias quod stultorum ac damnatorum solemne est.

9. Quia non noverunt Patrem.

HÆc tua esse debet in adversis consolatio. Pateris linguas hominum tibi detrahentium? pateris calumnias, æmulos, invidos, irrisores, falsos fratres? cogita hoc contingere ideo, quia non noverunt Patrem cælestem, neque te; Nesciunt quid faciunt. Patrem non noverunt; aliàs enim timerent. Non noverunt te quia nemo scit quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Et sic excusavit Christus crucifixores, cur non tu excusas detractores? Vera Christianorum virtus est, scire sustinere non solum adversa sed etiam adversantes. Fit enim sæpe ut adversa toleremus, eos tamen à quibus patimur, tolerare non possimus. Ama ergo adversarios & inimicos tuos.

10. Cum venerit Paracletus quem mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.

QUando eum recipies, qualem te inveniet? quid facies ut dignetur ad te venire? Paracletus est, ergo nonnisi pœnitentibus mittitur, vel iis proficientibus, qui se à mundi solatiis abstrahunt, quiq; etiam Christi carne privari contenti sunt, ut Spiritum ejus habeant. Spiritus veritatis est, ergo perfectis tantùm datur, quos in veritate Sanctitatis conservat, caveque, ne cum Spiritu cœperint, carne consumentur, quibus Deus veritates annuntiat, & quos ad docendam veritatem emittit. Hinc triplicem disce modum percipiendi Spiritum S. mentemque præparandi ad ejus adventum. Pœnitentiam scilicet, Virtutum exercitium, & Veritatem, seu Perfectionem in humilitate fundatam. Ad pœnitentes venit consolator; Ad laborantes in virtutum exercitiis, venit donum filii & virtus induens ex alto; Ad perfectos venit verax testimonium perhibens illorum conscientiis, quod sint Filii Dei, quod in via recta ambulent, quòd extrema illorum ipso Spiritu perseverantiam largiente, primordiis sint haud dubiè responsura. Sic te ergo ad recipiendum Spiritum Sanctum præpara.

DOMINICA I.
post Pentecosten.

1. Estote misericordes sicut & Pater vester. Luc: 6.

INdicabo tibi, ô homo, quid Deus Dominus tuus à te requirat. Euntes, inquit, discite quid sit, Misericordiam volo & non sacrificium. Misericordiam à te vult & requirit Deus, & misericordiam quidem talem, qualis in Deo ipso est. Estote, ait, Misericordes, sicut & Pater vester misericors est. At qualis in Deo Misericordia est? verè multiplex, verè infinita. Nam misericordiæ ejus non est numerus, miserationes ejus super omnia opera ejus. Proprium ei est misereri semper & parcere. Repleti sumus mane, ait, Psalmista, misericordiâ tuâ exultavimus & delectati sumus. Et alibi, melior est Misericordia tua super vitas. Miseretur autem Deus hominis cujuslibet variis modis: Creando, redimendo, vocando, conservando, regendo, protegendo, justificando, tolerando eum, miseretur Deus hominis, paratior ad dandam ei gratiam, quàm homo ad accipiendam: Miseretur Deus omnium, jugiter propter vulnera Christi nobis parcendo. Miserere & tu Anima, Dei tui, quem præsentem in Venerabili Sacramento sumis, ei parce, nec ampliùs peccatis tuis offende; toties enim Christum crucifigis, quoties peccas. Miserere & tui ipsius, studens Deo in omnibus placere in Christo. Miserere

ferere & aliorum condonans illis; Miſerere Fratris peccantis in te: Miſerere animarum in purgatorio.

2. Nolite judicare.

ATtende, quàm utilis ſit ſimplex oculus, qui aliena dicta factaque non examinat. Si enim non facilè judicat aut damnat, non etiam judicabitur aut damnabitur. Id quantùm ſit, quis enarrabit! Orabat David; Non intres in judicium cum Servo tuo Domine! Idem Job poſcebat, inquiens; Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus? Adeò formidabile eſt à Deo judicari, cum ipſe Judex ſit inexorabilis, & judicium ejus inexcuſabile, teſtis Conſcientia irrefragabilis, ſententia irrevocabilis, Carnifex implacabilis, Ignis inextinguibilis. Et tantùm tamen judicium, tam facilè evitatur, quam facilè proximus non judicatur. Noli itaque judicare, quicunque judicari formidas. Nam, ſicut verum eſt quod ait Chriſtus; Nolite judicare & non judicabimini, ita oppoſitum quoque verum eſt. Si vos judicatis, & vos judicabimini. Et certè, meritò talis merces, talisque pœna, tali culpæ rependitur. Quod enim tu facis alteri, jure viciſſim ſuffers ab alio. Ipſum inſuper judicare, cujus eſt niſi hominis ſuperbi, ſuipſius ignari, tepidi, curioſi? Tunè alios judicares, niſi tibi ſecretorum cordis alieni notitiam, quæ Deo ſoli convenit arrogares? Tunè judicares errantes, ſi tuæ conſcius infirmitatis, cogitares, non eſſe peccatum quod fecit homo, quod non facere poſſit alter homo? ſique ſcires, miſericordiâ Dei factum, ut non pridem à peccatis pœnisq; æternis ſis conſumptus? Tune alios judicares, ſi tibi attendens, notares, & te in multis delinquere? Ita omnino certum eſt, neminem ad aliorum mores judicandos divertere, niſi ſe priùs à ſuis cognoſcendis avertat. Et hic adeò improbus Cenſor, nonne juſtè cenſuram Dei, & diſtrictum ejus judicium incurrit? Attende ergo ô homo tibi, conſidera te ipſum, & mores tuos, nec aliò convertaris: Nam, quod hodie notas in alio, fortè cras gravius ipſe aliquid in te deprehendes. Puta ignorantiam, puta caſum, excuſa intentionem, ora pro eo ut ſurgat, ora pro te ne cadas. Quid quod ſi ille converſus jam ſit ad Deum, tu judicando, & in proximum peccas & in Deum?

3. Date & dabitur vobis.

POtuit te Deus ſalvare gratis ſicut creavit gratis; non tamen voluit, ſed exigit cooperationem. Date, ait, & dabitur; Date mihi cor veſtrum, date amorem, date obſervationem mandatorum, date gloriam nomini meo, & dabitur cælum vobis, dabitur vobis æterna gloria. Ego ipſe dabor vobis in mercedem magnam nimis. O Domine! quidni omnia demus tibi, cùm non tantùm par pari referas, nõ tantùm eadem menſurâ quà metimur, tu remetiris nobis, ſed pro imperfecta, das omnino menſuram bonam, confertam, coagitatam in ſinus noſtros? Modicum laboravimus pro Deo, & invenimus multam requiem apud te, pro gloria terreſtri cæleſtem, pro corde Deum, pro amore vitam æternam. Verè tu es Domine merces magna, Deus noſter & omnia bona noſtra! Non tantùm das quia damus Tibi, ſed etiam quod damus, reddis nobis, Tua dona vis donari tibi, ut ea nobis ſolvas, præmia tua noſtra merita facis, ea remuneraris & coronas. Creditor es, & debitorem te facis; ut tibi dicere audacter poſſimus; Feci Domine quod juſſiſti, da quod promiſiſti. At, nonne ô Domine hoc ipſum quod feci, donum tuum eſt? Ergo tuum donum ſolvis quod in me poſuiſti. Si illud apud te ſervaſſes, præmio non affeciſſes. Immergere ô Anima mea in hoc Bonitatis Divinæ fonte, & ex eo haurire ſtatue.

4. Eadem quippe menſura.

ATtende quid hoc ſit. Dixerat ſupra, menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum, jam verò ſubjungit; Eadem quippe menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis. numquid poteſt homo confertam menſuram Deo dare, ut tantùm det quantùm debeat? Abſit, quisquã exiſtimet, ſe tantùm aut plus dare, quam Deo debeat, cui videlicet omnia debet, cui hoc ipſum debet, quia illi omnia debet, cum & hoc ſit gratiæ ejus, quod illum debitorem ſuum eſſe voluit. Quid ergo eſt, quod dicitur; Eadem quippe menſurâ? Hoc requirit à nobis, ut quicunq; Deo ſerviunt, quicunque Deum diligunt, ſerviant ei in plenitudine cordis ſui, in toto corde exquirant & ament eum, annihilent ſeipſos propter gloriam ejus, nihil ſibi reſervent ſui, toti ſint ejus in quo ſunt, cum ſe ei mille nominibus debeant. Eadem quippe menſurâ quâ fuerint menſi remetietur eis: ſi parcè ſeminabunt, parcè & metent. Et aliquando intellige illud, Anima mea: Quod, quantò ſe quisque liberaliorem erga Divinam majeſtatem

tem præstiterit, tantò eandem erga se liberaliorem experietur. Quâ mensurâ &c.

5. Numquid potest cæcus cæcum ducere.

DIsce quanta sit Religiosæ obedientiæ necessitas. Nam & Voluntas tua cæca est, sequiturque rationem prout facem accensam. At & ratio excæcata est, per peccatum, non discernens bonum à malo sed sæpe malum pro bono eligens. Proinde, si Voluntas propriæ Rationis sequetur ductum, nonne ambo in foveam cadent, cum cæcus cæcum ducat. O homo! vis effugere casum? vis in foveam non præcipitari? cæcum non sequere, tuo videlicet proprio judicio non inhære, sed magis eos qui Dei nomine tibi præeunt sequere.

6. Nunquid potest cæcus cæcum ducere.

AGnosce, quanta tibi opus virtute, quàm solidâ scientiâ, quàm illustri claroque Dei lumine, cum ad hoc à Deo vocatus, cum hoc vitæ genus amplexus sis, in quo præter tuam, etiam aliena curanda tibi salus est, in quo non tantùm tibi, sed & aliis dux vitæ constitutus es; Quod si cæcus cæcos duces, si ipse trabem in oculo tuo ferens, aliorum festucas extrahere, si ipse Sanctitate carens, alios ad Sanctitatem inflammare, si ipse ignarus alios docere volueris, nonne ambo in foveam cadetis? Quid tu, qui bene quidem docens, malè autem agis, aliud facis, quàm quod Deum doceas, quomodo te judicet ac puniat? Nonne Deus tibi dicet aliquando, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu nugigerule, fabellarum narrator, tu scurriloque, tu detractor, murmurator, assumis testamentum meum per os tuum plenum dolo, plenum nequitiâ, hypocrisi, politicismis, similis illis ejicientibus dæmonium Judæis, quibus dictum, JESUM novi, & Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliebat in eos. Nunc ergo instrue animam tuam doctrinâ sanâ, præpara eam variarum virtutum exercitio, unione cum Deo, orandi assiduitate & devotione, passionum edomatione, tum sensuum, de Deo loquendi usu, ut dignus Dei minister, dignumque ejus instrumentum evadas; ne fortè cum aliis prædicaveris, ipse reproberis; ne fortè peccatis tuis, opus Dei, quod per te in salvandis animabus facere vult, impedias.

7. Non est discipulus supra Magistrum.

COnsidera cujus tu sis discipulus, quemque magistrum æmulari & imitari debeas? Christum videlicet, qui dicit; Sequere me. In quo? In vitæ paupertate, morum integritate, laborum assiduitate, in patientia multa, persecutionibus duris, in contumelia & fama neglecta, tunc enim perfectus eris, quando Christo simillimus eris, quando tres ejus individuos comites Paupertatem scilicet, Dolorem, & Contemptum, tibi familiares reddes; Christus enim exemplum tibi dedit, ut quemadmodum ille fecit & tu similiter facias; cum servus non sit major Domino suo, & discipulo satis sit, si sit sicut magister ejus.

DOMINICA II.
post Pentecosten.

1. Homo quidam fecit cœnam magnam. Lucæ 14.

MAgna cæna Sanctissimum Sacramentum est! Cœna, quia institutum in ultima Christi cæna est; Cœna, quia post illam, nullus in hac vita dignior divinior que datur cibus? Magna cæna est, non carni sed cordi, non oculo sed fidei. Magna, quia magni Authoris. Magna, quia magno & miro artificio facta. Magna, quia totius omnipotentiæ sinum est complexa. Magna, quia totum Deum & hominem continet. Magna, quia omnibus Communis; non solum magnis sed etiam parvis proposita; opposita videlicet cænis hujus sæculi Regum, qui ad suas epulas pauperes non admittunt, eò quod cænæ ipsorum parvæ sint, solis suffecturæ magnatibus, pauperibus nequaquam, Magna, quia magnam requirit in accedentibus præparationem; sine veste nuptiali accessus ad eam non datur. Bene itaque apprehende, quanta & quam magna hæc cœna sit, & quantus tu, qui ad eam festinas.

2. Homo quidam fecit cænam magnam.

MAgna cæna vita æterna. Cæna est, nam nullus post eam labor est, sed sempiterna quies, & laus Dei in sæculorum sæcula. Magna est, quia illa cæna, Deus ipse est, quo nihil majus est? Audi Christum dicentem: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti JESUM Christum: cognoscant per visionem beatificam, per possessionem æviternam. Magna, quia magno pretio, Christi JESU videlicet sanguine, nobis empta est: Magna, quia à constitutione mundi parata est. Arca quidem Noë centum annis fa-

nis fabricata est, at vita æterna ab initio mundi facta est, quæ ergo major machina est? Magna, quia sola talis est, sola æterna, sola omnibus referta bonis, omnibus vacua malis est. Magna est, quia major omni spe, omni cogitatione, omni æstimatione, omni voto; quam oculus non vidit, quamq; auris non audivit, &c. quia nihil in ea nisi magnum. O Israël, quàm magna est Domus Dei & ingens locus habitationis ejus! hæc recordatus sum & effudi in me animam meã, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum magnam magni Dei.

3. Et vocavit multos.

QUare vocavit multos? quia magnam cænam paravit. Ad cænam enim magnam, multos vocare decet: alioquin, quorsum magnitudo, si non esset multitudo? Vocavit multos qui & me non prætermisit. Quis ego qui vocatus sum, quasi à cæna illa magna abesse fas non esset? Certè multos vocavit, cum & me, (qui plurimùm id promerueram) non neglexit. Vocasti ergo me ad cænam tuam Domine; sed quomodo respondebo tibi, quomodo accedo ad te, vel potiùs quomodo cæna tua contemnitur à me? Rogandus eras ut vocares, at non rogatus, me vocasti, & tamen te vocantem contemno. O an usquam sub cælo tanta est ingratitudo! Incipe tandem Anima dignè ambulare vocatione eâ, dignè Cænâ magnâ.

4. Misit servos suos dicere invitatis.

ET tu unus ex servis ejus es, missus ab eo ad invitatos, Hem quomodo tuo fungeris officio! dicisné invitatis, an quenquã tua culpa negligis? dicisné in tempore; Hora cænæ est, omnia parata sunt. an siles? Missus es, cur non clamas, cur dicere cessas; Omnia sunt parata, Quid à te non monito respondebis? nonne væ tibi est, si non Evangelizaveris? Prædica ergo verbum, insta opportunè, importunè ministerium tuum imple, ne sanguis alienus de manu tua requiratur, omnino enim anima tua, pro anima illius, imò anima tua, cum illius peribit.

5. Omnia parata sunt.

APud Deum parata sunt propter me omnia, sed ego ad Deum accedere imparatus per omnia, Quid enim paratum in me? num anima aut Spiritus? num corpus? num voluntas aut affectus? num sensus aut vita? omnibus vestis nuptialis deest, non est oleum in lampade; Domus consummata non est, nec super Petram, sed, eheu! super arenam ædificata! ubi structura ex auro & argento, lapidibus pretiosis? ubi fructus centesimus in patientia datus? ubi lucrum ex negotiatione? Deus meus qui parata propter me habes omnia, fac & me paratum ad omnia, En Stolam primam perdidi, en annulo careo, en nudus sum. Dissipavi substantiam omnem; Audio quidem vocem servi tui invitantis me, sed ego villam emi, terrena videlicet diligo, terrena sapio, adhæsit terræ venter meus. Emi quinque juga boum, inutilibus me impendi occasionibus, sæcularibus me implevi negotiis. Duxi uxorem, propriam voluntatem meam, nec mei potestatem habeo, venire nullo modo valeo; voluntas quippe mea inimica tibi est, & amor proprius, æmulus tuus: Si verò c[illegible] hoste tuo ad te veniam, certè non in veste nuptiali, quæ charitas est, veniam, sed in veste discordiæ.

6. Et cœperunt simul omnes excusare.

COnsidera & stultitiam & ingratitudinem, quam sæpe in Deum tuum ostendis. Stultitiam, dum Deus Dominus tuus te ad cænam suam adeò magnam, adeò rebus omnibus instructam invitat, tu & cœnæ magnitudinem spernis, & Dei invitantis benevolentiam contemnis, levissima & vilissima prætendis negotia. Nõné hæc rustica est stultitia, Regios cibos, brassicis suis postponere? nonné mentis motæ, ac demens es, quominùs Deo placeas, & ejus in gratia crescas, minutiis & negotiorum quisquiliis te avocari finis. Ingratitudo verò quæ est tam barbara, quàm quæ contemptibus Divinam liberalitatem pensitat, quæ tantos tui excipiendi causa profudit sumptus, tu verò omnia in irritum recidere permittis. Manat sanguis Christi in salutem tuam, fluunt torrentes gratiæ, tu verò omnia despicis, acsi nec divina essent, nec quidquam tibi prodessent. Cessa ingratus esse, & noli tibi thesaurizare iram in die iræ, & cor impœnitens, sed potiùs pro mensura gratiæ tibi à Deo communicatæ insiste devotioni quærendæ; nam alias, ubi abundat gratia, superabundabit delictũ, & tandem aliquando supplicium.

7. Adhuc locus est.

VEri Servi Dei, veri proficientis hæc vox est, Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Verus proficiens nunquam se comprehendisse arbitratur, sed semper locum superesse proficiendi videt, semper gratiam Dei superabundare cernit; videt in domo Dei mansiones multas & varias esse, gradusq; gloriæ in-

riæ infinitè majores esse quàm meritus sit, ac proinde, Spiritu ac profectu ita fervet ut quantumcunque sumpserit, adhuc justitiam esuriat, quantumcunque profecerit, adhuc locum esse dicat. Exit in vicos, exit in plateas, & quoscunque cæcos, claudos, debiles ad cænam Domini introducit & tamen adhuc ei locus est, omnia fecit quæ & alii, & eo modo quo & alii, nec tamen contentus quiescit, sed etiam ea quæ aliis vilia, quæ aliis contempta & in plateis abjecta sunt, ipse perficit, etiam ea quæ alii ut cæci non vident, in quibus claudorum instar tardant, in quibus quasi debiles deficiunt, ipse exequitur; undique meritorum materiam jam conquisivit, & tamen adhuc ei locus est, adhuc se plus proficere posse videt. Talem mihi ô Jesu fervorem, talem mihi affectum & famem tribue.

8. Nemo virorum illorum gustabit cænam meam.

HOrribilis quidem comminatio, sed justissima indignatio. Quid enim hic homo ultra facere potuit quod non fecit hospitibus suis invitatis? Quid debuit Paterfamilias ultra facere vineæ suæ & non fecit? quæ tamen pro uvis protulit labruscas, & invitati, ne venirent, nugacissima prætenderunt negotia. O filii Belial, quorum cor non est cum Domino, meriti estis audire, nemo gustabit cænam meam; veniet tempus quando vos stultitiæ vestræ pænitebit, cupietis venire ad cænam, pulsabitis januam, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis! desiderabitis gustare, sed nemo vestrum gustabit, dicetur vobis, Non novi vos. Heu mihi! qui toties vocatus toties renui, quid aliud exspectem, quam illud, Non gustabis cænam meam? Incipe itaque aliquando respondere vocanti Deo.

DOMINICA III. post Pentecosten.

1. Erant appropinquantes ad JESUM peccatores. Luc. 15.

QUis? ad quem? quæ conjunctio Christi cum Belial? quæ lucis cum tenebris? At quidni appropinquarent peccatores ad Jesum, cum Iesus appropinquet ad peccatores, & non appropinquet solum, sed & maneat cum illis, manducet cum illis, manducetur ab illis. Quis credat eo pervenisse peccatorem, ut manducare audeat Corpus Jesu? En audet, quia sic manducanti expedit, quia sic voluntas ejus est, qui manducatur, qui ait, Peccator non vives, nisi manduces; Quis ergo non audeat? At non sum dignus, dices, verum, ut sis dignus, ipse respondet, Manduca, Quid prætendes amplius! Appropinqua itaque ad Jesum, & eum manduca corde, affectu, & ore.

2. Erant appropinquantes.

VIde ut surgunt peccatores & publicani & appropinquant Jesu, ut rapiant regnum cælorum, Surgunt Cameli, deponunt gibbos suos, & contendunt transire per foramen acûs, satagunt intrare per angustam portam. Hem verò quæ mea tepiditas, quæ mea cæcitas! Peccatores me antecedunt ad Jesum, ferventiores sunt in salute procuranda quàm ego, illi qui curis multis sunt gravati, qui terrenis implicati, qui multis negotiis & difficultatibus sunt intricati, accurrunt ad Christum, frequentes sunt in templo, in audiendis concionibus, in eluendis criminibus studiosi, in oratione assidui, summis Deum obtestantur modis, totos se effundunt in lacrymas, prolongant vota, multos gemitus ducunt, immoti persistunt, & quasi in precando luctantur cum Deo, vim cælo faciunt. At ego à sæculo & omnibus ejus laqueis expeditus, inque Christi familiam adscitus, deses jaceo, & velut jumentum in stercore putresco, langueo in torpore, & ex ore Dei evomor cum dedecore. Eheu in tenebris sum, cur non propero ad lucem? palmes aridus sum, cur non unior Viti? Ovis errans sum, cur non Pastorem requiro? Famesco, cur non ad cibum festino? Cervus saucius sum cur non ad fontem vitæ accurro? En taberna mercatoria patet, omnibus referta bonis mercibus, emitur sine pretio & argento, & sine ulla commutatione, appropinquant peccatores & publicani, Ego verò qui maximè egeo, appropinquare ut emam, nolo.

3. Ut audirent illum.

JUstissima fuit Publicanis ad Jesum appropinquandi causa, unde etiam liber illis apud eum patebat aditus; nam ideo ad Iesum appropinquarunt Pharisæi de quibus Christi scriptum testatur. Populus hic labiis me honorat cor autem eorū longè à me est. Sed nonne & tu Pharisæus es, qui fastidis sacras lectiones, erubescisque pias collocutiones, respuis salutares monitiones, piget audire divina, conciones. Pudeat te à publicanis & peccatori-

catoribus superari, qui ut Iesum audirent, ad eum appropinquârunt.

4. Hic peccatores recipit.

QUis peccatores recipiet, si Jesus eos rejiciet, aut à Iesu sunt recipiendi, aut à diabolo possidendi. Quid mali facit si peccatores recipit? sed manducat cum illis? quid hoc mirum cum ipse manducetur ab illis? Cibus peccatoris est Jesus, & cibus Iesu peccator; Peccatoris est Iesus, ut in Iesu crescat & vivat, Iesu verò peccator, ut ei gaudium ferat. Agnoscimus tuam Iesu benignitatem, etiã tuis hostibus mirabilem; quia proprium tuum est peccatores recipere. Non capiebant illi quomodo nequitiæ jungeretur sanctitas, sed ideo non capiebant quia superbi & animales erant, non autem animalis homo percipit ea quæ sunt spiritûs. Quid verò dulcius hac voce, Hic peccatores recipit! det mihi quis hominem omnium quadrupedum nequissimum, desperatum planè ac depositum, his vinculis immutabitur, Hic peccatores recipit. Non itaque despera Anima si peccas, si deficis non proficis; Iesu confidenter appropinqua: en peccatores recipit, en ovẽ centesimam tanto labore, tanto sudore quærit, inventam humeris imponit, caulis infert, propter drachmam unam, totam evertit & everrit domum, quid non faciet propter te, toto mundo in oculis ejus potiorem. O Beata tua pie Iesu mansuetudo, quam dulciter dilexisti nos! Ego scelestus tanto tempore in tua schola manens, hanc tuam mansuetudinem nondum didici.

5. Donec inveniat eam.

NOn est contentus ovibus nonaginta novem, non satis ei est dimisisse illas in deserto, nec satis est quærere unam, sed tamdiu quærere, donec inveniat eam, quæ perierat. Quanta tua Domine Iesu in quærenda mea salute cura est? habes millia millium tibi ministrantium, attamen me unum ita quæris, quasi aut ego omnibus illis essem major, aut tu neminem haberes, qui dignè tibi ministraret. Proh! quid non facis, quas non vias & rationes inis, quibus me ad serviendum tibi inducas! Non possum non fateri, non tantùm me infinitis modis obstrictum esse, ut tibi serviam, sed etiam ut in tuo obsequio quotidie ferventior & robustior fiam. Si enim tu Redemptor meus, me tamdiu quæsisti donec me invenires, utique ego tamdiu proficere teneor, donec tibi placeam; donec sim Servus perfectus, donec ex toto te diligam corde. Si me quæsisti usque ad mortem, & sanguinis tui effusionem, utique ego tibi servire debeo usque ad corporis mei defatigationem.

6. Gaudium erit in cælo super uno peccatore.

VIde quantum sit bonum pœnitentia vera, quæ & nonaginta novem justis unũ peccatorem æquat, eisque in Sanctitate parem facit, eò quod eum ex certiori periculo liberat: Melior est enim peccator humilis, quàm justus superbus, qui se pænitentiâ non egere putat, ut Pharisæus ille Publicani contemptor fecit. Quis autem peccator humilis est, nisi qui perpetuò commissa deflet, & deflenda committere cavet. Tu itaque si justus fueris, noli elevare caput, quoniam non difficile Deo est de lapidibus suscitare filios Abrahæ; time omnia opera tua, sciens quia peccantibus Angelis Deus non pepercit; sed rudentibus inferni detraxit eos; nec præsumas de tua justitia; quia auferetur abs te misericordia, quâ sublatâ, omnes justitiæ nostræ, sunt tanquam pannus mẽstruatæ; omnes quippe peccavimus, & egemus gratiâ Dei.

7. Gaudium erit Angelis.

VIde quantopere ament nos Angelici illi Spiritus, qui tantùm de nostris gaudent bonis, tantùm gaudent, quando cõvertimur, quid putas quantùm curent ne avertamur? Contristasti aliquando Angelos, maximè Custodem tuum, cùm caderes in peccatum, cùm fugeres à Deo, fac gaudium eis, tuâ conversione ad Deum; Lacrymæ enim pœnitentium vinum sunt Angelorum, vinum autem lætificat cor; quare ut Angelos crebrò lætifices, crebrò illis vinum pœnitentiæ propina.

DOMINICA IV. post Pentecosten.

1. *Exi à me Domine quia homo peccator sum.* Luc: 5.

FAteor etiam si nolim, clamat Veritas, Peccator sum, ut quid ad hominem peccatorem divertis? Exi à me Domine. Video te equidem in altari positum exspectare me donec veniam ad te & suscipiam te: Ut quid exspectas? an pauci alii me meliores ad quos divertas Domine? Si verò nihilominùs tibi placet venire ad me, Exi à me Domine, & veni ad me Miserator Deus: Exeat Dominus, & veniat Misericors; non sustinebo præsentiam Domini, manum requiro miserantis.

rantis: Hæc si verè dicere convenit antequam te suscipiam, quantò verius postquam Te suscepero.

2. Duc in altum.

O Cor meum, non species externas considera, interiora attende; non oculos, sed fidem consule! Duc in altum; Deus istic latet sub velo quod spectas, Corpus Christi est, sub Pane qui videtur. Et licèt ore Carnis sumatur, Animæ tamen cibus est. Duc itaque in altum, nec quali quali devotione, puritate, aut desiderio contentus esto, sed nervum amoris, devotionis, ac desiderii ad supremum intende, omniaque cordis interiora scrutare, & quidquid Deo displicet ejice, quidquid placere potest arripe. Hæc si præstare nequis, humilitate supple, & saltem cogita quantùm inter te & illum quem recipis, intersit.

3. Duc in altum.

PArùm est quidquid hactenus à te factũ est, non sufficit quæcunque perfectio, in altum est ducendum, ad summa tendendum, nihil Sanctitatis quod Divina gratia consequi possis prætermittendum, heroicis actionibus, virtutum habitus insignes sunt radicandi, ad imas radices passionum securis apponenda, fibræ evellendæ, timendum peccatum etiam ubi non est; Hoc enim est ducere in altum. Semper tibi displiceat quod es, si vis ad id pervenire quod non es, Quid autem illud est quod non es? infinitum est; & quid illud est quod es? nihil in comparatione illius quod esse possis, potes. Si mille habeas vitas, mille salutes, mille robora, velles autem hæc omnia pro unius animæ salute profundère, sique scires te damnãdum, & hoc ipso ad Deum amandum trahereris, hoc ducere in altum est. Duc in altum: Inspice Instituti tui Regulas, quę eam exigunt perfectionem, ut quantumcunque profeceris, nondum eas expleveris; adeò sunt altæ, & adeò in altum ducunt! Duc in altum, nec facilè ad littus redibis; ea enim causa est, cur tam sæpè, licèt bene agere incipias, tam facilè ad mala defluas, quia in altum non ducis, quia ex intimo corde & animi detestatione peccata tua defectusque quotidianos non deflès, quia virtutis pulchritudinem medullitus non amas, nec ad perfectionem consequendam anhelas.

4. Per totam noctem laborantes.

TRiplex inanis istius laboris causa est; Absentia Christi, Retia non lota, & Nox. Labor est perfectionem quærere, si in hoc labore non proficis, certè causam ex his tribus saltē aliquam esse existima: Christum in navi non habes, si proprio sensu abundas & regeris, si perfectionem ab Instituto alienam quæris, si in via salutis inordinatus; hoc est si neglectis internis, externa sectaris, vel privatas quidem devotiones ferventiùs peragis, communia verò negligis. Retia lota non sunt, si immunda est conscientia, si caro immortificata, si sensus laxati, si anima in levibus peccatis admittendis libera, si garris, quando & quantum & quibus de rebus vis, si levis, si jocosus, mordax, murmurator, dijudicator es. Si in oratione rarus, si indevotus, segnis, tepidus es, retia lota non habes, ac proinde lava illa ut proficias, lava lachrymis, lava confessione, novo fervore, vitæque emendatione. Nocte denique laboras, si nec intentionem ad Deum dirigis, nec ab eo postulas lumen in intellectu, amorem efficacem in affectu, si laudes hominum aut vanam gloriam spectas, si duceris aspectibus humanis, tum ad malum faciendum, tum ad bonũ omittendum; Si ægrè alienis acquiescis consiliis, tuo solùm nixus judicio, certè nocte laboras; Quare ad Deum clama in his tenebris. Mane nobiscum Domine, Et nos illustra lumine, pulsâ mentis caligine, Tuâ replens, dulcedine.

5. In verbo tuo.

DUæ hic ad summos, gradus Petri deductæ sunt Virtutes, Altera Obedientia, Altera Fiducia, Tota nocte laboraverat, seque egregiè fatigaverat, tamen promptissimè in verbo Christi laxat rete, en Obedientiam: Rursus labore totius noctis didicerat, se posthac frustra laboraturum, nec videbat cur de die meliorem successum speraret, tamen erigitur in spê contra spem, & laxat in verbo Christi retia; en Fiducia. Ubi verò tu, qui ad obedientiam venisti, & Divinam Providentiam circa te, etiam in rebus minutissimis toties es expertus, necdum tamen aut promptè obedire aut in Deo animosè sperare didicisti. O Domine, doce me in verbo tuo, quàm celerrimè laxare retia, inque te sperare semper, & facere bonitatem.

6. Laxabo rete.

MUlti quidem in verbo Christi retia in mare mittunt, qui tamen ea non laxant in capturam; nam licèt ea quæ jubentur faciant, tamen ob murmurationem nihil illo opere apud Deum merentur, aut pręmii capiunt. Quare non solùm in verbo Christi rete mittendum, sed & laxandum id est,

id est, promptè, fortiter, animosè, hilariter obedientia exercenda est.

7. Exi à me Domine.

EFficax Christi præsentia est. In verbo ejus pisces capiuntur; precibus ejus navicula à terra reducitur; assistentiâ ejus, Cor Petri compungitur, ad summam humilitatem deprimitur. Si corde cares contrito, si humili cares affectu, præsente cares Christo; si fructu laboris tui frustraris; si navis mentis à terra non potest abduci, præsente cares Christo. Exi à me quia homo peccator sum. Exi quidem ò Iesu à me peccatore, sed mane apud me pœnitentem! Pelle & deterre me peccantem, sed recipe, inhabita, perfice, & confirma me resurgentem.

Antitheses Divi Petri & Animæ Proficientis.

1. Petrus jubetur ut reducat à terra pusillum. Ego rogor ut educam in terram pusillum navem meam, ipsamque exponam ad Solem, sicubi egerit rimas.

2. Petrus etsi tota nocte laboraverat, tamen ad Christi concionem properat: Ego si quid laboro sive facio, statim quietem exigo, solita exercitia negligo.

3. Petrus reducit à terra in gratiam Christi, gratis, fessus; Ego tam intractabilis sum, ut nisi merces statim labori sit, nolim laborare.

4. Petrus rogatus, reduceret pusillum à terra, reducit etiam in altum: Ego autem cogor & rogor reducere pusillum à terra proprium judicium; pusillum frenare linguam: modicum quid gulæ & ventri subtrahere, nec tamen volo.

5. Petrus descenderat & ex proposito lavabat retia; Ego conscientiam, vitam, mores, opera mea, cursim tantùm obiterque exploro.

6. Petrus à terra reducit; Ego ad terram affixi, anchorasque jeci; & quid prodest navim instructam esse, flare idoneos ventos, si affixa sit littori.

7. Petrus totâ nocte laborans nihil capit, nec tamen murmurat: Ego labores omnes molestè fero, rejicere constituo &c. Proh quantùm nocte laborant hæretici, ut perdant animas suas & alienas, mihi autem quàm facilè venit fastidire laborem? Non memini me pro Dei causa, pro æternitate laborasse.

8. Petrus cum cæpisset pisces nimios, annuit Sociis, licèt secum nō laborassent; Ego si cui bene sit, invideo, & dolori mihi est, promotio & reputatio alicujus, præsertim si inferior sit ætate, gradu, &c. Utinam discam aliquando ex corde amare aliena bona.

9. Petrus captis piscibus, annuit Sociis, non clamat: Ego silere non possum, quocunque venio, quacunque occasione, linguam levo, garrio.

10. Petrus jubetur ducere in altum, obedit, non arguit Christum indiscretionis, sed ait, In verbo tuo &c. non facit conventionem. Ego autem si quid mihi extra ordinem jubetur, indiscretionem voco, paciscor de pretio.

11. Petrus dixit Exi à me Domine, non suo labori adscribit: Ego si quid mihi succedit, vel alteri propter me, mihi adscribo: Si inquam, non ivissem ego, non fuisset illa res in recto statu.

12. Petrus captis copiosis piscibus omnia relinquit Christumque sequitur: Ego autem nec in abundantia modum, nec in penuria patientiam servare scio.

13. Petri solius navim Christus conscendit, neque id molestum Petro; Ego autem dico, nesciunt Superiores mei recursum præterquam ad me, quasi solus sim.

14. Petrus in verbo laxat rete, non rationes, non imperia exspectat, nec adfert excusationes: Ego autem volo rogari; nec à quolibet, sed a Superiore in propria persona, exigo omnium causas & rationes.

15. Petrus ex omnibus auditoribus Cōcionis Christi maximum fructum cepit, ut patet ex prædictis, idque cum adhuc novitius esset: Ego tamdiu, toties, cum Christo permanens, quantùm profeci?

16. Petrum, Christi ingressus, in alium mutavit: Ego quotidie Christum recipio, neque tamen immutor, neque quidquam proficio.

17. Petrus quia laboriosus fuit à Christo evectus: cum diceret, Duc in altum. Ego verò quia mei amans sum, ideo ad littus hæreo.

18. Petrus semel sibi videns à Christo in captura piscium benedictum, mox tantam beneficii expensam videns, de redditione cogitat, & parem se non videns, totum se dat, Christum sequitur relictis omnibus: Ego toties Dei expertus favores, tamque multa videns à Deo propter me expensa, nihil omninò fructûs Deo vicissim reportavi. Et in quotidiana quidem, aut hebdomadaria rationum subductione, damnum minus elucescit, at in semestri, vel annua Computatione, quantùm defecerimus, luculenter apparet.

DOMINICA V. post Pentecosten.

1. *Nisi abundaverit justitia vestra.* Matt: 5.

PRorsus meritò negas cælum Domine Jesu iis, quibus etsi tantopere abundant auxilia ad salutem, non tamen abundat justitia plusquam Scribarum & Pharisæorum, quomodo enim excusabiles esse possumus? qui toties ad Fontem Salutis, ad Fontem Sanctitatis, justitiæ, omnisque perfectionis & virtutis accedentes, & de eo quantùm placet potantes ac haurientes, tamen vel nulla, vel valde modica incrementa in justitia nostra sumimus. Erubesce anima mea in conspectu Salvatoris tui Christi Jesu, tuamque ipsius ad pedes provolvito ingratitudinem ac negligentiam. Fatere, atque deplora, quod toties ad Sanctissimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini accedens, nihil tamen proficias in virtute, non abundes in justitia plusquam unus è Pharisæis. Excita in te, ô anima mea, fervorem, & te cum omni diligentia præpara, ut accedens ad solem Justitiæ, quàm plurimos ejus radios in te recipias, & metue ne aliquando istæ tuæ tam frequentes communiones sint tibi in perditionem.

2. Nisi abundaverit justitia vestra.

REvoca in mentem, quanta fuit Pharisæorum justitia; quàm exacta in mandatis, quam scrupulosa in ceremoniis, vigilans in orando, effusa in eleemosynis, diligens in Sabbato sanctificando, justa in decimis reddendis, pia in Sepulchris Prophetarum ornandis, quæ omnia cum ex variis scripturæ locis, tum ex illo Pharisæo in templo orante cum Publicano colligere est. Et tamen Christus dicit, Nisi abundaverit justitia vestra plusquã Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum; quasi dicat; Cum ista Pharisaica virtute & perfectione, etsi illam habueritis, salvi non eritis. Deus Bone quid mecum fiet? qui nec talem justitiam habeo! illi cum sua non salvabuntur, ego salvabor etiam sine illa! Sola Pharisæis obest ostentatio ne salventur, at mihi obest etiam hoc, quia non habeo quod ostentem. Disce hinc, quàm terribilis sit Deus in judiciis super filios hominum, quod etiam justitias sit judicaturus; Disce aliquando quod etiamsi justus fortè fueris non debeas elevare caput, sed magis cum timore & tremore operari salutem tuam. Disce etiam hinc, fugere vanam gloriam, propter quam, Pharisæis justitia sua nihil profuit, quia receperunt mercedem suam. Solidas tu quære virtutes, & noli tubâ canere ante te; quod facit dextera tua, nesciat sinistra; in omni opere da confessionem Sancto; Da gloriam justo Deo; vanitatem Diabolo; tibi nihil reserva.

3. Ego autem dico, omnis qui irascitur.

ADverte, in quo debeat abundare justitia tua plusquam Scribarum & Pharisæorum. Illorum fuit justitia, Non occides, tua debet esse Non irasceris, non dices Fratri tuo Racha, non dices Fatue. Securis ad radicem apponenda est: Ut nõ occidas, non maledicas, noli irasci; si iratus es, si maledixisti, peccasti, & ita quidem ut nec munus offerre possis Deo, antequam reconcilieris. Hæc est justitia plusquam Scribarum. O quantùm distant sensus nostri in hoc genere à verbis Christi! longè sunt aliæ mundi leges, quas observamus. Quid tu facies anima mea in Christi judicio? quid interrogata de tam frequenti impatientia & ira, aut contentione? Quoties cædis fratrẽ tuum clam, palam, joco, seriò, in faciem, apud alium, apud teipsum? quoties fatuum vocas, quoties ultionem meditaris, conquereris sine causa, excandescis, unicum ob verbum, factum ex sola suspicione; nonne hæc quotidiana apud te, levia sunt, quæ tamen asserit Christus digna judicio, digna concilio, digna gehennâ ignis inextinguibilis. Medere ergo aliquando tuæ impatientiæ, mortificatione, contemptu tui, æstimatione fratrum, exemplo Christi, memoriâ offensarum abs te Deo factarum.

4. Si recordatus fueris quia frater tuus &c.

COnsidera utilitatem Examinis conscientiæ quæ his verbis innuitur. Quomodo enim recordaberis offensæ quam frater tuus habet adversum te, nisi tu reflexeris te super opera tua, illaque diligenter examinaveris. In Examine enim recordamur, tam bonorum quam malorum quæ fecimus. In eo cognoscimus quænam in nobis Deo displicet, quænam proximum à nobis alienant: quorum posterius, tanti fecit Deus, ut malit honorem cultumque suum negligi & interrumpi, modò proximo fiat satis. Iam tu hîc inspice, quoties, & qua cum diligentia quové fructu ex instituto Tuo examen facere teneare, & quo item modo id defacto exequi soleas, an cum pudore, dolore, emendatio-

datione, diminutione defectuum, efficacia propositorum, an verò tantùm superficie tenus,& cursim & ex usu. Ubi enim interna illa in te tuisque factis dignoscendis perspicacitas & acies? unde ista cæcitas Spiritualis? unde immunditia cordis, unde copia defectuum? nisi quia non sentis mala tua? non sentis,quia non nosti, non nosti, quia non examinas. Ergo excutias te sine dolo, sine adulatione, sine palpatione, suspendito cogitationes tuas in equuleo, vide quid egeris, quid dixeris, quid cogitaveris, vide quid agere debueris? quomodo egeris? quid omiseris? sic tibi in te intento nunquam lascivire licebit.

5. Reus erit gehennæ ignis.

HEu! quis poterit ex nobis cum igne devorante habitare in gehenna, seu valle tristitiæ, ubi ignis & sulphur pars calicis eorum, mors depascet eos in stagno ignis ardentis, ubi est mors secunda, mors æterna, infinita, continua, mors crucians non tamen excrucians, necans non tamen enecans, consumens non tamen absumens. Ingredere anima mea in infernum vivens, ne descendas moriens, isticque morare tantisper donec apprehendas quàm malum sit dereliquisse te Dominum Deum tuum, neque timuisse eum, qui postquam occiderit corpus tuũ habet potestatẽ mittere te in gehennam. Quantus ergo erit dolor, carere visione beatificâ ad quam creatus sum, ad quam tot gratiis, auxiliis, ac mediis invitatus sum, & nolui ad illam ire propter meam negligentiam, malitiam, stultitiam? Quãtus dolor erit, vivere inter tetras illas dæmonum, hostium Dei larvas, & portentosas monstruositates? Quantus erit dolor, carere consortio Sanctorum, manere autem inter damnatos Deum blasphemantes! Quantus dolor erit repleri omni inexcogitabili amaritudine, furore, rabie, desperatione, Divinæque Majestatis contemptu, & diabolicâ blasphemandi audaciâ ac obstinatione! Quantus dolor carere deliciis cæli, & natare in tormentis inferni! quantus est dolor non sequi agnum ad fontes vitæ aquarum, sed sequi Leviathan, Behemot, & Beelzebub dæmoniorum Principes, de stagno ignis in stagnum nivis! Exhorrescite membra corporis & contremiscite omnes potentiæ animæ, & orate ut liberemini à malo illo. Væ enim illi, quem illud væ continget, quia in inferno nulla redemptio. Et quid prodest Christum nunc sequi, si non datur consequi? melius erat si natus non fuisset homo ille. Domine hìc ure, hìc seca, in æternum parce.

6. Vade priùs reconciliari fratri tuo.

COnsidera quantùm Deus requirat concordiam cum proximo & quantum bonum sit habitare fratres in unum. Nolo, ait, Christus oblationem tuam, relinque munus, ubi etiam ab altari meo, reconciliare fratri tuo. Ubi adverte, non dici, Si recordatus fueris quod aliquid in fratrem peccasti, sed si recordatus fueris quod aliquid habeat adversum te frater tuus, sive tu offenderis, sive ille, sive justè sive injustè habeat aliquid adversum te, vade prius &c. quod ideò à Christo dictum, ne effugia nostra politica locum habeant. Ego nihil habeo adversus illum, amo illũ, non illi quidquam injuriæ intuli, ipse læsus sum potiùs ab illo. Non est hæc Christi exceptio, absolutè dictum est. Si recordatus fueris quod frater tuus aliquid habet adversum te, vade prius &c. Vide ergo, an te expediat tuas potiùs calvas excusationes, an Christi propositiones observare?

7. Tunc veniens offeres munus tuum.

QUod munus? non tam illud relictum quàm novum allatum, munus inquam amoris, Concordiæ, pacis, mansuetudinis, munus humilitatis, munus patientiæ, munus obliteratæ injuriæ. O munera gratissima Christo! sine his ad cælum malè acceditur, Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Si filii Dei erunt, etiam munera eorum grata erunt. Vade & tu fac similiter.

DOMINICA VI. post Pentecosten.

1. *Misereor super turbam.* Marc: 8.

COnsidera anima mea Jesum residentem in monte modico, hoc est, Panis speciе, stipatumque discipulis suis, scilicet immensis Cælitum choris, ab illius Sapientiæ ore pendentibus, aperire illos benignissimos oculos misericordiæ & miserationis, eosque super multitudines hominum, superque multiplices miserias ipsorum (ac potissimum super tuas quæ maximæ sunt infirmitates) ponentem cõmoveri mirabiliter ad benefaciendum omnibus, nec valentem dissimulare vehementiam affectûs, exclamare; Misereor super turbam. Ex quibus verbis intelliges, ô

ges, ô anima mea, quàm bonum Dominum habemus, quàm ad benefaciendum facilem, nam ad quid aliud prostat istic in altari, nisi ad hoc ut misericordiam suam effundat, si modò adsit qui dignè hauriat. Vis misericordiam? accede, Fons ille est, si sitis bibe. Horreum & penu est, si esuris, comede: Thesaurus est, si pauper es, sume: Ignis est, si alges calesce; Medela est, si ægrotus sanare. Denique, ait, Misereor super turbam, id est, scio in hac turba multos esse miseros & variè afflictos, ego autem omnium misereor, nullum planè miseriæ & afflictionis genus excipiens. Hic tu etiam anima mea ingredere in ista Jesu Christi viscera misericordiæ, tam late patentia; & cogita quam bene fuerit tibi, à tua infantia usq; huc, manere in ista domo! quoties tu iram Dei & pœnam merueras, & tamen hæc domus te tenuit, cujus nomen est misericordia, cujus inscriptio, Misereor: semper scilicet, omni tempore, omni ætate, omni culpâ, omni malo, omni genere miserationis, dans & Corpori & Animæ vitam, victum, esse naturæ, gratiæ, gloriæ jucundum, utile, honestum, omnia. Vide igitur quàm dignè ad hanc misericordiæ domum, arcemque accedas! Conare quàm dignissime venire, quod si te indignum agnoscis, aude tamen ingredi, sciens quia porta Domus hujus Misereor vocatur, & fatere lubens Christo, quod tota vita tua & totum esse sit aliud nihil, quam juge & continuum ejus Misereor.

2. Misereor super turbam.

COnsidera quàm vere à Davide dictum sit, à Divo Francisco usurpatum, illud; Jacta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet; item illud; Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. An non locus iste pascuæ, ubi septem panibus 4000. hominum pasta sunt? & quidni tu fidas certissimæ Dei providentiæ? Sanè D. Jesus meliùs novit necessitates tuas, magìs te amat quã tu, plus potest quàm tu, ergo etiam faciliùs, meliùs providebit, quàm tu, fide ergo illi.

3. Misereor super turbam.

COnsidera quam item verè dictum sit illud à Christo Domino; Primùm quærite regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Exemplum habes in hac turba, oblita cibi corporalis quærit cibum animæ. Christum triduo sustinent audiunt, sequuntur. Quid Christus? O turbæ, cibum animæ quæritis, corporum obliviscimini, Misereor super turbam; utrumque illi panem me suppeditare oportet, ut fidelis in meis verbis inveniar: dabo cibum animæ, adjiciam cibum corporis, hic tu disce, quod si serius aut accuratus esse voles in iis quæ ad Deum & animam pertinent, Deus tibi in copia adjecturus sit ea, quæ corpori necessaria sciet.

4. Misereor super turbam.

COnsidera quam dulcia esse debeant verba hæc animæ pænitenti, Misereor super turbã. His enim verbis aperit Christus viscera misericordiæ super peccatorem; plane ut mater, videns lugere infantem, ejus lacrymas ubere cohibet, eumque demulcet, veluti mater plena lactis habens ubera, quærit lactentes quamvis alienos, eosque lactat. Sic etiam Dominus Jesus, habens plenum misericordiæ pectus, quærit illam super turbas effundere. Unde etiam non miseretur super Apostolos, quia nempe non opus erat sanis medico, sed male habentibus, quos sine dubio in turbis videt esse non paucos. Utinam Domine Iesu, oculus tuæ misericordiæ intueatur aliquando turbã meam, & dicat, Misereor super turbam! revera enim pro sua perturbatione vehementi & frequenti non habent quod manducent; & si tu dimiseris eam jejunam, deficiet in via; quæque nunc aliquantùm te sustinet, adhærens tibi & ambulans post te, postea nisi tu adjuveris, sique iniquitates ejus observaveris Domine, quis sustinebit? Adjuva nos Deus salutaris noster, omnes quicunque tibi confitemur miseriam nostram, de longè venimus ad te, de portis, mortis & inferni faucibus conversi, nondum sani planè & firmi, sed adhuc antiquorum scelerum percussi ulcere & turbati conscientia memoresque pristinarum mundi & carnis sordium, lento gressu venimus ad te, ut obtineamus misericordiam. Revertimur ad te placatum à te irato, ne rejicias, ne repellas nos in finem à facie tua, neque etiam confundas preces nostras ante Te;

5. Misereor super turbam.

MIseretur super turbam præsentem, qui misertus fuerat ante super eandem absentem, an enim non misericordia illius est qui præsens illi est? ita omninò; misertus erat turbæ ut ad illũ veniret, nunc miseretur ut apud illum perseveret. Venisti ad Deum anima mea, misericordia illius est, quia dicit Christus, nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Pater utique misericordiarum, & rursum. Nemo venit ad Patrem, nisi per me, qui

sum

sum ipsa Patris misericordia. Ergo misericordiæ Dei sunt, quia consumpti non sumus in sæculo, non computruimus in peccatis, non damnati cum hoc mundo! Sed putasne propriæ tuæ virtutis est, quod apud illum perseveras, & perseverare vis? Et quidem tua hoc loco peccata jam merebantur ejici, nunc unà tecum, quoniam in Domo Domini fecisti scelera multa, & in domo Sanctorum iniqua gessisti, sed tamen hucusque pepercit tibi oculus Dei, quia pretiosa fuit in conspectu ejus anima tua. Deinde tua inconstantia in bonis solita, quoties te à proposito viæ istius resilire fecisset, nisi prohibuisset ille, qui statuit pedes hominum supra petram quasi cervorum, cuique non difficile levissimam plumam contra omnium ventorum furias tenere immotam, planè ac si esset vastus aliquis mons & immobilis. O quoties fuissent turbæ in corde meo excitatæ, tot religiosæ vitæ molestiis, laboribus, casibus, eventibus, sed prohibuit turbas qui miseretur super turbas. Gratiæ tibi Domine Jesu, qui miserêris omnium, qui potes omnia.

6. Misereor super turbam.

SI tantum miseretur super præsentem, quid putas quantùm miseretur super absentem. O si intelligas quantùm misericordia illa Christo dolet, quando turbas multas alibi videt, apud se autem non habet. O si intelligamus, quantopere cupiat ad se adduci turbas elongatas à se, ut illis frangat panem vitæ! ô vos Apostoli, ô viri Apostolici. quid agitis, quid cessatis Christo adducere turbas ut misereatur illarum? Turbæ sunt? Esto; Sed Christus earum misereri vult, & paratus est, & clamat, Misereor super turbam. An fortè ad illum adduci nolunt? Suadete illis, & misericordiam Christi promittite, ostendite illis maximè opus esse misericordiâ; & sursum paratissimam illis esse misericordiam. Ecce in plateis dat vocem suam, ecce in desertis clamat: misereor super turbam. Adesnum ô turba, festina, utere. Quis mihi det ut aliquando dignus sim mi Jesu ad Te turbas populorum ducere! ut audiant te, ut discant facere justificationes tuas, & in viis tuis ambulare, ut planè à turbis desertus sis; nec solus Dæmon, turbatim pellat animas ad infernum, sed tu turbis comprimaris, regnumque cælorum vim patiatur à multitudine contendentium intrare per angustam semitam. Ecce ego, mitte me Domine.

7. Deficient in via.

VIdes Christi solicitudinem, an tu nunquam expertus similem? ô quoties defecisti, & Christus te refecit! ô quoties defecisses, nisi ille providisset! & nunc scito gratiam illius esse quia te robustum esse sentis; pete autem supplex nè te permittat in hac via deficere. Recogita autem varios modos deficiendi in via. Nam deficiunt, vel ob penuriam alimentorum, vel ob defatigationem, vel ob claudicationem, vel ob tuberculos in pedibus natos ex attritione, vel ob moram spontaneam, vel ob detentionem violentam ab aliquo, vel ob seductionem de via recta in erroneam, vel denique ob regressionem retrò. Vide ne aliquo istorum modo deficias.

8. Unde illos poterit quis saturare panibus.

VOx pigri operarii circa animas Christi sanguine redemptas; Vox pusillanimis & qualibet difficultate sese deterreri sinentis circa animarum curam; Vox superbi operarii, qui nonnisi cum omni cōmoditate & sufficientia temporaliū, vult laborare circa animarum curam, nonnisi loca honorata & frequentia, illustres cathedras, auditorem nobilem requirit, & benefactores, lautas tractationes; si hæc desint continuò erumpit in quæstionem, unde illos quis poterit saturare in solitudine? O stulte! quærendum fuit, quot panes habetis? quantùm laboris, animi, virium attulisti? quo cum desiderio animas curandi huc venisti? cur non petis ut benedicat Jesus? Vide ut septem panibus & pisciculis paucis benedixit. Ecce ita saturati sunt, & tulerunt fragmenta quæ superaverant septem sportas, erant autem qui manducaverant quasi 4000. Nunc ad calculos revoca omnia, exigè quid sis, quid possis, quàm bene habeas! O homo Dei, zelus animarum & amor Sāguinis Christi, ista non reputat, non æstimat, contemnit etiam dum adsunt, quantò magis absunt!

9. Quot panes habetis? septem.

COnsidera hos septem, panes esse septē magnas Dei misericordias à Deo homini præstitas. Prima est Præservatio à peccatis multis, in quæ alii inciderunt & ego potui. Non est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo. 2. Expectatio ad pœnitentiam, cum tamen multi propter leviora & pauciora jam ardeant in inferno, eo quod sine dilatione à Deo sint justè puniti. 3. Remissio peccatorum tantorum, tam facilis, tam frequens! dixi Peccavi, & Dominus quo-

que transtulit peccatum meum à me. 4. Collatio gratiæ & donorum tam variorum; & quid pretiosius Gratia Dei; non comparabitur ei aurum neque argentum. 5. Consideratio pœnæ æternæ quam merueras; potuit enim Deus culpam dimittere, sed tamen in æternum punire, sicut defacto, etsi dimittit temporalem, tamen pœnam relinquit. 6. Largitio perseverantiæ in bono, Columnæ cæli ciciderunt & confractæ sunt, & quis mihi pollicebitur perseverantiam? Ipse nimirum qui dicit, eum qui venit ad me in plenitudine cordis, non ejiciam foras. 7. Receptio in gloriam, ubi videtur Deus facie ad faciem. Vide ergo anima mea ne divitias bonitatis Dei contemnas, ne tantis beneficiis existas ingrata, sed servias illi corde perfectissimo.

10. Quot panes habetis?

SEptem Panes septem Ecclesiæ Sacramenta sunt à Christo instituta, Apostolis eorumq; successoribus ad administrandum tanquam ad dividendum inter turbas, commissa, his 4000. hoc est infiniti homines saturantur, nec tamen evacuatur virtus Sacramentorum! cum merita Christi sint infiniti pretii. Attende ergo, quantùm totus mundus Christo debeat pro tantis bonis! quàm vulgò hi panes contemnantur, præsertim aliqui, quàm rari eorum virtutem sciant & valorem! Tu vero conare, quantùm in te, compensare Christo aliorum negligentiam. Ad hæc, hi septem panes possunt vocari. Septem dona Spiritus S. Donum scilicet Sapientiæ, Intellectûs, Scientiæ, Consilii, Fortitudinis, Pietatis, Timoris Dei. His panibus vescuntur animæ triduo Christum in solitudine sustinentes, per tres vias ad eum accedentes, nempe Purgativam, Illuminativam, Unitivam sequentes Christum, Crucemque suam tollentes.

DOMINICA VII. post Pentecosten.

1. *Attendite.* Matt: 2.

O Omnes animæ meæ vires sensusque ac intentiones, attendite quid nunc agere, & quantis mysteriis assistere, atq; cui majestati comparere debetis! intelligite, tandem aliquando, quod qui indignè manducat & bibit Corpus Sanguinemque Domini, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, non attendens quid audeat, quid præsumat, quid agat. Attende tu anima, quantus & quis sit iste ad quem accedis! quanta & quæ tu, quæ accedis, cum qua præparatione humilitatis, puritate, devotione, desiderio, fide, charitate accedis? Quid abs te debeatur illi majestati, cui creaturæ omnia simul nihil dignum præstare possunt. Hæc attende & penetra bene.

2. Arbor bona bonos fructus facit.

COgita Ecclesiâ Christi paradisum esse: in eo quot Christianos, tot arbores fructui faciendo idoneas contineri, easque pro distinctione Statuum varii generis. Invenias hic arbores Scientiæ, nempe Doctores. Invenias ficus grossos suos proferentes, amygdalos, olivas fructiferas, Palmas, Libani cedros, vites abundantes, aliasque complures arbores, ut meritò dicat. Sponsa sponso omnia poma nova & vetera dilecte mi servavi tibi. Inter has omnes arbores cogita excellere arborem Vitæ, quæ est Christus JESUS omni quidem ex parte sic meritò vocandus, sed præcipue ob Sacramentum altaris, quod verè Arbor est jugiter florescens, & fructus proferens, omnem saporem, delectamentum salubritatemque continentes. In hac arbore, volucres cæli nidificant, sub hac bestiolæ requiescunt, ejusq; umbrâ teguntur, per hanc vermiculi repunt, omnibus enim ista arbor amabilis, Christus inquam in Sacramento se communicat, singulis prout eorum exigentia, præparatio, capacitas exigit. O si cognoscas arborem hanc! ô si gustes quam bonis tu fructibus abundares! hæc enim arbor, eâ virtutem habet, ut non solùm ipsa in se sit fructifera, sed etiam alios faciat fructiferos. Tu toties de ista arbore comedis, & tamen sterilis es, quis dubitat causam esse hanc, quia negligenter accedis, postquâ accesseris, negligenter te geris, hinc ad fructuositatem nullam proficis.

3. Attendite.

PRo! ad quidnam, vel cui attendendum? Attendite, Vox Dei est perpetuò clamantis ad cor hominis, Deus magister est, attendite discipuli ad doctrinam ejus; Deus Exemplar est, attendite imitatores ut illum ad vivum exprimatis: Deus Dominus est, attendite famuli, ut non sitis supra Dominum; Deus Doctor est, attendite peregrini, in via enim hac qua pergitis, peccatores absconderunt laqueum vobis: Deus vigil est, attendite qui dormitis, quia adversarius vester tanquam leo circuit: Deus spectator est, attendite certatores, quomodo

vos

vos dignè conspectu ejus geratis. Deus beneficia fundit? attendite ut recipiatis, ut grati sitis, ut non abutamini. Deus vocat? attendite ut obediatis voci ejus: Deus judex est? attendite quomodo estis rationem reddituri: Deus fur est? attendite; quia quâ horâ non putatis veniet & perfodiet parietem: Ecce enim dies Domini sicut fur veniet. Vide an prædicta sint ejus momenti, ut meritò sit ad illa attendendum; tu verò quomodo attendis?

4. Attendite.

AD vestra propria & eorum qui commissi vobis sunt, ad publica scelera quæ communi calamitate luuntur, ad iram Dei paratam, ad ingratitudinem vestram, vilitatem & infirmitatem, ad insidias & inimicos eorum innumerabiles. Attendite ad Dei dignitatem, ad vestram obligationem, ad effrenem passionum licentiam, vel subdolam quietem. Attendite præmia cælestis patriæ, inferorum pœnas, tremenda & secreta Dei judicia; Attendite ad Christi passionem, ad propriæ vitæ institutum & conscientiam, ad Regulas, ad Proposita, ad Intentionis puritatem, attendite ad vitæ tempus, ad aliorum ferventia exempla, seriamque sui victoriam, ad indefatigabile profectûs desiderium. Denique anima mea attende, quomodo quotidie te ipsa fias melior, quibus rebus præpediaris à profectu, quò Dei respondeas inspirationibus, quò oculis ejus plus quotidie placeas, tibi displiceas.

5. Attendite.

NOn malis solum attendendum est ne fiant, sed bonis etiam ut fiant, utque benè fiant. Nam justè quod justum est persequeris, ait Moyses. Quod quidem faciet Considerationis practicæ usus, ut scilicet quodlibet opus majoris saltem momenti, antequam aggrediaris, tecum ipse discutias prius, v. g. Quâ intentione illud faciam? quæ mihi sese in hoc negotio offerrent peccandi occasiones, quæ, virtutum, & quarũ exercendarum seges, quæ mei vincendi, mortificandi, deprimendi, charitatem aliis faciendi opportunitas? hoc negotium si Christo aut alicui Sanctorum faciendum fuisset; quomodo se gessisset in eo &c. Talibus prævisionibus, succedant proposita; invocatio Divini Numinis, tandem peracto opere, Examen circa prædicta omnia, an quid omissum boni, an quæ neglecta occasio virtutis, an quid admissum mali! Gratiæ Deo agendæ; Emendatio proponenda. Talis Attentio anima mea, messis meritorum est, & Sanctitatis unicum compendium.

6. Attendite à falsis Prophetis.

PRophetæ falsi repleverunt mundum, plenus est mundus fallacibus vaticiniis, cum aut spondentur bona (quæ non venient) ventura, aut promittuntur mala, (quæ venient, nec abibunt) non futura, vel abitura, hominis cras morituri. Vitam sibi alii promittunt longissimam, opes magnas, honores amplissimos, successum rerum per omnia. Talis fuit ille qui dicebat Anima mea habes multa bona, reposita in annos plurimos, & ab illo misero stulto illa ipsa nocte anima repetita est, tales & illi erant, qui de se fatebuntur aliquando & fatentur; Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam & finem sine honore. Attende ergo tibi, ô homo, à falsis Prophetis. Propheta falsus tu tibi ipse, nam semper teipsum quæris. Caro, omnia simulans, ut illi bene sit, adulatur, malus socius, concupiscentiæ; Creatura, dæmon, mundus & quæ in eo sunt. Porrò ad veros prophetas attende quales sint. Tua propria conscientia, Probi & fideles amici, maximè Superiores tui, Inimici quoque, Angelus custos, Deus, calamitates, humilis oratio. Hos prophetas vide, & sæpè adeas, sæpè consulas; ab illis, vide, ut tibi sagacissimè caveas.

7. Nunquid colligunt de spinis uvas.

DUplex sensus est horum verborum. Primus est; Attendite à falsis Prophetis, quos ex hoc signo cognoscetis, si de spinis uvas botrosve vini non colligunt, aut de tribulis non decerpunt ficus; sin colligunt, boni prophetæ sunt, evenit enim quod dicunt. 2. Nolite fidem dare falsis prophetis, nam sicut de spinis uvas, de tribulis ficus, nemo colligit, nec ad colligendum accedit, ita nemo fidem dat falsis prophetis. Credere enim falsario, est ficus à tribulis, & uvas à spinis exspectare. Tu nunc anima mea signum falsorum Prophetarum attende: si enim non colligis adhuc de spinis uvas, adhuc falsus propheta es. Scire & velle & solere uvas de spinis legere, hoc est verum Prophetam hoc est perfectum & Sanctum virum esse &c. Hoc ita intellige: Quamdiu ad omnes injurias & molestias non eris paratissimus, nec tibi dulce erit quam plurima indigna, etiam sine ulla causa tua, & propter alienos non tuos defectus, etiam à tuis, ac à quibus minime velles, deberesque pati propter Deum; quamdiu

diu alienos mores naturasque à tuis diversas, & complexioni tuæ dissonas perferre, quamdiu, tam in animo confusionem, tentationem, pudorem, tædium, ignominiam, calumniam; quàm in corpore morbos, paupertatem, injurias cæli, tolerare non scies, non eris verus propheta, quia de spinis uvas non colliges. Denique quamdiu de omni creatura fructum Spiritualem, profectusque tui materiam non capis, tamdiu falsus Propheta es.

8. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

OMnis arboris nota fructus ejus; Hominis nota, opus ejus. Quod est fructus arbori, hoc Homo operi. De terra trahit arbor succum, ut suppeditet fructui, de cælo debet homo sumere vigorem suo operi. Age verò vide quales sint fructus tui, hoc est opera tua. Ex fructibus arbor noscitur, bona sit an mala; ex operibus homo scitur, bonus sit an malus; Fructus, (ait Apostolus) bonus, pietas est cum sufficientia; fructus bonus patientia est; fructus bonus mansuetudo & humilitas est cordis; fructus bonus, Sanctitas est, fructus bonus devotio est; Ad extremum fructus bonus & charisma optimum charitas est. Habes hos fructus? arbor bona es, deficis ab his? mala es, Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

9. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

OMnis homo in mundo, tanquam in horto aliquo vivit. Ingressus quis hortum, aspicit flores, aspicit arbores, unusquisque eum ad se trahit, & pulchritudine rapit. Accidit interdum tamen, ut pro odorato flore, carpatur fætens, pro dulci fructu carpatur acerbus si quæsisses ex carpente, est ista bona arbor? bona videtur, quia habet fructus; quæres ubi gustarit fructum? malam esse dicit, quia malos fructus habet. En ex fructibus cognovit arborem, ex flore herbam: Sic est; intuere res hujus mundi. Arbores opes sunt, facultates, possessiones; Arbores sunt honores, magistratus, officia, dignitates; arbores sunt convivia, epulæ, ludi choreæ; Arbores sunt mercatura, jura, militia, artes liberales & mechanicæ; Arbores sunt, Domini stipati famulis, famuli Dominorum asseclæ, &c. quæ horum arbor non pulchra, si spectes ad extra frondes, folia, splendorem, lucem, ramos, fructus; Introduc inter istas arbores hominem juvenem, ignarum, quãlibet arborem laudabit, ad quamlibet aspirabit. Da illi fructus ejus germanos ad gustandum, si stultus non est, si amarum non dulce putabit, arborem ex visu laudatam, ex gustu culpabit. O! homines mundi! hoc est, quod Christus dicit; Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nolite considerare externa tantum folia; quia arbor viret, quia pandit ramos alte & late, quia fructus habet pulchros aspectuque delectabiles, sed gustate de fructibus ejus, hoc est penetrare ejus naturam, viam, astus, pericula intimè, denique finem noscite, & videbitis, quia extrema gaudii luctus. Ultimum in arbore fructus est, ultimum bonorum mundi, miseria est. I per singula si placet. Quid profuit nobis luxuria? quærunt quidam; Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. De aliis dicitur, Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, ait Apostolus: Deniq; divitiæ spinæ sunt teste Christo. Finis non esset singulorum.

10. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

ETiam vita spiritualis hortus est, viri spirituales in horto vivunt. Unde Domus Religiosorum, Paradisi terrestres vocatæ; claustra dicuntur, quia hi clausi sunt in hoc vitæ spiritualis horto. Tot arbores quot occupationes, quot actiones; nulla sterilis est, nulla otiosa; de nulla dixeris, ut quid terram occupat? Ipse cibus, ipse somnus, ipsa recreatio, arbor est, aurei fructus ejus, non solùm aspectu, sed etiam pondere & pretio, idque non apud homines solùm, sed multò magis apud Deum; fac intentionem bonam, fac ex obedientia, etiam vilissimum, etiam minimum, apud Deum magnum est, aureum est, etiam id quod pes calcat, rosa est, planè & capilli capitum numerantur; cur? quia Sancti sunt, gressus eorũ dinumerantur, & vestigia pedum eorum considerantur, quia non sunt otiosa sed sancta, sed pura. Usque adeò in Religione omnia fructuosa, etiam ipsa peccata hîc fructuosa; cooperantur enim omnia diligentibus in bonum, & sunt occasio pœnitentiæ, humilitatis, cautelæ. Utinam hos fructus cognoscas anima mea! Utinam feras, feres autem si ad te normam Puncti 5. gesseris.

11. Non omnis qui dicit mihi Domine.

HOrrenda & terribilis est hæc sententia. Noli tibi blandiri, noli operibus quæ facis, etsi Sanctissima videantur, sæpe istis Deus offenditur, quibus placari creditur. Cum timore & tremore &c. Noli altum sapere, sed time, si semper timueris Deum, semper securus eris, semper diligens, semper exactus, Sanctus, humilis: & qui

qui enim timet Deum nihil negligit, alioquin si paululum te extuleris, scito quia detrahetur superbia tua usque ad inferos, non enim omnis qui mihi dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Et Pharisæus dixit & Judas dixit & alii, & tamen perierunt, etsi in nomine Dei multas virtutes feceris, dæmonia ejeceris, adhuc time; multi enim qui jam posuerunt in cœlo os, & nidum suum, descenderunt usq; ad abyssos. Quære enim? Quomodo cecidisti Lucifer? Domine Jesu quomodo vidisti Sathanam cadentem de cælo? Tanquam fulgur, inquit. Vide igitur, quomodo cautè ambuletis sicut in die Filii lucis; quantò major es, humilia te in omnibus, & in hoc solo gaude, si nomen tuum scriptum est in cælis.

DOMINICA VIII.
post Pentecosten.

1. *Scio quid faciam, ut recipiant me in domos suas.*

QUid facies, ô Prudentissimè Jesu, ut recipiamus te in domos nostras! olim mundus te non agnovit, licèt factus per te esset, & quamvis in propria veneras, tamen tui te nō receperunt, quid igitur nunc facies, ut recipiant Te tui? Audite cæli consilium sapientiæ: Venerat olim Hospes, ut panis cibique egens, nos inhospitales eramus, Christo panem dare nolebamus; venit ille nunc ad nos in forma panis, venit planè panis ipse, ut nobis excusationem adimat de inhospitalitate, dicitque nobis, noluistis me recipere comesturum vobiscum, recipite me jam comedendum à vobis; qui comederit me recipiet me, & ego manebo apud eum, ipseque vivet propter me, nec mortem videbit in æternum, quoniam ego sū panis vitæ, panis vivus qui de cœlo descendi. O Jesu nonnè jam dices animabus nostris; Scitis quid fecerim vobis, panis factus sum comedendus à vobis, ut vel sic recipiar à vobis, nonne recipietis me? Delibera infelix anima delibera, an receptura, qua hilaritate receptura sis hunc panem! Etiam pergis morari nec ruis præceps, Christo ad te sic ingressum mendicante talibusque artibus procurante? Surge igitur anima, propera, festina ad panem istum, ad cibum istum: avidè suaviterque comede, sciens gratius esse nihil jucundiusque Christo quàm si avidissimè, deliciosissimè, sapidissimè comedatur abs te. Sapiens enim & rationabilis est panis iste, gustat ipse dum gustatur, & molestum illi est, si non cum sapore, suavitateque gustûs, ab aliquo sumitur quoniam finem suum sibi videtur non assequi, ob quem comedi voluit, nempe ut sapore, dulcedine, suavitate animam repleret, utque eam nutriret, impinguaret, in substantia augeret. De hoc enim pane dicitur verissimè tritum illud, si sapit, nutrit; vel, quod sapit hoc nutrit, tu ergo tandē decerne, quid faciendum sit, & provide, ne quid in tuo palato sit, quominùs hic panis tibi ad palatum sit. Ama verò, lauda, mirare, prædica artes istas Jesu.

2. *Homo quidam erat dives.*

QUis putas hic dives nisi Dominus Deus noster Jesus; Divitias ejus nosse vis? unicum illud Sanctissimi Altaris Sacramentum attende. Quæ ibi, quantæque divitiæ! Vis Omnipotentiam, vis Bonitatem, vis Misericordiam, vis Caritatem, vis Humilitatem, vis Obedientiam, vis Fidelitatem, vis Sanguinem Christi, vis Corpus, vis Animam, vis Divinitatem, vis Sanctissimam totam Triadem, vis merita, vis gratias, vis dona, vis totū quantus est Christus Deus? omnia in illo uno Sacramento sunt. Tam dives, qui est in una re, quam dives credis in omnibus, qui tam dives in via hic, & in peregrinatione nostra; quam dives in Patria, in regno illo hæreditario! verè dives es, & veras habes divitias, & tales, quas quantumlibet aliis communicas, nihil tamen deperdis, sed omnes, quicunque volunt, ditas. O quid facis anima mea, quid huic tam diviti homini non famularis, aut inique famularis?

3. *Habebat villicum.*

OMnes villici tui sumus Deus, & omnes iniqui, omnes enim naturâ servi tui fumus, sed nemo nostrûm fidelis est in servitio. Commisisti nobis multa ex bonis tuis, sed nos dissipavimus illa, abutimur enim Creaturis tuis abs te nobis concessis, & neglecto te, amamus illas, propter quas tu magis amandus eras quia tu nobis illas in auxilium amoris & servitii tui dederas, nos autem non sic, sed nequissimè ingrati, amamus dona magis quàm Te, utimur te, fruimur illis; planè ac si illa essēt propter nos, tu autem propter illa, hoc est minor illis: Quod, quidem quid aliud? quàm te subjicere rebus factis à te, & nos ipsos facere Deos, fines ultimos omnium nostrûm: quod iniquitas est pessima, & superbia & idololatria. O anima! esto subjecta Deo tuo, qui te fecit, & utere

bonis ejus, quæ dedit tibi in obsequium suum.

4. *Diffamatus apud eum, quasi dissipasset.*

DIffamatus sum Domine apud te nec semel, nec parum. Clamor enim peccatorum meorũ, & testimonium meæ ipsius conscientiæ; condemnat me, peccatumque meum contra me est semper, quia peccavi nimis Tibi in vita mea. Confiteor ergo quia dissipavi bona tua, innocentiam in baptismo acceptam; fui sapiens ad facienda mala, voluntariè peccans fui, nec timorem tuum ob oculos posui, sed oblitus sum tui in terra ut aliena, quæ tamen erat tua; totam animam meam à te averti, omnibus sensibus membrisq; corporis coram te abusus sum, sed & ingenio, judicio, scientiis offendi te, virtutes si quas habui in superbiæ fætorem converti, vel peccando dissipavi & perdidi, gratiam tuam effudi sicut aquam, gloriatusq; sum etiam in rebus pessimis, denique aliis ut mali essent, auctor, exemplum, socius, laudator, spectator fui, & quò ulteriùs pergerem in bonis tuis Deus dissipandis? Ecce confiteor mala mea, & doleo quia mala sunt, quia Tibi Deo summo Bono summeque amabili & pretioso displicent, Tu autem animam meam ne contempseris Domine, sed parce peccatis meis, suscipe autem, & respice verecundiam vultûs mei quâ hæc omnia defleo ante te, peccavi enim in cælum & coram te, nec audeo oculos sursum levare ad te. Tu autẽ parce & restitue portionem meam mihi quia pius es.

4. *Quid hoc audio de te? redde rationem.*

QUid dices Deo, qui hæc dicet tibi, Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, ecce enim ampliùs non poteris villicare, Tu autem & pravè agere pergis; & rationem reddere non potes? Quàm meliùs esset te à te ipso exigere factorum dictorumque rationem & cogitationum, quàm dissipare bona Domini, malè scilicet uti, negligenterque potentiis sensibusque tam animæ quàm corporis, occupare te rebus non profuturis, immergere in temporalibus animum, interna æternaque negligere, à quibus omnis efficacia & vigor, vitaque & procedit & dependet. O quid dices in illa tremenda hora! cum audies; Quid hoc audio de te? Redde rationem! Totum te das occupationibus, & absorberis illis, nescis tibi moderari, relicto me Deo fonte vivo sectaris rivulos; quæris lucem in tenebris, me Patre luminum spreto; laudes venaris humanas, gloriam autem meam, quæ à me solo est, non curas; quasi non tantus quisque sit, quantus apud me est; & quasi ego similis sim hominibus, mendax, decipiens sicut illi in stateris. Redde igitur nunc omnis anteactæ vitæ, omnis temporis à me tibi concessi rationẽ. Age cur tuas orationes, examina consueta, lectiones pias, confessiones, conciones que sacras, nec non spirituales exercitationes, tam frequenter omittis? tam negligenter perficis, tam imperfectè relinquis, cur tempus mihi debitum, ad tuas confabulationes, studia, nugas, suffuraris? Et quid te omnia juvabunt hæc, in quibus nunc erubescis, & rationem reddere, quam exigo, non potes? ô quantæ angustiæ erunt tunc tibi undique! Igitur ista ut evites, esto fidelis servus & prudens, esto Dives in Deum, non te affectus sed ratio regat, neque hoc facito quod vis, sed quod debes, nec blandire tibi, quod nemo videat, sciat, suspicetur, ego enim omnia video, præsens sum, omniaq; nuda sunt oculis meis: cum volo, patefacere omnia possum toti mundo.

6. *Non poteris ampliùs villicare.*

MEnsura villicationis nostræ est, tempus vitæ nostræ. Tunc non poteris ampliùs villicare, quando non poteris ultra vivere. Villicare, mereri est, & donis Dei ad salutem, gratiam, gloriamque parandam uti, hoc tamdiu facere potes, quãdiu vivis, post mortem tempus non erit ultra promerendi. Quidquid in vita non comparaveris, id comparabis nunquam, clausa quippe est janua & tabernæ meritoriæ gratiæ Christi, jam sublatæ, jam conclusæ sunt. Euge igitur, quidni nunc labores? quid lassescis? nunquid dives jã es? jam non eges? Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, non cesset intentio, intellectus, voluntas, memoria, vires, mens, fortitudo, totus labora, suda, incumbe, erit messis, erit copiosa merces, erit mensura bona, sed tempestivè incipe: nunc inchoa, non enim poteris postea villicare, nullum opus tibi sine fructu, sine merito, sine gratiæ, charitatis gloriæque augmento elabatur. Hic avarus esto licet, esto famelicus, hoc laudis est; etiã minimis lucris inhia, placet hoc studium Deo, favet illi, fovet illud, eadem pænè opera, & remissè & ferventer operari potes, sed illo discrimine, quia unus actus intensus, pro mille remissis est.

7. *Scio quid faciam.*

POtesnè id dicere de te in tanto discrimine? Eheu quotusquisque hominum potest! Ecce Deus dicit morieris, reddes ratio-

rationem, non poteris villicare, jam morere, jam redde rationem, tu quid? quid faciam? an? scio quid faciam. Eheu quantos videas qui dum jam agunt animam, tunc primùm quærunt quid faciam? fecisse oportuit, non quid facto opus sit inquirere, sed hæc est cæcitas filiorum lucis. Anima mea quid tu? paratané es ad reddendam rationem? scisné quid facies, in tali puncto? Unum mihi restat mi Jesu in illa hora faciendum, nempe deflenda peccata, de propriis meritis desperandũ, in sanguine tuo præsumendum, diligendus Tu super omnia, & appretiandus super omnia. Ex toto corde, & voluntate, & anima, hoc & nunc faciam & semper faciam & tum faciam. Tu Jesu adjuva, & præsta ut faciam.

8. Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis.

PRô pudor, dolorque! Sed tamen Christi est sermo, veritatem ejus oculo cernimus. Quantò enim studio, & pœnè præcipitio ruunt sæculares festinantque ad ea quæ illos mergunt in interitum æternum, quas industrias non adhibent? ut sudant, ut vigilant, ut sanguinem, vitam æternam, omnia profundunt? quid nos spirituales simile agimus? Promptiores illi ad interitum, quam ego ad vitam, illi tam facilè proficiunt in suis laboriosissimis malitiis, ego in suavissima Christi disciplina, tot per annos, nihil omnino profeci, nec prima quidem elementa satis didici. Da mihi Aulicum, da Studiosum, da militem, da artificem, qui decem vel novem annis in suo se munere exercuit, quid illo in hoc genere perfectius? Quàm perfectus ego in vita Spirituali? cui tot, & plures annos impendi. Prô ubi pudor frons? Ah fervor ubi es?

DOMINICA IX. post Pentecosten.

1. Tempus visitationis tuæ.

COgnoscisné anima, gaudes? gloriaris? adesse visitationis tuæ tempus? quo te Jesus tuus ille Salvator, Sponsus, Pater, Rex magnus visitabit? an fortè non cognoscis? an fortè metuis visitationem istam. O noli ignorare ista quæ ad pacem sunt tibi, noli metuere, pacificus est iste adventus Christi tui, & humilis mansuetusque, hilaritatem & exultationem poscit. Et quis non exhilaretur adventu amicissimi, desideratissimi, suavissimi, munificentissimi, Domini. Si amas Jesum ô anima, cur ad visitationis ejus tempus non gaudes? si paupercula es, contempta, en venit qui te ditabit qui honorificabit, contemnat me qui vult, dummodo Jesus me honorificet, scio autem quia honorificat, hoc ipso quia ad me venit; venisse est honorificare. Honorificavit & benedictioně intulit Arca Dei in domum Obededom, non multò magis honorificabit Deus, ipse Christus Jesus domum cordis ingrediens? Exultent igitur omnia ossa mea, & totus spiritus meus glorietur, quia venit tempus visitationis meæ. Tu verò anima mea satage, & mundam facito domum tuam, ne quid inordinatum tuus apud te deprehendat Hospes.

2. Videns IESUS Civitatem flevit.

COnsidera quoties Dominus Jesus super animam tuam fleverit, & fleat. Considera porrò quam misera sit illa anima, cujus calamitas lacrymas Christo excitat. Talis autem est, quæ in peccatis suis hæret, nec per pœnitentiam consurgere laborat, nec a sopore erigere se satagit, est enim natura teporis, ut vomitum Christo creet: constat autem vomitu lacrymas exprimi. Vide ergo Tepide, quantam Christi visceribus violentiam facias.

3. Videns Civitatem flevit.

HÆc est diversitas Christi & mundi; dũ hic gaudet & ridet, ille dolet & luget. Elige adhærere cui vis, imò vide cujus notam geris. Nota Christi, fletus, nota mundi, risus. Alterum dilige sed æternũ hoc non esse scito, Olim fletus risu, & risus fletu mutabitur. Ni fallor, Christus flens, lætior est mundo ridente.

4. Si cognovisses & tu.

PRima hæc fletûs Christi causa, nempe, Malum culpæ. Est enim hoc malum, omnibus malis pejus. Non cognoscere tẽpus Visitationis, & ea quæ ad pacem sunt tibi. Unde Dominus Jesus hoc potissimũ nomine offensus nobis redditur, quia non cognoscimus, non observamus, non excipimus tempus visitationis, probationis, tentationis, gratiæ, illustrationis, monitionis, afflictionis, pœnæ. Sæpe Christus nos visitat diluculo, & subitò probat; nos autem impatientes sumus & pusillanimes, Sæpè prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, & extollimur; quæq; erant gratiæ donantis, putamus esse debita reddentis, sicque incrassati recalcitramus. Sæpe dum justè affligimur, induramus verticem, & vertimus dorsum Deo, ita ut Deum qui puniendo erat nobis misericorditer crudelis, cogamus parcendo nobis esse crudeliter misericordem, illum

scilicet

scilicet facimus misereri nostri, ne discamus facere justitiam, quod omnium malorum pessimum, & inferno jam jam proximum.

5. Si cognovisses & tu quæ ad pacem tibi.

Multa sunt quæ si homo cognosceret, esset, illi ad pacem cum Deo & hominibus. Si enim homo cognosceret Deum, se ipsum, quid à Deo accepit, quid acceptururm se speret, quid debeat Deo, quid in ipsum commiserit, quid committere nisi gratia Dei fulciatur posset, quo Deus dignus sit, quæ media à Deo habeat ad quàm perfectissimè serviendum. Hæc & similia si homo cognosceret, esset omnino ad pacem ipsi, nunc autem dum hæc negligit, quam excusationem habet de peccato.

6. Quia venient dies.

EN alia fletus Christi causa, Malum scilicet pœnæ, quam erat populus ille 40. anno post Christi ascensionem subiturus. Et quidni eos Jesus infinita Patris misericordia fleat, quotiescunque animam ad imaginem suam factam, sanguine redemptam, ad æternitatem gloriæ creatam & destinatam, cogitur propter ejus scelera, ingratitudinem, negligentiamq; damnationi æternæ subjicere, in æternum à suo conspectu divino, à gratia, à spe denique veniæ removere; pro qua salvanda aliquando acerbissime mortuum se meminit, & hoc clamant vulnera adhuc relicta, illumque ipsum sanguinem pro illa fusum, illam mortem, illam crucis ignominiam pro ipsa toleratam, quæ ipsi debebat esse in salutem, in pretium, in vitam, in æternam gloriam, cogitur jubere iis deinceps esse in perpetuam perniciem, perditionem, confusionem, tormentum. O dolor cui hæc lacrymas non excutiant? quem tanta calamitas non moveat? quis non horreat æternitatem illam junctam desperationi, quæ tanquam vallum circumdat & angustat animam! quis non timeat terram illam morientium? puteum abyssi, terram miserabilem, ad quam prosternitur, & alliditur anima, nec relinquitur in ea lapis super lapidem, cum nec sanitas sit in ossibus ejus, nec in portis ejus, sublata spe veniæ, pœnitentiæ spatio, inducta autem in locum ejus obstinatione voluntatis in malo, odio Dei & execratione, studio insuper blasphemandi nomen ejus, furore ac rabie æterna, diabolicâ. Hæc autem omnia infelici animæ eveniunt ideo, quia non cognovit tempus visitationis suæ, non cognovit quæ erant ad pacem sibi, non cognovit istos dies in se venturos, dies utiq; calamitatis, sed abusa est benignitate Dei ad pœnitentiam se in hac vita vocantis, exspectantis, incitantis: abusa est, vitæ tempore, sanitate, robore, opibus, facultatibus tam animæ quàm corporis, dissipavitque omnia hæc bona in offensis & contumeliis Divinis, nunquam respiciens & agens pœnitentiam, aut si quando cœperat pœnitere, rediit tanquam canis ad vomitum, cumulans mala pejoribus aut novissima ejus essent deteriora primis.

7. Quia venient dies.

NOn potuit magis graphicè peccatrix, tepidaque anima moriens describi. Venient dies in eam, in quibus videbit stultitiam suam, quòd multa bona amiserit, quæ modico fervore adhibito lucrari poterat. Circumdatur vallo perditi temporis, ut illi etiam grave sit ad Deum cor erigere, imo vallo superbiæ cingitur, putans omnia sua salva esse, ex quo sequitur, ut aut scrupulis, aut præsumptione circumdata & angustata, commovere se non possit, nec pios motus aut excipere, aut promovere erga Deum, nisi prosternatur in terram, à qua se cum alacritate erigere nolebat, sed cui adhærebat agglutinata; horrore laboris in servitio Dei, commodis tamen corporis indulgens, contenta gravia, & oculos hominum lædentia peccata devitare. Prosternitur igitur ad terram quia etiam tunc non persuadet sibi, se ex corpore egressuram, quare valetudinem spernit, & nonnisi de auxiliis corporis agitat solicitaque est, ignara infelix, migrandum sibi esse; quæ migratio, cum illi jam instat, tum perspicit filios quos sibi videtur procreâsse bene operando, quosque vix volebat de terra in cælum ire & levari, ecce ipsos in terra hærere, terrenos, frigidos, & mortuos, nec cælo dignos factus, à se discedere, nec comitari se ad judicandum, quia non plena, quia mala sunt, tepida, sine intentione pura, sine cura & fervore. Cum autem ad judicandum venit, ecce lapis super lapidem non relinquetur, ecce omnia quæ fecit dissolutæ scopæ, vanitas, sensualitas, curiositas, otiositas, tepiditas, ecce omnia ligna, fænum, stipula, ecce confusio, tremor, dolor, sera pœnitentia, desperatio, damnatio, supplicia inferni. Hæc autem omnia eveniunt tepidæ animæ, quia non cognovit tempus visitationis suæ, qua illâ toties Dei auxiliis, gratiis, Sacramentis, vocationis gratiâ, curâ & monitis abusa est: & quid non?

8. Cœpit ejicere vendentes in templo.

Hoc

HOc facit præsentia Christi, ut statim exeant vanitates, & fuci mundani ex eo corde ad quod venit. Si in corde tuo amor vanitatum est, voluptatum, commoditatum, sensualitatum, sunt adhuc Vendentes & ementes in templo, non est Christus, quia si esset, ejecisset. Revera sunt hæc malè empta, quia vendit illa mundus & emit homo: nempe emit, corde, amore, æstimatione, heu quanto, quã grandi pretio, quàm vilia quã nugatoria! Indue JESUM anima mea ut hos ementes vendentesque ejiciat, Amen. Veni Domine JESU & noli tardare! sit Templum tuum, Domus Orationis, Domus laudis, ut te jugiter cor meum laudet, dicatque Tibi Faciem Tuam Domine requiram.

Causæ fletus super Civitatem.

1. Flevit JESUS, quia misericors est, & miseriam magnam Civitati inesse & tũ impendere vidit.

2. Flevit IESUS, quia voluit ostendere Civitati, & cuivis peccatori, quid illum oporteat deceatque facere, scilicet, videre se, & flere super se.

3. Flevit IESUS, Fatales istæ Christi lacrymæ, & ominosæ omniumque instar pœnarum, Væ Regno, Urbi, Animæ, super quam cadit Christi lacryma. Est enim signum induratæ, & solam tantùm pœnam exspectantis, misericordiæ locum jam non habentis animæ, (non quod non possit ad Deum converti si velit, sed quia nolit) & ejusmodi plane, ut Deus nolens & flens cogatur tamen punire illam. Talis fletus fuit tempore Noë, quando Deus tactus dolore cordis intrinsecùs, dixit: Pœnitet me fecisse hominem, delebo hominem de terra; Talis illa fuit misericordia apud Isaiam: Misereamur impio, & non discet justitiam, Verè etiam talis fuit fletus Dei evidenter, quando è templo ejecit vendentes.

4. Flevit JESUS super publica peccata; quorum hæc natura est, ut postquam invaluerint semel, corrigi non possint, nisi populorum internecione. Per historias sacras profanasque hoc videbis, publica peccata, extremis & communibus malis cladibusque esse piata. Pœnitentiam egerat Ninive, sed non diu rediit ad ingenium, tandem periit. Et sanè quem corrigas, quem moneas? In publicis peccatis, omnes peccant, nullus non peccat. Hinc fletus Christi, quia publicâ calamitate erat puniturus publica scelera. Cupiisset leniùs, si salvâ justitiâ & remedii efficacitate potuisset; non potuit, flevit.

5. Flevit JESUS. Ultimum quippe remedium peccatorum sunt Christi lacrymæ. In Cruce moriens, pro peccatis ultimum sacrificium obtulit, lacrymas clamoremque validum.

6. Flevit IESUS. Cum lacrymis nimirum rogat peccatorem, ut convertatur; Credo Deum lacrymatum tunc esse, cum dixit, Quare moriemini domus Israël?

7. Flevit IESUS, tota quippe urbs, imò gens peribat. Gaudium est Christo super uno peccatore pœnitentiam agente, quidni sit fletus supra omni populo impœnitente?

8. Flevit IESUS, non flebat Civitas illa super se, imò ridebat: Ergo flet Christus. Sic insani scilicet solent ridere, at sani solent flere, eorum insaniam videntes.

9. Flevit IESUS, Contraria studia sua Studiis peccatorum ostendens illis, uter justiùs ac prudentiùs? credo facilè tibi suspectum esse risum peccatoris, super quem Christus lacrymatur.

10. Flevit IESUS, non solùm supra Lazarum, sed & super Civitatem, ut dicere Pharisæus posset; Ecce quomodo amabat illam! vel nõ potuit hic facere, ut hæc non moreretur & periret? seu, in proposita causa, non potuit facere ut viveret?

11. Flevit IESUS, magno scilicet constabat Civitas illa Christo ideo flevit. O quanti constat anima! flet Christus super animam, toties quoties Sacramentalem gratiam, suique sanguinis meritum illi offert, & flet non lacrymas, sed sanguinem, sed corpus, sed merita sua illi fundendo.

12. Flevit IESUS super caput Patriæ suæ, super Regum sedem, super locum honoris Dei, super Sacratissimam mundi partem, quæ enim mundi pars à Deo in tantùm fuerat nobilitata, ut Hierusalem? non est ignobile quod flevit IESUS.

13. Flevit IESUS non externam Urbis speciem intuens, sed intimum statum intra spectans; ita etiam, non plagam exteriorem, sed interiorem, æternæ reminiscens imminere flevit; neque enim de bobus aut de Saxis cura est Deo, sed hunc jubet timeri, qui occiso corpore mittit in Gehennam.

14. Flevit IESUS, indicans se nolle mortem peccatoris, & hoc fletu prodens illud. Nunquid voluntatis meæ est mors impii: Si volo mortem impii, cur fleo, dicit Dominus.

15. Flevit IESUS. Non enim ex Dei causa erat tam extrema abjectio, & derelictio tãdiu dilecti populi: Perditio tua ex te Israël, tantũmodo ex me auxiliũ tuũ.

16. Flevit Iesus. Quia consummata malitia Civitatis, non recipiebat misericordiam & medicinam. Flevit ergo, non quia miserebatur, sed quia misereri se non posse videbat, & dolebat. Tam bonus est nimirum Iesus ut fleat doleatque, si cujus misereri nō possit. Et hinc est quod puniat infra condignum, etiam damnatos.

17. Flevit Iesus quia magnum in animabus jam jam redimendis illi damnum imminebat, ideò flet tantam, tanti pretii laborisque, jacturam.

18. Flevit Iesus quare & vos ô Collaboratores Christi non fletis super Civitates tanta in eis delicta cernentes? super Pagos & Castella, tantā in illis Dei ignorantiam advertentes, exemplum vobis dat Christus; non corriguntur ad clamores vestros urbes, flete super eas, incurabilis facta est plaga earum, flete super illas, vestrum hoc est officium.

19. Flevit Iesus, ne nimium grave foret Paulo & Pauli similibus, obsecrare unumquemque cum lacrymis ad ambulandum dignè Deo, ad standum in fide. Nō primus hoc fecit Paulus, fecerat ante Christus; en flet super Civitatem, non parcit lacrymis. Quis credat Christo in animarum cura & conquisitione usque ad lacrymas ventum iri? Ventum; ô quanti ergo labores pro animarum salute subiri debent ab hominibus, ad eam curam à Christo destinatis! Desiderium convertendæ Hierosolymæ, lacrymas ciet Christo, & non ciebit mihi salus animæ sudorem? ô quis det in hoc ministerio emori, & priùs vitam, quàm animarum curam linquere.

20. Flevit Iesus quia persuadere voluit nobis fletum. Est autem Sapientis dictum; Si me flere cupis, flendum est tibi protinus ipsi.

DOMINICA X.
post Pentecosten.

1. *Deus gratias Tibi ago.* Luc: 18.

QUid enim agam aliud, quàm offeram tibi hostiam laudis & gratiarum actionis de manu linguæ meæ, si tradidero omnem substantiam meam tibi, Tu bonorum meorum non eges, quia Deus meus es Tu, & minor sum omnibus beneficiis tuis, siquidem omnis substantia mea, tanquam nihilum ante te. Tu scis Domine quia sic est prout loquor, & si me magnificavero ampliùs, ecce tu contra me. Nihil ergo ego, Tu autem Deus magnus Domine, & magnificatus vehementer. Et tamen quia venis ad me in Sanctissimo Sacramento, communicasque te mihi largiter, æquum est ut respondeam Tibi non tamen ex æquo, quia non possum; non ex meo, quia nihil sum, sed ex dono gratiæ tuæ, gratias agens animo humili, corde puro, affectu verecundo, mente sincera, & ad Te solum Deum conversa. Mi Jesu excipe à me victimam Gratiarum actionis, quàm offert tibi vilitas mea. Venis ad me? Gratiæ tibi; manes mecū? Gratiæ tibi; facis Te cibum? gratiæ tibi; communicas mihi non solùm dona Tua; sed etiam Te ipsum? gratiæ tibi. O Anima mea quandoquidem agnoscis te, in veritate, esse nihil, & nullo modo parem, dignamque donis Domini Tui, indue saltem affectum hunc grandem, & Deo placentem Gratitudinis, ut memoriam suavitatis Christi eructare frequenter possis. Delectatur enim Dominus tuus donis istis Paupertatis tuæ.

2. *Deus propitius esto mihi.*

ES propinquus mi Jesu, esto & propitius, es intimus, & mihi planè inviisceratus, aperi etiam viscera propitiationis & misericordiæ Tuæ, ut parcas peccatis meis, & sanes miserias meas magnas, & multas nimis. Non habeo precem aliam quam fundam Tibi, quàm, ut conscius peccatorum meorum, confitear adversum me iniquitates meas, & loquar amaritudines, dicamque Propitius esto peccato meo.

3. *Duo homines ascenderunt in templum.*

COnsidera Scopum Parabolæ hujus expressum, in verbis, hoc Evangelium præcedentibus, quæ sunt talia, Dicebat autem ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam istam &c. His enim verbis indicatur scopus quem Christus in hac parabola prætendit, non esse aliud, quam nostram malitiam, exitium, vel supplicium, nec non genera filiosque superbiæ explicare omnibusque ob oculos proponere, & ad fugam detestationemque ejus inducere. Prima igitur superbiæ malitia est & filia, confidere in se. 2. justum se putare. 3. Cæteros aspernari; horum vitiorum Christus exprimit. Impudentiam quia tam liberè cum Deo agunt. 2. Nequitiam quia licet Deo pro suis operibus gratias agunt, ea tamen sibi attribuunt, & ex iis se efferunt. 3. Stultitiam, quia ipsi laudes suas decantant, cum exspectare debuerint dum à Deo laudarentur. 4. Cæcitatem, quia se cum pejoribus comparant,

parant, at ad meliores non attendunt. 4. Pœnam quia cum se extollunt, humilian-tur; & dum de Sanctitate superbiunt, à sanctitate destituuntur. Detestare ergo superbiam, metire te tuo pede, nosce teipsum, tibi attende, neque tibi facilè crede aut blandire quia pravum est cor hominis, ejusque via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem. Est etiam qui se nequiter humiliet gratias Deo agendo, interim tamen interiora ejus plena sunt dolo, alteri se præferendo. Ad hæc, melioribus te compara, nec hoc tantùm specta quod habes, sed quod nondum es assecutus. Scito quod multa tibi desunt, quod is quem tu malum putas, si hanc gratiam haberet quam tu, multis te superaret. Quare noli elevare caput, si justus es, gratia Dei es, quod es.

4. Non sum sicut cæteri hominum.

HEu quam incertæ cogitationes hominum! quam periculosum alios censurare; Quod majus periculum quàm eo ipso, quia Pharisæus Publicanum damnavit, ipse damnatus est, rejecit Publicanum, rejectus est à Deo. O Superbia quàm facilè, quàm alta dejicis! ô Humilitas quã facilè erigeris! Memento Anima mea totius formidandæ periculosæ parabolæ. Qui stat videat ne cadat. Verè qui cadit, Domino suo cadit, potens est autẽ Deus, sicut & te imò plusquam te, imò abjecto te statuere illum. Quid enim an non surrexit homo pro Lucifero, David pro Saule, pro Juda Matthias, pro Pharisæo Publicanus, pro Iudæis Gentes? Tu ipse recordari potes, quoties in idipsum quod modò in aliis culpabas, statim in idem incidebas. Fuge ergo censuram aliorum, & dic tibi, Quid ad te!

5. Publicanus autem à longè stans.

QUare à longè? quare nolebat? nempe se noverat, sciebat in se nihil boni, sciebat multa mala, ideò à longè, ideò nolebat, quia verecundiâ prohibebatur. O verecundia quanti apud Deum es? omnia impetras, Publicanum præ Pharisæo justificas! non audes cælum intueri, & cælum penetras! à longè stas, & Deus ad te accurrit. Disce Anima mea verecundiam istam. An causam non habes verecundandi? toties fracta fides tanta defædatio, tanta vilitas, cum tanta majestate, pulchritudine, fidelitate composita, non meritò ruborem incutiunt?

6. Deus propitius esto mihi peccatori.

COnsidera hujus orationis valorem. Hæc unica, plus valuit apud Deum, quam omnes Pharisæi tot, tantæque justitiæ. Tanta est vis ejus, si cum humilitate (uti hîc) conjungatur, ut potuerit Publicanum justificatum in domum suam remittere. Considera præterea ejusdem necessitatem: semper enim tibi est necessaria, sive justus, sive sis injustus, in quovis opere, meritò dicere potes debesque, Deus propitius esto! Justus es? at potes quolibet momento peccare, Fuisti aliquando peccator? dic ergo Deus propitius esto. Peccator es? tantò frequentiùs repete, & humiliùs verecundiusque usurpa, Deus Propitius esto mihi; Sit ergo frequens oratio hæc in ore & corde tuo, cum Spiritu humilitatis, verecundiæ, & contritionis conjuncta; & pudeat te tam frequenter hanc orationem usurpare, nec tamen eundem effectum, quem obtinuit Publicanus, referre.

7. Omnis qui se exaltat humiliabitur.

ELatio & Exaltatio fructus humilitatis sunt; Depressio, & Abjectio, fructus vel pœnæ potiùs superbiæ sunt. Quantùm teipsum dejicis, tantùm te Deus extollit; quantùm te ipsum evehis, t-ntùm te Deus dejicit. Vis cadere? erige te, cades. Vis erigi? abjice te, stabis. Si te sponte exaltas, invitus humiliaberis; si te sponte humilias, invitus extolleris. Vide jam igitur, præstetné humiliari an exaltari à teipso? præstetné exaltari vel humiliari te à Deo? Si te Deus extollit, nemo te humiliabit. Si tu te ipse humiliaveris, Deus te exaltabit, si tu te exaltaveris, Deus te deprimet. En optio, elige; Vita & mors, gloria & confusio, in manu tua. Hoc scio, in multitudine veritatis effatum est, Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.

DOMINICA XI. post Pentecosten.

1. Bene omnia fecit. Marc: 7.

QUomodo non omnia bona faceret Bonitas? Opera Creationis, Opera Redemptionis, opera glorificationis, bene omnia fecit, te ipsum attende, quid in te fecit, quod non bene fecit. Singulos dies recole, quos tibi bonos, in quibus bone tibi non fecit? quid longè abeas? hodiernum vide diem, an non bone tibi fecit omnia, qui se tibi fecit omnia? an non omnia, qui & cibum & potum? descendit usque ad gustum, usque ad palatum tuum, & non fecit se omnia, non bene fecit omnia? Mi Iesu fac in me be-

ne & bona omnia, quia facis bona omnia: & qui fecisti te mihi benè omnia, sis tu mihi bona omnia. In me autem sint tibi omnia, ego autem inter omnia, & bene omnia. O Anima mea quid torpescis? procumbe ad pedes Iesu, & pete, ut in te bene faciat omnia. Multa tibi bona desunt? faciat illa; multa bona sunt, sed non bene? faciat bene, multa mala sunt, faciat non esse & faciat bene, & cum hæc fecerit, dic illi jugiter in corde tuo, Bene omnia fecit.

2. Apprehendens eum de turba.

Vide quot quantasque Christus cerimonias adhibuerit in hujus surdi & muti curatione. 1. Apprehendit eum. 2. Educit de turba. 3. Mittit digitos in auriculas. 4. Expuit & tangit linguam ejus. 5. Suspicit in cælum. 6. Ingemit. 7. Ait Epheta, hoc est, mandat ut solvatur vinculum linguæ auriumque ejus. Ex his disce, quam sit difficilè hominem qui obmutuit & obsurduit in Anima, revocare ad loquelam & auditionem. Uno verbo, quã difficilè sit animam peccatricem convertere, ita ut verè dicatur, opus hoc dexteræ Excelsi. Ubi & gratias ages Deo, qui te eruit tanta cum difficultate à cæno improbæ vitæ, & timebis ne tuo vitio, negligentiaque ac torpore, & ingratitudine incidas in surditatem & obmutescentiam spiritualem, ut tibi nec orare, nec legere, nec loqui libeat pia. Tum verò & hinc cognosces, quâ patientiâ opus habeat is, qui alios ad bonum promovere curat, non succedit semel? tenta iterum, modus unus non est efficax? adhibe alium, non potes sermone cum ipso? conare oratione ad Deum: nõ audit ille? Deus audiat te pro illo: non gemit ille super se? geme tu pro illo ad cælum, & cave Christi sanguine redemptum negligas, & de illo desperes. Vide potiùs, ne in te culpa sit, quominus aliquid efficias in hujus salute.

3. Adducunt ei surdum.

Quæ est ista surditas? Sanè si omnis Christi actio, nostra est Institutio, & morbi omnes corporum quos Christus sanasse legitur, typi sunt Animæ morborum, surditas ista surditatem Animæ denotat. Surda est anima, quando vocem Exactoris non audit, fitque sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Surditiem causant duo, vel enim læditur organum vel oppletur auris Animæ, & respiratio cordis, vel potiùs cor ipsum, juxta illud; Ducam eum in solitudinem & ibi loquar ad cor ejus? Qui igitur surdus est in anima, corde surdus est: surdus autem corde, quia læsum est cor. Porrò cor læditur, quando à Deo avertitur, & creaturæ adhæret magis quàm Deo. Quod fit per peccata lethalia. Læsio quippe cordis lethalis est. Atqui oppletur cor, quando per negligentiam & torporem foventur in eo levia peccata, nociva desideria, libertas conversationis, evagatio sensuum, incuria cogitationum, carnis commoditates, hæc enim sensorium cordis ita opplent, ut sonus audiatur nullus. Tu nunc jam inspice, læsam an oppletam habes aurem Animæ, & juxta ceremonias à Christo hîc adhibitas curationẽ facito.

4. Adducunt ei surdum.

Qui non audit, vocem utique loquentium non audit. Vox enim objectum auditûs. Considera ergo varios, qui perpetuò ad cor Animæ clamant, nec tamen illa ipsos audit. Loquitur conscientia propria, & quidem efficacissimè ac pertinacissimè, quin & veracissimè, cui non os claudi, cui nihil falsi objici potest; sola surditas opponi valet; Loquitur autem; Peccasti Deum iratum habes, occidisti animam, in dæmonis potestate servis, infernus habitatio tua est, age pœnitentiam; Loquitur Deus; Revertere Sunamitis, revertere ut intueamur te, ut Pater per suam omnipotentiam te convertat, Convertere ad Dominum Deum tuum, ut Filius te suo sanguine lavet; Spiritus S. suo lumine illustret, & charitate inflammet. Loquitur Angelus, Usquequo perges thesaurizare tibi iram in die iræ? an ignoras, quia benignitas Dei, te ad pœnitentiam adducit? num divitias bonitat is ejus cõtemnis? quousque piger dormies? quousque non surges? quamdiu erit Cras Cras, quare non modo? quare non hodie, quare non hac hora finis turpitudinis tuæ? Loquitur propinquus tuus Clamans, Miserere animæ tuæ placens Deo, dans eleemosynam ut omnia munda sint tibi. Loquitur omnis Creatura, Accipe beneficium, Redde debitum, Fuge supplicium. Hæ sunt voces; quas anima surda non audit; & quia non audit, non novit; & quia novit, perit. Considera ergo prædictarum vocum pondus, & acquiesce consiliis earum.

5. Epheta.

O Quoties inclamatur tibi à Christo, Adaperire. Stat ille ad ostium & pulsat, ut si fortè adaperias, intret & cænet apud te. Clamat, Aperi mihi soror mea sponsa, aperi mihi ô Anima, quæ etsi sponsa sis, sororis tamen instar haberis; Ecce cincin-

cincinni mei rore sunt pleni, ecce venio donis & miserationibus onustus, ecce madeo sanguine totus, quem pro te effudi: Ecce oleum effusum nomen meum, idcircò adolescentulæ diligunt me; Ecce ego unctus oleo præ consortibus, & nomen mihi Christus: unctus sum unguento quod descendit usque in oram ipsam vestimenti: Adaperire ergo, quid obducis pessulum foribus? aperi, mihi, ô! Beati servi illi, quos quotiescunque venerit Dominus, etiam in 3tia vigilia tamen invenerit vigilantes, ita ut cum pulsaverit confestim aperiant illi! Tales sane animæ, velut prudentes Virgines ingrediuntur cum sponso ad nuptias, nec illis claudetur janua, sed sequentur Agnum quocunq; ierit. At tu quid ad hæc anima mea? Ecce spósus tuus laboravit clamans & sustinens, raucæ factæ sunt fauces ejus, fervorumq; ipsius. En dicit; quid potui ultra facere vineæ meæ? clamavi, pulsavi, vocavi, & non respondit mihi; non aperuit mihi; dicit Dominus, Similis factus sum pueris in foro sedentibus, & canentibus, & tandem dicentibus, Cantavimus vobis & nō saltastis. Exurge ergo tandem & attende Dominum clamantem, adaperire, quousque clausus eris Deo, quousque non parebis inspirationibus vocibusque Domini tui? Ecce nisi Dominus custodierit Civitatem frustra vigilat &c. Dominus est, Clavis David, qui aperit & claudit. Tolle tua ostia quæ Deum excludunt, dæmonem malum includunt, tolle inquam hæc & accipe ostium bonum; en ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, vitam referet non mortem: non enim per me intrat mors, cum ego nolim mortem peccatoris, sed intrat per fenestras vestras. Hoc ostio, quod ego sum, domos vestras munite, & claudite, si custoditas habere vultis. O felix anima! quæ Deo clausa est, cujus ostium Christus est; sed esse non potest, nisi aperuerit Deo, & se ejus voluntati tradiderit.

6. Loquebatur rectè.

Ecquando tempus illud erat, ô Anima mea, quo tu loquebaris rectè? Væ mihi quia vir pollutus labiis sum ego? Consummatio malitiæ lingua, ex ore tuo te judico ait Christus, &, Ex verbis tuis damnaberis. En quot anni sunt ex quo Religionem ingressus es, & nondum loqueris rectè. Audi ergo Apostolum concludentem. Qui non refrenat linguam suam, hujus vana est Religio, quid ergo prodest Christum sequi, si non contingat consequi? quid juvat esse Christianum, esse Religiosum si non contingat esse cum Jesu! Loqui verò rectè, Quid est? Loqui de Deo, loqui propter Deũ, loqui cum Deo, loqui ante Deum, loqui pro Deo, loqui placentia Deo.

7. Adducunt ei surdum & mutum.

Quàm multi sunt in toto orbe surdi & muti! quàm multi sunt qui Evangelium erubescunt, licèt ejus Prædicationem vitâ, officiis, beneficio titulo, veste, instituto, voce, juramento, præferunt, tam multi omnino sunt muti. Canes muti non valentes latrare; Ecce parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret. In tam multis Regni partibus, tam multa barbaries est, Dei & Christi ignorans, nec est qui doleat super contritione Joseph. Dicit S. Ioannes, si quis audit, dicat, veni: de Christo etiam scriptum; Hæc dicens clamabat, Si quis habet aures audiendi audiat; de eodem David locutus: Domine labia mea non prohibebo, tu scisti. Isaias quoque dolet, dicens: Væ mihi quia tacui. Ingemisce huic penuriæ, condole tantæ miseriæ hominum quia non est à quo audiant veritatem; non est qui testimonium perhibeat ipsis de veritate. Pete tu à Christo Domino, qui de se apud Pilatum dixit, Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; ut ipse quoque te in hoc natum esse velit, ut testimonium veritati ejus perhibeas, velitque te esse vas Electionis, ut portes nomen ejus in gentibus. Sed ex parte alia multò est surdorum major multitudo, magisque deflenda negligentia vel stultitia vel malitia de qua quæritur Isaias & ipse Christus, Domine quis credidit auditui nostro? Cecinimus vobis & non saltastis, ploravimus & non flevistis nec audistis. Quò fit, ut in tanta fidei Christianæ claritate, tot sint Hæretici Athæi, Schismatici, Ethnici; Quo item fit, ut in tanta Concionum Concionatorumque copia & cura, nulla penè, aut certè rara sequatur morum emēdatio in populis. Orabis ergo intensè & ardenter, & frequenter Deum, ut aperiat aures populorum ad audiendum sermonem ejus, utque non graviter auribus suis audiant, nec obdurent corda, si hodie vocem ejus audierint, sed potiùs semen verbi Domini cum gaudio excipiant, cordeque puro & perfecto ferant fructum centesimum.

8. Adducunt surdum & mutum.

Considera quàm multi muti surdique sunt inter eos, quos minime tales esse oportebat. Quæritur Deus apud Isaiam,

Quis surdus nisi servus meus? & quis cæcus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis mutus in laudibus meis, nisi is qui se servitio meo devovit? Conscientiam tuam in hoc inquire, quàm elinguis es in orando, quam mutus in meditando, quam surdus in audiendis Dei inspirationibus. Dole super cordis tui duritiem, & emendationem fervoremque propone.

DOMINICA XII. post Pentecosten.

1. *Beati oculi qui vident.* Luc: 10.

PEr omnem modum planè beati qui IESUM vident fide vivâ in panis specie, qui vident in pane Carnem, in orbiculo immensum, in Creatura Deum & Hominem. Beati qui vident & penetrant acutè dignitatem ejus, & ad redamandum illum totis feruntur viribus. Beati qui vident desiderium illius, quo nobis conjungitur & ad ejus complexus toto corpore anhelant. Beati qui vident quid ille sit, quo dignus sit, quantùm se nostri causa demittat, & quid contra, ipsi in ejus cōparatione sint; quid illi debeant, quid causâ illius agere & audere debeant. Beati qui vident divitias ejus, & promptitudinem Animi, cum qua paratus est bona sua nobis largiri, nostrisque miseriis succurrere, & qui vicissim totos se ei pandunt, omnesque illi necessitates suas fidenter aperiunt, de gratiis ejus copiosè sumunt & ditantur. O Anima mea aperi oculos ad ista, & hanc tibi benedictionem ne invide. Christus est, qui hæc videntes pronuntiat beatos, illi crede.

2. Beati oculi qui vident.

BEati vocati sunt Apostoli qui Christum viderunt in carne; at etiam Christus dixit, Beati qui non viderunt & crediderunt. An non Beati, qui in historia tantùm Evangelica Christum contemplantes, omnia ejus opera amant, mirantur, omnes ejus gestus motusque indagant, & in se exprimere contendunt? an non beatus, qui in paupertate & Christi videt divitias, toto mundo potiores? an non beatus qui in castitate conjugium, in patientia gaudium, in cruce voluptatem, in contemptu gloriam videt? Beatus planè per omnem modum! atque ut credas, Christus gratulatorium occinit, Beati oculi qui vident. O! quam multi hæc oculi non vident, etsi aliàs oculatissimi sibi videntur; abscondita enim sunt hæc à Sapientibus & prudentibus, revelata autem parvulis. Gratias tu age Deo, qui tibi hoc dedit, ut audires vocem & converteeris, & videres, roga autem ut id ipsum tibi opere exequi donet, ne scienti bona, & non facienti, peccatum tibi sit.

3. Quid faciendo vitam æternam possidebo?

O Quàm utilis quæstio! ô quàm rara in mundo! quàm etiam (si fortè aliquomodo incidit) in reprobum retorqueri sensum solita! Ecce id patet in hoc legis perito, qui utilia quærit, sed non ad utilitatem, verum ad tentationem, tales describit Apostolus alicubi: Semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Sunt enim quidam, qui se scire velle simulant, ut scioli videantur, ignorantiam prætendunt, ut scientiam ostendant. Sed quam rara est hæc quæstio, res clamat. Quid enim homines quærunt? alius ait quæritque, Quid faciendo, illud alteri eripiam? Quid faciendo, quærit alter, illum in hoc impediam? quid faciendo illum ulciscar? quid faciendo illum pervertam? quid faciendo gratiam hominum acquiram, opes conservabo &c. quæ omnia inutilia sunt, & creberrima tamen sunt. Nemo quærit, Quid faciendo vitam æternam possidebo? Corrige errorem Anima mea hunc in te, si est: si non est, gratias age Deo, & seriò inquire atque exequere, quid faciendo vitam æternam possideas; videque seriò, an sic faciendo sicque vivendo, prout nunc defacto vivis & facis, Regnum cælorum possidebis.

4. Diliges Dominum Deum tuum.

HÆc est Superioris Quæstionis adæquata solutio. Ecce plenitudo legis est Dilectio; ecce qui diligit, legem adimplevit, qui autem non diligit manet in morte. O quantum ad vitam æternam compendium. Dilige! Noli facere miracula, noli creare mundos, noli loqui variis linguis, noli stupendas facere eleemosynas, mortificationes, Dilige & fac quod vis, & vitam æternam possidebis. Nec dubita, ait Christus, hoc fac & vives; Quid faciliùs quàm diligere? Voluntatis hæc actio est, voluntas libera est; & quid faciliùs eo quod liberum est? O amare, ô ire, ô sibi perire! ô ad Deum pervenire! pervenisti si Deum & Christum dilexisti.

5. Homo quidam descendebat.

HUnc hominem te esse intellige, Samaritanum puta Christum, Stabulum puta Religionis statum, qui tui curam suscepit, qui vulnera vitæ sæcularis, alligat suavitate, solidat vino disciplinæ, & oleo chari-

charitatis fovet. O quid dabis huic Samaritano! ô quantùm debes stabulo, ne per te inquinetur, ne disciplina illius tuâ dissolutione labefactetur, ne ex eo tanquam incurabilis, & pestilens æger pellaris ejiciarisque.

6. Samaritanus autem quidam.

SAmaritanus tu esse debes, idque tuum Institutum à te exigit. Plebs misella, similis est ei qui incidit in latrones varios curarum sæcularium; Semiviva est, vix enim quidquam fidei emicat in illa, jacet in multitudine peccatorum, transit Sacerdos, transit & Levita, negligit oves sibi commissas. Quid ages Samaritane? Duc errantes in viam confractum solida, alliga vulnera, effunde vinum veritatis, junge oleum commiserationis, impone jumento tuo, pænitentiam age pro populis, eorumque peccata devora. Duc in stabulum Ecclesiæ, fidei confessionis. O quanto ea res tibi merito, quantæ saluti, dummodo ne torpescas, ne evanescas à dæmonio meridiano! Scito animas illas Christi Jesu sanguine redemptas, miserè à latronibus tractatas, tibi concreditas. Curam illius habe. Lege charitatis & instituti. Ne parce sumptui, ne labori; quicquid supererogaveris reddetur tibi. O supererogaveris, quis te apprehendit, quàm pauci, quàm raro! An tantis excusationibus ac tantis querelis, tardationibus plena esset Domus cum confessiones audiendæ, cum infirmus adeundus, cum proximus juvandus, cum excurrendum, cum in dies cathechisandum est, si istud supererogaveris, nobis bene cognitum esset? Vade ergo anima mea, fac similiter, accende in te zelum Animarum, & omni ratione cura ut aptum fias instrumentum Dei ad proximorum salutem, quod fiet doctrinâ solidâ, multâ virtute, ferventi charitate, jugi oratione, profundâ demissione, tui contemptu; vade fac similiter.

7. Diliges Dominum Deum tuum.

EX istis verbis collige, totam vitam tuam, totam substantiam tuam, totam curam, cogitationem actionemque tuam esse debere Amorem, Dilectionem, Charitatem; Et quamvis hoc plenè in hac vita esse nequit, ex parte tamen ut fiat curandum. Aliquando Deum dilige actu, aliquando intentione, aliquando virtute, semper habitu. Amorem tuum ad hanc libellam erige. Ex toto corde tuo, Ex tota anima tua, Ex omnibus viribus tuis, Ex omni mente tua. Noli credere tibi superficialiter tantùm attendas amorem tuum, experire illum quam facilè delinquis, quâ facilè ad creaturam te convertis, quàm facilè rebus levibus turbaris, quàm impotens es, si quid magis heroicum agendum, sustinendumvé quàm molestè fers si non ad votum succedunt omnia, si quis indiscretiùs morosiusque te habet?

8. Diliges proximum tuum sicut te.

AGe amorem tuum hic proba quantùm te, quantum alium diligis; quàm facilè tibi parcis, teque apud te excusas, quàm libenter audis, si de te bona sit apud alios opinio, quàm indignaris te contemni, facis hoc ipsum proximo tuo? quid multis? si non sicut te diligis, non diligis; præceptum sic sonat.

DOMINICA XIII.

post Pentecosten.

1. Cum ingrederetur castellum occurrerunt. Luc: 12.

INgreditur hodie Jesus castellum tuum Animam scilicèt tuam, in Ierusalem se putat ire, omnia putat digna se, Civitatem Sanctam arbitratur, & ecce leprosi iique decem occurrunt. O fraudem, ô injuriam! siccine recipitur Christus? Leprosus Intellectus, leprosa Memoria, Voluntas, Irascibilis, Concupiscibilis, Visus, Gustus, Tactus, Auditus, Odoratus. Quorsum intras Domine Jesu? leprosis hic plena omnia, hic lepra cæcitatis, malitiæ, oblivionis, Superbiæ, Amoris proprii, vanitatis, Sensualitatis, mollitiei, tepiditatis; frustra ad hanc ficum accedis, fructibus caret. Ah quanta mihi erubescendi materies, & qui tantùm leprosus sum, & tam pridem, & in eo loco, & tanta habens ad munditiem auxilia, & toties mundatus? Quanquam tu ô cor meum neque in tanta calamitate animæ tuæ spem abjice, sed leprosorum istorum turbam, Christo in Sanctissimo Sacramento objice venienti, & à longè quidem, sed tamen in oculis statue, ut eum ad misericordiam flectas, oculosque benignitatis ejus ad te convertas, si fortè misereatur miseriæ tuæ, & dicat tibi, Surge, vade, fides tua te salvum fecit.

2. Occurrerunt ei decem viri leprosi.

IN lege antiqua conspectum hominum fugiebant leprosi, in Lege Christi, Christo occurrunt, non enim venit Christus in servitute Mosaica, sed venit quærere, & salvum facere quod perierat. Aspice miseros istos homines, à longè stantes, humiliter.

liter clamantes, Iesu Præceptor miserere nostri. Vide & Benignissimum, eos amantem & misericorditer intuentem, ad Sacerdotes ablegantem, intus verò jam ad eorum se mundationem accingentem Iesum, & disce, quàm diversi sint Christi mores à tuis. Ille nullum aspernatur, nemini se taciturnum morosum, tristem exhibet, non conqueritur de intempestivo occursu, tandemque Christi affabilitatem & mansuetudinem imitare.

3. *Qui steterunt à longè & levaverunt vocem.*

EN lepræ remedium, occurrere Christo, stare à longè, levare vocem. Occurrit Christo qui lepram agnoscens, remedium ab illo quærit. Stat à longè, qui cum timore & reverentia humilli cogitat, quantùm inter se & Deum intersit, & profundè se abjiciens, cum Publicano verecundo pectus tundit. Levat vocem, quæ non ore, sed mente, sed affectu, vim facit Christo, gemituque ac suspiriis flectit misericordiam ejus sibi. Aspira sic, ô Anima mea, ad Jesum, humilia te, abjice, & dic, Jesu; Præceptor miserere, vides lepram quoniam multa est, sana.

4. *IESU Præceptor miserere.*

SI Jesus Præceptor, tu ergo discipulus; ô qualis ille Præceptor, qualis tu discipulus? quàm ille abunde præceptoris fungitur officio? quantùm tu officio discipuli indormis. Etenim, quantùm profecisti per tot annos in Schola Christi? Quod Christi, non dico consilium, sed præceptum imples perfectè? quæ in te Magistri similitudo, quantùm tibi sapit ejus doctrina de Paupertate, de Obedientia, de Castitate, patientia, amore inimicorum, nec doctrina solùm sed etiam exemplum? qua ergo fronte Iesum appellas Præceptorem, siquidem agnoscis te esse non discipulum.

5. *IESU Præceptor.*

PRæceptor dictus est à præcipiendo, vel à præcapiendo, vel à præincipiendo. Est enim Præceptoris, & præconcipere quæ docet, & præcapere, & ipsum incipere. Atque talis fuit Præceptor Christus. Non enim solo verbo, sed etiam facto docuit, omnium præceptorum suorum dans nobis exemplar in seipso: Cœpit Jesus primùm facere & docere. Tu ergo si Christum agnoscis Præceptorem, fidenter ejus præcepta diligenterque edisce, sciscitare exempla. Quodsi etiam posuerunt te fortè custodem in vineis, & fecerunt Præceptorem aliorum, constitueruntque super Gentes & Regna, ut evellas, & dissipes, & destruas, & ædifices, & plantes, quæris autem quî id facies? Audi, proximum, Cæpit Jesus facere, postea docere: dans utique exemplum tibi. Quid enim tu audeas docere alios, quod non facis? Hypocrita, ejice primùm trabem ex tuo, ut festucam videas in oculo alieno, Inspice ergo in Præceptorem Jesum, & Patri Æterno gratias age, quod talem tibi dederit præceptorem. Statue, præceptis ejus exactè obedire, revoca tibi illa in memoriam, & cum te alios docere oportebit, contende lucerna esse, nō lucens solùm, sed & ardens.

6. *Ite ostendite vos.*

NE videaris verbo tantùm agnoscere in Christo auctoritatem Magistri, Ecce statim Jesus præcipit, Ite. O quàm sæpe à Deo postulas virtutem, cujus quando tibi Deus exercendæ occasionem subministrat, mox resilis à præcepto, ostendisq; frustra à te Christum Præceptorem vocatum, nec purè fuisse cordi imitationem Christi, aut virtutis professionem. Semper igitur quando à Christo donum petis virtutis, protinus ad ejus te exercendæ occasionem præpara, imò illam inquire & arripe.

7. *Ite ostendite vos.*

POtuit Christus mundare leprosos absq; hoc Ite, sed quia exigebat cooperationem eorum in sanitate sua, ideò dixit Ite, & ostendite vos. Nec tu ergo gratis te speres Sanctum futurum: ora & labora; Vim patitur Regnum Dei. Patet quidem cælum, sed angustam habet portam, & per arctam semitam contendendum est. Poterat adhuc Christus leprosos mundare, at volebat legem servare, quæ jubebat ut leprosi, qui lepram deposuissent, Sacerdoti se sisterent probaturo, an verè lepra periisset; & simul Iesus & præceptū implet, & fidem obedientiamque leprosorum probat, quos nondum mundatos, ad Sacerdotes pergere jubet, tanquam mundos, quia interim dum irent, mundati sunt. Disce hîc tu observationem legum tuarum, & earum quæ parvæ videntur: quæ etsi parvæ videntur & sunt, si tamen serventur, lepram detergunt, si non, lepram advocant. Vim etiam obedientiæ agnosce. Quare tu in obedientia vivens non es mundus, nec hactenus planè mundatus? quia tardus es, murmurans, examinans, nunquam simpliciter & exactè obediens.

8. *Dum irent mundati sunt.*

HÆc est ad perfectionem via certissima. Si stare appetis, mundari non vis, deficere vis, imò deficis. Vis mundari? Chri-

Christus ne salutari quidem jubet quenquam in via, adeo itineri vult esse intentos: tu stando mundari vis? aut te, aut Christum falli necesse est.

9. Unus ex illis ut vidit.

O Quàm pauci Domine Jesu dona tua agnoscimus! decem mundati, unus vidit, unus rediit, extollit vocem ex decem unus, omnes clamaverunt; Miserere nostri, unus clamat, Gloriam habe. Et tu anima mea, nonne ex centum beneficiis vix unum agnoscis, vix pro uno gratiam habes, refers? O quam sumus pii dum malis premimur! erepti autem non videmus, nos ereptos esse. Non est dubium, & reliquos vidisse, quod mundi facti essent, attamen vel contempserunt Donum Dei, vel gratias agere, redireque pigritarunt. Si causam quæris, quare unus tantùm rediit, puto ego quia unus tantum verè lepram cognovit: nam ex mali cognitione, & boni æstimavit qualitatem; quam multi sunt qui in Confessione mundantur, & pauci deinceps emendantur, dantque Deo gloriam; quare? idcircò, quia fæditatem peccatorum non agnoverunt, nec verò pro illis doluerunt, ideò & remissionis donum non magni æstimârunt.

10. Nonne decem mundati sunt.

SUnt quidem bona Dei sine pœnitentia apud Deum, attamen ita Deus odit ingratitudinem ut doleat se benefecisse ingratis. Audi dolentem; Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Si hæc vox non est dolentis, nulla est. O si verba perpendas singula, quam dici posset verum esse illud à Christo dictum; Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei. Quantò enim homines se miseriores esse, vel fuisse agnoscunt, tantò pluris æstimant gratiam Dei; contra verò, quibus sua miseria ignota est. Deo ingrati sunt; Horresce ergo ingratitudinis vitium & sæpe Deo gratias age.

DOMINICA XIV. post Pentecosten.

1. *Nolite soliciti esse Animæ vestræ quid manducetis.* Matt: 6.

QUis est homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? hoc Evangelium præsens legat, attendat, impleat. Adimit solicitudo vitam Spiritus tristis exsiccat ossa, amarum faciunt vivere curæ? Ecce his omnibus liberat nos Deus noster, amantissimusque Pater: Nolite, inquit, soliciti esse animæ vestræ quid manducetis; neque corpori quid induamini, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis, & quia scit, dat affluenter, nec improperat, dat sicut Pater filiis, sicut Pastor oviculis, sicut bonus Patronus pupillis; Ne longè abi anima mea; escas tuas tibi ab hoc Patre præparatas, inque conspectu tuo mensam positam considera, quam nobilis, quã lauta, quàm instructa sit hæc Sanctissimi Sacramenti mensa? quo non abundat ferculo? quibus caret deliciis? omne delectamentum suavitatis in se continet. Regale quippe convivium à Rege Regibus institutum, Angelis invidendum, & quid ad hoc, ò homines! dicitis? quare animæ vestræ sitiunt vehementer? en potus, en cibus, en convivium, en cœna magna, en nuptiæ filii Regis, à Rege Regibus institutæ? Si quis sitit, veniat & bibat: nolite Soliciti esse Animæ vestræ quid manducetis, sed potius quomodo manducetis. Ut sit quid manducetis, Pater cælestis curabit; ut vos digne manducetis, vos curate.

2. Nemo potest duobus Dominis servire.

COgita tibi à Christo Domino dari optionem eligendi Dominum cui servias, quem velis: è duobus unus eligendus est, hâc lege, ut quàm primùm uni adhæseris, alteri statim inimicus hostisq; sias, illum contemnas odioque habeas. Unus ex his Dominis, est Christus, alter Diabolus. Elige quem horum velis; in manu tua est eligere. Et verum quidem est; quod si naturam si obligationem, si promissionem spectas, Deo servire debes, si autem voluntatem propriam liberamque respicis, potes diabolo adhærere; Si Deum sequeris, nihil te beatius, nihil te digniùs, si diabolum, nihil miserius. respice nunc quæ te optio decet.

3. Nemo potest duobus Dominis servire.

DOminus Deus te totum sibi vult, ideoque dicit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ut scias, divisum cor, Deo cordi non esse: sed ita Deum resolutum esse, ut totus, aut nulla ex parte ejus sis oportet. Ille totus est Dei, qui servit Deo soli; qui nulli rei Deum postponit, nec Deum propter ullas humanas rationes offendit; Claudicat in utramque partem, qui Deo & creaturæ servire vult. Noli errare, sed veritatem audi, Nemo potest duobus Dominis ser-

 vire.

vire. Mentitur qui se posse utrumque dicit; cælestia gustare, & carnalibus non carere, impossibile; nulla est lucis & tenebrarum conventio; nulla carnis & Spiritus concordia; inter Christum & Belial, Arcam & Dagon pax nulla, totum ergo te Domino Deo trade.

4. Aut enim unum.

ECce qui amat Creaturas, odit Deum. Imò, Ecce amor Creaturarum odium est Dei, & amare has, est illum odisse. O quàm verè dictum Qui vult esse Amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur. Et, Si adhuc hominibus placerem, Servus Dei non essem. Miraris quod cælestia tibi gustare non datur? Si aceto plenus es, ubi mel pones? vinum novum in utres veteres non mittitur. Subjiciaris Deo, ut subjiciatur tibi caro; nam si renuis tu Deo, nequaquam subjicietur tibi caro: pacem fac inter te & Deum, ut detur tibi possidere terram tuam; hæc est enim beatitudo pacifica.

5. Aut enim unum odio habebit.

COnditiones hominis aliquot in hoc Evangelio describuntur. Prima est, quod sit Servus. Non enim homo planè liber est, sed conditus est, ut eum necesse sit alicui esse Subditum. 2. Quod unius tantùm Domini servus sit, Dei scilicet vel Diaboli; Dei vel mammonæ; utrique servire non potest; tum quia unus homo est, tum quia Domini sunt sibi oppositi & contrarii. 3. Quod ad nullius cogatur servitium, sed liberè utrumque eligat sibi, licet uni servire teneatur, sitque de salute ejus, alteri autem servire, sit ejus pernicies. 4. Quia tenetur amare Dominum cui servit; ibi enim non dura necessitate servitur, ubi diligitur, & qui jubet, & quod jubetur. 5. Quia oportet illum mores Domini sui sustinere, vestem illius & insignia circumferre, per omniaque Domino suo conformari. 6. Quia debet de mercede sua non pacisci cum Domino, sed eam de manu ipsius exspectare, fidereque ipsius liberalitati & fidei Deus enim talis est Dominus, ut nolit servum de mercede cogitantem, sed gratuitum, & tamen gratis nolit sibi servire. Diabolus contra, promittit & paciscitur cum servis suis de mercede, fallit tamen semper, nec eam præstat sed sola spe pascit usque ad mortem; ut videri potest in avaris, in ambitiosis &c. Has conditiones tibi applica, & ut iis cum salute tua respondeas, elabora.

6. Nolite soliciti esse.

HÆc est vitæ religiosæ fortuna, Nolite soliciti esse. Quid te turbat in Religione, quia solicitus es de te, & de impertinentibus ad te? Permitte te regi ab his, quibus commisisti te, projice in Deum, projice securus, non se subtrahet. Quid in te stas, & non stas? Si millies Dei circa te providentiam expertus non es, ne Deo crede; sin autem, etiamne Deo fidere dubitas? Vide quàm amanter tecum agat Pater tuus! videt te tristem, malancholicum, anxium en blandiens ait, Nolite soliciti esse, scit enim Pater vester, quia his omnibus opus habetis. Quid vis ampliùs à Deo? ergo omnem solicitudinem projice in eum cui cura est de te, imò de omnibus etiam minimis. Persuade tibi, Deum Sapientem esse, Bonum esse, Potentem esse, magìs quàm te; Si Sapientior, melius noscit, quæ tibi expediunt, quàm tu, crede illi: Si melior est, igitur meliora tibi cupit, quàm ipse tu tibi: Si potentior te est, Ergo faciliùs tibi quæ vult dare potest bona, quàm tu. Quare fide illi, & committe te illi. O providentia! quàm suavis es illis, qui te experiri non negligunt. Hæc est una ad pacem via Consideratio Providentiæ Dei, & fiduciæ in ea collocatio.

7. Nonne anima plus est quam esca.

O Sic in omni cura carnis tibi responde, Nonne anima plus est quàm esca? Appetit illicita otiosa, levia? dic, Nonne anima plus est quam esca? quid? an decet fovere carnem corruptibilem, & malè facere animæ pro qua Christus mortuus est? &, Quam dabit commutationem homo pro Anima sua, quandoquidem Deus Sanguinem dedit pro illa? Nolite ergo soliciti esse, dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, & illi qui spem alterius vitæ non habent.

8. Considerate.

CIbus animæ Consideratio, doctrina, lux, salus, vita, occupatio, quies animæ. Vis discere multa, vis evitare pericula, vis scire agenda, non agenda, vis nosse modum omnium, vis prævidere imminentia? Considerate. Quare tam frequentia peccata, turbæ, inquietudines? non est Consideratio. Considera, provide, non erunt, Totius mundi est vox ista, Considerate, periimus, nos manent cælestia, vos quoque moriemini, exspectat vos futura vita, ardor inferni æternus est. moriendum est; diabolus circuit quærens quèm devoret, Severè Deus judicat, tam multi quotidie pereunt, in momento mori possunt, isti quos sperno melio-

meliores me sunt; Considerate, vigilate, orate, attendite, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

9. Nec Salomon in omni gloria sua.

O Vanitas mundi! quæ à lilio & fœno tota vincitur! quis credit? dicit Veritas. Dic quid vis munde, æstima tè quomodo vis, falleris; unum lilium tuam gloriam vincit, Christus asserit, Veritas dicit, Crede. Sed ineffabile argumentum Bonitatis Dei; Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum lilium. Mira comparatio & magnifica, & talis, qualem nec Salomon in omni Sapientia sua reperisset, adeò luculenta est. O quanta est pulchritudo tua Domine! quàm pulcher es, qui tam pulchra facis! O quantæ sunt divitiæ Tuæ Deus, quas hominibus largiri paratus es! non es dives in homines, qui tam dives es in flores! Et non servies illi cor meum totum? non illi fides per omnia? non illi te committes regendum universum? ô projice te in Deum & Deo dona te ipsum.

DOMINICA XV. post Pentecosten.

1. Ibat JESUS in Civitatem.

ADverte mirum eventum, JESUS ad urbem, adolescens ex urbe; Vita ad portam accedit, mortuus è porta Civitatis efferebatur. Cedit vitæ, an obviat? credo quod vel nefas putet mortuum jacere isthîc, quo veniat vita, vel certè longum videtur exspectare dum veniat in Urbem Vita, sed obviam fertur venienti, ut quàm-primùm vitæ restituatur. Et fortè ideo ultrò accedit ad loculum, qui ad Lazarum nonnisi rogatus, nōnisi deductus accessit. Placet enim Christo in mortuis desiderium & cursus ad vitam. Quid tu Anima mea? en JESUS intrat portas tuas. Effer mortuos tuos obviam Vitæ venienti, ut vivificentur à facie Vitæ; quia quæ conventio Vitam introducere, & mortuos retinere? Mortuus tuus, unicus tuus est, Cor tuum unicum, mortuum Cor est, si divisum est; Divisum est cor eorum, non est in conspectu eorum, nunc interibunt, ajunt hostes hominum in Psalmo. Si partiris Cor in te Deum & Creaturam, mortuum habes, & quomodo Christo obviabis? quomodo illum recipies? O JESU qui filium unicum Viduæ suscitasti, salva animam meam, & libera eam à morte peccati, & iræ tuæ, ut non ampliùs dicam, Adolescentulus sum ègo & contemptus, ideoq; efferor extra portam, sed ut potius surgam & serviam tibi, in plenitudine cordis.

2. Deus visitavit plebem suam.

QUidni gaudeas anima mea, Deus visitavit plebem suam. Plebs mea vos dicit Dominus, Vocabo non plebem meam, plebem, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Quid faciam Tibi, mi JESU, qui tam dulciter, tam frequenter, tam amanter, tam humiliter, tam diligenter amas me, visitas, me? Verè ego plebs tua! Plebejum te mihi fecisti, familiarem, domesticum, intimum! non est aliud quam ut ossa mea tibi dicant Deus meus es tu, & exaltabo te.

3. Ecce defunctus efferebatur.

MIserabilem hominum sortem perpende. Morimur, & velut aquæ dilabimur. Hoc mori tam certum, quàm incertum. Me moriturum scio: quando? ubi? quomodo? nescio. Hoc mori, repeti non potest; Statutum est hominibus semel mori. Ex hac hominum sorte, disce; non statuere hîc manentem Civitatem pro te, sed peregrinum te esse scito, nec omnino diu hîc mansurum. Ex mori isto certo, incertoque, propone ita vivere, ut mori paratus sis semper. Ex hoc mori unico, non repetibili, constitue talis esse in vita, qualis in morte velis reperiri. Nam in morte non est dicendum, Non putaram; in morte errare bis non datur, sed arbor in quamcunque partem ceciderit ibi erit æternum. Sic ergo semper vive, quasi semper moriturus.

4. Ecce defunctus efferebatur Unicus Matris.

MUlier hæc, est anima mea; Filius ejus unicus, est Voluntas: moritur hic filius, quando malo consentit. Unicus est, quia sola voluntate Deo anima placet, solusque & unicus Dei ab Anima fructus Bona Voluntas. Neque potest anima cōplecti Creatorē & Creaturam simul. Effertur hic filius ad sepulturam extra portam, quando tepore, seu potius frigore mortua induratur, venitque in profundum & contemnit. Iterum; hæc mulier, Voluntas est, filius ejus Bonum Propositum: moritur hic filius, quando voluntas à bono proposito ad malum inclinatur. Vis ut reviviscat tuus filius? efferat mater & veniat in occursum JESU; confiteatur Domino miserias suas, cæcitates & malitias, tunc enim Dominus qui cor contritum non despicit, tanget loculum co-

hibebit fletum, suscitabit filium, matri reddet, dabit fervorem; Anima vero stupore repleta, populos affectuum suorum, ad gratias agendas Deo concitet, & laudem Deo salutari suo dicere jubeat.

5. Filius unicus efferebatur.

QUid sibi volunt istæ circumstantiæ? Ecce filius, unicus matris suæ, viduæ efferebatur? an designant mundi vanitatē, bonorum ejus inutilitatem, amicitiam fallacem, brevitatem deliciarum? Non putas te moriturum quia juvenis es, quia delicatus matri? Ecce filius, unicus, adolescens, non mortuus est solùm, sed etiam effertur. Deliciosus erat Matri, Spes domûs erat, Unicus erat, toti Civitati Magnus erat. Sic enim, dum vivimus amamur, dum morimur efferimur. O munde! ô homines! ô amici! ô Parentes! vobis fidem? an non domus hæc mea? an non hæ facultates meæ? hi ornatus mei, qui mihi toties promittebantur? cur nunc me effertis? mortuus es, quid vales? fætes, exi hinc! O vanitas, ô nugæ etiam matri, etiam unicus, etiam adolescens fœtet, & molestus est filius, mortuus effertur. Quid te fundas in his Anime, è quibus efferendus es & pellendus? isthic te funda quò es efferendus, quò es inducendus. O bona æterna quantùm præstatis! vobis nemo moritur, à vobis nemo effertur; imò ad vos per mortem itur propter vos mori volunt qui vos nôrunt; O! vos ego amem, vos appetam!

6. Misericordia motus super eum.

NOn tam facile cera ab igne mollescit, vel stupa à flamma accenditur, quàm citò misericordia JESU super miseria Matris hujus & omnium miserorum, præsertim eorum qui filii unici, hoc est animæ suæ mortem acerbo dolore deflent, commovetur. Non est opus ut roges, ut procumbas ad genua, flentem te ostende; rogasse, postulasse, impetrasse erit. Anima mea, complectere hoc misericordissimum Christi cor, & pete ut te doceat cōpati super miseria alienâ. Vide, quod ille non rogatus miseretur; promptior est ad miseris miserandum quam miseri ad misericordiam petendam. Et tu bene fac aliis etiam non petentibus, modò possis, modò eos indigere videas, talibus enim hostiis promeretur Deus, & verecundia proximi levatur.

7. Noli flere.

NOn potentis ferre affectum compassionis credo hæc verba sunt. An potiùs immodicum fletum cohibentis? an potiùs promptum auxilium offerentis? an an potiùs causam flendi subesse negantis? an exauditum esse fletum indicantis? an vim sibi fieri lacrymis ostendentis? an non fletu sed fide & precibus opus esse demonstrantis? an seros esse hos fletus asserentis? Noli tu anima mea vana, otiosa, caducaque mundi flere, sed damna animæ, sed peccata tua & populorum, dedecora gloriæ Dei Sanguinisque Christi, hæc fleto.

8. Et dedit illum matri suæ.

CUr non accepit sibi? magis enim suus quàm Matris erat, sed quorsum suscitasset si Matri negasset? Ad hæc, si eum sibi habere voluisset, resuscitare non debuisset. Ipse acceperat quando mori jusserat, restituebat igitur, quando vivere jubebat. Non es avarus Domine in donis & beneficiis tuis; non partiris ea nobiscum, sed omnia integraque nobis das, mundi hoc est munus, divisiones amare, & meliora sibi, deteriora servis suis dare. O quid tu agis cor meum! cur dividis te Deo, cur non totum Deo das te & tradis? quod es, quod vivis, Dei es, magis Dei quàm tuum meumque. I ad Deum, Deus te fecit, te finxit, Pater tuus est, ego tantùm custos; vult te Deus? abi, ejus esto, redde illi te, qui fecit te, qui finxit te. Deus meus! accipe illud & serva.

9. Adolescens tibi dico surge.

JAm adolevisti in malitia, consummatus es in morte, surge, hora est jam te de somno surgere. Tibi dico, te verba mea spectant, te ad vitam voco, te excito, tibi inspirationes motusque sanctos & gratiæ auxilia communico, surge quousque dormies? O voces! quoties sonatis quamque rarò audimini? rarò audimini quia contemnimini. Væ vobis peccatores; non auditis vocem Surge, audietis vocem Abi, Ite; Heu quis tunc dolor! dolere non placet, surgere placeat.

10. Accepit omnes timor.

IN donis Dei sic te gere. 1. Accipiat te timor, hoc est, humilia te coram Deo indignumque bonis ejus judica. 2. Magnifica Deum, gratias agens illi, magnitudinemque donorum ejus extollens, facque illum magnum tum apud te in animo tuo, approbationis & appretiationis affectu; tum apud alios, per doctrinam & bonum exemplum. 3. Ut exeat hic sermo in universam Judæam. Quanquam hoc aliter potest accipi; scilicet per invitationem Sanctorum, qui veri sunt Judæi sive Confitentes, ut pro te Domino gratias agant, hymnumque dicant, qui benefecit tibi, tu autem in omnem Regionem

nem sparge memoriam beneficiorum ejus, hoc est, omnia opera tua in gloriam Dei facito, & totum te exhibe Ad majorem Dei gloriam.

DOMINICA XVI. post Pentecosten.

1. *Intravit JESUS Sabbato manducare panem.* Luc: 14.

OLim sic fuit, nunc autem non sic, nunc enim intrat Jesus ad nos manducari Panis, non manducare panem. O mutatio dexteræ excelsi! ô mira opera tua Domine! virtutum. Anima mea in his cognoscet nimis, ô Nimis! Non cognoscet nimis, quasi non sit futurum quod cognosci possit ac debeat, sed nimis, quia quicquid cognoscit, minus est. An non nimis, Deum hominem, Panem fieri, manducari, & manducari ab hominibus, à vilibus, ac peccatoribus, quando & quoties volunt? O mira dignatio tua Domine Jesu, quia intrasti manducare panem! nos enim panis tuus, nos cibus tuus, esca tua electa & utinam digni simus quorum ad mensam resideas, panemque manduces! utinam non simus instar duri ossis! utinam tibi panem pascenti non porrigamus lapidem, & volenti piscem, non demus scorpionem, & pro pisce serpentem. Tu Domine, averte ne fiat: si autem fiet, dic ut lapides isti fiant panes: potens enim est dextera tua de lapidibus suscitare filios Abrahæ.

2. *Cum invitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco.*

PRo Hominibus hæc lex Domine Jesu, non pro te; nobis sic est faciendum nō tibi. In primo loco Domine discumbere debes, quia tu Principium es, & in capite libri Scriptum est de te, nostrum autē novissima tenere; & sive corpori tuo in Sanctissimo Sacramento communicamus, non præsumptuosè id agere, sed humiliter & verecundè nos gerere, sive etiam aliâ ratione tecum versamur, nihil de meritis præsumere, sed semper sentire abjectè & humilia sectari. Tu autem Domine primum locum ubique tene in toto me, in amore, in timore, in desiderio, in æstimatione, in operibus, in cogitatione. Cedite alia omnia primum locum Iesu. Primus sit Jesus, solus Jesus: in solo enim Iesu est primatus & præeminentiæ omnis dignitas. Et nihilominus Domine Iesu, primum locum tu mihi concedis & me honoras in tuo Sacramento, tu mihi ministras te per te, tu cibus, tu potus, tu mensa, tu pocillator, tu incisor, tu omnia, tu præcinctus ministerium mihi cohibes; ego autem ad mensam tuam resideo, & fercula sumo & comedo omnia. O Anima! sedisti ad mensam divitis, recubuisti in primo loco, præcessisti etiam Angelos, vide ut statuas cultrum in gutture tuo, cultrum reverentiæ.

3. *Et ipsi observabant eum.*

QUis cautus erit, si & Christus observatores habuit? Habuit, & habere voluit? tum ut tantò clarior esset innocentia, ubi nihil in eo reprehendere potuissent oculatissimâ invidiâ suâ; tum ut nobis exemplum esset, videndi, quomodo caute ambulemus inter eos, qui ex adverso sunt; qui amorem quidem simulant ad tempus, sed æterno suo odio, pabulum ex incuria nostra captant. O caute ambulate Filii lucis inter filios tenebrarum! vos, inquam, cauti estote qui de aliis solliciti estis, quos Deo lucramini, nam & vos observamini. Sed quid est quod super mensam legitur observari Christus à Pharisæis, in occupatione amicitiæ, benevolentiæ symbolo, sinceritatis dono, an mensa & cibus, optimus, invidis materiam obtrectationis quærendi locus? hoc, ni fallor, volunt sibi Pharisæi isti. Inter epulas facile homo effunditur, hilarescit, solvitur, sumit namque vires corpus, & anima tunc, quasi habenas laxat corpori. Ergo tunc æmuli observant quid carpant, ergo tunc Viro Spirituali cautè agendum & circumspecte, ergo tunc servandum illud sapientis ne effundas te super omnem escam. Cum sederis ad mensam divitis, considera diligenter, quæ & à quo apposita sunt tibi, qui tibi assideant, & quales, & statue cultrum in gutture tuo, certè non sine causa dixit Ambrosius: Vix unquam, imò nunquam convivia sine peccato adiri.

4. *Et ipsi observabant eum.*

MUlti sunt unicuique hominum observatores, multi observandi. Est enim homo spectaculum quoddam universitatis, in mundo, tanquam in theatro actionem suam peragens: Ergo omnium in eū intenti oculi; theatrum mundus, spectator Deus. Et ipsi observabant eum. Observatores ergo nostri sunt alii qui nobis volunt bene, qui libenter Scenæ nostræ applaudunt, cū possunt. Spectant, Deus, Angelus Custos, Patroni Sanctissimi, conscientia propria, ii qui nobis loco Dei

præsunt, amici in spiritu & virtute. Spectant alii, qui nobis male volunt, & vel optima in invidiam trahunt, tales sunt dæmon natura, concupiscentia, negligentia, conscientia mala, inimicus homo. Quis Sapiens & intelligit hæc? Monet Apostolus: Nemini quidquam debeatis. Observat Deus ut adjuvet; Patronus & Custos ut protegat; Conscientia ut moneat; Superior ut dirigat. Amicus ut cõgaudeat; aut exemplum habeat; dæmon ut impediat in bono, pervertatque ad malum; natura, ut omnia ad se trahat, seque in omnibus quærat; Concupiscentia ut impleatur, Animam negligat, carnem curet; Negligentia ut debitum officii sui deserat, aut perfunctoriè absolvi faciat, Servitium Dei inutile & gravè reddat, meritum adimat; Mala conscientia ut torqueat; Inimicus homo, ut carpat, detrahat, objiciat. Vide igitur, ut nemini quidquam debeas, observanda tibi non sunt pauca: Deus ut æstimetur, Angelus ut audiatur, Patronus ut invocetur, Superior ut illi obediatur; Inferior ut regatur & instruatur; Conscientia ut mundetur; Institutum ut exactè servetur; Dæmon verò observandus ut vincatur, & fraudes ejus evitentur; Natura ut exuatur; Gratia verò inveniatur; Concupiscentia ut mortificetur: Inimicus ut toleretur, & in bono malum vincatur.

5. Et ecce hydropicus.

HYdropisis tumidum facit hominem, & est symbolum superbiæ: facit hominem perpetuò sitire & est symbolum avaritiæ: facit fœtere & est symbolum gulæ ac luxuriæ: facit gravem & immobilem & est symbolum acediæ, facit intangibilem, estque symbolum iræ, facit mutari colorem, & est symbolum invidiæ: facit insensibilem, & talem, ut etsi moribundus sit, non tamen extremè se putet laborare sed vitam sibi longiorem sperare & est symbolum indurati cordis. Vides quã non sine causa Christus circa hydropicum observatur, & quàm non sine causa, contra invidiã Pharisæi, hydropicum sanat.

6. Si licet Sabbato curare?

INter Judæos quæritur, si licet Sabbato curare infirmos? inter Christianos quæritur, si licet die festo bonũ agere? Adeò viderunt hostes nostri & deriserunt Sabbatha nostra. Quando enim tempus, Christiani, peccandi sibi concessum putant, nisi die festo? Et tamen Gregorius ait, Dominica die à labore terreno cessandum est, atque omnimodè orationi insistendũ, ut siquid negligentiùs per sex dies agitur, precibus expietur. In ejus certe rei figuram Deus dixit; Die Sabbati offeretis agnos, anniculos, immaculatos, duplicanda scilicet est pietas & devotio, die festo.

7. Si licet Sabbato curare.

NOn licet curare infirmos, at licet observare innocentes? proh scelus! proh pravitatem humani cordis! Væ hypocritis camelum glutientibus & excolantibus culicem! adeò improba est & cæca hæc nequitia, ut trabem non videat, vel festucam quærat. O! quàm sæpe aliena minuta, Catoniane judico, mea verò grandia palpo; ex externis, alienum damno, mea interna dissimulo, ignoro, foveo.

8. Sanavit eum & dimisit.

RUmpatur invidus, crepet malignus fac bonum nec te lingua ejus à bono revocet. Si tamen potes, argue priùs improbitatem, & silentium impone modestum. Sic fecit Christus, & comprehendit in astutia sua Sapientes: animosa est virtus Christiana, aut vincit, aut contemnit obstacula. Linguæ malorum, telæ illi sunt aranearum; Non est vera virtus, imò nõ est virtus, quæ judiciis hominũ flectitur.

9. Recumbe in novissimo loco.

VIa ad humilitatem sui cognitio, sui humiliatio: via ad exaltationem Humilitas. Vis promoveri? relinque spatium promovendi? Si primum locum tenes, quo promoveberis? quod si non promoveberis, non exaltaberis. Non igitur erit tibi gloria, si primum locum occupasti, sed si ab ultimo promotus es. Sed infelicissima est cæcitas mea, cum multis quidem sed mea tamen; quæ, etsi hoc videat intellectus, & cognoscat luce clariùs veritatem ipsam, tamen affectus eam non amat, nec effectus consuetudoque eam insistit viam, licèt & secura sit & facilis. Anima mea tandem disce, tandem te assuefac ingredi hâc viâ, scilicet per humiliationem, vitæ hujus, ad gloriam, & exaltationem vitæ illius. Gloriam præcedit humilitas, & ante ruinam exaltatur cor. Habe prognosticon, Si alta appetis; Si cor *Exaltatur*, corrues, *si Dejiciatur & humilietur*, ascendes.

10. Da huic locum.

DA voci Divinæ locum; quoniam inspirat bona; Da monitioni majorum, da infirmitati proximi, da irato, nec stulto secundum stultitiam semper responde, ne ignem gladio fodias, nec flammam flãmæ addas. Honore præveni omnes, majores, meliores, doctiores te judica. Non sic ta-

ſic tamen impii, Ne da huic locum. Ne cede; Vinci te ſines? illud: irrideri? hoc ille poſſit? hoc ille aſſequatur? Sic mundus, ſic dæmon, ſed non ſic Chriſtus: Da huic locum ait, & rationem addit: Si non vis tenere locum noviſſimum cum rubore.

11. Et tunc incipies tenere noviſſimum locum cum rubore.

OLim ſic fuerat, ô impii! qui primas Cathedras primos accubitus qui præeminentias & reſpectus veſtros, privataq; ſpectatis & curatis, incipietis tenere noviſſimum locum; Quanquam erunt noviſſimi primi, & hoc cum rubore. O cum rubore! ruborem eum timete impii, rubor ille æternus eſt, flamma illum æterna iracundiæ Dei & deſperationis & confuſionis inuret, & quis delebit? Quid times rubores ſæculi! Si hi magni, major ille: ſi hic timendus eſt nobis, potiùs ille, magìs ille; ex hoc diſcite quatenus & quam timendus ille: hic oculi hominum & pravoru quidem, at iſthîc oculi Dei & oculi Beatorum, & totius mundi ruborem incutient. Hunc tu ruborem, anima mea, recogita tibi, crebrò incute, & ruborem mundi ne time.

12. Amice aſcende ſuperius.

JAm tempus nimirum aſcendendi; quouſq; in iſto gradu in iſtis principiis hærebis Anima? nõ eſt hic perfectionis meta: S. Richardo dictum eſt olim: Ibunt de virtute in virtutem; & tibi dictum puta. Time, ne verum ſit illud S. Bernardi, Sicut rara eſt Phœnix in terris, ita rarus Religioſus qui ab eo perfectionis gradu, quem initio primo fervore acquiſivit, ulteriùs aſcenderit. Deprecare Deum & tu Anima mea ne unquam in hac vita faciat te audite hanc vocem, Aſcende ſuperius, aſcende ſuper candelabrum. Bonũ eſt mihi ſub modio mi Domine, bonum mihi in tenebris, bonum noviſſimum locum tenere, bonum eſt eſſe in infimo gradu in Ordine hoc uſq; ad mortem; nec exponas ventis & turbinibus & procellis hoc vaſculum fragile; quia, quæ utilitas in ſanguine meo? locus meus humilitas eſt, locus meus contemptus eſt, locus meabjectio eſt & ignoratio apud homines, hæc requies mea, hîc habitabo, quoniam èlegi eam. Adhuc autem, ô Domine, ecce incolatus meus prolongatus eſt in terra hac infima & aliena morientium, quouſque differor & fluctuo? & non recuſo quidem laborem, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, ſed tamen terrent me miſeriæ meæ & ſalutis incertitudo, periculorum numerus, judiciorum tuorum abyſſus & fragilitas mea. Dic ergo Domine animæ meæ Amice aſcende ſuperius; Veni amica mea, ſponſa mea, columba mea, veni! O! tunc ſatiabor pulchritudine verbi hujus, & paſcar ſuavitate vultûs tui.

13. Omnis qui ſe exaltat.

AXioma hoc Chriſtianorum eſt, & omnino dignum ſcitu, & cognitione pluſquam demonſtrativa. Natura humilitatis eſt, ut quis ſe humiliet: non autem ſatis eſt, ut quis humilietur; multi enim humiliantur qui tamen humiles non ſunt, imò recalcitrant contra humiliationem, & indignantur contra eos qui ſic ſecum agunt. Vis eſſe humilis, ama humiliari ab aliis, ama humiliantem te, & ex juſtitia deberi tibi humiliationem puta; ubi talis fueris, tunc exaltaberis. Non capit umbram qui illam ſequitur, ſed qui procumbit hic capit, ſic gloria fugit ſequentem, & tenetur, ab eo, qui ſe humiliat & abjicit. Agnoſce ergo ordinem & tene; humiliare, tunc exaltare.

DOMINICA. XVII.
poſt Pentecoſten.

1. *Quid vobis videtur de Chriſto? Matth. 22.*

NE interroga, anima mea, ſenſus tuos, ne tactum, ne guſtum, ne viſum, ne odoratum: Auditum, interrogare potes: ſed magìs interroga fidem tuam, interroga, Catholicã Eccleſiam, interroga Iesu Chriſti verba, Quid vobis videtur de Chriſto? Panis quidem extra eſſe videtur, ſed non eſt: fallitur oculus, fides verax eſt. O Anima! captiva intellectum, captiva ſẽſum, trahe vinctos ad pedes latentis in hoſtia Iesu & dic; Adoro te ſupplex latens Deitas, quæ ſub his figuris verè latitas. Hæc dicito, & gaude decipi te, falli te, non aſſequi te. Porrò interroga cortuum, voluntatem, mentem, affectum deſiderium, amorem, ſpem, fidem. Quid vobis videtur de Chriſto? Amor dicit, Amo illum, Deſiderium dicit, Cupio illum, Fides dicit, Credo Deum & Hominem. Mens dicit, Non capio illum, major me eſt. Spes dicit Spero ab illo bona omnia; Humilitas dicit, Vnde hoc mihi ut veniat Dominus meus ad me? Gratitudo dicit, Gratias ago illi, Omnia oſſa dicunt; Benedictio illi, ſalus, & gloria in æternum & ultra.

2. Quod eſt mandatum magnum?

OMnia magna ſunt, quia magnus eſt qui

qui

qui mandant illa, verus obediens non quærit, quod magnum sit mandatum, sed quomodo impleat hoc, quod est mandatum. Verus Religiosus non attendit sitnè parva Regula an magna, sed esse Regulam, satis putat, diligenterq; servat.

3. Quod est mandatum magnum.

MAgnum mandatum Charitas: non quia difficile sed quia facillimum, maximũ præceptum, omnium mandatorum conpédium, quo expleto, non potest non expleri omne; quo solo neglecto, nullum implevisse prodest. Magnum ergo, quia magni faciendum. Magnum objecto, magnũ, latitudine, facilitate, fine, usu. Hoc conare anima, hoc magnum puta, & vel singulis diebus hujus mandati actuale exercitium habe.

4. Diliges ex toto corde.

NOn facito prodigia, non filios immola, non novaculis teipsum lania, non vigila insomnis, non jejuniis exhauri, unum facDeum dilige ex toto corde. Quis diligit Deum ex toto corde? is qui nihil habet præter Deum in corde. Sed an odero Parentes, filios, possessiones, famam? ama ista, sed plus Deum, ex toto corde: præfer illum cunctis his. At nos quid? Cor totum demus nos, qui nè unicam illius partem damus? demus animam, qui illam in terrenis defiximus, & tam variè partiti sumus? demus illi totam mentem, qui tam rarò de Deo cogitamus? ô utinam possis comprehendere & Deo præstare hoc præceptum!

5. Diliges Dominum Deum tuum.

MAgnum mandatum est Deum diligere, quia revera non opus erat mandato de diligendo. Quis enim naturam spectans suam, sine præcepto non cognoscit diligendum esseDeum, à quo est, quidquid est. Magnum mandatum, quia summum bonum est homini, Deum diligere. Magnum mandatum est quia cum omnis amor causam habeat propter quam amat, id quod amat, iste solus amor causam non habet, nec habere debet; causa enim diligendi Deum Deus est, & modus sine modo diligere, ait Bernardus. Non amas Deum, si ideo amas, quia benefacit tibi, fecit, facit, faciet, cælum dabit; Non amas Deum, si ideò amas quia jussit sese amari. quia punire potest non amantes se. Si quis Deum propter hæc motiva amat alioqui non amaturus, non amat Deum; sed ille vèrè amat Deum, qui ideò amat, quia DEUS est, quia scilicet bonus, dignus amore, & debetur illi amor, circa quem solum amor versatur dignissimè. Non da mihi ullum bonum Deus mi, nec promitte, nec me terreto pœnis, nec mihi impera, amo te, & amabo sine ulla lege, sine ullo præmio, sine ullo timore, dignus enim es ut ameris. O si te non amo, quod amem non habeo. Magnum mandatum est, quia modum & mensuram ejus impletio non habet; quantùm potes tantùm ama. Modus diligendi Deum est, sinè modo dilgere Parvus sibi semper videtur amor major esse semper vult; pudet illum quod tam parvus sit quantuscunq; sit, soli amori Divino quo ille amat semet ipsum, cedit, cæteris omnibus superior esse contendit. Gratuitus est, præmium non respicit, non reveretur, pœna illi inferno major non amare, & una miseria nõ amare. Dignus est planè morte Domine IESV, qui te non diligit, & jam mortuus est. Sic ama Deum anima, sic conare.

6. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

NOn est amor Dei, sine amore proximi, nec præceptum hujus ab illo sejungitur. Amas Regem? amas & imaginem ejus, odisti imaginem? non credo amare te personam: Amare te debes propter Deum, proximum verò sicut te, igitur & proximum propter Deum. At quãti sunt qui plus amant hominem quàm Deum! Hinc verò etiam collige, cur præcepit Christus & inimicos amare? scilicet, quia proximi sunt, quia in ijs imago Dei est, quia non propter se sed propter Deum amandi sunt. Nam revera ubicunq; motivum amoris est, ibi necesse est amorem ferri & esse: Si ergo etiam in tuo inimico motivum amoris est, & ratio formalis scilicet Deus, etiam ad inimicum tuum tendet amor tuus, & amabit illum. Vbi ergo sunt excusationes, tuæ quas prætendis in aversionibus tuis à proximis tuis? Si propter Deum diligendi sunt, en etiam in hoste elucet Deus, ama hostem, propter Deum.

7. Quid vobis videtur de Christo?

QVi alterum examinare vult oportet ut paratus sit & ipse respondere. Pharisæus hic habebat unum, non habeat alterum? ad unum responsum obmutuit. Sic nempe evenit sciolis & superbis, qui, dũ alios convincere volunt, ipsi suam ignorantiam coguntur agnoscere: cave ergo alios judicare, & tibi ipsi attendere disce.

8. Quid vobis videtur de Christo?

MVltiplex est hominum sensus dè Christo, Legitur apud Joannem: dicebant alii de eo quia bonus est, alii autem non, sed seducit turbas. Alii eum Joannem Baptistam putant, qui rigorem tantũ in Chri-

stiana

ſtiana vita requirit, & eos qui illum minus ſectari videntur, à perfectione abeſſe putat. Ieremiam putat, qui Spiritum Chriſti putat Spiritum ſervitutis, & non potiùs talem qui dicit, ſervite Domino in lætitia. Prophetam putant, qui prompti ſunt judicare alios, & deſperare de eorum emendationibus, quaſi non verax ille qui dixit, Tu qui es qui judicas ſervum alienum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Anima mea, quem dicis eſſe filium hominis? O Domine Jesu, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, mitis & manſuetus, & humilis corde.

9. Cujus filius eſt?

MUndanorum quæſtio eſt, utinam non Religioſis etiam uſitata. Cujus Filius eſt? ô homines! o nobiles, quid Religioni & huic Quæſtioni? an confunditis eos qui non habent? Audite Paulum Non multi potentes, non multi Nobiles, non multi Sapientes, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes.

10. Cujus filius eſt?

COntentionem puta Dei & Diaboli de homine, Cujus filius eſt? Cujus Patris mores tenet? Hoc certamen, in morte dirimitur, hîc in vita agitur. Hem! miſerum me, cujus filius ſum! cujus filius in illa hora inveniar ô Jesu? tuus. tuus ô Jesu!

11. Donec ponam inimicos.

MOdò ſtant inimici tui Deus & inflati ambulant tumentes adverſarii tui Chriſti, ſuperbiâ. Cæterum, vox Domini confringentis cedros, ſuper omnem impium. Corruent non ſtabunt inimici tui Jesu, ponentur, jacebunt, & non conſurgent, erunt ſcabellum pedum tuorum, cadent ſubtus pedes tuos. Sed quid? ſi ègo unus eorum ſum futurus, quid ſi & ego ſcabellum pedum tuorum ero! quid ſi calcabis & me in furore tuo! planè ſic accidet mihi ſi inimicus tuus ero, ſi ero hoſtis crucis tuæ: ſin autem diligam te, ſi non erubeſcam te, ſi ſequar & tollam crucem meam poſt te, non fiet mihi iſtud. Hoc faciam, & Tu Domine da ut faciam.

DOMINICA XVIII. poſt Pentecoſten.

1. *Aſcendens in naviculam transfretavit.*

IN naviculam Jesus aſcendit, & transfretat, & venit in Civitatem ſuam, quando de cælo deſcendens, ingreditur panis vinique naviculam, verborum Sacerdotalium, tanquam velis quibuſdam remiſque impulſu; & venit in Civitatem ſuam, ſcilicet Animam ſuam, ſibi conjungi appetentem. Quæ quidem Civitas eſt Capharnaum. caput Galileæ, Chriſti Patriæ, ſignificatque ſuo nomine Agrum pœnitentiæ, in quo Chriſtus libenter moratur, Civitatemque ſuam vocat, quia ille nulli cordi libentiùs adhæret, nec agrum ullum libentiùs colit, quàm cor pænitentis. Iſte quippe eſt campus miſericordiæ ejus, in quo erit Chriſtus extra ſe, & ſe integrè communicat, quemcunque talem deprehendit. O Anima mea! ecce jam eſt Iesus in navicula panis, jam de cœlo in terram transfretavit, vult jam ingredi civitatem ſuam, nempe te, quæ ipſius eſt Creatione, Redemptione, Voto. Si non potes eſſe ager deliciarum, ſis ſaltem ager pœnitentiæ; verecunde, dolenter, humiliter, amanter ad Chriſtum ſuſcipiendum accede.

2. Ecce offerebant ei paralyticum.

HIc noſter eſt Chriſtum tractandi modus. Intrat in Civitatem ſuam, ecce paraliticus in lecto. Intrat Civitatem Naim, Ecce efferebatur unicus. Quid hoc? noſtra eſt inurbanitas, ad nos ille cum Gratiis, nos illi obviamus cum peccatis. Proh pudor! Siccine Rex excipiendus? hæccine reddis Domino tuo popule ſtulte & infidelis? ô quoties Chriſto venienti paralyticum offero! intrat ille, dicit, hic te vince, fac hoc in mei gratiam, at ego offero paraliticum in lecto, Spiritum tepidum, frigidum, ô quouſque hoc! quouſque?

3. Videns IESVS fidem illorum.

LIbenter Jesus fidem videt, illamque requirit ſemper; Si potes, (ait Marci 9. v. 23.) credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Niſi ſigna & prodigia videritis non credetis; Non inveni tantam fidem in Iſrael. O mulier, magna eſt fides tua! Fides tua te ſalvam fecit. Tantummodo crede & ſalva eris; Non dixi tibi, ſi credideris videbis gloriam Dei? O generatio incredula & perverſa quamdiu vobiſcum ero? quamdiu te patiar? Non ſemper tamen Chriſtus fidem videt, vel quia non eſt, vel quia eſt quidem, fœda tamen aſpectu, ſine operibus, mortua eſt, cadaver eſt: vel quia exigua, effugit aciem oculorum. Prima fides eſt illa, ubi eſt fides veſtra? talem Calviniſtæ jactant, eamque ſibi ineſſe à ſpiritu privato dicunt. Secunda eſt fœtida, in peccatis mortalibus.

bus. Tertia quæ nec granum sinapis vincit; quam Petro Christus objicit; Modicæ fidei, quare dubitasti? O stulti! & tardi corde ad credendum. Hinc collige, quod Iesus quandam fidem videt, ut in hoc Evangelio; quandam miratur, ut in Centurione; quandam laudat, ut in Chananæa; quandam requirit, Vbi est fides vestra? quandam deprehendit, Modicæ fidei quare dubitasti? o stulti & tardi corde ad credendum? hoc dici Calvinistis potest, & malis Catholicis, in quibus est fides sed ficta. Pete gratiam tu à Patre illo, cui dictum, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Et, Domine, adauge nobis fidem ex dilectione operantem, quam Christus libens videt: nempe quia ipse fidelis est (inde dictum Fidelis Deus) Et quia accedentem ad Deum oportet credere.

4. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

HIc, enimverò, vera fiducia & causa vera, cur fidam remissionem peccatorum cur enim timeo? quia tibi soli peccavi. Dic Domine animæ meæ, Remittuntur tibi peccata tua; Confidam. Sed enim scio quid respondes mihi: Facito fructus dignos pœnitentiæ; intelligo; sed da quod jubes, & jube quod vis.

5. Confide fili, remittuntur tibi.

TRia hic videre potes. Meritum fidei, magnitudinem liberalitatis Christi (quod in fide aliena peccata dimittit) & suavitatem dulcedinemque ejusdem. Vere mel & lac sub lingua ejus: verè meritò mirantur turbæ in verbis gratiæ, quæ procedunt de ore ejus. Quid tam mellitum quàm compellatio Filii? quid tam lacteum, quàm remittuntur tibi peccata tua? Ergonè Paraliticus filius? ergonè pro aliena fide remittuntur illi pœnæ? remittunrur; quia tecum res agitur Bone Iesu. Dicant prout volunt quidam de Scribis: Hic blasphemat; crepet livor, rumpatur invidia, ignea tela diaboli, ferventiùs etiam, quam solent, excădescant; in verbo Tuo ô Iesu, confido ego, prodigus licet sed tamen filius. Dic Animæ meæ. Remittuntur tibi peccata tua, si non propter fidem meam, at propter gratiam & suavitatem tuam.

6. Cum videret IESVS cogitationes eorum.

QUam magna nobis necessitas incumbit Sanctè vivendi, vel una illa ratio probat. quia cuncta agimus in oculis Judicis cuncta cernentis. Audi Evangelium. tacebant omnes Scribæ, in Iesum intenti erant, ecce tamen oculus Domini vidit quid culparet, audivit clamorem tacentium, sensit blasphemiam, blasphemiæ condemnantium; uno verbo, Vidit cogitationes eorum. Creditisné Christiani? Si Scribæ cogitationes suas à Christo visum iri sperassent, hoc de illo cogitassent? non, dico vobis. Quid igitur est, quod nos fideles, credentesque Deum nobis intimè adesse, nostra cuncta introspicere Christum, tamen ita agimus, atq; si Deum non timeremus, non crederemus, cæcum esse arbitraremur. Duas hujus rei causas esse video. Vel enim quod sit Deus, quidque, non scimus, vel quia illum nobis præsentem non meminimus. O si sciremus quid sit Deus? quo dignus? qui nos? quid debeamus illi super omnia? O si illum nobis præsentem cogitaremus! quàm facile foret vitare imperfectiones nostras, in quibus nobis blandimur tanquam de fragilitate humana, cum potiùs de negligentia, tepore, inconsideratione que ac Dei timoris defectu procedant. Cogita Dorothei & Basilii verba. Cogita Deum (ait ille) tibi præsentem, & te coram illo stare, cogita quod Iesus videat cogitationes tuas: sic districto (hic ait) nunquam lascivire licebit, libebit, vacabit. Vide Dom. Quadragesimæ primam Num. 9.

7. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?

LOcus in eos, qui si clam sint, peccare audent, publicæ honestatem profitentur, quales sunt Politici moderni, similes sepulchris dealbatis, foris enim mundi, intus pleni ossibus mortuornm; quales sunt & Religiosi nòn pauci, qui privatim multa negligenter agunt, dissolutè se gerunt, publicè & sub censura, fervorem & modestiam prætendunt; ajunt enim, hæc oculus hominis non attingit; quid ais ô homo? non attingit visus hominis? esto; attingit visus Dei: oculos illos non reverebere? an pluris tuâ interest bene audire ab hominibus quàm à Deo? ut quid cogitatis mala, ait Christus; non dicit, ut quid agitis; & ne dicas proditas cogitationes, addit; In cordibus vestris. Cor videbat Iesus, & in corde cogitationes latentes penetrabat, arguebat; corde & de corde loquebatur. Et nihilominus tu hunc tam acrem oculum, tam lynceum, non metues? de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria homicidia, odia. Cordi ergo attende ô homo: omni custodiâ, cor serva, non solum quia ex ipso vita procedit, sed multò magis, quia Deus sedem

dem suam in corde tuo fixit, ut inde totum te, & omnes angulos animæ tuæ contempletur; magis, inquam, quia Deus cor tuum sibi proposuit quod solum unumque intueatur, & oculum suum ad illud solum direxit. Vide ergo ut cordi tuo attendas, ne quando audias hoc verbum asperum, Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? In corde cogitat malum, qui voluntariè & advertenter cogitat, semper ergo ad conscientiæ tuæ dictamen attende, examina conscientiam accuratè, noli contentus esse opera aut verba vidisse, sed cogitationes quoque cordis discute.

8. Surge & ambula.

SUrge, tolle lectum tuum, & vade in domum. Sicut morbi corporum, sunt signa & similitudo morborum in Anima, ita medicina illorum, est signum & symbolum medicinæ istorum. Quare quod Christus in illis corporaliter jussit fieri, hoc à nobis spiritualiter in istis est faciendum. Quis nostrum est, quem pestilens non afflavit aura? Cujus non sunt paralysi resoluta membra? quem non lectulo affixit desidia, tepor spiritûs? Paralytici sumus, & fortè sanari volumus: quid faciemus. Domine Iesu? ecce cor nostrum ante te, vide fidem nostram: quid est facilius tibi quam dicere; surge & ambula. Audite Paralytici verba Domini; Vocem medici, audiant infirmi; Surge, tolle lectum, ambula, vade in domum tuam, morbi vestri causa est ignavia, desidia, tepor, mollities. Surge; Vsquequo piger dormies? jam clarum mane fenestras intrat, Nec surgere satis est! Tolle lectum tuum: Lectus tuus, consuetudo tua est, & habitus vitiorum, tolle istum, & contrariis insuesce virtutum habitibus. Lectus tuus patientia est, Christi crux est, tolle lectum tuum, tolle crucem tuam, quotidie, abnega teipsum, commove teipsum; motum tollit paralysis, motu tollitur, sed nunquid hoc satis? nondum per omnem modum. quid adhuc mihi deest? vade in domum tuam, ait Christus; Sequere me, Domus mea cœlum est, vita æterna est, illuc vade. o quàm pulchri gradus, Surge, Tolle, Ambula, Vade. O Surge ô Tolle, hæc est Sanctorum via, hæc vita, Surgere quotidie, incipere quotidie, tollere & tolerare quotidie, ambulare, proficere quotidie. Semita enim justorum quasi lux splendens surgit ascendit, procedit usque ad perfectum diem. Delectat jacere, sed non delectat paralyticum esse. Surge, hoc enim vis esse quod esse non potes; delectat ire sine onere, sed volens nolens portare crucem tuam debes. Quotidie tolle, tantùm enim proficies, quantùm tibi vim intuleris. Placet & subsistere & morari, sed qui attentat stare, ruat necesse est, & quid prodest Christum sequi, nec tamen consequi. Vade; perfectio tua est, profectio tua: semper adde; semper profice, semper ambula; semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod non es.

9. Videntes autem turbæ timuerunt.

NIhil Deus facit frustra, etsi omnia facit gratis: nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei, sed facit omnia propter certum definitumque modum. Iste operum divinorum finis, in his verbis Evangelii ostenditur, cum dicitur, quod ad illustrem consanationem paralytici à Christo, timuerunt turbæ, & glorificaverunt Deum. Est enim duplex Dei operum finis. 1. Ut sit Dei timor in hominibus. 2. Ut glorificetur Deus ab eisdem. Sed quæritur, quid est quod in tantis Dei circa nos & ante nostros oculos operibus miraculosis, beneficiis, pauci tamen Deum timent & glorificant? Mirum id sanè & minimè tolerandum; causa tamen illa videtur quod non sint turbæ videntes. An illi vident bona sibi à Deo facta qui suis bonis in offensionem Auctoris abutuntur, quique illa, ipsi præferunt? An viderunt Ethnici, qui cum ex his visibilibus, teste Paulo, Deum cognovissent, non tamen sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt? An viderunt isti Pharisæi, qui etsi ad eos, & in omnes pervenisset regnum Dei, licèt aliis de ejus adventu narrarent, licèt opera Christi viderent talia quæ nemo alius fecit, tamen non videbant Christum, tamen signum volebant videre, adeo ut Christus dixerit de illis, quod videntes nihil viderent An vident hodie Hæretici dona fidei? videntne Ecclesiam? videntné Caput Ecclesiæ? videntné Christum in Eucharistia, videntné Trinitatem & Vnitatem in Deo, Sanctos in cælo? justitiam inhærentem in justis? nihil vident, ac ideo non timent, neç glorificant Deum. An vident novi Politici, qui Sapientiam & Potentiam & Providentiam Dei ipsius, imò Dei existentiam volunt evertere, ut suæ Carnis Sapientiam, astutiam, fraudem, dolum, rem politicam constituant? An videt ille qui dixit animæ suæ; Anima mea, habes multa reposita bona in annos plurimos, epulare, jucundare. O cæci filii hominum! ô stulti in cogitationibus! ô ingrati! bru-

ti! bruta & bestiæ benefactores suos cognoscunt, homo rationalis Deum non cognoscit in donis! O improbitas humana! si requireret Deus tributa à nobis pro donis suis, dare teneremur, nunc autem quid vult? Cognosce dona mea quæ mea sunt. Timor mei sit in te, Lauda me, ampliùs nihil volo. Nos sic stulti & impii sumus, qui etiam hæc præstare nolumus. Sed olim veniet dies cum dicent impii: Montes cadite super nos; cum arescent præ timore & exspectatione, cum inimici tui Deus terram linguent, & fient scabellum pedum tuorum, videbuntque te, & adorabunt, venientem in nubibus cæli, inviti & malo suo, qui te ad Salutem suam nosse nolebant. Non sic David fecit, qui ait; Consideravi opera tua Domine & expavi. Considera & tu ô homo quid sit Deus in Angelis? quid in hominibus? quid in reprobis? In Angelis admirabilis, in hominibus amabilis, in reprobis terribilis. O quis ista videns non timeat? non det laudem Deo? verè quisquis est, oculos habet & non videt, imò vivens non vivit; quia non vivit propter quod, ut viveret, conditus est à Deo.

19. Surge & tolle lectum.

DImissa sunt tibi peccata per pœnitentiam, insere virtutes per fervorem; abi autem in Domum tuam, omnia ad æternitatem dirigendo quæcunque facis & cogitas.

DOMINICA XIX. post Pentecosten.

1. Fecit nuptias Filio suo.

CHristum in Eucharistia sumere, est nuptias celebrare, dat enim Christus animæ, sui non solum Corporis, sed totius usum, hoc ipsum etiam ab homine sibi fieri cupiens. Sic ergo imaginare: Pater æternus Sponsor, nuptiale convivium Sanctissimum Sacramentum est. Age, quam splendidus venit Sponsus ad nuptiales epulas, qualis Sponsa ad easdem accedit, talis tu accede ad hanc Communionem, affer ad hanc mensam verecundiam, affer humilitatem, affer amorem, desiderium, affer indignitatis propriæ cognitionem, affer firma proposita Sponso in omnibus semper placendi, solus tibi, Sponsus placeat, solus ditissimus, nobilissimus, pulcherrimus, pretiosissimus Sanctissimus, dignissimns, solus tibi sit. Nihil omnia, pende ab aspectu Sponsi, decorem ejus, majestatem, dignitatem, suavitatem mirare, ama, concupisce. Gratulare illi hæc omnia, ama in illo hæc omnia, illi gratias age pro omnibus. Puta tua esse omnia; siquidem ille tuus est, qui habet hæc omnia. Constitue ita vivere purè & sanctè, prout exigunt ista omnia. Accide æterno Patri supplex, gratias illi agens, qui dat tibi Vnigenitum Filium suum in Sponsum, & promitte illi, quod dignè te tali Sponso gerere velis. Accede & supplex Sponso, submittens & subdens te illi ex toto, gratias illi age, quod non dedignetur, nec aspernetur te, sed delicias suas tecum vult habere. Accide & Spiritui Sancto supplex, ut esse velit, inter te & Sponsum tuum vinculum æternum, sicuti est in Divinitate amor Patris & Filii; aut sicut est amor Christi & Ecclesiæ. Pete ab illo, supplica illi, ut te sanctificare ut mundare, ut donis suis deliciisque exornare velit, non propter te, sed propter Sponsum tuum, qui habere talem vult te, & qui dignus est, ut te talem habeat propter se: in auxilium Christum invoca, Beatissimam Virginem, Angelum Custodem, Sanctos omnes, cœlum totum.

2. Ecce prandium meum paravi.

PRandium ipse est Christus. ô quale prandium Deus & homo, Corpus & Anima IESU Christi. Prandium quia est hujus mundi vita, Arrha autem & pignus futuræ illius magnæ Cœnæ; Suum vocat prandium, quia ab illo solo paratum excogitatumque. Suum vocat, quia se solo dignum, nullus Rex tale potest parare. Suum vocat, quia propter se paravit, ut suo scilicet affectui & mori in nos faceret satis. Suum vocat, quia propter suas delicias, quas nobiscum ad hanc mensam habere desiderio desideravit, illud paravit; paravi, inquit, magno sumptu, magno labore, magnâ industriâ, Sapientiâ, mirâ arte, magnâ suavitate, in magnos usus, paravi ego, & ego solus. Quid dicitis homines famem esse in terra? Ecce prandium meum, paravi, ne molestum esset exspectare cœnam. Ecce prandium meum paravi, levate famem, prægustate in hoc prandio cœnæ futuræ delicias; non fallo, ecce non lacto promissis, ecce aspicite venite, accumbite, Venenum ne horrete, ne suspicamini; meum est, fallere nescio, procul à me venenum, totus Sanitas sum, medicina sum, antidotum. Ecce prandium meum paravi; cui? hominibus utique mortalibus, miseræ & fragi-

fragili Creaturæ; hunc laborem propter tales dignatus sum subire, tantum bonum hominibus præparavi, eorum omnibus subvenire cupiens necessitatibus. Ecce prandium meum paravi, nunquid gratis? nunquid otiosè? cur timetis venire, vobis paravi, cur tardatis venire? jam paravi. O penetra hoc bene cor meum & voces istas cognosce, teque ad hoc prandium dignè illo præpara.

3. Misit servos suos vocare invitatos, & nolebant.

SI esset Divinæ Bonitatis modus, haberetque mensuram Deus, in nostra salute curanda, esset quod forte prætenderet malitia humana, se quoque mensuram servare in Dei amore & Servitio, esset fortè quod causaretur, nihil se sine Deo posse. Sed nunc, cum bonitatis illius infinitus sit thesaurus, cumque nihil non agat Deus eorũ quæ nobis intelligit opportuna, quem tandem ruinæ nostræ auctorem afferre possumus præter nos? Creaverat nos Deus & quidem rectos & perfectos, nihil nobis debebat ampliùs; addit tamen; Fecit nuptias filio suo; nec nos ab iis nuptiis exclusit. Iam nobis omnia subjecerat sub pedibus, oves, boves &c. contenti esse poteramus & debebamus; at ille contentus non fuit, invitavit nos ad nuptias Filii sui, ad finem supernaturalem nos condidit, Mediatorem nobis Filium dedit, qui nos deduceret in via, Magister esset. Nec satis habuit invitasse, servos etiam misit, qui nos ad parata omnia vocarent. O quid agis Divina Bonitas! an Filius tuus nuptias celebrare sine nobis non potest? An non satis splẽdidus est apparatus tuus, nisi in eo ignominia nostra tenebras fecerit? An nulli tibi hospites te digni futuri, nisi nos Animæ viles accubuerimus? Ita est Omnipotens Deus, cujus natura Bonitas, cujus misericordiæ non est numerus; ita inquã est, Deliciæ tuæ esse cum filiis hominum, & deliciæ, tuæ si tecum sint filii hominum. Et quid prosint nuptiæ, si absint deliciæ? Mitte ergo Servos tuos Deus, voca invitatos, neque enim filio tuo bene erit sine homine. O homines quid agitis? quid nugamini? quid non paratis vos nuptiis illis? cur tempus illud quod habetis, aliis omnibus impenditis? nec de ornatu nuptiali cogitatis? Ecce nuntii, Servi jam vocant, venite ad nuptias. O stulti! voces, vestes, parate, sumite, ite. Etiam moramini? Væ vobis! Ecce claudetur janua, ecce vos pulsabitis, sed seriò! Interim tibi gratiæ ô Deus, qui nuptias quidem facis, sed propter nos, & magis nobis, quam Filio, non tamen sine nobis. Invitans nos, vocas, Servos mittis, da quoq; ut audiamus & properemus, ut non contemnamus, non excusemus, non sine veste nuptiali veniamus; illa enim priora omnia ingratorum sunt, hoc ultimum præsumentis etiam est.

4. Et nolebant venire.

HÆc est nequitiæ nostræ summa, hæc injuria quam homines Deo faciunt, maxima: parat nuptias, mittit servos suos, invitat, vocat, homines autem quid! illi inquam invitati, vocati, quid? Ecce nolebant venire. Quid (Deum immortatalem) qui tandem isti sunt? qui nolebant venire? Cur nolebant? Ratio facti, quia Nolebant. Audite cœli, & auribus percipe terra, homines, vilissima terræ portio, à Deo benignissimè ad salutem, ad vitam, ad voluptates, ad bonitatem, ad consensum, ad familiaritatem, ad nuptias invitati sunt à Deo, Rege Regum; nolebant venire. Quid potuisti ultra Deus facere vineæ tuæ, & non fecisti? Fatemur ô bonitas, ô omnipotens, abunde te functam Tuo officio. Sed tu Capharnaum, tu humana malitia, ingratitudo, negligentia, nunquid usque in cœlum, usque ad nuptias Dei exaltaberis, & invitaberis? usque in infernum descendes? Supergressa es ô humana malitia modum, Superas non solum tuas vires, sed etiam teipsam, plus penè mala es quàm esse potes? Audi ergo verbum Dei, pro eo quod invitati homines ad nuptias, venire noluerunt; veniet dies, dicit Dominus, quando & claudentur januæ Regis, & inchoabuntur nuptiæ: quando dicetis, Domine Domine aperi nobis, tunc respondebit vobis in furore suo justitia ejus, Nescio vos; tunc respondebit vobis malitia vestra de intus, Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Tunc præ angustia Spiritûs gemetis, & dicetis, Nos insensati, Scientiam viarum Dei noluimus. Sed enim tunc Dominus subsannabit vos, & irridebit vos, & nesciet vos, quia cum vult non potest, qui quando potuit, noluit: per malum enim nolle, perdidit bonum posse.

5. Omnia parata sunt.

QUæ maxima sunt in mysterio, ea solet Sacra Scriptura brevissima facere in sermone. Notiùs est, quàm ut opus sit afferre exempla. Hoc præsens exemplum esto. Volebat Paterfamilias cælestis explicare, quàm lautum, quàm splendidum apparasset Filio suo nuptiale convivium:

cæperat enumerare singula, finem cum videret non futurum, enumerationum, verbo expressit; Et omnia parata sunt. Quæris quid valeat, quidve sonet hoc Omnia? cœlum totum est, gaudium totum ac bonum est. Quod bonum? quod nec oculus vidit; quod bonum? quod solum, quod omne, quod semper, quod unum est bonum quid hic quæris ô homo in mundo? quid caducis inhæres? bonum quæro, ais. Tale ergo bonum quære, quod bonum sit, non quod sit malum bonum, non quod sit apparens tantùm bonum, non quod sit unum tantùm bonum; illud quære bonum, quod omnia, quod solum, quod semper, & verè bonum est. Quantumcunque hic acquisiverimus, omnia non erunt, pauca erunt, plura deerunt, bona non erunt. Omnia vis; ad cœlum tende; ibi enim parata sunt omnia, & qui dicit non mentitur Deus, quia ibi ille est, qui omnia est, & super omnia. Proinde neglige ista ô homo, ô Anima mea, hæc inquam, pereuntia, hæc, non Omnia, nihil hic paratum est, omnia de novo paranda, nec tamen ut pares omnia, est possibile; vis parata omnia vis nullo labore omnia, omnia simul possidenda, vis semper habenda, nunquam perdenda? cælum pete, ad cælum i, omnia istic parata, adeo ut hoc quoque paratum sit, quod parare non sit necesse; nam si hoc non esset, omnia non essent; omnia autem ibi parata sunt, prompta omnia, & hoc solum desiderantia ut accipiantur. Quod caput est, ita parata sunt omnia, ut simul accipi debeant omnia, & non per partes singula. O quæ omnia! ô quæ! ô quomodo! ô paratâ! ô quando parata! à constitutione mundi, dicit alibi; quæ oculus desiderat, quæ cupit mens, quin plura, quin majora, capere cor possunt, corde capi non possunt: Illuc ergo convertere ô cor meum, illuc ite cogitationes meæ, ubi omnia parata sunt. Sed illud solum unumquè adferamus ad illa omnia, ut parati accedamus ac veniamus, usque ad illa omnia: Scriptum est enim: Et vos estote parati: quomodo? mundum deserere, mori, rationem reddere, cælum ingredi, ad hæc estote parati.

6. Venite ad nuptias.

FOris canes & foras: Foris proci & porci; non vestra hic limina agnoscunt nuptiæ, hædi facessite; Pudor nubit & Castitas. Quid hic canina lingat impudentia? non vos vocamini ad nuptias ô impii, qui & nubitis, & nuptum datis, & putrescitis in stercore: facti sicut equus & mulus quibus non est intellectus, quibusque solum illud in ore strepit, Crescite & multiplicamini, quibus denique pane faciliùs quam carne interdicitur. Nihil dictu fœdum visuque hæc limina tanget. Agni sunt nuptiæ. Deliciæ hic sunt sed castæ nuptiæ; sed puræ, thalami sed intacti. Venite ad nuptias, ait Rex Paterque Vnici Filii. Credis mortalitas te à Deo tanti æstimari? vocem ejus audis quidem, Credas; Vsque ad delicias amamur: quid? imò ad nuptias. An non amamur, qui etiam invitamur? Agnosce ô homo Consilium Sapientiæ, dignationem majestatis, Charitatem Numinis: Agnosce inquam, & excipe, I, ad nuptias vocaris. I, Pater vocat, Abi, vocat ad nuptias Filii: abi, non est præsumptio, ubi est invitatio, sed tamen debet esse præparatio, etenim necesse est ut impleatur illud, venerunt nuptiæ Agni & uxor ejus præparavit se.

8. Venite ad nuptias.

NE te puta ad parvam vocatum perfectionem. Non ad simplex servitium, sed ad nuptiale consortium usque vocaris. Ecce omnia parata sunt ex parte Sponsi, & ipse Sponsus Servique Patris vocant, Venite ad nuptias. Tu quid moraris? quin te præparas ô Sponsa? Sequere vocantem Deum, obedi inspirationibus, præparata Conjugi Sponso, Enitere ad fervorem, ad perfectionem, ad munditiem & ornamentum ad amorem, ad Conjunctionem, ad complexum, ad oscula, ad cohabitationem. Vsque huc ascendere debes, & tu etiamnum in limine primo insistis? ô quando venies? ô quantus pudor incomptam ad Sponsum venire! Ad Assuerum venturæ Sponsæ, septem mensibus præparabantur, omni ornatu, omni cultu Rege digno. Tu quid? tu dignum nihil ages cælesti illo Sponso, illo thalamo? tu audebis aliquid committere, quod illi displiceat? quod ejus abs te oculos avertat? Ne excusationes prætende, ne negligentiam palpa; has excusationes Sponsus tuus non capit, te culpabit, si quid culpabile invenerit; & quæ tibi confusio, in primo congressu confundi.

8. Reliqui verò tenuerunt servos ejus.

ETiam usque ad Sanguinem, usq; ad necem, usque ad contumelias ventum est; non stat in uno gradu malitia, crescit. Antea miserat Rex Servos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire; iterum misit alios servos dicens, dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi;

Illi

Illi autem neglexerunt, quin imo abierunt, alius ad villam alius alio, sed hæc leviora. Pergite invitati. Reliqui verò tenuerunt servos ipsius. Quid ultra? contumeliis affecerunt. tantumne? occiderunt. Itane verò ô Deus? haccine forte mittis tu Servos tuos ad nos, ut habeamus in quos debacchemur? Ne vobis blandimini Christiani; vos estis qui Servos Christi interficitis. Quot beneficia, tot Servi; quot admonitiones, tot Servi. Et contra, quot peccata tot contumeliæ, vincula, homicidia. Confessus est nuper aliquis, proposuit Deo accuratè servire, quid fecit nisi servum Dei tenuit: jam hodie peccavit, defecit, quid, nisi gratiam Dei contumeliâ affecit? & occidit; Et quanti sumus ejusmodi, quoties ita facimus! Sed nunquid semper silebit Deus? nunquam te Servorum tuorum non tanget injuria? non facies vindictam Electorum tuorum ad clamantium, & pro te? hominesque invitantium ad nuptias tuas die ac nocte? habebis patientiam supra illos? non, dico vobis: Sed faciet citò vindictam; dicit enim; Qui vos tangit, me tangit, tangit pupillam oculi mei: pro pupilla oculi sui putas non pugnabit? perdet sine dubio, homicidas illos, & Civitatem illorum succendet; auferet Regnum Dei ab illis, & genti facienti fructus ejus dabit. Denique, quia vos nõ fuistis digni nuptiis, ex vicis & plateis domus ejus implebitur; ex vobis autem viri Sanguinum, nemo gustabit cœnam illam. Qui habent aures audiendi, audiant.

9. Rex cum audisset, iratus est.

SEra nimium vindicta Dei est, patet ad oculum: nisi tam sera esset, nunquam hominibus tam peccare, aut liceret, aut liberet; nunc quia seram vident, nullam se visuros putant. Sed enim sicut sera est, ita etiam seria erit vindicta illius. Divina quippe justitia, eò acriùs percutit, quò diutiùs tolerat, tantò dilationem supplicii gravitate compensat. At quorsum hæc aut cui? illis enimvero, qui peccant quotidie, pœnitent nunquam, peccant plurimùm emendant nihilum; & quoniam tales sumus omnes, prompti ad culpam, tardi ad pœnitentiam, ideò omnibus hæc loquor, & omnibus injuriam Dei denuntio, & dico; Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Quid? an divitias bonitatis contemnimus, an libet thesaurizare nobis iram in die iræ. ut fiat nobis supra modum peccans peccatum, per bonum operans mihi mortem? Ecce accinxit se ira Dei adversum improbos, ecce manus ejus extenta, ecce arcum suum tetendit, & paravit illum, in eo posuit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Ecce Rex iratus est, Ecce misit exercitus suos plagarum, & perdet maleficos istos, nos scilicet omnes de terra. Et usque etiam lethargum dormimus, mala facimus, pœnas non sentimus, minas iramque non metuimus? quid facies ampliùs nobis Deus? aut tu impietas quo pergas ultra! an quia in profundum venisti, contemnis? non iram Regis, non cãdentem irâ vultum, non spirantem minas, Regis obtutum, non implacabiles exercitus, non perditionem tui metuis? Deus percussisti nos & non sensimus, vulnerasti & non doluimus, facta est plaga nostra incurabilis, jam nihil meremur, nisi ut securis ad radicem apponatur. Verum tamen patientiam habe in nobis, etiam hac vice; etsi non propter pœnitentiam nostram, propter misericordiam tuam parce peccatis nostris.

10. Ite ergo ad exitus viarum.

HEu! quam hoc verum nimis: Surgunt indocti & rapiunt cælum; docti autem cum doctrinis suis putrescunt in cæno mundi, & insanias falsas aucupantur. Quam id verum est? quod ij, qui tenuioris sunt fortunæ, qui afflicti, qui corpore deformes, qui genere ignobiles, qui ingenio tardi, qui gratia & favore hominum destituti, majores sunt in gratia apud Deum. Credo ideò, quia quæ stulta sunt hujus mundi & contempta, Deus elegit; credo ideò, quia isti tractabiles magis se Deo prebent, cum contra illi alii, sibi fidentes minus se putant Deo opus habere, minusque Deum curant. Credo ideò, quia illi cum se mundo idoneos non esse vident, ad Deum vertuntur, isti autem mundo è natos & factos putant. Hinc ipsi dedantur, subdunturque. Audite ô ingenui, ô nobiles, docti, divites, gratiosi, ingeniosi, formosi, delicati, Etiam vos digni Deo esse potestis. Si propter hæc dona mundo placere vultis, qui illa vobis non dedit, placete istis etiam bobis Deo, qui illa vobis dedit. Gratias Tibi Domine, qui me pauperem in donis tuis fecisti, ne si ditior fierem, te deseram. Da mihi, ut his quæ habeo in laudem tuam & salutem meam, fructumque meum, uti possim.

11. Congregaverunt quos invenerunt.

VEri Zelozi & animarum aucupes, non sciunt discrimen; æquè prompti ad pauperem atque ad Magnatem juvandum

dum procurrunt, in omni Anima, Christi sanguinem amant, non quia hujus Anima est, sed quia Christi sanguine redempta est, eam curant. Et te sic decet facere, cui Deus dedit hoc munus sustinere.

12. Vidit hominem non vestitum veste nuptiali.

NUm ego talis Domine Deus in his nuptiis Religionis Sacræ? inter tot Sanctos tuos nuptialiter vestitos, & mensæ tuæ accumbentes, quis scit an non solus ego sine veste nuptiali! ò Domine ego Servus tuus, & filius ancillæ Tuæ. O Æterna Sipientia, cujus domestici vestiti sunt omnes duplicibus, fac me custodire vestimenta mea in domo tua, ne nudus ambulem, ne mihi unquam desit sanctificans gratia tua & charitas tua, faciens me perseverare in servitio tuo in finem.

13. Amice quomodo huc intrasti?

MIrum sanè. Vocatus, quæsitus intravit, & tamen quæritur. Quomodo intrasti? An nudus intravit? non puto: nam & Fides vestis est, & cum Fide intrat, quisquis intrat; alioquin non intrat. Nam & Fides ostium est, & vestibulum ad salutarem viam. Quomodo ergo intravit qui sic quæritur & interrogatur? Cadaver indutus venerat, mortuam fidem habuerat, vitâ charitatis, veste nuptiali, serico gratiæ justificantis caruerat, quis non requirat, videns inter Convivas hominem Cadavere vestitum, Quomodo huc intravit iste non habens vestem nuptialem? ò Charitas! Gratia! ó vestis nuptialis, quàm te pauci norunt! quàm pauci curant! quàm pauci habent! quam pauci prout digna es æstimant! O Anima mea, quid æstimas, si hanc non æstimas.

14. At ille Obmutuit.

QUid enim respóderet? Vnum pro mille, non respondebit ei. quid responderet iste convictus ignaviæ, audaciæ, contemptûs, superbiæ malitiæ, consummatæ nequitiæ? *Obmutuit*: Quis non obmutescat Deo judicium exercente cui nihil objicit quod solutionem habet, quod autem solutionem non habet, dum objicitur, quis non obmutescat ad illud? *Obmutuit*: ille, qui semper promptus; ad excusanda, celanda, extenuanda, fuit peccata, nonne meritò obmutuit, quando ad judicium Dei venit? & vidit quia mentita est iniquitas sibi, & blandita. *Obmutuit*: Ah me! quantam ego obmutescendi materiam habeo! *Obmutuit*; ò nunc, anima mea, ne da silentium Deo, si tu quoque obmutescere non vis; Qui diligitis Dominum ait David, nè sileatis, & ne detis Silentium ei. Cura ut tunc ei silentium des, ne ille tibi quidquam loquatur, ne quicquam objiciat, nunc verò loquere illi tui cordis amaritudines. *Obmutuit*: Præ confusione scilicet, quod sine veste nuptiali deprehensus sit. *Obmutuit*: ò silentium triste & æternum! Deus meus ne sic sileam.

15. Ligatis manibus & pedibus mittite eum.

HOc quid aliud, quàm ademptâ, merendi ultra gratiam Dei facultate, sublatâ spe veniæ, damno æterno addici! quid hoc aliud quàm à Deo deseri, ejici à facie misericordiæ ejus, mitti in abyssum desperationis, in tenebras & noctem obstinationis, & obdurationis odiique Divini. Anima mea, descende in hæc vivens, ne descendas moriens.

16. Multi enim sunt Vocati paci electi.

ET cur hoc mi Deus? nisi quia tu Dominus naturalis, & licet figulo facere, cum figmento quod placet, nec potest illi dicere, cur me ita fecisti, in contumeliam non in honorem? An non licet facere mihi quod volo? dicet tibi. O homo! tu qui es, qui respondeas Deo! Domine humiliabor ego sub manu tua, & formidabo à facie Judiciorum tuorum, illud solùm curans ut serviam tibi, cum gratia tua & perseverem, nec unquam recedam à te. Tu autem Domine Deus meus justus es, & rectum judicium tuum.

17. Multi sunt Vocati pauci Electi.

HOc est ô Domine quod omnium Sapientum evincit captum, quod omnium Sanctitatem humiliat, hoc est, quod omnem robustum frangit & omnem audacem terret, Vocatum me video, electum scire non possum, quia pauci Electi; timeo, ut sim inter electos paucos, & tamen ideò me vocatum puto, ut saltem eligerer, si non quia electus sum, eligi non mereor, nec tamen eligar indignus. O altitudo Sapientiæ! multi vocati pauci electi, utrobique thesauri gloriæ Dei. Vocavit, ne desperaremus de Electione, paucos electos dicit, ne præsumeremus ex Vocatione; temperavit utrumque, & quia vocavit, gloriam meretur & laudem, & quia paucos elegit, timorem vult & solicitudinem.

18. Multi vocati pauci electi.

TRanseat Domine, non scrutor judicia tua. Vocatus sum? vel hoc ipso quia vocatus sum, tibi servire propter hoc ipsum teneor, quia tu es dignus, & debetur tibi; Elegisti me? gratia tibi: abjecisti me?

me? merui. Eligi dignus non fui, certè non debui; non enim erat in me quidquam cur eligi deberem cum nihil essem. Si ergo elegisti me, gratiam fecisti non debitum: si non elegisti, gratiam non dedisti, quia non debebas. Ego verò sive electus, sive neglectus, servus tuus sum & tu Dominus meus, teneor amare te, & volo servire tibi, quamdiu sum & quamdiu sum & quamdiu vivo. Tu Domine da ut semper velim, da ut possim da ut serviam; libertas tua sit tibi circa me, necessitas mea & naturalis obligatio sit mihi circa servitium tuum, à me semper inviolata & illibata.

DOMINICA XX. post Pentecosten.

1. *Cum audisset quia IESVS adveniret.*

REgulus, audito Christi adventu, occurrit, & rogavit pro filio mori incipiente. Ecce advenit Jesus descendens de Judæa cælesti, in Galilæam terrestrem; occurre ei, excipe illum, roga illum ut sanare velit te, & Animam tuam mori incipientem. Quid enim tibi ipse es sine Christo, nisi dux in præceps, nisi laqueus in mortem, nisi venenum ad perniciem? Curre ergo ad eum qui vita est, qui sanitas, qui medicina, qui Dux in salutem: Curre ad illum, hoc solùm à te exspectantem, ut venias ad illum, cærera omnia præstare paratum. Hoc modicum labora, & invenies multam requiem. Abi ad illum, excipe illum, miserias illi tuas patefac, & desiderium cordis tui ipse retribuet tibi. O Domine! en ad te curro fontem vitæ, fontem luminis, torrentem voluptatis, Deum Dominumq; meum. En cor meum ad te pando, ecce miserias meas non sileo. Vides Domine infirmitates meas, sana illas per Sacratissimi Corporis tui munera & vulnera, ut vivam tibi fortis, vegetus, sanus, robustus, & nemo me ultra despiciat.

2. Abijt & rogabat eum ut descenderet.

POtest amor Carnalis in hominibus hujus sæculi tantùm, ut Regulus, ob morbum & mortem filioli, supplex fit Christo, cæteroqui pauperi, demittat se, pompæque oblivisscatur, qui alias Christum, in prosperis degens, contempsisset. Heu dolor! Sic morbus carnalis facit humiles ex superbis! me morbi Animæ meæ, Deo supplicem facere non possunt.

3. Incipiebat mori.

O Stultitia humana! tum primum salutem curamus quando jam serum, quando jam anima est gutture hæret. Ah quisquis vere Deum diligis, salutemq; tuam amas, dum tempus est, saluti animæ tuæ provide. jam in morte isthæc providentia provida satis esse non potest, aut vix potest. Si digitus corpori doleat medicum vocas, nec malum crescere negligendo finis: decumbit Anima & negligis, & vix jam jam exspiranti succurris. Quæ ista dementia, quæ insania tandem est? Quinque sunt, quæ nos negligentes certè esse non sinunt in hac causa. 1. Quia Deus omni curâ curat salutem nostram, cuj nos deesse nequaquam revera decet; præsertim cum ille salvare nos nolit sine nobis. 2. Quia certum est, nobis, aut cum Deo in cælo, aut cum demone in inferno, & in æternum esse manendum, medium nihil dari. Certè nisi Stultissimi sumus, cum Deo in æternum esse præeligimus. 3. Levi labore & industriâ potest parari vita æterna & leviori certè quam damnatio, aut saltem non majori, tantillum ergo laborem ob tantùm bonum non suscipimus? 4. Hostes sunt gravissimi, qui nos in hoc impediunt: dico multos, dico astutos, crudeles, robustos, assiduos; non est autem dementia his obsessum & vallatum securè agere, vel ultrò etiam illis sese prodere. 5. Brevissimum omnino tempus est, quo salutem possumus operari æternam; hoc autem elapso, jam non datur operatio. Quidni ergo hoc tam pretioso tempore utimur? sed heu! abutimur potiùs illo; & quæ nobis relinquitur excusatio? Salus tibi, ô homo, dicit Dominus, ex me parata est, hac utere; aut si velis, elige alterum. Vivere aut periisse, semel opus est, at æternum est, nec locus remanet pænitentiæ.

4. Incipiebat mori.

OMnes planè dum vivimus morimur, & quantò amplius vivimus, tantò ampliùs ad mortem appropiamus; adeò ut vita nostra, nihil sit aliud, quam cursus ad mortem. Si ergo vivendo, ad mortem currimus, cur non & ad bonam mortem? & si quantò diutiùs vivimus, tantò propius à morte distamus cur etiam, quantò diutiùs vivimus, non paratiores ad mortem sumus? vides quam se ista duo inferunt; Moriendum est? Ergo ad præparare debes.

5. Incipiebat mori.

QVid est mori incipere, nisi desinere vivere? Igitur à pari, Quid est incipere vivere, nisi desinere mori? at hoc ubi? ibi, ubi mors exulat, in altera scilicet vita. Hæc vita quam vivimus, vita non est sed mors, & principium vitæ hujus est principium mortis. Porrò mors hujus sæculi, est ostium ad vitam, estq; principium vitæ Quantò igitur beatius est vivere quam mori, itemq; incipere vivere quàm incipere mori, tantò beatiùs est de hoc mundo per mortem migrare, quam in hunc mundum per nativitatem intrare, & in eo manere. Migratio enim illa seu egressus, est à morte ad vitam, ingressus verò iste & mansio, est ingressus & mansio in monte; beatius ergo est mori quàm nasci, beatior mors nostra, Amemus ergo morté nostram, plus quam vitam nostram; sed ita ut ad mortem parare nos studeamus in vita; non secus quàm ad mortem currimus ad hac vita, imò, hac vita.

6. Incipiebat mori.

QVatuor hîc occurrunt digna consideratione. 1. Quid sit mori incipere, seu quando homines discendi sunt mori incipere? 2. Quare homines moriuntur? 3. Quis sit iste cui dicitur Incipere mori? 4. Quomodo moriendum sit?

Quantum ad Primum.

TUnc homines mori incipiunt, quando vivere incipiunt. Ratio, quia est tūc vivere desinunt quando mori incipiunt: atqui desinere, est incipere mori, & simpliciter emori: Tunc ergo homines incipiunt mori, quando incipiunt vivere. Quod sic declaratur. Vita hominis, est præsétia animæ in corpore, Sed præsentia habet morā, illa mora, dicitur longitudo vitæ; si enim diu moratur Anima in corpore, dicitur homo diu vivere; sin autem non diu moratur anima in corpore, dicitur breviter vivere. Nunc ergo, si vivere, est esse Animam præsentem corpori, & si diu vivere, est diu præsentem esse animam corpori; Sequitur, quod quandocunq; anima dependere incipit in sua manendi mora à corpore, tunc statim desinit homo vivere; atqui incipit dependere, cum primùm incipit vivere in corpore; igitur homo incipit mori. cùm primùm incipit vivere; ita ut vivere nostrum nihil aliud sit quàm continuò mori. Quicquid enim de vita perdimus, hoc quasi moritur, perdimus autem hoc totum quod vivimus. Vnde non est homo dicendus tunc mori incipere, quando anima exit à corpore; tunc enim potius homo desijt, quam incæpit mori, Sicut, non tunc hora effluit, quando ultimus pulvis excidit, sed tunc potius effluxit, effluebat autem toto tempore, quo arena fluxit & fluere incæpit; non enim ultimus pulvis est hora, sed finis horæ, ita non ultimum punctum vitæ est mors, sed finis mortis; quare, quando vivimus tunc & morimur. O quantùm igitur attendere vitæ nostræ debemus! quantum curare, ut nullum ejus punctum, non solùm otiosum sit, sed & negotiosum, ô utinam sciamus, quàm pretiosam rem perdimus, quando vel frustra, vel etiam male vivimus! vitam perdis ô homo, ô quanti æstimas vitam! Vitæ nostra similis est candelæ, in qua ignis novus, novusque succedit priore pereunte, hinc illud, Accendimur, & extinguimur.

Quantùm ad Secundum.

QVare moriuntur homines? Quia sunt ex contrariis compositi; contrariétatem istam sequitur pugna, pugnam victoria, tum corruptio, hanc mors. Moriuntur homines, quia peccaverunt; stipendium autem peccati mors. Moriuntur homines, quia sic decretum est; Statutum est hominibus semel mori. Et, Omnes nos manifestari oportet. Moriuntur homines; ut sciant gentes, quoniam homines sunt; hoc est, ut humiles sint; ut non diligant mundum aliquando deserendum, scientes se hic non habere manentem Civitatem; ut tantò magis ad cælestem gloriam promerendam contendant; ut pro operibus suis mercedem aliquando accipiant debitam: ut cogitent semper de vitæ emendatione, conenturque meliorem vitam facere sequentem quam prior fuit, & esse tales in vita, quales se vellent esse in morte; ut cedant priores sequentibus, cedant opibus, honoribus, dignitatibus, gloriâ, loco, dent aliorum industriæ locum.

Quantùm ad Tertium.

QVis sit iste qui in Evangelio mori incipere dicitur? Erat Adolescens, Regius, dives, Spes Parentum, hic tamen moriebatur! Multa hinc disci possunt; sed 1. Quia mors neminem excipit à suo jure, sed omnes moriuntur: omnia morti subdita. 2. Quia mors non servat ordinem rapiendi homines; non primò pauperem, postea divitem; primò ignobilem postea nobilem; primò debilem postea robustum; primò senem, postea puerum, vel nunquam puerum; sed passim variat alternatque vices, & æquo pulsat pede pau-

pauperum tabernas, Regumq; turres.

Quantum ad Quartum.

TRiplex est de morte opinio. 1. Naturæ. Hæc dicit; Mortem timendam; Terribilium omnium terribilissimũ mors. 2. Mundanæ Sapientiæ: hæc dicit contemnendam: 3. Fidei Catholicæ Christianæ: hæc, naturæ consentit ex parte, mundo dissentit ex toto; mediâ vadit viâ. Hoc ut intelligatur, Sciendum est. Mortem spectari posse, vel in se, suaque natura, vel insubjectis morientibus. Si naturam mortis spectas, timenda est, quia malum est; ducit enim ad non esse; & nisi resurrectio supernaturalis obstaret, æterna esset. Si diversitatem subditorum morientium attendis, est partim mala, partim bona. Hinc sequitur: Mortem spectatam primo modo, naturæ esse inimicam, & ideò etiam à Sanctis naturaliter timeri. In quo sensu Aristoteles dixit: Illam esse terribilissimum omnium. Et in Scriptura dicitur; ô mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis! Hinc fortissimus quisque, ad mortis memoriam pavet. Spectatam secundo modo mortem, sequitur, & metuendam esse, & optandam. Malus es, & mori debes? time. Bonus es & mori debes? gaude: Mors peccatorum pessima: ac, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: non tam mors quàm somnus, quies, ingressus in vitam. Vnde Christus dixit; Lazarus Amicus noster dormit. E contra; Malorum mors est, initium mortis suppliciique æterni. Hoc discrimen patet in illo Epulone Euangelico & Lazaro. O quàm felix hujus mors! quàm illius misera! Optabat nescio quis, Moriatur anima mea morte justorum, nõ impiorum; mors enim illorum est via & janua ad mortem secundam: Ego autem nolo nisi semel mori, quoniam sic statutum est. Secundam mortem Deus non statuit, sed nequitia adinvenit. Ex his omnibus, anima mea disce; Migrandum esse de corpore isto; Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur in terram; hæreatque tibi in memoria mors ista semper, & illius recordatione, tanquam sale, condias omnia opera tua. Sit tibi tanquam pulsus horologii, excitans te ad agendum seriò bonum, pro salute tua, non secus ac sonus horæ est tibi signum ad hoc vel illud agendum. Omnia mortem istam tibi inculcant, dummodo tu non negligas. O homo misselle! Hieroglyphicum mortis tu ipse; Somnus, vox, cibus, vita, fax &c. Imitare facem, in qua dum ardet, novus succedit ignis: Et tu, quoniam ardes & consumeris, semper tibi novus fervor innascitur in Perfectionis studio, in via Dei.

7. Nisi signa & prodigia videritis, non credetis.

O Incauti & inconsiderantes! An pauca sunt quæ nos movere debent ad hoc, ut serviamus Deo, ut timeamus illũ, ut diligentes simus in salute nostra; ut signis & prodigiis sit opus? Si credis Evangelio, quod dicit; Regnum cælorum vim patitur; Qui vult venire post me, tollat crucem suam; Estote perfecti sicut & Pater vester perfectus est: Quid signis habes opus? Verumtamen respice prodigia: Christum Deum, Hominem propter te factum, tam vilem, tam abjectum, tam miserum, crucifixum & mortuum. Non hæc prodigia? nulla sunt, si hæc non sunt; & si hæc non movent, nulla movebunt. Ad quid, inquis, ista me movebunt? O stulte! Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: ad hoc te moveant exempla ista.

8. Descende priusquam moriatur filius meus.

VIde, quo fervore hic petit vitam filio. Rejicitur? supplex instat; tum nec increpationem attendit, nec ullam excusationem adfert, solis precibus agit; & quia instanter petiit, impetravit. O si sciremus Deo vim facere precibus! quantùm nobis impetraremus? Sed nunquid est orare, tepide orare? ex usu orare, sine intentione, attentione, orare?

9. Vade, filius tuus vivit.

ILle Christum ut descendat rogat, Christus descendens sanat: quo facto, & probat fidem, & perficit in petente, & insuper divinitatem suam ostendit, quà, absens morbis medetur. Non vult scilicet Deus præscribi sibi modum salvandi vel exaudiendi nos. Oras? indifferenter ora, propone humiliter & ferventer orationem tuam, causam tuam ipsi Deo committe. Sapientior quippe est ille, quàm tu, & efficacior in agendo, quoniam potentior. Quod vel ex hoc Evangelio disce; In fide enim paterna, statuit vitam filii, cum pater eam poneret in adventu Christi. Nunquam credidisset Pater se fide sua potuisse sanare filium, & tamen ita factum est; Credidit Pater, sanatus est puer ex illa hora. Vide igitur, ut Deo relinquas omnia, si vis impetrare omnia.

10. Cognovit ergo Pater.

GRatitudinis est, acceptum & impetratum beneficium cognoscere. Vnde

de & credidit iste Regulus in Christum cùm domo tota. Tantùm scilicet illi profuit agnovisse beneficium unum, & aliud multò maius accipere. Et quidem, cum agnovit, à Deo sanatum filium in infirmitate carnis, mox ipse sanatus est cum tota familia, in infirmitate cordis: non sic sæpe faciunt homines petunt à Deo gratiam impetrant; sed ubi impetraverint non cognoscunt horam, non Datorem, sibi industriæque suæ adscribunt, unde & aufertur ab eis donum, gratiaque illis est in peccatum, & hærent in sua spiritus mendicitate, ac nuditate divitiarum Spiritualium, sola autem superbia & ingratitudo illis relinquitur. Pete ergo tu à Deo, sed cum impetraveris cognosce datorem & gratias illi tribue; ut sic & obtenta retineas, & majora impetres.

11. Credidit homo.

MAjus est miraculum quod hic crediderit, quàm quod filius convaluerit. O mutatio dexteræ! dat filio vitam, sed Patri prius fidem, & tantam quidem, ut filium sanare valuerit; Credidit, ibat, & quia credendo ibat, salvum filium recipiebat. O fides quid non potes! si tui alicubi velut granum sinapis particula sit! Toties oro, nihil impetro; cur? Non credo, malè peto.

DOMINICA XXI. post Pentecosten.

1. Simile est regnum cælorum homini Regi. Matth. 18.

COnsidera Dominum JESUM in Sanctissimo Sacramento ad te venire, & in hoc tanquam in throno residere, eo fine ut tecum, & cum corde tuo ponat rationem. Age, adhuc ad eum omnem familiam tuam, omnia bona ejus, quorum te Villicum & dispensatorem fecit. En ipse te de singulis examinat, tu rationem redde. Cur scilicet Intellectus tam vagus, inconsideratus in his quæ agit, dicit, cogitat, cur Voluntas tam irresoluta? tarda ad bonum, inconstans? cur Memoria tam rarò Dei sui, & gestorum Christi meminit? cur tam obliviosa beneficiorum, immemor judiciorum Dei, & pœnarum futurarum? cur passiones tam immortificatæ, imaginatio tam impura, sensus tam laxi? cur tam multos defectus, tamq; graves patrasti? Vbi impletio propositorum factorum? qualis officiorum executio, observatio Regularum, conversatio cum Fratribus, Examinum orationũque cura, practicæ considerationes, alloquia, ubi? & qualia sunt? De his Christo redde rationem si non potes, deplora, & dic, Patientiam habe in me, & gratiâ tuâ adjuva me, & tunc omnia reddam tibi.

2. Cum cœpisset ponere rationem, oblatus est ei unus.

HEu me! vix cœpit mecum rationem ponere Deus, jam progredi nequeo, jam convincor debiti, par solvendo non sum; & quidquid exspectem nisi ut venúder? ô quanta debita contraxi apud Te Deus meus! Debita Naturæ, Gratiæ, Gloriæ. Et quidnam reddam tibi, ego unus, qui plurimùm recepi, plurimùm debeo, & solvendo non sum! Vnus ego semper in hac miseria debendi, idem sum & unus, mihi consto, & non cognosco quid debeam, non curo ut solvam. O curæ, adeste! & pungite me, hujusque debiti commonefacite. Me mirari posses Auguste, qui in tantis debitis, tam altum tamq; placidum dormio Evigila cor meum, & de solutione cogita, quænam erit illa inquis? Omnia exsolvere vis? omnia redde quæ ab illo accepisti, ad paupertatem Spiritus te reduc: Non sit tuum quidquam apud te, non possessio, non corpus, non scientia, non velle; nudus nudum Christum si sequeris, omnia reddidisti Christo, omnia exsolvisti.

3. Oblatus est ei qui debebat 10000. talenta.

VIde in quantis te accusant, quam de multis debitis reddenda est tibi ratio? 10000. sunt, unde persolves, si nec unum quadrantem habes? Quod non habeas, audi; Quid habes quod non accepisti? Noli ergo dicere patientiam habe in me, & omnia redddam, sed potius misericordiam habe, ut nihil reddam: dimitte mihi quia non habeo unde reddam: Ut omnia reddas impossibile est, ut dimissionem impetres, faciet humilitas.

4. Debebat 10000. talenta.

NOn solùm vide quam multa, sed & quam varia, unum altero pretiosius est, quod debes; ideoque talentum dicitur. Vis scire quàm multa sunt, & quam varia? scito quanta accepisti à Deo beneficia, quàm commisisti multa & multiplicia peccata, quàm multa committere poteras; omnia ista debita sunt & hæc pœnitendo illa gratias agendo, pensanda sunt. Quàm porrò varia, vide Naturæ, Gratiæ, Gloriæ dona. Itèm, Bona Ani-

nimæ, Corporis, Fortunæ. Item Bona præterita, præsentia, futura. Item à Deo, ab Angelis, à Sanctis, à Creaturis aliis, à proximis. Superioribus, æqualibus, inferioribus, à te ipso; tu ipse beneficium tibi es. Nihilnè Deo debes? vel hoc ipso nomine quia te fecit, utque posses Deum nosse, dedit. Si te non fecisset, nūquam Deum nosse potuisses: quantus est Deus quem nosse potes, tantùm est hoc beneficium. Neque omnino solùm quæ dona dedit tibi Deus, sed & in qua perfectione & in gradu. Dedit illi naturam humanam sicut & tibi cum meliore complexione, suavitate, robore, statura, forma, proportione, educatione, temperie, ad sciētiam, virtutesq; aptitudine; Unde hæc tibi, & hæc similia? Iam gratiæ auxilia vide, finis non erit! At peccata oris, cordis, operis, omissionis, recognita, in te, Deum, Proximum commissa quantùs debitorum acervus quantùs cumulus, quanta millia talentorum!

5. Cum autem non haberet unde redderet.

HIc planè exprimitur quid sit homo, debitor est, imò debitum; nec unde reddat habet. Vis describere hominem? non aliter certè, quam sic, Debet, non tamen habet unde reddat. Vis non debere? Debitum est. Quid igitur præsumes ô homo? Habes bona! debita sunt; habes mala? debita sunt, non habes mala? & hoc debitum est; Es aliquid? debitum est; es nihil? debitum est, ut sis, debes, ut non sis, debes. Quid ages? quocunq; te vertes, debes, debitum es, & tamen non de debito cogitas, tamen sic te geris, ac si Deus debitor tuus esset.

6. Iussit eum Dominus ejus venundari.

ISthîc homo descriptus, hic Deus. Quæris quid sit Deus? respondeo ad captum tuum: Dominus hominis, Creditor hominis; cujus homo debitū, servus, mancipium; ille autem hominis absolutus Dominus. Et tamen invenire est tales homines, qui putant se non teneri servire Deo, qui dicunt; Omnia pendent ex prædestinatione; Si sum Electus, sim licet pessimus, Salvabor; Si sum reprobatus, sim licèt optimus, damnabor; Vivam igitur ut volo. O stulte, vives ut voles, cur? quia reprobatus es? at cur reprobatus es? quia Dominus Deus est, qui te reprobavit; at idem Dominus qui te bene vivere jussit. Electus es? cur electus? si vives bene, vel quia vives benè? & tu vivere benè, non vis, quomodo eligeris ô stulte? Omnia pendent ex prædestinatione; Prædestinatio autem unde pēdet? ex Voluntate Dei dices, & Dominio absoluto; at ex eodem dominio & ex eadē voluntate, nata & data sunt præcepta vivendi: si hæc non valent, stultè igitur, & frustra Deus præcepta tulit, leges condidit, & Sacramenta statuit, frustra liberum hominem fecit, frustra in scripruris hortatur ad bonum, deterret à malo, frustra infernum fecit, minatur aut fingit. O stultè non vides quod te illaqueas? Prædestinavit te Deus, vel reprobavit, cur? quia Dominus est, & Naturalis quidem. Agnoscis igitur ex Deo dominium, cur non & in te servitium? Si ille Deus tuus, utiq; tu Servus eius. Si illi liberum facere tecum quod vult, utiq; tu debes facere quod ille vult. Si ille quod vult tibi imperare potest, utiq; tu quod ille jubet, facere teneris & obedire. O stulte Deum illum vocas, & te ipsum hoc ipso suffocas. Deus est ille; summum ergo bonum ille, dignissimus igitur, cui tu servias est ille. Non reddes illi quod debes illi? quo dignus ille est, tu illi negabis ut indigno? Deus est ille, tu igitur non Deus, sed opus & figmentum Dei: an non licèt figulo facere quod vult cum figmento, an non debet facere & subire figmentum, omne id, quod vult figulus? Ergò dic Deo; Indica mihi cur me ita iudices? O stulte licèt tibi calcare terram, percutere asinum, exscindere arborem, extinguere ignum, siccare aquam, quid non facere! quo jure? illo scilicet quod tibi dedit qui tibi omnia subdidit; non licebit illi facere tecum quod valet, qui fecit te? Expulit Deus à facie Israël tot populos, & delevit, jussit Ezechieli, Ieremiæ, Isaiæ, tam mira, tam absurda, tam juri naturæ & Divino repugnantia facere, quo jure? suo; quia Dominus est. Spoliaverunt Israelitæ Ægyptios? jussit Deus. Fænerabantur gentibus? permisit Deus. Ose fornicariam duxit, & usus eâ est? iussit Deus; alter stercus voravit Nazarius? jussit Deus, Tu homule resistes Deo? Dic tu, dic ô cor meum. Nonne Deo subjecta erit anima mea? illi Deo, qui cum vult, & ob quæ vult, potest me venundari jubere; etsi ego causam non dabo, jus tamen ille habet, & injuriam non faciet mihi, sed jure suo, & dominio utetur. Sic crede & tene, & vives.

5. Iussit eum venundari.

VEnundari à Deo quid est, nisi abjici ab ipso. Qui rem venundat, eam à se alienat, & alterius Domini facit. Quando igitur Deus venūdat, in alterius trans-

mittit possessionem. Væ illi, quem Deus venundat! Quò enim ibo à facie Tua Deus? aut quis mihi Deus extra te; si Tu Dominus meus non es? Nolo alios mihi Dominos præter te Deus meus, cui Soli dominium competit. Venundas tu Domine à te illos quibus dicis; Discedite maledicti. Hæc est venundatio tua. Sed nimirum tu neminem à te venundas, nisi qui priùs se venundedit à te, vel Creaturæ alicui, vel Creaturarum pessimo diabolo. Meritò enim is venundatur ei invitus, qui sese ante eidem vendiderat spontaneus. Anima mea adhære Deo, si ab illo venundari non vis.

8. Misertus autem Dominus eius dimisit eum, & debitum dimisit illi.

O Bonitas! ad unicam vocem misertus est, & decretum venundationis mutavit, dimisit eum liberum, insuper debitum omne indulsit in perpetuum. ô quantæ bonitatis condonationes! ille petierat dilationem, iste dat condonationem. O quàm bonæ sunt licitationes tecum Deus! quàm lucrificæ! Promittimus emendationem tibi, & modicum quid satisfactionis, tu autem omnia dimittis debita nostra, & peccatorum nostrorum recordari non vis amplius in æternum. Sæpe hoc promitte anima mea, ut sæpe talem gratiam obtineas ab ipso, & plenariam Indulgentiam consequaris ab illo.

9. Suffocabat eum dicens, redde quod debes.

O Quàm citò obliviscimur Propositorum nostrorum, nostræ miseriæ, nostræ pœnitentiæ! Ipsi debemus, condonationem, accipimus, & tamen exigimus debitum, nec misereri volumus. O quàm sæpe injuriolas nostras & debita, exigimus avarè & crudeliter à proximis, quorum nunc ipsi à Deo consecuti fuimus veniam. O nostram nequittam! misericordiam volumus à Deo, cui infinita debemus, ipsi misericordiam negamus illis, qui nobis modicum quid, verbulum alioquin unum debent! *Suffocabat eum.* Quid èst suffocare proximum, nisi ad calculum requirere, & exigere plenam ab illo & copiosam satisfactionem, nec misereri fragilitatis ipsius, intercludere illi vocem precum, nec ad preces ejus attendere: Redde quod debes; Ah redde! quàm immemores quæ debemus aliis! omnes libenter loquimur, Redde quod debes; & nemo libens audit, Redde qued debes.

10. Serve nequam omne debitum.

VIde, quam malum sit meminisse injuriarum, meditari vindictam. Ipse servus obtentam misericordiam perdidit, quia alteri conservo eãdem negavit. Solve hoc argumentum Domini: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quia rogasti me, nonne & te oportuit misereri cõservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Solve inquam hoc Argumentum Deo, & eris Sapientior Deo.

11. Nonne oportuit & te misereri conservi tui? &c.

VIde causam & motivum, quo te moveri decet ad curandas proximorum animas. Misertus est Deus tui, & ita quidem copiosè misertus, ut possis, & ipse aliorum misereri; ad quid igitur pigritaris & donum Dei detines in avaritia & iniquitate? laboravit pro te Christus, tu non laborabis pro proximi anima quam redemit Christus? pepercit tibi Dominus & peccata donavit, non tu parces injuriâ afficientibus te?

12. Si non remiseritis de cordibus vestris unusquisque.

MUlti se remisisse jactant injurias, & mentiuntur; dicunt se non esse averso animo, & fallunt; nam nec loqui de illis planè bene possunt & solent, nec ad eos fiducialiter accedunt, nec eos ad se admittunt; suaviter & facilè de eorum moribus loquuntur, & si quid illis sinistri accidat, nonnihil saltem gaudent; quæ omnia demonstrant, non esse de corde remissam injuriam & offensam. Quam simulationem pœna quæ sequitur? exprimit Christus in hac Apostoli hujus Evangelii; Sic & Pater meus cælestis, faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris, Quomodo Sic? nempe, iratus Dominus Servo, qui nolebat debitum remittere conservo, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum dibitum.

DOMINICA XXII. post Pentecosten.

1. Cuius est hæc imago? Mat. 22.

IMago Christi, Panis; imago IESU, panis: Ego sum panis verus, ait ipse de se ipso, qui de cælo descendi. Ideò in lege veteri, Panes Propositionis, bene Panem istum designabant. Et Manna illud, manifestissima figura hujus Sacramenti. Vocatur Panis Angelicus Christus: ergo in Sanctissimo Sacramento est Panis. Panis est præcipuum Corporum alimētum; & Hic Pa-

Panis, præcipuum est animæ edulium: Et multis constat farinæ granis, & Christus, vescentiumse, unit corda. Igne panis coquitur, & Christi Corpus igne Caritatis, restatque hoc pane frui utiliter. Unus omnium cibus panis est fastidium non parit, nisi infirmis aut palatum corruptum habentibus; Et Sanctissimum Sacramentum tale est, quo Sancti satis pasci non possunt, quoque solo pasci cupiunt, & quo pasci nolle, est extremam miseriam subire, & emortuæ signum animæ. Amicorum est, sese pane invitare, & hac invitatione amica convivia designare, & Christus in amicitiæ perpetuæ signum, hunc Panem nobis reliquit; nosque dum ei conjungere dextras amicas volumus, hoc pane invitat, & largiter satiat. Vere igitur imago Christi Panis. Et tu anima mea, quoties speciem panis consideras, inquire, Cujus est hæc imago? & sic Christi in Sanctissimo Sacramento recordare.

2. Vt caperent eum in sermone.

ADverte quam cautè loquendum sit tibi, si quo sermone utendum est; quia à quo minime speras, & à quibus minime metuis, ab istis captaris in sermone, si fortè tanquam aves cæli portare possint voces tuas Unde dicitur, Qui non offendit in verbo, hic perfectus est. Vir, perfectus planè: quia, qui scit loqui & tacere tempore convenienti ille & pacatus & humilis, & fervens, & in Deum elevatus est; ideò dictum est. Mala aureā in lectis argenteis qui profert verbum in tempore suo. E contra verò stultus verba multiplicat, & in multiloquio non deerit peccatum.

3. Vt caperent eum in sermone.

CHristo insidiæ in verbis struuntur; Tu num te ex parte sermonis tutum putas? & non potius petis à Deo, Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, daq; mihi ut faciam pondus verbis meis, & stateram sermonibus oris mei. Quare anima mea serva Apostoli præcepta. Omnis homo tardus sit ad loquendum, velox ad audiendum; sitq iuxta præceptum Christi sermo tuus Est, Est, Non, Non. Nam quid quid abundat, à malo est. Sectare ergo pauciatem verborum, quàm potes maximam: esto tardus in loquendo. & quodvis ponderans verbum. potissimùm autem incalescentes inter loquendum & ad confidentiam declinantes sermones, proscinde & declina.

4. Scio quia verax es.

ADverte primò, quanta sit vis veracitatis, quæ ab hoste laudatur, Fuge ergo ambigu tates, multò magis mēdacia; nam qui verax est, Filium Dei se probat, qui verò mendax, filius diaboli noscitur. Adverte secundo quod triplex sit Veritas; Sermonis, Cogitationis, Operationis; eaque ad tres: Deum, Proximum, Teipsum. Ad Deum corde verax est, qui puram habet intentionem, ad Proximum qui illum sicut se diligit: ad se, qui animam corpori, qui curam Spiritûs, curæ carnis præponit. Ore ad Deum verax est, qui in omni opere Deum laudat, & tam pro lætis quàm pro tristibus, gratias agit illi: Et ad proximum; qui cum illo dolosè non procedit. Ad se, qui hoc de se quod est, & quod non est, sentit. Opere ad Deum verax est, qui semper hæc quærit agere, quæ sint ad majorem ejus gloriam. Ad proximum, qui proximo meliora, sibi viliora eligit. Ad se, qui propter humanos respectus, à virtute non recedit, nec hypocritam agit:

5. Et non est tibi cura de aliquo.

NUllo alio motivo citiùs crebriusque homines amoventur à via virtutis quam respectu humanarum personarum. Unde, qui verus Servus Dei esse contendat, si in aliquo, in hoc esse magnanimus, ut scilicet nolit sese in speculo oculorum alienorum contemplari, sed hominum judicia sensusque contemnat, minimeque curet, aut illis placere aut displicere. Certissimum enim est istud Pauli, Si adhuc hominibus placerem servus Christi non essem, ubi nota illam vocem *Adhuc*, innuit enim, tamdiu hominem fore imperfectum, quamdiu humanis respectibus laborabit, hoc est respicere personam & curam habere de aliquo, nēpe facere aliquid propter personam, loqui ad gratiam, laudare malum, negligere bonum. Vt verò te non pigeat pugnæ cum oculis hominum. aspice oculos Dei cuncta cernentis, iis placere contende: hoc si effectui dederis, peracta res est, perfectus es, sanctus es, beatus es. Ad horum oculorum considerationem, & reverentiam, invitant te illa quæ sequuntur in hoc Evangelio, Cognita Iesus nequitiâ eorum! quam cognovit, non sanè ex illorum relatione. sed ex cordium penetratione. Hos ergo oculos time, ne illis displiceas, hos oculos quære, ut eis placeas.

6. Quid me tentatis hypocritæ.

SIc Christus sæpe ad corda nostra dolo plena loquitur, dum videt nos nostra facta, dicta, cogitata velle tegere vel osten-

ſtendere quàm juſta ſint. Quid eſt dicere, Quid me tentatis? niſi, Quid vultis vos oſtendere bonos, cum ſitis mali? ſepulchra dealbata eſtis, intus plena ſpurcitiis. Quid eſt Domine, quid me tẽtatis? niſi, Quid à me nocitura vobis poſtulatis, & indignamini ſi non facio quod vobis noxium ſcio. Quid eſt Domine, Quid me tentatis? Niſi quouſq; meâ patientiâ abutimini, & ſupra dorſum meum fabricas peccatorum & impœnitentiæ erigitis? quaſi ideo 30. annos patiar vos, ut vos prolõgare poſſitis iniquitates veſtras, & non magis pœnitẽntiam agere? Quid eſt Domine, Quid me tentatis? niſi, Quid præſumitis de vobis viribuſque Sanctitatis vel gratiæ apud me: Gratiæ veſtræ fiditis, ideoque vos in occaſiones peccandi ingeritis, quaſi ſecuri & certi de ſalute ſitis. Quid eſt Dominè, Quid me tentatis? Niſi cur veſtram nequitiam pallio Sanctitatis tegitis, & aliis vos venditis; foris aliter quam intus eſtis, alios vos in oculis meis geritis, alios omnino in oculis hominum oſtenditis; meos oculos non timetis, hominum aſpectus formidatis, clam male de proximo loquimini, infaciem autem eidem adulamini.

7. Oſtendite mihi numiſma censûs.

O Domine quoties tibi offerimus cenſut operum noſtrorum, quoties dicimus, nos hæc, illa, pro gloria tua laborare, in quibus nihil eſt horum quæ dicimus. Quomodo effugiemus, cum dices, Oſtendite mihi numiſma censûs: cum dices, Cujus hæc imago? Mihi offertur opus hoc, at inſcriptio, at imago meum negat; quia dicit illud eſſe Superbiæ, Vanæ Gloriæ, Ambitionis, Commoditatis propriæ, Amoris ſervilis & mundani, Politicæ æmulationis, Inobediẽtiæ, Scandali, Propriæ Voluntatis, Fraternæ Charitatis violatæ. Et cum hæc ita ſint, tamen tam ſæpè offerimus tibi hos cenſus, aut quid te tentamus hypocritæ? ſi tuus cenſus eſt, ſi tuus denarius, Vbi metalli puritas ubi ſonus? ubi pondus, ubi imago? ubi inſcriptio te proferens? O ſi audiamus te quotidie dicentem, Oſtendite mihi numiſma censûs; Cujus eſt hæc imago? O ſi quotidie recordaremur dicturum te aliquando nobis, Cujus eſt hæc inſcriptio? O Anima mea audi Chriſtum tibi in quovis examine conſcientiæ dicentem; Oſtende mihi numiſma cenſus hujus diei exactæ, beneficiorum acceptorum, occaſionum ad bonum ſuppeditatarum animæ. Ubi cenſus? ubi gloria? Ubi mei memoria? ubi honor? ubi gratia? Uſurpa etiam ipſamet verba hæc quoties hoſtes tui ad te veniunt, hoc illudq; ſuggerunt ac ſuadent, dic eis, Oſtendite mihi numiſma hujus cenſus; Cujus eſt hæc imago & inſcriptio & intẽtio, propter quàm vultis hoc faciam? bonum ſuadetis, ſed ſub melle iſto venenum latet.

8. Cujus eſt hæc imago?

PEccandum eſt? at hoc peccato anima fœdabitur; Anima autem eſt imago Dei; antequam pecces, quære primùm, Cujus eſt imago quam maculaturus ſum? Dei eſt, proinde non pecco. Injuriam mihi fecit proximus; Malè mihi vel de me locutus; Paſſio iræ ultionem meditatur; inquire primum. Cujus eſt hæc imago? Ille eſt homo ſimilis mihi, ad imaginem Dei, parcam, & imaginem Dei honeſtabo. Accidit aliquid triſte à Deo permiſſum, impatientia & triſtitia murmurare cogunt & conqueri, quæro Cujus imagine hic cenſus eſt inſignitus? non conqueror, Divinæ providentiæ acquieſco. Suadet demon ſub Specie recti, decipit fidem, vide recti iſtius voluptatem. In fine & noviſſimo mordebit ut coluber; hæc ejus imago, dic Fugiam. Cognoſcendus eſt homo, Studia, vita, ſermones; vide cujus eſt hæc imago? Cognoſces ſi canum ſi caprarum ſi aſinorum, ſi leonum, ſi luporum, ſi dæmonum fuerit, tunc illi adjungeris? tu, te canibus, porcis, urſis, leonibus, honeſtè & tutè conſocies? O imago Chriſti! quam ego vitâ efformandam ſuſcepi, in ea perfecta jam, limata jam, ex amuſſi perfecta, adhuc rudes non duxi lineas, & adhuc multùm ab extrema diſtat manu.

9. Reddite quæ ſunt.

HÆc eſt Lex juſtitiæ ſuum cuique tribuere; Iuſtitia debitum reſpicit & æquat. Et tu ergo ſi juſtus eſſe vis, debitum tuum, quod cuiq; debes cognoſce, & adæqua, legitimeque redde. Redde in omni opere tuo Deo gloriam & Gratiarum actionem, diabolo vanitatem, mundo contemptum, carni afflictionem; animæ curam, tibi nihil reſerva: Sic enim faciens, reddes quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo.

DOMINICA XXIII. poſt Pentecoſten.

1. Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalva ero. Marci 5.

ANima mea aſpice Sanctiſſimum Sacramen-

mentum oculis cordis, & simul cogita miserias tuas, quas non duodecim annis, sed ex quo in mundum egressa es, pateris, & te talem cognoscens, cum maxima fiducia & reverentia, & humilitate, dic intra te ex corde: Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti Christi mei si illum in Sanctissimo Sacramento latentem, & tanquam laciniâ tectum tetigero, & ei communicavero, salva ero Crede ô Anima mea, quodsi ita prout dixi postulabis, convertetur ad te misericordissimus Iesus, & videns te, dicet tibi: Confide filia, fides tua te Salvam fecit; & sanaberis ex illa hora.

2. Domine filia mea modò defuncta est.

HOc quoque tu Anima mea dic Christo Domino: Ecce Domine, defecit Spiritus meus, non est mihi currere post te nunc, sicut nuper, ingredere ad me, veni in domum meam, impone manum tuam super me, potentem misericordemque ac divitem, & vivam curramque post te fortiter, ferventer, constanter.

3. Modò defuncta est.

PEnetra hoc Modò. Modò, igitur, id est, Nunc, nunc defungendum est. Modò; quomodo, quo genere mortis ignoro. Curandum scilicet est, ut in te debito modo obeam, Modò, qua post mortem conditione? vitæ an mortis æternæ? quis novit? Modò; si ubiq; etiam amicissimi auxilio me comitentur in illam viam. Modò; sibi dum fingeret ille & iste varios modos, raptus est, & ego fortè rapiar. Modò; dum aliena cogitamus, spectamus, morimur, Modo quando jam mors instat; Modò omnes intendimus Modis; & omnia penè in nostra vita Modi! Modalistæ sumus omnes. Quando vivam, quando parabo opes, quando gloriam, quando dignitates, quando illum decipiam? devastabo? quando ulciscar? Nemo autem cogitat, quando moriar, & ex hac vita migrabo? Et tunc beatus est planè qui moritur bono modò, debito modo, quia post mortem gaudet de isto modo, fine modò. Modò, fine modo mors est, quid quæris contra illam modum? illud potiùs quære, quis cum morte & in morte modus? Juvanda est anima, quis modus? sanandum est corpus, quis modus? timendus dolor, quis modus? disponẽdum de rebus, quis modus? Anima festinat egredi quis modus? amicorum turbæ fugient circumstantes, quis solandi modus? Luctus nihil juvant, sed gravant, & quis iste solatii adhibetur modus mortuo? O Modò si tui recordaremur! modò, quàm nos mutares in alium modum! ô Modo, de te non cursim cogitaremus, si te penetrare & præcipuè invenire & tibi insuescere conaremur? ô Modo cum veneris, quàm in alium, quàm in mirum quàm in miserum nos vertes mutabisque modum.

4. Et surgens, sequebatur eum.

VIde quam promptus currat Iesus ad sanandum hanc puellam, ad solandum pueros, nec dicti unius moram facit, continuò surgit & sequitur Patrem mœstum ad mortuam puellam, licet sciret quod in ista domo esset deridendus. Disce & tu, promptitudinem in laboribus pro salute animarum prompte subeundis, ut ad signum unum, ad unicam occasionem, juvandæ Animæ, caritatis Proximo Fratriq; præstandæ, consurgas, ac curras, nec tardes, nec moram facias, nec alium qui id præstet demonstres, aut ire posse dicas. Hoc te Christi exemplum docet, de quo vides scriptum; Et surgens Jesus, sequebatur eum. Cura ergo & tu, de te addi possit; quod statim sequitur; Ut discipulus ejus, exemplo ejus.

5. Ecce mulier quæ sanguinis fluxum.

HÆc mulier animæ tuæ typus est. Laborat enim ipsa perenni fluxu cogitationum otiosarum, judiciosarum, curiosarum, carnalium, superbarum, tristium, murmurantium, suspiciosarum, & quidem non à duodecim annis, sed ex quo ratione uti cæpisti. Quod si istud profluvium vis sistere, applicando mentem unius rei Creatæ amori, nonne deteriùs habes; cum hic medicus malus sit; & præterquam quod hoc fit, etiam erogas omnẽ substantiam frustra, exponisque te æternæ mortis periculo, eò quod audeas neglecto Deo, quietem tuam & opem & amorem quærere apud Creaturas.

6. Mulier quæ sanguinis fluxum.

COnsidera tuam negligentiam in cogitationibus restringendis. Si te bene examinas, nulla res apud te magis neglecta, quam cogitationes. Cum ergo sis similis huic mulieri, & eo modo sis affectus, sequere eam in quærenda medela. Abivit illa ad Iesum, accessit retro, tetigit fimbriam, sanata est. Fac similiter, si vis cogitationes restringere: applica ad Jesum amorem tuum, in eo mentem defige, cor tuum statue in illo, & profluvium tuum stabit. Quod amamus, & cogitamus. Si amor visibilis, & cogitatio talis. S. Fulgentius ait. Vis scire quod amas? vide quod cogitas. Idem dico ego; vis scire, cur otiosa cogitas? quia otiosa

ſunt, & vana quæ amas. Vide igitur quid ſit quod utilius ames quàm Iesum; vide ubi amplior cogitatio, vel dulcius quid invenies quàm Iesum. Allide ergo Filios Babylonis ad hanc Petram, & ad Chriſtum cogitationes affige. Peream, Dulciſſime Iesu, æterna Sapiētia, ſi de te non cogitavero! Venit retrò mulier infirma. Et tu te indignum aſpectu & facie Chriſti reputa; retro veni, & ſcias, qui ſis & qualis. Retro veni, verecundus & humilis: retro veni, tanquam ſervus; retro veni, tanquam imitator veſtigiorū Chriſti; retro veni, tanquam captator occaſionis; tunc Chriſtus ad ſanādum mortuum ibit. Hæc mulier infirma, occaſione uſa eſt, & à morbo ſanitatem quærebat; opportunè venit, plene invenit. Opportunitas in Chriſto ſemper eſt, ſed non ſemper in te. Non venis opportune, ſi te tui non pudet, ſi te reum multorum non agnoſcis, ſi te peccatorum non pœnitet, ſi corrigere piget.

7. Tetigit Fimbriam.

NOn corpus, ſed veſtem; nec quamvis partem, ſed extremam; non carpſit non ſcidit, non tenuit, ut David, ut Ieroboam ſed tetigit reverentèr, humiliter, confidēter. Totus quidem Salvator Chriſtus, totus eſt ſanitas, mirum eſt, cur in fimbriā ſanitatem exerit. Vita Chriſti veſtis Chriſti, Fimbria veſtis eius, vita ultima ejus, quæ iſta? Paſſio. Hanc tange quiſquis ſanari vis; Paſſionem Chriſti recole, quiſquis proficere & Sāctus eſſe vis. Fimbria eſt ſalutis, Mors Chriſti, Crux, Vulnera, Spina, flagella. Quis mihi det tangere vos, conſauciari à vobis, emori vel à vobis, vel in vobis vel pro vobis! Hæc mea deinceps ſublimior Philoſophia, ſcire Iesum, & hunc Crucifixum Da Iesu, & dicam illud Pauli, Verè & ſemper Chriſto confixus ſum cruci: Cum confixus eſt Paulus cruci, quo confixus? Chriſto. Quid ais? an Chriſtus clavus? & fortiſſimus quidem. Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Ubi Chriſti Charitas? in Paſſione, in Cruce. Clavus ergo Chriſtus eſt, quo affigimur Cruci: nam quis poſſet pendere in Cruce, niſi affixus eſſet amore crucifixi, hoc ēſt ipſo Crucifixo, ipſo Chriſto. Sic vive Anima mea, ſic morere, ſi vis ſanari à plaga tua.

8. Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit.

QVàm facilè huic dormitare tam facilè Deo mortuum ſuſcitare; quod enim reſpectu noſtri homini eſt ſomnus, hoc reſpectu Dei, vincula mortis. Agnoſce ergo Anima mea Chriſtum eſſe Dominum vitæ & necis, in ejus manu eſſe jura mortis, & ſi aut te, aut quemcunque alium mortuum eſſe metuis vel doles, ad Iesum accurre, & Regem cælorum vivum adorans deprecare. Diſce etiam ex his Chriſti verbis, Neminem ante tempus judicare. Vides aliquem aliquid facientem, quod malum tibi videtur, putas aliquem eſſe deſperatum plane in malitia, audi Chriſtum de illo dicentem; Recedite, non eſt mortua iſta ſed dormit; ſi cadit, Domino ſuo cadit; potens autem Deus ſtatuere peccantem! ô quàm frequentia, quàm facilia ſunt in ore noſtro judicia: & quis nos conſtituit judices ſuper proximos noſtros, niſi ſuperbia noſtra & cæcitas? nam ſi nos ipſos judicaremus, non utique vacaret nobis alios judicare, nunc autem à Domino corripimur.

9. Deridebant eum.

VIde; Perfidia, Stultitiaque irridet Sapientiam! ſermones ejus non capit. Dixit Chriſtus: Non eſt mortua, at illi deridebant eum. Diſce tu hinc, non facilè prorumpere ad aliorum dicta carpenda, & opera judicanda aut contemnenda. Diſce propter alienas irriſiones à virtutis opere, nequaquam recedere. Nihil homo ſcit ubi ſenſus & oculi hominum conſuluntur; propter Deum vitam bonam inchoaſti, propter Deum in ea perſeveres.

10. Turba ejecta intravit IESVS & tenuit manum.

FRuſtra Iesum in domum cordis inducis aut trahis, ſi turba domum implevit. Ecce turba paſſionum immortificatarum, pravarum cogitationum, curarum inutilium, ejice eas, tunc intrabit Iesus & tenebit manum tuam. Miraris non ſuccedere lectiones? nempe quia quia domum impleverunt turbæ affectuum variorum. Non te affectibus rege, eiice turbam venientem, Ducem adhibe, practicis conſiderationibus utere, intrabit Iesus.

11. Puella tibi dico ſurge.

MOrtuæ Puellæ, non dicit Chriſtus, Redi ad vitam, ſed Surge, quaſi non mortuæ, ſed dormienti. O quoties anima mea, tibi per annum, per menſam, per horam, per momenta dicit Iesus Surge, Surge qui dormis, tu autem nunc non cōſurgis? an tu magis mortua, ô Anima mea, quam iſta puella? illam Chriſtus voce excitat à morte, te non poteſt clamoribus & pulſibus à ſomno. O quàm peſtifer hic ſomnus lethargicus! Imitare deinceps

inceps anima mea mortuam hanc, observa divinos motus, vocem ejus audiat auris tua, negligens in inspirationibus eius suscipiendis non sis. Est quidem somnus iste tibi dulcis, sed lethalis: molesta autem excitatio sed salutaris. Utere ergo molestiâ, si vis salutem.

12. Non est mortua puella, sed dormit.

MOrs malis est fur, somnum rumpens; bonis, est somnus, quietem adterens. Est fur malis, ut Holoferni, ut Sisaræ, Isboset, Samsoni, Sauli. At bonis est somnus Leoninus; Catulus Leonis Juda; &, Quis suscitabit illum? Illi si leonum adipe inungantur, innoxii dicuntur ab omni ferâ; Christus Leo; securé dormire vis, & à bestiis inferni non lædi? Christus adipe Gratiæ suæ, & Sanguinis sui te inunget.

DOMINICA XXIV. post Pentecosten.

1. *Ecce hîc est Christus. Mat. 24.*

ECce desiderium cordis tui tribuitur tibi ô homo; dilata cor tuum. Ecce dilectus noster stat post parietem nostrũ, respiciens per cancellos, prospiciens per fenestras. Ecce hîc est Christus, hîc sub ista Specie Panis, sub hac vini specie, in hoc Altari, manu, lingua, ore, corde, visceribus tuis. Ecce hîc est Christus tuus, quem timebis? Ecce hîc est Christus tuus. quid tibi deerit? Ecce hîc est Christus, tu peccabis; Ecce hîc est Christus, tu te cæcum geres! Ecce hîc est Christus, non facies illi submissi cordis honorem? Ecce hîc est Christus, non miraris, non gaudes? non ad pedes advolveris? non te illi devoves? Ecce hîc est Christus, putasné aliquid deesse? Ecce hîc est, & cur tamdiu in te aliquid Christo inimicum respondet? in his verbis, ô homo, quidquid vis, habes. Æger solatium, pauper divitias, immundus balneum, nudus vestem, famelicus cibum, sitiens potum, timidus robur, denique qui nihil est, habet omnia.

2. Cum videritis abominationem desolationis in loco Sancto.

QVid est abominatio desolationis in loco sancto, nisi peccatum in corde, nisi tepor in Spiritu? an nescitis, ait Apostolus, quia corpora vestra templa sunt Spiritus Sancti? Si Corpora, multò magis Anima, utiq; enim Anima plus est quam esca vermium, saccus stercorum, corpus. O quanta abominatio desolationis in corde meo Deus meus! Quid est? usque adeo insedit tepor iste malignus & tepiditas meledicta, ita ut non possim currere sicut heri, & nudius tertius quãdo corde dilatato & ferventi serviebam tibi Deo meo? Et quidni mireris Domine sicut olim; Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? sanè multa quia cõsummatio omnis nequitiæ, tepiditas.

3. Abominatio desolationis in loco Sancto.

HÆc nihil aliud est, nisi inundẽtia scelera, pullulantes curæ, in Ecclesiasticis desideria sæcularia, quibus omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi: vanitas in prædicatoribus Evangelii, quâ seipsos prædicant; Scandala in Religiosis foras prorumpentia. O quis Sapiens & intelligit hæc! ô quis tollet scandala de Regno Dei! Messis multa, operarii autem pauci! Utinam consurgat aliquando zelus Patrum nostrorum. Utinam convertantur corda Patrum in Filios & convertamus populos ad Dominum Deum ipsorum! Principemq; hujus mundi & abominationem desolationis, ejiciamus foras de loco Sancto, ornati gladio, zelosi descretiq; Spiritûs.

4. Væ prægnantibus in die illa!

NUlla re magis inferna abundat atque suâ voluntate, & bonis propositis; sed væ prægnantibus! neque enim apud Deum locum habet Corvina vox, Cras, Cras; Quàm multi multa nos facturos pollicemur, & nihil facimus? interim nos mors, in ira Dei, prægnantes & parturientes occupat, atque in tartara mittit, locum pœnitentiæ non relinquens: quoniam apud Deum, non quid volueris, sed quid feceris æstimatur. Similes enim sunt homines isti Elephantis, qui decem annis uterum gestant, & tandem pariunt, sæpe etiam ante partum emoriuntur. Ergo quidquid potest manus tua, instanter operare, operare, quia tempus non erit ultra, & fores misericordiæ, quæ nunc patent, claudentur æternitate, regnabitque justitia, Age quod agis, non cesset tua manus, non cesset pes tuus.

4. Orate ne fiat fuga vestra hyeme.

IN hyeme fugiunt, qui mundum deserunt, sed Religiones indisciplinatas petunt, in quibus etiam aliqua fuit æstas fervoris & observantiæ, Autumnus fructuosæ ac maturæ perfectionis, & vigor floridus ac Ver Sanctitatis & novitatis, postmodum tamen inordinatio & desolatio succedit. Ora pro tuo corde, ne in hyemem transeat, ne tu in nivem & glaciem concrescas, ne tuâ causâ, Religi-

onis tuæ disciplina in pluribus remittatur.

6. Orate ne fuga vestra.

IN his verbis Difficultas in sæculo sanandi animam notatur. Quid enim sunt homines sæculares nisi ij qui fugiunt mũdum, sæcularibus curis impliciti, & negotiis mundi? Quid sæculum istud fugiendum? Simile est hyemi: putas inveniet filius hominis, cum venerit, fidem in terra? Refrigescet Caritas multorum. unde Christus dicit; Ignem se venisse mittere in terram, cur? nempe ut accendatur, friget enim: ô friget! quia hyems est; terra ipsa frigida est, magis autem ab aqua infrigidatur; hinc hyems nascitur, & homo ipse tanto propius ad hyemem tendit, quantò magis sæcularibus curis circumdatur. Quapropter certè Sol iste justitiæ, recessurus a terra, in cælum veniens, ne citò infrigesceret, promisit & præstitit Spiritum Sanctum, eumque in igne misit, ut impleretur desiderium Prophetarum clamantium; Utinam disrumperes cælos & descenderes, aquæ arderent igne! Gaude igitur, ô homo! qui ab hac hyeme sæculi, diabolicarum tentationum grandine, gelu & pruina peccatorum lethalium, Dei munere liber, in æstate & vere Religionis, vivis & fugis. Ora autem, ne saltem mente redeas in Ægyptum; atque labora, ut plurimos in illa hyeme algentes calefacias.

7. Vbicunque fuerit Corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

FElices aquilæ quæ ad illud corpus cõgregabuntur! Quod hoc Corpus? nisi IESUS, quid aquilæ? nisi Servi Christi. Corpus Christi est, quia verbum Caro factum est. Aquilæ Sancti sunt, qui sub ista nube latentem Deum, non solum cognoverunt sed etiam amaverunt; Perspicaces sanè oculos istos fuisse oportebat, qui viderent & amarent; multi enim vident sed pauci amant, hi cum noctuis computabuntur, quia inter aquilas esse non possunt. Multi qui potiùs Christo dicũt Domine, Domine, quàm faciunt, quod Christus dicit; propterea respondebit illis, Nescio vos. O si inter illas computemur Aquilas, quæ assumunt pennas, mutant fortitudinem, & sicut aquilæ volant & non deficiunt, immutant enim aquilæ juventutem suam, aspicientes in contemplatione ferventi, & ardenti desiderio, quæ lætificat juventutem earum. O si inter illas aquilas sim, quæ corde puro & perfecto in Deum tendunt, & rectos figunt oculos intentionis suæ credendo, amando, imitando, contemplando!

8. Statim autem post tribulationem dierum illorum.

EN signa Adventus Dei & quasi præludia, hinc disce, quod illo tempore; quo Deus abs te exiget totius vitæ rationem, obscurabitur tibi & aliis gratiæ illuminantis Luna, Lumen enim dabit ut malos affligat; tempus pœnitendi & bene agendi non erit ultra, tunc plangent omnes tribus terræ, non cæli; terrenæ enim cogitationes turbabuntur, & in vanum abibunt. Tunc patebit signum Filii hominis in cælo, signum, inquam, Redemptionis, quo toties tu abusus, vel non fructuosè digneq; satis usus. O qui tibi tunc æstus! Qualis tunc esse voles, talis nunc esto, & ut sis, curare proponito.

9. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus.

VIdebunt justi & plaudent, videbunt impii & plangent. O quanta disparitas! Elige chorum in quo esse & cantare velis tunc, quoniam hæc omnia fient; Hodie tempus est eligendi, æternitas ab hac Electione dependet.

10. Et mittet Angelos suos cum tuba & congregabunt Electos.

HÆc est sors, quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob; gloria est omnibus Sanctis ejus, congregari per Angelos ex omnibus angulis terræ, & speluncis & cavernis. O illi angustiati illi afflicti, illi purgamenta mundi, illi qui habiti sunt aliquãgo in derisum, congregabuntur ab Angelis Christi inter alios. Vtinam sic moriatur anima mea morte justorum, sed priùs vivat vitam justorum! Sic enim sine dubio fient novissima mea horum similia. Quod donet Dominus IESUS, impetret cum omnibus Sanctis MARIA.

DOMINICA
Dedicationis Ecclesiæ.

1. Hodie huic domui Salus facta est. Luc. 19.

QVotiescunque communicas Sanctissimo Sacramento, toties totum hunc Actum qui de Zachæo & Christo Domino hodie legitur in Evangelio, repræsentari cogita, ita ut tu quidem Zachæi, Christus verò suam personam gerat. Itaque audi, quid Christus Zachæo, id est, tibi loquatur. Hodie salus huic Domui facta est. Grandis sanè & summi momenti attestatio; quam si cui audire contingat, nihil ampliùs quod desideret in hac vita habet, tantùm ut bonum istiusmodi omni

omni diligentiâ conservare curet. Etenim quæ dulcior Consolatio esse potest, quam hæc? si quis sibi & de se dici à Christo audiat in corde & conscientia. Hodie huic domui salus facta est. O quàm festinè descendere deberes Zachæe ex arbore! quàm avide quærere deberes, ut videas JESUM Christum? quàm gaudenter illum domo excipere? quàm liberaliter te cum illo gerere? Fac ista, & sine qubio audies, quod audivit Zachæus; Hodie Salus &c. etenim cum Sanctissimum Sacramentum salutem ipsam contineat, si domus tua non erit indigna salute, certè hoc ipso, quod Sacramentum tantum recipis, ipsam salutem recipis.

2. Zachæus, & ipse dives, quærebat videre IESUM.

RAra istiusmodi curiositas in Divitibus, ut scilicet quærant videre IESUM. Quid enim divitibus & IESU? divitibus, inquam, divitias amantibus. Hujus rei exemplum aliud ab ipso Zachæo, non invenies in Evangelio. Invenies aliquem divitem qui in Christum casu inciderit, non quæsitum, ab ipsoque ut se sequeretur jussum at; possessionum multarum amore victum, abiisse tristem. Mathæus equidem dives fuit, sed Christum non quæsivit, jussus tamen & vocatus secutus est. Reges item seu Magi ab Oriente venientes, quæsierant quidem Christũ, sed Stella ducente & docente. At qui sponte, & studiosè quæsierit Christum videre, solus Zachæus legitur. Verum est, Herodem quoque à multo tempore optasse JESUM videre; sed non legitur quæsivisse, quamvis dicitur optasse; ideò etiam quamvis Christum vidit, tamen ab illo nullum verbum audivit. Quid est ergo causæ, quod tam pauci divites quærant IESUM videre? forte non nulli eorum sunt qui cupiant, sed qui quærant non sunt multi, ut dixi. Causa prima est; quia non amant IESUM; amore enim divitiarum pleni cum sint, Christum amare non possunt. Patet id in illo adolescente, qui abivit à Christo tristis. 2. Quia se egere Christo non putant; quo autem quis non eget, illud omnino non quærit. 3. Quia nihil omninò de Christo cogitãt sublime & concipiunt: Nam cum nihil magnificum putent, nisi quòd terrenum est, in Christo autem nihil terrenum sit, sequitur ut de Christo grande nihil opinentur, quia intendunt & occupantur divitiis suis quærendis & augendis, & ita à Christo quærendo impediuntur, ita, ut etsi velint non possint quærere IESUM, divitiis quærendis occupati; IESUS enim in cælo, opes in terra; ergo illi moveri deberent duobus motibus contrariis simul, quod non potest fieri. 4. Quia gravati sunt & onusti; IESUS autem in cursu celer est, non facile quis illum invenire & assequi onustus potest. 5. Non norũt, immò & dedignantur ea loca audire, in quibus JESUS invenitur. Locus Christi est Stabulum, Præsepe, Crux, Paupertas, Contemptus, Vitæ asperitas, Persecutio, Tribulatio; Beati enim pauperes Spiritu &c. & quis Divitum hæc non horreat? 6. Divites & omnes opum amatores staturâ pusilli sunt: hoc patet; quia solam terram attingere possunt, cælestia mente agitare nullo modò prævalent; quod quidem valerent si altiores essent. Cum ergo sint pusilli, altiora quærere nolunt, sed dicunt; Quæ in terra sunt, vix invenimus cum labore, quæ autem supra cælos sunt, quis investigabit? 7. Divites & pacem habentes in substantiis suis, habent aspectum vitiatum, & uno tantùm terrenorum colore imbutum: ita ut nihil possint videre, nisi quod terrenam speciem habeat; Cum verò IESUS totus sit cælestis homo, ad illum aspirare illi non possunt videndum: eo modo quo quis natus in tenebroso carcere & ita educatus, ut lucem nunquam videret, nunquã de luce meridiana cogitaret, neq; solem quæreret, Ex his similibusque causis patet, quia divites ad quærendum IESUM rarissimi se conferunt.

3. Princeps Publicanorum, & ipse dives, quærebat videre IESUM.

ECce publicani & peccatores, præcedunt nos ad Regnum Dei, & quærunt JESUM videre, noctuæ solem, Filii præsentis sæculi, Patrem manentem in cælis, & Patrem futuri sæculi requirunt. Jam autem Filii regni, Filii lucis, de IESU quærendo, vel nihil, vel parùm laborãt, ut omnino erubescere debeant Pietatem professi, quod palmam in fervore ad virtutes, ad carnis & sensuum mortificationem, ad frequentiam orationis concedant hominibus, quos terrenarum fluctus occupationum, tantùm non demergit. Quis enim non erubescat, videns aut sciens, Magnates sub sericis suis horrere cilicio, cum ipsi sub veste horrida mollescant, lino vel bombyce ac serico.

4. Non poterat præ turba.

HÆc est infelicitas inter alias divitum maxima, atque causa, cur IESUM nec quærere velint, nec si velint, possint.

Turba scilicet, quâ impediuntur; nec una tantum sed turbis turbarum. An non turba ingens, Curæ quotidianæ, quibus abundant Divites, de conservandis, augendis, tuendis, meliorandis, bonis, opibus, possessionibus? An non turba, solicitudo crescendi in fama, reputatione, honoribus? An non turba, Magistratus, quos ordinarie & gerunt & ambiunt Divites? An non turba, Amici & eorum voces, necessitates, preces promotionum, exactiones, quibus, nec si velis possis resistere, ne dum de Deo, ipsis repugnantibus cogitare? An non turba, Reipublicæ Curæ, pericula, consilia, negotia, divitum capitibus impendentia? An non turba? Respectus humani, timor judicii & linguarum, universa illa idolorum legio. *Quid videtur? Quid dicent?* An non turba Adulationes omnium in omnibus etiam in malis? An non turba, Peccata tam sua quàm aliena, quæ tamen ab aliis sub divitum protectione, vel eorum jussu, consilio, conniventia fiunt. Quanquam, quid opus est enumerare, quæ sunt turbæ apud Magnates? divitiæ & opulentia, magnitudo eorum, constat turbis, ita ut quantò plùs turbarum tantò plus divitiarum & magnitudinis censeantur habere. Turba pagorum, agrorum, Domorum, turba saccorum, nummis plenorum, turba thesaurorum, turba famulorum, turba palatiorum, amicorum mensarum, ferculorum, poculorum, delectationum, musicorum, adulatorum, curruum, equorum, canum, hæ turbæ premũt divitem. Quid ergo novum si non possunt IESUM præ turba divites videre? imò præ tantis turbarum turbis, mirum potius esset, si possent. O quãta commiseratione digni sunt divites miseri tantis turbis! quàm fidis opus haberent Mareschalcis, qui has turbas arcerent! sed infelices, cum omnibus turbis, eorum palatia pateant, etiam insidiis, venenis, detractionibus, hostibus, mortibus, Soli ad illos Veritati, Virtuti, Pietati, Deo, clausa est janua. Exeat Aulâ qui valet esse pius.

5. Ascendit arborem Sycomorum.

EN remedium Divitibus, si quando IESUM videre, turbam superare, pusillitatem supplere velint, nullum est aliud, quàm arborem id est lignum Crucis amplecti & ascendere. Hæc enim est lignum stultitiæ, de qua Apostoli; Nos, ait, prædicamus Christum, crucifixũ Judæis scandalum, gentibus stultitiam vel quod idẽ est, Arborem stultitiæ & contemptûs respectuum, irrisionum, oblocutionum humanarum ascendere, & ex ea turbam omnem superare, IESUMq; speculari. Nihil omnino hoc remedio efficaciùs, non solùm divitibus sed omnibus ad virtutẽ tendentibus. Licet respectus humanos vincere, ex parte, & valde est difficile, & valde facile fit divitibus. Difficile, quia valde attactum famæ sentiunt; facile, quia vix quisquam iis in faciem dicere quid audet; & si semel superent linguas, ferè postea silẽtium indicunt, & admirationi sunt potiùs quam vituperio.

6. Zachæe festinans descende.

DIvitum (quanquam omnium hominum) est mos ut in ascendendo valde festinent, in descendendo valde testudinei sint, licèt re ipsâ spectatâ, tardissimè soleant (contra voluntatem suam) ascendere, facillimè autem, levi impulsu decidere magis, quàm descendere. Christus ergo Zachæum monet ut festinet descendere sponte, ne cogatur decidere dejectus. Quod contigit Lucifero, qui velut fulgur decidit. Optimum enim consilium est, hoc opibus facere, quod illæ nobis facturæ sunt aliquando. Quid faciunt nobis opes, & totus mundus ejusque bona in morte? deserent nos; hoc ergo faciamus iis ante mortem, saltem affectu; & faciamus festinè, quia faciliùs est omnino omnia contemnere vel modicum ad aliquid affectum retinere: quâ in re, melior est experientia quam discursus.

7. Hodie oportet me in domo tua manere.

ADverte Causas propter quas oporteat IESUM in domo nostra manere. Dignum enim omnino est considerare, quod dicit Dominus IESUS Zachæo, incumbere sibi necessitatem manendi in domo ejus. Si enim diceret, Expedire Zachæo, ut se domo suâ excipiat, facile esset causas investigare; at cum dicit id sibi oportere, & expedire, dignũ est ut rationes inquiramus & perpendamus. Primum ergo Sciẽdum Deum bonorum nostrorum non egere omnino. 2. Sciendum Nos sine Deo ac Christo nihil posse facere; quæ duo, mirabiliora reddunt Christi verba illa ad Zachæum: Oportet me hodie. Sed tamen hæc ipsa duo ostendunt, cur Christũ oporteat domi nostræ & Zachæi manere. Non enim illum oportet manere quia eget, sed quia nos illo inhabitatore egemus; & quia sine ipso nihil sumus, & nihil possumus. Eo planè modo, sicut oportet lucem esse in aëre, Spiritum sive aërem in animali, animam in corpore, medicum apud infirmum. Quanquam etiam lux, eget aëre tanquam subjecto; itemq; ani-

animâ corpore tanquam comparte. Iesus autem, domo nostrâ nihil omnino eget; sed ad declarandum bonitatem suam, & illud, quo tenetur benefaciendi nobis desiderium, id quo nos egemus, ut ab ipso obtineamus, se egere dicit, & nostram necessitatem, suam facit. Sic dicit medicus, oportet me adire infirmum; Pater, oportet me visitare liberos; Dives, Oportet me eleëmosynam dare pauperi; Rex. Oportet me defendere subditos; ideò Ghristus Paulo; Saule quid me persequeris. 2. Causa est; quia revera non est negandum, Deum egere aliquando ut apud nos maneat. v. g. ut apud Zachæum hodiernum. Natura enim bonitatis est, ut sit communicabilis, & communicativa sui; Eget ergo Bonitas, ut habeat cui se communicet; sicut vox eget auditu, à quo audiatur sapor gustu à quo gustetur. Quid enim prodest dulcedini quod dulcis sit, si nulli sit dulcis, si nullus ex ea gustat? Thesaurus invisus, Scientia abscondita, quæ utilitas in utrisque? Jam ergo cum Dei natura sit bonitas, sequitur quod egeat his, quibus se cõmunicare posset. Id potest illustrari exemplo mulieris, lacte turgentia ubera habentis, quę nisi lac præbeat infantibus, aut saltem illud exprimat, incommoditatem valetudinis patitur; ita Christus, lacte bonitatis habens turgentia viscera, si illud non tribuit alicui, incommodè sibi habere videtur. Quò facit illa antiquorum fictio, qui fingebant Deum quendam uberibus constantem, à quibus omnes suam substantiam sugerent. Et Clemens Alexandrinus Christum vocat, Mamillam Patris æterni; quæ quidem Mamilla, cum hodie plena lacte esset, perambulabat Jericho, quærens credo infantes, & in plateis dans vocem suam, ac dicens, Siquis est parvulus veniat ad me; cumq; ibi in Sycomoro pusillum hominem vidisset, infantem rata, ait illi, Zachæe, festinans descende &c. tibi lac præbere cogor, turgeo. O dulcissima & fæcundissima Mamilla Patris! quis det, ut etiam oculos tuos refectas super nos, & des nobis de lacte bonitatis tuæ gustare! Curremus post te ô mamilla Sancta, si id feceris, memores uberum tuorum. Eadem ipsa Dei indigentia declarari potest exemplo mulieris parturientis: huic enim S. Chrysostomus Deum comparat, dicens; Deum præ desiderio volendi nobis bene facere, clamare instar parturientis, & partum bonitatis ac misericordiæ suæ in nos effundere volentis. Et sicut mulier si parturiat, & parere non possit, dolorem habet; sic Deus quodammodo ipse torquetur, quando ipse quidem nobis benefacere vult, at propter nostra impedimẽta non potest; proinde valde irascitur & minatur miserias magnas, imò infligit illis, qui illum in misericordia facienda præpediunt. Et hoc est illud quod D. Augustinus dicit, Peccatorem currere à Deo placato ad Deum iratum. Et quod S. Chrysostomus ait: Infernum à Deo ideò paratum esse, quia homines nolunt ad cælum, id est quia à Deo nolũt accipere misericordiam, quâ salventur; & ita minatur infernum, ne mittat ad infernum; minatur miseriam, ut commendet & pretiosam faciat misericordiam. O quanta est ergo hominum cæcitas, & malitia, qui Deum crudelem esse cogunt, misericordem esse nolunt! ô quanta Dei Bonitas, quæ ut se nobis obtrudat, miseriam minatur, nisi bonitatem acceptemus! ô Bonitas Sancta, parva sit ista miseria, si non acceptemus te? nam hanc ipsam declarare possumus, immo ipse Spiritus S. declarat per similitudinem mercatoris divitis, merces suas exponentis, omnes ad emendum invitantis, & emptoribus, ut emant sine auro & argento, suadentis; imò etiam, ut de Sapientia dicitur, ancillas suas ad invitandum mittẽtis. Contingit etiam hac in re Deo id, quod illi homini, qui fecit cænam magnam; at nolentibus venire invitatis, coäctus est, ex vicis & plateis compellere ad intrandum. Ad hoc ipsum facere posset simile aucupis, escas objicientis, & aviculas capere volentis. Deus enim nos capere in liberrimam servitutem cupit, &c. *Vide num: Sequenti.*

8. Hodie oportet me.

CVpiebat Zachæus & quærebat Iesum videre quis esset; Iesus autem ostendit se apud illum hac vice velle manere. Latet haud dubio causa aliqua. Existimo ego, Christum voluisse uti bonâ illâ, quam illi Zachæo inesse & innasci optabat, dispositione & vountate, & ignem igni addere in salutem, Vis cognoscere quis sim, & ideò quæris me videre? ex aspectu non cognosces; volo manere tecum hodie, ut tanto plùs tuam hanc curiositatem faciliusq; quam per otium me contemplando, cognoscas. Est hic unum incredibiliter utile & necessarium, raro autem usitatum, & notum hominibus documentum, quantùm intersit, primas gratias à Deo oblatas acceptare, qua de re cum alibi à me sit dictum, hîc, hoc solum dico. Immiserat Deus cupiditatem videndi sui Zachæo, hæc erat prima gratia, excitans: hoc desiderium si Zachæus abjecisset, non ille Christum vidisset, non domi habuisset, non restitutionem, non eleëmosynam fecisset, non deniq; Filius Abrahæ & salutem domui suæ factam audivisset. Ecce quantis bonis se privasset, si primam gratiam neglexisset. Non neglexit, imò quærebat videre Iesum, arborem ascendit, cooperatus est, consecutus est. Quis credidisset ex illo simplici desiderio videndi, casu, temereq; injecto & nato, tantas gratias pependisse! Et hoc est unum ex incredibilibus arcanis maximum. Sed non est hîc locus: vide alibi. 2. Existimo Christum voluisse pudorem Zachæo demere in se invitando; & suam ad animas salvandas propensionem ostendere, doceréq; homines animarum curam habentes; nullam ut occasionem prætermittant, lucrandi animas: potissimùm verò, adhibendam esse Religiosorum morum Suavitatem, conversationem modestè hilarem, non tetricam & superbe gravem, cujus hîc specimen exhibuit luculentissimum Christus Dominus, dum quasi dissimulatè quærendæ Zachæi Salutis consilio, invitat se ultro ad Zachæi domum, egere se domo ejus ostendit.

9. Hodie oportet me &c.

COnsidera quotuplex est hæc domus in qua oportebat Christum manere? Quadruplex est domus nostra. Vna est Cœlum, 2. est Materialis in qua habitamus. 3. Conscientia sive anima, 4. Templum. In Cœlo, certum est Deum manere; Nec de hoc etiam ambigi potest, quod cælum sit domus nostra. De materiali domo, quantùm egemus ut Deus in illa habitet, non est difficile cogitare, sed quàm rarò in iis Deus habitet, quis potest sine dolore dicere. Contingit aliquibus do-

domibus tam infelices esse, ut totis sæculis quibus stant, Deum incolam non habeant, non vitio Domorum, sed Dominorum. Quis scit in Civitate an aliquando domus una sit quam Deus incolat, non dubito quod habeat angulos aliquos, sed quod totas domos, valde ambigo. Inducitur aliquando & ingreditur illuc, sed ferè eodem die ejicitur. Deumque, humiles casæ, crebriùs habent Deum incolam quàm superba ædificia, raro enim humilem scelera subintrant casam. Conscientiam esse domum nostram constat ex illo Prodigo qui dicitur ad se rediisse, Ergo exierat à se: Et anima à Christo comparatur domui, quàm Spiritus immundus, cum septem nequiores secum acceperit, repetit, & inhabitat. Quam rarò apud nos in hac domo Deus sit, quis dicet sine lacrymis? Templa esse domus Dei certum est; nostras etiam esse, aut debere esse non dubium. Hîc enim nascimur, hîc alimur hîc erudimur, hîc à sordibus lavamur, hîc & cubamus sub somnum mortis. Has domos frequentare debemus propter tractanda cum Deo negotia, non propter colloquia, propter consilia. Hæc templa ideò sibi ædificari jubet in iis locis, in quibus plures homines incolunt, ut quia non potest vitio hominum, in singulorum domibus manere (ut dixi supra) neque tamen velit omnes homines deserere, cum deliciæ ejus sint esse cum filiis hominum, ideò inter homines jubet sibi templa ædificari, ut maneat inter omnes, si non potest cum omnibus. Ex quo discere debemus. 1. Quàm frequentare debemus templa nostra. Sed nos hodie tam iniqui sumus, ut etiam hâc Domo Deum spoliatum esse velimus, & eum ex illa exturbemus, quid enim in templis non facimus? 2. Quantum ornandis templis incumbere debeamus. Si omnes domus nostræ, templa essent Dei, multos sumptus in illis exornandis facere deberemus, noluit Deus tam nobis esse molestus, paucas, vel unam elegit Domum ut saltem illi ornandæ pro dignitate, incumbamus. 3. Quàm cautè in domibus nostris agere & degere debeamus, cum inter illas, seu cum illis, vicinam Dei domum habeamus, quæ est veluti specula Dei ex qua ille contemplatur civium mores, & quæ fiunt, quæ dicuntur &c.

10. Hodie salus huic domui facta est.

CONsidera, propter unius Patris familias conversionem, toti domui Salutem factam esse; Hinc discant Patresfamilias, & omnes Prælati, ac Domini, eos multiplici obligatione teneri, ut boni sint, nec sint mali. Discant, eos non solum sibi solis malos esse, sed aliis pluribus, quos exemplo corrumpunt, & à quibus impediunt benedictionem Dei, inducunt maledictionem. Discant etiam famuli, qualem debeant delectum facere in Dominis conquirendis: tales scilicet quærant, quorum vita, sit illis disciplina morum, causa salutis. Discant etiam omnes, quantum boni unus justus in domo, in urbe, in populo possit. Ecce enim quia Zechæus Filius Abrahæ factus est, toti domui salus statim facta est. Sic posteaquam Centurio credidit in Christum, credidit etiam domus tota. Discant deniq; præcipuè Magnates, & quorum auctoritas apud alios aliqua est, quam grandi subjaceant periculo damnationis, non solum proqter sua, sed etiam propter aliena peccata. Hoc enim est illud quod dicitur crebro, Dominos parvis peccatis Deum offendere non posse.

11. Hodie oportet esse.

VIdimus quomodo oporteat Deum in Domibus manere nostris, videamus quomodo nos in domo Dei oporteat manere. Domus Dei Templum est, Ecclesia Catholica est, homo totus est, cælestis patria est. Oportet nos in templis manere reverenter & frequenter. Reverentia templorum consistit, ut in iis orationes faciamus, Verbum Dei, Voluntatem Dei audiamus, dicamusque, decenter in iis conversemur, eaq; tractemus conservemus Sacramenta frequentemus frequenter, si diebus singulis, si diebus festis, manè, & à prandiis ea orandi causâ adeamus. Oportet nos in Ecclesia Catholica manere, quia extra hanc Arcam diluvium est, extra hoc ovile lupi sunt. Oportet autem manere fideliter, credendo omnia, quæ docet Ecclesia; obedienter, omnia faciendo quæ mandat, sive ea negativa sive affirmativa sint. Oportet nos habitare in nobis ipsis castè; quia Corpora nostra, templa sunt Spiritus Sancti, quia si Spiritu facta Carnis mortificaveritis, vivetis: Spiritualiter, carni necessaria tantùm dando, nam si animam negligimus, nec corpus salvare poterimus: quid autem prodest homini si mundum lucretur, animam verò perdat: Pacificè quantùm ad proximos, nulli scandalum præbendo, nulli injuriam faciendo, omnes amando. Oportet nos habitare in cælesti domo, jure, desiderio, Spe, cura. Jure curando, ut gratiam Dei, quæ est jus ad cælum conservemus; Desiderio, ut terrena fastidiendo, ad Superna anhelemus: Spe, nec præsumendo, nec desperando, à cælo excidamus, sed putemus, nos cum gratia Dei & cooperatione nostra, salutem æternam consequi posse: Cura, ut semper merita coacervemus, satagamusque, per bona opera certam facere vocationem & Salutem nostram; Vtiq; contendamus per angustam portam, & rapinâ vim facere cælo conemur, ut deniq; cum metu & timore operemur Salutem, curramusq; ad anteriora, priorum obliti, ad bravium Supernæ vocationis, renovantes jugiter Spiritum mentis nostræ, & super fundamentum fidei ædificantes, non ligna, fænum, stipulam, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, semper parati ut prudentes Virgines; semper vigiles, ut fideles Servi; semper lucrantes & negotiantes talentis Domini, ut boni Servi: donec veniat Dominus, & deducat nos, in illam Patriam, domum non manu factam in cælis, & dicat; Euge Serve bone & fidelis, intra in gaudium. O Beati qui habitant in domo tua illa Domine!

FINIS.

INDEX
In omnia Opera rerum notatu dignarum copiosissimus & diligentissimus.

A.

D.

E.

Necessi-

INDEX

Pri-

Q.

R.

S.

INDEX

X.

Z.

A. M. D. G.

